

GONII
PERA
MNIA


OM. VI
ULTIMO
A
850
VI


TOM. VI
ET ULTIMO
A
850
VI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLI
SIGONII
OPERA OMNIA
TOMUS SEXTUS, ET ULTIMUS.

CAROLI
SIGONII
OPERA OMNIA
TOMUS SEXTUS, ET ULTIMUS.

Digitized by Google

CAROLI SIGONII MUTINENSIS OPERA OMNIA

EDITA, ET INEDITA;

CUM NOTIS VARIORUM ILLUSTRIUM VIRORUM,

ET EJUSDEM VITA

A CLARISSIMO VIRO

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECARIO CONSCRIPTA;

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS

Nunc primùm collegit, ſuaſque Animadverſiones in aliquot ipſius SIGONII Opuſcula adjecit, necnon Indicibus locupletiſſimis exornavit.

TOMUS SEXTUS, ET ULTIMUS.

Biblioteca Vittorio Scialoja



MEDIOLANI, MDCCXXXVII.

IN ÆDIBUS PALATINIS.

SUPERIORUM PERMISSU.



ILL.MO ET EXCELL.MO VIRO

D. CAROLO

PERTUSATO

S.C.C.M. CAROLI VI.

ROMANORUM IMPERATORIS

A PENITIORIBUS CONSILIIS

MEDIOLANENSIS SENATUS PRÆSIDI, ET MAGNO CANCELLARIO.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS

S. P. D.

P*Oſtremus Operum* Caroli Sigonii *Tomus Excellentiſſimo nomine tuo inſcriptus publicam in lucem prodit, ejuſque memoriæ me gratiſſimum officium præſtitiſſe puto, quod tu, Comes Excellentiſſime, qui ceteros omnes, uti & dignitate, ſic & doctrina, eruditione, atque ingenio antevertis,* pri-

primus omnium de ineditis adhuc celebratiſſimi Auctoris operibus aliquot à me per ſummam diligentiam collectis judicium proferre poſſis, quod Sigonius ipſe profectò, ſi adhuc in humanis eſſet, tamquam à tripode reſponſum, curioſiſſimè percontaretur; contra verò munus hoc meum gratiſſimum tibi futurum eſſe mihi facilè perſuadeo ab opinione præſtantiæ, qua Sigoniana ſtudia celebrare ſoles, veram ſolidamque doctrinam & ſinceram potiſſimùm Juriſprudentiam comparare ſtudentibus. Noviſti enim experimento, quantum neceſſaria ſit in omni doctrinarum genere inquirendo Hiſtoria, de qua Sigonius elucubrationibus ſuis, vel in Hebraicam, vel in Romanam & Græcam, vel in Italicam poſterioris ævi, quam barbaram vocant, adeò benemeritus fuerat, ut viam ceteris omnibus poſt eum ſtraviſſe dicendum ſit ad rectam ſtudendi rationem, & vel in Sacris vel in profanis doctrinis omnibus excolendis, atque ad ſinceros puroſque fontes revocandis, unde cum utilitate ſunt accipiendæ. Atque, ut ceteras omittam, de una Juriſprudentia, quæ meritos Tibi & in aula Principis, & in Patria ſupremos honores detulit, verba facturus; annon in deliria, enormeſque inſulſos errores prolabi neceſſe fuerit, iis omnibus, qui à Sigoniana methodo deſciverint? Annon impoſſibile ſit, non vim tantùm, atque intrinſecam rationem Romanarum Legum, quibus vivimus adhuc, attingere, ſed veterum JCtorum verba pluribus frequentiſſimiſque in locis ne quidem explicare, niſi ab hiſtoria cum Sigonio latarum legum occaſionem, & præci-

puum

puum earum ſubjectum cognoſcamus? In judiciis vero niſi diſtinguamus actiones veterum, annon à tota cauſa jure merito decidere, Te judice, Tuique ſimilibus, neceſſe fuerit? Hæc tam vera cùm ſint, quàm quæ veriſſima, mirari ſatis non poſſum, quod in tanta turba forenſium hominum rari admodum ſint, qui bonas literas colere, multoque minus antiquitatis peritiam adipiſci ſibi velint, antequam accedant ad roſtra, & blaterare potius velint cum barbaris, quàm cum veteribus JCtis politiſſime philoſophari. Huic ſane Reipublicæ incommodo, ne dicam peſti, quantum in me eſt, occurrere cupiens, editionem hanc ſupra ceteras locupletiſſimam inſtauravi, & ni me meus fallit amor in opellam hanc qualemcumque meam, theſaurum Studioſis omnibus in eam potiſſimùm cauſam iterum aperui, unde omnes depromere ſibi poſſint ea præſidia, ſine quibus altis in tenebris caligabunt. Tu quidem, Comes Excellentiſſime, in tanta opinione doctrinæ, ac ſupremarum dignitatum honore cumulato, vivo potius exemplo tuo melius juvare poteris, & Regiam illam Bibliothecam tuam reſerando, in qua nullus niſi probatus judicio tuo codex, atque ob id potiſſimùm ſupra ceteras pretio æſtimanda, quòd cum delectu ſit copioſiſſima, eoque apparatu inſtructa, qui ſemper utilis futurus ſit ubi errare non poſſis. Si verò doctrinæ tuæ arcana communicaveris, omnia brevì ad modulum rectæ rationis reſtituentur; eamque ſortem ſeveriores literæ impoſterum erunt habituræ, quam habuerunt amœniores Muſæ, cùm in hortos tuos domeſticos

Arca-

Arcadum Academicorum colonia migraverat. Sed jam, Comes Excellentiſsime, paullo

- - - - - - - - - majora canamus.

Non omnes arbuſta juvant, humileſq; myricæ.

Cumque in curuli Sella poſt Conſularem Virum Patrem tuum Excellentiſſimo Senatui præſideas, & apud Principis Vicarium Supremi Cancellarii honore fulgeas, iterum cum Poëta

- - - - - Silvæ ſint Conſule dignæ.

Principem & ipſa Juriſprudentia locum teneat, habeatque opitulatrices Muſas, & quidquid veterum Numiſmatum in Pinacothecam tuam congeſſiſti, ad eam illuſtrandam ornandamque conferas in publicam utilitatem. Id ſanè opus maximum, cuique tu ſolus abſolvendo par eſſe potes, cum volueris. Eò tamen excurriſſe me ſentio, ut paræneticam potiùs, quàm dedicatoriam epiſtolam ſcripſerim; nibilo tamen minus non me piget bujuſmodi argumenti, atque arrepta occaſione à re nata, ab aliorum uſitato more tecum receſſiſſe. Novi enim faſtidire Te recitatos Majorum faſtus, & cognationum illuſtrium decora, quòd fortunæ potius eſſe putes, quàm tua; imò nec geſtorum tuorum recordationem facile ſuſtineas, ob ſingularem modeſtiam qua virtutes ceteras raro exemplo decoraſti. Morem itaque geſſi, quæque de incremento doctrinarum, Te cum delectatione diſſerentem non ſemel audivi, imitari potiùs volui, quàm impudentiſſimè aſſentari. Tu æqui bonique factum accipias velim, & in exiguo munere, perpetuum clientelæ meæ pignus reſpicere digneris inſtantiſſimè rogo. Vale.

Dab. Mediol. VI. Kal. Mart. MDCCXXXVII.

LECTORI HUMANISSIMO
PHILIPPUS ARGELATUS
S. C. C. M. CAROLI VI.
ROM. IMP. SEMPER AUGUSTI
A SECRETIS
S. P. D.

SI ſingulas moræ cauſas ad excuſationem proferre vellem, ne dilatum in hanc uſque diem *Sigonii* operum complementum vitio mihi vertendum ſit, plura ſanè dicenda mihi eſſent, quæ tædium augerent potiùs, quàm imminuerent commemoratione minimarum rerum, unde nihil utilitatis, plurimumque faſtidii tandem eſſet expectandum; quamobrem in ſumma ſcias velim, Benevole Lector, non ante me debitum ſolvere potuiſſe, quàm univerſa noſtri Auctoris opera in meam poteſtatem venirent, ut fidem liberarem. Neque parcendum labori fuit & ſumptibus, non tantum in comparandis iis, quæ typis tradita per manus literatorum hominum circumferuntur, ſed expiſcandis, ut ita dicam, iis, quæ hactenus inedita in vaſto celebratiſſimarum Bibliothecarum pelago longiùs ab oculis & memoria plurimorum abſcondita deliteſcebant; Propoſitum namque mihi fuerat ne minimum quidem prætermittere, quod alibi eſſet inquirendum, tantaque uſus diligentia operi abſolvendo incubui, quantam nemo alius profectò adhibuiſſet, ſi quæſtui potius, quàm nomini ornando ſtuduiſſet. Quæ quam vera ſint, confer Lector humaniſſime hanc noſtram editionem cum Hannoviana, & illico dilucidè cognoſces quot Opuſcula alibi impreſſa, & quot alia nunc primùm in lucem producta, quæ hîc reperies, fruſtraque in illa quæſieris.

De illuſtrationibus verò, quibus aucta pariter ſunt plurima *Sigonii* opera meo quidem hortatu, & literatorum hominum ſtudio, nihil mihi ſanè tribuendum ultra curæ qualecumque ſit pretium; commodi namque plurimum atque utilitatis allaturas eſſe non dubito. Ceterùm hæc ita per me geſta ſunt, ut animus eò ſemper intenderit, quò referendæ gratiæ debitum vocat, ad *Auguſtiſſimum* nempe *Imperatorem CAROLUM VI.* cui me, Familiam, & quidquid eſt induſtriæ dicatum volui, ne indigna Numine Majeſtateque ipſius editio à me repetita cenſeretur, & poſtquam in tanta mole negotiorum ad literas, & opellas meas reſpicere non dedignatur, re ipſa palàm facerem munificentiæ ſuæ liberalitatem in eas verſam à me fuiſſe cauſſas, quæ bonorum omnium calculo ſint probandæ immo (ſi Diis placet) boni aliquid ſapiant ſeverioribus Criticis. Quandoquidem ſi ad graviſſimam difficultatem reſpexeris, quæ fuit in colligendis iis omnibus, quæ *Sigonium* Auctorem habent, inter quæ plurima quòd paucis foliis olim tradita, & in vulgus emiſſa, fortaſſe ob raritatem exemplorum erant peritura, atque Orationes potiſſimum, illico dices nos operam non luſiſſe, ac tædium moræ diligentiâ compenſaſſe. Nos *Orationes* XIII. hoc tomo damus, & in editione Hannoviana ſeptem numero tantum invenies. *Fragmenta* Ciceronis, quæ innumeris fere mendis in prima editione ſcatebant, quantum potuimus repurgavimus; & quoniam in

iis prælo tradendis cognovimus, Fragmenta nonnulla in ea prima editione deſiderari, ad quæ Sigonius ſuis Scholiis animadverterat, ea opportuno loco reſtituta volui, qualia in Patriciana editione leguntur, collata etiam Hollandica cum notis Variorum, unde plura excerpſimus ad noſtram hanc editionem concinnandam. Neque minus adhibitum diligentiæ in edendo libro, cui titulus: *Conſolatio*, vel de *Luctu minuendo*, Ciceronis nomine primum vulgato, de quo tanta non ſine acerbitate à literatis Viris prolata ſunt, eique Diſſertationem doctiſſimi *Scharfii* præpoſui vulgatam olim in libro, cui titulus: *Miſcellanea Lipſienſia:* Lipſiæ 1717. ibique invenies pag. 119. ut rei actæ ſeriem facilius quiſque cognoſcat: loco pariter ſuo binas *Orationes* ipſius Auctoris noſtri ſubjunxi, & librum, cui titulus: *Accuſator*. Et quoniam optime noveram, Clariſſimum *Muratorium* in Vita Sigonii tradidiſſe, tertiam Orationem typis Bononienſibus anno 1603. ea de re fuiſſe vulgatam, nullum lapidem non movi tam Bononiæ, quàm Romæ, Venetiis, Patavii, Neapoli, ac celebratioribus quibuſque Italicis Urbibus, amicoſque omnes ſollicitavi ſi uſpiam inveniri poſſet, atque ab omnibus reſcriptum eſt, nemini unquam tertiam Orationem apparuiſſe; quamobrem neceſſario dicendum, Accuſatoris librum in Orationum numero habitum ab eo Scriptore, qui ætate Sigonii vixerat, & à quo notitiam hauſerat laudatus *Muratorius*, vel ob raritatem exemplorum intercidiſſe, uti ſane intercidiſſe puto *Orationem Demoſthenis*, quam Sigonius è Græca in Latinam linguam verterat, Vitas *Aegidii Foſcararii*, & *Onuphrii Zarabbini*, latine ſcriptas, quæ omnes Auctori noſtro ab ipſo *Muratorio* tribuuntur, & per ſummam diligentiam, longoque tempore à me quæſitæ hactenus deſiderantur. Jacturam tamen Vitæ Zarabbini reparatam volui verſione Italica *Borgarucii*, quæ præpoſita legitur editioni ſacrarum Orationum dicti Zarabbini; atque in univerſum, ſi quid mœroris fuit ob eas deperditas, longè plus gaudii obortum eſt ab ineditis aliis operibus, quæ mihi priora quærenti emerſerunt: *Opuſcula* nempe duo, & *Epiſtolæ*, quæ in hac ampliſſima Ambroſiana Bibliotheca ſervantur, quarum LIII. datæ ſunt ad celebratiſſimum *Onuphrium Panvinium*, VIII. ad *Aldum Manutium*, III. ad *Vincentium Pinellum*, una vero ad *Camillum Boſium*, atque ad eas acceſſit Præfatio Doctiſſimi *Joſephi Antonii Saxii* eidem Bibliothecæ Præfecti, unde utilitatem earum Epiſtolarum facilè cognoſces. *Hiſtoriarum Bononienſium* libros etiam in hac editione ſuppletos habebis beneficio Eruditi Viri Abbatis *Alexandri Branchettæ* Præſ. Publicæ Inſtituti Scientiarum Bibliothecæ, quæ Patrii Senatus liberalitate, atque amore in literas novum in dies habet librorum augmentum. In eo MS. Cod. Sigoniana Bononienſis hiſtoria legitur ordine temporum continuata per eos decem annos, per quos in editis hiat lacuna, hortatuque meo antequam ejus MS. notitiam nactus eſſem J. C. *Alexander Machiavellus*, diligentiſſime ſuppleverat, immo & ad annum uſque MCCLXXV. producitur, quid niſi oſcitantiæ typographorum tribuere velim, ingenuè fateor, me cauſas inveſtigare minimè potuiſſe, ob quas hactenus inediti latuerint. Præterea in eo MS. Codice Hiſtoria Bononienſis aliud habet initium, quàm non legitur in impreſſis, & illud etiam propono, ne quidquam videar prætermiſiſſe.

Quod vero deſiderium certè meum implevit, & eruditioni tuæ placiturum ſcio, illud eſt pretioſiſſimum, quod operâ Patroni & Mecœnatis mei, cujus nomen ut in honore, ſic in ſilentio habendum, è Vaticana Bibliotheca nuper accepi; *Cenſuras* dico, in Sigonianos libros de Imperio Occidentali, de Regno Italiæ, in Notas ad Sulpicium Severum, & Lib. de Republica Hebræorum. Anonymus eſt earum Auctor, adverſus quem repo-

ſuerat

ſuerat Sigonius, adeoque mihi arriſit fortuna, ut Bononiæ apud Amicum exemplum alterum Vaticanum hujuſmodi Cenſuratum cum Sigonii *Reſponſis* invenerim. Quod ſanè pertinet ad reſponſa in Cenſorem libri, qui Notas habet ad Sulpicium Severum, cum propria Sigonii manu ſcripta ſint, ne minimum quidem de Auctore dubitandum: cetera verò, quæ à me comparata cum epiſtolis, aliena manu ſcripta illico apparent, aliquid hactenus incerti relinquere poſſent in forenſi potius judicio, quàm in literario, cui ſtilus & rationum gravitas eſt obſervanda. Tu cum ea leges, Lector benevole, plurimum ſanè delectationis eris habiturus ob eximiam eruditionem, & acutioris critices examen, quibus uſus Auctor noſter de doctrinæ ſuæ æmulis profectò triumphavit, Glareano, Robortello, ceteriſque invidis fruſtra blaterantibus. Cenſuris iis & Reſponſis præmiſi etiam libellum de utilitate capienda ex Hiſtoria Caroli Sigonii de Regno Italiæ à Viro doctrina & dignitate eminentiſſimo ſcriptum, nempe ab *Auguſtino Valerio* S. R. E. Cardinali, & Epiſcopo Veronenſi, ne laudator laudatiſſimus ipſe Sigonio deeſſet.

Hæc ſunt, quæ reſcire te volui, unde labores hoſce meos æſtimare poſſis, & ſi grati futuri ſint, ad alia brevi capeſſenda, humanitate, qua ſoles, animum addas. Dabo etenim quamprimum literas, in quibus conſilium meum de nova editione operum alterius Auctoris, qui Sigonio celebritate nominis & doctrina par eſſe poſſit, & eruditioni tuæ novum etiam afferat emolumentum. Vale.

ELEN-

E L E N C H U S
TOMI SEXTI, ET ULTIMI.

CAROLI SIGONII Emendationum Libri II. Pag. 1
CAROLI SIGONII *Diſputationes Patavinæ* adverſus *Franciſcum Robortellum* Lib. II. 225
CAROLI SIGONII *de Binis Comitiis*, & *Lege Curiata* poſterior cum *Nicolao Gruchio* diſputatio. 251
CAROLI SIGONII *de Nominibus Romanorum* Liber. 383
CAROLI SIGONII *de Dialogo* Liber, in quo *de Perſonis*, *de Locis*, *ac tempore* ſcribendi Dialogi, vocatis ad examen antiquorum Philoſophorum auctoritatibus, elegantiſſimè diſſerit. 429
CAROLI SIGONII *Orationes variæ*, nempe *pro Eloquentia IV.* 493
De Latinæ Linguæ uſu retinendo I.
De Laudibus Hiſtoriæ I.
De laudibus Studiorum Humanitatis I.
ORATIO habita in Gymnaſio Patavino VIII. Id. Novemb. anni MDLX.
De ingenio excollendo, & *de laudibus Bononiæ* Oratio habita in Academia Bononienſi VIII. Idus Novembris anni MDLXIII.
Cum D. Rodericus de Pazos Figueroa à Pontevedra Hiſpanus inſignia Scholæ Rectoratus acciperet, Oratio habita Bononiæ V. Nonas Octobris MDLXXV.
ARISTOTELIS *de Arte Rhetorica* Libri tres CAROLO SIGONIO Interprete, in hac editione à pluribus mendis expurgati. 557
FRAGMENTA CICERONIS paſſim diſperſa CAROLI SIGONII diligentiâ collecta, & Scholiis illuſtrata; *Philippus Argelatus* Bononienſis recenſuit, & Scholia ſuis locis appoſuit. 661
M. TULLII CICERONIS *Conſolatio*, vel *de Luctu minuendo*, cui nunc præfigitur *Antonii Riccoboni* Judicium de eadem, necnon *M. Godofredi Balthaſſaris Scharſii* de vero Auctore Conſolationis Ciceronianæ Diſſertatio. 821
CAROLI SIGONII Orationes II. necnon ACCUSATOR pro Ciceronis Libro *de Conſolatione*, omnia à nonnullis mendis expurgata. 881
CAROLI SIGONII *de Rei Romanæ Scriptoribus* Judicium. 959
VITA *Onuphrii Zarabbini* Cotineolenſis Canonici Regularis è Congregatione Salvatoris CAROLO SIGONIO Auctore. 977
CAROLI SIGONII Opuſcula II. adhuc inedita, nempe *de Donatione Conſtantini M.*, & *de Scholis Bononienſibus*, necnon ejuſdem *Epiſtolæ*, omnia nunc primùm prodeunt è manuſcriptis Codicibus *Bibliothecæ Ambroſianæ* cum prævia Præfatione Clariſs. Viri *Joſeph Antonii Saxii* eidem Bibliothecæ Præfecti. 981
CONTINUATIO *ad Hiſtoriam Bononienſem* ab Anno MCCLVIII. ad MCCLXXV. Auctore CAROLO SIGONIO, nunc primùm prodit ex MS. Codice *Bononienſi*. 1031
ANONYMI CENSURÆ in varia CAROLI SIGONII Opera, nempe *in Occidentale Imperium*, *in Regnum Italiæ*, *in Notas ad Hiſtoriam Sacram B. Sulpicii Severi*, & *in Rempublicam Hebræorum*, cum ad eaſdem Cenſuras *Reſponſionibus*, quibus præmittitur *Opuſculum* Clariſſimi Viri *Auguſtini Valerii* S. R. E. Cardinalis, & Veronenſis Epiſcopi *de utilitate capienda ex Hiſtoriis Caroli Sigonii de Regno Italiæ*; omnia nunc primùm in lucem prodeunt ex manuſcriptis Codicibus *Bibliothecæ Vaticanæ*, & ab altero *Bononienſi*. 1065
JULII SIGNII ad CAROLUM SIGONIUM de M. T. Ciceronis *Conſolatione*, vel *de Luctu minuendo* Epigramma, necnon Epicedium in Funere CAROLI SIGONII, Auctore Anonymo, ex MSto Codice *Bibliothecæ Ambroſianæ*. 1239
INDEX Rerum, & Nominum. 1241

CAROLI SIGONII EMENDATIONUM ADVERSUS FRANCISCUM ROBORTELLUM LIBRI II.

CAROLUS SIGONIUS

MUTINENSIS

FRANCISCO ROBORTELLO

UTINENSI

ὑγιαίνειν.

LEgi Libros, quos tu proxime de Supputationis convenientia, de Arte corrigendi, & Emendationibus edidiſti, ex quibus excellens conſilium, ſtudiumque tuum incredibile in ipſa Romana antiquitate reſtituenda perſpexi. Quod cum ſumme laudandum, tum vero magnifice etiam prædicandum eſſe exiſtimo. Unum illud in tanta laude, quam tibi prope omnium conſenſu deberi video, nullo modo probo, quòd non veritatis ſtudio, ſed aut ambitione, aut ſimultate aliqua ad hanc diſputationem adduci videris; quibus duabus rebus vacare maxime oportet eos, qui in veri ipſius indagatione verſantur. Etenim cum alios multos, qui in his præclaris ſtudiis operam ſuam poſuerunt, tum me ipſum in primis acerbiùs tibi accuſandum, atque aſperiùs appellandum ſumpſiſti, quaſi verò aut veritas ipſa, aut ſapientia tua nullo modo, niſi contumelioſa in eos, quos argueres, diſputatione patefieri poſſet. Quamobrem, quoniam tu in his libris, in quibus omne in me acerbitatis tuæ quaſi virus evomuiſti, ſæpius me, ut tibi reſpondeam, provocas, morem tibi geram, ac tibi ita reſpondebo, ut egregia iſta tua, quæ tu putas, decreta, non odii, & inimicitiarum, ſed veritatis, & literarum causâ, ut falſa, & ridicula, & te ipſo non omnino inerudito homine indigna, refellam. Sed hoc paulo poſt. Hoc autem loco ad ea, quæ tu de injuriarum ratione, & quaſi de violata amicitia, quod ego graviſſimum crimen eſſe duco, præpoſuiſti, unde iſtam tuam contumelioſam in me orationem emanaſſe ſignificas, dicam, teque ipſum nulla mea injuria laceſſitum, inſito dumtaxat obtrectationis ſtudio incitatum ad hanc concertationem deſcendiſſe oſtendam. Ac primùm quidem, quòd ais, te meis in libro de Prænominibus aculeis ſtimulatum, me ipſum epiſtola quadam leviter pupugiſſe, quid illud ſit, non intelligo; neque enim in eo commentario verbum ullum in quenquam feci, ne dum te ipſum, quem non inimicum putabam, ulla ratione perſtrinxi: niſi forte eis verbis offenſus es, quòd dixi: *mihi maxime de Nominibus Romanorum ſcribendi cauſam fuiſſe, quòd veterum libros vetuſtas fere vel conſumpſiſſet, vel deformaſſet; noſtræ autem memoriæ homines in hoc genere non ſatis diligenter omnia collegiſſe viderentur*. Quod ipſum cùm non ſolum ad veritatem, ſed etiam ad attentionem, ut fit, parandam dictum ſit, cùmque non in te tantùm, verum etiam in omnes, qui ante me ea de re ſcripſerint, quos ipſe multos enumeras, convenire poſſit, non video, cur animum tuum adeo à me alienare debuerit, ut tu eo in me nomine tam petulanter invaſeris. Sed fac me, cùm ſcripſi: *noſtræ memoriæ homines non omnia diligenter de Nominibus Romanorum videri collegiſſe*, id in te ſcripſiſſe; cur ſi id à me dictum ægrè tuliſti, non tum mecum per literas abſens, aut poſtea coram verbis expoſtulaſti? cur non niſi quinto poſt librum illum editum anno tibi tantam injuriam perſequendam eſſe duxiſti? cur tam leviter à me læſus tam graviter illa tua epiſtola, referendæ, ut ais, gratiæ causâ violaſti? Hæc enim illius epiſtolæ tuæ in me verba ſunt, dum cauſſas affers, cur tu faſtos Capitolinos ſine meis Additamentis edideris: Ita fiet, ut ingenii ſui omnes periculum faciant, nec ullius arbitratu aliquid temerè ſtatuant; ſæpe enim dum alios ſequimur duces, in maxima incidimus errata; quid enim magis ridendum unquam fuit, quàm quod in hiſce marmoribus ſarciendis quidam anno CCCCLIV., ubi *Veturius Ti. F.* legendum eſt, connectendo inepte, & imperite ſyllabas, *Fauſti F.* ſcripſerunt. Quare etiam affirmare auſi ſunt, nulla alia auctoritate adducti, Fauſtus inter prænomina olim Romana fuiſſe, quod etiam pueri ipſi ſciunt, verum non eſſe. An igitur tibi videris, leviter me hac epiſtola pupugiſſe, cùm me temerè, ridiculè, pueriliter, ineptè, imperitè, & nulla auctoritate, quæ ſcripſi, ſcripſiſſe arguiſti? cum auctoritatem omnem labori meo graviſſimo tuo teſtimonio ademiſti? quid eſt aliud jugulare, ſi hoc eſt leviter pungere? Quod tamen ſi leve eſt, cur ſtatim id, ſicut ais, ſuſtuleris, non video, quanquam ne quid in eo quidem velis, ſatis conſtituere poſſum: ad me quidem cum illa epiſtola afferebatur, cum venalis viſebatur, ita ferè, ut propoſui, ſcripta reperiebatur, ut tuum fœdiſſimum de me judicium præ ſe ferret, alieniſſimum à me animum demonſtraret: Nam quod ais, te à Gabriele Fallopio, ut ea verba tolleres, rogatum fuiſſe, attendere acutiſſimus homo non videris, id ab illo tuâ potiſſimùm causâ, qui eſt amor in te ejus, eſſe factum; proſpiciebat enim (ut opinor) vir prudentiſſimus, idemque, ut ais, tibi amiciſſimus, ſi ipſe ita mecum, ut cœperas, agere inſtitiſſes, me, quem ipſe jam inde ab ineunte pueritia probè noverat, cùm ambo ab iiſdem magiſtris erudiremur, atque in iiſdem ſtudiis ita verſaremur, ut alter alterius induſtriâ incitaretur, tantam tuam licentiam tacitum dimiſſurum non eſſe, ſed, ut res ipſa, ut tempus tuliſſet, acriter eſſe refutaturum. Itaque initium hujus contentionis, quæ fore videbatur, epiſtolam illam tuam conſcindi oportere exiſtimabat, teque, ut id faceres, hortabatur potius, quàm rogabat, cujus utinam fideliſſimis conſiliis paruiſſes: neque enim tu id ætatis cum eo, quem ipſe modò adoleſcentem, modò puerum appellas, indigniſſimum hoc te ipſo certamen ſuſcepiſſes: neque te in eos laqueos, quibus irretitus te expedire non poſſes, aliquando induxiſſes. Sed tu nec rectè

mo-

monentem Fallopium audiviſti, meque non ulciſcendæ injuriæ cauſâ, quam nullam acceperas, ſed inferendæ, primum domeſticis, publiciſque ſermonibus, deinde illâ etiam epiſtolâ es aggreſſus. Nam quod addis, ante me maximo abs te beneficio eſſe affectum, quàm in te me animo eſſe exulcerato perſenſeris, quod tandem iſtud tuum beneficium ſit, non intelligo, niſi illud fortaſſe velis, quod ego ſemper maximum judicavi, quòd mihi cum tibi Patavium eunti ſuccedere Venetiis cuperem, non apud clariſſimos Gymnaſii conſtituendi Triumviros maledixeris; quod enim majus beneficium objici ab ejuſmodi homine poteſt, quàm ſe laudes eas tribuiſſe, quas non ademerit? Ego vero, cùm quotidie ad me ſermones malevoli tui deferrentur, cùm contumeliis in me tuis quotidie aures perſonarent meæ, tamen omnia mihi potius perpetienda eſſe arbitrabar, quàm ut ad hanc leviſſimam verborum contentionem venirem, teque ipſum aut voce, aut ſcripto ulla ratione offenderem. Sed poſtea quàm contumelioſam tuam in me epiſtolam legi, facere non potui, quin licentiam iſtam mihi maledicendi tuam, & ipſe ſcriptis, monimentiſque literarum comprimerem. Quamobrem feci id, à quo me, & natura, & voluntas mea ante ſemper abduxerant, ut & amicum, & te quem ſi non propter celebritatem nominis, at certè propter hoſpitalem neceſſitudinem, quæ mihi tecum domi meæ Mutinæ juncta fuerat, obſervarem, multis, ut ais, tuorum ſcriptorum in locis oppugnarem. Quod tamen cùm facerem, neminem futurum eſſe ſuſpicabar, qui me iniquiore id animo ſcripſiſſe arbitraretur; præſertim vero cùm moderatiſſimè ſciberem. Te enim ubique *amicum meum*, te ubique *doctiſſimum virum* appellavi: neque gravius, neque acerbius in te verbum ullum, quàm ut *me tecum diſſentire* dicerem, uſurpavi, ut intelligerent omnes, me non hominem ipſum, ſed ſententiam hominis accuſare. Quod ipſum ſi ne mihi quidem faciendum fuiſſe pro amicitia noſtra putas, exiſtimare debes, eas fuiſſe tuas in me quotidianas verborum contumelias, quæ teſtimonio eorum omnium, qui te Patavii audiebant, confirmabantur, ut mihi quanquam admodum cupienti temperare nequiverim. Neque verò id mirabile viſum iri exiſtimo. Nam ſi tu Joannem Baptiſtam Egnatium, cui ipſe ſucceſſeras, jam extrema ſenectute virum, quem multis de cauſſis venerari potiùs, quàm aliquo verbo lædere debebas, tua in illum intemperantia eò adduxiſti, ut Venetiis, inſpectantibus auditoribus tuis, in te, ut conſtat, parum fortaſſe moderate ſe geſſerit, quid eſt, quod miretur quiſquam, adoleſcentem me (ſic enim appellas), qui tibi ſucceſſi, à te ita tractatum, ut cupidiùs, quàm res poſtulet, modeſtiùs tamen, quam tuæ contumeliæ ferant, ſcripto aliquo perſequutus ſim? Habes rationem conſilii mei, quam tibi, ceteriſque omnibus probari maximè cupio. Neque enim quicquam gravius ferre poſſum, quàm me ejuſmodi certaminis, à quo mihi ſemper deſugiendum eſſe duxi, auctorem haberi. Hoc autem tempore cùm me rurſus his tribus, quos ſupra nominavi, libris ita oppugnaris, ut nihil aliud, quàm de mea tollenda auctoritate cogitaſſe videaris, non debeo tam languido, neque tam remiſſo, atque abjecto animo eſſe, ut te, cui, ut leviſſime dicam, multa deſunt, impune hoc facere patiar. Quare hoc libro reſpondebo tibi primùm, ut tu præcipis, ad omnia diligentiùs; deinde pauca quædam alia, quæ in tuis ſcriptis, mihi non admodum laudanda videantur eſſe, demonſtrabo apertiùs. Tu ſi quid ad hæc reſcribere volueris, non biennio, ut adhuc feciſti, ſed, ut ego, menſtruo ad meditandum ſpatio ſumpto, ſi vir eris, reſpondebis. Vale.

Nonis Septemb. MDLVII.

Hoc loco in præcedentibus Editionibus legebatur Summa eorum, quæ Sigonius Robortello vitio vertit; ſed cùm eadem in Generali Indice hujus Tomi deſcripta ſint, ſupervacaneum judico heic rurſus indicare.

AD

AD CLARISSIMUM VIRUM

BERNARDUM NAUGERIUM

SENATUS VENETI APUD PONT. MAX. LEGATUM

CAROLUS SIGONIUS F.

N*On dubito, quin audieris*, BERNARDE NAUGERI, *vir clariſſime, quibus in me, proximis his diebus, librorum voluminibus Franciſcus Robortellus invaſerit, & cum id audieris, quin maximam etiam ex ea re admirationem pro tua ſapientia ceperis. Etenim quanquam alienum ille nihil à ſuo ſive ingenio, ſive conſuetudine fecit, ut qui Eraſmum quondam, poſt Alciatum, alioſque clariſſimos noſtræ memoriæ homines ſibi lacerandos maledictis ſuſcepiſſet, nunc demum mortuis illis proximum ſibi quenque adoriatur; tamen cum ne ulla quidem eum à me injuria provocari potuiſſe intelligas, pro certo habeo, te unde tantus in eo furor extiterit, miraturum. Omnino igitur ille, ſi quæris, nec ulla contumelia mea adductus, neque ulla veritatis indagandæ cupiditate attractus eſt. Etenim qui ego eum, quem amicum demens putabam, aut jure laceſſere poteram, aut injuſte debebam? aut cur ille, ſi ita ſenſiſſet, contumeliarum me potius, quam argumentorum robore perſtrinxiſſet? Verum immoderata una, ut opinor, obtrectandi libido, natura excitata, conſuetudine confirmata eum, ut in me, quem ſibi propiorem eſſe ſentiebat, effrenate ferretur, induxit; auxit deinde, credo, animos ſingularis quædam, qua ipſe omnes à ſe homines ſuperari putat, dicendi facultas, & copia, qua me ipſum in primis, non ita fortaſſe ad ſcribendum paratum, neque ad reſpondendum inſtructum, facile à ſe oppreſſum iri exiſtimavit. Huic ergo homini, clariſſime* NAUGERI, *ſi ego reſpondeam, multos fore video, qui me reprehendant, ſi non reſpondeam, multo plures. Nam ſi vera ſint illa, quæ ab invido homine objiciuntur, ea mihi æquo animo, quoquo modo dicuntur, veritatis cauſſa eſſe ferenda; ſi falſa, non admodum eſſe curanda. Omnino autem totam hanc obtrectandi rationem, cum in veris etiam criminibus reprehendenda ſit, in fictis multo magis eſſe defugiendam; neque errorem errore cumulandum, ſed ſtultitiam ſapientia, dementiam prudentia, intemperantiam moderatione animi corrigendam. Sique ingenii viribus decertandum, ſit non adeo expeditam harum literarum rationem eſſe, ut non maxima cum induſtriæ gloria, famæ jacturam, quam maledictis Robortellianis me feciſſe ſuſpicer, facile poſſim alio monimentorum genere reſarcire. Atque hæc quidem & ego ſcio, & quantum res ipſa poſtulat, probo; verum neſcio quomodo contrariis rationibus magis, ut mihi reſpondendum eſſe putem, adducor. Etenim, ſi me veritatis amor ſtimulat, eniti me oportere exiſtimo, ne ab homine non omnino imperito rectiſſima hæc literarum ſtudia, in quibus & ipſe ab ineunte ætate verſatus ſum, oppugnentur; ſi honoris, ut & contra hunc, & contra ejuſmodi alios integram opinionum mearum famam, ſi quam excitavi, tuear, ac defendam; ſi iræ locus dandus eſt, debeo, quoad poſſum, efficere, ut quam inimicus meus male mihi dicendo voluptatem, ac gloriam ſe aſſequuturum eſſe ſperavit, eandem non ſolum de ſe male audiendo amittat, ſed perpetuis ſe vanitatis, atque inſcitiæ compunctum notis intelligat. Accedit poſtremo, id, quod caput eſt, tuum,* BERNARDE, *vir doctiſſime, & totius Senatus Veneti ſemper apud me graviſſimum judicium, ac teſtimonium. Video enim quem vos ſæpe ſtudiis, ac ſententiis veſtris ornaſtis, eum ab homine ad male dicendum non imparato, ſine cauſſa violari. Itaque niſi me privata ratio adduceret, veſtra certe, ne impunitam tantam licentiam tacitus dimitterem, ſed ut veſtram auctoritatem unà cum mea fama defenderem, excitaret. Quamobrem reſpondebo homini iſti, ut dixi, ita, ut primum nullum ejus in me maledictum omittam, quod non aut ratione, aut auctoritate refellam, deinde vero præclara illius ſcripta quædam & ipſe excutiam. Neque enim vereor, ne ipſe, hac me ſecum ratione agere moleſte pro ſua animi moderatione ferat, ut quibus me armis provocavit, iiſdem à me, ut*

voluit, repellatur. Quod me tamen, quia à moribus meis abhorret, invitum facturum eſſe confiteor. Itaque in ſummo dolore, quem ex hac contentione capio, maxime ſcilicet hæc ſpes conſolatur, quòd te, ſi non totius rei genus probaturum, at certe meam cauſſam, quem ad hoc certamen reluctantem attrahi vides, non admodum improbaturum eſſe confido. Ut enim ſcio, te, cum non maledicendo, ſed optime ſemper agendo, nec fucatis honoribus, ſed ſolidis laudibus, nec virtutis ſimulatione, ſed virtute ipſa gloriam ſemper quæſieris, eamque omnium hominum judicio tibi maximam comparaﬁs, totum hoc inanis concertationis ſtudium reprehenſurum; ſic contra, cum me ab eo aſperius appellatum, & gravius laceſſitum intelliges, & quidem iis contumeliis, quæ non modo nomen meum, ſed etiam præclarum judicium tuum, atque graviſſimum totius Senatus deformare teſtimonium poſſint: te eundem credo, ceteroſque pro veſtra humanitate, & prudentia factum meum maxime laudaturos. Quod ipſum utinam facere ante mihi veniſſet in mentem, ut cum eum ex inferiore loco, & privatim, & publice in me diſſerentem audiebam, quàm acerrime refutarem. Neque enim ille hoc tempore aut ſe in me tam effrenate intuliſſet, cum iniquam hanc luctandi conditionem expertus eſſet, aut veſtrum de me judicium, ne idem de ſe reprehenderetur, aliqua ratione vituperare auſus eſſet. Sed jam ad propoſitum aggrediamur.

CARO-



CAROLUS SIGONIUS

IN LIBRUM

DE CONVENIENTIA SUPPUTATIONIS.

Livianam annorum ab urbe condita ſummam cum Capitolina diſcrepare demonſtratum; & Liviani loci multi à turpiſſimis expoſitionibus, & correctionibus vindicati.

QUod ſcripſi in commentario Faſtorum Capitolinorum, idem hoc quoque loco neceſſario mihi repetendum videtur: magnam in annis ab urbe condita numerandis, ac digerendis inter antiquos ſcriptores diſſenſionem fuiſſe. Hoc enim & tradit Cicero in Bruto, & nos ita eſſe ex variarum ſupputationum obſervatione deprehendimus; omnis autem hujus controverſiæ cauſſa inde oritur, quod quos alii conſules, & ſine conſulibus dictatores ſæpe interſerunt, eos omnino alii prætereunt. Quod & in commentario Faſtorum & in Chronologia Liviana oſtendi. Eſt autem varia, & inconſtans annorum apud omnes ratio uſque ad quingenteſimum ferme

A annum ab urbe condita; ab eo vero hanc conſtantem inter eos eſſe controverſiam invenio, quod alii alios uno, alii tribus, alii duobus, alii quatuor annis antecedunt, aut ſubſequuntur. Verba vero Ciceronis, quibus hoc confirmatur, ſunt hæc: Livius primus fabulam C. Clodio Cæci filio, & M. Tuditano coſſ. docuit, poſt Romam conditam anno quingenteſimo decimo, ut hic ait, quem nos ſequimur; eſt enim inter ſcriptores de numero annorum controverſia. Atqui annus ille in faſtis eſt quingenteſimus decimus tertius; at vero apud Plinium, & Ciceronem ipſum quingen-

B teſimus decimus quartus; apud Livium, ut ego ſubduxi, quingenteſimus decimus; fit tamen, ut malim eo loco legere, quingenteſimo quarto decimo, ut eſt in manuſcriptis libris, quoniam Plinium, & Ciceronem eam annorum deſcriptionem, quæ Capitolinam uno anno antecedit, ſequi animadverti. Quod cum ita ſit, equidem ſatis mirari non poſſum, unde neceſſarius meus Franciſcus Robortellus ad eam opinionem venerit, ut ſummam annorum Livianam, & Dionyſianam ad antiquam Capitolinam redigendam putarit, cumque ipſæ inter ſe diſſimillimæ ſint, me qui diſſi-

diſſimilitudinem illam ſenſerim, & demonſtrarim, coarguendum, atque inſcitiæ nomine accuſandum exiſtimarit. Quamobrem feram hanc etiam amici injuriam, ut alias, æquo animo, atque ipſum toto cœlo errantem, dum maledictis ejus in me reſpondebo, puer ſenem in rectam aliquando viam deducam. Quid igitur ille ait? Livius, Dionyſius, Faſti Capitolini in numerandis ab urbe condita annis inter ſe conveniunt; quid ego? immo maxime diſcrepant. Unde hoc confirmari poteſt? unde, niſi ex verbis eorum? Qui ergo verbis auctorum ſervatis ſententiam ſuam firmarit, is cauſſam ſuam, ut opinor, egregie probarit; qui ut probet, quod vult, omnia annalium ipſorum verba ſubverterit, is merito in hac diſputatione audiendus non erit. Quod ſi ita eſt, cauſſa dicta eſt; nihil dico amplius; ego enim in mea Liviana ſumma conſtituenda nullum Livii verbum muto, ille omnia. Audiamus ipſum argumentantem. Sic enim de annis regum diſputat. Ex Faſtorum Capitolinorum ſententia conſules primi inierunt anno ab U. C. ducenteſimo quadrageſimo quarto, regeſque regnarunt annos ducentos & quadraginta tres; idem ſentit Dionyſius, idem Livius; ergo omnes conveniunt. Ego Robortelle de calculis Capitolinis nihil dico; *eſt enim is labor meus, jam ſatis juſto* commentario comprobatus. *De Dionyſio*, & Livio reſpondeo; utrunque eorum Romæ regnatum eſſe annos ducentos quadraginta quatuor; conſules autem primos iniſſe anno ipſo ducenteſimo quadrageſimo quinto ſenſiſſe. Dicam primum de Dionyſio; qui primo libro ita loquitur: Spatium, quod eſt ab exactione regum uſque ad Romulum, qui primus Romæ imperavit, annos complectitur ducentos quadraginta quatuor. Romulus enim regnavit annos XXXVII, Interreges annum unum, Numa XXXIII., Tullus XXXII., Ancus XXIV., Priſcus XXXVIII., Servius XLIV., Superbus XXV. & libro II.: Regium imperium cum Romæ annos CCXLIV. poſt U.C. ſtetiſſet, diſſolutum eſt. Hic opponit Robortellus, Dionyſium dixiſſe anno ipſo ducenteſimo quadrageſimo quarto primos conſules iniſſe; quod nec ille dixit, nec dicere potuit; quid autem dixit? tum eum conſules inierunt, quatuor menſes anno illi defuiſſe; ita ut extremus regum annus non, ut ille vult, quatuor, ſed octo menſium fuerit, primus conſulum ſexdecim; verum non ita accepit illum annum Dionyſius, ut annum ipſum ducenteſimum quadrageſimum quartum conſulibus aſſignarit, ſed regibus, ducenteſimum autem quadrageſimum quintum conſulibus. Indicant hæc verba ejus, quibus docet ſpatium regni annos ducentos quadraginta quatuor conſumpſiſſe. Indicat ipſarum olympiadum oratio; inquit enim, Superbum regem iniſſe regnum anno IV. olympiadis LXI., regnum ejus annos XXV. abſumpſiſſe, regnum Romæ diſſolutum ſexageſima octava inſtante olympiade, ideſt, vigeſimo quinto anno, quàm Superbus inierat, quatuor quibuſdam menſibus ante ſexageſimam octavam olympiadem; ſic enim legendum eſt; nam, ut ſcis, hic Dionyſii locus in vulgatis libris mutilus eſt, at in libro, qui in bibliotheca Divi Marci aſſervatur, integer hoc modo: *ἡ μὲν δὴ βασιλικὴ Ῥωμαίων πολιτεία διαμείνασα μετὰ τὸν οἰκισμὸν τῆς Ῥώμης ἐτῶν τεττάρων, καὶ τετταράκοντα, καὶ διακοσίων ἀριθμὸν, ἐπὶ δὲ τοῦ τελευταίου βασιλέως τυραννὶς γενομένη διὰ ταύτας τὰς προφάσεις ὑπὸ τούτων κατελύθη τῶν ἀνδρῶν, ὀλυμπιάδος μὲν ἐγδόης καὶ ἑξηκοστῆς ἐνεστώσης, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Ἰσχόμαχος Κροτωνιάτης. Ἀθήνησι τὴν ἐνιαύσιον ἀρχὴν ἔχοντος Ἰσαγόρου. ἀριστοκρατίας δὲ γενομένης οἱ πρῶτοι τὴν βασιλικὴν ἀρχὴν παραλαβόντες ὕπατοι τεττάρων μηνῶν εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ὑπολειπομένων Λεύκιος Ἰούνιος Βροῦτος, καὶ Λεύκιος Ταρκύνιος Κολλατῖνος.* Ut autem hoc factum ſit, planius à me in Faſtorum commentario demonſtratum eſt. Indicat etiam, quòd M. Valerii, & P. Poſtumii conſulatum, qui eſt annus poſt reges exactos primus, Dionyſius confert in annum primum ſexageſimæ nonæ olympiadis, cum is in annum quartum ſexageſimæ octavæ deberet incurrere. Indicat conſulatus A. Virginii, & T. Vetuſii, quem idem ille in annum ab U. C. ducenteſimum ſexageſimum conjicit. Indicat conſulatus L. Æmilii, & Cæſonis Fabii, quem idem initum eſſe anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſcribit; cum tamen ſi primos conſules occepiſſe magiſtratum anno CCXLIV. dicas, quinquageſimo nono illi, hi ſexageſimo nono anno inierint, neceſſe ſit. Dixi de Dionyſio, nunc dicam de Livio; qui libro primo ait, regnatum Romæ ab urbe condita ad liberatam annos CCXLIV. duos inde conſules eſſe creatos, id eſt ut ego interpretor, anno CCXLV. Hunc autem numerum recte habere apparet ex annis, quos eoſdem ipſe eum Dionyſio ſingulis regibus tribuit. Hoc loco occurrit Robortellus, & ait, Livium Priſco regi non XXXVIII. annos, ſed XXXVII. tantum aſſignaſſe; ita Romani regni ſpatium CCLXIII. annis includi; quid ad hoc dicam? nihil tale ſenſiſſe Livium, cum ita ſcripſit: Duodequadrageſimo ferme anno, ex quo regnare cœperat Tarquinius, non apud regem modo, ſed patres, plebemque longè maximo honore Ser. Tullius erat. Neque enim ibi de regno Priſci expleto loquitur; quanquam haud ita multo poſt eum morte affectum eſſe innuere videtur; neque ſi Priſcum regnaſſe annos XXXVII. voluiſſet, poſt in extremo libro Romæ regnatum eſſe annos CCXLIV. ſcribere potuiſſet. Conveniunt ergo inter ſe de regno annis Livius & Dionyſius, verum cum Capitolinis tabulis diſcrepant. Quid ſit autem, quod Robortellus modeſtiſſime, ut cetera, me pueriliter hæc ſcribere ait, non video. Uter noſtrum rectius horum auctorum verba perpenderit, alii viderint. Pergamus ad alia.

Primum ergo conſulum annum ex Dionyſii, & Livii ſententia ducenteſimum quadrageſimum quintum, ut dixi, conſtituo; ille Dionyſio, Livioque non intellecto, ex eorum item ſententia CCXLIV. Poſt autem anno CCLXIV. & CCLXV. duos annos ille cum duobus conſulatibus interſerit, qui non ſunt apud Livium. Hic ille, quanta cum gravitate dii immortales! at debent reponi, inquit. Ego contra reponendos eſſe ex Livii ſententia non exiſtimo; me vero, ut ita credam, tres potiſſimum rationes adducunt; una, quòd quas res Dionyſius in quatuor, his duobus interjectis, annos diſpenſavit, eaſdem Livius in duos extremos, mediis ipſis duobus ſublatis, contulit, ac nullam ejus hiſtoriæ partem quæ à Dionyſio maximo duorum horum conſulatuum auctore narratur, prætermiſit; altera, quod Caſſiodorus, qui tabulas ſuas conſulares ex Livianis annalibus videtur digeſſiſſe, ne hos quidem conſules profitetur; tertia, quod Livius Q. Minucio, C. Horatio coſs. tribunos pl. decem factos

ctos eſſe ſcriptum reliquit ; anno trigeſimo ſexto poſt primos quinque , qui facti ſunt A. Virginio, & T. Vetuſio coſſ. anno ab U. C. CCLX. qui numerus anni triceſimi ſexti nullo modo quadrabit, ſi duos annos interpoſueris, verum triceſimo octavo erit reponendum , quemadmodum ille contra omnium librorum & ſcriptorum, & impreſſorum conſenſum cenſet eſſe faciendum; tantam ei libertatem dat ars ab eo primum emendandi excogitata. Accedit annus, quo Xviri conſulares inierunt, quem Livius alterum & trecenteſimum ab U. C. vocat, id eſt, ut ego interpretor, unum & trecenteſimum ; qui numerus ne ipſe quidem congruet, ſi duorum illorum annorum rationem habueris, verum trecenteſimus tertius erit reponendus. Non eſt ita, inquit, immo trecenteſimus alter retineri debet, ſed pro trecenteſimo ſecundo, non trecenteſimo primo accipiendus eſt; cur ita? quia Faſti Capitolini Xviros in annum trecenteſimum ſecundum edunt. Non eſt hoc ſatis. Jam enim ex Ciceronis ſententia diximus, inter ſcriptores magnam eſſe de numero annorum controverſiam. Addit, quia Alter dicitur de duobus, ergo trecenteſimus alter eſt trecenteſimus ſecundus. Ego contra: Alter dicitur de duobus, ergo alter à trecenteſimo, eſt trecenteſimus primus; ut enim Virgilius dixit:

——— *Tu nunc eris alter ab illo*,

id eſt ſecundus, non tertius; & annum alterum ab undecimo, pro duodecimo; (nam qui aliter ſentiunt, probabilem cauſſam nullam, cur ita ſentiant, afferunt:) ſic trecenteſimus alter eſt trecenteſimus primus. Argumento ſunt aliquot manuſcripti, quos ego habeo, Livianarum epitomarum libri, in quibus ſcriptum eſt Xviros creatos eſſe uno & trecenteſimo anno ab urbe condita; argumento ſunt eædem epitomæ, in quibus legitur lib. XLIX. Anno quingenteſimo & altero ludos Terentinos factos, anno ſexcenteſimo & altero tertium Punicum bellum eſſe initum, id eſt quingenteſimo, & ſexcenteſimo primo, ut à me in Chronologia Liviana planiſſime demonſtratum eſt; quid plura? Bellum civile ultimum initum eſſe Lentulo, & Marcello coſſ. Confectum autem Cæſare IIII. & M. Craſſo, in omnibus annalibus ſcriptum eſt; numera, annos XX efficies. Itaque Vellejus, qui idem Lentulo & Marcello coſſ. ad arma civilia primum itum eſſe tradiderat, viceſimo anno civilia bella finita eſſe literis prodidit. At vero Livius, qui bellum ipſum non armis poſitis, ſed Cæſaris triumphis actis terminavit, Cæſarem ſcribit tribus triumphis in urbem invectis finem bellis civilibus impoſuiſſe anno altero & viceſimo, eo nimirum, qui ipſius, & Craſſi conſulatum proxime conſequutus eſt, quo inter omnes conſtat Cæſarem ter glorioſiſſime triumphaſſe. Hos vero annos nulla unquam intercalatione viginti duos reddideris; atque hoc in epitoma CXXIII. ſcriptum eſt, quas epitomas ex Livianis ipſis fere verbis contextas videmus. Cum ergo hanc locutionem Livio familiarem eſſe videamus, ut quingenteſimum, ſexcenteſimum, & viceſimum alterum annum pro uno & ſive quingenteſimo, ſive ſexcenteſimo, ſive viceſimo uſurparit, & ſi aliter interpreteris, reliquos omnes ejus numeros labefactes neceſſe ſit, quos hac expoſitione conſerves; cur non apud eundem etiam trecenteſimo & altero interpretabimur, trecenteſimo uno, præſertim vero cum veteres epitomarum ejus libri eo in loco conſentiant? nec in alium annum decemviri apud eum incidere poſſint? niſi conſulatus aliquot contra ſententiam ejus interponas; id quod ei faciundum non eſt, qui ad Livianos calculos revocare hanc annorum, temporumque deſcriptionem velit. His ille perculſus argumentis ad artem ſuam confugit; reperit præceptum, quo facultas datur quencunque cujuslibet auctoris locum pro libidine deformandi; utitur eo contra me, & ait, qua fiducia, immo potius confidentia dii boni! Ariſtarchum eſſe diceres. Legendum eſt, quingenteſimo quarto; legendum eſt, ſexcenteſimo quarto. Cur Robortelle? quia illi conſulatus in eum numerum in Faſtis Capitolinis incurrunt. At hoc ſuſcepiſti probandum ex verbis Livii, Livium ipſum cum faſtis concordare. Nihil ergo faſti ad Livium. Sed ſit hoc artificii tui.

Sequitur annus, quo primi tribuni militares conſulari poteſtate facti ſunt, quem trecenteſimum decimum numerat Livius. Atque hunc numerum uterque noſtrûm tuetur; tu quidem ex Livii, & Dionyſii ſententia, ego ex Livii tantum. Neque enim ipſe attendis, ſi annum, quem tu numeras CCXLIV. Dionyſius CCXLV., quem tu CCLIX., ille CCLX. quem tu CCLXIX., ille CCLXX. appellat, eum demum quem tu CCCX. nominas, ex ejus eſſe ſententia CCCXI. nominandum. Quod autem hunc annum à me CCCIX. numerari apud Livium arguis, injuſtiſſime mehercule facis. Qui enim poſſum eum CCCIX. vocare, ſi ſequentes Livianos annorum numeros tueri volo? Patet hoc ex mea Chronologia; patet etiam ex eo, quod tu me inter CCCI. & CCCX. incertum annum interjeciſſe inſimulas; ſi ergo interjeci annum, cur ad numerum hunc CCCX. non perveni? quem tamen cur interjecerim, ſatis noſti. Dices, ſervaſti in Liviana, non ſervaſti in Capitolina ſumma conſtituenda; diverſa ratio eſt. Livius enim tres annos Xviris ipſis attribuit; at vero L. Valerio, & M. Horatio conſulibus duos. Ita fit, ut tribuni militares ibi anno CCCIX. ſint, hic anno CCCX. quod, ut planius intelligatur, ſubſcribam omnes has annorum deſcriptiones.

Capitolina deſcriptio.

CCC. Sex. Quinctilius Sex. F. P. N. Varus.
P. Horatius Tergeminus.

301 P. Sextius Q. F. Vibi N. Capitolinus.
T. Menenius T. F. Agrip. N. Lanatus.

302 Ap. Claudius Ap. F. M. N. Craſſinus.
T. Genucius L. F. L. N. Augurinus.

Decemviri primi in locum conſulum facti.

303 Decemviri ſecundi.

Iidem decemviri in hunc annum continuarunt; quibus abdicare coactis in ejus locum facti ſunt coss.

L. Valerius Poplicola Potitus.
304 M. Horatius Barbatus.

Lar Herminius.
305 T. Virginius.

M. Geganius.
306 C. Julius.

T. Quinctius.
307 Agrippa Furius.

M. Genucius.
308 C. Curtius.

A. Sempronius.
309 T. Clœlius. Tribuni mil. conſ. poteſtate primi.
L. Atilius.

M. Geganius.
310 T. Quinctius.

Mea Liviana.

299	Sex. Quinctilius.	P. Curiatius.
300	T. Menenius.	P. Seſtius.
301	Ap. Claudius.	T. Genucius.

Decemviri conſulares primi.

302 Decemviri conſulares ſecundi.

303 Decemviri conſulares tertii.

304 L. Valerius. M. Horatius.

Iidem conſules videntur continuaſſe in hunc annum.

306	Lar Herminius.	T. Virginius.
307	M. Geganius.	C. Julius.
308	T. Quinctius.	Agrippa Furius.

309 L. Genucius. C. Curtius.

A. Sempronius.
310 T. Clœlius. Tribuni militares primi.

L. Attilius.
311 M. Geganius. T. Quinctius.

Robortelliana.

300	Sex. Quinctilius.	P. Curiatius.
301	T. Menenius.	P. Seſtius.
302	Ap. Claudius.	T. Genucius.

Decemviri conſulares primi.

303 Decemviri conſulares ſecundi.

304	Decemviri conſulares tertii.	
305	L. Valerius.	M. Horatius.
306	Lar Herminius.	T. Virgilius.
307	M. Geganius.	C. Julius.
308	T. Quinctius.	Agrippa Furius.

309 M. Genucius. C. Curtius.

A. Sempronius.
310 T. Clœlius. Tribuni milit. cos. pot. primi.
L. Atilius.

Quor

Quorſum hæc? ut intelligas, te, ſi Faſtos Capitolinos ſequi auctores velis, non poſſe tribunos militares in annum CCCX. conſerre. Nam, ut dixi, illi duos tantum annos dant Xviris, tu Livium ſequutus tres conceſſiſti. Non eſſe autem tibi annum CCCIV. decemviris, ſed Valerio, & Horatio coſs. tribuendum, ex eo diſcere potes, quod in triumphalibus tabulis Capitolinis conſules illi ſcribuntur triumphaſſe anno ipſo CCCIV.: Horatius quidem VII. Kal. Sept. Valerius vero Idibus Sext. niſi forte eximia tua iſta arte lapides etiam illos corrigas, aut eos conſules ante conſulatum triumphaſſe exponas; quo nihil perverſius. Si ergo Valerius, & Horatius conſules triumpharunt menſe Sextili an. CCCIV., quo tempore Idus Majæ ſolennes ineundo conſulatui erant, profecto ſi diligenter annorum rationem ſubduxeris, tribunos militares primos niſi in annum CCCIX. conjicere non poteris; niſi forte & tu continuaſſe in alterum annum conſulatum eos volueris; quod nec concedis, nec concedi in faſtis Capitolinis oportere exiſtimo. Immo vero anno CCCIX. ſunt collocandi, ſed C. Julii III., & L. Virginii II. conſulatus cujus auctores multi ſunt, non eſt à te poſtea omittendus. Quam lynceus ergo ſit oportet, qui annum deſcriptionis inſtituere velit, & ut Capitolina ſumma nullo modo cum Liviana congruere poſſit, & ut eam ipſe non intellexeris, jam vides. Sed pergamus ad alia. Cum ergo ſummus mihi tecum ſit in Liviana Chronologia concinnanda in anno tribunorum militarium numerando conſenſus, (nam uterque eum CCCX. vocat) quæres fortaſſe, cur, ſi in trecenteſimo decimo anno convenimus, in reliquis deinceps annis diſcrepemus? nimirum, quia tu alios annos tollis, alios addis, idque contra Livii, quam aſſequi non potes, ſententiam. Audi autem quo modo. Anno CCCXIX. conſules ſunt apud Livium L. Julius II., L. Virginius. Eoſdem ego in annum CCCXX. refectos eſſe ſcribo ex Livii, & Caſſiodori ſententia, quos tu tranſcendis. Verba Livii ſunt hæc: Eoſdem conſules inſequenti anno refectos Julium tertium, Virginium iterum apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias, & Q. Tubero M. Manlium, & Q. Sulpitium conſules in eum annum edunt. Ceterum in tam diſcrepanti editione & Tubero, & Macer libros Linteos auctores profitentur; neuter tribunos militum eo anno fuiſſe traditum à ſuperioribus antiquis diſſimulat. Licinio libros haud dubie ſequi Linteos placet; & Tubero incertus veri eſt; ſed inter cetera vetuſtate incomperta hoc quoque in incerto poſitum. Hos ergo conſules tu præteris, quia Livium exiſtimas his verbis hunc omnino conſulatum damnaſſe, cum tamen Livius non tam de magiſtratibus hujus anni, quàm de nominibus ipſorum magiſtratuum ambigat, neque pro certo horum neminem fuiſſe in magiſtratu affirmet, ſed qui potiſſimum fuerint, parum ſibi convenire dicat. Fuiſſe autem aliquot ex iis, quos nominavit, declarat Caſſiodorus, qui Macrum ſequutus in hunc annum C. Julium, ut ego, & L. Virginium conſules edit; declarant faſti Siculi Græci, qui Tuberonem & Antiatem ſequuti Capitolinum Manlii, & Camerinum Sulpicii cognomen in hunc annum profitentur; declarat Diodorus, qui in tertiam diſcedens ſententiam, tribunos in hunc annum militares nominat, M. Manlium, Q. Sulpicium, & Ser.

A Cornelium. Adde, quod ſi hùnc annum tranſcendas, ſerpet hoc erratum longius. Neque enim Romam anno CCCLXV. captam eſſe unquam efficies, quod ſcribit Livius; neque L. Valerii Potiti, & M. Manlii Capitolini conſulatum in annum centeſimum decimum nonum poſt reges exactos conjicies, quod libro primo ſcriptum reliquit Dionyſius; quæ omnia mea ſumma cuſtodiuntur, tua vero penitus evertuntur.

Reprehendit deinde ille me, quod ad A. Cornelium Coſſum II. & Cn. Domitium conſules ſignaverim in Faſtis numerum CDXX. cum fuerit ſignandus ad priorem verſum: HOC ANNO SINE COS. RESP. FVIT.
B atque adeo cæcus eſt, ut non librarii id vitium eſſe perſpiciat, atque extremo libro, ubi librariorum errata ejuſmodi aliquot emendata ſunt, ſatis plane correctum videat; id quod ego vel imprudentiæ, ſi non vidit, vel improbitatis, ſi ſe vidiſſe diſſimulat, eſſe exiſtimo.

Cum ergo annum ille invito Livio demat, quem ego retinuerim, hinc fit, ut L. Papirii Curſoris V., & C. Junii Bruti II. conſulatum in annum conjiciat ille CDXL. ego CDXLI. atque ut neceſſario Liviana ſumma diſtet à Capitolina; nam in Faſtis illi conſules in annum CDXL. incurrunt.

Suſtulit igitur annum unum, quem ego retineo; non eſt ſatis; eximit alterum, nimirum Interregnum, quod ego in Liviana Chronologia in annum CCCXXXIV. retuli, auctore ipſo Livio, qui ait: Cum major pars anni per novos tribunos pl. & aliquot interreges certaminibus extracta eſſet; & paulo poſt. Mugillanus interrex obtinuit, ut tribunitia comitia haberentur. Hoc autem interregnum ſine pernicie omnium numerorum, qui deinceps in nominandis annis à Livio uſurpantur, præteriri non poteſt. Cur autem id in Faſtis omiſerim, alia ratio eſt; nam in Faſtis dictaturæ multæ, quarum rationem nullam in numerandis annis habuit Livius, obſervantur,
D atque interponuntur.

His annis eximendis cum ſe nihil aſſequi videat, deinde ſe ad reprehendendum Livium confert, qui quodam anno tribunos octo militares ediderit, atque in eo deceptus ſit; neque attendit, rem illam à me primum in Faſtorum commentario plurimis verbis eſſe demonſtratam, &, ſi ita oportuit, ſatis exagitatam.

Qua re expoſita ita addit „ Anno CDXX.
„ Interregnum fuit peſtilentiæ cauſſa; nec
„ verum eſt, quod ſcribit Sigonius de eo Li-
„ vium non eſſe locutum; quid enim aper-
„ tius his verbis? Et quia peſtilentia inſecuta eſt, velut omnibus eo vitio contactis auſpi-
E ciis res ad interregnum rediit. Vide quam inique facias Robortelle. Egone enim Livium de eo interregno non eſſe loquutum ſcripſi; cum ejus interregni in Chronologia Liviana conſtituenda rationem reddens ita ſcripſi? Livius id ipſum, quod facimus, & ſi non aperte, at ſubobſcure tamen ſignificare videtur. Cur ſubobſcure Robortelle? quia non aperte aut annum illum, aut anni illius majorem partem, ut ante, per interreges eſſe extractam ſcribit. Duos ergo annos ex mea Chronologia Liviana exemiſti, qui ſunt reponendi, tres deinde interſeris, qui nullo pacto ſunt obſervandi. Hæ ſunt tres dictaturæ ſine conſulibus, quarum habendam eſſe rationem

in

in faſtis Capitolinis probavi, in Livianis non probo; quæris qua cauſſa? quia ex verbis Livii nihil tale erui poteſt; una eſt ergo dictatura L. Papirii Curſoris anno CDXXIX.; de qua ita Livius: L. Furium conſulem, cui Samnium provincia evenerat, morbo implicitum fortuna bello ſubtraxit; juſſuſque dictatorem dicere, rei gerendæ cauſſa dixit L. Papirium Curſorem; altera eſt item L. Papirii Curſoris anno CDXLIV. quem Livius ſcribit dictatorem cum C. Junio Bubulco magiſtro equitum dictum Q. Fabio, & C. Marcio coſs. quod res non ſatis proſpere à C. Marcio cos. in Samnitibus eſſent geſtæ; tertia eſt anno CDLII. M. Valerii Corvi; de qua Livius: Multiplex deinde exortus terror. Etruriam rebellare nunciabatur. Itaque propter eum tumultum dictus M. Valerius Maximus dictator magiſtrum equitum ſibi legit M. Æmilium Paullum; & paulo poſt: Prælio ab dictatore commiſſo fractæ iterum Etruſcorum opes; dictator triumphans in urbem rediit; conſul ex dictatura factus M. Valerius. An vero tibi videtur Robortelle his verbis Livius dictatores hos per annum ſine conſulibus fuiſſe dicere, an eos in aliorum, ut adſolebat, conſulatu dictaturam geſſiſſe? at ei credo verba deerant, quibus hoc exprimeret, ſi ita ſenſiſſet. Nonne attendis, ſi trium horum annorum rationem habeas, reliquos omnes, qui apud eum ſequuntur, numeros eſſe pervertendos? & alios annales Livium, alios faſtorum Capitolinorum auctores eſſe ſequutos, atque omnino ipſos inter ſe diſcordare non ſentis? Caute autem, immo callide Robortellus, cum ſe in tota hac de dictaturis Liviana ratione nutantem, ac claudicantem ſentiret, ſtatim, ut aliquo inſigni præcepto alio lectoris mentem averteret, fragmenta illa lapidum Capitolinorum præpoſtero ordine eſſe in Capitolio collocata adjecit; nec videt, id ipſum à me primum, vel ipſomet teſte eſſe demonſtratum, atque in Faſtorum commentario confirmatum.

His rebus expoſitis concludit, ſummam annorum Livianorum, & Capitolinam eandem eſſe uſque ad annum CDLXXI. quas ego longe diverſas inter ſe eſſe contendo. Uter autem noſtrûm eſt verior? nimirum ille, qui numeros Livii cuſtodierit, non ille, qui ut eo perveniat, quo velit, eos omnino labefactarit. Dixi ante Livium ſcribere ſexto & triceſimo anno poſt primos tribunos pleb. decem tribunos eſſe factos; is numerus à me conſervatur, ab illo evertitur, ac octavus & triceſimus ex conjectura reponitur. Prodit item Livius anno ab U. C. CCCLXV. Romam eſſe captam; eo numero nihil ad meam ſummam poteſt eſſe convenientius, ad Robortelli nihil ineptius, qui CCCLXIII. emendare cogetur. Idem Q. Servilio, L. Genucio coſs. Camillum anno poſt Romam captam XXV. mortuum refert; recte ad meos calculos: at ille XXI. reponit. Idem annum, quo M. Fabius Ambuſtus III. & T. Quinctius conſulatum geſſerunt, poſt urbem captam XXXV. numerat, Robortellus XXXI. quanquam in eo etiam peccat Robortellus, qui hoc ſcribi à Livio ait in conſulatu M. Fabii Ambuſti, & T. Quinctii, cum id prodat in conſulatu C. Sulpicii Petici, & M. Valerii Poplicolæ; atque ita numerus ille ad meam rationem conveniat. Idem in conſulatu Q. Fabii V., P. Decii IIII. Ita ſcribit: Superſunt

A etiam nunc Samnitium bella, quæ continua per quartum jam volumen, annumque ſextum & quadrageſimum M. Valerio, A. Cornelio coſs. qui primi Samnio arma intulerunt, agimus. Quo numero nihil ad meam ſummam poteſt eſſe aptius, quia tres illas dictaturas præterii, cum Robortellus adeo incertus ſententiæ eſt, ut quadrageſimum octavum, vel quadrageſimum nonum reſtituendum putet, eoſque numeros à librariis, & à Caſſiodoro corruptos exclamet. Idem Livius libro XXXI. Ap. Claudium conſulem primum Pœnis bellum intuliſſe ſcribit anno, ut in manuſcriptis libris eſt, CDLXXVIII. quod ego levi mutatione CDLXXXVI. V. in X. II. in V. verſa B lego; ille CDLXXXVIII. In epitomis Livianis Ludi Tarentini anno quingenteſimo altero ab U. C. facti dicuntur, id eſt, ut Cenſorinus, auctore Livio, ait, P. Claudio, L. Junio coſs. Item tertium bellum Punicum cœptum eſſe anno ſexcenteſimo altero, id eſt L. Marcio, M' Manilio coſs. nihil melius poteſt eſſe, ſi me ſpectes, nihil fœdius, ſi illum; nam quingenteſimum quartum, & ſexcenteſimum quartum reponit. Dionyſius libro ſecundo divortium, quod nullum intra quingentos viginti annos factum fuerat, primum factum fuiſſe prodit *M. Pomponio*, C. Papirio Coſs. eumque annum Gellius libro XVII., DXIX. vocat; recte ſi ad meos calculos revoces, ſi C ad Robortellianos, non item; nam is annus in Faſtis eſt DXXII. P. Valerii, & M. Atilii conſulatum Gellius libro IV. cap. III. in annum ab urbe condita conjicit DXXIII. Livium credo ſequutus; at hic noſter ex Faſtorum auctoritate, in annum DXXVI. Livius conſulatum P. Galbæ, & C. Cottæ in annum confert quingenteſimum quinquageſimum; congruenter ad meam ſummam; num creditis ita ad Robortellianam? non certe; ille enim quinquageſimum tertium reponit. P. Africani conſulatum alterum in annum transfert Livius, ut vulgo mendoſe legitur, DVIII. quem numerum ego V. in L., & II. in V. verſis corrigo DLVI. ille multo alienius DLIX. Quamobrem, quod ille quærit, cur ego in faſtis capitolinis Q. D Fabium, & P. Decium conſules repoſuerim, è Livianis autem ipſum Caſſiodorum ſequutus exemerim, jam quærere deſinet, cum non eandem eſſe ſummæ utriuſque rationem intellexerit, neque omnes omnium calculos ad unam normam tanta cum librorum pernicie referendos eſſe cognoverit. Hæc pauca in hoc libro libuit notare; mitto reliqua, quæ aut ita vana ſunt, ut nullo, aut ita aliena, ut alio loco videantur eſſe refutanda, quale illud eſt, quod opponit de duobus Livii locis à me corruptis. Ex his autem paucis ſatis intelligi poſſe arbitror, quid præſtare novæ hic hujus artis auctor in ratione literarum reſti- E tuenda poſſit; qui ut Livianam annorum ſummam colligeret, totum ſibi Livium ante perdendum eſſe exiſtimarit. Atque hic tamen, cum ejuſmodi ſit, audet Livium à ſe emendatum, & novam in eum Chronologiam profiteri, meque ſæpius imperitum, ac nullo judicio præditum appellare. Quem tu imperitum tandem Robortelle vocas? ſi qui nihil, niſi ex verbis auctorum profert, quem peritum dicemus? quem tu judicio carere clamas? ſi qui nihil temere, nihil ſine ratione facit, quem judicioſum vocabimus? an qui Caſſiodorum contemnit, Gellium corrigit, Livium emendat? emendat? immo pro libidine corrum-

rumpit, ac depravat? ut veriſimile eſt omnes Livii numeros, quos ego incolumes tueor, vitioſos eſſe? ut periculoſum eſt eos mutare? ut temerarium adverſantibus omnibus libris ex ingenio emendare? quid eſt demum aliud hoc facere, niſi prava licentia omnium literarum lumen extinguere, omnem prorſus antiquitatis fidem evertere? Itane vero Robortelle? hæc tua ratio diſciplinæ eſt, ut ex literis Latinis Livianam hiſtoriam, tanquam ſolem è cœlo tollas, ut rerum geſtarum tempora confundas, ut præclaram annorum ſeriem labefactes, atque pervertas? An vero ſi tibi Sena- A tus poteſtatem Livii interpretandi Robortelle dedit, etiam evertendi dedit? ab alio Senatu hæc tibi facultas poſtulanda eſt, in quo & ipſe ſententiam dico, teque id facere me non conceſſurum, tibi multo ante denuncio. Etenim, quantum potero, gratia, atque auctoritate S. C. in meam ſententiam faciundum curabo, non ut ne cuiquam, ſed ne uni tibi aut Livium, aut quenquam ſcriptorem alium liceat emendandi cauſſa ulla ratione tractare. Eſt enim ſatis ab omnibus intellectum, antiquitatem Romanam minus robuſtum emendatorem te ipſo Robortelle deſiderare.

CAROLUS SIGONIUS
IN LIBRUM
DE ARTE CORRIGENDI.

Emendationes aliquot Livianæ defenſæ, Plinii, & Quinctiliani, & Livii aliæ reprehenſæ.

FRanciſcus Robortellus in libro de arte corrigendi, ubi qualis eſſe debeat optimus librorum corrector oſtendit, ſeque ipſum glorioſius quàm par eſt, deſcripſit, tum in me acerbius, quàm modeſtiæ ſuæ conveniebat, invehitur, his verbis: „ Primum igitur „ illud ſtatuamus, in hac noſtra arte, re- „ quiri infinitam quandam eruditionem in „ eo, qui ſe emendatorem librorum dici cu- „ pit; multa legerit oportet, multa cogita- „ rit, multa audierit, multa triverit uſu, „ recentiores etiam evolverit; contingit enim, „ ſi id non fecerit, ut eadem dicat, & ſcri- „ bat, quæ alii, ut nova eſſe putet, quæ „ ſunt vetera; ut qui M̄ primo Manium (quod „ prænomen eſt veterum Romanorum) ſigni- „ ficare ſe deprehendiſſe, ac declaraſſe jactant. Nam P. Conſentius R. vir clariſſimus, Senator enim fuit, in ſua Grammatice de ea re ita loquutus eſt. Eademque prænomina aut una litera ſignificantur, ut P., aut duabus, ut Cn. & Sp. aut tribus, ut Ser. & Man. id eſt Manius, quod & M̄ linea ſuperpoſita ſcribitur. Notat igitur in eo me Robortellus, quòd Manium una litera M' linea iſto modo inciſum veteres expreſſiſſe, ut rem novam tradiderim, quæ tamen à P. Conſentio Senatore memoriæ prodita ſit. Ego verò cum ejus prænominis notam multis jam ante ſeculis ex libris veterum excidiſſe animadverterem, Capitolinis faſtis, & nummis veteribus argenteis ducibus, eam revocavi, dixique me in eo antiquam notam Latinæ linguæ reſtituiſſe, eaque ipſare hiſtoriam Romanam, quæ magnam jacturam fecerat, ſublevaſſe. Robortellus autem id mihi in maledicto objicit, quaſi verò ego dixerim, hoc nemini veterum fuiſſe cognitum. Etenim ſi hæc hujus prænominis nota antiqua fuit, Faſtis, Nummis, & P. Conſentio Senatore auctoribus, eaque cum poſt temporum diuturnitate extabuiſſet, à me hoc primum tempore reſtituta eſt, quid eſt, quod ille dicat: Recentiores evolvendos eſſe, alioquin B eadem dicturum, & ſcripturum, quæ alii, & nova putaturum, quæ ſunt vetera? quos tandem recentiores appellat? an ſemetipſum, an Conſentium? ſi ſe, ubi hoc ipſe docuit? quando ipſe aut Manii prænomen, aut Manii prænominis notam ne in quiete quidem vidit? & quidem id facere, ſi Conſentium legerat, debuit; ut in libro de nominibus hoc traderet potius, quàm ut ſcriberet Tiberii prænomen unica litera T. ab antiquis ſignificatum; de quo à me alias admonitus obmutuit, ac ne hiſcere quidem potuit. Si Conſentium, dicar, quo tempore vixerit, cujus memoriæ æqualis fuerit, quibus ipſe temporum finibus recentiores ab antiquis diſtinguat. Si hoc non faciat, C ſaltem doceat, cur ipſe vir diligentiſſimus T. Tiberium ſignificare ſcripſerit, Manium M' litera inciſa notatum prætermiſerit. Si illud novum erat, quis prodidit? ſi hoc vulgatum, quis præter veterem Grammaticum Conſentium literis conſignavit? At hoc fortaſſe dictum eſt ab eo in hoc libro cupidius, præſertim in Sigonium, à quo ipſe ſe convicio laceſſitum profitetur. Illud certe in eodem libro in Henricum Stephanum juvenem optimum, Roberti Stephani eruditiſſimi viri filium, moderatius. „ Perridiculus, inquit, „ eſt is, qui nupertime editis quibuſdam in- „ ſulſi hominis Græci luſibus Anacreontis odas „ eſſe ſcribit, hoc utens argumento, quòd in „ cortice eſſent deſcripti, ut hac ratione ſci- „ licet nobis imponeret; D & illud in M. Antonium Muretum virum doctiſſimum aliquanto modeſtius. „ Caſtigavi ego, inquit, & qui- „ dem jure, ni fallor, quendam, qui nuper „ Horatium emendare fruſtra conatus eſt; „ nam ubi libro tertio Odarum ait, ad Fau- „ num ſcribens: Vacat otioſo cum bove pa- „ gus, emendat ſic, & legit: Vacat otioſo „ cum bove pardus; quaſi in Italia pardi uſ- „ piam ſint. Nam Plinius lib. VIII. cap. XVII. „ in Africa, & Syria tantum naſci ſcribit; & „ tamen manuſcriptum, & antiquiſſimum no- „ tat librum ad ſe Patavio miſſum à quodam

„ Luſitano; proferat quæſo librum hunc, ut
„ videamus, qualis ſit; vix riſum tenebimus,
„ ſat ſcio. Ex his verbis modeſtiam ejus perſpiciunt omnes cum in Muretum, tum in Achillem Statium Luſitanum, virum ingenii, atque doctrinæ gloria florentem; quem ipſe quondam honoris ſui cauſſa auditorem ſuum appellare ſolebat, cum magiſtrum iſtius, ac ſtudiorum ſuorum adjutorem nominare deberet; nunc quàm vere hoc de Mureto ſcribat videamus; ſic loquitur Muretus. Feſtus in pratis vacat otioſo cum bove pagus. Nihil video eſſe cauſſæ, cur quicquam hoc loco mutetur: in Achillis tamen Statii libro ita legitur: Feſtus in pratis vacat otioſo cum bove pardus; idque non alienam ſententiam habet ab eo, quod ſtatim ſequitur: inter audaces lupus errat agnos. An igitur Henricus etiam, an Muretus te injuria provocarunt ea, ut eos ita tractares? Neque vero æquo etiam animo ferre poſſum, Vincentium Madium clariſſimum philoſophiæ Italicæ lumen, atque inſigne omnis virtutis exemplum ab eo ita deſpici, ut mendacii eum etiam tanquam nebulonem quendam arguere auſus ſit; inquit enim: „ Quare
„ non ſine riſu miratus ſum ſuperioribus an-
„ nis Vincentium Madium Brixianum philo-
„ ſophum in ſuis annotationibus in Poëticam
„ Ariſtotelis dicere auſum, ſecus legi in Me-
„ diceo libro Florentiæ, ac ego teſtatus fue
„ ram, verba illa, quæ ſunt pagina I. οἱ μὲν
„ χρώμασι, καὶ σχήμασι, ἕτεροι δὲ διὰ φωνῆς. Ego
„ in Mediceo libro ita legi dixi. Madius Si-
„ monis Portii teſtimonio utens, ait, in eo-
„ dem libro, quo ego ſum uſus, legi τῇ φωνῇ.
„ Id ſi verum eſſet, non laboraremus, & ego,
„ opinor, vidiſſem, qui libros eos, cum in
„ Hetruria eſſem tunc & operam navarem in
„ Academia Piſana potentiſſimo, & optimo
„ Duci Florentiæ Coſmo, ſæpe inſpectavi,
„ & evolvi. Sed aliter ſeſe res habet; nec
„ Portius philoſophus ſummus, & optimus
„ vir unquam ad illum ſcripſit. Nam cum
„ per literas eſſem cum eo conqueſtus, ſcri-
„ pſit ad me, ſe nihil tale unquam dixiſſe,
„ aut ſcripſiſſe. Præterea Henricus Matheſius
„ Medicus, vir doctiſſimus, Portii familiaris,
„ ſuis literis poſtea idem mihi ſignificavit.
„ Quare non eſt, quod miretur Madius, ſi
„ ego illius obtrectatione ne tantillum qui-
„ dem moveor. Videat ipſe, ſi in meis com-
„ mentariis, qui ſuperiore anno iterum Baſi
„ leæ impreſſi fuerunt, aliquid immutavi,
„ quod jure ab eo fuerit reprehenſum; & ſub-
„ odoretur diligentius, quid docti viri de
„ ſuis annotationibus, & commentariis meis
„ ſentiant, quidque judicent de tota re; nam
„ & totidem verbis deſcripſit quàm plurima
„ de meo commentario, & veterum loca ea-
„ dem recitavit, quæ ego protuleram. Illi
„ autem venire in mentem ne auctorum qui-
„ dem ipſorum nomina potuiſſent, quos nun-
„ quam legit, nec attigit; cum vix græcis li-
„ teris ſit tinctus, nec eam notionem rerum
„ unquam parare ſibi ſtuduerit, in qua ego
„ omnem ætatem conſumpſi. Notat igitur, ut dixi, mendacii Madium virum certiſſimum, inſcitiæ doctiſſimum, levitatis graviſſimum; & à quo juſtiſſime in primis tribus Poëticæ verſibus exponendis plutibus in locis reprehenſus eſt, ei hanc refert gratiam, ut falſum, ut imperitum, ut levem hominem dicat. Scilicet tu hanc defenſionem Robortelle vir eruditiſſime comparaſti

A adverſus ea, quæ Madius tibi vitio vertit, ut putes ſatis eſſe dixiſſe, te nihil ex iis, quæ Madius jure reprehendit, mutaſſe? Attendite vos dialectici, atque philoſophi Gorgiam noſtrum Robortellum, ut argute argumentetur. Madius jure reprehendit Robortellum, Robortellus jure reprehenſus non mutavit ſententiam, ergo recte Robortellus, imperite Madius; an vero Robortelle, quia juſte reprehenſus à Madio non mutaſti ſententiam, es laudandus, an quia non mutaveris, iterum gravius accuſandus? quanquam quid dico, aut potius, quid tu dicis, te jure à Madio reprehenſum non mutaſſe ſententiam? cum in priore tui commentarii editione ſcripſeris,
B Ariſtotelem proponere de fabula, & partibus fabulæ: partes autem fabulæ numeraris mores, ſententiam, dictionem, melodiam, apparatum, item prologum, epiſodium, choricum, exodum; atque in eo à Madio (nihil enim dici perverſius poterat) jure reprehenſus, qui partes eas, non fabulæ, ſed poëſeos eſſe probavir, mox totum id ex poſteriore Baſilienſi editione exemeris, ſententiam non mutaſti? cum fabulæ primum partes has eſſe dixiſſes, mox Tragœdiæ repoſueris, ſententiam non mutaſti? Nunc audi, an ipſe recte dialecticis ſim imbutus. Robortellus jure à Madio reprehenſus mutavit ſententiam, ergo Madius, vir doctiſſimus, Robortellus homo, non dicam, imperitus, quis enim minus?
C ſed ſi fateatur, modeſtus, ſi inficietur, nimium ſui ſtudioſus; quid hoc argumento poteſt fingi melius?

Sed omittamus alios, ad nos redeamus. Non fuit autem alienum, quemadmodum ipſe ſe erga alios geſſerit, demonſtrare, ut cum mores ejus indicaverimus, mitius à nobis multo, quàm dignum fuit, omnes reſponſum eſſe cognoſcant. „ Ignoratione, inquit,
„ rationis veterum in ſcribendo labi aliquis
„ poteſt, ut lapſus eſt Sigonius, qui putat
„ apud Livium ubique legendum Cruſto-
„ merium, & Cruſtomerinos; Attendite,
„ quia, inquit, apud Alicarnaſſeum κρουστο-
„ μέριον, & κρουστομερινοὺς video ſemper ſcribi,
D „ imperitus hic ignorat Græcos certam ratio-
„ nem ſequutos in dictionibus Romanis ver-
„ tendis. Longum eſſet, ſi ſingula nunc vel-
„ lem perſequi; ſed quatenus ad rem propo-
„ ſitam ſpectat, quotieſcunque erat Latina
„ dictio vertenda in Græcam, quæ literam
„ haberet V longum, vertebant in ου, ſi au-
„ tem V breve eſſet, in ο μικρόν. Hinc videas
„ apud eundem, ῥούτλους dici Rutulos, κορατίους
„ Curatios; quod autem in Cruſtumerii no-
„ mine V ſit breve, Virgilii teſtimonio pro-
„ batur; ait enim, Ardea, Cruſtumerique,
„ & turrigeræ Antemnæ; & Νομᾶς Numa.
„ Virgilius idem lib. IX. Serranoque, Nu-
„ maque. Atque hæc quidem, ut modeſte in
E me Robortellus effundat, omnes vident, ut autem vere, nunc accipiant. Mea, ubi hac de re egi in ſcholiis Livianis, hæc verba ſunt. Veteres libri habent Cruſtomini. Dionyſius, Plutarchus, Stephanus κρουστομέριον, κρουστομερινοὺς vocant. Tu ſi literas calles, Robortelle oſtende, ex his verbis elici poſſe, me velle, aut ubique legi Cruſtomerium, aut damnare Cruſtumerium; tum ego tibi oſtendam, non ſolum Cruſtumerium, quod ego non reprehendi, ſed Cruſtomerium, quod tu improbaſti, dici poſſe. Primum enim eſt librorum veterum, ut dixi, auctoritas; cum veteres dico non impreſſos quondam, ſed

ma-

manuſcriptos dico, quos multos inſpexi ex bibliothecis ſumptos Divi Joannis de Verdaria Patavii, Divorum, Marci, Antonii, Joannis, & Pauli Venetiis, atque multorum amicorum; memini autem hanc ſcripturam eſſe libri potiſſimum, quem mihi Auguſtinus Gadaldinus, medicus Græcis, & Latinis literis egregie eruditus, dedit; quam cum nunc quærerem, eam etiam in uno, quem tum non videram, M. Antonii Mureti, reperi, Mureti inquam illius tui, cui pardum Horatianum oppoſuiſti. Quod cum ita ſit, quis mihi jure ſuccenſere poteſt, cum priſcorum librorum ſcripturam Græcorum auctoritate munitam in medium profero? præſertim verò cum ea Grammaticorum etiam veterum graviſſimo teſtimonio fulta ſit, qui literas o, & u, eam inter ſe ſocietatem habuiſſe aſſerunt, ut multas voces antiqui promiſcue modo per o, modo per u, pronunciarint. Sic enim loquitur Quinctilianus, non Grammaticus ſolum, ſed rhetor etiam nobiliſſimus, lib. primo, cap. de literis. „ Quid o, & u, permutatæ invicem? ut Hecoba, & Notrix, „ & Culchides, & Pulyxena ſcriberentur; „ ac ne in Græcis id tantum notetur, Dederont, & Probaveront; & Victorinus de orthographia: Noſtri, ut apparet ex libris „ antiquis fœderum, & legum; qui etiam ſi „ frequenti tranſcriptione aliquid mutarunt, „ tamen retinent antiquitatem. Nam o, non ſolum pro brevi, & longa, ſed etiam pro V poni, ut pro populus popolos, pro piaculum piacolon, pro huic hoic, pro funus fonus; item alia multa; & Priſcianus lib. primo: V quoque multis Italiæ populis non erat in uſu, ſed è contrario utebantur o, unde Romanorum quoque vetuſtiſſimi in multis dictionibus loco ejus o, poſuiſſe inveniuntur, poblicum pro publicum, quod teſtatur Papirianus de orthographia; polchrum pro pulchrum, colpam pro culpam dicentes, & Hercolem pro Herculem. Ac ne hoc uſurpatum exiſtimes Romulo tantum, aut Numa regnante; Auguſtus hoc etiam obſervaſſe à Victorino traditur, qui patrio caſu domos pro domus dixit, & alii, qui quojus, & quoi, pro cujus, & cui protulerunt; in faſtis etiam Capitolinis Auguſti tempore inciſis, vel certe Tiberii, videmus eſſe Poblicium, & Poblicolam, quos alii Publicium, & Publicolam; item Poblilium, & Publilium; item Scævulam, quem alii Scævolam. Flovium pro fluvium ego etiam legi in exemplo tabulæ æneæ antiquiſſimæ. Si ergo tot voces tam o, quàm u, receperunt, cur non etiam Cruſtomerium inter eas referre poſſumus, libris præſertim Livianis veteribus atteſtantibus? Nam T. Livium ipſum adeo antiquitate delectatum ſcribit Quinctilianus, ut Sibe, & Quaſe eum dixiſſe, ſe ex Pediano comperiſſe affirmet. At quàm modeſte Robortellus me arguit? Imperitus hic, inquit, ignorat Græcos V breve per o vertiſſe, ut Dionyſium ῥότυλοι, κοριάτιοι, νομᾶν. pre Rutulis, Curiatiis, Numa. Male verſatus es in Græcis annalibus Robortelle, & tamen, cum hæc ſcripturus eſſes, eos ſtudioſe evolvere debuiſti. Lege Strabonem lib. V. ſemper ῥουτύλους ab eo ſcribi invenies; lege Plutarchum in Parallelis, & Zonaram lib. II. κουριατίους reperies; lege Plutarchum in Numa, νουμᾶν ſemper, nunquam νομᾶν ab eo ſcribi cognoſces. Dio ἰόβαν ſcripſit, eundem à Strabone lib. VI. & XVII. ἰούβαν appellari deprehendes; quid? Νομαντίαν, & Νουμαντίαν urbem à Juba hiſtorico dictam eſſe apud Suidam invenies. Jam credo te videre, ut præclaræ tuæ iſtæ regulæ jaceant, & uter noſtrûm imperitior ſit, ego qui Cruſtumerium non improbavi, an tu, qui Cruſtomerium reprehendis.

Sed demus hoc veteri neceſſitudini, ut Robortellus etiam ex meis ſcriptis aliquam ſententiam colligat, quam non habuerim, ut latiorem ei ex petulantia gloriæ campum relinquamus; num ea etiam, quæ nec ſcripſimus, nec attigimus, nec ſomniavimus, ut nobis aſcribat, concedemus? Pergit enim paulo poſt ita in me: „ Ignoratione etiam „ locutionum, & vetuſti ſermonis peccari ſo„ let, ut apud Livium in epitome libr. LVIII. „ ubi de agraria lege à Gracchis lata loqui„ tur. Sigonius locum ſe corrigere putans „ depravavit. Verba ſunt hæc Livii. Quo„ niam eos ad cupiditatem amplam modo „ ſperandi incitaverat, legem ſe promulga„ turum oſtendit; nam eſt legendum, am„ plum modum; modus enim de agris dici„ tur. Dic ſodes Robortelle, quo in ſcholio hanc ego correctionem ſcriptam reliquerim; aut niſi hoc potes oſtendere, oſtende in eo libro, cui mea affixa ſcholia ſunt, amplam modo legi, cum ampla legatur. Quam lectionem neſcio, cur tu non probare poſſis, hoc ſenſu. Ti. Gracchus, qui plebem ad cupiditatem ampla ſperandi modò, id eſt paulo ante incitaverat, cum ſatis agrorum non eſſet, unde omnibus daretur, ad dividendam Attali hereditatem ſe convertit.

Eadem ratione, quo loco ille artem tradit emendandi ita vt addamus, auferamus, tranſponamus, extendamus, contrahamus, diſtinguamus, copulemus, mutemus, id eſt, cœlum terra miſceamus, me accuſat, quod vocem, Non, exemerim, eamque ipſe reponit, qua de re ego verbum nullum feci. Inquit autem: „ Additione etiam, Non, emen„ datur locus lib. III. apud Livium pagina „ 36. ab eodem imperito correctore corrup„ tus. Ecce Hernici nunciant, Volſcos, & „ Æquos, etſi acciſæ res ſint, reficere exer„ citus, Antii ſummam rei poſitam, Ecetræ „ Antiates palam concilia facere, id caput, „ eas vires belli eſſe; ex qua lectione pulcher„ rimus exiſtit ſenſus; nam indigniſſimum „ videbatur, Si Antii, quæ colonia Romana „ erat ante deducta, ſumma belli eſſet poſi„ ta, non Ecetræ, ſicuti ante, ubi hoſtes „ tantum habitarent. Ego igitur ad hoc tibi reſpondeo Robortelle, primum te injuſte facere, qui me hunc locum corrupiſſe ſcribas, quem ne attigi quidem; deinde qui eundem ipſe ſine cauſſa audeas immutare. Me non attigiſſe declarant ſcholia, quibus me profiteor, quæ mutavit, omnia eſſe breviſſime perſequutum; idque in epiſtola ad Bernardinum Lauredanum, Andreæ filium, juvenem clariſſimum, his verbis: Atque hæc quidem omnia cum in unum tandem quaſi corpus magno ſtudio redegiſſem, ac brevibus præterea explicationibus, ne quem fallerem, ratione conſilii, factique mei expoſita diligentiam, induſtriamque in hoc genere meam ſigillatim probaſſem. Quid eſt enim hoc aliud Robortelle, niſi me, quæ correxi, aut aliqua ratione tetigi, omnia ſigillatim in ſcholiis eſſe complexum? Ergo cum hoc ita ſit, tu induces animum, & id quidem ſæpius, ut in me tam in-

intemperanter inveharis, & me pervertiſſe, quæ ne tentavi quidem inſimulabis? atque hinc volumen illud tuum conſcribes, quod te editurum profiteris, mille & ſexcentorum erratorum, quæ tu ex eo libro collegeris? Non igitur ego hunc locum attigi; quid dixi attigi? immo ne potui quidem; eſt enim integerrimus. Primum enim quæro: ubi legitur, Antii, non Ecetræ? Scilicet hanc tibi tua ars poteſtatem dedit, ut conjectura duce pulcherrimum Livii ſenſum ejiceres, fœdiſſimumque tuum induceres? cur non confiteris potius te ejus lectionis ſententiam non videre? ignoras eam; accipe, & quidem, ut tu dicere ſoles, ſenex à puero. Antiates & Ecetrani Volſci erant. Antiates quidem coloni Romani, Ecetrani vero non item. Volſci autem, cum bellum renovare vellent, Antii ſummam rei poſuerant illi quidem, ſed Antiates, ne ſua conſilia Romanis patefierent, Antii clam fortaſſe, at Ecetræ palam concilia de belli ratione habebant. Non ergo, ut tu ais, Hernici nunciabant, Antii ſummam rei poſitam à Volſcis, non Ecetræ, ſed Antiates non Antii, ſed Ecetræ palam concilia facere; nam cum addit, id caput, eas vires belli eſſe, de Antiatibus, non de Ecetranis intelligendum eſt.

Ab eadem perſuaſione in eodem libro ita ſcribis: „ Apud Livium lib. 1. ubi de „ conſulibus agitur. Solenne notum erat. „ Sigonius non intelligens locum hunc, lite„ ram mutat, & legit: Solenne votum; igno„ rat ſcilicet ſolenne aliquando ut ſubſtanti„ vum poni; nam alibi etiam &c. Non eſt, quod labores Robortelle, ut probes ſollenne eſſe, ut tu optime grammatice vocas, ſubſtantivum; hoc nemini niſi tibi ignotum eſt; qui cum id paulo ante didiceris, facta ex te ipſo de aliis conjectura, præclarum te aliquid mandaturum literis exiſtimaſti, ſi id traderes. Illud tuum erat, mea perlegere ſcholia; nam ſi legiſſes, hujus loci mentionem nullam apud me inveniſſes, immo ſi juſte mecum agere voluiſſes, hoc reprehenſionis labore ſuperſediſſes.

Ergo tu, quæ ego egregie præſtiti, oratione deprimis; quæ non ſenſi, ſenſiſſe me ais; quæ non attigi, corrupiſſe me arguis; non eſt ſatis; quæ non correxi, & ipſe corrigenda putas, quod ea non correxerim reprehendis.

Hic eſt autem locus Plinii, quem tu non ſolum indigne mutilas, ſed me quoque ſi diis placet, quia tantam licentiam mihi non depoſco, inhumanius tractas. Audiamus verba tua. „ Itidem ablatione dictionis corrigi„ tur locus apud Plinium lib. X. cap. XXX„ VII. ubi loquitur de cognominibus Roma„ nis ductis à naribus, & ait. Hinc cogno„ mina Simorum, Simonum, Silonum. Ni„ mirum Silorum eſt legendum, Simorum, „ & Simonum deleri debent; inducta enim „ fuerunt ex gloſſemate (ut nunc vocant) „ & addita à librariis imperitis; qui, cum „ eſſet ſcriptum Silorum, non intelligentes „ Silos dici ſolitos eos, qui repandis eſſent „ naribus, Simorum emendarunt, locum cor„ rumpentes; mox alii cum ſatis eam emen„ dationem non probarent, ſcripſerunt Simo„ num, & Silonum, quæ dictiones poſtea om„ nes in contextum irrepſerunt. Quare re„ prehendendus eſt Sigonius, qui in lib. de „ nominibus R. cap. XXVI. quod inſcribitur „ à corporis partibus, ſtatuit Silos, & Simos „ à naſo dici, atque de Simis cum afferre „ vult teſtimonium citat Plinium lib. XI. cap. „ XXXVII. ubi leguntur verba illa, quæ ego „ ſuperius aſcripſi; certe Simos nullus vete„ rum qui Latine locuti ſunt, protulit; nec „ cognomentum hoc unquam apud Romanos „ fuit in uſu, quid igitur nugatur Sigonius, „ vel quis illius non perſpiciat inſcitiam? Hæc tu. Ego contra locum Plinii, ſi vitioſus ſit, in voce tantum Silonum vitium habere exiſtimo, quod tu ne me quidem ignoraſſe arguis; & Simum, ac Simonem eſſe cognomina, neque ea ex contextu verborum Pliniano temere, ut tu vis, eximenda dico. Non negas, ut opinor, Robortelle τὴν σιμότητα naſi vitium eſſe; auctor eſt enim in Rhetoricis, & in Politicis Ariſtoteles; illud negas, hanc vocem eſſe à Latinis uſurpatam, aut apud Romanos pro cognomine celebratam. Te autem falſum arguit primum Virgilius auctor linguæ latinæ, ut puto, non contemnendus, qui ſimas capellas dixit, deinde epigramma, quod eſt in libro Jucundi Veronenſis, quem mihi humaniſſimus vir, Stephanus Magnus, patricius Venetus, his ſtudiis mirifice deditus, commodavit.

L. POSTVMIVS L. ET Ɔ. L. RVFIO FECIT
SIBI ET POSTVMIÆ L. ET Ɔ. L. APHÆLTÆ
CONLIBERTÆ SVÆ ET PORCIÆ M. L. VERACI
SORORI SVÆ Q. TALONIVS Q. L. SIMO.

Sed ſit hoc epigramma nullum: dico Simum, & Simonem cognomina fuiſſe auctore Plinio. Hic tu Plinii verba hac una ratione vitioſa eſſe contendis, quod nuſquam alias hæc apud Romanos cognomina legeris. Ego vero, ſi ridiculam hanc tuam argumentationem eſſe dicam, non eſt cur extimeſcam, ne tibi injuriam faciam. Tradit aliquid Plinius, id Robortellus negat; ergo falſum eſt; ergo corrigendum; ergo, qui id non faciunt, caſtigandi ſunt? non certe; videndum eſt enim, an alio loco Plinius, an alius quiſquam id neget, quod hoc loco affirmatum eſt; non negat Plinius, non negat quiſquam, quin Simus, aut Simo cognomina ſint; quid ergo habes explorati, cur non poſſint eſſe? extat cognominis ratio à vitio naſi, & labiorum, & oculorum, & capitis vitiis ducta multa alia ſunt; extat analogia; ut enim dixerunt Catum, & Catonem, Glabrum, & Glabrionem, Varum, & Varronem, Philum, & Philonem, ſic Simum, & Simonem dicere potuerunt; unde ergo hæc tibi ſuborta mendæ ſuſpicio eſt, ſi diligenter Plinii orationem attendas, qui inquit: Et hinc cognomina Simonum, Simorum, Silorum? Nam ſi Silorum tantum dicturus fuiſſet. Et hinc cognomen dixiſſet. At & hanc etiam vocem imperiti librarii corruperunt; vix credo, præter te, qui novam hanc licentiam intuliſti, tam audacem eſſe quenquam poſſe, qui cum ſcriptum ſit: Et hinc cognomen Silorum, audeat aliquid addere, vel immutare. Ego igitur aut alteram, aut etiam, ſi vis, ambas eas voces apud Plinium retinendas eſſe cenſeo, & mihi multo majorem laudem tribuendam eſſe, qui hoc vitium cæcus non viderim,

quàm

quàm tibi, qui nimis lynceus cupidius, quàm prudenti convenit correctori, ſuſtuleris. Dices fortaſſe: Plinii auctoriiatem non magniſacio; primum de loci integritate, non de ſcriptoris auctoritate diſputatio eſt; deinde vide, ne ſi mecum ita agas, faciam id, quod M. Scaurum clariſſimum virum quondam feciſſe accepi, qui à Q. Vario tribuno pl. contempto homine ad populum accuſatus, ita pro roſtris ei reſpondit: Q. Varius Hiſpanus M. Scaurum principem Senatus ſocios in arma ait concitaſſe, M. Scaurus princeps Senatus negat, teſtis nemo eſt; utri vos Quirites convenit credere? Sic ego à literatis hominibus clara voce quæram hoc modo: C. Plinius vir doctiſſimus, & diligentiſſimus Simum, vel Simonem cognomina ſcribit fuiſſe. Franciſcus Robortellus homo nullo modo, pace tanti viri dixerim, cum Plinio comparandus hoc negat, teſtis eſt nemo; utri convenit credere? vix opinor te literatorum juſtiſſimos ſibilos, ſi ita egero, perlaturum.

Sit ergo hoc artificii tui, ut Plinium omnis antiquitatis firmamentum firmiore ipſe animi robore labefactes; videamus reliqua, quæ tu in me in hoc tuæ artis commentario fœdiſſime evomuiſti. „ Etiam mutatione, in „ quis, literarum illud apud Livium libro pri„ mo in verbis Horatii: Sic eat quæcunque „ Romana lugebit hoſtem; emendant iſti: quæ„ cunque Romanum lugebit hoſtem; nec ſen„ tiunt tolli omnem vim ex eo dicto. Audi Robortelle, dicam? Antea legebat, Romanum, ut etiam in pleriſque, quos olim inſpexi, manuſcriptis, & nunc etiam in Mureti libro animadverti. Rhenanus autem unius libri auctoritate adductus, Romana repoſuit. Romana tibi, mihi Romanum magis placet; tibi vis dicti poſita videtur in Romana, mihi in Romanum hoſtem. Cupit enim Horatius ſororis percuſſor, quamcunque mulierem, quæ Romanum lugeat hoſtem, non Romanam modo, ſed etiam peregrinam ejuſmodi morte multari; ita enim ſupra etiam Romulus: Sic denique quicunque alius tranſilier mœnia mea, dictitans Remum interfecit. Pergis deinde: „ Ibidem ubi de Suffetii morte lo„ quitur: Exempli parum memoris legum „ Romanarum emendant iſti novi correcto„ res; Humanarum, etſi omnes ita habent „ impreſſi etiam Melchioris Seſſæ, & afferunt „ locum Varronis ex Nonio; Metium Suffe„ tium propter perfidiam interfecit plane im„ perioſius, quàm humanius; cum ſit ibi le„ gendum immanius. Ad hæc dico mea verba in hunc locum hæc eſſe. Emendat Rhenanus Romanarum pro Humanarum, quod non placet; nam & à veteribus libris diſſidet, & à Varrone, qui ita ſcribit lib. 1. de vita populi R. ut eſt apud Nonium. Metium Fufetium propter perfidiam interfecit pene imperioſius, quàm humanius. Quid ad hæc Robortellus? Quid aliud, niſi ſuum illud; legendum eſt, Romanarum; legendum eſt immanius; cur? quia ipſe dixit: jam enim hoc conſecutus eſt Robortellus, ut auditores ejus de ſe, ut Pythagorei quondam de Pythagora, cujus ipſe ſapientiam æmulatur, exiſtiment; quæ ſunt iſtæ pectoris tui anguſtiæ, quæ animi egeſtas Robortelle, ut nihil probare, nihil refellere poſſis, niſi omnia ſtatim corrumpas? ſemper hic erro, corrigas volui dicere; non vides ſenſum? oſtendo. Metium ait corporis membris in diverſas partes diſtractis necatum

A à Romano rege exemplo parum memore legum humanarum, id eſt crudeliſſime, atque immaniſſime. Neque enim hominem in alterum hominem adeo ſævire leges ipſæ humanitatis permittunt; unde dixit Varro interfectum illum à rege pene imperioſius, quàm humanius; tu vero immanius, id eſt crudelius legis, quid? tu nullam extitiſſe crudelitatem in hac nece Metii putas? at quæ major eſſe potuit immanitas? tu miſeram illam membrorum diſtractionem atrocitatis nihil habere exiſtimas? credo. Neque enim ea immanitate eſſes, ut Livium, ut Plinium, ut omnes, ſummus præſertim auctor humanitatis, tam inhumane dilaniares. Quod ſi legum Romanarum B legas, dic, quæ tum erant de ſuppliciis latæ leges, cum inſtitutis potius, & moribus populus, quàm legum multitudine teneretur? ut eo primum anno lex de perduellione, & pœna perduellionis conſtituta à rege ſit. Quid eſt autem, quod ais: Et Melchioris Seſſæ impreſſi? niſi peſſimi omnium, & diſtortiſſimi? nonne ego, Romanarum, novam lectionem à Rhenano invectam dixi: Humanarum autem antiquam? cognoſce nunc humanitatem tuam; maledicere mihi neſcis, niſi honeſtiſſimo etiam homini Seſſæ, ſine ratione obtrectes; & tamen profiteris humanitatem.

Sed hæc mittamus. Extremus locus, quem à me corruptum in hoc libello inſimu- C lat, eſt Livii libro primo, de quo ipſe ita differit: „ Ablatione in corrigendo caute eſt „ utendum, ne nobis accidat, quod correctori „ Livii novo, qui corrumpit verba Livii, ubi „ de anno à Numa rege inſtituto loquitur li„ bro primo, & putat legendum, Viceſimo „ quoque anno. Nam, inquit, annus fuit in„ ſtitutus lunaris non CCCLV. ſed CCCLIV. „ Hoc adverſatur Macrobio, & Cenſorino, „ qui imparis numeri habitam rationem à Nu„ ma docent in anno inſtituendo. Tu igitur au„ des hoc tollere, ô Sigoni. Hæc ille; quàm autem recte, attendamus. Verba Livii ſunt hæc. Atque omnium primum ad curſum lunæ in duodecim menſes deſcribit annum, quem D quia tricenos dies ſingulis menſibus luna non explet, deſuntque dies ſolido anno, qui ſolſtitiali circumagitur orbe, intercalares menſibus interponendo ita diſpenſavit, ut vigeſimo quoque anno ad metam eandem ſolis, unde orſi eſſent, plenis annorum ſpatiis dies congruerent. Vigeſimo quoque anno, habent omnes manuſcripti libri, quos ego legerim, quos Rhenanus, quos Glareanus, quos Sabellicus, quos Manutius, quos Nannius; quæres fortaſſe, quis ſit iſte Nannius? hic eſt Petrus Nannius Alcmarianus, vir doctus, qui nono ante anno Franciſcum Robortellum Utinenſem petulantius in Eraſmum, virum doctiſſimum, debacchantem edita nobili reſponſione com- E preſſit ita, atque confodit, ut ille doloris impatiens in Manutium, Sigoniumque, quaſi in Nannium prope mente alienatus incurrerit. Hoc ergo ita habent omnes; quod ne ipſe quidem Robortellus inficiatur; ſed præceptorum ſuorum non immemor, aſſentiendum eſſe Sabellico ait, qui neglecto librorum conſenſu emendavit, Vigeſimo quoque quarto anno. Hoc autem facit eò libentius, ut data licentia corrumpendorum pro arbitratu numerorum facilius depravandis numeris ſuam ipſe chronologiam Livianam confirmet. Ego verò, cum incredibilem hunc librorum conſenſum religioſe obſervandum eſſe ducerem, dandam mihi

operam eſſe arbitratus ſum, ut Vigeſimo quoque anno, ſervarem; ſervatur autem, ſi dicamus, Numam annum inſtituiſſe dierum CCCLIV. non CCCLV. Itaque cum Plutarchum auctorem haberem, qui, dum hanc anni à Numa factam deſcriptionem tradit, huoc numerum tradit, non dubitavi, quin, Vigeſimo quoque, retinerem, ac Vigeſimo quoque quarto, quod jam in libros audacius invaſerat, exturbarem. Hic inſtat Robortellus, & ait: Numam Macrobio, & Cenſorino auctoribus dierum annum primum CCCLIV. ordinaſſe, deinde in honorem imparis numeri diem addi diſſe, ita ut eſſet dierum CCCLV. qua ratione docent illi effectum eſſe, ut vigeſimo quoque quarto anoo dies congruerent. Confiteor hanc eſſe Macrobii, & Cenſorini doctrinam, ut vigeſimo quoque quarto anno habita diei in honorem imparis numeri additi ratione dies conveniceot; ſed iidem etiam rationem, quaſi intento ad locum digito, indicant, qua facile veterem Livii lectionem, & Plutarchi auctoritatem defendas. Etenim, cum Numa annum primum fecerit dierum CCCLIV. poſt autem diem addiderit, conjectura probabile eſt, ipſum, aut additi ab ſe diei oblitum eſſe, aut certe unius diei in ſupputando rationem non habuiſſe. Quod ſubindicant hæc verba Macrobii, ubi de Numa loquitur: Hunc ergo ordinem Romanis quoque imitari placuit; quippe fugit eos, diem unum (ſicut ſupra demonſtravimus) additum à ſe ad Græcum numerum in honorem imparis oumeri; ea re per octennium conveoire numerus, atque ordo non poterat; ſed nondum hoc errore comperto, per octo annos nonaginta quaſi ſuperfundebant dies, alterniſque annis binos, & vicenos, alternis ternos, vicenoſque intercalares expenſabant intercalationibus quatuor, &c. Item Cenſorinus. Numam etiam non omnino ſcite inſtituiſſe annum docet Plutarchus, cum ait: ἥψατο δὲ καὶ τῆς περὶ τὸν οὐρανὸν πραγματείας οὔτ' ἀκριβῶς, οὔτε παντάπασιν ἀθεωρήτως; & paulo poſt: καὶ τοῦτο μὲν αὐτοῦ τὸ ἴαμα τῆς ἀνωμαλίας μείζονος ἔμελλεν ἰαμάτων δεήσεσθαι. Si ergo errorem in numerando ſuum non vidit Numa, ſed credidit rectam à ſe annorum rationem eſſe initam, profecto apparet ipſum imparem numerum, quem poſtremo adjecerat, noo reſpexiſſe, neque hoc Livii erratum, ſed Numæ fuiſſe, neque à Livio rationem ejus ſummæ, ſed à Numa exigendam eſſe; Livium autem, & Plutarchum multum vidiſſe, qui rem, ut acta eſt, literarum monimentis prodiderint, eos verò plane cœcos eſſe, qui cum ipſi ſemitam non videant, aliis viam, quam ingrediantur, ſe oſtenſuros eſſe profiteantur.

Quod autem addit de ara Herculis, tum denique reſpondebo, cum ille incommoda illa, quæ ſe demonſtraturum pollicetur, indicabit.

Nunc venio ad ea loca, quæ ab illo in libro de ſupputationis conveoientia reprehenſa in hunc locum, quia aliena ab ea diſputatione erant, rejeci. Sic Robortellus. „ Ubi „ Livius lib. III. de Xviris agit, errat Sigo„ nius, quia verba Latina non ſatis percipit, „ & locum emendando corrumpit. Verba Li„ vii ſunt hæc, ubi loquentem facit L. Cor„ nelium. Ceterum neminem majore cura „ occupatis animis verum eſſe præjudicium „ rei afferre. Ita enim ſe habet in veteribus „ libris; quorum verborum hæc eſt ſeoteotia; „ non eſſe verum, id eſt noo eſſe æquum af„ ferre præjudicium tantæ rei. Ita proferunt „ loquendi hanc formulam omnes veteres, „ Horatius, Cæſar, Cicero, & alii, uti no„ tum eſt; id non intelligens Sigonius meras „ affert nugas, ut quilibet videre poteſt, nam „ ita emendat. Ceterum neminem majore „ cura occupatis animis verum eſſe, præjudi„ cium rei tantæ differri poſſe; id eſt nemi„ nem quid vere ſentiat dicere; quid afferet „ io medium Sigonius contra hæc, aut quo„ modo jam inficiari poterit, ſe indoctum „ eſſe? Bona verba Robortelle; & audi demum quid Sigonius ſi non in medium, at ad extremum proferat. Cum in libro, quem omnium optimum, ac pulcherrimum Lutetiæ Vaſcoſanus excudit, (eum enim mihi corrigendum juſtis multis de cauſſis ſumpſeram,) hunc locum ita legi viderem: Ceterum nemioem majore cura occupatis animis, verum eſſe præjudicium rei tantæ auferri; Rhenanum autem ita repooere: Ceterum nemini non majore cura occupatis animis, verum præjudicium rei taotæ auferri; Glareanum vero, pro Verum eſſe, Verum poſſe, reſtitoere, cumque neuter eorum ſatis mihi, quod vellet, probaret, ex auctoritate manuſcriptorum librorum ita legendum ſtatui: Ceterum neminem majore cura occupatis animis verum eſſe, præjudicium rei tantæ differri poſſe; hoc ſenſu. Retulerant Xviri de bello Sabino. Senatores rogati ſententiam nihil de bello dixerant, de Xvirum injuſto imperio dixerant; ad ultimum L. Cornelius M. Coroelii Xviri frater, dixit: neminem majore cura occupatis animis verum eſſe, præjudicium rei tantæ differri poſſe, id eſt, neminem Senatorem vere ſtatuere de magiſtratu Xvirum majore belli inſtantis cura implicitum poſſe, judicium rei tantæ io aliud tempus differri poſſe; nunc de bello conſultandum eſſe; ita ut, Poſſe, bis acciperetur; quæ ſententia ſatis, ut etiam nunc video, bona eſt. Sed cum poſtquam illud ſcripſeram, aliam æque fortaſſe bonam excogitaſſem, curavi ſecundam imprimendam: Ceterum neminem majore cura occupatis animis, verum eſſe, præjudicium rei tantæ afferri, id eſt, æquum eſſe, cum belli majore cura implicati animi ſint, neminem afferre præjudicium tantæ rei, id eſt, injuſti Xviralis imperii abrogaodi. Cum autem tu, dum verba Livii & mea ſcholia ſtudioſe comparas, hanc lectionem alienam eſſe ab ea, quam in ſcholiis tradidi, compereris, adhibito judicio unam approbaſti, alteram rejeciſti, & quod meum fuit, callide feciſti tuum. Nam quod ais, me ignorare, Verum pro Æquo ſæpe poni, parum vere, aut æque facis. Ego enim hoc ipſum in ſcholiis libri XL. ſcripſi, ubi Verius eſſe pro Æquius eſſe duobus Livianis exemplis confirmavi.

Arrodis deinde me loco altero eodem in libro, his verbis. Eodem lib. III. paulo ante Sigonius corrumpit locum hunc; nam legit. Et io unica coocordia inter ipſos, qui conſenſus in privatis interdum conſiliis utilis eſſet, ſumma in alios æquitas erat. Verba autem ipſius in ſcholiis pag. 10. nu. 42. hæc ſunt. Vetus liber unus habet, in privatis, alter, in privatis cooſiliis interdum utilis eſſet; ut videatur legendum eſſe: Qui conſenſus in privatis interdum conſiliis utilis eſſet. Hæc ille. Sed omnes vetuſti libri, quos ego hactenus vidi, manuſcripti ita habent. Et in unica concordia inter ipſos, qui conſenſus in privatis interdum

A dum inutilis eſſet; unde pulcherrima elicitur ſententia; ſi inter ſe conſentiant privati homines, interdum id magno aliorum malo fieri. „ Ego, quod ſcripſi tum Robortelle, „ ex manuſcriptis ſcripſi; quam nunc etiam „ lectionem in libro Mureti invenio ita. „ Qui conſenſus privatis interdum conſiliis „ utilis eſſet; cujus lectionis ſenſum, vide „ an non probes. Erat, inquit, ſumma adverſus alios æquitas poſita in unica inter ipſos Xviros concordia, qui conſenſus in privatis interdum conſiliis utilis eſſet, id eſt, ſi privati in conſiliis capiendis ſecum ſæpe conſentiant, eo modo, quo Xviri, qui erant in magiſtratu, inter ſe concordarunt, utile futurum reip. B neque enim civiles diſſenſiones eas, quantum habebat in manibus Livius, fuiſſe conſequuturas. Accommodat ergo Livius ſententiam ad res Romanas, & ad illa turbulenta reip. tempora; & privatorum conſenſum, non aliter quam magiſtratuum, utilem eſſe ait; non ſemper, ſed interdum; nam ſi ſemper privati conſentirent, multis nocerent, ſi interdum, reip. non obeſſent. Ille vero ait; ſi inter ſe conſentiant privati homines, interdum id magno aliorum malo fieri; at ego: ſi inter ſe conſentiant privati homines, interdum magno id reip. emolumento fieri; de rep. enim agitur tum à Livio, & de ſeditione, quæ excitabatur. Judicabunt de utroque ſenſu doctiores. C Atque hæc quidem ea ſunt, quibus ille me aut obſcure, aut palam, quantum ego intelligere potui in libro de convenientia, & arte corrigendi, notavit, ac male accepit, quibus à me ad unum ita eſſe ſine ulla contumelia reſponſum volo.

Nunc finem dicendi faciam, ſi ante loci unius, quem ille injuſte ex Quinctiliano mutare conatur, quòd eo plurimum glorietur, meminero; neque enim ſatis ejus ſententiam laudo; ſic ait: „ Eſt tamen interdum firmior „ in hoc genere conjectura, ut illa noſtra „ apud Quinctilian. lib. VIII. cap. II. de „ perſpicuitate ſub initium. Ut ille, qui in „ actione Ibericas herbaſſe ſe ſolo, nequa„ quam intelligenter dicebat, niſi irridens „ hanc vanitatem Caſſius Severus, ſpartum „ illum dicere velle dixiſſet. Camerarius no„ tat locum hunc, & ait. Herbaſſe non ha„ bent pleraque exemplaria, quod tamen „ additum mirum in modum adjuvat loci in„ tellectum. Ego quid adjuvet, non video; „ legendum igitur; qui in actione Ibericas „ herbas æquaſſe ſe ſolo; nam Quinctilianus „ agit de iis, qui reformidant omnia verba, „ quæ ſunt in uſu. Ibericas herbas is dice„ bat, nos ſpartum, & æquare ſolo, quod „ nos recidere, aut ſecare. Hæc ille; ad quæ ego; ſi, ut Camerarius affirmat, illud Herbaſſe non eſt in pleriſque exemplaribus, ne deſiderari quidem, ſi ita legatur, ut nunc vulgo in omnibus legitur, & maxime in Aldino trigeſimo ſexto ante anno impreſſo. Ut ille, qui in actione Ibericas herbas ſe ſolo nequicquam intelligente dicebat. Loquitur Quinctilianus de verbis hùmilibus infra dignitatem rerum, aut ordinis, cujus exemplum eſt, Ibericæ herbæ, pro ſparto. Æquare autem ſolo non eſſe hujus præcepti exemplum, inde apparet; quod id eſt ſupra dignitatem rei, cum loquimur de herbis, nam ædificia ſolo æquantur; præterea, quòd Caſſius irridens vanitatem dicti, indicavit ſpartum eum dicere velle, nihil autem de æquare ſolo, quod ab oratore illo prolatum non erat, admonuit; idem indicat exemplum alterum, quod ſubjicit, duratos muria piſces, qui herbis Ibericis reſpondent. Poſtremo melior ſententia eſt, ſi dicas, illum Ibericas herbas dixiſſe, ſe ſolo nequicquam intelligente, quàm nequaquam intelligenter. Eſt enim vanitas major, id dicere, quod tu ſolus orator fruſtra intelligas, quàm ſi parum intelligenter dicas; dicimus enim, non ut nos ſoli intelligamus, nam id eſt fruſtra loqui, ſed maxime, ut alii intelligant; apparet etiam erroris cauſſa, cur in aliquot forte libris fuerit, Herbas herbaſſe; quia vox illa Herbas bis ſcripta eſt; itaque ex altero Herbas, & ſe, factum eſt Herbaſſe. Quare quam tu firmam conjecturam Robortelle vocas, ego infirmiſſimam, & minime præclaro iſto tuo robore dignam exiſtimo.

CAROLUS SIGONIUS
IN LIBRUM PRIMUM
EMENDATIONUM.

IN PRIMUM ET SECUNDUM CAPUT

Catulli & Sapphus odes comparatio irriſa, & loci Demoſthenis emendatio reprehenſa.

VEnio nunc ad ſingula capita emendationum ejus refutanda, quibus in me petulanter invectus eſt; de quibus quemadmodum judicare omnes deberent, ipſe ſatis magnum documentum dedit, cum pauca quædam alia haud ſatis, ut ego opinor, Franciſco Robortello, id eſt viro, ut ego ſemper antea judicaveram, doctrina, & judicio perpolito digna præpoſuit; ut facilius, qualis hic noſter emendator eſſet, & tam præclaræ diſciplinæ auctor, omnes cognoſcerent. Primo igitur capite odes Sapphus cum ode Catulliana comparationem attulit; egregie; niſi hoc ipſum ante à M. Antonio Mureto in Catulliano commentario demonſtratum eſſet; in quo ego ſoleo mirari iſtius hominis diligentiam, qui cum, ut poſt apparebit, ne verbum quidem, quod ab ſe uſurpatum ſit, ab alio uſurpari velit, ipſe tamen eum librum, in quo magnam partem doctorum hominum male accepit, exordiri niſi ab aliena uſurpanda laude non potuit; quod idem etiam ſupra feciſſe eum dixi in demonſtrando Liviano errore, & lapidum Capitolinorum præpoſtero ordine, quæ à me meo occultato nomine ſumpſit. Secundo autem capite præclarum artis ſuæ monumentum reliquit. Locum enim Demoſthenis integerrimum, pulcherrimum, ac ſplendidiſſimum detruncavit, fœdavit, atque obſcuravit; is eſt in prima Philippica his verbis: λέγω δὴ τοὺς πάντας στρατιώτας διχιλίους τούτων δὲ ἀθηναίους φημὶ δεῖν εἶναι πεντακοσίους, ἐξ ἧς ἂν τινὸς ὑμῖν ἡλικίας καλῶς ἔχειν δοκῇ. χρόνον τακτὸν στρατευομένους μὴ μακρὸν τοῦτον, ἀλλ' ὅσον ἂν δοκῇ καλῶς ἔχειν ἐκ διαδοχῆς ἀλλήλοις. τοὺς δὲ ἄλλους ξένους εἶναι κελεύω. καὶ μετὰ τούτων ἱππέας διακοσίους καὶ τούτων πεντήκοντα ἀθηναίους τοὐλάχιστον ὥσπερ τοὺς πεζοὺς τὸν αὐτὸν τρόπον στρατευομένους. ϛ' ἱππαγωγὺς τούτοις. εἶεν. τί πρὸς τούτοις ἔτι, ταχείας τριήρεις δέκα Quis eſt, qui hæc legat, qui in his aliquid deſideret, niſi plane ſit excors, & ſine ſenſu? inventus eſt tamen Robortellus, homo acutiſſimus, qui reperit vitium; inquit enim: „ Poſtrema verba, in quibus de hippaginibus loquitur Demoſthenes, corrupta „ ſunt, ut unuſquiſque facile perſpicere poteſt; neque cohærent, aut ullam certam „ rem ſignificant; nam ſicuti numerum & antea, & poſt in ſingulis rebus præſcribere „ conatur orator; nam ait ταχείας τριήρεις δέκα. „ ita etiam tranſvehendis equitibus quod hippagines inſtruendæ eſſent, declarare ipſum „ erat neceſſe; legendum igitur eſt καὶ ἱππαγωγοὺς ϛ' τούτοις εἶεν ut hippagines dicas ſex inſtrui debere; nam nota illa ϛ talem numerum, ut omnes ſciunt, ſignificat. Hæc ille. Confirmat deinde hanc lectionem auctoritate Thucydidis lib. VI. qui ait ſingulas hippagi-

A nes tricenos equites vehere ſolitas. Cur autem ego hanc lectionem immutandam eſſe non cenſeam, quatuor rationes me adducunt. Una, quod contra omnium librorum & ſcriptorum, & impreſſorum conſenſum contendit; altera, quia numerum hippaginum non neceſſarium invehit; neque enim neceſſe eſt, ut orator, cum ducentos equites decernat, etiam numerum navium, quibus equi devehantur, aſcribat; ſatis enim per ſe intelligi poteſt, ſi ducenti ſunt equites, atque hippagines pro iis parandæ ſunt, quot ſint parandæ, etiam oratore non admonente; præſertim vero cum notum eſſet, ut ipſe ait, ex Thucydide, ſingulas hippagines tricenos equites B tranſvehere ſolitas; triremium autem velocium numerum afferre erat neceſſe; ut enim peditum, & equitum, qui pugnaturi ſunt, ſic triremium certus ſtatuendus eſt numerus, ut belli gerendi ratio ſit exploratior; at vero hippaginum numerus quid ad oratorem? dummodo tot inſtruantur hippagines, quot tranſportandis equitibus ſint neceſſariæ. Itaque cum in eadem oratione paulo ante quendam numerum equitum ſtatueret, hippaginum tamen numerum nullum aſcripſit; inquit enim: πρὸς δὲ τούτοις ταῖς ἡμισέαις τῶν ἱππέων ἱππαγωγοὺς τριήρεις, καὶ πλοῖα ἱκανὰ τῷ πρεπίσαι χιλίων. Tertia, quod figuram orationis pulcherrimam ſuſtulit, quæ voce illa εἶεν exprimitur; quæ à C Latinis Eſto dici ſolet; quaque tum demum uti oratores ſoliti ſunt, cum ſatietatis evitandæ cauſſa, præſertim in numerando, quæ dicta ſunt, quaſi ex auditorum perſona, concedunt, ut alacrius, quæ ſequuntur, ſubjiciant; ut hoc loco. Ego duo millia militum decerno; ex his Athenienſes quingentos eſſe oportere dico, reliquos peregrinos, & cum his equites ducentos; atque horum Athenienſes minimum quinquaginta, qui eadem conditione, qua pedites mereant, atque his hippagines; eſto; quid ad hæc? triremes celoces decem. Eodem etiam modo uſus eſt hac voce εἶεν in oratione contra Leptinem. εἶεν: εἰ δὲ δὴ τὰ μάλιστα ἐπέλιπον οἱ χορηγοῦντες τότε &c. locus eſt D non longe à principio. Venuſtatem autem hujus conceſſionis, & tranſitionis oratoriæ à ſummo figurarum magiſtro tolli, aut non agnoſci mirarer, niſi, quæ quarta ratio eſt, eundem nobilem grammaticum ſtructuram etiam rectam orationis hac ſua emendatione diſtorquere viderem; cum interpretatur εἶεν, ſint; non eſto; hoc modo. Duo millia militum decerno; ex his Athenienſes quingentos eſſe oportere dico, reliquos peregrinos; & cum his equites ducentos, atque horum Athenienſes minimum quinquaginta, atque his hippagines ſex ſint; quid præterea? liburnicas decem. Non enim attendit, hos caſus omnes ac-

accuſandi eſſe, qui ab illo verbo Eſſe regantur; itaque ſi in medio hujus orationis curſu dixeris, his hippagines ſex ſint, non poſſe deinde dici, liburnicas denas ſint; nam is eſt caſus accuſandi, qui verbum, Eſſe, ſupra poſitum reſpicit, nec verbum proximum, Sint, ſpectare poteſt. Ignoſcant autem docti, ſi hæc minuta perſequor; nam cum bono grammatico mihi res eſt; quo cum mihi ſubtiliter eſſe video diſputandum. Quare cum hæc lectio nec librorum auctoritate munita ſit, nec numerum neceſſarium afferat, & venuſtatem orationis impediat, & ſermonem ipſum contra grammaticæ præcepta deformet, ſine dubio cum ſuo auctore repudianda eſt.

IN III. CAPUT.

Aſconii turpis emendatio exagitata.

GRave igitur hoc eſſe ducerem niſi gravius multo eſſet, quod ſequitur. Aſconium in hoc libro Robortellus gloriatur ſe prope ab inferis excitaſſe, idque in Manutii contumeliam, cujus manu conſtat multis ulceribus eſſe curatum, dicerem etiam mei, ſi ego in ſocietatem ejus laboris verè, ut ille aliquando criminatur, venire poſſem. Ex multis autem, quæ ſe ille ſanaſſe putat, Aſconii vulneribus, hoc primum expoſuit, ut mortiferum, quod eſt in commentario orationis in competitores. Verba Ciceronis ſunt in Catilinam competitorem hæc: Quid? tu potes in defenſione tua dicere, quod illi ne dixerunt; quæ tibi dicere non licebit; & paulo poſt. Denique illi negare potuerunt, & negaverunt, tu tibi ne inficiandi quidem impudentiæ locum reliquiſti; quare præclara dicentur judicia tuliſſe, ſi qui inficiantem Luſcium condemnarunt, Catilinam abſolverint confitentem. Exponit hic Aſconius, qui ſint, qui condemnati ſint, & quod fuerit crimen Catilinæ; inquit autem intelligi L. Luſcium, & L. Bellienum, qui damnati erant hoc anno haud ita multo ante, quam Cicero hæc diceret, quia Sullano tempore cædes proſcriptorum fecerant juſſu Sullæ. De Catilina vero ita ait: Hujus criminis periculum, quod objicit Cicero, paucos poſt menſes Catilina ſubiit; poſt effecta enim comitia conſularia, & Catilinæ repulſam fecit eum reum inter ſicarios L. Lucullus. Hæc verba mendoſa eſſe noſter hic putat, quia repugnant, inquit, verbis Ciceronis, ad quorum declarationem allata ſunt. Nam Cicero, cum ante comitia conſularia loquatur, ſignificat, Luſcium, & Bellienum condemnatos, Catilinam autem abſolutum. Ar vero Aſconius poſt paucos menſes, & poſt effecta comitia conſularia, & poſt Catilinæ repulſam, Catilinam inquit reum inter ſicarios factum. Exiſtimat etiam cum Cicerone eſſe Dionem, qui nihil aliud ſcribit, niſi Figulo, & Cæſare conſulibus, quo anno Cicero cum Catilina petiit conſulatum, Catilinam inter ſicarios poſtulatum eſſe abſolutum, id eſt, ut Robortellus exponit, ante comitia; & quia ipſe patronum ſe conſtitutum ait antiquitatis, ut Aſconium, quem Ciceroni repugnare putat, tueatur, cum non accuſat, ſed emendat. Cur enim, ipſe ſecum inquit, artem emendandi novam excogitavi, niſi ad diſſenſiones auctorum inter ſe veterum dirimendas? repetit præcepta omnia artis ſuæ, addendi, auferendi, tranſponendi, extendendi, contrahendi, diſtinguendi, copulandi, mutandi vel accentus, vel puncti, vel literarum, vel dictionum; ex tanta, & tam copioſa ſupellectile duo inſtrumenta ſumit, quæ ad curandum ægrum Aſconium afferat, ablationem, & mutationem. Tollit igitur hæc verba omnia: Poſt effecta comitia conſularia, & poſt Catilinæ repulſam; mutat vocem Poſt, in vocem Ante; atque ita ſurgere è lecto valentem Aſconium jubet; atque hoc exemplum nobis omnibus ejuſmodi medicinæ ignaris præſcribit; quod ſequuti remedium deſperatis auctorum locis adhibeamus. Scilicet hoc nobis præceptum reliquiſti Robortelle, ut caſtiſſima veterum ſcripta, quia à nobis unis ignorentur, violemus, ut temerarias illis manus inferamus, ut ea non una, duabuſque literis, ſed ſex, ſeptemque verbis ſublatis, purgemus, id eſt, ut non ſanguinem, ſed ſpiritum, animamque mittamus? quis tibi narravit, Aſconium Ciceroni adverſari, aut Ciceronem abſolutum eſſe Catilinam ante comitia dicere? audiamus iterum eum loquentem. Quid tu potes in tua defenſione dicere, quod illi ne dixerunt, quæ tibi dicere non licebit; & paulo poſt: Denique illi negare potuerunt, & negaverunt, tu tibi ne inficiandi quidem impudentiæ locum reliquiſti. Quare præclara dicentur judicia tuliſſe, ſi qui inficiantem Luſcium condemnarunt, Catilinam abſolverint confitentem. His tu verbis Robortelle interpretaris Ciceronem dicere: Catilinam ante comitia, & repulſam abſolutum; non eſt ita. Cicero enim, ubi loquutus eſt de judicio repetundarum, ex quo ille evaſit, loquitur de judicio inter ſicarios, quod ipſum ſubiturum, & eo damnatum iri prædicit; cur damnatum iri credat, hoc affert, quia ſi Bellienum, & Luſcium, qui negare potuerunt, & negaverunt, judices condemnarunt, multo minus Catilinam confitentem abſolvent. Quæ verba declarans Aſconius ait: Hujus criminis periculum ſubiit Catilina paucos poſt menſes, quàm hoc periculum ei Cicero prædiceret; nam poſt comitia conſularia perfecta, & poſt repulſam, quam cum Cicerone petens tulit, hoc eodem anno Cæſare, & Figulo conſulibus reus inter ſicarios factus eſt à Lucullo. Tu autem verba Ciceronis non attendens, qui inquit: Quæ tibi dicere non licebit, & præclara dicentur, judicia tuliſſe, ſi qui inficiantem Luſcium condemnarunt, Catilinam abſolverint confitentem, hæc omnia quaſi facta narrari à Cicerone putaſti, cum de iis, ut de futuris loquatur, & judices vituperatum iri dicat, ſi cum Luſcium inficiantem condemnarint, abſolvent confitentem Catilinam; cum ſit argumentum à minori, ſi qui negarunt, ſunt damnati, ut Luſcius, ergo multo magis, qui confitentur, ut Catilina, condemnabuntur; quæ ſententia ne tibi nova ſit, audi quid in Piſonem eodem modo dixerit, cum judicium item in Senatu, & damnationem ei prædixit: An ego expectem, dum de te quinque & ſeptuaginta tabellæ diribeantur? de quo jam pridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum, judicaverunt. Si nobilem grammaticum futurum tempus pro præterito ſumere monſtrum eſt, ſi bonum rhetorem argumentationem Ciceroni familiariſſimam non ſenſiſſe portentum eſt, quid dicemus egregium librorum medicum valenti; non ægroto auctori ita venam inciſiſſe, ut ipſum pene brachium detruncarit? Adde illud etiam: dili-

gentiſſimum Romanæ antiquitatis obſervatorem, cum ſe omnes eodem loco Catilinæ accuſationes perſecuturum eſſe profiteatur, primam omiſiſſe, cum de inceſto poſtulatus eſt, cujus judicii auctor eſt Oroſius lib. vi. his verbis. Eodem anno Catilina inceſti accuſatus, quod cum Fabia virgine Veſtali ſtuprum commiſiſſe arguebatur, Catuli gratia fultus evaſit, hoc autem factum eſt anno DCCXX.

IN CAPUT IV.

Verba duo ex Demoſthene verſa defenſa.

HOc ille ſpecimine ingenii, ſtudii, eruditionis, ac diligentiæ ſuæ dato, deinceps in Manutium, Sigoniumque acerbiſſimis maledictis invadit; dicam primum, quod tempus poſtulat, de Manutio; nam de Sigonio majus opus. Philippicas à Manutio è græco non bene converſas hoc argumento probare contendit, quod ἄγων καὶ φέρων captum abducens, & ἀντίδοσιν retributionem converterit. De utroque quid ſentiam dicam ſed paucis; nam ſat ſcio Manutium abſentem, ubi hæc legerit, idoneo tempore ſuas injurias eſſe perſequuturum. Quid ergo ait Robortellus græcarum literarum dominus? φέρων & ἄγων non eſt captum abducere, ſed vexare, jactare, exagitare; cur? quia Plutarchus de Philoſophis, dixit: ἀλλήλους ὑμῶν ἀγόντων καὶ φερόντων, nos inter nos mutuo agitantibus. Ego Robortelle, ut tibi graves illi viri narrarunt neceſſarii mei, vix attigi græcas literas. Etenim quanquam eas jam inde à vigeſimo ſecundo ætatis meæ anno publice profeſſus ſum, nunquam tamen longius progredi potui, quàm, ut dictionarii ope, quemadmodum etiam te audio facere, græca intelligerem; non occultabo tamen hoc loco opinionem meam. Ego exiſtimo ἄγειν καὶ φέρειν accipi à græcis proprie, & tranſlate. Proprie dici de iis, qui, cum quo volumus, ire nolunt, ferendi trahendique ſunt, & quia in ea re vexatio corporis aliqua poſita eſt, hinc ἄγειν καὶ φέρειν pro vexare uſurpatum eſſe. Demoſthenem prætetea proprie, Plutarchum tuum tranſlate eſſe locutum; atque iccirco Plutarchi exemplum parum ad id, quod vis, probandum eſſe accommodatum. Proprie dixiſſe Demoſthenem, id argumento eſt, quòd inquit: ἀπὸ τῶν ὑμετέρων ὑμῖν πολεμεῖ συμμάχων ἄγων τοὺς πλέοντας τὴν θάλατταν. item εἰς λιμένα, καὶ Ἴμβρον ἐμβαλὼν αἰχμαλώτους πολίτας ὑμετέρους ᾤχετ' ἄγων. declarat ergo quaſi, quid ſit ἄγων καὶ φέρων, cum ſubdit αἰχμαλώτους ἄγων. id eſt captos abducens. Tranſlate, verum tranſlatione ea, quæ ad proprietatem proxime accedit, locutus eſt Dionyſius lib. XI. τοῖς θρασυτάτοις τῶν νέων ἐφεὶς ἄγειν καὶ φέρειν τοὺς τῆς ἰσονομίας μεταποιουμένους τῇ πόλει. Quanquam autem ἄγειν καὶ φέρειν eſt vexare, tamen non eſt hoc verbum, quo Latini græcam eam loquendi formam expreſſerint. Etenim ut Græci dixerunt ἄγειν καὶ φέρειν, ſic Latini Agere, & ferre; quod te miror, qui alios accuſas, dum hæc ſcriberes, non vidiſſe. Audi Livium. Hi ferre, agere plebem, plebiſque res; item: Tum demum fracta pertinacia eſt, cum ferri, agique res ſuas viderunt. Item: Cum ante oculos prope ſuos ſociorum res agi, ferrique viderunt; atque hoc eſt, quod dixit Demoſthenes τοὺς συμμάχους ἄγων καὶ φέρων. Reprehendit etiam illud ἀντίδοσιν ποιεῖν, retributiones facimus; cur? quia ea vox conſuetudinem illam Athenienſium, quæ voce ἀντιδόσεως continetur, non exprimit, & quia non eſt Ciceronis. Hoc ſi ita eſt, cur tu non aptam, & Ciceronianam vocem attuliſti? nulla eſt, inquies quia conſuetudo illa provocandi ad permutandas cum functione muneris fortunas apud Romanos nulla erat; ſi nulla eſt, tentandum eſt tamen, ut aliquid dicamus; quod autem verbum unum verbo ἀντιδίδοται, magis reſpondet, quàm retribuere? ſi ita, quid nomen ἀντίδοσιν magis explicat, quàm retributio? nam ſi dicam provocatio ad permutandas cum muneris functione fortunas, non eſt unum verbum; quod ſi malum eſt, tu melius affer; quanquam neſcio, cur, ſi Cicero dixit attributionem, nos retributionem dicere, præſertim recoacti, non poſſimus. Atque hoc dictum ſit, non ut alienas ipſe injurias perſequerer, qui vix meis depellendis ſufficerem, ſed ut omnes cognoſcerent, quos, & quantos fructus præclara nobis iſtius ingenii monumenta pepererint, & quantum hujus hominis induſtriæ multis nominibus omnes debeamus. Quis eſt enim, qui numerum nobis apud Demoſthenem non neceſſarium infert? Robortellus; quis venuſtatem figuratæ orationis, quam non agnoſcit, corrumpit? Robortellus; quis rectum orationis contextum diſſipat, atque diſſolvit? Robortellus; quis tempus futurum pro præterito ſumit? Robortellus; quis Aſconium Ciceroni adverſari falſo ducit? Robortellus; quis eundem ita ſanavit, ut mutilarit? Robortellus; quis proprium quid à tranſlato differat, non diſtinguit? Robortellus. Salve igitur ingenioſiſſime, atque doctiſſime Robortelle, Romanarum literarum pater, Græcarum patrone, cuſtos temporum, vindex antiquitatis. Tu nos jam longo tempore in tota literarum ratione, quaſi in aliena terra peregrinantes tuis commentariis domum reduxiſti; tu rectas grammaticæ regulas oſtendiſti, tu novam mutationem temporum demonſtraſti, tu propriorum, tu tranſlatorum verborum diſtinctionem aperuiſti, tu præclaram ſanandorum librorum rationem docuiſti; tu additionem, tu ablationem, tu extenſionem, tu contractionem, tu cetera illa egregia veterum frenandorum auctorum inſtrumenta antea nobis incognita peperiſti. Conciſus nunc mihi ſit Salluſtius, addendo propagabo; loquax, & Patavinitate ſua præditus Livius, auferendo perpurgabo; obſcurus aliquando Cicero, diſtinguendo, & mutando illuſtrabo; opponat mihi auctorem qui velit, emendatione mihi conciliabo. Sed ſint hæc ſatis. Nunc ad Sigonium.

IN CAPUT V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. & XVI.

Sua de ludis ſæcularibus opinio confirmata, aliena confutata. Livii, Cenſorini, Valerii loci multi à fœdiſſimis emendationibus defenſi.

TAndem ad Sigonium, Sigonium mel, ac delicias ſuas Robortellus pervenit, à quo ne cito divelleretur, longam diſputationem de ludis ſæcularibus orſus eſt, quam, ut errores ejus in majus ornaret, aſtute in novem capita diviſit, cum uno complecti omnes & poſſet, & deberet. Quæſtionis autem initium hinc ductum eſt. Faſtos ego Capitolinos à me ſuppletos bis edidi, primum Mutinæ, deinde Ve-

A Venetiis. Poſteriore autem editione curavi, ut, quod ab initio pollicitus fueram, perfectiora, & meliora eſſent omnia, quantum à me in tanta rerum antiquitate, atque obſcuritate præſtari poſſet. Contulit igitur inter ſe Robortellus homo non incallidus utranque editionem; quæque ego mutaveram, ea ut meo damnata judicio, ſignavit, eademque hoc libro mihi vitio dedit, non dico, quàm inique, quis enim unquam in literis alteri quòd ſententiam in melius mutaverit, in maledictis objecit? illud dico, quàm ridicule. Non enim reprobavit, quæ immutavi, ſed comprobavit, quæ reliqui. Ut tamen ipſe in ea re multum vidiſſe videretur, me à ſe Patavinis ſuis ſcholis caſtigatum ea commutaſſe omnia ſcribit; quod an fieri potuerit, paulo poſt apparebit, nunc de re. Ludos ſæculares ego in priore editione ſub conſulibus diſpenſaveram, quos à poſteriore exemi; cur appoſuiſſem, ea cauſſa fuit, quod Quincti ludi in lapide Capitolino ita deſcripti ſunt, ut ſub conſulibus C. Silio, & L. Munatio poni debere videantur; ſic enim habet:

C. SILIVS P. F. P. N. L. MVNATIVS L. F. L. N. PLANCVS.
LVDI SÆCVLARES QVINCT.
IMP. CÆSARE DIVI F. AVGVSTO.

B Itaque cum ea meam mentem opinio imbuiſſet, Quinctos ludos ſub conſulibus his eſſe diſpoſitos, quanquam eos Furnio, & Silano coſs. multo ante factos veterum annalium auctoritate perſuaſum habebam, putavi quartos etiam, & tertios, & ſecundos, & primos mihi eſſe ſub conſulib. collocandos; cur removerim id cauſſæ fuit, quod eos poſtea non ſub conſulibus, ſed è regione conſulum, & in alio lapide inciſos comperi. Quinctos autem caſu neſcio quo à fabro commoditatem ſuam quandam ſequuto ſub conſules illos eſſe ſubſcriptos. Itaque mihi, qui faſtos conſulares ſcribendos ſuſceperam, ludorum ſæcularium mentionem neceſſariam non eſſe
C duxi. Ille autem, qui ſua Patavina caſtigatione factum eſſe ait, ut eos exemerim, quòd ludos primos ſæculares non P. Valerio primum, ſed quartum conſule factos probaſſet, non intelligit, ſi vera ea ſint, non me omnes exempturum fuiſſe, ſed primos tantum mutaturum. Nunc vero, etſi ea me defendere, quæ à me ipſo ante damnata ſunt, oportere non exiſtimo, tamen, ut intelligat ipſe, me ſuo admonitu nihil feciſſe, nec facere debuiſſe, ita quod ſcripſeram de ludis ſæcularibus tuebor, ut me recte ſenſiſſe, illum in tota hac quæſtione nutare confirmem. Negat is
D ludos ſæculares primos in primum P. Valerii Poplicolæ conſulatum, qui primus poſt reges exactos conſul fuit, eſſe conjiciendos, ſed in quartum, cujus auctor ſit Plutarchus. Cui ego reſpondeo, magnam de primis, ſecundis, tertiis, & quartis ludis ſæcularibus, quibus potiſſimum conſulibus facti ſint, eſſe opinionum varietatem; quas omnes Cenſorinus in libro de die natali literis perſecutus eſt. Primos autem alios in primum Poplicolæ conſulatum, alios in quartum retuliſſe; in XVvirum autem libris M. Valerio, Sp. Virginio coſs. factos ſcriptum eſſe, teſte Cenſorino. De Poplicola primum conſule hos ludos faciente ſic Cenſorinus: Primos ludos ſæculares
E exactis regibus conſtat poſt Romam conditam annis CCXLV. à Valerio Poplicola inſtitutos eſſe; quæ verba ſi diligenter attendas, intelliges ad quartum Poplicolæ conſulatum referri nullo modo poſſe, ſed duntaxat ad primum; non enim de quarto conſulatu, dixiſſet: Exactis regibus, neque anno CCXLV. quanquam tu dominus emendationum, ex ingenio, CCXLIX. reponis, neque numerum ullum tua non violatum manu eſſe permittis, ut eos ludos in quartum Poplicolæ conſulatum transferas. Hoc idem Valerius videtur indicare, cum ait: Valerii exemplum Valerius Poplicola, qui primus conſul fuit, ſequutus eamdem aram terra obruit &c. Nam, Qui primus conſul fuit, videtur adjeciſſe, ut annum poſt exactos reges, ſicuti dixit Cenſorinus, exprimeret. Hoc idem etiam Politianus vir doctus in Miſcellaneis ex Zoſimo & exiſtimavit, & tradidit. Si ergo Poplicola primum conſule factos primos ſæculares ludos auctores tres habeo, quid deliqui, cum eos in primum potius ejus, quàm in quartum conſulatum, cujus ſolus eſt auctor Plutarchus, conjeci? Sed vide, quàm meum judicium à tuo diſſideat; ego, ſi veritatem annorum, quibus ludi ſæculares omnes facti ſint, tueri velim, libros XVvirales, quos identidem auctores citat Cenſorinus, quàm hiſtoricos alios ullos audire malim; ex libris autem XVvirum apparet primos M. Valerio, Sp. Virginio coſs. anno ad Capitolinam ſummam CCXCVII. eſſe factos: ſecundos M. Valerio Corvo, & C. Pœtelio coſs. anno CCCVII. tertios P. Cornelio Lentulo, C. Licinio Varo coſs. an. DXVII. quartos M. Æmilio Lepido, & L. Aurelio Oreſte coſs an. DCXXVII. ita ut centeſimo decimo quoque anno relati ſint; quod etiam ſignificavit Horatius in carmine ſæculari, cum ait:

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus, referatque ludos.

Sic enim legit, & exponit Acro; quanquam tu hunc etiam locum fœdiſſime depravans legis. Certos ut denos decies per annos orbis, & cantus, referatque ludos. Livius autem non centeſimo decimo quoque anno relatos exiſtimat, ſed centeſimo. Ac de primis quidem, quo anno ex Livii ſententia relati ſint, nihil habeo compertum; ſecundos vero anno CDI. factos eſſe, illum putaſſe, inde ſuſpicor, quòd Zoſimus ſecundos ludos factos eſſe M. Popilio conſule ſcribit anno ab U. C. CDII. qui conſulatus apud Livium in annum CCCCI. incidit; tertios factos Antiate, & Livio auctoribus tradit Cenſorinus, P. Claudio Pulchro, L. Junio Pullo conſulibus, qui in annum incurrunt apud Livium DI. quarti editi ſunt Antiate, Varrone, & Livio auctoribus L. Marcio Cenſorino, & MP. Manilio coſs. id eſt ſi ſummam Livianam audiamus, an. DCI ſic enim ſcriptum eſt in epitoma libri XLIX. Altero & ſexcenteſimo an. ab U. C. L. Marcio, & MP. Manilio coſs. tertium bellum Punicum cœptum. Diti patri ludi ad Tarentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti, qui centeſimo anno primo Punico bello, quingenteſimo & altero ab U. C. anno facti erant. Non ergo ignoravi, ut ais, Livium de ſæcularibus ludis loquutum, ne-

neque admonitione Patavina, ſed meo domeſtico conſilio adductus ludos ſæculares omnes dimovi. Quòd autem me culpas, quòd ſecundos ludos ſub conſulatum M. Valerii Corvi, & C. Pœtelii ex auctoritate librorum XVviralium ſubjecerim, & putas hiſtoricorum potius, quàm XVviralium librorum auctoritate ſtandum eſſe, ego te errare exiſtimo. Etenim de re pontificia ego libentius pontificales libros, quàm alium quenquam audiam. Nam quos ais Cenſorinum ſecundos ludos in conſulatum M. Valerii, & Sp. Virginii anno CCXCVII. contuliſſe, vehementius etiam falleris; non enim tum de ſecundis, ſed de primis loquitur Cenſorinus, ut poſt ex XVviralibus libris oſtendam. Quòd autem objicis de ludis tertiis, me in eum annum illos rejeciſſe, cujus nulli extent auctores, fateor; verum illa cauſſa fuit, de qua initio dixi; cum putarem ſub conſulibus eos eſſe ponendos, nec poſſem eos ex Livii ſententia in conſulatu P. Claudii, & L. Junii, nec ex XVviralibus libris in conſulatu P. Lentuli, & C. Licinii collocare, quòd per ea tempora marmora Capitolina integerrima ſint, nec patiantur, ne verbum quidem, ne dum tot verſus inter conſules interponi, coactus ſum, ubi primum marmoris fragmentum repperi, conſtituere. Libentius autem certe etiam in hoc XVvirales libros ſequutus eſſem, ſi potuiſſem. Verſus autem, qui interjiciendi erant, hi ſunt:

LVDI SÆCVLARES TERT.
M'. AIMILIO M'. F. MAGISTR. XVIR.
M. LIVIO M. F. M. N. SALINATORE.

quos è regione Lentuli, & Licinii conſulum nunc ei ponendos eſſe credo, qui ludos hos aſcribere velit. Quare non eſt, quòd tu delirans ſuſpiceris, me quòd per eos annos M. Livii Salinatoris, & M. Æmilii Paulli conſulum mentio pueriliter fieret, adductum eſſe, ut in ea tempora hos ludos conjicerem; ſciebam enim jampridem magiſterium XVvirale nihil ad conſulatum pertinere. Nam quod vitio vertis, me auctoritatem XVviralium librorum ſequutum quartos ludos in conſulatum Lepidi, & Oreſtis transtuliſſe, cum potius in Marcii, & Manilii conſulatum ex Livii ſententia eſſent rejiciendi, reſpondeo, primum, malle me in hac re, dum poſſum, XVvirales libros, quàm Livium ſequi; in quibus ſummam video annorum conſtantium juxta Horatii verſum & Auguſti ſententiam conſervari; deinde, ne, ſi voluiſſem quidem Livium ſequi, potuiſſe. Nam illa tempora, quæ in Marcii & Manilii conſulatum incurrunt, quanquam aliqua ex parte debilitata, tamen ita integra ſunt, ut ſatis oſtendant, non poſſe verſus aliquot de ludis ſæcularibus inter conſules interponi. Quod autem alio loco ais, non fuiſſe, quòd angerer in enumerandis annis centum adeo exquiſite, quamvis ne id quidem ſcierim, aut ſi ſcierim, non potuerim tamen Livii locum confirmare, reſpondebo tibi primum de num. centeſimo, deinde de Livii loco. Ego exiſtimo Robortelle, ſi ſecundi ludi in annum, quo M. Popillius cos. fuit, teſte Zoſimo, inciderunt, tertii in conſulatum P. Claudii, & L. Junii, quarti in conſulatum L. Marcii, & M'. Manilii, atque hi ſunt anni apud Livium CDI. DI. DCI. idque ſine ulla correctione, aut muta-

A tione vulgatorum librorum, ſatis me probaſſe, ex Livii ſententia ludos ſæculares centeſimo quoque anno relatos; ſiquidem ego à CDI. uſque ad DI. centum annos numerare ſoleo, ut à DI. uſque ad DCI. alios centum. Nam quod ais, non ſemper expectatos eſſe annos centum? quòd ex eo intelligi poſſit, quia alii auctores à Livio, qui numerum centeſimum intulit, diſſentiant, quid me hoc torquet, dummodo conſtantiam hanc in opinione Liviana inveniam, ut in XVvirali illam alteram, quòd centeſimo decimo quoque anno relati ſint? & ſi quæris, unde tanta annorum in his edendis ludis varietas nata ſit, te docebo, qui hoc, ut multa alia, confiteris te B ignorare: Docebo autem te quæ non tam ego, quàm Onofrius Panvinius vir in obſervanda omni antiquitate diligentiſſimus, & ſummo ingenio præditus exiſtimet: Scribit Acro in ſæculare carmen Horatii ita: Sæcularis carminis duplex devotio eſſe conſueverat; aut enim pro ſedanda, aut pro vitanda peſtilentia, aut pro certo, & conſtituto numero annorum; centeſimo enim decimo anno in Capitolio à pueris, & puellis impuberibus cantabatur. Si ergo duplex fuit devotio carminis ſæcularis, ergo etiam ludorum ſæcularium fuiſſe facile exiſtimari poteſt; ita ut alii ordinarii eſſent, qui certo tempore, & conſtituto referrentur, ut qui centeſimo decimo quo- C que, vel centeſimo anno fiebant, ut dixi; alii vero, qui extra ordinem pro re nata ſedandæ, vel vitandæ peſtilentiæ cauſſa, ut illi, quorum alii ſcriptores fortaſſe meminerunt. Quare non eſt, quòd tu inconſtantiam in annis horum ludorum labores invenire, cum ignores tempora, cauſſas non diſtinguas, & annalium varietatem non accipias, ſed omnia monimenta, omnia ſæcula, omnes cauſſas, cœlum denique, & terram omnem una norma, atque una regula metiaris. Et quoniam in hac diſputatione iiſdem auctorum locis uſi ſumus, tu autem arte tua, tanquam Proteus, è manibus elabi meis conaris, non patiar te id facere, atque impune, vel Epitomen, vel D Cenſorinum pro tuo arbitrio, ut me oppugnes, depravare; ex quo etiam intelligere poteris, an ego tuam aliquando auctoritatem ſequutus ludos ex faſtis conſularibus ſæculares exemerim.

Locus eſt in epitoma XLIX. qui in vulgatis libris ita legitur: Diti patri ludi ad Tarentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti, qui anno primo Punici belli, quingenteſimo & altero ab urbe condita facti erant. Hunc ego locum ita ex manuſcriptis multis libris emendavi, ſed maxime ex uno, quem ego poſſideo, & tibi, cum voles, commodabo. Qui anno centeſimo, primo Punico bello, quingenteſimo & altero ab U. C. E facti erant. Hic illud centeſimo improbas; quod ego ita confirmo. Bellum Punicum tertium Marcio, & Manilio coſs. cœptum eſt anno altero & ſexcenteſimo ab U. C. ut ſcriptum eſt in hac epitoma; iiſdemque coſs. quarti ludi ex Livii ſententia Cenſorino teſte, & epitoma conſentiente facti ſunt, ergo quarti ludi anno altero & ſexcenteſimo ex Livii ſententia facti ſunt.

At P. Claudio, & L. Junio coſs. ex Livii ſententia tertii ludi, ut ait Cenſorinus, facti ſunt, qui annus in DI. ab U. C. incidit, ergo ludi Diti patri centeſimo ante anno facti erant ante tertium Punicum bellum, cujus

pri-

primo anno etiam facti eſſe dicuntur. Quod ſi hanc expoſitionem non accipis, dic, qui centeſimo anno facti erant, id eſt, qui ſuo & legitimo anno, (is erat ex Livii ſententia centeſimus) facti erant. Quod ſi tu ne hanc quidem vel correctionem librorum diſſertiſſimam, vel interpretationem ſplendidiſſimam probas, quanto minus ego probare debeo tuas; qui cum quingenteſimum, & ſexcenteſimum alterum pro quingenteſimo, & ſexcenteſimo ſecundo interpreteris, deinde ſine ulla librorum auctoritate, quingenteſimum, & ſexcenteſimum quartum reponis; inani hac conjectura ductus, ſcriptum fuiſſe DIV. & alteram literam V deletam eſſe altero crure, & factum eſſe DII. unde poſtea ſcriptum eſſe altero & quingenteſimo; quod ipſum cum ais, non conſiderare, ſed ſortiri, quid dicas, mihi videris; an vero tu meis manuſcriptis libris fidem non habebis, ego tuis ſomniis habebo? qui inquis legendum eſſe: Qui ſexto decimo anno primi Punici belli: quòd ii conſules in ſextum decimum annum ejus belli inciderint; neque in quos te errorum laqueos inducas, animadvertis? Sed de epitoma hactenus; nunc ad Cenſorinum veniamus; cujus tu verba cap. XIII. corrigendo ita depravaſti, ut ſyncerae ſententiæ ſimulacrum nullum reliqueris. Verba ea in vulgatis Aldinis ita leguntur: Primos ludos ſæculares exactis regibus cum poſt Romam conditam annis CCLV. à Valerio Publicola inſtitutos eſſe ad XL virorum commentarios, anno CCLXXXIX. M. Valerio Sp. Virginio coſs. anno poſt urbem conditam VIII. & XL. ut vero in commentariis XIIvirorum ſcriptum eſt, anno CCCC. & X. M. Valerio Corvino, & C. Pœtilio coſs. Tertii ludi &c. Hæc verba ita ex ingenio, quo, ut conſtat, excellit, emendat Robortellus. Primos ludos ſæculares exactis regibus conſtat poſt Romam conditam annis CCXLIX. à Valerio Poplicola inſtitutos eſſe ad XLvirorum commentarios. (Secundi autem ludi fuerunt, ut multi tradunt,) anno ab urbe condita CCXCVII. M. Valerio M'. F. Voluſi N. Maxumo, Sp. Virginio coſs. anno poſt urbem conditam CCXCVII. ut vero in commentariis XVvirum ſcriptum eſt anno CCCCVII. M. Valerio Corvo, & C. Pœtilio coſs. Hæc ille; nunc ejus enumeremus errata. Primum putat primos ludos non in primo Poplicolæ conſulatu factos, ſed in quarto, & iccirco mutat annum CCXLV. in CCXLIX. quanquam debuit potius, ſi quartum ſpectabat conſulatum CCL. ſcribere; nam quartus conſulatus Poplicolæ ad Livianam, & Dionyſianam ſummam, ut ſupra oſtendi, cadit in annum CCL. Deinde, quòd non agnoſcens mendam, ait inſtitutos eſſe ad XLvirum commentarios; cum nulli tum fuerint XLviri; fuerunt enim librorum Sibyllinorum cuſtodes primum duumviri Sibyllini, poſt Xviri, tum XVviri; atque inde XVvirum libri, & commentarii dicti; tertio, quòd addens hæc de ſuo: (Secundi autem ludi fuerunt, ut multi tradunt,) confundit primos ludos cum ſecundis; nam qui anno CCXCVII. facti ſunt, non ſecundi fuerunt, ſed primi, ut XVvirum libri tradiderunt; quemadmodum & ſupra dixi, & infra apparebit; quarto loco, quòd numerum CCXCIX. corrumpit, & facit CCXCVII. dirigit enim ſummam aliorum ſcriptorum ad Capitolinam, ſine cauſſa; quinto quòd bis ejuſdem anni numerum apponit primum ita: anno ab urbe cond. CCXCVII. deinde ita: anno poſt urbem conditam CCXCVII. nec attendit priorem numerum ad primos ludos pertinere, poſteriorem ad ſecundos, quem tamen mirifice depravavit, cum pro VIII. & CD. repoſuit CCXCVII. Sexto, quod M. Valerio M'. F. Voluſi N. Maxumo ex lapidibus Capitolinis ſine cauſſa intulit, cum M. Valerio, ut ſcripſit Cenſorinus, ſatis eſſet; poſtremo quòd CCCCX. in CCCCVII. eodem imbutus errore mutat. Quare ego ita emendo: Primos ludos ſæculares exactis regibus conſtat poſt Romam conditam annis CCXLV. à Valerio Poplicola inſtitutos eſſe, at ex XVvirum commentariis (anno CCXCVIII. M. Valerio, Sp. Virginio coſs.) Secundi facti ſunt Livio & Antiate auctoribus M. Fabio, & M. Popilio coſs. anno poſt urbem conditam VIII. & CD. ut vero in commentariis XVvirum ſcriptum eſt, anno CCCCIIX. M. Valerio Corvino, & C. Pœtelio coſs. Hæc ita ſe habere, hinc colligere poſſumus, quòd de ſingulis ludis diverſæ opiniones referuntur; extrema autem ſemper XVviralium librorum eſt; ut poſt in tertiis, & quartis ludis apparebit. Cum autem primos ex XVviralibus libris ſcriptum ſit factos an. CCXCIX. ſecundos anno CCCC. & X. tertios anno duodevigeſimo & quingenteſimo, quartos anno DCXXIX. malim, ut ſervetur conſtantia centeſimi decimi anni, legi CCXCVIII. & CDIIX. DXIIX. DCXXIIX. neque enim M. Valerius, & Sp. Virginius anno CCXCIX. inire potuerunt, cum primi conſules anno CCXLV. inierint; neque ullæ ſupputationes ſunt, quæ eam rationem & ſummam tueantur; præterea in ſecundis ludis videtur veriſimile ex CCCCIIX. factum eſſe mendoſe CCCC. & X. nam de tertiis non eſt dubium; ſcriptum eſt enim diſerte D. duodevigeſimo. Atque etiam, ſi in faſtis hi conſulatus mira conſtantia CCXCVII. CCCCVII. DXVII. DCXXVII. nominantur, videtur veriſimile, ut in hac ſumma quæ Pliniana eſt, & anno uno Capitolinam antecedit, ea conſtantia cuſtodiatur; deſiderari nomina auctorum Livii, & Antiatis maxime puto, qui concordes in tertiis, & quartis citantur; itemque nomina conſulum, quæ ex Zoſimo ſupplevi; anni numerum Livianum, id eſt CDI. non aſcripſi, quia Cenſorinus, non ut Livium ludorum facit auctorem, ita Livianam etiam affert annorum ſummam; quòd poſt etiam quartos ludos ex auctoritate Livii edat in conſulatum Marci, & Manilii, anno DCV. cum DCI. ad ſummam Livianam eſſet ſcribendum, DCV. autem ſit ad ſummam Plinii & Ciceronis, quam plerique hoc tempore, ut Glareanus in ſua Chronologia, ſequuntur. Itaque eum numerum, quòd divinare nolui reliqui. Tranſeamus ad alia. Deinceps ſic vulgo legitur: Tertii ludi fuerunt Antiate, Livioque auctoribus, P. Claudio Pulchro, L. Junio Pullo coſs. anno D. duodevigeſimo, P. Cornelio Lentulo, C. Livio Varo coſs. Robortellus ita legit: Tertii ludi fuerunt Antiate, Livioque auctoribus, P. Claudio Pulchro, L. Julio Pullo coſs. anno DIV. vel ut alii anno DXVII. P. Cornelio Lentulo, C. Licinio Varo coſs. Hic Robortellus in ſua permanens ſententia P. Claudium, & L. Junium conſules an. DIV. conſules fuiſſe ait, cum tamen DV. ſit reponendum ex eo quod ſequitur, L. Marcio, M'. Manilio coſs. anno DCV. ſi enim

illi conſules anno DCV. fuerunt, ut Pliniana, & Ciceroniana docet ſumma, & hi DV. fuerunt. Præterea non animadvertit poſt Antiatis, & Livii opinionem recitari XVviralium librorum ſententiam, quod ex numero annorum perſpicitur, DXVIII. etenim centeſimo decimo relati ſcribuntur. Itaque ego ſic emendo. Tertii ludi fuerunt, Antiate, Livioque auctoribus, P. Claudio Pulchro, L. Junio Pullo coſs. anno ab U. C. DV. ut in XVvirorum autem commentariis ſcriptum eſt anno D. duodevigeſimo, P. Cornelio Lentulo, C. Licinio Varo coſs. Pergit deinceps Cenſorinus in vulgatis ita: De quartotum ludorum anno triplex opinio eſt. Antias enim & Varro, & Livius relatos eſſe prodiderunt L. Marcio Cenſorino, M'. Manilio conſulibus poſt Romam conditam anno DCV. at Piſo Cenſorius, & Cn. Gellius, & Caſſius Hemina, qui illo tempore vivebat, poſt annum factos tertium affirmant Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico coſs. id eſt DC. anno III. In XVvirorum autem commentariis notantur ſub annis DCXXIX. Æmilio Lepido, & L. Aurelio Oreſte coſs. Hic Robortellus numerum anni DCV. non mutat, cum tamen ad calculos ſuos, id eſt Capitolinos, is annus ſit DCIV. alterum DCIII. mutat in DCVIII. tertium corrumpit; nam per DCXXIX. reponit DCXXVII. nec videt, ſi Marcius, & Manilius anno DCV. conſules fuerunt, Lentulus vero, & Mummius anno DCVIII. Lepidum & Oreſtem neceſſario futuros anno DCXXIIX. Itaque aut priores numeri erant mutandi, aut poſtremus prudentius corrigendus. Sed ille in Sigonium unum defixus, quæ ante oculos erant, non vidit. Adde quòd vivebant, non vivebat fuit ab eo corrigendum; nam & Piſo Cenſorius, qui Frugi dictus eſt, eo tempore vixit; ſiquidem paulo poſt conſulatum, & cenſuram, unde Cenſorius dictus eſt, cepit; qui locus eſt à me pluribus in faſtorum commentario perpurgatus. Eſt etiam alter Cenſorini locus eodem capite poſitus, quem ille corrigit capite X. Verba vulgo ita leguntur: Teſtis eſt Piſo, in cujus annali ſeptimo ſic ſcriptum eſt. Roma condita anno DVII. ſeculum accipit his conſulibus, qui proximi ſunt conſules M. Æmilius M. F. Lepidus. C. Pompilius II. abſens. Ille ita emendat. Roma condita anno DXXI. ſeculum accipit his conſulibus, qui proximi conſules ſunt, M. Æmilius M. F. M. N. Lepidus, M. Poplicius L. F. L. N. Malleolus; quod tandem hoc portentum eſt Robortelle? Unde annum DXXI. & remotiſſimos conſules M. Æmilium Lepidum, & M. Poblicium Malleolum extraxiſti? an ignorabas in faſtis Capitolinis anno DXCV. M. Æmilium M'. F. Lepidum, C. Popilium P. F. Lænatem II. atque eos à Piſone eſſe intellectos. Potuit enim ille eos proximos conſules vocare, quippe qui tribunus pleb. fuit Marcio, & Manilio coſs. anno vel DCI. ut Livius, vel DCIV. ut faſti, vel DCV. ut Plinius, & Cicero exiſtimarunt. Manilius verò & Popilius conſulatum decennio ante geſſerunt; at quomodo ſeculum accepiſſe Romam proximis conſulibus dici potuit, iis, qui anno DXXI. fuiſſent? An nos deludere Robortelle auctoritate iſta tua putas? pueros tuos deludere potes, quib. hæc tradis, & hoc modo, quemadmodum tu quodam in loco dixiſti; prudenti certe nemini te aliquid non dico ſcire, ſed ſapere, ſi hæc narrabis, perſuadere poteris. An enim credis te P. Valerio primum conſule primos ludos factos cap. V. probaſſe, aut hos ludos è faſtis, ideſt ab hiſtoria R. eximendos cap. VI. non fuiſſe, meque eos, quia Livius primorum ludorum non meminiſſet, removiſſe? aut cap. VII. VIII. & IX. recte te locum epitomæ, quem ego libris manuſcriptis ducibus emendaram, reſtituiſſe? aut cap. X. ſeculares ludos centeſimo, vel centeſimo decimo quoque anno factos non eſſe? aut cap. XI. XVvirales libros in his ludis diſpenſandis attendendos non eſſe? aut cap. XII. & XVI. veram te cauſſam, cur ludos tertios in illos annos rejecerim, attuliſſe? aut cap. X. XI. & XIII. quòd ex auctoritate XVviralium librorum ludos ſecundos & quartos diſpoſuerim, jure vitio vertiſſe? aut cap. X. & XIV. pulcherrimos Cenſorini vultus fœdaſſe, & nitidiſſima ora merito conſpurcaſſe? non certe; non probaſti cuiquam; quis enim te poſſet aut in tota hac ludorum ratione balbutientem audire? aut in temporum deſcriptione titubantem perferre? aut in controverſiis auctorum dijudicandis vacillantem probare? aut quis te denique nihil ſine ſumma auctorum pernicie, atque exitio confirmantem non aſpernaretur merito, atque reſpueret? Quamobrem deſine alteri maledicere, Robortelle, ne aſperiora multo contra audias, non quidem à me: neque enim mei hoc mores patiuntur, ſed ab iis, qui meis inſtructi rationibus te tum ſine ſenſu fuiſſe arbitrantur, cum in animum, ut hæc ſcriberes, induxiſti; quid autem aliud putas Patavinas ipſas ſcholas eſſe facturas? ſubſellia mehercule ipſa, quæ ſæpius tuas, ut præ te fers, in me contumelias ægerrime audierunt, ſi tu his de rebus poſthac verbum feceris, ſtrepitu, clamore, ſibilis, ac prope tonitruo perſonabunt. Deſine igitur hanc artem, deſine, quam infelicibus, ut video, nimis auſpiciis inchoaſti; figuras autem orationis, in quibus te docendis ajunt excellere, tracta, atque doce; ita tamen, ut eas nullo unquam tempore, nulla unquam in te uſurpes; neque enim tuum eſt, figurate dicere, ſed, ut dixi, figuras exterminare; antiquitatem, mores, inſtituta, hiſtorias, vetera tempora, interiores ipſas, & eleganti homine dignas literas, quarum tu nullum ſenſum habes, neque ut video, habere potes, aliis concede.

IN CAPUT XV.

Luſtrum V. VI. VII. ab urbe condita unde confirmatum; & quomodo Græci luſtrum dixerint, demonſtratum.

Luſtrum quintum ego conjeci in conſulatum P. Valerii Poplicolæ conſulis II., & T. Lucretii in faſtis Capitolinis; reprehendit id factum Robortellus cap. XV. hoc modo: „ Livius nullum de luſtro verbum facit. „ Dionyſius cenſum actum prodit, luſtri non „ meminit; ergo imperite Sigonius, qui luſtrum notavit, cum cenſum deberet; ne„ que enim efficitur, ut quia cenſus actus eſt, „ luſtrum etiam factum ſit; ut Livius libro „ III. Cenſus actus eo anno; luſtrum propter „ Capitolium captum, conſulem occiſum condi „ religioſum erat. Egregie Robortellus, & docte. Nunc quæro ab eo, an legerit in fragmentis Capitolinis anno CCLXXIX. ab U.C. lu-

luſtrum VIII. factum eſſe? legit enim ſine dubio. Si ergo illo anno luſtrum octavum factum eſt, perquirenda ſunt ſeptem ſuperiora, quibus annis condita ſunt. Ac Ser. quidem Tullium regem, qui luſtrum inſtituit, quater luſtrum feciſſe ſcribit Valerius lib. III. Superbum regem nullum cenſum feciſſe (erat autem luſtrum cenſendi populi finis) tradit Dionyſius. Ergo ab anno CCXLV. quo primi conſules inierunt, teſte Dionyſio, uſque ad annum CCLXXX. tria luſtra condita ſunt. Cum ergo Dionyſius auctor ſit, anno CCXLVI. & CCLVI. & CCLXI. cenſum actum eſſe, luſtri vero neque ipſe, neque alius quiſquam meminerit, nonne neceſſario intelligendum eſt, Dionyſium pro cenſu luſtrum etiam accepiſſe? Nam Dionyſius nunquam luſtrum nominavit; ſemper autem cenſum, cum alii luſtrum. Etenim & octavum luſtrum, cujus faſti meminerunt, & decimum, & decimum octavum, quorum Livius, ille τίμησιν, id eſt, cenſum libro primo, & ſexto vocavit. Huc adde Euſebium in temporibus, qui & hæc luſtra, & alia omnia, quorum meminerit, cenſus appellavit, quem niſi tu, quanquam aliqua ex parte mendoſum, contempſiſſes, haud profecto in hunc errorem incurriſſes. Nam quòd me quodam in loco Euſebii, quem depravatum dicis, ſtudioſum eſſe opponis, ſic habeto, maluiſſe me ſemper Euſebii tempora etiam depravata aliquo cum judicio obſervare, quàm, ut tu, Liviana integerrima ſine ullo judicio depravare. Si ergo ad octavum luſtrum pervenire non poſſumus, ſi tria hæc luſtra, quos Dionyſius, & Euſebius Græci ſcriptores cenſus vocarunt, prætereamus, quid ais acutiſſime Robortelle, aut cur hoc unum ex præclaris illis tuis Patavinis caſtigationibus, quod mihi in maledictis objiceres, elegiſti? doce quomodo Dionyſius, quomodo Euſebius luſtri vocem græca voce expreſſerint, doce quo anno luſtrum V. VI. & VII. factum ſit, ſi eos annos, in quos ego illa conjeci, non probas; niſi hoc facias, animadverſiones illas, quas jactas, tuas inanes ac commentitias fuiſſe exiſtimabo, cum hæ, quas ut ex omnibus maxime excellentes legiſti, vix aniculæ lucubratione videantur dignæ. Neque enim unquam in faſtis Capitolinis cenſus, ſed ſemper luſtrum notatum eſt. Sed ſi me audies, nullum in poſterum de luſtro, nullum de ludis, nullum de numerandis annis, nullum de emendando ſive Demoſthene, ſive Aſconio, ſive Livio verbum facies.

IN CAPUT XVII.

Nomina aliquot mulierum R. non cognomina eſſe, ſed prænomina; & Q. Claudiam Ap. Cœci non fuiſſe filiam; & Valerii locus emendatus.

HOc loco quæſtionem de feminarum prænominibus interpoſuit, quam poſt ſecundo libro VIII. capitibus, ut errores Sigonianos propagaret, iterum diligentius perpurgavit. Nunc igitur & nos ad hæc levius; poſt autem ad illa aliquanto ſubtilius. Ego Cæſelliam, Rutiliam, Rhodocillam, Murculam, Burram prænomina fuiſſe mulierum à colore ducta auctore Valerio ſcripſeram, negat hoc Robortellus, & vitioſum eſſe Valerium ait. Ego, cum de prænominibus feminarum diſputarem, Varronis, & Valerii au-

A ctoritatem oppoſui, exempla verò Tertiæ Æmiliæ, Quartæ Hoſtiliæ, Q. Claudiæ, quæ florente rep. floruerunt, protuli, ille tamen negat me exemplum ullum ex temporibus reip. mutuatum. Ego Fauſtum prænomen, itemque Fauſtam ex Valerii ſententia, præterea Paullam Valeriam, Tertiam Juniæ, Quartam Hoſtiliæ, Quinctam Claudiæ prænomina eſſe ex Varronis ſententia aſſerueram, negat ille. Rationem vero cur Varronis, aut Valerii, aut aliorum auctoritatem contemnat, affert nullam. Scilicet putavit Robortellum potius in hac quæſtione, quàm Valerium, quàm Varronem, quàm ceteros, quos emendatione ſua libro ſecundo repugnantes ad ſe attracturus eſt, audiendum eſſe.
B Cum igitur ille ratione pugnabit, tum & nos ratione reſiſtemus. Interim valere debere veterum potius, quàm ejus auctoritatem cenſemus. Quod autem reliquum ille extremo hoc capite ſcripſit, quàm conſiderate ſcripſerit, videamus. Verba ejus ſunt: „ Apud Ciceronem in orat. pro M. Cœ„ lio, & de reſponſis aruſpicum Q. Claudiam „ ſcio legi, ſed non Q. ut prænomen eſſe vi„ deatur, debet ſcribi, verum Quintam. Fuit „ enim una ex filiabus Appii illius Cœci, de „ quibus etiam Cicero loquitur in lib. de ſe„ nectute, cum ait: Quatuor robuſtos filios, „ & quinque filias Appius regebat, & ſenex, „ & cœcus. Hunc doctrinam, ſi quis ab eo
C quærat, unde acceperit, profecto ſe non aliunde, quàm à Sigonio ſuo hauſiſſe, unde multa alia, reſpondebit. Hoc enim ſe ſuſpicari ſcripſit olim etiam Sigonius. Ut autem id fieri non poſſit, & ut ſenex à puero ſe induci permiſerit, attendamus. Habuit, inquir, Appius Cœcus quinque filias auctore Cicerone, ergo Quinta Claudia erat Appii Cœci filia: non eſt ſatis; eſt enim videndum an filia Ap. Cœci Claudia tandiu vivere potuerit, ut bello Punico ſecundo interfuerit. Atqui Appius cenſuram geſſit anno poſt R. C. CDXLII. conſulatum priorem anno CDXLVI. poſteriorem CDLVI., quo igitur tempore volumus Quintam Claudiam ab eo eſſe genitam? extre-
D mis etiam temporibus, id eſt, poſt alterum conſulatum concedamus, exempli gratia anno CDLX. Tum enim admodum ſenem Appium fuiſſe ſuſpicari poſſumus, quòd viginti ante annos cenſor fuerat. Si ergo Q. Claudia anno CDLX. nata eſt, matrem autem Idæam ſecundo bello Punico M. Cornelio Cethego, & P. Sempronio Tuditano coſs. anno ab U. C. DXLIX. in urbem, & quidem integerrima, ut apparet, ætate vexit, ergo tum annos nonaginta erat nata; an autem ejuſmodi miniſterii laborem tantæ ætatis feminæ traditum eſſe probandum ſit, alii viderint. Nam male de pudicitia audire ea ætate mulier, qui poſſit, ego non video. Sic enim de ea ſcribit Livius
E lib. XXIX. Matronæ primores civitatis, inter quas unius Claudiæ Quinctæ inſigne eſt nomen, accepere; cui dubia ante fama clariorem ad poſteros tam religioſo miniſterio pudicitiam fecit; & Lactantius libr. II. de origine erroris cap. VIII. Cum ex libris Sibyllinis Idæa mater eſſet accita, & in vado Tiberini fluminis navis, in qua vehebatur, hæſiſſet, nec ullo modo, aut ulla vi commoveretur, Claudiam ferunt, quæ ſemper impudica eſſet habita ob nimios cultus, Deam ſubmiſſis genibus oraſſe, ut ſi ſe caſtam judicaret, ſuum cingulum ſequeretur. Ita navim, quæ ab omni juventute non valuit commoveri ab una muliere eſſe com-

commotam. Et in libro de viris illuſtribus: Tum Claudia virgo Veſtalis falſo inceſtu ſuſpecta, Deam oravit, ut ſi pudicam ſe ſciret, ſequeretur. Neque vero Cicero in Cœliana, cum eam Appii Cœci progeniem appellavit, filiam intellexit. Sic enim apud eum Cœcus ipſe loquitur: Nonne te ſi noſtræ imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea Q. illa Claudia æmulam domeſticæ laudis in gloria muliebri eſſe admonebat? Nam progenies de nepotibus, & poſteris frequentius dicitur, quàm de filiis; ut illud in epiſtola ad Octavium: Audiet Brutus eum populum, quem ipſe primo poſt progenies ejus à regibus liberavit, datum in ſervitutem. Quod autem ait apud Ciceronem legi oportere Quintam, non Q. Claudiam, neſcio, cur id faciendum eſſe contra manuſcriptos libros exiſtimet. Habeo quidem multos Valerii manuſcriptos libros, in quibus libr. I. cap. VIII. Q. Claudia legitur, ut etiam in impreſſis, cum ait: Q. Claudiæ ſtatua in veſtibulo Templi Matris Deûm poſita, bis ea æde incendio conſumpta intacta ſtetit. Sic enim legendum eſt, non Q. Claudii, ut paſſim in omnibus & impreſſis, & manuſcriptis legitur.

IN CAPUT XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII.

Sequitur caput XVIII. in quo uſque ad XXVII. de nominibus Romanis adverſus me diſputatur; quorum capitum defenſionem in ſecundum librum mihi rejiciendam duxi, ubi latius in librum de nominibus Robortellianum diſputo, ut uno quaſi corpore hæc tota nominum quæſtio tractaretur. Me enim ordo maxime delectat, ut Robortellum confuſio. Itaque capitibus ejus, quæ nullum habent ordinem, vix ordinatim reſpondere poſſum. Hoc autem hoc in loco volui aſcribere, tum ut ne quis quidquam à me præteritum eſſe exiſtimaret, tum vero, ut ſi quis defenſionem horum maledictorum cognoſcere cuperet, ubi quærenda ea eſſet, ne ignoraret.

IN CAPUT XX.

Leges Papias duas fuiſſe; quæ vis earum fuerit; quando latæ ſint; errores aliorum in iis patefacti. Ciceronis, Valerii, Feſti loci aliquot declarati, & emendati.

Hoc capite de nominibus diſputat; cujus rei refutatione in ſecundum librum rejecta, tantum quod ille de lege Papia ſcribit, excutiam. Inquit enim: „ Papia lex fuit, quæ „ peregrinos à jure civitatis R. repellebat; „ ut Cicero explicat in libr. de offic. & Va„ lerius Maximus lib. III. cap. IV. in exem„ plo de Perpenna, quem ait ante fuiſſe con„ ſulem, quàm civem, quoniam ipſius pater „ irrepſerat clam in civitatis Rom. juris poſ„ ſeſſionem. Ex his verbis apparet, ipſum legem Papiam unam facere; atque de eadem Ciceronem, & Valerium loqui putare, neque legis ipſius ſententiam perſpicere, credo quod apud eos, qui de legibus ſcripſerunt, quorum ipſe ſtudioſiſſimus eſt, nihil tale invenerit, neque ipſe aliquid per ſe intelligere ſine aliena præmonitione poſſit. Dico igitur, Papias leges has duas eſſe, neque eandem Ciceronem, & Valerium intellexiſſe, neque utriuſque vim eandem fuiſſe. Unam enim fuiſſe de civitate, alteram de urbe, vel unam de civibus, alteram de peregrinis; ipſum autem utranque confudiſſe; id autem ita eſſe demonſtremus. Lex ante fuerat Claudia anno ab U. C. DLXXVI., auctore Livio, lata, quæ ſocios in ſuam quenque civitatem redigebat. Poſt hanc ſequuta eſt Papia, quæ quo anno lata ſit, parum liquet. Hac autem damnatus cum ſit M. Perpernæ pater, ejus, qui conſul fuit anno DCXXIII., non multis ante annis videtur lata; de hac ita Valerius: M. Perperna coſ. antequam civis; cujus enim vita triumphavit, mors Papia lege damnata eſt. Namque patrem illius nihil ad ſe pertinentia civis Rom. jura complexum, Sabelli judicio petitum redire in priſtinas ſedes coëgerunt. Meminit ejuſdem etiam legis Cicero, ut opinor, in Corneliana, cum ait: Cum judices præ ſe ferrent, palamque loquerentur, quid eſſent lege Papia de M. Craſſo Mamertinis repetentibus judicaturi, Mamertini publice ſuſcepta cauſſa deſtiterunt. Quibus ex verbis adducor, ut ſuſpicer, hoc amplius Papiam habuiſſe, quàm Claudiam, quòd Claudia niſi ſociis nominis Latini eſſet lata, hæc etiam peregrinis; cum eadem illi etiam fortaſſe libidine civitatis Rom. tenerentur. Siquidem Mamertini, quod oppidum Siciliæ eſt, hujus legis beneficio M. Craſſum, qui ſe Romæ pro cive gerebat, Meſſanam revocare conati ſunt. Nam quòd ait Valerius, Perpernam triumphaſſe, ad triumphum, quem ex Sicilia bello ſervili profligato tulit, ipſum arbitror reſpexiſſe. Hæc igitur de civitate lex illis lata temporibus eſt. At vero anno ab U. C. DCXXCVIII. Cotta, & Torquato coſſ. biennio ante, quàm Cicero conſul eſſet, altera Papia lata eſt à C. Papio tribuno pleb. ne quis peregrinus in urbe eſſet; de qua ſic Dio lib. XXXVII. *χἀν αὐτῷ πάντες οἱ ἐν τῇ Ῥώμῃ διατρίβοντες πλὴν τῶν τὴν νῦν Ἰταλίαν οἰκούντων ἐξῄεσαν, γαίου τινὸς παπίου δημάρχου γνώμῃ*. Quam legem intellexit Cic. lib. III. de offic. cum dixit: Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eoſque exterminant, ut Petronius apud patres noſtros, Papius nuper; nam eſſe pro cive qui non ſit civis, rectum eſt, non licere, quam tulerunt legem ſapientiſſimi conſules Craſſus, & Scævola; uſu vero prohibere peregrinos ſane inhumanum eſt. Quis non videt duas hic leges ſignificari, unam de civitate, alteram de urbe; de civitate fuiſſe Claudiam, priorem Papiam, & poſt Papiam Liciniam Muciam? de urbe Petroniam, & Papiam poſteriorem; illam laudari à Cicerone, hanc reprehendi? illa cautum, ne quis ſe pro cive ferret, qui civis non eſſet, hac, ne quis omnino peregrinus in urbe Roma eſſet? Hanc autem Papiam intellexit etiam Cicero in oratione pro Archia: Quid? inquit, cum ceteri non modo poſt civitatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerunt? Civitatem enim datam ſignificat lege Julia bello Marſico, qua civitas ſociis, & Latinis data eſt. Eandem etiam legem intellexit in prima contra Rullum: Simillime, inquit, atque illa lege, qua peregrini Roma ejiciuntur, Glaucippus excipitur. Et quoniam de his legibus cœpi dicere, non occultabo etiam meam de Petronia lege ſententiam; quam nemo adhuc intellexit. Intelligendum eſt, locum Ciceronis de officiis mendoſe legi: Ut Petronius apud patres noſtros; nam in manuſcriptis, quos ego conſulto inſpexi,

xi, omnibus, legitur non Petronius, ſed Pennus; & rectè; confirmat enim hanc lectionem Feſtus, qui ſcribit: C. Gracchus in ea, quam ſcripſit de lege Penni de peregrinis, quanquam ibi etiam mendoſe vulgo legitur, non Penni, ſed P. Ennii. Hic eſt autem M. Junius Pennus; de quo ita Cicero in Bruto: C. Gracchum tuus gentilis Brute M. Pennus facile agitavit in tribunatu, paulum ætate antecedens. Fuit enim M. Lepido L Oreſte coſs. quæſtor Gracchus, tribunus Pennus; unde recte dixit Cicero; ut Pennus apud patres noſtros, Papius nuper; nam Pennus anno ab U. C. DCXXVII. tribunatum geſſit, Papius DCXXCVIII. at noſter hic alio loco dixit, Papiam legem latam eſſe à Papo Æmilio, qui cum Pyrrho rege bellum geſſit ut poſt oſtendam. Sed hæc, atque ejuſmodi alia ego ſecundo libro de Jure antiquæ Italiæ ſum complexus, quos tres in manibus habebam, mox editurus, cum acerbiſſimis Robortelli contumeliis impulſus totum illud opus relinquere coactus ſum; ſed mox intermiſſam induſtriam revocabo; neque enim ipſum niſi multo poſt tempore ad hæc reſponſurum, & me interpellaturum exiſtimo.

IN CAPUT XXVIII.

Cæſariani loci emendatio iterum reprehenſa; & de muralibus falcibus.

HActenus quo animi robore ad aliena decreta oppugnanda Robortellus accedat, cognovimus, nunc quo ad ſua defendenda, videamus. Emendaverat ille quondam locum Cæſaris; quam ejus emendationem cum ego non ſatis probarem, quid ſentirem, literis mihi biennio ante mandandum eſſe arbitratus ſum. Verba mea primum apponam, deinde, quid ille ad ea reſponderit, adſcribam; mea vero eo etiam libentius, ut quàm ego intemperanter in illum, quàm ille modeſte in me egerit, omnes intelligant; ſunt autem hæc: Hoc eos feciſſe pro amicitia, quæ mihi cum illis eſt, non moleſte mehercule tuli; auſos eſſe facete valde miratus ſum; cur enim non in alienis eos ſcriptis vituperandis tam acerbos eſſe, nulla præſertim laceſſitos injuria mirer; quos (ne ab hac ipſa antiquitatis emendatione recedam) præter ea, quæ proxime in libro de nominibus Romanorum contra veterum auctoritatem ſcripſiſſe arbitrarer, quod primum ingenii & ſtudii ſui ſpecimen ediderit, locum Cæſaris parum intelligentes miſerrime depravaſſe cenſerem; ſic enim in primo Annotationum ſuarum & libro, & capite ajunt. Cæſaris verba ſunt hæc libro III. de bello Gallico, ubi navalem pugnam cum Venetis deſcribit. Una erat magno uſui res præparata à noſtris, falces præacutæ, inſertæ, infixæque longuriis, non abſimili forma muralium falcium, his cum funes, qui antemnas ad malum diſtinebant, comprehenſi adducti que erant, navigio remis incitato prærumpebantur. Hunc igitur illi locum ſe reſtituiſſe putant, ſi ruralium falcium legerint, non muralium; ego contra, ut dixi, eos illum corrupturos eſſe puto. Significat enim Cæſar falces illas, quibus tum in re navali ſui uterentur, ſimiles iis fuiſſe falcibus, quæ ad muros urbium oppugnandos admoverentur; de quibus Vegetius libro III. ubi falces inter machinas numerat, quibus muri oppugnarentur,

A ita ait: De materia, ac tabulis teſtudo contexitur, quæ ne exuratur incendio, coriis, vel ciliciis, centonibuſque veſtitur; hæc intrinſecus accipit trabem, quæ adunco præfigitur ferro, quod falx vocatur ab eo, quòd incurvata eſt, ut de muro extrahat lapides. Item lib. III. Adverſus arietes, vel falces ſunt plura remedia; alii centones, alii culcitras funibus calcant, & illis apponunt locis, quà cædit aries, alii laqueis captos arietes per multitudinem hominum de muro in obliquum trahunt, & cum ipſis teſtudinibus evertunt. Item Cæſar libro VII. Singulari militum noſtrorum virtuti conſilia cujuſque modi Gallorum occurrebant; nam & laqueis falces avertebant, quas cum deſtinaverant, tormentis

B introrſus reducebant. Eodemque libro. Falcibus vallum, ac loricam reſcindunt. Quæ cum ita ſint, ego multo etiam meliorem futuram ſententiam puto, ſi Cæſar novas navales ſuorum falces cum uſitatis falcibus, quæ in terreſtribus oppugnationibus adhiberentur, quam ſi cum agreſtibus falcibus compararit. Accedit, quòd Dio libro XLIX ubi idem prælium navale Cæſaris cum Venetis exponit, & de his falcibus loquitur, δορυδρέπανα Græce vertit ſic: ὅπως γὰρ μηδ' αὖθις ποτε πνεύματα ναυσὶν ἐπιγενόμενον κινήσειεν αὐτὰς, δορυδρέπανα πόῤῥωθεν σφίσιν οἱ Ῥωμαῖοι ἐπέφερον, καὶ αὐτὰ χοινία αὐτῶν διέτεμνον, καὶ τὰ ἱστία διέσχιζον. Hæc autem

C δορυδρέπανα Julius Pollux inter navalis, & pedeſtris oppugnationis inſtrumenta numerat, inter ruſticæ vero rei non item. Sic enim ſcribit: τῶν δ' ἐμπλεόντων θώρακες, ἢ ἀσπίδες, κνημῖδες, κράνη, ξίφη, δορυδρέπανα. χεῖρες σιδηραῖ; & de pedeſtribus, δρεπάνη, δορυδρέπανον, πέλεκυς ἀμφίστομος de ruſticis autem δρέπανον, δρεπάνη, δίκελλα, ἄμη. Ex quo intelligi poteſt, eos, qui in lexicis Græcis δορυδρέπανα falces præacutas muralium falcium ſimiles ex Cæſare interpretati ſunt, recte feciſſe, contra atque iidem illi eodem loco admonent, qui & in lexicis, Ruralium, reponendum putant, neque intelligunt, Rutale, verbum Cæſari, ac bonis Latinis auctoribus prorſus inauditum, murale

D contra frequens eſſe. Dixit enim idem Cæſar pila muralia, & Plinius libro VII. machinam muralem; & Virgilius libr. XI. Murali concita nunquam Tormento ſic ſaxa fremunt. Hæc tum ago ad verbum. Ad quæ nunc ille, timidius aliquanto, quam ſolet, &, ut mihi videtur, paululum mente, atque animo perturbatus: „ Ratio me impulit hæc, „ inquit, ut crederem talem lectionem non „ eſſe contemnendam, quòd videbam longu- „ riis præfigi illas falces, de quibus loquitur, „ cum murales trabibus annecterentur. Egregie; quaſi verò dicat Cæſar murales ipſaſmet falces adhibitas eſſe, non autem falces non abſimili forma muralium falcium; & quaſi,

E cum murales trabibus infixæ ad muros admoverentur, eædem, ſi ad alium uſum, ut tum ad funes antemnarum incidendos, advocarentur, non etiam infigi longuriis poſſent. Addit deinde: „ Præterea, quòd animadver- „ tebam, præacutas à Cæſare appellari, quod „ ad incidendum ſpectat, cum talem uſum „ non præſtarent murales falces. Ad quod dico, muralem falcem præacutam neceſſario fuiſſe; neque enim ad extrahendos adunco roſtro lapides murum penetrare, ſi obtuſa, non præacuta fuiſſet, potuiſſet. Sed murales ſane falces præacutæ non fuerint, ſi illæ nauticæ falces, præterquam quod ceteris in rebus

muralium falcium erant ſimiles, etiam præacu-
tæ erant, nonne prærumpere funes poterant?
quanquam non tam quod præacutæ eſſent,
funes incidebant, quàm quòd roſtro curvato,
& acuto eſſent, quo funes comprehendebant,
& amputabant. Muralis autem falx, auctore
Vegetio, trabs erat adunco præfixa ferro.
Adjicit deinde: „ Huc accedit, quod Co-
„ lumella lib. IV. cap. XXV. rurales falces
„ deſcribit diligenter, earumque formam ta-
„ lem fuiſſe demonſtrat, ut facile credi poſſit
„ non abſimili forma fuiſſe nauticas illas.
Perinde quaſi, cum murales, & ruſticæ fal-
ces ſimiles ſint, non veriſimilius ſit, Cæſarem,
cum de oppugnatione navali ageret, ab oppu-
gnatione terreſtri, quæ uſitata erat, potius,
quàm è re ruſtica ſimilitudinem petiiſſe.
Concludit poſtremo aliquanto alacrius:
„ Quod ait Sigonius Ruralium non eſſe di-
„ ctionem antiquam, nec ullum ex veteribus
„ ipſam protuliſſe, errat. Nam Varro ea
„ uſus eſt in inſcriptione cujuſdam ſui libri.
„ Id ſi neſcit, quærat ſedulo, & inveniet,
„ etiam me tacente. Nec vero eſt, quod
„ more ſuo excutiat aut Nizolios, aut The-
„ ſauros, aut Doletos; ſic enim non inve-
„ niet; ſed ſi invenire non poterit, ego tum
„ demum demonſtrabo locum. Rogo te Ro-
bortelle per humanitatem, per literas, per ar-
tem emendandi tuam, per ſi quid carum ha-
bes in vita, ut me hoc onere quærendi libe-
res; nam præterquam quòd non eſt ejus, qui
neget, probare, ſed ejus, cui negatur; intel-
ligere potes, me intento ſtudio ad majora
quædam alia properare. Tibi autem certe
gratulor, quòd tam magno capite præditus
es, ut Nizolios, Theſauros, Doletos, Perot-
tos, Calepinos, & reliqua ejuſmodi Latinæ
linguæ monimenta omnia capite comprehenſa
geras, ita ut ea tibi mente, non manu excu-
tienda ſint; in quibus credo illud etiam inve-
niſti, quod ipſe nondum in meis reperire po-
tui, Ciceronem tempus futurum pro præteri-
to in oratione in toga candida uſurpaſſe.

IN CAPUT XXIX.

Ciceronis emendatio iterum reprehenſa; & de rogatore centuriarum, & ratione renunciandi.

EAdem ratione emendationem ejus alteram
ex II. lib. Ciceronis de oratore alias im-
probavi his verbis: Neque vero hunc locum
ſolum, ſed alterum etiam Ciceronis eadem
ratione, uti ego arbitror, corruperunt. Sic
enim lib. II. Annotationum cap. XI. loquun-
tur: „ Verba Ciceronis ſunt libro II. de
„ oratore, ubi agitur de ſalibus. Eſt autem
„ ex hoc genere vetus illud, quod ajunt
„ Maluginenſem illum M. Scipionem, cum
„ ex centuria ſua renunciaret Acidinum con-
„ ſulem, præcoque dixiſſet: dic de L. Man-
„ lio: virum bonum, inquit, egregiumque
„ cives arbitror. Puto igitur legendum: cum
„ ex centuria ſua renunciaret Acidinum præ-
„ co, dixiſſetque ſcilicet Maluginenſis. Re-
„ liqua patent. Præclarus igitur Ciceronis
„ locus erat obſcurus, ac corruptus ob unum
„ interpunctum perperam poſitum. Hæc illi.
Ego vero ne iſtam quidem emendationem
poſſum probare, quæ præclarum ſenſum Ci-
ceronis non obſcurare ſolum, ſed etiam, ut
dixi, corrumpere videatur; quem ſi expli-

A cuero, tum eos quoque in meam ſententiam
venturos eſſe confido. Eſt igitur hic ſenſus.
M. Scipio Maluginenſis ex ſua centuria con-
ſulem deſignatum L. Manlium Acidinum re-
nunciaturus, præconi, qui clara voce populo
eum ipſum deſignatum à ſua centuria decla-
raret, prævivit his verbis: ACIDINUS CON-
SUL; tum præco peritus moris Maluginenſem
admonuit, L. MANLIUM ab eo omitti, &
L. Manlium Acidinum dicendum eſſe demon-
ſtravit, inquiens: DIC DE L. MANLIO.
Tum Maluginenſis ad verbum, non ad ſen-
tentiam ſpectans, virum bonum, inquit, egre-
giumque civem eſſe arbitror. Quod ſi, ut illi
faciendum eſſe cenſent, legamus, cum multa
B alia incommoda conſequentur, tum illud
unum graviſſimum, quòd dictum ipſum à
Maluginenſi ad præconem neceſſario transfe-
rendum erit contra ſententiam Ciceronis, qui
dixit, hoc M. Scipionem Maluginenſem di-
xiſſe. Nam ſi præco renunciat Acidinum con-
ſulem, Maluginenſis autem eum corrigit, in-
quiens: Cic. de L. Manlio, profecto, quæ
ſubſequentur verba, præconis erunt; id eſt,
virum bonum eſſe arbitror; in quibus vis to-
ta dicti conſiſtit; quo ſenſu nihil eſſe alienius
poteſt. Ad quæ ille nunc demum ſummiſſe
reſpondet hoc modo, primum præconum fuiſ-
ſe, non ſenatorum, ut quem quæque centuria
feciſſet conſulem, renunciarent; deinde nul-
C lum incommodum, quod dixi, conſequi. De
incommodo primum dicam, de quo ille ita:
„ Exiſtimat Sigonius, ſi ita ea verba, ut ego
„ ante interpunxi, legantur, conſequi hoc,
„ quod maxime abſurdum videtur, ut dictum
„ illud, quod laudat tantopere Cicero, attri-
„ buatur præconi, non Maluginenſi. Ego
„ id non video, quomodo conſequi poſſit.
„ nam inquit Cicero: Cum præco renuncia-
„ ret Acidinum conſulem, dixiſſetque Malu-
„ ginenſi, (ſic verba dictabat ipſi præco-
„ ni) Dic de L. Manlio, & quæ ſequun-
„ tur. Sic patet illud dictum non attribui
„ præconi, quod conſequitur, virum bonum
„ arbitror, & civem egregium, ſed ipſi Ma-
D „ luginenſi. Ad hæc tibi reſpondeo Robor-
„ telle; primum, bona fide tibi mecum agen-
„ dum eſſe; nam cum in annotationibus ſcrip-
„ ſeris, dixiſſetque ſcilicet Maluginenſis; nunc
„ ais, Maluginenſi, verba tua hæc ſunt: Quod
„ cum ita ſe habeat, video in ſuperiore loco
„ Ciceronis à me prolato ex lib. II. de oratore
„ contraria iis aſſeri; nam ait M. Scipionem
„ Maluginenſem renunciaſſe, & mox præconem
„ correxiſſe, quaſi vero præco dictaret Malu-
„ ginenſi; puto igitur legendum: Cum ex cen-
„ turia ſua renunciaret Acidinum conſulem
„ præco, dixiſſetque ſcilicet Maluginenſis.
Cum ergo tum Maluginenſis ſcripſeris, nunc
Maluginenſi reponis; credis enim æquum eſſe,
E ut quam poteſtatem in omnia auctorum vete-
rum ſcripta tibi dedimus, eandem vel multo
etiam majorem in tua demus; quod non eſt
ita; immo vero quanto intemperantius in
aliena te invaſiſſe videmus, tanto te magis à
tuis abſtinere volumus. Sed fac te ita ſcrip-
ſiſſe, aut fac tibi licere librum tuum editum,
poſteaquam admonitus ſis, emendare, non ne
fœditatem etiam hujus ſenſus attendis? M. Sci-
pio Maluginenſis, cum præco renunciaret ex
centuria ſua Acidinum conſulem, & dixiſſet,
ſcilicet Maluginenſi, Dic de L. Manlio. Vi-
rum bonum, inquit, & civem egregium eſſe
arbitror. Quid enim erat neceſſe præconi, ſi

jam renunciabat Acidinum, ut admoneret Maluginenſem, ut ſibi L. Manlium præſcriberet? ad quem enim pertinet renunciatio? ſi ad Maluginenſem, cur non ais, cum renunciaret Acidinum conſulem Maluginenſis, ut ego dico? ſi ad præconem, cur vis Maluginenſem quaſi renunciantem dictare præconi nomina conſulis deſignati? non ne vides, te in meam ſententiam nolentem revolvi? Dixi de incommodis, nunc ad cauſſam venio, qua ſe inductum eſſe ad hanc lectionem ait, his verbis: „ Ut ſic interpungerem, ea ſum ratione adductus, quòd præcones olim conſules, & prætores, alioſque, qui magiſtratum eſſent adepti, in comitiis renunciare ſoliti erant, ipſorumque hoc erat munus, ut illic comprobatum fuit à me auctoritate Ciceronis in or. contra Rullum. Idipſum etiam oſtendit Cicer. in or. in Verrem VII. his verbis: Tu cum prætor renunciatus eſſes, non ipſa præconis voce excitatus es, qui te toties juniorum, ſeniorumque centuriis illo honore affici pronunciavit; & in Annotationibus ait: Non ſenatores, verum præcones renunciabant conſules deſignatos in ſingulis centuriis. Ex his ejus verbis hoc colligere poſſumus, ipſum, ut eſt homo minime pertinax, ſi docuero etiam ſenatores in centuriis renunciaſſe, ſe hunc locum non intellexiſſe, atque turpiſſime corrupiſſe daturum. Dicat igitur, quando ei, ut video, opus eſt. Erant enim in comitiis maxime centuriatis eorum, qui renunciabant, tria genera, rogatores centuriarum, præcones, & rogatores comitiorum. De præconibus confitetur. De centuriarum, & comitiorum rogatoribus probabo. Cicero lib. II. de natura deorum: Augurum diſciplinam P. Scipione, & C. Figulo conſulibus res ipſa probavit; quos cum Ti. Gracchus conſul iterum crearet, primus rogatorum, ut eos retulit, ibidem eſt repente mortuus. Gracchus, cum comitia nihilominus peregiſſet, remque illam in religionem populo veniſſe ſentiret, ad ſenatum retulit, ſenatus quos adſoleret referendum cenſuit, aruſpices introducti reſponderunt, non fuiſſe juſtum comitiorum rogatorem. Tum Gracchus incenſus ira; ita ne vero? ego non juſtus, qui & conſul rogavi, & augur, & auſpicato; & de eadem re in ſecundo de Divinatione: At aruſpices divini, quos cum Ti. Gracchus propter mortem repentinam ejus, qui in prærogativa referenda ſubito concidiſſet, in ſenatum introduxiſſet, non juſtum rogatorem comitiorum dicerent: primum vide, ne in eum dixerit, qui rogator centuriæ fuiſſet, is enim erat mortuus. Hi duo loci ſatis oſtendunt, alium fuiſſe rogatorem centuriæ referendæ à rogatore comitiorum; qui autem centuriæ rogator erat, eum certe præconem non appellavit. Fuiſſe autem multos centuriatum rogatores, cum illud verbum indicat, primus rogatorum, tum ea quæ ſunt in orat. poſt reditum, ad ſenatores, quos comitiis ſuis centuriatis, quorum rogator P. Lentulus conſul fuit, rogatores vocat, ita: Quando illa dignitate oratores, diribitores, cuſtodeſque vidiſtis? & in Piſonem: Hoc certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos diſtributores, vos cuſtodes fuiſſe. Ex his intelligi poteſt, cuique centuriæ è principibus aliquem præfuiſſe, qui rogaret centuriam, & ejus ſententiam renunciaret, id eſt, quem illa conſulem declaraſſet, præconi dictaret. Cum ergo Maluginenſis centuriæ ſuæ rogator eſſet, (inquit Cicero) atque Acidinum conſulem renunciaret, ut deinde à centuriæ præcone clariore voce populo univerſo voluntas ejus centuriæ demonſtraretur, præco dixit: dic de L. Manlio; ille quaſi non de renunciatione, ſed de L. Manlii moribus interrogatus eſſet, reſpondit; virum bonum, egregiumque civem eſſe arbitror. Sed attendite Robortellianum artificium. Ille cum ſe nutantem in hac emendatione probanda ſentiret, ut ab ea re aliò cogitationes noſtras, menteſque traduceret, concludit: „ Hæc mihi tum venerunt in mentem, cum illa ſcripſi, quæ cum non videat Sigonius, quo ſpectent, quomodoque ſint accipienda, nugatur præter rem. Illud potius erat explicandum, quod ſpectat ad rem, illud dictum Maluginenſis, Virum bonum arbitror, & civem egregium ex antiqua conſuetudine prolatum. Erat enim mos in comitiis exquirere ſententiam primorum civium de candidatis, ut cum populus audiret, quid illi ſentirent, ſuo ſuffragio eos crearet conſules, quos laudati videret ab optimis viris; ut Cic. libro III. de legibus: „ Non ne vides ſi ambitus ſileat, quæri in ſuffragiis, qui optimi viri ſentiant. Ego Robortelle non vidi, quo ſpectaret illa vox Maluginenſis? ego non intellexi, ex tua expoſitione aliud Ciceronis, quam ipſe voluiſſet, dictum efferri? ego tum tibi præter rem nugatus videor, cum te nimis exagitavi? ego ne conſuetudinem de candidatis interrogandi exponere, cum in te dicerem, debui? ego ne id, quod non à me, ſed à te docendum fuerat, prætermiſi? ô artificium rhetoris infinitum. Hic eſt, qui extinctam jampridem Italicarum literarum gloriam excitat, & nobis rudibus rationem defenſionis hanc præclaram oſtendit, ut ubi nihil dicere poſſumus, auditorem à propoſita quæſtione ad aliam cum adverſarii aliqua increpatione veriſimili transferamus, atque ex ejus imprudentis manibus elabamur. Non es elapſus Robortelle; te teneo nutantem, ac titubantem, ac nihil in hoc genere ſcire jam confitentem audio.

IN IDEM CAPUT.

Emendatio Ciceronis altera iterum reprehenſa. De M. Scipione Maluginenſi.

EOdem in loco corrigit M. Scipionem Maluginenſem, & M. Cæpionem exponit; quam ejus emendationem alias improbavi his verbis: Pergunt iidem eodem loco: Sed multum etiam me torquet quiddam in his nominibus M. SCIPIONEM MALUGINENSEM. Nam nuſquam invenio, Scipionem tanquam familiæ nomen poni, ſed pro cognomine. Scio equidem per librariorum errorem ſæpe Scipionem legi pro Cæpionem; quare crediderim, hoc etiam loco non Scipionem, ſed Cæpionem legi debere. Ratio, qua impellor, eſt hæc. Scio Q. Servilium Maluginenſem ſæpe à Livio nominari in libris primæ Decados, quo tempore Romæ creabantur tribuni militares. Scio quoque Servilios cognomen habuiſſe Cæpionum, ut facile poſſim affirmare, hic eſſe legendum M. Cæpionem Maluginenſem. Nec hæc quidem inquam ipſe ſatis probo. Nam quod ajunt, Livium ſæpe Q. Servilium Maluginenſem nominare, non eſt ita. Semel enim tantum lib. V. ann. CCLXXII. nominat P. Servilium Maluginenſem, mendoſe, pro Ser. Corne-

nelium Maluginenſem, ut in ſcholiis Livianis oſtendi, cum aliis teſtimoniis, tum quòd eo anno Diodorus pro eo tribunum militum conſulari poteſtate edit σίρμιων κορνήλιον μαλύγωνα. Maluginenſem autem fuiſſe cognomen non Serviliorum, ſed Corneliorum, perinde atque Scipionum, apparet ex L. M. P. & Ser. Corneliis Maluginenſibus, qui aut conſules, aut tribuni militum, aut cenſores fuiſſe à Livio ſæpe traduntur; quod cognomen aliquot etiam ex Corneliis retinuiſſe, poſtquam alia cognomina inveniſſent, cum hic locus indicat, in quo eſt M. Scipio Maluginenſis, tum annus DCCLXXII. in faſtis Capitolinis, ubi eſt Ser. Cornelius Cn. F. Cn. N. Lentulus Maluginenſis, ut omnino Scipionem, non Cæpionem legendum, contra quàm illi cenſent, eſſe exiſtimem. Ad hæc ille, quàm timide, quàm diffidenter, quàm fracto, ac prope abjecto animo dii immortales! „Quod ſpectat ad Cæ„pionis Maluginenſis nomen, ſi mihi probare „volueris, legendum eſſe Scipionem Malugi„nenſem, oſtendere debebis, an cognomen „Scipionis & Maluginenſis conjuncta repe„riantur; quod non oſtendes, opinor, un„quam; nam eſto. Cornelii dicti ſunt Malu„ginenſes, ſed non ii, qui Scipiones. Tu hoc „oſtende, ſi potes; nam cum de aliis rebus „loqueris, nugatis præter rem. Itidem oſten„de, ſi forte legiſti aliquando, an prænomen „M. Scipionibus unquam fuerit inditum. „Tum demum ego adducar, ut credam, ibi „apud Ciceronem eſſe legendum M. Scipio„nem Maluginenſem; & paulo poſt: Signifi„care volui, duo hæc cognomina Scipio Ma„luginenſis nunquam conjuncta legi apud ve„teres, quod tu demonſtrabis, ſi poteris. Tu igitur Robortelle, qui dixiſti Livium ſæpe Q. Servilium Maluginenſem nominare, tibi negatum non probas à me, ut oſtendam cognomen Maluginenſis, & Scipionis olim conjuncta fuiſſe, & Cornelios Scipiones Marci prænomine uſos eſſe contendis? Hoc autem ſi oſtendero, quod tu nullo modo fieri poſſe putas, te mihi de hoc loco à te turpiſſime depravato conceſſurum confiteris? maximum rem tuam in diſcrimen adduxiſti Robortelle, ne hac re probata tibi te rudem eſſe antiquitatis Rom. neceſſario confitendum ſit; non fuit hoc prudentiæ, non fuit hoc calliditatis tuæ, ut mecum cominus pugnares; nam te profecto gravem ſcilicet hominem levis ſupplantabo. Negas inquam inveniri poſſe M. Scipionem Maluginenſem? probo non ſolum inveniri aliquem, ſed eum ipſum, quem Cicero intellexit. Is autem triennio, poſtquam Acidinus à ſe renunciatus fuerat, prætor fuit; de quo ſic Livius in anni DLXVII. rebus exponendis, Pœtelio & Scipione conſulibus: Prætores facti M. Popillius Lænas, P. Licinius Craſſus, M. Cornelius Scipio; & poſt: M. Scipio Maluginenſis prætor Hiſpaniam ulteriorem ſortitus eſt; & poſt: Inſignes notæ fuerunt M. Cornelii Scipionis Maluginenſis, qui biennio ante prætor in Hiſpania fuerat. Quid ais Robortelle? potes ne certioribus à me argumentis refutari? potes ne melioribus auctoribus reprehendi? potes ne propinquioribus temporibus coargui? potes ne te Livium, quem ais correxiſſe, legiſſe fateri? potes ne te tuo teſtimonio, atque judicio in hoc certamine ſuperatum eſſe inficiari? nimis urgeo. Sudare mihi videris; nec mirum, Sextili menſe; quidlibet per me facias licet, modo ne hæc Liviana loca tua illa emendationum fœditate contamines; neque enim aliud tibi reliquum perfugii video. Sed pergamus ad alia; nam cetera, ut jam nimis levia, prætermitto.

IN CAPUT XXX. XXXI. XXXII. & XXXIII.

QUÆ capite XXX. uſque ad XXXIII. ab eo diſputantur, ea ad diſputationem de Rom. nominibus pertinent, atque propterea à me in ſecundum librum, ut ſuperiora, confutanda rejiciuntur.

Quid ſit diribere, & dirimere ſuffragia; & errores in iis ſublati; & loci Ciceronis, Varronis, & Lucani indicati, atque integritati reſtituti.

SEd quoniam centuriarum, & comitiorum feci mentionem; atque antiquam in ea re renovavi conſuetudinem, placet etiam de ſuffragiis neſcio quid dicere, in quo video huc uſque multos, ne dicam omnes, erraſſe. Hoc eſt, quid ſit diribere ſuffragia. Locos afferam, quibus hac de re mentio fit. Cicero in Piſonem: An expectem, dum de te quinque & ſeptuaginta tabellæ diripiantur; & lib. III. ad Q. Fratrem: Calvinus aperte abſolvit, & Cato. Is diruptis tabellis, de circulo ſe ſubduxit; & pro Plancio: Nihil jam eſt, quod populo ſupplicetur, nihil quod diremptio, nihil quod ſupplicatio magiſtratuum, renunciatio ſuffragiorum; & Varro lib. III.: Comitiis ædiliciis, cum ego, atque Axius ſenator tribulis ſuffragium tuliſſemus, & candidato, cui ſtudebamus, vellemus eſſe præſto, cum domum rediret, Axius mihi, dum dirimuntur, inquit, ſuffragia, vis potius villæ publicæ utamur umbra? Hos locos omnes vitioſos eſſe primus, ut opinor, ſcripſit Hieronymus Ferrarius in ſcholiis in Philippicas Ciceronis; & pro diripiantur, diribeantur, pro diruptis, diribitis, pro diremptio, diribitio, pro dirimuntur, diribentur reponendum cenſuit. Hunc deinde omnes ſequuti ſunt, proxime autem Nicolaus Grucchius in eo libro, quem ſcripſit de comitiis; movet eos, quòd diribitores apud Ciceronem legunt; quos Ferrarius interpretatur, non diviſores, ſed qui ſuffragia lata diribebant, numerumque inibant. Grucchius autem pro diviſoribus accipit, a diribendis, id eſt diſtribuendis tabellis; & recte. Nam quos Cicero, in oratione poſt reditum in ſenatu, diribitores vocat, eoſdem in Piſoniana diſtributores appellat. Quare ut aſſentior Grucchio de ſignificatione diribitoris, Ferrario vero de eorum, quos protuli, locorum ſententia, ſic ab utroque de germana eorum locorum lectione diſſideo; eſt autem intelligendum, duas loquendi fuiſſe formulas, unam diribere ſuffragia, unde diribitores, alteram dirimere; illud eſſe diſtribuere, hoc dinumerare; locos autem citatos de dinumeratione eſſe accipiendos, atque apud Varronem legi ſyncere, dum ſuffragia dirimuntur, & in Planciana diremptionem, in epiſtola vero pro diruptis, diremptis, eſſe reponendum. Nam fuiſſe talem apud antiquos loquendi rationem indicat Lucanus, ubi de comitiis Cæſaris dictatoris ſimulatis loquitur:

——— Fingit ſolennia campus.
Et non admiſſæ dirimit ſuffragia plebis.
Decantatque tribus, & vana verſat in urna.

Cum

Cum ergo ex Lucano lectio integra appareat, hinc & apud Varronem, & in Planciana veterem lectionem retinebimus; in epiſtola vero eam locutionem reſtituemus. Nam diremptis tabellis, id eſt, dinumeratis, ait Catonem judicem ſe de circulo ſubduxiſſe, & primum Gabinium abſolutum Pompejo nunciaſſe; in Planciana vero præponit candidatorum ſupplicationem, quæ ante lata ſuffragia fiebat populo, deinde ſubjicit diremptionem, id eſt diſtinctionem ſuffragiorum, quibus quiſque magiſtratus lectus eſt, & repulſus, tum ſupplicationem magiſtratuum ante renunciationem, extremo renunciationem ipſam; quam conſuetudinem demonſtravit in principio orationis pro Murena ita: Quæ precatus ſum à
A diis immortalibus more, inſtitutoque majorum illo die, quo auſpicato comitiis centuriatis L. Murenam conſulem renunciavi, ut ea res mihi, magiſtratuique meo, populo, plebique Rom. bene ac feliciter eveniret. Locus Piſonianæ, ſi literarum ſimilitudinem ſpectes, poſtulat magis, ut legas pro diripiantur, diribeantur, quàm dirimantur; & ſententia etiam eam lectionem non reſpuit. Minatur enim Piſoni, futurum judicium, & ait: an expectem, dum de te quinque & ſeptuaginta tabellæ diribeantur, id eſt judicibus diſtribuantur, ut te condemnent? Ita factum eſt, ut lingua Latina ignoto dicendi genere aucta, & loci hi, qui vitioſe correcti fuerant, reſtituti, & germana harum locutionum vis patefacta ſit.

M E A

ADVERSUS HENRICUM GLAREANUM

In Liviana annorum ſumma conſtituenda opinio defenſa; & ut ille ſine cauſſa in ea re me inhumanitatis arguerit.

CUm hæc hactenus ſcripſiſſem, perlata eſt ad me epiſtola quædam ab Henrico Glareano, viro eruditiſſimo, ut index præ ſe ferebat, ad Joannem Hervagium jam ante biennium miſſa: in qua ille queritur, ſe à me inhumanius, quàm ſumma ſua erga T. Livium ferrent merita, in ſuis refellendis ſententiis, in meis Livianis ſcholiis eſſe tractatum; ceterum non diſſimulat, me quibus in rebus à ſuo diſſenſerim judicio, non injuſte admodum diſſenſiſſe, ſeque, ſi ad corrigendam antiquitatem ea Græcorum librorum, quibus ego hoc feliciori ſeculo abundavi, ſibi quondam ſubſidia ſuppetiſſent, non minora fuiſſe facile præſtiturum; unum eſſe, in quo me ſecum diſcrepantem eſſe moleſte audiat, quòd ipſe ſummam annorum Livianam à ſe collectam non approbarim. Quare, quanquam ego hanc epiſtolam intelligo Glareano ipſo inſciente divulgatam fuiſſe, tamen, quoniam ea ſtudioſe à multis legitur, & ſingulari Glareani auctoritate, acerrimum quaſi telum quoddam adverſus me ab invidis meis, quorum impulſu edita eſt, eſſe exiſtimatur; faciendum mihi eſſe ſtatui, ut ei hoc loco reſponderem, quàm planiſſime, & quàm leniſſime poſſem; non, ut Glareanum doctiſſimum virum, quem mihi ſemper, quem omnibus hujus memoriæ hominibus antepoſui, oppugnarem, ſed ut ſententiam meam contra tanti viri opes in Liviana antiquitate tractanda munirem. Me igitur illud ſolicitum inprimis habet, quòd, quem ſtudiorum communione, atque earundem quaſi cogitationum ſocietate mihi maxime devinxiſſe arbitrabar, eundem à me vel eo ipſo nomine abalienatum eſſe intelligo. Perinde enim ille me ſecum diſſenſiſſe conqueritur, quaſi ea harum literarum, ſtudiorumque ratio ſit, ut qui ſecundo loco ad ſcribendum ſe contulerit, is ab illis, qui ante ſe ſcripſerint, diſſidere aut ulla ratione non debeat, aut certe ſine aliena offenſione non poſſit; aut, cum Glareanus ipſe Sabellici, Vallæ, Rhenani, Haloandri judicium, auctoritatemque contempſerit, Sigonium omnes Glareani ſenten-
B tias approbare, nulla ejus decreta reſpuere in Liviana hiſtoria conſtituenda decuerit. Quod ipſum tamen à me modeſtiſſime eſſe factum, illud argumento eſt, vel quòd ſæpe cum eo ita ſenſi, ut eum laudarim, vel ita diſſenſi, ut non vituperarim. Itaque, cur eo me ille nomine tam vehementer accuſet, ſatis mirari non poſſum. Age enim Polybii ille, Dionyſii, Dionis, Appiani, aliorumque Græcorum auctorum inopia vitioſos ſæpe ſe Livii locos non poſſe ex ſententia reſtituere querebatur. Cur ego, qui libros illos legi, anxias illius dubitationes eximere, ac melioribus quaſi auſpi-
C ciis, quod ille aſſequi ſe poſſe negavit, præſtare non debui? memoria præterea ille nutante multis in locis titubare, atque hæſitare videbatur; num ego iccirco veteribus annalium monimentis memoria repetitis, ſcrupulum, quem ille nobis injecerat, evellere ex animo ſtudioſæ juventutis non debui? Nominum denique Romanorum rationem difficillimam ille, atque impeditiſſimam eſſe ſibi perſuaſerat, ſcilicet, quòd ea ipſe adjumenta, quæ ſunt ad hanc quæſtionem tractandam accommodata, deſideraret; an propterea ego, qui lapides Capitolinos, quibus in hoc genere
D nihil eſſe melius poteſt, ſupplevi. in tanta re conſtituenda eos præterire, aut abjicere debui? At, inquit ille: „ Clamat Sigonius, me non „ legiſſe Stephanum, non legiſſe Priſcianum; „ quem ego conjicio me legiſſe, antequam „ ille naſceretur; potuiſſet, ſi quid pudoris „ in eo eſſet, modeſte dicere, Glareanus non „ animadvertit, quod apud Priſcianum eſt, „ vel quod Stephanus ſcribit; quod equidem „ moleſte non tuliſſem; nihil enim offendor „ candida admonitione. Cui ego reſpondeo, fieri quidem potuiſſe, ut ille, ſi vere, ut audio, annos jam octoginta natus eſt, Priſcia-
E num, & ceteros multo ante, quàm ego in hanc lucem prodirem, perlegerit, at tum cum illa ſcribebat, locum tamen memoria non tenuerit. Me vero, cum ad ejus contumeliam nihil, ad ſtudioſorum utilitatem omnia compararem, inter hanc, atque illam dicendi formam non multum intereſſe exiſtimaſſe.

A Sed quondam, quæ ſcripſi, ea ne ulla quidem in parte ab eo reprehendi animadverti, reliqua omittam omnia, ad illud tantum, in quo ipſe ſe mecum diſcordare ait, accedam; non ut probabilem ſummo judicio præditi viri conjecturam evertam, ſed ut meam ſententiam contra tanti, ut dixi, viri auctoritatem defendam. Verba ejus hæc ſunt: „ Riſi „ maxime, cum mecum velut expoſtulat, „ quandoquidem Chronologiam ad Livianam „ hiſtoriam, atque adeo Romanam illuſtran„ dam deſumpſiſſe me dixerim, cur duos an„ nos poſt CCLXIII. ab urbe condita non „ omiſerim; quos Livius conſulto, ut aſſerit „ Sigonius, prætermiſit; ad hoc ego ingenue, B „ ut res eſt, dico; cum viderem librariorum „ vitio annum CCXLVIII. ab U. C. temere „ omiſſum, quod & Sigonius fatetur, puta„ bam & hoſce eodem modo incuria tempo„ rum prætermiſſos, & adhuc ſum in ea opi„ nione. Nunc demum intelligo Robortelle, quid ſit, quòd & hos tu conſules librariorum vitio, non Livii conſilio eſſe præteritos affirmaris; ſcilicet Glareanum auctorem ſequutus es, cujus etiam epiſtolam hanc te dicere audio, ad te potiſſimum eſſe ex Germania ab Hervagio miſſam. Itaque jam nunc mirari deſino; unde tua iſta repentina ſapientia nata ſit, qui per te aliquid aliquando dixeris. Qua de re etſi ſatis multa ſupra dixi, cum in te diſputavi, non omittam tamen, quin aliquid hoc etiam loco adjungam, ut hanc potiſſimum tibi hujus epiſtolæ auctori gratiam referam. Quid igitur inquit Robortellus, aut is, quem ipſe ſequitur, Glareanus? Poſt Sempronium, & Minucium conſules in Chronologia Liviana bini conſules debent poni, Sulpicius cum Larcio, & cum Pinario Julius; cur? quia Dionyſius eos conſules apponit. Hic ego dico, annos Livianos ex Livio, non ex Dionyſio eſſe colligendos, apud Livium autem nullam eorum conſulum mentionem fieri; reſpondent, eos imprudentibus librariis è Livianis annalibus excidiſſe; unde autem hoc colligant, nihil D aſſerunt. Non enim librorum ſcriptorum auctoritatem opponunt, non loci alterius firmamento nituntur; immo potius hoc poſito Livio adverſantur. Etenim Glareanus his duobus interjectis annis cogitur Xviros conſulares in annum trecenteſimum tertium conferre, tribunos militares in annum trecenteſimum undecimum. Cum tamen Livius diſerte illos iniſſe dicat anno trecenteſimo altero, hos anno trecenteſimo decimo; ex quo fit, ut alter ſit tertius, & decimus ſit undecimus; quo incommodo cum ipſe ſe urgeri videat, addit, de uno anno ſe cum nemine certaturum; neque intelligit hunc annum eſſe illum, quem mihi propoſui inveniendum, ne Liviana annorum deſcriptio titubaret. E Robortellus autem ne hoc incommodo premeretur, primos conſules iniſſe dixit anno ab U. C. CCXLIV. nec animadvertit, Livium, & Dionyſium aperte, ut ſupra oſtendi, ſcripſiſſe conſules primos iniſſe anno CCXLV. quod etiam recte docuit Glareanus, à quo miror Robortellum auſum fuiſſe recedere. Uterque autem hac opinione in eum ſcopulum incidit, quòd, cum dicat Livius tribunos plebis decem creatos eſſe Q. Minucio, C. Horatio coſſ. anno triceſimo, poſt primos quinque, qui creati ſunt, A. Virginio, T. Vetuſio conſulibus, anno CCLX. coguntur adverſus omnium librorum auctoritatem ex conjectura corrigere, triceſimo octavo.

Cum igitur illi nulla ratione adducti hoc faciant, ego eorum ſententiam approbabo? non hercule; quid enim roboris habet hoc argumentum? Hos conſules edit Dionyſius, ergo apud Livium reponendi ſunt.

Primum enim quæro; an hoc novum eſſe exiſtimas, duos conſulatus ab uno ſcriptore præteriri, qui ab altero numerentur? non certe. Hoc enim etiam à Piſone factum teſtatur Liv. lib. IX. his verbis: Hos conſules Piſo Q. Fabio, & P. Decio ſuggerit, biennio exempto, quo Claudium, Volumniumque, & Cornelium cum Marcio conſules factos tradidimus; memoria ne fugerit in annalibus digerendis, an conſulto binos conſules falſos ratus tranſcendat, incertum eſt. Atque idem etiam indicant Diodori annales, qui, ſi cum aliis comparentur, multos ſæpe prodere conſulatus, quos alii tranſcendant, multos præterire, quos alii profiteantur, invenientur; declarat denique Caſſiodorus, quem apparet, quos conſulatus præterit, non librariorum culpa, ſed de induſtria prætermittere; nimirum, quod talem annorum ſeriem annales, unde ſuos ipſe conſulum faſtos compilavit, ediderint.

Si ergo fieri poteſt, ut binos conſules, quos Dionyſius profitetur, Livius præterierit, veſtigemus nunc ex verbis ipſis Livii, utrum librariorum, an Livii culpa præteritos eos eſſe probandum ſit. Ac primum quidem illud ſatis liquet, ex ſequentibus Livianis annorum numeris, Livium horum duorum annorum rationem non habuiſſe, cum Q. Minucio, C. Horatio coſſ. ut dixi, tribunos pleb. decem factos dicat, anno triceſimo ſexto poſt primos, qui facti ſunt A. Virginio, T. Vetuſio coſſ. anno CCLX. Præterea, quòd idem Xviros iniſſe ſcribat anno altero & trecenteſimo ab urbe condita, qui eſt, ut ego oſtendi, trecenteſimus primus. Ne mireris autem, Xviros in annum CCCI. conjici, cum in faſtis Capitolinis in CCCII. incurrant, ſic habeto, Oroſium eos in CCC. contuliſſe, cum dixit: Ipſo trecenteſimo anno, hoc eſt olympiade nonageſima quinta poteſtas conſulum Xviris tradita eſt; Dionyſium autem, ut recte ſubduxit Glareanus, in trecenteſimum tertium. Adde etiam Caſſiodorum, quem ſatis conſtat & hos conſules conſulto præteriiſſe, atque ex Liviana hiſtoria faſtos ſuos conſulares concinnaſſe. Nam niſi Caſſiodorum ſequaris, nunquam Livianos ipſos numeros omnes incolumes conſervabis.

Ex his ſatis perſpici conſilium Livii poteſt; nunc videamus an ulla ratione fieri potuerit, ut librariorum culpa horum conſulum nomina interierint; & locus ne ſit apud Livium ullus, ubi reponi illi conſules ex ingenio poſſint. Primum igitur dico, mirabile videri, nuda nomina binorum deinceps conſulum ex hiſtoria, reliqua manente ſententia, excidiſſe; deinde addo, nihil ex ejus hiſtoria deſiderari; quæque Dionyſius in quatuor annos diſtribuit, ea in duos Livium contuliſſe; tum vero illud etiam adjungo, in hac hiſtoria narranda non omnino Dionyſium cum Livio conſentire; unde probabile conjectura ſit, etiam in annis ſupplendis, & eximendis inter eos controverſiam eſſe. Exponam primum res per conſulatus ex Dionyſii ſententia geſtas, deinde ex Livii.

An. CCLXIII. Sempronio, & Minucio conſulibus.

In

In ſumma annonæ caritate frumentum advehitur. Coriolanus auctor eſt, ne plebi dividatur; plebs ira accenſa Coriolanum multat exilio. A

Anno CCLXIV. Sulpicio, & Larcio coſs.

Portenta, peſtilentia narrantur. T. Latinius à plebe homo in ſenatum debilis delatus ſomnium de inſtaurandis ludis exponit.

Anno CCLXV. Julio, & Pinario coſs.

Coriolanus Atium Tullum in Volſcis adit; arma capienda perſuadet. Legati Volſcorum Romam de bello mittuntur. Bellum à Volſcis decernitur. Atius, & Coriolanus facta in fines Romanos impreſſione Circejos Romanam coloniam capit, Romæ omnia ad bellum comparantur. Sed ante exit annus, B quam in aciem exercitus adducatur.

Anno CCLXVI. Furio, & Nautio Coſs.

Æqui ad Volſcos deficiunt. Coriolanus agrum R. populatur. Tolerinos, Bolanos, Lavicanos, Pedanos, Corbionem, Bovillas, Pedum in poteſtatem redigit. Romam propius accedit. Legatis, qui de pace miſſi erant, reverſis, uxor demum cum matre mittuntur. Hoc modo Dionyſius, Livius autem hoc.

Anno CCLXIII. Minucio, & Sempronio coſs.

Frumentum advectum ne plebi dividatur, contendit Coriolanus, atque à plebe in exilium agitur. Is in Volſcos abiens parat C bellum. Latinius in ſenatum delatus ſomnium de ludis inſtaurandis exponit. Volſci, qui ad ludos venerant, arte Atii Tulli, urbe ejiciuntur; ea contumelia accepta Tulli conſilio bellum indicitur. Coriolanus dux belli lectus Circejos, Satricum, Longulam, Poluſcam, Coriolanos, Lavinium, Corbionem, Pedum invadit, inde agrum Romanum populatur.

Anno CCLXIV. Furio, & Nautio Coſs.

In ſumma civitatis trepidatione urbs cuſtoditur; legati de pace ad Coriolanum primum, deinde cum uxore mater mittuntur.

Ex his apparet, variari inter hos auctores in cauſſa belli aperienda; nihil enim Dionyſius ait de contumelia Volſcis Romæ illata, D tum cum urbe ejecti ſunt, nihil de ludis inſtauratis. Livium autem ita rem cum re continuare videmus, ut ne ſuſpicari quidem poſſimus, nomina ipſa conſulum excidiſſe. Exempli gratia, Coriolanum Dionyſius uno anno in exilium actum ait, altero Latinium ſomnium expoſuiſſe ſenatui; quas duas res inter ſe copulat Livius hoc modo: Damnatus abſens in Volſcos abiit. Venientem Volſci benigne excepere. Hoſpitio utebatur Atii Tulli; longe is princeps Volſci nominis erat, Romaniſque ſemper infeſtus. Ita cum alterum vetus odium, alterum ira recens ſtimularet, conſilia conferunt de bello Romano; haud facile credebant, plebem ſuam impelli poſſe, E ut toties infeliciter tentata arma caperet; arte agendum in exoleto jam vetuſtate odio, ut recenti aliqua ira exacerbarentur animi. Ludi ex inſtauratione Magni parabantur. Inſtaurandis hæc cauſſa fuerat ludis; inde ut in ſenatum Latinius delatus ſomnium de inſtaurandis ludis narraverit, ut ludi inſtaurati ſint, ut Volſci ad ludos venerint, ut arte Tulli urbe pulſi ſint, ut ad arma capienda impulſi ſint, Coriolanus dux electus non Circejos ſolum, ſed reliqua etiam oppida ceperit, ita continenter narrat, ut locum nullum, quo amiſſos conſules reſtituas, excogitare queas; quid plura? Dionyſius in unum annum captos Circejos ait, in alterum Lavicos, Pedum, & reliqua; at Livius ita loquitur, ut uno anno hæc omnia geſta videantur: Circejos profectus, inquit, primum colonos inde Romanos expulit; inde in Latinam viam tranſverſis tramitibus tranſgreſſus, Satricum, Longulam, Poluſcam, & cetera oppida cepit. Adde, quòd Dionyſius in conſulatum Furii, & Nautii expugnationem horum oppidorum conjicit, Livius urbis tantùm trepidationem, & legatorum uxoriſque cum matre deprecationem refert. Si ergo varietas annalium in rebus geſtis diſpenſandis, & cauſſis exponendis conſtat, cur non poteſt etiam in annis addendis, & omittendis exiſtere? Plutarchus quidem etiam, & Zonaras hæc eadem omnia ita narrant, ut ea in duos tantum annos Livium ſequuti conjicere videantur.

Addit Glareanus: Nullum majus in me habet telum declamandi, quam quod nunquam in temporum ſupputatione uno, aliquando duobus annis ratio noſtra ab eo diſcrepat, cum Dionyſii à Livii, & Polybii ratione in totum fere duobus annis diſtet, quod toties in annotationibus noſtris clamo; & in uno anno cum nemine me certaturum ubique profiteor. Scilicet Glareanus hæc mea verba telum appellat quæ ſunt in epiſtola: Quoniam ad Romanam intelligendam hiſtoriam nihil tam aptum eſſe, quam rectam annorum, temporumque deſcriptionem, judicabam; qua in re diſſidentes inter ſe veteres auctores eſſe comperiebam, dedi etiam operam, ut, quod Glareanus ante me fecit, ne hac quidem in parte hiſtoriæ Livianæ deeſſem; cujus quidem eruditiſſimi viri labore facile contentus eſſe poteram, niſi ab eo in tota ipſa re diſſenſiſſem. Neque enim Livium in numerandis ab urbe condita annis eadem ratione uſum, qua ceteros, eſſe reperiebam. Qua ille opinione ductus, dum eorum auctoritatem ad Livianam Chronologiam conſcribendam adhibuit, in eam ſæpe ſe neceſſitatem induxit, ut dum aliorum numeros ſequitur, omnino Livianos aut negligere, aut immutare coactus fuerit. Quod illi profecto in ea Chronologia committendum non erat, quam ipſe ſe Livianæ præſertim hiſtoriæ comparare profiteretur. Quibus verbis me uſum eſſe profiteor, non, ut ipſum tanquam telo aliquo jugularem, ſed ut Livianorum annorum veritatem indicarem, quæ uno, aut duobus illis, de quibus ait, annis neglectis, nullo modo conſtare poteſt. Addit deinde: „ Tandem Sigonius ad quatuor annos devenit; & ut Hercules Antæum prorſus conficiat, ultima illa pulchella annotatione, quæ eſt anno, quando Livius finierit hiſtoriam Romanam, ad XVII. annos me jugulat, cum ſint etiam confeſſione mea XXVIII. in quibus tamen nihil negocii eſt; quis enim certo ſcire poteſt, quot ediderit libros Livius, aut quos adjicere voluerit? Significat autem mea verba in extremis ſcholiis hæc: Si hiſtoria Liviana morte Truſi in Germania, & funere ejus, (ut apparet) finita eſt, profecto uſque ad annum DCCXLI. pervenit; eſt enim mortuus ſe, & T. Quinctio coſs. ut ait Dio libro LV. quem annum vocat Glareanus DCCXLV. exponit autem conſules uſque ad annum DCCLXXII. quia inquit uſque eo Livianam hiſtoriam pervenire, præter unum, aut alterum annum, cum in ſeptimo, & decimo ante

te anno finiatur. Quæ verba quam vim habeant confodiendi, aut jugulandi, non ſentio, me certe eo tantum animo illa ſcripſiſſe ſcio, ut hiſtoriam Livianam, quo ad poſſem vel Glareani ipſius exemplo, quem mihi ab ineunte ætate imitandum propoſueram, illuſtrarem. Quod ſi ille his dicendi generibus, quibus me ab eo modeſte diſſidere oſtendo, ſe jugulari exiſtimat, qui ſenſus ejus eſſet, ſi forte contigiſſet, ut hanc quæſtionem amicus meus incredibili illo ſuo robore argumentorum tractaret? quoties imperitum, quoties nullo judicio præditum ipſe ſe appellari audiſſet? quibus ego nominibus non modo non Glareanum, ſed ne ipſum quidem etiam Robortellum unquam affeci, quem tamen nullo pacto cum Glareano ipſo eſſe exiſtimo conferendum. Quamobrem tantum abeſt, ut ei, quòd me hac epiſtola aſperius appellarit, ulla ratione ſuccenſeam, ut, quanquam ſcribi moderatius potuiſſe exiſtimo, tamen cum dolori ejus ignoſcam, tum vero eos, qui hanc epiſtolam illo inſciente ediderint, multo majorem illi, quam mihi injuriam feciſſe putem.

Alterum pro primo in his dicendi generibus, Trecenteſimo altero, quingenteſimo altero, ſexcenteſimo altero, & viceſimo altero anno, apud Livium accipiendum eſſe, iterum planius demonſtratum; & Livius in ea re à praviſſimis emendationibus vindicatus.

SUpra ſcripſi, cum Livius dixit, Decemviros creatos eſſe trecenteſimo & altero anno ab U. C. ſignificari anno trecenteſimo primo, idque multis rationibus confirmavi, atque eas ſtatim edidi; nunc quoniam audio adverſarium meum nihil illis argumentis perculſum in ſua ſententia permanere, atque Alterum pro Primo ſumptum, propè portentum eſſe clamare, exponam planius, atque uberius, quod ſentio, non concertationis, ſed veritatis ſtudio incitatus. Primum igitur illud poſitum eſſe volo, quod aliter haberi non poſſe ſupra demonſtravi, Capitolinam annorum ſummam nihil ad Livianam pertinere; Livianam autem non niſi ex verbis ipſis Livii eſſe hauriendam; neque Livianos numeros, ut annorum rationem Livianam inveniamus, pro arbitrio eſſe mutandos, ſed eſſe incolumes relinquendos. His autem rebus ita conſtitutis, dico Livium, cum inquit, anno trecenteſimo & altero decemviros eſſe creatos, trecenteſimo primo intelligere. Etenim, ſi conſules primos iniſſe dicas anno ipſo ducenteſimo quadrageſimo quinto, quod diſertè apud Livium ſcriptum eſſe ſupra oſtendi, non poteris decemviros niſi in annum trecenteſimum primum conjicere. Quod ſi duos annos eos, de quibus diximus, annumeraris, in trecenteſimum tertium eos referre cogeris; non eſſe autem eorum rationem habendam, ſatis ſupra probatum eſt; me autem etiam magis movent manuſcripti epitomarum libri, in quibus invenio, Uno & trecenteſimo anno ab U. C. decemviros eſſe creatos. Præterea nominat Livius annum, quo C. Sulpicius Peticus III. & M. Valerius Poplicola conſulatum geſſerunt, quadringenteſimum ab urbe condita, his verbis: Quadringenteſimo anno, quam urbs condita erat, quinto & triceſimo, quam à Gallis recepta, ablato poſt un-

A decimum annum à plebe conſules ambo ex interregno magiſtratum iniere. Quem tam nobilem, & tam rotundum numerum ut ego tueor, ſic Robortellus arte ſua corrumpit, & CCCXCVIII. reponit; quoniam hi conſules in eum annum in faſtis Capitolinis incurrant; quo errore nullum fœdiorem eſſe poſſe opinor. Si ergo hi conſules ex Livii ſententia fuerunt anno CD. profecto M. Popillius conſul, qui eos proxime conſecutus eſt, anno CDI. quo conſule accepimus ſecundos ſæculares ludos, teſte Zozimo, eſſe factos. Cum autem tertii ludi ſæculares auctore Cenſorino ex Livii ſententia relati ſint L. Junio, & P. Claudio conſulibus, iidemque teſte epitoma
B Liviana, centeſimo anno editi ſint, altero & quingenteſimo anno ab U. C. cumque à M. Popillio coſ. ad Junii, & Claudii conſulatum centum anni numerentur, ſane apparet, quingenteſimum alterum in epitoma eſſe quingenteſimum primum; præterea ſi Junius, & Claudius anno DI. conſules fuerunt, profecto Marcius, & Manilius; quibus conſulibus quarti ludi ſæculares poſt centeſimum annum, ſexcenteſimo autem & altero ab urbe condita anno relati à Livio in epitoma, & à Cenſorino ex Livii ſententia feruntur, in annum ſexcenteſimum primum incurrent, atque ita etiam ſexcenteſimus alter erit ſexcenteſimus primus. Atque hoc quidem ita eſſe docet
C etiam alio loco Livius, qui Cottam & Galbam in annum conjicit quingenteſimum quinquageſimum; qui numerus, ſi regrediaris, oſtendet, Junium, & Claudium anno DI. ſi progrediaris, Marcium, & Manilium anno DCI. iniſſe. Cum autem rotundos hos numeros ſtudioſe attulerit Livius, quam periculoſum, ac temerarium ſit, eos Robortelliano more mutare, omnes intelligunt; ille tamen hoc etiam loco quingenteſimum quinquageſimum tertium reponit. Præterea in epitomis iiſdem, ut ſupra dixi, ſcriptum eſt, bella civilia tribus triumphis à Cæſare Octaviano actis viceſimo & altero anno, quam inita erant, eſſe finita. Subducta autem ratione
D omnium annorum à Lentuli, & Marcelli conſulatu, quo cœperunt, uſque ad ipſius Cæſaris, & Craſſi conſulatum, quo ille ter triumphavit, non niſi viginti unum annum numerari invenies. His ego veſtigiis Livii mentem perſecutus, Alterum pro Primo interpretatus ſum, non grammatica, quam ille, bonus ſcilicet grammaticus, ſequitur, loquendi ratione, ſed Liviana, quam ego indagavi, computatione adductus. Quibus rebus ita confirmatis, nunc quæ contra dici poſſint, refellamus. Trecenteſimus alter, inquit, decemvirum annus non eſt trecenteſimus primus, ſed ſecundus; nam ab eo anno uſque
E ad tribunos militares, qui trecenteſimo decimo anno iniſſe dicuntur, non niſi octo anni numerantur, cum novem eſſe deberent; reſpondeo, nihil novi adverſus me afferri; ſenſi enim difficultatem, & quo pacto tolli poſſet, adſcripſi; nimirum videri, Horatium, & Valerium in alterum annum continuaſſe conſulatum; idque Livium ipſum etiam ſubſignificaſſe. Sed ſit hæc difficultas maxima, quæ mea expoſitio urgeatur; quid? non ne eadem etiam ipſe premitur? Nam cum primi conſules anno ipſo CCXLV. inierint, ut Livius voluit, decemviros in trecenteſimum ſecundum referre non poterit, niſi eadem ratione annum interjiciat; ubi autem ſit interponendus,

dus, non apparet; nam ſi duos illos, de quibus diximus, interſetuerit, eos in trecenteſimum tertium conferet.

Jam vero quod ait, Alter dicitur de duobus, ergo trecenteſimus alter eſt trecenteſimus ſecundus, reſpondeo; ſi à trecenteſimo incipiamus, tum eum, qui proxime ſequitur, alterum eſſe. Sequitur autem trecenteſimus primus. Sic dixiſſe Virgilium: Tu nunc eris alter ab illo, id eſt, ſecundus, ſi illum etiam adnumeraris; primus autem, ſi poſt illum numerare incœperis. Hoc loco Servii interpretationem opponet, qui apud Virgilium annum alterum ab undecimo, decimumtertium, non duodecimum; ſcilicet quia decimus tertius propius abeſt à pubertate, quàm duodecimus. Cui ego reſpondeo, ſi Servius expoſitionem illam ſuam ſibi ratione corroborandam putavit, intellexiſſe alteram etiam poſſe probari; nam ſi conſtaret, annum alterum ab undecimo non poſſe ſignificare, niſi tertium decimum, quid tam anxia illa opus erat expoſitione? confirmavit ergo id, quod facile labefactari poſſe intellexit. Ratio vero, quam affert, non cogit nos aſſentiri, ut omnino ille tertius decimus ſit; neque enim neceſſariam, & certam aliquam annorum ſummam, quam evitare non poſſimus, adhibuit. Hæc dixi, non ut Alterum pro Secundo ſumi poſſe negarem, ſed ut Livianum uſum oſtenderem, neque aliter fieri ei, qui integros ejus ſervare numeros velit, poſſe probarem. Quod ſi Robortellus omnes numeros Livianos incolumes tuebitur, atque Alterum pro Secundo interpretabitur, aſſentiar; quod ei tamen facere jam integrum eſſe non video. Siquidem jam omnes corrupit, & pro quingenteſimo ac ſexcenteſimo altero, quingenteſimum & ſexcenteſimum quartum repoſuit. Sin autem numeris Livianis evertendis mecum pugnare voluerit, eum non audiam.

IN CAPUT XXXIV.

Aſconii, & Livii emendatio quædam à quo ſumpta ſit, demonſtratum.

DEinde omiſſa, quam inſtituerat, de Nominibus quæſtione, in Aſconianas quaſdam emendationes ſuas exponendas egreditur. His autem tantum tribuit, ut quæ à ſummo ſtudio, ſingulari doctrina, excellenti ingenio proficiſci poſſint, omnes à ſe in hoc auctore reſtituendo velit expectari; quas ego tamen ab ipſius Aſconii mente tam alienas, atque abhorrentes invenio, ut aliquando mirer, hominem ceteroqui non minimo judicio præditum; tam longe à vera tam aperti ſctiptoris ſententia aberraſſe; niſi forte illud ſit, quòd ſibi, ut opinor, cum Patavinis naturali quodam animorum diſſidio non conveniat; cur enim Livium, cur Aſconium clariſſima quondam illius civitatis lumina aut intueri non poſſet, aut ſibi extinguenda ſumpſiſſet? Neque enim quenquam oblitum eſſe atbitror, eundem ſupra Aſconium etiam nullius opis indigentem ita eſſe aggreſſum, ut eum non emendare, ſed turpiſſime amandare videatur voluiſſe. Nunc vero initium hujus ſui laboris à mea contumelia duxit. Primum enim me ſocium Manutio in corrigendo, id eſt, ut ille interpretatur, evertendo Aſconio aſcribit. Quod ipſum cum nec Manutii, nec meo coargui teſtimonio poſſit, niſi forte conjecturas neſcio quas duas

A totius Aſconii emendationes putat, unde ille acceperit, non diſpicio. Mihi quidem optandum eſſe maxime arbitrarer, ſi vere in ſocietatem tam glorioſi laboris vocari cum Manutio poſſem; deinde vero emendationem Aſconiani loci neſcio quam infert, cujus ego biennio ante in ſcholiis Livianis memineram, cum pro Lentuli Suræ pater, Lentuli Suræ prætoris reponendum dixi. Quodque indignius eſt, adeo facilitate τῷ σιγᾶν abutitur, ut quod ego ante illum monimentis literarum prodiderim, id ipſe non ſolum ad ſe totum attrahat, & ſe ante me citatis etiam nobiliſſimis teſtibus vidiſſe confirmet, ſed me quoque ex languidulis ſuis ſermonibus neſcio quibus ſur-
B ripuiſſe inſimulet. Scilicet Robortellus iſte cum jejuno nimis, atque anguſto animo eſt, qui tam anxie fines puſillæ ſuæ gloriæ tueatur, & in re tam imbecilla laboret, tum injuſta mecum conditione agit, qui vulgatis meis ſcriptis me tacente apertiſſime compilatis privatorum mihi ſuorum ſermonum furta exprobret. Etenim qui loci Vellejani correctionem illam, quam unam in ſuo libro firmam eſſe poteſt dicere, totidem prope verbis ex ſcholiis meis epitome CXVIII. deſcripſerit, atque in ſuum XXIII. libri ſecundi caput, in quo apud Vellejum pro prætore, non, pro populo Romano legendum eſſe contendit, tranſtulerit, neque mei mentionem ullam fecerit, is me
C ſuam quandam Aſconii correctionem inaudiſſe, ac memoriæ prodidiſſe vitio vertit; quaſi vero tum, cum de Suræ prætoris ſcripſi, id ego non probabili ductus vocum ſimilitudine ſcripſerim, ille vero cum, pro prætore, correxit, non mea ſolum impulſus emendatione correxerit. Ego enim cum apud Livium, Fabius pater, pro Fabio prætore reponerem, addidi contraria ratione apud Aſconium Suræ prætoris pro Suræ pater eſſe reſtituendum; ille vero cum de prætore caput XXIII. integrum ſcripſit, nulla alia occaſione, niſi mea admonitus obſervatione adſcripſit. Vere igitur dicam; mirabar antea, cum ipſum ſcribentem audiebam, Andream Alciatum juriſconſultum cla-
D riſſimum ſua ſcrinia compilaſſe. Sed id tamen fieri poterat; extabat enim tum aureolus unus Annotationum ejus libellus, unde ipſe aliquid ſumpſiſſe illum arguere poſſet. Cum autem me non ex ſcriptis, ſed ex ſermonibus ſuis aliquid eſſe furatum queratur, jam me non admiratio ejus, ſed miſeratio mei maxima tenet. Etenim ſi illo auctore, quæ correxi, corrupi, quæ corrigenda erant, omiſi, quæ bene correxi, ab eo & quidem loquente, non ſcribente ſumpſi, quis mihi in poſterum laudis, aut gloriæ locus relinquatur, non video; nam ſi quid fortaſſe, ut homo, deliquero, non deerit, qui me contumeliæ cauſſa robuſtius increpet Robortellus; ſi ſtrenue fecero, aderit
E ſtatim, qui gloriæ cauſſa productis teſtibus totum id ſibi vindicet Robortellus; ut ex illo mihi dedecus metuendum ſit, ex hoc ne magna quidem expectari laus poſſit; quid agam igitur? magno opus conſilio eſt; an hæc mihi patienter ferenda, an fortiter excutienda ſervitus eſt? ferrem libentius, ſi per domini inſolentiam poſſem; at ille adeo importune inſiſtit, ut omnia mihi potius experienda, quam tantam ferendam tyranni impotentiam ducam; quis enim libero, atque ingenuo animo præditus audire hæc ejus verba æquo animo poſſet? „ Sed agendum Sigoni, quomodo ſperaſti „ te delitescere in hoc furto poſſe? an puta-

„ bas me hoc tibi condonaturum; atqui con- „ donaſſem, ſi mihi eſſes amicus. Ecce; ut ne in tenebris quidem, ſi peccaro, me tutum futurum mineiur, & ut veniæ ſpem omnem adimat, niſi omni ſe ipſum, ut regem, aſſentatione coluero; quid eſt enim aliud, amicum eſſe regi, quam regi humiliter adulari? Quanquam hoc fortaſſe ferendum eſſet, niſi illud multo eſſet acerbius, quod ſequitur. „ Vide „ quam tibi inimicus non ſim. Si alii multi, „ qui à me audierant illud, furtum iſtud tuum „ mihi non ſignificaſſent, & palam dictitaſ- „ ſent, ſe hoc æquo animo non laturos, de „ hac re ne verbum quidem eram facturus. Sed veritus ne illi iracundius tecum agerent, quàm ego, hæc quàm leniſſimè potui proferenda duxi. Jam unuſquiſque intelligere poteſt, ut ipſe non ſolum per ſe ferox ſit, & immanis, ſed ferociores etiam, & immaniores habeat miniſtros, acerrimos hujus ſuæ potentiæ ſatellites. Me miſerum, ubi terrarum ſum? aut quod in me tantum ſcelus commiſi, quo à me Dionyſium iſtum alienaverim? Dionyſium? immo Phalarim. Dionyſius enim humanitate aliqua, & literis erat imbutus, hic noſter omnem humanitatem videtur exuiſſe, atque omnes literas conculcaſſe. Siquidem & veteribus illis, quorum ingeniis omnes optimæ diſciplinæ partæ, ac nobis traditæ ſunt, & nobis, qui præclara illorum hoc tempore ducimur imitatione, bellum intulit crudeliſſimum. Quid ergo? audendum certe aliquando eſt, atque arrogantia tanta hominis contundenda, id eſt, ipſum in toto literarum genere nihil ſcire, ac ſine cauſſa ſibi tantum tribuere demonſtrandum eſt.

IN CAPUT XXXV. XXXVI.

Aſconii lectio vetus defenſa, nova deriſa; de equitibus Rom. militaribus, equitum generibus duobus. De lege Sempronia judiciaria, quando lata, & abrogata ſit; loci Aſconii, Ciceronis, Plinii expoſiti. De gente Sextia, & Seſtia.

SEquitur caput, in quo ſe Aſconii locum pulcherrimum reſtituiſſe gloriatur, quem fœdiſſime labefecit; is eſt in commentario Divinationis: His X. annis victore Sylla civilibus bellis ſpoliatus eſt populus Rom. poteſtate tribunicia, judicandi jure, quod habuit per equites Romanos militaris, arbitrio creandorum ſacerdotum. De quo ille ita: „ Hic „ locus corruptus eſt adeo, ut intelligi non „ poſſint ea verba: Per equites Romanos mi- „ litaris. Paulus Manutius ſimul, & Carolus „ Sigonius aſteriſcos duos ibi apponendos cu- „ rarunt, nec potuerunt locum ſuo ingenio „ reſtituere. Ego igitur, quomodo legi de- „ beat, ac locus reſtitui demonſtrabo. Fuit „ ſcriptum ab Aſconio, per equites Rom. an- „ nos IIIIL. Imperiti librarii, cum non in- „ telligerent, ita deſcripſerunt: Per equites „ Romanos, commiſcentes ſcilicet duas illas „ dictiones Rom. ;annos. Jam vero IIIIL. „ (qui numerus quadraginta ſex ſignificat) „ itidem non intelligentes, Mil. ſcripſerunt; „ poſtea vero alii militares; hæc ille. Primum igitur me, & Manutium aſteriſcos huic loco duos appoſuiſſe ait, deinde locum corruptum eſſe, tum voces illas, equites Romanos militares, intelligi non poſſe, poſtremo, equites Ro-

A manos militares, mendoſe eſſe pro, equites Romanos annos XLVI. Cui ego reſpondeo, me nec locum iſtum aſteriſco ſignaſſe, nec Manutio, ut ſignaret, auctorem fuiſſe, nec Manutium ſine cauſſa illud feciſſe exiſtimare; locum vero hunc nulla parte corruptum, voces illas, equites Romanos militares, integerrimas eſſe, atque omnino intelligi poſſe, putare: poſtremo ſi vitium ſit in voce militaris, & anni numerus reponendus ſit, non XLVI. ſed XL. reponendum eſſe judicare. Poſſumne vehementius, aut præclara iſta tua monimenta, quæ tu laudibus in cœlum extollis, attentare? aut acrius arcem iſtam decretorum tuorum invadere? Dices, cur dixit Aſconius, Equites Rom. militares? nimirum Robortelle, quia duo erant equitum Romanorum genera; unum, cui pedites opponebantur, alterum, cui ſenatores, & plebs; atque illi quidem equo privato merebant, hi publico; equus autem publicus ut à cenſore aſſignabatur, ſic etiam ab eodem adimebatur; aſſignabatur autem nemini, niſi qui cenſum equeſtrem haberet. Horum equitum meminit Cicero in VI. Philippica. Altera ſtatua eſt, inquit, equitum Rom. equo publico, qui item aſcribunt: Patrono; Quem unquam patronum iſte ordo adoptavit? ſi quenquam, me debuit. Quibus verbis ſignificat, ordinem illum equeſtrem, quem ipſe in conſulatu ſuo ſenatui conciliarat, fuiſſe equitum Romanorum equo publico. Quem equum publicum Plinius equum militarem appellat, lib. XXXIII. cap. I. Anuli plane medium ordinem, tertiumque plebi, & patribus inſeruere; ac quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ judices tribuunt. Intelligit enim equeſtrem ordinem inter ſenatum, & plebem medium anulis à plebe diſtinctum; atque antea quidem equites ab equis militaribus, quos haberent, poſt judices à pecunia eſſe dictos. Non omnes autem, qui equo mererent, ex equeſtri ordine fuiſſe, & judicia habuiſſe, oſtendit in I. Philippica Cicero, qui in legem Antonii judiciariam ita diſputat: At quæ eſt iſta tertia de-
D curia judicum? centurionum inquit? quid? iſti ordini judicatus lege Julia, etiam ante Pompeja, Aurelia non patebat? cenſus præfiniebatur, inquit; non centurioni quidem ſolum, ſed etiam equiti Rom. Itaque viri honeſtiſſimi, atque fortiſſimi, qui ordines duxerunt, res & judicant, & judicaverunt; non quæro, inquit, iſtos; quicunque ordinem duxit, judicet. Atqui ſi ferretis, quicunque equo meruiſſet, quod eſt laudatius, nemini probaretis; in judice enim ſpectari & fortuna debet, & dignitas. Sententia enim Ciceronis eſt hæc; cum poſt Syllæ legem, qui judicia ad ſolos ſenatores tranſtulerat, judicia lege Aurelia, ſenatoribus, equitibus Ro-
E manis, & tribunis ærariis eſſent communicata, neque id lege Pompeja poſtea immutatum eſſet, extitit C. Julius Cæſar dictator, qui ea ad duas centurias ſenatorum, & equitum tantum redegit. Cum autem Antonius cos. poſt laturus eſſet de tertia decuria centurionum; inquit Cicero, ſi ferres, non ut centuriones, ſed, quod eſt laudatius, ut quicunque equo meruiſſent, judicarent, nemini probares; ex quo apparet, aliud fuiſſe equitum Romanorum genus, qui equeſtrem ordinem explerent, & judicia lege primum Sempronia, deinde Aurelia, Pompeja, & Julia, modo ſoli, modo cum ſenatoribus, modo,

do cum ſenatoribus, & tribunis ærariis haberent, aliud eorum equitum, qui equo mererent, neque enim ſi iidem eſſent, qui equo mererent, atque equites Rom. equeſtris ordinis, dixiſſet Cic. ſi ferretis, ut quicunque equo meruiſſet, in tertia decuria judicaret, nemini probaretis, cum alteram decuriam illi haberent, hi vero in tertiam conjiciendi eſſent. Sed de iis, qui privato equo, qui publico mererent, & quid equus publicus fuerit, ſecundo libro commodiore loco planius differemus. Hoc igitur ſtet hoc tempore, Aſconium, cum dixit, populum R. habuiſſe judicia per equites R. militares, eos exprimere equites voluiſſe, qui equeſtrem ordinem continerent, & qui, ut ait Plinius, à militaribus equis nomen haberent, non quoſcunque, qui equo mererent, & qui peditibus in exercitu reſponderent; nam lege C. Gracchi accepimus vere judicia penes equeſtrem ordinem uſque ad Syllam dictatorem fuiſſe. Id quod ipſe in commentario orationis pro Scauro ſcriptum reliquit. Hunc ego ſenſum cum hæc vox, habere poſſit, miror, cur tu vir peritiſſimus eam ejicere, atque alieniſſimam aliam invehere velis. Sed vide, ut tecum diſſentiam, ego ſi vocem vitioſe eſſe conceſſero, non tamen numerum XI. VI. pro ea reponendum eſſe concedam. Etenim & auctorem eundem habeo Pædianum, qui in eodem commentario inquit: Equites lege Gracchi judicaſſe per annos XL. &, ſi annos ipſos, quibus illi judicarunt, numeremus, extremos vero duos, quibus lata, atque abrogata lex eſt, omittamus, eodem modo XL. efficiemus. Lata eſt enim à C. Graccho tribuno pl. in primo tribunatu Q. Metello, T. Flaminino coſs. anno poſt R. C. DCXXX. Nam quod tu opponis, anno ante C. Caſſio, & C. Sextio Coſs. latam eſſe, vehementer erras; neque enim illo anno tribunatum geſſit Gracchus, ſed hoc iniſſe tamen Caſſio, & Sextio coſs. opinor IV. id. Decembris, quòd is dies erat ineundo tribunatui ſolennis. Verum paucis illis, qui ejus anni, & menſis relinquebantur, diebus legem tantam ipſum tuliſſe, nec trinundinum neceſſaria promulgatio, nec optimatium legi adverſantium incredibilis contentio, nec aliarum legum, quas ante hanc privatarum inimicitiarum cauſſa ille tuliſſe fertur, certiſſima perlatio, credere patiuntur. Nam quod ais ſcriptum eſſe apud Obſequentem C. Caſſio, & C. Sextio coſs. tumultum in urbe fuiſſe Graccho leges ferente, hoc totum nihil eſt. Nam, ut de loci menda omittam dicere, tumultus ſignificari poteſt is, qui fuit in urbe promulgatis aliis, ut contra Popillium, & alios à Graccho legibus, non judiciaria, quam alii tertiam, alii quintam, legum Sempronianarum faciunt. Quanquam ſi ſtatim etiam inito magiſtratu judiciariam ipſum promulgaſſe velis, tumultum ex ea promulgata, non lata interpretaberis; qualem tumultum inquit Cicero excitatum extremo anno, quo conſules fuerunt Cæſar, & Figulus, cum jam Rullus, & ceteri collegæ ejus tribuni pl. iniſſent, atque eorum alii agrariam, alii alias leges reip. parum ſalutares promulgaſſent. Verum ut Rullus agrariam ſuam, antequam Cicero conſul K. Jan. iniret, non pertulit, ſic ne Gracchum quidem ſuam judiciariam pertuliſſe veriſimile eſt. Neque enim te credo exiſtimare, Gracchum ipſum priorem tribunatum in conſulatu Caſſii

A & Sextii geſſiſſe, poſteriorem in conſulatu Metelli, & Flaminini continuaſſe, cum eum acceperimus alterum tribunatum in annum eum, quo C. Fannius conſulatum adminiſtravit, auctore Cicerone, atque Plutarcho adminiſtraſſe. Si ergo Caſſio, & Sextio coſs. lex judiciaria Gracchi ſalvis legibus, atque auſpiciis ferri contra quam tu dixiſti, non potuit, ergo Metello, & Flaminino coſs. latam eſſe eam confitearis neceſſe eſt. Quando autem eſt abrogata? nimirum in conſulatu extremo Marii, & Carbonis, quo Sylla victor dictaturam invaſit, anno DCLXXI. Hoc enim ut credam, fecit Appianus, apud quem ſcriptum invenio, Syllam legibus latis, nobiliſſimum ex Aſia triumphum egiſſe; triumphaſſe autem initio ſequentis anni poſt Idus
B Januar. in Capitolinis tabulis animadvertere poſſumus; ita ut vel extremo hoc, de quo dixi, anno, vel principio inſequentis eas neceſſario tulerit. Quod ipſum cum ratione perſuaſum habeo, tum etiam veſtigiis quibuſdam me indicare poſſe video. Eſt enim probabile, Syllam victorem, ubi primum dictaturam inivit, legibus populum aſtrinxiſſe, ac plebem R. cui infenſus erat, ereptis judiciis ultum eſſe, deinde triumphaſſe; eſt certe multo probabilius, quam id quod tu homo omnis antiquitatis peritiſſimus attuliſti, qui legem hanc à Sylla latam Claudio, & Ser-
C vilio coſs. paulo antequam ille dictaturam deponeret, tradidiſti. An vero tibi videtur veriſimile, eum legem tantam in eum annum, quo de deponenda dictatura cogitavit, atque eam depoſuit, & quo aſſuetudine ſervitutis jam fractæ plebis opes erant, non autem ſubito ad ſuas perſequendas injurias, & popularem convellendam potentiam pertuliſſe? Sed omittamus conjecturas, pugnemus tandem auctoritate. Scribit Gellius, Ciceronem pro Sex. Roſcio dixiſſe L. Sylla, Q. Metello coſs. cum adhuc dictator eſſet Sylla, orationem illam, quæ extat. Atqui ex ea diſcere potes eo anno ſenatum judicaſſe, non equites; inquit enim ita ad judices: Qui ex civitate in
D ſenatum propter dignitatem, ex ſenatu in hoc conſilium delecti eſtis propter ſeveritatem, quid? non ne idem etiam ſignificavit in Bruto? Tumultus interim, inquir, pro recuperanda rep. leges, & judicia reſtituta, recuperata reſp. tum primum nos ad cauſſas & privatas & publicas adire cœpimus. Adiit enim Cicero ad cauſſas privatas M. Tullio, & Cn. Dolabella coſs. cum pro Quinctio dixit, ad publicas Sylla, & Metello, cum pro Roſcio; atque jam tum recuperatam remp. judicia conſtituta ait fuiſſe. Ex quibus ſatis perſpici poteſt, legem judiciariam à Sylla ſtatim eſſe latam, nec quicquam eo, quod tu prodidiſti, poſſe eſſe perverſius. Nam quod Cicero in
E Verrem dixit, equites per annos prope quinquaginta judicaſſe, quis eſt tam rudis, qui non intelligat, oratorie potius dictum eſſe, quam vere? utile enim cauſſæ ſuæ eſſe arbitratus eſt, numerum annorum, quibus equites judicarunt, augere, cum apud ſenatores male tum ex judiciis, quæ à Sylla acceperant, audientes loqueretur. Jam te ex his intelligere opinor, quam magnus antiquitatis Romanæ interpres, & auctor ſis. Addo nunc locum Obſequentis. Etenim cum C. Caſſii, & C. Sextii conſulum ex Obſequente memineris, viſum eſt tibi librum Obſequentis etiam emendare, in quo eſt C. Sextilius. Itaque

pro

pro Sextilio Sextium, vel Seſtium reponis, hoc uſus argumento, quod inde aquæ Seſtiæ nominatæ ſunt. Cui ego reſpondeo, primum hanc totam emendandorum nominum rationem nuper admirationis aliquid habuiſſe, nunc prope tritam, ac contemptam eſſe; deinde, ſi in nomine conſulis ejus vitii fuit aliquid, à me in faſtorum commentariis eſſe ſublatum, cum C. Sextii conſulis ex Obſequentis auctoritate memini. Poſtremo addo Sextium omnino, nullo modo Seſtium ac Sextias aquas, nullo modo Seſtias aquas appellandas. Sic enim in Bruto ſcriptum eſt, ſic in epitomis, ſic apud Solinum capite VIII. ſic apud Marcellinum, ſic apud Vellejum libro primo, ſic denique apud Plutarchum in Mario, qui ὕδατα σεξτίλια; & Strabonem libro IV. qui σίκτια dixit, mendoſe illud quidem, ſed veſtigiis tamen veræ lectionis manentibus. Nam quod ais Sextium, vel potius Seſtium, ſignificare videris, te gentem Seſtiam à Sextia non diſtinguere, cum tamen ea ſit inter utramque differentia, quod illa patricia fuit, hæc plebeja. P. enim Sextium patricium hominem profitetur Livius libro III. Lapides Capitolini Seſtium, Dionyſius σέστιον. L. Sextium è plebe lib. VII. Livius, Lapides Capitolini Sextium, Plutarchus, & græci σέξτιον. Hæc omnia cum tu non videas, audes tamen res Romanas tractare, cum videre non poſſis, eos, qui viderint tum aperte vituperare, tum te in ea re glorioſiſſime venditare? audi enim quid de tua iſta præclara emendatione in libro de arte corrigendi ſcripſeris: „ Extenſione corrigitur, ut apud Aſconium in l. in „ Verr. ibi enim peccatum eſt à librario ex„ tenſione, quod non intelligeret antiquam „ ſcribendi rationem. Nec miror Manutium „ hunc locum ſicuti alia multa, non potuiſſe „ emendare; non eſt enim inſtructus iis re„ bus, quibus inſtructum eſſe oportet vete„ rum librorum correctorem; & ſi aliter ja„ ctant ab eo operæ conductæ quædam, & „ empti laudatores; verba Aſconii, ubi lo„ quitur de Sylla hæc ſunt; Spoliatus eſt po„ pulus R. ab eo judicandi jure, quod ha„ buit per equites Romanos militaris. Hic „ me locus diu torſit, tandem emendavi. Per „ equites Ro. annos IIIIL. & verum id eſt. Quid fuit neceſſe, ut te tandiu hoc loco torqueres Robortelle? niſi ut Patavinæ civitatis decus ipſum, ac ſplendorem Aſconium obſcurares, ac reconditam hanc equitum Romanorum antiquitatem labefactares. An quia in Manutio tantum non eſt audaciæ, quantum ad veterum monumenta funditus evertenda requiritur, iis eum eſſe artibus inſtructum negabis, quæ bono correctori conveniant? quid enim tu tua iſta inſtrumentorum tam lauta ſupellectile attuliſti aliud, quam ut hunc locum, ſicuti omnes alios, ita deformares, ut ne imaginem quidem Aſconianæ puritatis relinqueres? Militaris non intelligebas, quid eſſet, te docui, locum corruptum eſſe dicebas, integerrimum eſſe oſtendi. XLVI. reponendum clamabas, non niſi XL. reſtitui debere probavi; annum quo lex Sempronia lata, quo abrogata ſit, verum non afferebas, veriſſimum indicavi. Seſtium, & Seſtias aquas laudabas, Sextium, & Sextias ſcribendum demonſtravi. Atque hæc ego feci, is cujus errores te jactas communis ſtudioſorum utilitatis cauſſa ſolere patefacere; quos tandem errores Robortelle? an eos, quos hoc tuo

A commentario tradidiſti? at hi perpetuum erunt tuæ vanitatis, atque inſcitiæ monumentum; an majores? cur non igitur, ut eos tibi eriperem, attuliſti? cur non eos potius magna cum aliqua tuæ utilitatis ſpe, quam hæc nonnulla cum invidiæ ſuſpicione percenſuiſti, quæ extremo hoc capite protuliſti? „ Jactet „ ſe nunc Sigonius in faſtorum commentariis „ deſcribendis, quantum velit; nam habe„ mus, quod optabamus, & quilibet in hi„ ſtoria legenda verſans conficere ſibi eos „ debebat; ego certe non diſſimiles mihi „ confeceram. Hæc à me dicta ſunt, ut hi„ ſtoriarum ſtudioſi Romanarum hoc adju„ mentum ſibi parent, & negligant invidulos
B „ hos, qui aliena corrogantes ſibi omnia vin„ dicant. Etenim primum quæro, quid eſt illud jactare? ubi in illo commentario aut me, aut te, cum tamen jure ſæpe utrunque poſſem, jactavi? quæ eſt hæc tua conſuetudo Robortelle, ut quæ non poſſis ratione tentare, ea contumeliis audeas labefactare? cur commentarii Romanæ hiſtoriæ Sigoniani Robortello non ſunt probati? quia quilibet eos ſibi parare debebat; quia ipſe ſibi non diſſimiles compararet; non dicam, quid alii facere debeant, ſed de eo, quod ipſe feceris; an vero ſi ſimiles tu commentarios confeciſſes Robortelle, ea te, quæ ſcripſiſti, ſcripturum fuiſſe putas? non certe. Neque enim is, qui
C eos ſcripſit, Livianorum annorum ſummam ad calculos Capitolinos, ut tu, falſo revocavit, nec Catilinam poſt comitia poſtulatum temere ex Ciceronis auctoritate affirmavit, neque Aſconium, quod Ciceroni repugnaret, injuſtiſſime mutilavit, nec ludorum ſæcularium cauſſas ipſas, & tempora perturbavit, nec luſtrorum Romanorum conſtantiam diſſipavit, nec leges Papias confudit, nec ſine ratione falces rurales in commentarios Cæſarianos invexit, nec rationem comitiorum, & renunciationum omnem diſturbavit, nec Maluginenſem Cæpionem pro Scipione falſo apud Ciceronem repoſuit, nec pro equitibus militaribus annos XLVI. ineptiſſime introduxit,
D nec legis Semproniæ, ac Corneliæ annos alieniſſimos demonſtravit, nec reliqua, quibus tu Romanam hiſtoriam inquinaſti, ſupra commemorata collegit. Sed quid ago? vide, ut dum in Robortellum dico, pene me Sigonium eſſe oblitus ſum.

IN CAPUT XXXVII. XXXVIII. XXXIX.

Tres Aſconii emendationes irriſæ.

EXtrema ſunt reliqua capita non admodum magni facienda tria, quæ, ne quid ex hoc libro non refutatum ſit, brevi complectemur. Primo igitur Manutium inſectatur,
E qui apud Aſconium orationes contra C. Antonium, & L. Catilinam, & contra Piſonem, quas impreſſit, contra, non In, inſcripſerit. Id autem inſcite factum ait. Nam Ciceronem cum alteri adverſaretur, aut accuſaſſe eum, & reprehendiſſe, aut tantum adverſus illum, cum ſententiam diceret, differuiſſe; prioris generis exempla eſſe In Vatinium, In M. Antonium, In Piſonem, In Verrem; poſterioris nulla. Ex quo concludit, orationes illas In, non Contra inſcribendas. Ego autem contra cenſeo. Nam ſi In dicimus, cum accuſamus, contra autem, cum ſententiam dicimus, una tantum erit, quæ In inſcribenda oratio ſit;

eſt

eſt enim una tantum accuſatio, Verris ſcilicet; Accuſationem enim accipio, quam ſubſequitur judicium; nam in Antonium, in Piſonem dixit in ſenatu, tum cum ferè ſententiam diceret, eodemque pacto in competitores. Quare ſi vera eſt hæc Robortelliana diſtinctio, recte contra Piſonem, & contra competitores, ut etiam contra Rullum inſcriptæ erunt.

Sequenti capite locum corrigit Aſconii hunc: Et Crumenæ & vellereæ, & ſcorteæ, legitque Et crumenæ aut vellereæ, aut ſcorteæ; in quo ego non video, cur vulgata lectio defendi quoque non poſſit; & eodem loco: Unde quia major ſumma eſt pecuniæ publicæ, quàm privâtæ, ut pro cenſu privato, ærarium dicitur pro loculis, legit ille: Unde quia major ſumma eſt pecuniæ publicæ, quàm privatæ, & populi Rom. cenſus privato. Ego vero neſcio, cur minore mutatione legi non poſſit, quia major ſumma eſt pecuniæ publicæ, quàm privatæ, ut populi Romani cenſu pri- A vâto, id eſt, quippe ſumma pecunia populi Rom. major eſt cenſu privato; ut ſit hæc declaratio vocum, publicæ, & privatæ. Quanquam ſi quis vulgatam lectionem tueri velit, cur non etiam poſſit hoc ſenſu, non diſpicio; major eſt ſumma pecuniæ publicæ, quàm privatæ, ut pro cenſu privato, id eſt, ſi privata pecunia, ut cenſus privatus accipiatur. Nam ſi pecuniam publicam populi Romani cum omnium civium fortunis conjunctis comparaveris, non eſt major ejus ſumma; at ſi cum privato cujuſque cenſu contuleris, multo major. Quod ſi ita eſt, quid tu in hoc tuo Aſconio emendando profeceris, jam per te intelligere potes.

Nam quod capite extremo neſcio quo ex loco alio removendum aſteriſcum ais, cum is operariorum, ut apparet, culpa irrepſerit, non erat, quod tu tanta gravitate vir ea de re caput integrum ſcriberes, atque Manutium accuſares.

CAROLUS SIGONIUS
IN LIBRUM SECUNDUM EMENDATIONUM
FRANCISCI ROBORTELLI.

IN I. II. CAPUT.

Duæ Aſconii emendationes reprehenſæ.

Pergit ſecundo libro, quod pollicitus erat, præſtare Robortellus; pollicitus autem erat, ſe locos quoſdam Aſconii vitioſos, neque à me, neque à Manutio intellectos, aut correctos emendaturum; quod autem primo libro fecit, ut aut omnia corrumperet, aut ſi quid, quod probabile videretur, afferret, id infirma conjectura muniret, idem facit hoc in libro; locum enim primum proponit ejuſmodi: Cornelius ea re offenſus ſenatui, queſtus eſt de ea ne, exhauriri provincias uſuris; ipſe enim pro DE EA NE, reponit IN CONCIONE; & ſatis valere putat ad aliquem locum ſanandum, ſi ſenſum tantum aliquem inſerat emendatio, & duarum tantum literarum ſit reliquis omnibus neglectis habita ratio. Nam reliqua, quæ affert, ut probet tribunos plebis agere in concione ſolitos eſſe, facile agnoſco, cujus hominis ſint: ejus nimirum, qui veterum auctoritates multas, non ut multa docere, ſed ut multa dicere videatur, conquirere undique, atque omnes etiam recentiorum commentarios exhaurire ſoleat, ut in re notiſſima plus ceteris intelligere ab ignaris ſuæ ſapientiæ hominibus judicetur.

Secundo capite, ex his verbis tollit aſteriſcum: Providendum, ut legati haberent, unde præſentia darent; & inquit: Præſentia dare, eſſe præſentem pecuniam dare; cumque partes boni emendatoris ſint, ne quod dicendi genus novum invehat, niſi id ſcriptoris ejuſdem, aut æqualis ejus auctoritate firmarit; genus tamen ipſe dicendi infert, non ſolum à Ciceronis elegantia, ſed etiam ab Aſconii puritate alieniſſimum, quem prope caſtiſſimum B in dicendo poſſumus appellare. Quare cum hæc dicendi formula, præſentia dare, ut quæ caſtitatem non præ ſe ferat, ut ante ſuſpecta habenda ſit, merito etiam aſteriſco, interea dum à Robortello roboretur Manutiano ſignanda eſt.

IN III. CAPUT.

Aſconii emendatio defenſa; duæ aliæ allatæ, una Aſconii, altera Valerii.

C Tertio capite excutit locum hunc Pædiani: Varro conſobrinus frater huic cenſi reus ex Aſia apud L. Furium prætorem de pecuniis repetundis. Excutit autem judicium Manutii, qui Sigonii conjecturam probaverit, pro huic cenſi, reponentis aliquando Ciceroni; cum conſtet C. Viſellium Varronem conſobrinum fratrem Ciceronis teſte ipſo Cicerone fuiſſe; negat autem hoc ferri poſſe, quòd Aſconius ipſe hunc alio loco non Viſellium Varronem, ſed Terentium Varronem vocet, unde ſuſpicio naſci poſſit, non eundem eſſe eum, quem ſuum Cicero conſobrinum, & quem Pædianus rerum repetundarum appellet.
D Sic igitur ille habeat, hanc conjecturam caſu in ſermone, ut fit, Sigonium Manutio expoſuiſſe. Manutium autem ei plus, quàm ipſe Sigonius feciſſet, tribuiſſe, credo, quòd ille, quo eſt ingenio, atque judicio præditus, aliquid quod Sigonio in mentem non veniſſet, cur eam tantopere probaret, videret; ut illud fortaſſe, C. Viſellium Varronem C. Aculeonis filium à Cicerone dici; unde adoptionis ſuſpicionem ſuboriri, ne idem modo Teren-

tius Varro, ex qua erat familia natus, modo Viſellius Varro, in quam fuerat adoptatus, diceretur. Sic Piſonem eſſe Pupiorum, Oreſtem Aufidiorum ipſarum inter ſe familiarum in adoptando commiſtione, cum Piſo è Calpurniis, Oreſtes ex Aureliis eſſent. Quod ſi hæc tibi infirma, Robortelle, & minus tuarum ſimilis Manutiana ne, an Sigoniana conjectura videtur, (agnoſce liberalitatem meam) ego pro me, ſi quid in hoc meæ culpæ eſt, & pro illo ſatisfaciam, atque, ne quod in poſterum hac de re tu verbum amplius facias, aut ne mihi, aut ei ob hanc emendationem, quam ille conjecturam vocavit, maledicas, narrabo tibi duas alias firmiores, quas ſpero tibi fore non ingratas. Una eſt in commentario Aſconii in II. in Verrem: L. Caſſius ex familia tum ad ceteras res, tum ad judicandum ſeveriſſima. Inde ſunt leges Caſſiæ tabellariæ de ſuffragiis libere dicendis, non voce, ſed tabula ille ille Caſſius, qui cognoſcendis criminalibus cauſſis inprimis quærendum eſſe dicebat, cui bono. Loquitur Cicero de L. Caſſio tribuno militum deſignato judice in cauſſa Verris, quem eundem legem tabellariam tuliſſe, & ſeveriſſimum judicem fuiſſe videtur interpretari Aſconius; itaque cum hoc putaret Corradus in commentario in Brutum, Aſconium ipſum hoc nomine male accepit, quod tres Caſſios confudiſſet; quod non eſt faciendum. Siquidem legendum eſt, non, ille ille Caſſius, ſed inde ille Caſſius. Senſus eſt; dixit Cicero, L. Caſſius ex familia tum ad ceteras res, tum ad judicandum ſeveriſſima; interpretatur Aſconius, cur dixerit, Familia ad ceteras res ſeveriſſima, & ait dictum propter L. Caſſium Longinum eum, qui tribunus plebis legem tabellariam de judiciis populi tulit: Ad judicandum autem, propter illum L. Caſſium, cujus prætoris tribunal ob ſeveritatem ſcopulus reorum appellabatur, & qui in cauſſis quærebat, cui bono; de quibus, quia notiſſimi ſunt, nihil amplius dico. Alter locus eſt apud Valerium capite de inſtitutis hic: Claudius Pulcher ſcenam varietate colorum adumbravit, totam argento C. Antonius, auro Petrejus, ebore Q. Catulus prætexuit. Verſatilem fecerunt Lucius, & Cinna locum, quem argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornavit; quære qui ſint hi Lucius, & Cinna, & quid ſit Verſatilem locum fecerunt, nihil invenies; adjuvant antiqui libri, ut veræ lectionis veſtigia perſequamur, qui habent: Verſatilem fecerunt Lucum, argentatis; ex quo conjicere poſſis, LUCUM mendoſe eſſe pro LUCULLI. Hunc locum declarat alter locus, qui eſt in ſecundo de officiis: Deinde C. Claudius Ap. F. multi poſt. Luculli, Hortenſius, Silanus, omnes autem P. Lentulus me conſule vicit ſuperiores; loquitur enim de magnificentiſſimis ab his viris actis ædilitatibus, ut etiam Valerius; quanquam ibi mendoſe etiam legitur Lucullus, pro Luculli. Hoc oſtendit Plinius libro VIII. cap. VII. Romæ pugnaſſe Feneſtella tradit primum omnium in circo Claudii Pulchri ædilitate curuli, M. Antonio, A. Poſtumio coſs. anno urbis ſexcenteſimo quinquageſimo quinto; item poſt annos XX. Lucullorum ædilitate curuli adverſus tauros; oſtendit etiam Plutarchus, qui L. Lucullum cum M. Lucullo fratre ædilem curulem ait fuiſſe. Verſatilem ergo, inquit, ſcenam fecerunt Luculli in ædilitate, argentatis choragiis P. Lentulus adornavit. Hæc, atque alia ejuſmodi multa tibi narrabo, ſi tacueris, ſin autem maledicere perrexeris, ne hæc quidem tibi dixiſſe volo.

IN CAPUT IV.

Aſconiani loci explanatio refutata aliaque allata. Catilinam à Cicerone non eſſe defenſum.

SEquenti capite dum mirificum agit emendatorem Aſconii Robortellus, aperte oſtendit, ſe Aſconium ipſum non intelligere; locus eſt in oratione in Antonium & Catilinam competitores; ubi diſputat adverſus Feneſtellam, qui ſcripſerat, Catilinam defenſum eſſe à Cicerone, accuſante Clodio, quo loco ubi Aſconius multa alia argumenta, ex verbis Ciceronis ſumpta, quibus Feneſtellæ ſententiam refutaret, expoſuit, ad extremum ita concludit: Præterea movet me, quod cum ſint commentarii Ciceronis earum etiam defenſionum; commentarii autem principium ita: Quòd judicio abſolutus eſt Catilina; ut Clodius infamis fuerit, prævaricatus eſt. In his verbis, Robortellus primum notat Manutium, qui locum aſteriſco notaverit; poſſe enim aſteriſcum deleri, ſi vox addatur: Quòd, hoc modo: ut Clodius infamis fuerit, quòd prævaricatus eſt; nec ſentit recte ſignatum fuiſſe locum, cum ipſius etiam judicio vox una deſideraretur; deinde interpretatur eum ita, ut contrariam, quàm velit Aſconius, ſententiam inferat. Commentarios enim eos intelligit fuiſſe earum defenſionum, quas Cicero ſuſcepiſſet, cum ſint earum, quas alii per ea tempora ſuſceperunt. Itaque cum concludat Pædianus, ex hoc etiam commentario apparere Catilinam à Cicerone non eſſe defenſum, ille contrarium concludit ait. Sic enim loquitur: „ Ex quibus liquido „ cognoſci poteſt, non modo à Cicerone Catilinam defenſum, ſed etiam iniquo illum „ tuliſſe animo, quòd Clodius accuſator eſſet „ prævaricatus. Et tamen nihil aliud pugnat Aſconius, quam ut oſtendat, Catilinam non eſſe à Cicerone defenſum, contra quam Feneſtella ſcripſit. Itaque poſt alia argumenta ait: præterea movet me, quod cum ſint commentarii Ciceronis earum etiam defenſionum; id eſt, præter alia me in hanc ſententiam adducit, quod cum Cicero ſcripſerit commentarios earum etiam defenſionum, tamen non à ſe defenſum Catilinam oſtendit; cum principium commentarii tale ſit: Quod judicio abſolutus eſt Catilina: Ut Clodius infamis fuerit, quòd prævaricatus eſt; quaſi vero hoc velit dicere: Catilinam abſolutum non ipſius innocentia, aut patroni eloquentia, ſed culpa accuſatoris Clodii; quod non dixiſſet Cicero, ſi ſe patrono abſolutus eſſet. Quin etiam venit mihi aliquando in mentem ſubvereri, ne vox illa, Ciceronis, inducenda ſit, &, Ejus, reponenda hoc modo. Movet me, quod cum ſint commentarii ejus earum etiam defenſionum. Ejus autem intelligendum ſit Feneſtellæ, non Ciceronis, quam vocem quoſdam ſuſpicor in albo libri notaſſe, ut quid per, Ejus, intelligeret, declararent, alios vero in verba ipſa Aſconii deinde intuliſſe; cur autem Feneſtellam putem, facit Diomedes, qui libro primo Feneſtellam in ejuſmodi libro, dum de verbo decollare agit, citat auctorem. Feneſtella inquit in libro epitomarum ſecundo: Quemadmodum Cæſar à piratis captus ſit, utque eos poſtea ceperit, & decollaverit. Ap-

paret

A paret enim Feneſtellam ſive commentarios, ſive epitomas, ſive breviarium Romanarum ſcripſiſſe, quo capita ſingula rerum notaverit, quas deinde pluribus verbis exponeret; in cujuſdam autem commentarii principio meminiſſe defenſionum earum, quæ eo tempore, quo Catilina cauſſam dixit, accuſante Clodio, ſuſceptæ ſunt; abſolutum autem Catilinam non patroni opera, ſed accuſatoris culpa ſcripſiſſe. Utrius autem ille commentarius Ciceronis, ac Feneſtellæ fuerit, illud dubium non eſt, Robortellum neceſſarium meum Aſconii ſententiam non eſſe aſſequutum.

IN CAPUT V.

B *Aſconii emendatio reprehenſa. De Clodii cadavere in roſtra perlato.*

AGe vero non intellexit hoc loco Aſconium Robortellus, atque ea ſcripſit, quæ menti ipſius, & argumentationi apertiſſime repugnarent, num ſequenti quid ille voluerit, eum attendiſſe, aut pervidiſſe putamus? multo minus; id autem ita eſſe, ne fingere videamur, oſtendamus; locus eſt in argumento Milonianæ, ubi de cadavere Clodii loquitur: Eiſque obſtantibus vulgus imperitum corpus nudum, caldatum, ſicut in lecto erat poſitum, ut vulnera videri poſſent, in forum detulit, & in roſtris poſuit. Vocem,
C Caldatum, mendoſe eſſe exiſtimat, & pro ea reponendum eſſe, Calda lotum; eam emendationem ut probet, affert, cadavera antiquos aqua calida lavare ſolitos fuiſſe, & maxime cæſorum, eoſdemque Caldum pro calido uſurpaſſe; in quo fecit ridicule; etenim ut hoc probaret, dictionaria omnia, quaſi ea res aut negaretur, aut dubia eſſet, in unum contulit. Quæ tamen ut ei omnia concedantur, nihil ad hunc locum pertinent; pervertunt enim totam hujus facti hiſtoriam, quam ille mente animoque non videtur comprehendiſſe. Neque enim corpus Clodii lotum eſt, aut lavari potuit, aut debuit. Lotum non eſſe
D declarat Cic. in Miloniana, cum ait in Sex. Clodium P. Clodii ſcribam: Tu P. Clodii corpus cruentum cadaver ejeciſti domo, tu in publicum ejeciſti, tu ſpoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione infeliciſſimis lignis ſemiuſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti, quam rem etſi neceſſario feciſti, tamen quoniam in meo inimico crudelitatem exprompſiſti tuam, laudare non poſſum, iraſci certe non debeo. Item: Nec vero non eadem ira deorum hanc ejus ſatellitibus injecit amentiam, ut ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine exequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore, & luto, ſpoliatus illius ſupremi diei
E celebritate ambureretur abjectus. Lavari non potuiſſe, id argumento eſt, quòd pridie ante primam noctis horam in urbem, & domum perlatum, poſtridie prima luce in forum delatum eſt auctore Dione, cum tota nocte in atrio domus ſtetiſſet, atque ab uxore, & multitudine circumſtante, ut ait Aſconius, comploratum fuiſſet. Lavari autem non debuiſſe illud probat, quòd cum Clodiani invidiam Miloni facere vellent, non videtur veriſimile eos cadaver abluiſſe, & cruorem, quo maxime plebs concitari poterat, abſterſiſſe. Sic enim corpus Cæſaris cruentatum ab Antonio in roſtra perlatum eſt, auctore Dione, cum aliquot ante diebus vulneribus confectum fuiſſet. Hæc ergo omnia Clodiani augendæ invidiæ cauſſa fecerunt, ut corpus non veſtitum, ſed nudum, non lotum, ſed cruentum, ſicut erat, non humili in loco, ſed in edito lecto, ut vulnera conſpici poſſent, in forum deferrent, & in roſtris ponerent. Quare ut de ſenſu certus ſum, ſic ambigo de voce, an caldatum recte habeat, an vitioſe; & ſi vitioſe, quæ pro ea reſtituenda ſit. Vereor autem ne, Caldatum ſicut erat, legendum ſit, quia de Cæſaris cadavere ab Antonio plebi pro roſtris demonſtrato loquens ait: ᾑμαγμένον, ὥσπερ εἶχε, id eſt, cruentatum ſicut erat; & Valerius: Cadaver togatum, & calciatum ſicut erat, rogo impoſuerunt. Omnino autem & calciatum, & alia quæcunque lectio potius, quàm hæc Robortelliana, ferenda eſt.

IN CAPUT VI.

Egregia Aſconii quæ putatur emendatio, deluſa. De Cn. Piſone qui in Hiſpaniis obiit.

SEquenti autem capite idem omnem doctrinæ, & gravitatis ſuæ rationem explicuit; dicam primum de doctrina; locus eſt Aſconii in commentario orationis in competitores ejuſmodi: Piſo autem, cum hæc dicerentur, perierat in Hiſpania, miſſus à ſenatu per honorem legationis, ut avus ſuus ablegaretur, ibique dum injurias provincialibus facit, occiſus erat. Emendat ille: ut ab urbe ablegaretur. Primum igitur dico, audax nimis ab eo genus emendationis induci, cum ſine veterum librorum auctoritate ex duabus vocibus unam literam tantum ſervet, reliquas funditus tollat. Nam, ſi hæc per eum libertas detur, ut ſententia incolumi, una ex duabus vocibus tantum litera conſervetur, nullum opinor tam deſperatum locum futurum, qui non à quocunque facile corrigi poſſit; deinde quoniam ille, Ab urbe legit, auctoritate Saluſtii motus, qui de eo Piſone loquens ait: Quippe fœdum hominem ſenatus à rep. procul eſſe volebat, addo, ad id ſignificandum ſatis fuiſſe vocem, Ablegaretur. Nam qui ablegatur, is ab urbe amovetur; quod abſolute poſuit Cicero, ut in Verrem: Hoc eo facit, ut ille non ſolum abeſſet à domo, tum cum navigaret, ſed etiam libenter, cum magno honore, beneficioque abeſſet; ipſe autem remoto, atque ablegato viro &c. ſic pro domo: Me expulſo, Catone amandato. Si ergo ſatis ſententia ſine illis vocibus, ab urbe, conſtat, ſi hæc locutio uſitata eſt, cur ſine veterum auctoritate librorum, ſine ulla ſimilitudine literarum, pro Avus ſuus, Ab urbe reponere voluiſti? At Saluſtius inquit, procul eum à rep. ſenatum eſſe voluiſſe. Quid ſi doceam, qui ab urbe ablegatur, non iccirco à rep. removeri? Nam qui ab urbe removetur, is ad certum temporis ſpatium uſu urbis ſpoliatur, ita ut abſoluto annuo, aut bimo provinciali munere redeat, ut C. Gracchus, qui quæſtor Oreſti conſuli datus contra S. C. ex Sardinia rediit, ac tribunatum pl petiit; cum tamen Plutarcho teſte ei munus in provincia ſenatus prorogaſſet, ut procul ab urbe eſſet. Itaque ab urbe amandari ſolent ii, de quibus metus eſt, ne reip. noceant, ſi eo anno quo ablegantur, in urbe fuerint, ubi vero redierint, non timentur. Sic amandatus eſt per honorem M. Cato à Clodio tribuno pl. in

Cy-

Cyprum, ne actionibus ſuis tribuniciis, ſi in A
urbe eo anno eſſet, adverſaretur. At qui amovetur à rep. is à magiſtratibus repellitur, ne quando ejus anni magiſtratu incommodus eſſe reip. poſſit. Hoc fit, ſi cum annus petitionis legitimus alicujus inciderit, in eum annum, ne ille obire legitimam petitionem ſuam poſſit, amandaris; ita ut etiam ſi poſt annum ſuum redeat, & petere velit, anguſtiorem petitionis locum habeat. Cujus ergo legitimam petitionem impediſti amandatione, eum quodammodo à rep. removiſti, quia in anguſtiorem adipiſcendi magiſtratus locum eum adduxiſti. Quod ad Piſonem transferri poteſt. Imminebat enim annus ejus legitimus petendi tribunatus plebis. Itaque ſenatus, ne B
quid in eo magiſtratu mali moliretur, veritus, anno ſuo; (ſic enim tum in hac re loquebantur) abeſſe ab urbe, ut à rep. removeretur, voluit. Petiturum autem eum fuiſſe tribunatum plebis argumento eſt, quod & plebejus erat, (Piſones enim plebeji omnes;) & quæſtor fuerat; qui magiſtratus ante tribunatum pl. capiebatur. Quod oſtendit epigramma, quod de eo extat Romæ in horto Cardinalis Carpenſis in ſemita, tale

CN. CALPVRNIVS CN. F.
PISO QVÆSTOR PROP. EX S. C.
PROVINCIAM HISPANIAM CITERIOREM
OPTINVIT. C

De metu autem, quo ſenatus afficiebatur, ne quid mali reip. strueret ſic Dio: ἐπεὶ δ' οὖν καὶ ὡς ὀπίσω ἐθρασύνετο, ἐφοβήθη τε ἡ γερουσία μή τι συνταράξῃ, καὶ εὐθὺς αὐτὸν ἐς Ἰβηρίαν, πρόφασιν, ὡς καὶ ἐπ' ἀρχήν τινα ἔπεμψε. Quorſum hæc? ut intelligant omnes, cum ſcriptum ſit, ut avus ablegaretur, legendum potius eſſe, ut anno is ſuo ablegaretur, quam ab urbe; quanquam ego nihil affirmo; venit enim in mentem, cum ipſarum literarum veſtigia animo perſequor, legi etiam poſſe, ut ab ſuis ablegaretur, vel, ut ab conſciis ablegaretur. Scribit enim Svetonius, ob ſuſpicionem urbanæ conjurationis provinciam Hiſpaniam ei ultro extra ordinem à ſenatu eſſe decretam. D
Si ergo conjurationem ejus metuebat ſenatus, ergo, ut avelleret eum vel ab ſuis, vel ab conſciis, ablegavit. Cum igitur his omnibus modis hæc emendatio in dubium revocari, atque omnino everti poſſit, audet tamen Robortellus eam ita laudare, ut ſe nulla alia, quam hac magis delectari affirmet; inquit enim: „ Plane, ſi unquam mihi „ placui in veterum libris emendandis, nunc „ demum hoc loco corrigendo mihi placeo. Ex quo apparet, ſi hanc ipſe correctionem omnium optimam judicavit, quæ alieniſſima, ac ſine dubio falſa ſit, quid de reliquis ejus judicare, quæ non ita ei probentur, debeamus. Dixi de ſcientia hominis, nunc dicam E
de gravitate. Is ergo adeo gloria effertur, & quadam, ut ita dicam, vanitate, ut ipſe omnia ſcire, alios à ſe didiciſſe omnia videri velit; in quo ipſe deridendus eſt maxime. Nam aut omnino nihil ſcit, aut ſi quid ſcit, id ab iis, qui ſciunt, compilavit; quid ergo? Ubi egregiam hanc ſuam emendationem expoſuit, eam teſtimonio multorum virorum, atque clariſſimorum adoleſcentum ſuam eſſe confirmat, ne gloria ejus pereat, quodque multo fœdius eſt, ita ſubdit: „ Dicere autem hoc, „ & tam multorum teſtimonio meam emen-
„ dationem munire ideo volui, quia vereor, „ ne Sigonius in ſuo aliquo volumine inſerue„ rit. Cui ego reſpondeo: me nec inſeruiſſe eam, nec audiſſe, nec ſi audiſſem, inſerturum fuiſſe; quia non adeo ingenii inops ſum, ut aliena, & maxime Robortelli ineptiſſima monimenta gloriæ cauſſa mihi ſint corroganda. Ille vero, ſi me judicat ſuis inventis ad laudem literarum egere, legat aliquando hunc librum, & diligentius attendat, an qui omnia ejus decreta ratione, & auctoritate labefactarit; atque eum plerunque delirare oſtenderit, una ipſius correctione, eaque falſa ad famam nominis ſui propagandam ei abuti opus ſit. Eos vero, quibus hæc ſe tradidiſſe teſtatur, rogatos velim, ut & ipſi hæc noſtra aliquando legant, ne ſi forte ejus auctoritate adducti, præclarum aliquid ſe ab eo didiciſſe exiſtiment, tantum poſt hac errorem alant, ſed falſa ſe imbutos diſciplina intelligant, quam qui nimis ſibi arrogant, tradere ſoliti ſunt; & ſi Aſconium ſuum hujus admonitu emendarunt, omnem illam emendationem inducant, & ibi hunc auctorem ejus Romanas neſcire literas ullas me auctore aſcribant.

Expoſitiones locorum aliquot, unde à Robortello ſumptæ ſint.

NE vero ſuſpicetur aliquis novum hoc nunc exarſiſſe ſuorum vindicandorum ſcriptorum in Robortello ſtudium, audiat, quid in extremo capite libri ſecundi Annotationum ſuarum in Andream Alciatum, juriſconſultum clariſſimum atque ea literarum Latinarum gloria, qua pauci hoc tempore ſunt, præditum; cum adhuc viveret, & maxime floreret, ſcripſerit. „ Sed idem Alciatus, in„ quit, eodem libro tribus in locis, dum „ ſuorum juriſconſultorum excutit barbariem, „ in dictione Oeconomus omnia ea, quæ à „ me adnotata fuerant περὶ οἰκονομίας in prio„ ribus meis annotationibus aſcribit in ſuo „ libro, neque meæ explicationis facit ullam „ mentionem. Rurſus in eodem libro, ubi „ digrediens quàm longiſſime à re ſua, lo„ quitur de Acheloo, Acheloum veteres de„ clarat accepiſſe pro aqua, eaque ratione „ Virgilianum explicat verſum: Poculaque „ inventis Acheloia miſcuit uvis, quem ver„ ſum omnes ſciunt ante à me expoſitum in „ explicationibus quorundam locorum apud „ Horatium ex illis Athenæi verbis; μὰν ἀχε„ λῷος ἐςὶν ὕδωρ: & paulo poſt: Ne igitur „ crederent homines, me illa ab Alciato ſum„ pſiſſe, dum recens adhuc memoria eſt rei „ hujus, mature cavendum honori meo exi„ ſtimavi contra tanti viri auctoritatem. Edi„ di ego abhinc ſex annos, ſcilicet MDLII. „ Annotationes quaſdam meas in plurima lo„ ca difficilia veterum, quæ typis ſuis pri„ mum excudit Venetiis Joannes Burgifran„ cus Papienſis, biennio poſt, aut aliquanto „ etiam ſerius edidit poſteriores libros ſuo„ rum παρέργων Alciatus, ſcilicet MDLIIII. ſic „ facile intelliget unuſquiſque quod volu„ mus. Qua ergo diligentia Robortellus tum cuſtodivit ſcripta, ac monimenta ſua, ac propriam gloriam ab aliis uſurpari non permiſit, eadem cura hoc etiam loco ſermones ſuos domeſticos, ac privatam laudem, ne ab alio uſurparetur, defendit. Scilicet Robortellus iſte literarum affectat dominatum, & literatos omnes à ſe omnia, quæ tenent, accepiſſe cupit

pit videri, ac ſibi omnium conceſſu principatum doctrinæ deferri. Quod cujus modeſtiæ ſit, facile unuſquiſque per ſe intelligere poteſt. An igitur Robortelle, ſi quid tu ſomniaveris, alter ſcripſerit, tu illi repente bellum inferes, quia te ſomnii ejus auctorem non citarit? aut eas chartas quibus Franciſci Robortelli nomen non celebretur, maledictis conſcindes, contumeliis lacerabis? Quid tu? an ea ſcribis ſemper, quæ nemo ante tradiderit, nemo viderit, nemo cogitatione confinxerit? Non diſcedamus ab Alciato (nam hujus viri memoria me valde delectat,) quid? ante te nemo ne ex noſtris de œconomo ſcripſerat? atqui eadem ipſa Ambroſius Calepinus, ſive quis alius, in magno illo commentario ex Quintiliani ſententia dixerat, an Acheloum pro aqua ab antiquis uſurpatum, ſenſiſti primus? quid eſt tam tritum, quid tam vulgatum? Servius in illum, cujus tu meminiſti, Virgilii verſum: Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis, non ne id tradit; quid dicam Servium? nonne Macrobius plurimis verbis rationem ejus uſus literis conſignavit, quæ hoc loco referre ſupervacaneum eſt? &, ſi eum ut nimis antiquum telegiſſe negas, non ne Perottus in Epigramma ſextum ad Domitianum in libro, qui dicitur Cornucopiæ, eadem iiſdem fere verbis repetiit? cur ergo hæc à te Alciatus, cur non potius à Macrobio, & Servio, quam à te? quanquam vide, quo te effrenata tua iſta maledicendi libido, atque ambitionis quaſi quidam fluctus attraxit; quod à te accepiſſe Alciatum criminaris, id ille ne potuit quidem. Nam de Acheloo non in primo Annotationum libro, quem videre potuit Alciatus, ſed in ſecundo, quem tu, cum ea in Alciatum ſcribebas, in manibus habebas, nec dum edideras, ſcripſiſti; neque in explicandis verſibus Horarianis, ſed Catullianis ejus rei meminiſti; hoc autem feciſti Capite IX. ubi loquens de miſcendo vino apud Catullum, ſubjicis: „ Lepidum eſt ſatyri illius dictum pe„ tulci; & ebrioſi apud Achæum, quod ibi„ dem refert Athenæus; μῶν ἀχελώου ἦν κεκρεμ„ μένος; quo noſter Virgilius reſpiciens ait: „ Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis. Adeo ergo te rabies iſta obtrectandi obcæcavit, ut quo loco, & quomodo de Acheloo ſcripſeris, cum in Alciatum diceres, non memineris? quæ tua mens hæc eſt, quæ ratio, Robortelle? quid te his portentis aſſequuturum exiſtimas? Sed quid ago? redeamus ad rem; quid? an aliud quicquam te tradidiſſe putas, quod non alii ante tradiderint? Clamas in Ronghegallum capite XVIII. & ais ὀμβρικὰς, de quibus loquitur Ariſtoteles in libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, Umbros eſſe Italiæ populos, id quod ante à Stephano proditum eſt, cujus tu credo nomen eo loco, ut tu ſolus ſapere videreris, reticuiſti. Stephanus autem ita: ὀμβρικοὶ ἔθνος ἰταλικὸν περὶ τὸν ἀδριανὸν κόλπον μέσον τοῦ πάδου, καὶ πικεντικοῦ λέγονται καὶ ὄμβροι, καὶ σίμβροι παρὰ τοῖς ἰταλικοῖς συγγραφεῦσι. παρ' αὐτοῖς ἱστορεῖ θεόπομπος ἐν τῷ περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων ὅτι τρὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ τίκτουσι τὰ βοσκήματα καὶ τοὺς καρποὺς πολλαπλασίους τὴν γῆν ἀνιέναι τῶν καταβαλλομένων καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν πολυγόνους. σπανίως γὰρ ἓν τίκτουσι τὰς δὲ πλείστας δύο, ἢ τρία. Verum hoc quidem callidi hominis eſſe exiſtimo, eorum nomina ſubticere, qui auctoritate præditi ſint; illud vero ridiculi, quod capite XVIII. libri primi, ut rem no-

A vam docuiſti, Benignos à Latinis dici, qui in alteros beneficia conferunt, & liberalitatem pro liberalitate accipi, id quod exemplis multis tibi etiam confirmandum ſumpſiſti, cum ea omnia Perottus in epigramma VI. ad Domitianum ante te & docuerit, & aperuerit. Sic enim ait: A bono benignus dicitur, liberalis, beneficus; unde benignam terram dicimus fructus abunde reddentem. Plinius de Ægypto: Nulla eſt benignior tellus, nullus ager feracior; à quo, benignitas liberalitas, benigne liberaliter. Age vero, non ne te in epigrammate etiam Catulli exponendo venditas, cum eam expoſitionem ab interprete Guerrino acceperis? Tu enim libro primo An-
B notationum, capite IX. ita ſcribis: „ Locus „ eſt apud Catullum nondum ſatis explana„ tus ab interpretibus, quorum nonnulli, „ quod non intelligerent, dictionem mutan„ dam putarunt; verſus hi ſunt: Miniſter ve„ tuli Falerni ingere puer mi calices amario„ res; perperam nonnulli legunt avariores, „ locumque putant corruptum, cum ſit inte„ gerrimus. Catullus enim docte ſignificare „ volens vetus Falernum, de amarore fecit „ mentionem, qui ob vetuſtatem ſapor in „ vino fit. Nunc ſi tecum egerit hoc modo Guerrinus: Hæc mea interpretatio eſt, XXV. ante annis à me ex commentariis doctiſſimi patris mei in vulgus prodita, non tui Robor-
C telle, quid reſpondebis? Verba autem Guerrini apponam ex ejus commentario: Amariores eſto; quidam maraciores, alii avariores legere maluerunt; ego tamen, ut in codice paterno reperi, amariores legendum exiſtimo; cum enim vetulum Falernum, tanquam optimum popoſcerit, ita etiam amariora pocula ſibi inferri jubet; quoniam in vino veteri amaritudo ipſa delectat; quod Seneca ad Lucilium ſcribens in conſolatione de amico defuncto epiſtola LXV. per quandam comparationem his verbis declarat: Nam, ut dicere ſolebat Attalus noſter, ſic amicorum defunctorum memoria jocunda eſt, quomodo poma quædam ſunt ſuaviter aſpera, quomo-
D do in vino nimis veteri ipſa nos amaritudo delectat. Nonne tu Robortelle ſatis locum illum emendatum, atque illuſtratum eſſe judicas? quid ergo te in aliena laude oſtentas? Sed quoniam Catulli, & Guerrini feci mentionem, nonne in expoſitione epithalamii omnia à Guerrino mutuatus es, nec ejus nomen unquam protuliſti? afferamus aliquot loca, quoniam huc me injuſta iſta tua alienorum furtorum exprobratio devocavit, ut nullum obtrectationis genus, quo tibi non ſatis fecerim, relinquam.

Hymen ò hymenee hymen. Tu: Sic Plautus in Caſina. Guerrinus: Hoc ſumptum videtur ex Plauto in Caſina.

E Luteum ſoccum. Tu: Luteo ſocco utebantur ſponſæ, ut aſſerit Seneca in Hippolyto his verbis: Crura diſtincto religavit auro luteo plantas cohibente ſocco. Idem notavit Guerrinus.

Spineam quate tædam. Tu: De Spina arbore Plinius. Idem citatis Plinii verbis Guerrinus.

Bona alite nubit. Tu: Virgilius libro IIII. cum ait: Primiſque jugarat omnibus. Eundem verſum affert hoc loco Guerrinus.

Ac domum dominum voca: Tu: Alludit ad coëmptionem de qua ſuperius. Item Guerrinus: Ad nuptias per coëmptionem alluſiſſe vi-

videtur, de quibus ſupra ex Plutarchi auctoritate.

Ut tenax hedera. Tu: Huc ſpectant tres Gallieni imperatoris Auguſti verſus. Item Guerrinus: Simile eſt illud à Pollione pro Gallieno; & verſus tres ipſos recitat.

Nec parens ſtirpe dicier. Tu: Nam Spurii, qui non naſcuntur ex legitimo conjugio, ſequuntur matrem. Num aliter Guerrinus? Filii non legitimo concepti matrimonio non patris, ſed matris genus aſſequuntur, ut in jure habemus digeſtis de ſtatu hominum in l. lex naturæ; quæ eſt lex Ulpiani.

Non quem dare præſides. Tu: Plutarchus in problemat. ait patrem patratum fieri non potuiſſe, niſi patrem haberet viventem, & liberos; Guerrinus. Ad morem Romanorum alludens, feciales, & patrem patratum, intelligit; is enim eſt, qui patrem habet, & idem habet filios.

Da pueris nuces. Tu: Servius in Bucol. Virgilii verſum exponens ait, conſueviſſe ſpargi nuces intrante ſponſa in domum ſponſi, quòd ſignificaret ſe omnia puerilia relinquere; nam eo reſpicit etiam dictum ſatis omnibus notum Perſii; quid Guerrinus? Servius in Bucol. Nuces antiqua conſuetudine pueris dabant, ſignificantes omnia puerilia in poſterum ſpernere; unde Perſius dixit: Nucibus facimus quæcunque relictis.

Transfer omine cum bono limen. Tu: Sponſa ingrediens mariti domum non attingebat limen; hujus rei cauſſam explicat Plutarchus in problemat., & Servius lib. II. Æneid. At non ne idem ante te Guerrinus? Erat moris, inquit, in nuptiis, ne nova nupta domum ingrediens limen tangeret; cujus rei cauſam Plutarchus in problematis reddit. Servius vero in II. Æneidos hoc fieri ſolitum ait, ne locum numini ſacratum pedibus calcarent.

Vos unis ſedibus cognitum. Tu: Pronubæ matronæ erant, quæ unum tantum habuiſſent maritum, ut Sex. Pompejus ſcribit; hæ ſponſum in lecto ſponſi collocabant. Idem Guerrinus ita: Quoniam boni ominis gratia non poterant pronubæ eſſe, quæ duos maritos habuiſſent; quod Feſtus Pompejus docet, ideo ait cognitum in ædibus unius.

Alba parthenice. Tu: Plinius libro XXV. cap. V. Guerrinus verba ipſa omnia Plinii affert.

Luteum ne papaver. Tu: Subrufum intelligit; nam ejus tria ſunt genera. Guerrinus: Papaveris genera tria docet Plinius libro XIX. cap. VIII. tertium genus eſt, quod græci rhœam vocant, flore ruſo, protinuſque deciduo; de hoc intelligit hoc loco Catullus. Nam luteum colorem ſubrufum eſſe declaravimus.

Torquatus parvulus. Tu: Sic etiam Virgilius libro IIII. Æneidos. Parvulus aula luderet Æneas. Guerrinus: Hinc videtur eſſe illud Virgilianum: Si quis mihi parvulus aula luderet Æneas.

Atque hæc ſint ſatis. Tu ergo Robortelle cum Calepini, cum Perotti, cum Guerrini, cum aliorum ejuſmodi recondita ſcripta compilare ſoleas, atque tuas præclaras annotationes ornare, eo licentia, ac cupiditate proveheris, ut ſi quid tibi forte venerit in mentem, id ſi alteri quoque venerit, ab eo proferri, niſi te auctorem fecerit, prohibiturus ſis, eumque furti poſtulaturus, & teſti- A bus id te ante vidiſſe convicturus? Me miſerum, quid eſt, quod ego in literis poſthac verſer, ſi auctorem meorum omnium ſcriptorum, opinionum, cogitationum debeo habere Robortellum? cur erravit Sigonius? quia Suræ prætoris apud Pædianum emendavit, quod etiam viderat Robortellus; cujus criminis arguitur Sigonius? quòd, Ab urbe ablegaretur, fortaſſe apud Pædianum corrigendum eſſe literis prodidit, id quod ante ſenſit, & quidem ineptiſſime Robortellus; in quo denique culpandus eſt iſte Sigonius? quia Franciſcum Robortellum novum Grammaticorum Ariſtarcum, Rhetorum Gorgiam, in antiquitate R. Varronem alterum, Latinarum, Græ- B carumque literarum coryphæum, tertium denique non Uticenſem, ſed Utinenſem Catonem non ſibi, non omnibus anteponit. Male ille quidem, præſertim in Robortellum eloquentiæ, atque doctrinæ omnis inſtauratorem, cujus in labiis Ciceroniana dicendi facultas, in pectore vis Demoſthenica, in capite Platonica ſapientia reſident, is, qui eſt, ut inquit poëta ille, Augur, Schœnobates, Medicus, Magus, omnia novit, quemque nos merito hoc calamitoſiſſimo tempore firmiſſimum laborantis Italiæ robur poſſumus appellare. Sed nimis multa de nugis; ad rem redeamus.

IN CAPUT VII.

C

Aſconius cum ſuo patrono reprehenſus. Ciceronis, & Livii error ſignatus.

ECce autem, ut qui ſemetipſum defendere, nec quicquam egregium, niſi hinc inde corrogatum, poteſt afferre, repente patronus antiquorum adverſus Manutium factus eſt; at quorum? Aſconii; ô te infelicem Aſconi, cui defenſor ille obtigit, quo agente, niſi accuſatoris te forte ſumma benignitas ſublevarit, turpiſſime condemnandus ſis; quid ait Aſconius? Verba hæc Ciceronis in Verr. III. interpretatur: Audimus aliquem tabulas nunquam confeciſſe, quæ eſt opinio hominum de D Antonio: interpretatur autem his verbis. Hic eſt M. Antonius diſſolutiſſimus curator totius oræ maritimæ, Cretæ mortuus, de quo ipſe dicet: poſtquam M. Antonii infinitum illud imperium ſenſerant; & quem Salluſtius ait perdundæ pecuniæ genitum, & vacuum à curis niſi inſtantibus. Accuſavit ergo hanc interpretationem Manutius, quòd Antonius ille, quem opinio fuit non conficere tabulas, non diſſolutiſſimus curator oræ maritimæ fuerit, ſed M. Antonius orator ille clariſſimus, qui de ſe apud Ciceronem in II. de oratore ita loquitur: Sed tamen ne tabulas quidem conficere exiſtimor. Hanc ergo Manutianam plagam depellit artificio ſuo Robortellus; emen- E dat enim librum Aſconii conjectura duce, ita: Hic eſt M. Antonius pater diſſolutiſſimi illius curatoris oræ maritimæ. Nam vere M Antonius orator pater fuit M. Antonii Cretici; ſic enim hunc diſſolutiſſimum curatorem appellat Plutarchus. Sed hoc voluiſſe Aſconium nunquam probabit. Nam quod ait in aliis libris legi: Hic eſt M. Antonius prætor diſſolutiſſimus curator oræ maritimæ, Cretæ mortuus; recte: habuit enim ille eam provinciam in prætura, unde ſcriptum eſt in epitome libri XCVII.: M. Antonius prætor bellum adverſus Cretenſes parum proſpere geſtum morte ſua finivit; de quo nos plura in commentariis faſto-

A ſtorum collegimus, ubi de bello piratico ſcripſimus; at vero quod vox, prætor, in pater, ſit transferenda, non item. Puto enim bene habere. Aſconium vero, ut hominem peccaſſe; erroris autem ejus cauſas has maxime veriſimiles reddi poſſe. Loquebatur Cicero de Antonio illo, quem homines exiſtimabant tabulas non conficere. Hoc qui apud Romanos facere prætermittebant, diſſolutiſſimi habebantur. Ergo cum de diſſoluto quodammodo Antonio loqueretur Cicero, re, ut fit ſæpe, non diligenter inſpecta, ſtatim exiſtimavit, diſſolutum illum Antonium curatorem oræ maritimæ intelligi, de quo idem Cicero in eadem oratione dixiſſet: Poſtquam M. Antonii infinitum illud imperium ſenſerant, & quem Sal- B luſtius ait perdundæ pecuniæ genitum, & vacuum curis, niſi inſtantibus; quis enim, niſi loci Ciceronis ex II. de oratore meminiſſet, exiſtimare poſſet, hoc dictum eſſe de M. Antonio oratore notiſſimæ induſtriæ, atque integritatis viro? Itaque ſimilitudine morum ſcito deceptum eſſe Aſconium. Deinde quæ prudentia eſſet Aſconii, ut patrem clariſſimum virum ex moribus filii hominis diſſolutiſſimi declararet? quam ſæpe patres ex filiis nominantur? quam ſæpe clariſſimi homines ex obſcuriſſimis? quam ſæpe modeſtiſſimi ex nequiſſimis? itane vero? M. Antonius orator, princeps ejus familiæ, quæ poſt maxime floruit, C qui ex prætura triumphavit, qui conſulatum nobiliſſimum geſſit, qui ex conſulatu in provinciam abiit, qui cenſuram ſplendidiſſimam adminiſtravit, qui iis à natura ad dicendum præſidiis ornatus fuit, ut clariſſimum, atque eo tempore unicum exemplum eloquentiæ fuerit, qui in Syllana ſeditione pro Syllæ partibus cum ſtaret, crudeliſſime juſſu Marii interfectus ſit, cujus omnes prope actiones, omnia dicta, omnes de repub. cogitationes clariſſimo unius M. Ciceronis præconio, quem ille cum Craſſo de ſtudiis dicendi in libris de oratore differentem fecit, literarum monimentis mandatæ ſint, hic adeo obſcurus eſſe à Pædiano putabitur, ut eum cum demonſtrare D velit, ex filii diſſolutiſſimi, & turpiſſimi hominis moribus indicarit? Age verò, ſi patrem ex filio demonſtravit, cur deinde in filium digreſſus eſt? nonne ſatis erat dicere: Hic eſt M. Antonius pater diſſolutiſſimi illius curatoris oræ maritimæ? cur addidit verba Ciceronis, & Salluſtii non ad mores M. Antonii oratoris, quem, quis eſſet, interpretabatur, ſed ad mores curatoris oræ maritimæ, de quo agi à Cicerone falſo arbitrabatur, indicandos? An vero Robortelle, tibi concedi oportere putas, ut ſemper dormites, veteres ſemper non vigilaſſe non concedes? neſcis, quam facile inrantis antiquitatis ambagibus decipiamur? neſcis quot nobis ad errandum quaſi illecebræ E proponantur? an portentum putas, priſcos etiam vel diligentiſſimos homines eſſe lapſos? Paulo ante de Livio diximus, quem octo tribunos militares falſo pro ſex edidiſſe exiſtimamus. Sed Livium omittamus; quam ſæpe offendit noſter Cicero? quam ſæpe animi incertus Atticum magiſtrum in antiquitate conſtituenda ſuum de magiſtratibus, deque temporibus conſulit? quam ſæpe ab eo, ut mendas eorum etiam, quos jam ediderat, librorum, tolleret, poſtulavit? quam ſæpe ad eum de rebus etiam iis, quæ ſua memoria evenerant, retulit? Quod ergo Cicero fecit, neque in eo factum miramur, id in Aſconio, qui illo ut ætate, ſic doctrina & diligentia inferior fuit, ne ipſo quidem poſtulante defendemus? An vero M. Ciceronem in defenſione Murenæ, M. Catonem illum ſenem cum L. Scipione in Aſia fuiſſe falſo dixiſſe, cum tamen non cum Scipione, ſed cum Glabrione in Græcia eodem in bello fuiſſet, Robortellus tacitus patietur, Aſconium oratorem Antonium pro curatore ejus filio accepiſſe, nec ejuſmodi mores in modeſtiſſimo homine approbaſſe, non patietur? quid? an te uberiorem gloriam ex Aſconiana, quam ex Ciceroniana defenſione paraturum putaſti? non profecto. Sed, ut ſive Manutio, ſive Sigonio malediceres, præclaram tibi in vulgus etiam ineptam defenſionem commendationem nominis futuram exiſtimaſti.

IN CAPUT VIII.

HOc capite lectionem Terentianam quandam, cujus M. Antonius Muretus ex oratione Manutii meminerat, qui ſe eam porro à Gabriele Faërno audiſſe narrabat, reprehendit. Cujus defenſionem vel Faërnus, vel Manutius ipſe ſine dubio ſuſcipiet.

IN CAPUT IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI.

SEquenti capite IX. uſque ad XVI. diſputat adverſus me de nominibus feminarum; quod autem uno capite complecti poterat, & debebat, id, ut plura mea errata collegiſſe videretur, octo his capitibus eſt perſequutus; quorum defenſionem in eum commentarium rejeci, in quo librum ejus de nominibus totum à primo verbo uſque ad ultimum mihi refutandum eſſe ſuſcepi; quod, ne quis me hæc præteriſſe exiſtimaret, hic teſtatum relinquere volui.

IN CAPUT XVII.

Interpretatio loci Ciceronis defenſa; & de annulo obſignatorio.

DEinceps reprehendit Manutium Robortellus, qui locum Ciceronis in epiſtolis ad Q. Fratrem, parum commode interpretatus ſit. Locus eſt hic: Sit annulus tuus, non ut vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu, non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ. In hæc Manutius ita: Non ut vas aliquod, quod aſſidue circumfertur, ſed vide, quibus illum tradas, ne quis accepta pecunia ſignet ea, quæ tu non probares. Adverſus hanc expoſitionem contendit Robortellus. Primum autem telum, quod robuſtum jaculatur, eſt verbi mutatio; legit enim & quidem ex ingenio: vas aliquis, non aliquod; deinde ait, vas non dolium hic, ſed vadem intelligi, id eſt, ſponſorem. „ Ait enim, inquit, Cicero, videndum eſt, ô Quinte, ne annulus tuus ſit, „ tanquam vas alienæ voluntatis, id eſt, ne „ aliquis tuorum quæſtum hac ratione faciat „ in provincia, dum annulo tuo prætorio ſignet, te inſciente, corruptus largitione provincialis alicujus; fuiſſet igitur annulus tuus „ vere ſponſor, & vas voluntatis alienæ, „ id eſt eorum, qui corrupti fuerant. Deinceps multa addit, ut probet, veteres annulo in obſignando eſſe uſos; quod nemini, niſi ipſi, dubium aliquando fuit. De hac ergo expoſi-

tione

tione nullum ego verbum eram factùrus, niſi meam in hac re cauſſam defenſurus eſſem. Etenim cum aliquot, antequam Manutius commentarium ſuum ederet, diebus me de hujus loci ſententia amicus quidam meus ſummo ingenio præditus conſuluiſſet, reſpondi eadem fere ratione, qua Manutius; quæ expoſitio cur nunc à Robortello improbetur, non video. Monet enim Cicero fratrem, ne temere committat alteri, ut libero ſuo, quem plurimum amabat, Statio, annulum obſignatorium, ſed ſecum perpetuo habeat; nam ſi eum, ut vas aliquod omnibus dabit utendum, fiet, ut ſit miniſter alienæ voluntatis, non teſtis ſuæ; qui enim annulum eum habuerit, is, quæ placuerit, pro libidine ſua obſignabit, corruptus ſcilicet pecunia ab iis, qui ab ipſo prætore gratis id impetrare non potuerunt; apparet autem tranſlationem à vaſe ſumptam eſſe; nam præterquam quòd annulos ſcimus tanquam vaſa fuiſſe, cum iis condi venena etiam ſæpe ſolita tradat Plinius, hoc etiam declaravit Cicero, cum ſubjecit: Non miniſter alienæ voluntatis. Nam quod dixerat, annulus tuus non ſit tanquam vas aliquod, exponit, dicens: Non miniſter alienæ voluntatis; quod dixerat, ſed tamquam ipſe tu, exponit: ſed teſtis tuæ voluntatis; opponit ergo vas Ciceroni, id eſt, inſtrumentum domino, & uſum inſtrumenti, quod etiam ad alienos transferri poteſt, uſui proprio, quo debet eſſe teſtimonium voluntatis domini. Quod ſi Robortellum audias, primum verbum, Aliquod, corrumpes, deinde Vadem, id eſt, ſponſorem dixeris, qui nihil ad miniſtrum; quam vocem attulit Cicero, ut tranſlatum illud vas declararet; poſtremo præclara hæc antitheta non ſervabis, & omnem ſententiæ venuſtatem obſcurabis; ſed Manutius fortaſſe plura.

IN CAPUT XVIII.

Expoſitio loci Ciceronis irriſa, & P. Servilium Iſauricum mortuum non potuiſſe à M. Bruto lugeri Hirtio, & Panſa coſſ.

SEquenti capite Robortellus eundem Manutium vituperat, quòd quis ſit ille, de cujus morte Brutum conſoletur Cicero, ſe dixerit ignorare; cum vero P. Servilium Iſauricum eſſe tam moderate, & tam vere docet, ut peritior ne, an modeſtior ille ſit, dijudicare non poſſis. Verba ejus hæc ſunt, ubi Manutiana verba expoſuit: „ Ego ut hominem „ laudo quòd ingenue fatetur, ſe ignorare „ hoc quid ſit, reprehendo tamen, quòd di„ ligenter non legit veterum libros. Si enim „ legeret totos, non unam, aut alteram pa„ gellam percurreret, nihil illum ſubterfuge„ ret, ut etiam ante dixi. Videte quam contemptim de Manutio loquatur; nunc quamde ſe ſummiſſe, audite. „ Ego puerum, in„ quit, domi habeo, qui omnes conſulatus, „ quidque ſingulis annis geſtum ſit, facile „ recenſere poteſt, ita omnia memoriæ man„ davit. Illum igitur audientibus aliquot meis „ familiaribus, juſſi, ut legeret Manutii com„ mentarium; cum legiſſet. An inquam tibi „ aliquid venit in mentem, quod proferas „ ad hunc locum intelligendum ex hiſtoria? „ inquit ille, fortaſſe veniet, ſi conſulatum „ mihi præſcripſeris. Tum ego, is eſt annus, „ quo periere ambo conſules Hirtius, & Pan„ ſa ad Mutinam in prœlio. Statim ille, cum

A „ paulìſper memoria repetiviſſet tempus illud: „ Nimirum, inquit, hic eſt ille P. Servilius „ cognomento Iſauricus, quem Dion ſcribit „ eo anno Romæ periiſſe, virum magna di„ gnitate, & auctoritate; ac verba ipſa reci„ tavit. Sunt autem hæc: Ἐκείνῳ μὲν ἐν τῷ ἔτει „ ταῦτ' ἐπράχθη, καὶ ὁ συλπίκιος ὁ ἰσαυρικὸς ὑπέρ„ γηρως ἀπέθανε, &c. Cum igitur eo tempore „ talem virum amiſiſſet Brutus, ex qua gente „ Serviliam matrem habebat, quid mirum, „ ſi tantopere dolebat? Fuiſſe autem Brutum „ à Servilio etiam Quinto adoptatum Cæpio„ ne ſatis notum eſt; nam declarat Cicero in „ Philip. orat. x. ubi Q. Servilium Cæpione „ Brutum appellat. In dicenda autem ſenten-

B „ tia quanta fuerit auctoritate, etiam tunc ſatis „ perſpici poteſt apud eundem Ciceronem in „ Philipp. XIV., & alias. Hæc ille; nunc colligamus argumentorum ſummam, ut planius refutari poſſint. Conſolatur, inquit, Brutum de morte P. Servilii Iſaurici, quia Iſauricus eo anno mortuus, quo Cicero ea conſolatione utebatur, id eſt, Hirtio, & Panſa coſſ. interfectis ad Mutinam. Item Iſauricus intelligendus eſt, quia cognatus erat Bruti. Brutus enim cum Serviliam matrem habuit, tum à Servilio Cæpione adoptatus eſt. Egregie Robortelle, ut cetera. Illud tamen quæro, privata ne cauſſa luxerit Iſauricum Brutus, an publica? Si privata, dic quæſo, quo gradu at-

C tigerit Brutum Servilius Iſauricus? Nam Brutus à Q. Servilio Cæpione matris fratre fuerat adoptatus, Iſauricus ex ea Serviliorum familia erat, qui Vatiæ dicebantur, qui nihil ad Cæpiones. Si publica, cur torquebat Brutum potius mors Iſaurici, quam ceteros optimates? Iſaurici, inquam, quem Cæſaris partes ſequutum, inde ſuſpicari poſſumus, quod filium ejus P. Servilium Iſauricum Cæſar dictator ſibi in ſecundo conſulatu collegam aſſumpſit, & poſt mortem Cæſaris eundem conſulem iterum cum L. Antonio, tum cum Cæſaris factio dominabatur, videmus; ſi ergo neque privata cauſſa luxit Iſauricum Brutus, neque publica, ergo alium certe, quam Iſau-

D ricum luxit. Sed fuerit Bruti cognatus, & idem optimatium princeps Iſauricus, an iccirco eum lugere debuit Brutus Hirtio, & Panſa coſſ. interfectis? an Panſa & Hirtio coſſ. interfectis deceſſit Iſauricus? non certe; immo anno ſuperiore, Dolabella, & Antonio coſſ. dices, unde hoc probas? unde, niſi ex hiſtoria? Hoc tradit in temporibus Euſebius. Hoc tradit Dio eo, quem tu protuliſti, loco; nam ubi mortui Servilii Iſaurici meminit, res Hirtio, & Panſa coſſ. geſtas aggreditur exponendas; ita: ἐκείνῳ μὲν ἐν τῷ ἔτει ταῦτα ἐπράχθη, καὶ ὁ σερουίλιος ὁ ἰσαυρικὸς ὑπέργηρως ἀπέθανε; poſt addit: αὖλον δὲ ἱρτίον μετὰ γαΐου ἰβ ὑπατεύσαντος, ubi legendum, βιβίου, id eſt, A. vero Hirtio

E cum C. Vibio conſule; tu autem, quia græca non intelligis, mortem Iſaurici in conſulatum Hirtii, & Vibii conjeciſti, quæ conſulatum eorum præcedit; quid plura? Idem ſcribit Cicero. Etenim non ne memoria tenes illum ſecundam Philippicam in Antonium ipſum tum conſulem dixiſſe, & quidem Octobri menſe, cum ille in ſe abſentem a. d XIII. Kal. Octob. in ſenatu aſperrime peroraſſet? Atqui in ea oratione ſignificat, P. Servilium hunc tuum jam tum eſſe mortuum. Non placet, inquit, M. Antonio conſulatus meus, at placuit P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius temporis conſularibus, qui proxime eſt

A eſt mortuus. Si ergo Iſauricus Antonio conſule ante Octobrem fortaſſe menſem mortuus eſt, cur lugebitur à Bruto: Hirtio, & Panſa coſs. interfectis? Sed ſit hoc diligentiæ tuæ, illud vero cujus acuminis eſt, velle eundem eſſe P. Servilium, de quo Cicero IX. & XIV. Philippica loquitur, atque eum, quem mortuum luget Brutus, cum jam tum cum ſecundam dixit Cicero proxime mortuum eſſe teſtatus ſit? Eſt ergo hic P. Servilius filius ſenis ejus, Robortelle, is, qui cum C. Cæſare conſul fuit, non pater qui ante deceſſerat, quod tu non recte ſubductis temporum, atque ætatum rationibus cupidius aliquanto, quam decuit, tradidiſti; quem P. Servilium ſenatui, B cujus partes à Bruto defendebantur, adverſatum eſſe, declarat Cicero in epiſtola ad Plancum Hirtio, & Panſa coſs. ſcripta IV. Idus Aprilis his verbis: Eo die magna mihi fuit pro tua dignitate contentio cum Servilio, qui cum gratia effeciſſet, ut ſua ſententia prima pronunciaretur, frequens eum ſenatus reliquit, & in alia omnia diſceſſit, meæque ſententiæ, quæ ſecunda pronunciata erat, cum frequens aſſentiretur ſenatus, rogatu Servilii P. Titius interceſſit; res in poſterum dilata. Venit paratus Servilius Jovi ipſi iniquus, cujus in templo res agebatur. Hunc quemadmodum fregerim, ex aliorum te literis malo cognoſcere. Nunc vide, quæ tradideris puero illi C tuo, quem te Socratico more excitaſſe ſcribis, ut inania, ut falſa. Tibi igitur ſuadeo, ut aut alia eum doceas, aut certe veriora; & hunc ei in primis errorem eripias, dum tener eſt; nam ſi forte diutius inſederit, vix adimi corroborata demum ætate poterit; quam etiam prudenter, ſi in tuo Auditorio Patavino his verbis ageres: Erravi, domini, cum me vidiſſe quicquam, quod Manutius non vidiſſet, mihi perſuaſi, aut cum me cum Sigonio de antiquitate Rom. æquo Marte contendere poſſe exiſtimavi.

IN CAPUT XIX.

D *Loci Valeriani emendatio reprehenſa.*

DEinceps oblatum corrigendi Valerii tempus, quem priore capite, cum de P. Servilio Iſaurico diceret, citaverat, diligens homo non prætermiſit. De eo ſic Valerius lib. VIII. P. Servilius conſularis, cenſorius, triumphalis, qui majorum ſuorum titulis Iſaurici cognomen adjecit, cum forum præteriens teſtes in reum dari vidiſſet, loco teſtis conſtitit, ac per ſummam inter patronorum pariter, & accuſatorum admirationem ſic orſus: Hunc ego judices qui cauſſam dicit, cujas ſit, aut quam vitam egerit, quanque merito, vel injuria accuſetur, ignoro. Illud tantum ſcio, cum occurriſſet mihi Laurentina via iter facienti ad- E modum anguſto loco, equo deſcendere noluiſſe. Quod an aliquid ad religionem noſtram pertineat, ipſi æſtimabitis; ego id ſupprimendum non putavi. In his verbis, Religionem noſtram, mendum ſubeſſe putat Robortellus, & pro Noſtram, Veſtram eſſe reponendum; ut ad judices referatur, & eorum religionem, qui jurati judicabant; neque enim Servilius teſtis in reum illum vocatus, & jurejurando obſtrictus ea dixerat. Itaque concludit, ſi legatur, Noſtram, ſe non videre, quæ ſententia elici poſſit. Ego vero Robortellum qui nullum ex Noſtram elicere ſenſum ſe poſſe ait, errare exiſtimo, &, Noſtram, omnino retineo. Jubet enim Servilius, ut judices æſtiment, an neglecti viri triumphalis ſenis peccatum aliquid ad ſeveritatem Romanæ diſciplinæ pertineat; quod & judicibus caſtigandum eſſe innuit. Itaque Noſtram religionem dixit, non ſui, ut teſtis, ſed publicam civitatis; religionem autem amplificandi cauſſa diſciplinam civitatis appellavit in ampliſſimis viris, iiſque ſenibus venerandis; quam fuiſſe Romæ ſumme cultam conſtat, adeo ut ejuſmodi virorum amplitudo, ac dignitas Gallis etiam ipſis hoſtibus horrorem quendam incuſſerit. Robortellus autem, dum gloriæ cauſſam quærit, probri invenit. Nam quod fœdiſſimum etiam in ejus puero ſit, quem tam egregie erudivit, orationem contra grammaticæ præcepta fecit; quid eſt enim, quod hoc capite, Valerium exponens, ait: Vos æſtimabitis, (inquit Servilius,) an nos pro religione, & jurejurando, quo eſtis aſtricti, quanti hoc ſit faciendum? quid eſt, inquam: Vos æſtimabitis, an vos, quanti hoc ſit faciendum? Hic eſt ergo magnus ille magiſter Robortellus, Ariſtarchus ille, ille Gorgias, novus Zoilus, qui bellum Sigonio ne, an Manutio dicam, an utrique indixit, qui cum ſe Latinarum literarum doctorem profiteatur, tamen in eo libro, quem ſpecimen ſingularis eloquentiæ ſuæ eſſe, atque doctrinæ cupit, barbare, ac ne grammatice quidem loquitur. O te miſerum puer, qui talem magiſtrum adeptus es, unde falſam antiquitatem, barbaram locutionem, germanam acciperes vanitatem.

IN CAPUT XX.

Loci Ciceronis interpretatio defenſa; de lictoris, & accenſi officio.

DEinceps Manutium culpat, qui locum ex epiſtola Ciceronis ad Q. Fratrem, ita legit: His rebus nuper C. Octavius jucundiſſimus fuit, apud quem primus lictor quievit, tacuit accenſus, quoties quiſque voluit, dixit: Manutium inquam vituperat, Manutium autem? immo vero Octavium Pantagathum, virum, cujus etiam ſi nulla ingenii monumenta adhuc prodita literis ſunt, omnium tamen, qui nunc ſunt, hominum conſenſu, ingenio, doctrina, & judicio præſtantiſſimum, à quo ſe Manutius hanc emendationem accepiſſe profitetur; immo vero Benedictum Accoltum, Cardinalem, cum literis, & virtute ſua ſingulari, tum maxime ſacerdotii ipſius dignitate ſemper ampliſſimum, à quo illam vehementer probatam fuiſſe tum, cum viveret, Manutius inquit; immo vero Petrum Victorium, ſummum humanarum literarum ornamentum, qui eandem in librum ſuum primum Variarum lectionum conjecit. Hi vero omnes legunt: Apud quem primus lictor quievit, tacuit accenſus, quoties quiſque voluit, dixit: at Robortellus, majore ſcilicet quam Pantagathus, ingenio, quam Victorius, judicio, quam Accoltus, dignitate præditus, legendum contendit: apud quem primus lictor qui fuit, tacuit; accenſus, quoties quiſque voluit, dixit: quaſi vero aut lictoris officium ſit loqui, ita ut apud Octavium prætorem modeſtiæ cauſſa tacuerit; accenſi dicere, ita ut apud eundem pro omnibus, quoties quiſque voluerit, egerit; nec videt, cum lictoris munus ſit, turbam à tribunali prætoris ſummovere, tamen

apud Octavium, primum etiam lictorem quieviſſe; cum accenſi ſit, ut jubere dicere, ſic ſilentium imperare, tamen apud eundem, tacuiſſe; cum apud ceteros prætores non ſit poteſtas omnibus, ut, cum velint, dicant, tamen apud eundem, quoties quiſque voluerit, neque à lictore ſummotum, neque ab accenſo tacere juſſum, dixiſſe. Quæ ſi non videbat Robortellus, ſaltem ea tantos viros perſpexiſſe exiſtimare poterat, neque ambitionis gratia tanto doctorum hominum conſenſui repugnare debebat.

IN CAPUT XXI.

HOc capite, Accenſus quis eſſet, Manutium non intellexiſſe ait; qua de re, ego, neque enim id ad me pertinet, nihil dicam; ne Manutio ipſi ingentem ex ſua defenſione adverſus Robortellum gloriam eripiam.

IN CAPUT XXII. XXIII. XXIV.

Flori, & auctoris libri de V. illuſtr. & Valerii Maximi errores, qui negabantur, confirmati; & alii demonſtrati.

SEquuntur tria capita, quorum in primo Manutium reprehendit, in tertio Sigonium; utrique, quia cauſſa conjuncta eſt, reſpondebo, ſi ante admonuero, locum, quem ille capite XXIII. ex Vellejo emendat, ex meis ſcholiis Livianis ad verbum ſumptum eſſe, ut ſupra declaravi, dum in caput XXXIV. libri primi diſputavi; quod certe non facerem, (eſt enim id anguſti, atque jejuni animi) niſi eum me ſuas etiam domeſticas emendationes uſurpaſſe, falſo inſimulaſſe viderem. Eſt igitur æquum animadvertere, ut ipſe, qui omnem ſibi antiquitatem delendam, atque vetuſtiſſimum quenque auctorem dilacerandum ſuſcepit, repente patrocinium L. Flori adverſus me ſuſceperit, atque eum acriter non veritatis, ſed ambitionis cauſſa defenderit. Siquidem in eo ita ſe gerit, ut parum rei, atque accuſatoris cauſſam cognoſcere videatur. Quod ut unuſquiſque perſpiciat, rem totam paucis verbis exponam. Dictatori A. Poſtumio Albo bello Latino ad lacum Regillum magiſtrum equitum fuiſſe T. Æbutium Elvam Livius, & Dionyſius auctores ſunt; cum autem ego Florum pro Æbutio Coſſum profiteri viderem, notavi id ipſum in commentario Faſtorum. Hic Robortellus Flori, ut dixit, patronus, me reprehendit, quòd eum notaverim, & ait putare ſe vocem illam, COSSUM, ex verbis Flori eſſe tollendam; irrepſiſſe enim ex gloſſemate alicujus imperiti. Bona tua venia dicam Robortelle, nimis ſtudioſus es antiquitatis; neque enim me pateris veteris cujuſquam ineptias indicare. Unde tuus iſte in veteres amor tam repentinus? Iniquis dii maleficiant, qui te quotidie optimum, & vetuſtiſſimum quenque auctorem maledictis figere nunciant; niſi forte hanc caſtigandæ antiquitatis laudem tu ſolus appetis, ac tibi depoſcis. Ego vero, cum nondum hæc tua emendandorum librorum ars eſſet edita, qua tu quancunque vocem tollendi, reponendi, mutandi pro arbitratu facultatem concedis, cum in manuſcriptis, impreſſiſque Flori libris Coſſum eſſe viderem, nec poſſe quancunque vocem temere deleri demens putarem, dixi decipi Florum. Nunc ſi tollitur vox Coſſus, ni-

A hil dico. An autem tolli debeat, tibi, qui id affirmas, etiam, atque etiam cogitandum eſſe cenſeo. Sic enim loquitur Florus: Coſſus equitum magiſter exuere frenos imperavit, (& hoc novum) quo acrius incurrerent. At nihil tale de Æbutio magiſtro equitum Livius, nihil Dionyſius; unde ergo hoc ſumpſit Florus? nimirum ab Cornelio Coſſo, qui poſt fuit magiſter equitum M. Æmilio Mamercino dictatori, bello, ut opinor, Fidenati; de quo ita Livius: Magiſter equitum Coſſus frenos ut detrahant equis, imperat. Si ergo apparet, Florum memoriæ vitio lapſum, qui Coſſum detrahendorum equis frenorum auctorem dictatori Poſtumio magiſtrum equitum addat, qui B Æmilio fuit, cur corrigendus eſt potius Florus, quam notandus? non enim vitium eſt tantum in nomine magiſtri, ſed in conſilio, quod ne hoc quidem in bello adhibitum eſt. At equitum, inquis, hoc etiam in bello egregia opera fuit; nam dictator, auctore Livio, equites equis deſcendere, & pugnam inire juſſit. Primum non eſt idem, detractis equorum frenis effuſo impetu in hoſtem incurrere, & dimiſſis equis pedeſtrem pugnam capeſſere; deinde illud fuiſſe magiſtri equitum conſilium traditur, hoc dictatoris mandatum. Si ergo neque Coſſus hoc in bello magiſter equitum fuit, neque illud Coſſi conſilium hoc in bello uſurpatum eſt, apparet non librarii, ſed Flori C vitio Coſſum Poſtumio dictatori magiſtrum equitum eſſe adjectum. Hoc errore poſito, ita ſcripſi: Idem ſentit is, qui de Viris illuſtribus tradidit, cum Coſſi ſtratagema illud exponit, de quo Livius in an. CCXXVII. quorum verborum hæc ſententia eſt. Si auctor libri de viris illuſtribus magiſtrum equitum dictatoris Poſtumii equis frenos detrahi juſſiſſe ait, ergo idem ſentit, quod Florus, Coſſum Poſtumio magiſtrum equitum fuiſſe; nam Livius poſt alio bello Coſſum hujus auctorem conſilii facit. Nunc ille me ita reprehendit; „ Falſa refert Sigonius; nam auctor de viris „ illuſtribus Coſſi non facit mentionem ullam. Robortelle, ſi eo acumine ingenii es, ut ſen- D ſum meorum verborum planiſſimum non percipias, cur ea modeſtia es, ut falſa me retuliſſe falſo ſcribas? ego ne ſcripſi auctorem illum Coſſum nominaſſe, an ſignificaſſe? Quid ergo hoc tuo capite egiſti? profecto nihil. Nam Flori locus correctionem tuam non patitur, & cum utriuſque auctoris inſignis memoriæ lapſus eluceat, uterque etiam merito cum ſuo præclaro patrono Robortello notatus eſt; qui in quo me falſum, & imperitum arguit, ipſe falſus, & imperitus eſſe deprehenditur. Eadem autem etiam ratione Manutius defenditur, qui Valerium notavit, quod lib. V. cap. VIII. Sp. Caſſium tribunum plebis agrariam legem primum tuliſſe ſcribit; quem E tu eo nomine accuſas, quod ex verbis Valerianis has duas voces Tribunus pl. (in his enim ab eo Valerius arguitur) delendas eſſe non viderit. Quæ autem eſt tua iſta defenſionis Valerianæ ratio? quia libro VI. cap. III. Valerius ipſe tres Sp. Caſſii conſulatus commemorat. An iccirco Robortelle, quia Valerius Sp. Caſſium tres conſulatus geſſiſſe non ignoravit, eundem memoriæ vitio tribunum pl. agrariam legem primum tuliſſe literis mandare non potuit? præſertim vero cum lex agraria tribunicia fuerit, ac veriſimilius ſit, eam à tribuno pl. aliquo, quam à conſule eſſe excitatam, & in rempublicam illatam? Nam quòd

quod addis, mirum fuiſſe, legem agrariam à Sp. Caſſio conſule latam, quòd is patricius eſſet, nihil eſt, verum illud mirabile videri volunt annalium Romanorum ſcriptores, agrariam legem à Caſſio, qui conſul eſſet, primum jactatam, cum conſulatus optimatium ſemper, tribunatus plebis, agraria vero lex fuerit maxime popularis. Etenim poſt etiam C. Julius Cæſar, patricia familia natus eam in conſulatu tulit. Nam quòd interpretaris, Valerium voluiſſe Sp. Caſſium primum conſulem legem agrariam tuliſſe, erras vehementer; non enim hoc notat Valerius, ſed omnino Spurium Caſſium primum fuiſſe, qui legem agrariam tulerit, qua deinde ſæpius tribuniciis, & conſularibus actionibus jactata reſp. fuit. Dices: non eſt credibile Valerium in tantæ rei ignoratione eſſe verſatum, ut Sp. Caſſium ne tribunum quidem pleb. eſſe potuiſſe neſcierit; egregie; quaſi vero Valerius non alias gravius etiam offenderit, ut libro VII. Capite V. ubi de Scipione Naſica agit; quo in loco eundem eſſe Naſicam filium cum proavo, & patre ex rebus eorum geſtis ſignificavit, atque tempora, ætateſque, & acta eorum confudit; & libro VI. cap. IIII. ubi T. Manlium Torquatum, cujus clara bello Punico ſecundo virtus fuit, filium ejus, qui ad Veſerim pugnavit cum inter utriuſque magiſtratus amplius anni centum interſint, ſcripſit, & eodem loco Torquatum eum, qui ob valetudinem oculorum conſulatum recuſaverit, alium ab eo, qui in ſenatu ſe ſenatores Latinos ſua manu interfecturum dixit, cum idem Livio auctore fuerit, fecit, neque annalium varietate ulla defendi poſſit.

IN CAPUT XXV. XXVI. XXVII.

AD ſequentia capita tria XXV. XXVI. XXVII. in quibus de comperendinatione, & ampliatione adverſus Manutium diſputatur, nihil reſpondeo; neque enim Manutii viri doctiſſimi errata, quæ Robortellus in maledictis objecit, mihi poſthac defendenda eſſe cenſeo; ne, dum id faciam, ab altero nullam gratiam ineam, alteri vero injuriam etiam faciam.

IN CAPUT XXVIII.

Apud Plutarchum παύεσθαι *idem eſſe quod abdicare; conſules creato dictatore abdicaſſe;* περιπόρφυρον *purpuram verti poſſe.*

FRanciſci Robortelli ſcientiam cum multis aliis in rebus ſingularem eſſe invenio, tum maxime in vi græcorum verborum intelligenda, & in antiquitate Romana conſtituenda. Quod ex capite ſequenti facile intelligi poteſt, in quo me quod παύονται, & περιπόρφυρον imperite verterim culpat; id quod ipſe perite fecerit, oſtendamus. Verba ſunt hæc Livii libro II. Conſul lictorem ad tribunum, privatum eſſe clamitans, ſine imperio, ſine magiſtratu. Horum verborum ut vis eſſet apertior, locum ego in ſcholiis Livianis protuli ex quæſtionibus Plutarchi, in quo ita ille ſcribit: διὰ τί περιπόρφυρον ὁ δήμαρχος οὐ φορεῖ, τῶν ἄλλων ἀρχόντων φερόντων; ἢ τὸ παράπαν οὐδ' ἐστὶν ἄρχων. οὐδὲ γὰρ ῥαβδούχους ἔχουσιν, οὐδ' ἐπὶ δίφρου καθήμενοι χρηματίζουσιν, οὐδ' ἔτους ἀρχῇ καθάπερ οἱ λοιποὶ ἄρχοντες πάντες εἰσίν, οὐδὲ παύονται δικτάτωρος αἱρεθέντος, ἀλλὰ πᾶσαν ἀρχὴν ἐκείνου μετατιθέντος εἰς ἑαυτόν, αὐτοὶ μόνοι διαμένουσιν, ὥσπερ οὐκ ὄντες ἄρχοντες, ἀλλ' ἑτέραν τινὰ τάξιν ἔχοντες; quorum verborum ſententiam ita verti. Cur cum purpura alii magiſtratus utantur, tribunus pl. non utitur? an quia tribunus pl. magiſtratus non eſt; neque enim ex ſella tribuni jus dicunt, neque principio anni, ut reliqui magiſtratus, ineunt, neque creato dictatore ſe abdicant, verum omni tranſlato ad dictatorem imperio, ipſi tamen poteſtatem ſuam retinent, quaſi magiſtratus non ſint. Ex his verbis duo arrodere conatus eſt Robortellus; unum quod παύονται abdicant, alterum quòd περιπόρφυρον purpuram converterim. Verba ejus hæc ſunt: Falſum eſt, quod ait Sigonius, creato dictatore conſules abdicare ſe ſolitos narrare Plutarch. nam ipſe ait παύω, quod non abdicare ſe, ſed interim deſiſtere uti poteſtate, & jure ſuo, dum dictatoris eſt. Ex quo apparet, argumentationem ejus hanc eſſe. Male Sigonius vertit apud Plutarchum, tribunos pl. creato dictatore non abdicaſſe, nam falſum eſt, conſules abdicaſſe creato dictatore. Non dico, quam aliena hæc ejus ratio ſit, quam inanis, quam ridicula; illud dico, me utrumque aperte demonſtraturum, & παύεσθαι apud Plutarchum eſſe, quod Latini dicunt Abdicare, conſules creato dictatore abdicaſſe. Dic enim Robortelle, non ne apud Livium legiſti mortuo cenſore collegam ejus abdicaſſe? legiſti certe; at cum de ea re loquitur Plutarchus, non ne παύεσθαι utitur? Eodem quæſtionum in libro: τοῦ τιμητοῦ θατέρου τελευτήσαντος ἔδει καὶ τὸν ἕτερον πεπαῦσθαι τῆς ἀρχῆς; quid eſt ibi πεπαῦσθαι, an deſiſtere uti jure ſuo, an magiſtratum deponere, quod Latine dicitur Abdicare? Et alibi: διὰ τί τῶν ἄλλων ἱερέων τὸν κατακριθέντα παύοντες ἕτερον αἱροῦνται; παύοντες eſt, abrogantes, & abdicare cogentes. At conſules, inquis, creato dictatore non abdicabant. O ſtultum ergo Polybium, dementem Dionyſium; qui hoc literis prodidiſtis; quid inquit Polybius? ita lib. III. δικτάτορος καθισταμένου παραχρῆμα διαλύεσθαι συμβαίνει πάσας τὰς ἀρχὰς ἐν τῇ Ῥώμῃ, πλὴν τῶν δημάρχων; id eſt dicto dictatore, ſubito omnes magiſtratus diſſolvuntur præter tribunum plebis; quid eſt diſſolvuntur, niſi abdicant? Accipe nunc quid Dionyſius dicat lib. V. ubi loquitur de dictatore primum creato; ἦν δὲ τὸ προβούλευμα τοιόνδε. Λάρκιον μὲν καὶ Κλοίλιον τοὺς νῦν ὑπατεύοντας ἀποθέσθαι τὴν ἐξουσίαν, καὶ εἴ τις ἄλλος ἀρχήν τινα ἔχει, ἢ πραγμάτων κοινῶν ἐπιμέλειαν. ἕνα δὲ ἄνδρα, ὃν ἂν ἡ βουλὴ προέληται, καὶ ὁ δῆμος ἐπιψηφίσηται τὴν ἁπάντων ἐξουσίαν παραλαβόντα ἄρχειν μὴ πλείονα χρόνον ἑξαμήνου. & poſt: ὁ Κλοίλιος ὕπατος ἀναγορεύει τὸν Λάρκιον δικτάτορα, καὶ αὐτὸς τὴν ὑπατείαν ἐξόμνυται. Quibus verbis apparet decretum fuiſſe, ut creandi dictatoris cauſſa omnes magiſtratus abdicarent; & Clœlium conſulem, ubi Lartium collegam dictatorem dixit, abdicaſſe. Utitur enim his verbis: ἀποθέσθαι τὴν ἀρχὴν, & ἐξόμνυσθαι τὴν ἀρχὴν, quæ nihil aliud ſunt, quàm magiſtratum deponere, & abdicare. Nam idem libro VI. dixit: τὴν δικτατορίαν ἐξωμόσατο, pro eo quod Latini dicunt, dictatura ſe abdicavit. Si ergo idem eſt παύεσθαι τὴν ἀρχὴν, quod διαλύεσθαι, & hoc idem, quod ἀποθέσθαι, & ἐξόμνυσθαι; hæc autem Latini dixerunt, Abdicare, ergo illud etiam recte Abdicare verti poteſt; & qui creato dictatore conſules abdicaſſe ait, egregie ait: „ At ille „ magnus auctor antiquitatis, Catonem, aut „ Varronem, diceres, Non abdicabant, in- „ quit,

„ quit, ſe conſules creato dictatore; ſed in- A
„ terim deſiſtebant uti poteſtate, & jure ſuo,
„ dum dictatoris eſt. Solebant enim non ab-
„ dicare ſe conſules, ſed parere dictatori;
„ quod ſi dictator ſe abdicaſſet, antequam
„ exitus anni eſſet, conſules reſumebant po-
„ teſtatem priſtinam. Hui, quam ſapienter!
Dic quæſo Robortelle, quid eſt aliud Abdi-
care, quam privatum ſe reddere? at creato
dictatori conſulem privatum occurriſſe tradit
Plutarchus in Fabio: φάβιος δικτάτωρ σὺν ἐπαγό-
μενος εἰς αὐτὸ ῥαβδουχίας εἰκοσιτέσσαρας, καὶ τοῦ
δ' ἑτέρου τῶν ὑπάτων ἀπαντῶντος αὐτῷ τὸν ὑπηρέτην πέμψας
ἐκέλευσε τὰς ῥαβδούχους ἀπαλλάξαι, καὶ τὰ παράσημα
τῆς ἀρχῆς ἀποθέμενον ἰδιώτην ἀπαντᾶν; id eſt,
Fabius dictator obviam prodeunte altero B
conſule viatore miſſo, lictores dimittere eum
juſſit, atque inſignibus magiſtratus abjectis
privatum ad ſe venire. At, inquis, conſules
creato dictatore non abdicabant, ſed parebant
ipſi dictatori, æque ac ſi legati ipſius fuiſſent.
Scite Robortellus, ſtulte Livius, qui ſcripſit
ita: Tu L. Minuci, inquit dictator, legatus
his legionibus præeris. Ita ſe Minucius abdi-
cat conſulatu, juſſuſque ad exercitum manet.
Sed ſit hoc ineptum, illud vero quam grave,
quod idem addit: Sed ſi verum eſſet, quod
ſcribit Sigonius, conſules abdicare ſolitos,
non utique reſumpſiſſent. At Dionyſius, qui
conſules abdicare ſolitos ait, ſcribit A. Poſtu-
mium conſulem à collega ſuo dictatorem di- C
ctum ei partem exercitus tradidiſſe; ubi vero
dictatura abdicavit, ipſum cum collega ſuo
conſule, quem abdicatum innuerat, comitia
conſularia habuiſſe, nec tamen apparet,
quemadmodum ille, qui abdicaverat, pote-
ſtatem recuperaverit conſularem. Sed ego
ineptus, qui doctiſſimi hominis argutias tot
verbis mihi ſumpſerim refutandas. Venio ad
alteram reprehenſionem ejus, quæ eſt his ver-
bis prolata: Jam vero errat etiam Sigonius,
cum purpuram vertit; nam περιπόρφυρον habet
Plutarchi liber; & ſatis notum eſt hanc à Plu-
tarcho dici, quam prætextam Latini vocant.
Dii immortales, quam doctus eſt iſte Fran-
ciſcus Robortellus; dat vitio, quòd verterim D
περιπόρφυρον ἡ φορά, purpura non utitur, cum
dicendum fuerit, prætexta. Non nego Ro-
bortelle, quin prætextam intellexerit Plutar-
chus. Sed cum prætexta nihil aliud ſit, quam
toga, cui purpura prætexta ſit, in eoque à
toga differat, quòd purpuram habeat in cir-
cuitu intextam, neſcio cur mihi vertendum
vitio ſit, quòd purpuram pro prætexta verte-
rim; præſertim cum dicat Livius libro XLIIII.
Purpura viri utemur, prætextati in magi-
ſtratibus, ſacerdotiis, liberi noſtri prætexta-
ti purpura togis utentur. Quid eſt enim
aliud, Utemur in magiſtratibus, & ſacerdo-
tiis purpura, quam toga purpura prætexta,
quod quale eſſet, ut intelligeretur, dixit, E
prætextati. Item paulo poſt: Et cum tibi viro
liceat purpura in veſte ſtragula uti; & Plinius
libro XXXIII. cap. I. Vulgoque purpura la-
tiore tunicæ uſos invenimus etiam præcones.
Cum hos habeam hujus locutionis auctores,
quid Robortelliana iſta maledicta pertimeſce-
re debeam, neſcio.

IN CAPUT XXIX.

*Livii locum de C. Sicinio, L. Albinio trib. pl.
non eſſe mutandum.*

INiqua mecum, & cum aliis conditione
contendit Robortellus; non enim, ſi quid
ipſe mea emendatione attigerim, id ſolum
in crimen vocat, ſed etiam ſi quid omiſerim,
ut hoc capite, ubi de Liviano loco loquitur,
qui eſt in lib. II. Ita tribuni plebeji creati
duo, C. Licinius, & L. Albinius; hi tres col-
legas ſibi creaverunt; in his Sicinium fuiſſe
ſeditionis auctorem; de duobus, qui fuerint,
minus convenit; ſunt qui duos tantum in
Sacro monte creatos tribunos dicunt. Hic ille
me inſimulat, quod hæc nomina non emen-
daverim; eſſe enim ea à librariis corrupta;
& pro C. Licinio, reponendum eſſe C. Sici-
nium, pro L. Albinio L. Junium. Adducitur
autem Dionyſii, Plutarchi, Pædiani, & alio-
rum, quos ipſe commemoravi, auctoritate,
quos inter duos primos tribunos pl. ſummo
conſenſu C. Sicinium Bellutum ſeditionis au-
ctorem, & L. Junium Brutum referunt. Eſt
autem illud ridiculum, quod in quo me inju-
ſte reprehendit jure reprehendendus ipſe eſt.
Hoc autem ita eſſe demonſtremus. Recitat
Livius duas opiniones de primis tribunis ple-
bis, unam, quæ fuit, quinque primum
creatos tribunos; alteram, quæ duos tan-
tum. Ex quinque nominat ſolum tres, C. Li-
cinium, L. Albinium, C. Sicinium ſedi-
tionis auctorem; de duobus, qui fuerint,
ait non convenire. Ille vero pro C. Lici-
nio C. Sicinium reponit; quam conſiderate
non attinet dicere; ita enim fit, ut C. Li-
cinium honore injuſte depellat, C. Sici-
nium bis nominet. Erit enim idem primus,
& tertius apud Livium tribunus pl. C. Sici-
nius ſeditionis auctor, quo nihil ne cogitari
quidem poteſt abſurdius. Spoliat autem ho-
nore C. Licinium indigne, cum Dionyſius
inter primos quinque tribunos pl. duos Lici-
nios numeret Cajum, & Publium, & præter-
ea C. Sicinium Bellutum ſeditionis auctorem
cum L. Junio Bruto, & C. Icilio Ruga. Eſt
ergo hoc prudentiæ, quod videndum erat,
non animadvertiſſe; probitatis autem ami-
cum, quem laudare debebat, ſine ratione aſ-
perius appellaſſe. Præterea pro L. Albinio
L. Junium reponit maxime ex Pædiano, qui
de duobus tribunis pl. Livium citat auctorem,
& duos primos tribunos plebis nominat, L.
Junium Paterculum, & C. Sicinium Bellu-
tum. Cui ego reſpondeo, non iccirco quia
Pædianus auctorem profitetur Livium in nu-
mero, etiam eum citat in nomine tribuno-
rum. Sic enim ait: Sunt, qui eundem illum
duorum numerum, quem Cicero, ponant,
inter quos Tuditanus, & Pomponius Atticus,
Liviuſque noſter. Idem hic & Tuditanus ad-
jiciunt, treis præterea ab illis duobus colle-
gas creatos eſſe. Nomina duorum ſunt hæc,
qui primi creati traduntur, C. Sicinius L. F.
Bellutus, L. Junius C. F. Paterculus. Hæc
ille: Ex Livio autem non eſſe ſumpta hæc
nomina patet, quòd Livius inter primos duos
C. Licinium, ut dixi, numeravit, non C. Si-
cinium; quem tertio loco ſtatuit. Si ergo in
eo aperte diſcrepat, cur non poteſt etiam in
altero? præſertim veteribus libris omnibus
aperte L. Albinium, non L. Junium profiten-
tibus?

tibus? Accedit, quòd nulla cauſſa eſt, cur potius apud Livium L. Junius ex Pædiano reponendus ſit, quam ex Livio apud Pædianum L. Albinius. Veteres enim libri Pædiani olim impreſſi habent, Lavinius Paterculus, ut tam facile reſtitui poſſit pro Lavinius L. Alvinius, quam L. Junius; immo vero etiam facilius illud quam hoc. Nam Paterculum nuſquam alias Juniis cognomen fuiſſe accepimus, & hunc L. Junium tribunum pl. de quo agimus, omnes, præter Pædianum, Bruti cognomine afficiunt; ut Paterculus Albiniorum eſſe cognomen videatur, & potius apud Pædianum ex Livio reponendus ſit L. Albinius, quam apud Livium ex Pædiano L. Junius. Hoc ita eſſe apparet etiam ex tertio libro, ubi de tribunis pl. refectis poſt Xvirum abrogationem loquitur; inter eos enim C. Sicinium creatum ait, progeniem ejus Sicinii, quem primum tribunum pl. creatum eſſe in Sacro monte memoriæ proditum eſt; ut cum de duobus primis tribunis pl. in Sacro monte creatis loquimur, quæ fuit altera à Livio tradita opinio, vel C. Sicinium, & L. Junium, vel C. Licinium, & L. Albinium, ſtatuere debeamus, neque aliquid apud Livium immutandum ſit. Quamobrem gratulor T. Livio, vereque gratulor, qui non te Robortelle emendatorem adeptus ſit; neque enim ulla veræ lectionis, aut germanæ antiquitatis veſtigia apud eum, quæ tua eſt ſcientia, atque prudentia, reliquiſſes.

IN CAPUT XXX.

Duorum Livianorum locorum explanationes reprehenſæ; ac quid ſit Duplicatus, & Multiplicatus apud Livium, & de ratione centuriarum in comitiis.

FRanciſci Robortelli prudentiam multis jam locis ſatis demonſtratam à me eſſe exiſtimo. Sed ea fortaſſe ferenda ſunt; omnes enim libenter ad ea vituperanda accedimus, quæ ipſi melius intelligimus; at quæ non tenemus, & quæ nos non intelligere profitemur, ab iis accuſandis refugere ſolemus, ne eodem tempore ſtulti, atque iniqui eſſe deprehendamur. Hanc tamen culpam non extimuit ille. Etenim quanquam meam loci cujuſdam Liviani expoſitionem ſe negat intelligere, tamen eo cupidius inſectatur; locus eſt lib. II. Coëuntibuſque Etruſcis Fabii jam continenti agmine armatorum ſepti, quo magis ſe hoſtis inferebat, cogebantur breviore ſpatio & ipſi orbem colligere, quæ res & paucitatem eorum inſignem, & multitudinem Etruſcorum multiplicatis in arcto ordinibus faciebat. Hujus loci hunc ſenſum eſſe ego in ſcholiis ſcripſi: Aciem, quo breviore in ſpatio cogitur, & orbem colligit, eò plures ordines habere; quo majore in ſpatio explicatur, eò pauciores. In hæc vero ille ita: „ Ego quale ſit hoc, quod „ Sigonius profert, non percipio, nec ullum „ puto eſſe, qui percipere poſſit; immo vero „ longe ſecus ſe res habet; quo enim brevio„re in ſpatio cogitur acies, eò pauciores or„dines eſſe neceſſe eſt; quo autem majore „ in ſpatio explicatur, eò plures. Sed Sigo„nius Livii verba non intelligit: Multiplica„tis enim cum dixit, idem eſt, ac ſi dixiſ„ſet, Condenſatis, ut ſit ſententia. Multipli„catis in arcto ordinibus, id eſt, denſatis, „ factum eſt, ut Fabii, qui erant CCC. tan-

A „tum, pauciores viderentur; hoſtes vero „ qui plurimi erant, & ante diſperſi fuerant, „ videbanturque pauci, poſtquam in unum „ collecti ſunt breviore ſpatio, plures vide„bantur. Verum rem totam explicat Ælia„nus in libro de acie more Græcorum in„ſtruenda: ἰςέον, ὅτι διπλασιάζεται ἡ φάλαγξ, ἢ προσώποις, ἢ τόπῳ. Ego vero miror, cur, quod ipſe ſe negat intelligere, reprehendat. Quid autem, cum id ſcripſi, ſpectarim, demonſtrabo. Multiplicari in arcto ordines intellexi, augeri non magnitudine, ſed numero. Sequutus autem ſum ſententiam illam Livii lib. XLII. Primo à mari circunfuſa turba amicorum, ac ſatellitum procedebat, deinde extenuabant paulatim anguſtiæ agmen. Quo ergo magis ab

B anguſtiis loci ordines extenuantur, eò plures fiunt; ut ſi xx. ſint ordines, quorum ſinguli decem habeant milites, deinde anguſtiis loci compulſi non niſi quinque complecti poſſint, multiplicabuntur ordines, & erunt quadraginta, ſed tenuiores; atque hoc eſſe opinor διπλασιασμὸν κατὰ πρόσωπον, de quo Ælianus in libro de aciebus inſtruendis: ὅτι αὐτὸ τὸ βάθος τὰς ἡμίσεας ὁπλίτας εἰς λόχους ποιήσαντες συντάξομεν μετὰ τῶν λοιπῶν τὸ μῆκος, ὥςε γενέσθαι τὰς λόχους ἀντὶ ͵αχδ, ͵βμη, τῶν διπλασιασμὸς προσώπων ἐςίν. Id eſt, duplicatio perſonarum eſt, cum ex latitudine dimidiam partem militum in ordines conjectam cum reliquis inſtruemus in longitudinem, ut ordines

C ſint pro mille XXIV., duo millia XLVIII. Atque hoc modo fit, ut hæc multiplicatio ordinum, & paucitatem inſignem reddat, quia ordines exiliores fiunt, & multitudinem inſignem, quia ordines plures evadunt. Itaque quod dixi breviore ſpatio plures ordines fieri, refero tam ad Fabios, quàm ad Etruſcos; quod dixi, majore pauciores, ad nullos. Tu autem multiplicatis, pro condenſatis accipis, ac vis eandem condenſationem ordinum eos, qui pauci ſunt, reddere pauciores, qui multi, plures; ego vero contra putem, ſi condenſati paucorum ordines pauciores videntur, pari ratione & multorum non ita multos potius, quam plures videri. Sed de hoc ſenſu judi-

D cent alii. Quod vero addis, Livium alio etiam loco, Duplicato centuriarum numero, dixiſſe pro condenſato, id eſt, magnitudine aucta, non numero, in eo etiam à te diſſentio. Verba Livii ſunt libro primo, ubi de claſſium centuriis loquutus eſt, ejuſmodi: Nec mirari oportet hunc ordinem, qui nunc eſt poſt expletas XXXV. tribus, duplicato earum numero, centuriis juniorum, ſeniorumque ad inſtitutam ab Ser. Tullio ſummam non convenire; quadrifariam enim urbe diviſa, regionibus, collibuſque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit; neque hæ tribus ad centuriarum diſtributionem quicquam pertinuere. Hic tu, Duplicato earum numero, interpre-

E taris, Aucto, & Condenſato. Non enim, inquis, plures equitum centuriæ factæ ſunt, ſed eorum equitum, qui in ſingulis erant, numerus auctus eſt, & duplicatus; aliter enim intelligi locus ille non debet. O ſcientiam hominis admirabilem! Cur potius equitum numerum auctum interpretaris, quam peditum, cum veriſimile ſit, ſi creverunt opes civitatis, ſi numerus civium auctus eſt, tam peditum, quam equitum numerum ſuccreviſſe, id eſt, ut ipſe ais, centurias duplicatas, ac condenſatas eſſe? Qui ergo locus Robortelli judicio, non aliter, quam ut ille dixit, intelligi debet, is Sigonii judicio longe aliam ſententiam ha-

bet. Ego enim duplicatum hoc etiam in loco ad numerum, non ad magnitudinem refero; & centurias omnes duplicatas intelligo ita, ut cum à Ser. Tullio factæ ſint centuriæ CXCIII. poſt expletas quinque & triginta tribus totidem & amplius acceſſerint. Nam cum Servii inſtituto tribus ad numerum, & diſtributionem centuriarum non pertinuiſſe dicat Livius, quid aliud ſignificat, niſi tribus ad diſtribuendas, & numerandas centurias poſtea eſſe accommodatas? Scilicet, cum cœptus eſt vocari populus per tribus, ſingulæ autem tribus per claſſes in ſuas centurias diſtributæ ſunt, primæ quidem claſſis equitum, & peditum; reliquarum vero peditum tantum, ita ut in omni claſſe aliæ juniorum eſſent, aliæ ſeniorum; ex quo apparet, ſi quis diligenter rationem centuriarum ſubduxerit, tot adjectas eſſe centurias illis Servianis centum nonaginta tribus, ut earum duplicatus merito dici numerus poſſit; quamvis non certus admodum duplicationis calculus fuerit. Hic ergo vocandarum centuriarum ordo Livianis temporibus ſervabatur; propterea inquit: Mirari non oportet, ordinem vocandi centurias, qui nunc eſt, duplicato centuriarum numero poſt expletas triginta quinque tribus, centuriis ſeniorum, juniorumque ad inſtitutam à Servio ſummam non convenire. Nam ſumma major eſt facta centuriarum propter numerum tribuum, quæ Servii inſtituto nihil ad numerum, & diviſionem centuriarum, ut nunc, pertinent. Ex his omnibus conſtitue, Duplicatum, non eſſe Condenſatum, ut neque Multiplicatum, atque hunc locum nullo modo ita exponendum eſſe, quo tu magnus ſcilicet antiquitatis auctor expoſuiſti, quem etiam aliter intelligi debere negaſti. Sed de hac re ſequenti capite fortaſſe etiam apertius.

IN CAPUT XXXI. & XXXII.

Liviana emendatio defenſa. Galeriam, & Veturiam tribum eſſe. Centurias tribuum quodammodo partes fuiſſe. Quid prærogativa centuria fuerit: Centuriatorum comitiorum ratio planius demonſtrata. Livii, Ciceronis, Aſconii loci explanati.

QUo capite duobus capitibus reſpondebo, quibus locos duos Livii à me corruptos eſſe contendis. Loci vero ſunt, alter lib. XXVII., alter libro XXVI. Prior ita habet: Galeria juniorum, quæ ſorte prærogativa erat, Q. Fulvium, & Q. Fabium conſules dixerat; eodem jure vocatæ inclinaſſent, ni tribuni pl. &c. In hunc locum ego ita ſcripſi: Galeria nomen eſt centuriæ, ut Veturiæ, de qua ſupra. Poſterior ita: Fulvius Romam comitiorum cauſſa acceſſitus, quum comitia conſulibus creandis haberet, prærogativa centuria juniorum declaravit T. Manlium. In hunc ego ita: Ut hoc loco in veteribus libris pro centuria Veturia, ſic infra: Redire in ſuffragium Veturiam juniorum. Item: Veturiam ſeniorum citaret. Item: Citatis Veturiæ ſenioribus, idque, ut ego cenſeo, recte; eſt enim Veturia centuriæ nomen, ut Galeria, cujus meminit lib. XXXVII. his verbis: Galeria juniorum, quæ ſorte prærogativa erat. Ex his verbis apparet, me priorem locum interpretatum eſſe, poſteriorem emendaſſe; atque & Galeriam, & Veturiam his in locis nomina centuriarum eſſe cenſuiſſe. Tu vero quid ais? primum, me utrumque locum, cum ſine veterum librorum auctoritate pro centuria Galeriam, & Veturiam repoſuerim, depravaſſe; deinde Galeriam tribum, non centuriam eſſe; tum centurias nomine caruiſſe. Ad hæc igitur omnia ordinatim mihi cenſeo reſpondendum. Primum autem, cur tu me pro centuria reſtituiſſe Galeriam dicas, miror; neque enim hoc mea verba te docuiſſe poſſunt, cum videas me nihil aliud in eum locum, quam hoc adſcribere: Galeria nomen eſt centuriæ; quod cum dixi, quid Galeria eſſet, expoſui; lectionis nihil mutavi; quæ lectio eſt non omnium ſolum, quos ego legi, manuſcriptorum librorum, ſed etiam impreſſorum; ut mirer iterum, cur tu eam aut à me repoſitam, aut à te ſublatam eſſe affirmes; præſertim cum ſatis Glareanus oſtendat, in ſuis eam etiam ſe libris reperiſſe, cum ſcribit: Ego ſane quid Galeria ſit, non intelligo, ſi equitum eſt ordo, fortaſſe à Galero nomen habet. Deinde non nego, me in altero loco pro centuria repoſuiſſe Veturiam, ſed id veterum manuſcriptorum librorum auctoritate; quos quòd ipſe non videris, damni nihil feciſſe literas Romanas exiſtimo; neque enim quid in iis eſſet boni, pro tuo ingenii acumine diſpicere potuiſſes; at eos Bernardinus Lauretanus, & Nicolaus Barbadicus, juvenes ingenii, doctrinæ, & modeſtiæ laude excellentes, patricii Veneti, multique alii viderunt, teque in hac re cavillantem demirati ſunt. Hanc autem utriuſque loci antiquam fuiſſe lectionem, declarat Alexander ille, qui patrum noſtrorum ætate vixit, ac libros Livianos, quàm nos multis in locis integriores legit; qui capite XVII. ſuorum dierum genialium ita ait: Præter quas erat prærogativa juniorum, & ſeniorum, quibus Veturiæ, & Galeriæ nomen. Quorſum hæc? ut intelligas Veturiam, & Galeriam à me non ex ingenio, ſed ex veteribus libris hauſtas eſſe & Galeriam quidem à me conſervatam, Veturiam vero ex tenebris vetuſtatis extractam. Cur autem id fecerim, ſi veterum optimorum librorum, ut dixi, conſenſum tantum afferrem, ſatis me huic cauſſæ feciſſe arbitrarer; nunc, ſi rationem quoque addidero, neminem de hujus lectionis integritate dubitaturum exiſtimo. Non eſt igitur dubium, quin Livius utroque in loco de prærogativa centuria loquatur; nam & eaſdem ipſe eodem in loco centurias vocavit, & ut pro Veturia, & Galeria centuriam reponis. Illud dubium eſt, an Galeria cum ſit tribus (hoc enim etiam tibi tacenti facile conceſſiſſem) centuria eſſe poſſit; quod fieri non poſſe hac ratione confirmas. Galeria tribus eſt, ergo non centuria. Item, centuriæ XCIII. quæ erant claſſium partes, non habebant nomen, ergo Galeria non poteſt eſſe centuria; utraque autem ratio expediri facile poteſt, ſi dicas, centuriarum eadem, quatenus partes tribuum erant, fuiſſe nomina, atque tribuum. Sed quoniam multis partibus plures erant centuriæ, quam tribus, id quomodo factum ſit, cum ſis totius hujus præclaræ antiquitatis ignarus, paucis exponam; intelligendum eſt igitur, ut paulo ante dicere inſtitui, antiquam illam Servii rationem, qui ad centuriata comitia populum in centurias per VI. claſſes diviſum vocavi, aliquantum poſt eſſe immutatam. Etenim populus in tribus diſ-

diſpertitus ita, ut ſingulæ tribus in multas pro claſſium ratione centurias dividerentur, vocari cœptus eſt; atque ita factum, ut in centuriatis comitiis & tribuum, & claſſium, & centuriarum habita ratio ſit; atque hoc eſt, quod dixit Livius: Nec mirari oportet hunc ordinem, qui nunc eſt, poſt expletas quinque & xxx. tribus, duplicato earum numero, centuriis ſeniorum, juniorumque ad inſtitutam ab Ser. Tullio ſummam non convenire; tribus enim ille quatuor fecit; neque eæ tribus ad centuriarum diſtributionem, numerumque quicquam pertinuere. Hinc etiam illa ſcripta ſunt apud Pædianum de tribu prærogativa; prærogativæ ſunt tribus, inquit, quæ primæ B ſuffragium ferunt ante jure vocatas; mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iiſdem candidatis comitia fieri; quorum tribus prærogativæ dicebantur, quòd primæ rogarentur, quos vellent conſules fieri; ſecundæ, jure vocatæ, quòd in his, ſequente populo, ut ſæpe contingit, prærogativarum voluntatem, jure omnia complecterentur. Idem ex Planciana Ciceronis intelligi poteſt, ubi de comitiis centuriatis cum loquatur, centuriam prærogativam unius tribus partem vocat. Sed cur ego, inquit, ſic ago? quaſi non comitiis jam ſuperioribus ſit Plancius deſignatus ædilis; quæ comitia primum habere cœpit conſul, C legum ambitus auctor; deinde habere cœpit ſubito, præter opinionem omnium; ut ne ſi cogitaſſet quidem quiſpiam largiri, daretur ſpatium comparandi; vocatæ tribus, latum ſuffragium, deſcriptæ, renunciatæ longe plurimum valuit Plancius; nulla largitionis nec fuit, nec eſſe potuit ſuſpicio; an tandem una centuria prærogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo unquam prior eam tulerit, quin renunciatus ſit? tu autem his comitiis conſularibus, aut certe in illum annum ædilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, ſed univerſus populus voluntatem ſuam declaraverit? cujus in honore non unius tribus pars, ſed comitia tota comitiis D fuerint prærogata. Ex his verbis patet, vocatas tribus eſſe, eaſque centuriatim ſuffragium dixiſſe; quæ autem prima centuria rogata eſt, eam prærogativam, atque unius tribus partem nominatam. Eodem pertinent etiam comitia Dolabellæ conſularia, de quibus Cicero in II. in Antonium: Ecce Dolabellæ comitiorum dies; ſortitio prærogativæ, quieſcit; renunciatur, tacet; prima claſſis vocatur; deinde, ut aſſolet, ſuffragia; tum ſecunda claſſis. Prærogativam enim renunciatam eſſe ait ante primam claſſem, quia vocatis tribubus xxxv. ſorte una tribus educebatur, quæ, quòd pri-A ma rogaretur, prærogativa dicta eſt; cumque ſingulæ tribus centurias maxime haberent duas, unam ſeniorum, alteram juniorum, ſorti etiam permittebatur, utra prærogativæ tribus centuria eſſet prærogativa; quæ centuria prærogativa cum ſuffragium dixiſſet, deinceps reliquæ centuriæ non ſorte, ſed jure, id eſt pro ordine claſſium vocabantur. Hinc mentio eſt tribuum etiam in centuriatis comitiis; ut cum inqnit Svetonius, Cæſarem edidiſſe per libellos circum tribum miſſos ſcriptura brevi; Cæſar dictator ille tribui. Commendo vobis illum, & illum, ut ſuffragio veſtro dignitatem ſuam teneant; & Cicero de comitiis conſularibus Milonis, Clodium tota comitia ſuis humeris ſuſtinuiſſe, convocaſſe tribus, ſe interpoſuiſſe; & Lucanus: Fingit ſolennia campus, Et non admiſſæ dirimit ſuffragia plebis, Decantatque tribus, & vana verſat in urna. Idem ſignificatur etiam lib. III. de legibus, his verbis: Populi partes in tribus diſtribuunto, exin pecunias, ævitates, ordines partiunto, id eſt, primum in tribus, deinde in centurias ex cenſu, ætate, & ordine diſtinctas. His rebus expoſitis nunc Livianos locos explanemus. Fac igitur populum R. in campo ſuffragii dicendi cauſſa convocatum; fac ſorte educendam eſſe prærogativam centuriam, ea certe triginta quinque tribuum una ſortienda eſt. Sit ergo ſorte extracta Galeria tribus, ex qua prærogativa centuria educatur. Hujus cum, ut reliquarum tribuum, maxime centuriæ duæ ſint, una ſeniorum, altera juniorum, exierit juniorum centuria, quæ prima omnium centuriarum ſuffragium ineat, & prærogativa ſit, tum vero hanc non ne centuriam Galeriam poterimus, quomodo Livius nominavit, nominare, ideſt centuriam ex Galeria tribu ſorte eductam? præſertim cum dicat Livius: Galeria juniorum, quæ ſorte prærogativa erat; non enim juniores, aut ſeniores ad tribus, ſed ad centurias pertinent; in dividendis enim tribubus non habetur ratio ætatis, ſed in centuriis. Idem dico de Veturia, quam eadem ratione feci centuriam, qua Galeriam; cum dicat Livius: Prærogativa Veturia juniorum declaravit T. Manlium conſulem. Item: Redire in ſuffragium Veturiam juniorum jubet. Item: Veturiam ſeniorum citaret. Item: Citatis Veturiæ ſenioribus. Item: Centuria auctoritate viri mota (ſic eam ille appellavit.) Veturiam enim centuriam interpretor centuriam ſorte è Veturia tribu eductam. Dices fortaſſe unde Veturiam tribum eſſe accepiſti? unde, niſi ex veteribus lapidum monimentis? in quibus eſt Veturia, Vet., & Vot.

SEX. APVSIVS
SEX. F. VET.
BAEBIVS. *&c.*

C. CASSIVS C. F.
VET. MODESTINVS.

CN. SERGIVS CN. L. ANTHVS
PATER AVGVSTALIS FECIT
CN. SERGIO CN. F. VOT.
PRISCO F. SVO PRÆTORI
SACRIS VOLCANI *&c.*

SEX. CALPVRNIVS.
SEX. F. VETVRIA
QVINCTIANVS *&c.*

P. MARIO VOT.
LVPERTIANO EQVITI ROM.
&c.

Quarum inſcriptionum tres ad me miſit Onofrius Panvinius vir & doctrina, & fide ſingulari præditus, quarta eſt in libro Antiquarum inſcriptionum, quinta in Jucundi. Voturiam autem pro Veturia dictam eſſe apparet, quomodo Voturios pro Veturiis dictos apud Soſipatrum legimus. Lapides autem ipſos Liviani hujus loci confirmat auctoritas, quem tu, quòd Veturiam tribum eſſe ignorares, & quòd centuriam tribus eſſe partem poſſe neſcires, pervertendum tibi exiſtimaſti, & centuriam reponendum duxiſti. Nam quòd centurias nomine vacaſſe opponis, id alia etiam ratione refelli poteſt. Scribit enim Feſtus ita: Niquiſcivit centuria eſt, quæ dicitur à Ser. Tullio rege conſtituta, in qua liceret ei ſuffragium ferre, qui non tuliſſet in ſua, ne quis civis ſuffragii jure privaretur; ſed in ea centuria neque cenſetur quiſquam, neque centuriæ præficitur, neque centurialis poteſt eſſe; quia nemo certus eſt ejus centuriæ. Atque cum hæc ita ſint, audes tamen illud dicere: „ Dii boni quam imperitus eſt iſte „ Sigonius, quam nullo judicio præditus! cur ita Robortelle Sigoniomaſtix? quia ego non, ut tu, præclara antiquitatis monimenta revello? quia Livianam puritatem contra licentiam imperitorum defendo? quia artem iſtam tuam emendandi contemno? Nam quod ais, te ab ira continere non poſſe, quia ſtudioſorum antiquitatis utilitati eſt conſulendum, vide ne juſtius iraſcaris, quòd id ætatis vir nullum adhuc ſtudii, atque ingenii parare tibi adjumentum potueris, quo recondita, atque obſcura hæc Romanarum literarum monimenta cognoſceres. Nam, cum ſis talis, bonam tuam iſtam erga nos voluntatem ſtudioſi antiquitatis reſpuimus; ac tibi, & tuis, quos hac doctrina infatues, libenti animo remittimus. Quamobrem quod addis, te putare, me, cum hæc ſcripſi, ſomniaſſe, ſcito me vehementer gaudere, cum ſomnia mea multo, quam vigiliæ tuæ, ſint meliora; neque enim niſi ipſe vigilans dormientis ſimilis eſſes, Galeriam, & Veturiam centuriam ex Liviana hiſtoria ſuſtuliſſes. Ad id autem, quod concludis: „ Plane nullo judicio præditus es ô Sigoni: ignoſce quæſo; cogor enim vera dicere, ne tuis iſtis correctionibus alicui parum cauto imponas, ſic habeto, me animum iſtum tuum nulla ex parte fucatum, ac ſimulatum, ſed ſimplicem, atque apertum jampridem non ſolum admirari, ſed etiam amare; cumque ipſe ſis ejuſmodi, credere etiam, te ceteros, qui eodem candore animi præditi ſint, ſtudio, ac benevolentia proſequi; inter quos tu me habeas neceſſe eſt; me enim ipſum cum natura talem fecit, tum etiam inſtitutio confirmavit, ut ſimulare neſcirem. Quamobrem & tu meum accipe de te judicium, non odio, nec malevolentia ulla, ſed re ipſa & veritate firmatum. Ego verò in te nullum ingenii, literarum, eloquentiæ, judicii, humanitatis lumen, ac ne ſcintillam quidem ullam elucere exiſtimo; quodque ego ſentio, id omnes mecum homines ſentiunt; ut cum omnibus cognitus ſis, nemini imponere, quanquam improvido, poſſis.

IN CAPUT XXXIII.

Loci Poëtices Ariſtotelis nova expoſitio defenſa, aliena reprehenſa; & qui fuerint tres hiſtriones à Sophocle inducti.

VEnio nunc ad locum poëtices Ariſtotelis, quem iccirco à me non eſſe intellectum arguis, quia à tua interpretatione diſceſſi. Loquitur Livius lib. VII. hoc modo: Impletas modis ſatyras deſcripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Livius poſt aliquot annos, qui ab ſatyris auſus eſt primus argumento fabulam ſerere, idem ſcilicet, id quod omnes tum erant, ſuorum carminum actor, dicitur, cum ſæpius revocatus vocem obtudiſſet, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis uſus impediebat; inde ad manum cantari hiſtrionibus cœptum, diverbiaque tantum ipſorum voci relicta. His quaſi verborum tenebris lumen aliquod me afferre oportere putavi. Itaque in ſcholiis ita ſcripſi: Horum verborum ſenſus eſt. Primum ludiones ex Etruria acciti ſine carmine ad tibicinis modos ſaltarunt; poſt verſus, ſed inconditi, & motus à voce non abſoni acceſſerunt; tum diligentia quoque major adhibita eſt; non enim Feſcenino ſimilis verſus, temere compoſitus, ac rudis, ut ante, allatus eſt, verum deſcripto ad tibicinem cantu, ſaltuque congruenti ſatyras peregerunt. Quo fit, ut mos ille explicetur, qui ab Ariſtotele in Poëticis recitatur; veteres nimirum hiſtriones imitatos eſſe ῥυθμῷ, ἁρμονίᾳ, καὶ λόγῳ, id eſt, ſaltu, concentu, & verſu; atque eorum primum duo genera extitiſſe; unum eorum, qui tibiarum modis, alterum eorum, qui pedum motibus, verbiſque imitarentur; deinde vero tria evaſiſſe, tum cum alius ſaltare, alius canere cœpit; cujus initium moris tribuit Livio poëtæ hic auctor, Sophocli autem in tragœdia Ariſtoteles, cum ait ab eo inventum eſſe τὸ τριταγωνιστεῖν. Hæc ego tum ita. Tu vero hæc: „ Etiam ex hoc „ facile perſpicient omnes, quam imperitus „ ſit Sigonius, quam nullo, (ut toties dixi) „ judicio præditus in literis. Ariſtoteles quidem ò Sigoni in Poëtice ait, Sophoclem „ auxiſſe numerum hiſtrionum; cum enim „ Æſchylus ante primus auxiſſet uſque ad „ duos, Sophocles tertium addidit. Sicque „ tres hiſtriones primarum, ſecundarum, & „ tertiarum partium eſſe cœperunt. Verba „ Ariſtotelis ſunt hæc: καὶ τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος „ ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ „ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστεῖν παρεσκεύασε. τρεῖς „ δὲ καὶ σκηνογραφίαν ὁ σοφοκλῆς. Hæc quidem ita „ ſe ſe habent. Sed aliud eſt, quod narrat ab „ Andronico factum Livius, &c. Nunc ad hæc tibi reſpondebo, ſi prius meam in hac contentionis ratione conditionem deploravero; quid enim agam Robortelle? de literis ne idem, quod tu, ſentiam? contumeliis me continuo tuis onerabis, meque ſermones etiam tuos familiares ſurripuiſſe teſte aliquo confirmabis; non idem? me continuo, quòd à te diſſentiam, oppugnabis. Age enim, cur locum Ariſtotelis in poëtica non intellexit Sigonius? quia interpretem Robortellum reliquit; jam enim eandem ſibi auctoritatem in libris Ariſtotelis exponendis Robortellus peperit, quam

Sim-

Simplicius, quam Alexander, quam Themiſtius, adeo ut ab eo ſine periculo recedi vix poſſe videatur; quid ait iſte Robortellus? Ariſtoteles hiſtriones ibi primarum, ſecundarum, & tertiarum partium intellexit; quomodo probat? nullo modo; nam ſatis valere auctoritatem ſuam exiſtimat; hoc tantum ait in Poëticæ commentario: „ Æſchylus primus duos „ invenit hiſtriones, cum ante adhiberetur „ tantum unus. Sophocles unum addidit hi„ ſtrionem, effecitque, ut eſſent tres; cum „ tres hiſtriones adhiberentur, factus eſt ſer„ mo τριταγωνιστὴν; hæc ſunt omnia φύσει; „ cœpit appellari πρωταγωνιστὴς, quo primum „ tempore Æſchylus duos adhibuit hiſtriones „ ratione ſecundarii; ut ſit præclare ab Ari„ ſtotele dictum, Æſchylum inveniſſe ſermo„ nem πρωταγωνιστεῖν; per id enim denotat etiam „ δευτεραγωνιστεῖν, ſicuti patet; fuit etiam con„ ſuetudo hæc apud oratores, ut aliquis pri„ mas ageret, alter ſecundas, tertius tertias. Ex his verbis, & quæ apud eum ſequuntur, probatur, hiſtriones aliquot fuiſſe primarum partium, ſecundarum, & tertiarum, at hoc ibi Ariſtotelem voluiſſe non probatur; tantum docet, Donato auctore, hiſtrionem primarum partium eum eſſe, qui plurima loquatur; & ſic deinceps; atque hos appellari à græcis πρωταγωνιστὴν, δευτεραγωνιστὴν, τριταγωνιστὴν. Attendite ergo conſilium hominis, qui in loco controverſo, & cujus ipſe ſententiam nulla ratione firmavit, me, quia ab eo diſſenſerim, quaſi ejus opinionem improbaverim, reprehendit; nec intelligit, ſi Ariſtotelis ea ſententia eſſet, Vincentium Madium acutiſſimi ingenii, & ſingularis doctrinæ philoſophum meliorem non fuiſſe quæſiturum. Si ergo Madium à ſe diſſidere, & ſe ab illo reprehendi non iniquo animo fert, cur me non ſecum diſcrepare, qui ne nomen quidem ejus profero, patitur? cur meam ille occultare ſententiam vult, cum ille patefecerit ſuam? quæ tyrannis iſta eſt, Robortelle, nolle quenquam niſi te, quid ſentiat, de literis aperire? Ego igitur ad imitationem reſpexiſſe Ariſtotelem puto, & tres fuiſſe tragicos primis temporibus hiſtriones hoc modo intelligendum; primum unum, qui idem tribus inſtrumentis imitaretur, cantu, harmonia, & ſaltu, ut de Dithyrambicis auctor certus eſt Ariſtoteles; deinde Æſchylum tibicinem ab eo, qui caneret, & ſaltaret, poſtremo Sophoclem etiam à ſaltatore ſejunxiſſe. Hoc enim etiam ſubſignificat Lucianus: πάλαι μὲν γὰρ αὐτοὶ καὶ ᾖδον, καὶ ὠρχοῦντο, εἶτα ἐπειδὴ κινουμένων τὸ ἆσθμα τὴν ᾠδὴν ἐπετάραττεν, ἄμεινον ἔδοξεν ἄλλους αὐτοῖς ὑπᾴδειν. αἱ δὲ ὑποθέσεις κοιναὶ ἀμφοτέραις, καὶ οὐδέν τι διακεκριμέναι τῶν τραγικῶν αἱ ὀρχηστικαί, πλὴν ὅτι ποικιλώτεραι αὗται, καὶ πολυμαθέστεραι, καὶ μυρίας ἔχουσαι μεταβολάς; & Athenæus libro decimoquarto: συνέστηκε δὲ καὶ σατυρικὴ πᾶσα ποίησις τὸ παλαιὸν ἐκ χορῶν, ὡς καὶ ἡ τότε τραγῳδία; διόπερ οὐδὲ ὑποκριτὰς εἶχον. Quare ſive verbis Ariſtotelis, & Luciani, & Athenæi, & antiquæ demum conſuetudini congruentem interpretationem attuli, quid eſt, quòd eam, quia cum tua diſſentiat, reprehendas? Quod autem ego τριταγωνιστὴν à Sophocle inventum dixi, non tertiarum partium hiſtrionem, ut tu, intellexi, ſed omnino tertium hiſtrionem; dixit enim Ariſtoteles: τρεῖς δὲ ὑποκριτὰς ὁ Σοφοκλῆς. Neque vero eodem in loco tibi etiam aſſentire poſſum, qui λόγον πρωταγωνιστὴν ſermonem hiſtrionis primarum partium interpretaris, ſed Madio prudentiſſimo viro, qui prologum. Nam poſt, ubi de comœdia loqui-

A tur, ſic ait: τίς δὲ πρόσωπα ἀπέδωκεν, ἢ προλόγους; ἢ πλήθη ὑποκριτῶν, καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἠγνόηται; id eſt, Non iraſcitur de Comœdia, ut de Tragœdia, quis invenerit perſonas chori, qui prologos, quem in Tragœdia appellavit λόγον πρωταγωνιστὴν, quis hiſtrionum multitudinem, id eſt ut ab uno ad tres pervenerint; cum ergo omnia omnibus, & ſingulis ſingula reſpondeant, facile quid ipſa ſint, altera ex alteris indicant.

IN CAPUT XXXIV.

Liviani loci emendatio defenſa, aliena vituperata.

B DEinceps ſequitur, ut defenſionem adſcribam ejus loci, quem me ex II Livii libro depravaſſe calumniatur, atque eundem illum ab ipſo, ut alios multos, non intellectum oſtendam; locus eſt hic: Tres fuere ſententiæ. P. Virginius rem non vulgabat, de iis tantum, qui fidem ſequuti P. Servilii cos. Volſco, Sabino, Aruncoque militaſſent bello, agendum cenſebat; T. Lartius totam plebem ære alieno eſſe demerſam, nec ſiſti poſſe, ni omnibus conſulatur. Ap. Claudius & natura immitis, & efferatus; Agedum, inquit, dictatorem, à quo provocatio non eſt, creemus. Jam hic, quo nunc omnia ardent, conticeſcet furor; pulſet tum mihi lictorem, qui ſciat jus C de tergo, vitaque penes unum illum eſſe, cujus majeſtatem violavit. Ex his verbis apparet, tres ſententias eſſe dictas de plebe ob æs alienum militiam detrectante, unam à Virginio, qui parti plebis ſatisfaciendum eſſe cenſebat; alteram à Lartio qui omnibus; tertiam ab Appio, qui nemini. Quid de his ſententiis judicatum ſit, deinceps exponit Livius, ſed ea verba aliter ab aliis interpuncta diverſam edunt ſententiam. Sic legit Rhenanus: Multis, ut erat, horrida, & atrox videbatur Appii ſententia, rurſus Virginii, Lartiique exemplo haud ſalubres; utique Lartii putabant ſententiam, quæ totam fidem tolleret; medium maxime, & moderatum utroque conſilium Vir- D ginii habebatur; cujus lectionis hic eſt ſenſus. Appii horrida, & atrox ſententia, rurſus Virginii, Lartiique ſententiæ exemplo haud ſalubres videbantur; utique Lartii putabant ſententiam, quæ omnem fidem tolleret; medium maxime habebatur Virginii ingenium. Quam lectionem ego non probavi, quia ſequitur, ut Virginii ſententiam primo vituperet, cum ait exemplo haud ſalubrem fuiſſe, deinde laudet, cum ait: moderatum utroque Virginii conſilium habitum eſſe; & ut bis de ea, & Lartii ſententia judicet. Ea cauſſa fecit, ut meliorem multo eam eſſe lectionem duxerim, quam ego in aliquot manuſcriptis libris reperi, hoc modo: Multis, ut erat, horrida atque E atrox videbatur Appii ſententia, rurſus Virginii, Vetuſiique exemplo pernicioſa. Haud ſalubrem utique Lartii putabant ſententiam, quæ totam &c. hoc ſenſu: Appii ſententia horrida, & atrox videbatur, & eadem rurſus Virginii, Vetuſiique exemplo pernicioſa. Lartii ſententiam haud ſalubrem exemplo putabant. Virginii moderatum utroque habebatur ingenium. Quod autem ait, pernicioſam Appii ſententiam viſam Virginii, Vetuſiique exemplo, conſules, qui tum erant, intelligit, qui cum cogere, ut Appius cenſebat, plebem in bellum voluiſſent, nihil profecerant, atque conſularis majeſtatis jus imminuerant. Sic enim

ſcribit Livius: Redeunt in tribunal conſules, citari nominatim unum ex iis, qui in conſpectu erant, dedita opera jubent; cum ſtaret tacitus, & circa eum aliquot hominum, ne forte violaretur, conſtitiſſet globus, lictorem ad eum conſules mittunt; quo repulſo, tum vero indignum facinus eſſe clamitantes, qui patrum conſulibus aderant, devolant de tribunali, ut lictori auxilio eſſent. Sed ab lictore nihil aliud, quam prehendere prohibito, cum converſus in patres impetus eſſet, conſulum intercurſu rixa ſedata eſt. Apparet ergo, ut Appii ſententia atrox eſſet, cum animadverti vellet in detrectantem militiam plebem, & ut pernicioſa, Virginii, Vetuſiique conſulum exemplo, qui id cum ſumma patrum ignominia fruſtra tentaverant. Hanc autem lectionem vituperat Robortellus duabus rationibus; primum, quod ex conjectura pro Lartii Vetuſii repoſui; id quod fateor. Sed id librarii vitium fuiſſe, inde ſuſpicor, quòd vox Lartii ſtatim ſubſequitur, ad quam ille reſpiciens pro Vetuſii, Lartii ſcripſit. Id autem hoc novum ei videri demiror, qui artem addendi, adimendi, mutandique ad arbitrium edidit; deinde, quòd formulam loquendi Livianam non agnoverim, quam formulam repræſentari lectione, quam ipſe protulit, ait: ea vero eſt hæc: Multis, ut erat, horrida, atque atrox Appii ſententia videbatur, rurſus Virginii, Lartiique, exemplo haud ſalubrem utique Lartii putabant ſententiam, quæ &c. Eſt autem, inquit, loquendi ratio eleganter per collectionem primo, mox per diſtributionem, perplexa quidem & obliqua, ſed apta ad orationem grandem conficiendam. Ego autem, ubi attente hanc dicendi formulam, atque ea, quæ citat, exempla conſideravi, alieniſſimam, & minime ferendam ſententiam ex hac promi lectione inveni. Exempla autem ejus hanc habent vim, ut collectio ſuum habeat verbum, & diſtributio ferè ſuum; ut illud Ariſtotelis: γενομένης οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς καὶ αὐτῆς, καὶ κωμῳδίας, ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικὰ ηὐξήθη; & Virgilii illud:

Eam circum Mileſia vellera nymphæ
Carpebant, Drymoque, Xanthoque, &c.
Cydippeque, & flava Lycorias, altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores.

Item:

Compulerantque greges Corydon, & Tyrſis in unum
Tyrſis, oves, Corydon diſtentas lacte capellas.

Item:

Et manibus jam tangeret æquis.
Læva aciem ferri, dextra, nervoque papillam.

Item:

Jamque neci Sthenelumque dedit, Tamyrimque Polumque,
Hunc congreſſus, & hunc, illum eminus. Item:
Hunc illa exceptum trajicit;
Protinus Orſilochum, & Buten duo maxima Teucrum
Corpora: ſed Buten adverſo cuſpide figit.
Orſilochum fugiens. Item:
Prolem Dolicaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque fugacem.
Sed Latagi ſaxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat, os, faciemq; adverſam, poplite Palmum.
Succiſo volvi ſegnem ſinit. Item:
Interea bijugis infert ſe Lucagus albis
In medios fraterque Liger, ſed frater habenis
Flectit equos, ſtrictum rotat acer Lucagus enſem.

Item:

Vos etiam gemini Rutulis cecidiſtis in arvis &c.

Habet ergo in his exemplis collectio verbum ſuum, plerunque etiam diſtributio; nunquam autem eſt ſine proprio verbo collectivo. At in hac oratione Liviana, quam his Virgilianis ſimilem eſſe vis, collectio nullum habet verbum, niſi ex ſuperiore membro alienum aſſumat, hoc modo: Appii horrida, & atrox ſententia videbatur; rurſus Virginii, Lartiique; ſubaudi, ſententia horrida, & atrox videbatur; hæc enim collectio illa eſt, de qua dicit Robortellus; cui ſubſequens eſt diſtributio ſuo ornata verbo; exemplo haud ſalubrem putabant Lartii ſententiam, Virginii moderatum utroque conſilium habebatur. Quod ſi collectio proprio caret verbo, nihil eum hæc exempla ad hanc emendationem inferendam adjuvant, immò omnia ſupervacanea ſunt; ſi ex ſuperiore membro, (non enim ex inferiori poteſt; quod exempla Virgiliana demonſtrant) alienum verbum mutuatur, dico alieniſſimam, & fœdiſſimam ſententiam inferri; ut æque atrocem, & horridam Virginii, & Lartii ſententiam appellet, qui aut parti, aut omnibus ſatisfaciebant, atque Appii, qui dictaturæ terrore in terga plebis dicto non audientis minabatur; adde etiam expoſitionem illam Livii alieniſſimam. Cur enim horrida & atrox Lartii ſententia? quia exemplo haud ſalubris, quia tollebat omnem fidem. Cur Virginii? quia moderatum utroque ingenium erat: O Livium ſtultum, ſi hæc voluiſti, ſapientem Robortellum, ſi hoc eum voluiſſe credidiſti. Ergo aut exempla tibi meliora, atque aptiora quærenda ſunt Robortelle, aut mea lectio, quam improbas, approbanda.

IN CAPUT XXXV.

Loci Liviani correctio defenſa. Qui ſint nexi apud Livium.

Deinceps defendenda eſt emendatio altera ex eodem libro T. Livii. Sic ille: Ad hæc viſa, auditaque clamor ingens oritur; non tam foro ſe tumultus continet, ſed paſſim tota urbe nexu vincti ſolutique ſe undique in publicum proripiunt. Ego emendavi: Nexi vincti, ſolutique; primum autem rationem, cur ita fecerim, exponam, deinde ad ea, quæ Robortellus opponit, reſpondebo. Poſitum ergo hoc ſit, nexum dici eum, ut ait Varro, qui liber ſuas operas in ſervitute dat alteri pro pecunia, donec ſolverit creditori. Eorum autem duo genera eſſe invenio, unum eorum, qui inviti ſervirent, alterum, qui volentes, quorum illi vincti, hi ſoluti dicuntur. Invitos ſerviſſe multos, oſtendit ſeditio, de qua eo loco Livius; ſponte autem nonnullos, idem libro VIII. Eo anno initium libertatis factum eſt, quod ligari nexi deſierunt. Item: Cui cum ſe C. Publilius ob æs alienum paternum nexum dediſſet. Item: Ita nexi ſoluti, cautumque in poſterum ne nectcrentur. Hic nexos accepit non pro vinctis, ſed pro iis, qui operam ſuam præſtarent pro pecunia, quam deberent; quos cautum ait, ne, ut ante, in vinculis à creditoribus haberentur; hos Zonaras, ubi hac de re loquitur, τοὺς ἐξεταρ-

μι.

A *μυρίας χρηματιμένους* vocat, id eſt, qui, quòd ad præſcriptam diem non ſolviſſent, in poteſtate eſſent. Hoc autem Livius libro VII. dixit, inire nexum. Non eadem domi, inquit, quæ militiæ erat fortuna reip. Nam etſi unciario fœnore facto levara uſura erat, ſorte ipſa obruebantur inopes, nexumque inibant. Non omnes etiam nexos in vinculis à creditoribus habitos eſſe, oſtendit Livius hoc loco, cum ait: Hoc propoſito edicto, & qui aderant, nexi profiteri extemplo nomina, & undique ex tota urbe proripientium ſe ex privato, cum retinendi jus creditori non eſſet, concurſus in forum fieri. Nam ſi nexi aliquot, tum cum edictum propoſitum eſt, in foro aderant, B ergo non in vinculis erant. Emendavi ergo his rationibus adductus, Nexi vincti, ſolutique, nexos accipiens eos, qui ob æs alienum operas darent vel vincti, id eſt, inviti, vel ſoluti, id eſt ſponte. Ex quibus verbis ſatis intelligi poteſt id, quod à me quærit Robortellus, quemadmodum ego nexos à vinctis diſtinguam; ille enim nexos pro ligatis accipit. Nam quod ait, Nexu vinctos à Livio, ea ratione, qua nexu obligati à Cicerone, reſpondeo errare illum vehementer. Nam cum inquit Cicero pro Murena: In iis rebus, quæ mancipi ſunt, is periculum judicii præſtare debet, qui ſe nexu obligavit, aliud longe eſt, atque id, quo de nunc agimus; eſt enim obligare ſe nexu, evictionem, ut ait Budæus, C ſe præſtiturum ſpondere. Si ergo alia ſignificatio eſt, ergo aliam etiam formam eſſe dicendi non eſt, ut mirabile videatur. Multoque minus ad hanc rem pertinet id, quod dicitur, Aliquid noſtrum eſſe mancipio, & nexu, quod ille præter rem, ut ſolet omnia, affert. Cumque ipſe exponat nexu vinctos, id eſt, qui corpus ob æs alienum tradiderant creditori in ſervitium, in publicum concurriſſe, quærit à me, quomodo, ſi vincti erant, potuerint ſe in publicum proripere; quaſi vero non eadem ipſe difficultate urgeatur; niſi vero nexos omnes ea ſeditione ſponte operas præſtitiſſe velit, cum ſeditio ea ex eo, quod D acerbius in ergaſtulis tractarentur à creditoribus, exarſerit. Et quoniam idem ille libro VIII. ubi ſcriptum eſt: Nexi ſoluti, cautumque ne in poſterum necterentur, Nexos ſolutos interpretatur liberatos nexu, & cautum, ne necterentur, id eſt, ne operam ſuam creditoribus præſtarent, cum ego de vinciendis, & ligandis iis dictum acceperim, audiat, quid ibi Livius loquatur: Eo anno initium libertatis Romanæ factum eſt quòd ligari nexi deſierunt; quæ ſi verba mendoſa eſſe velit, audiat, quid de eadem re Suidas ſcribat in voce *γαῖος λαιτίλειος*. *Καὶ δὴ ἐκεῖνο τὸ πάθος ἅπαντες οἱ δουλωθέντες πρὸς τὰ χρέα ῥωμαῖοι τέως κυρωθέντι ἀρχαίαν ἐλευθερίαν ἐκομίσαντο*; inquit enim omnes, E qui in ſervitutem adducti erant ob æs alienum, priſtinam libertatem recuperaſſe, nonne operas præſtarent, ſed ne vincirentur ac verberibus, ut ſervi, cæderentur. Hæc dixi, ut quid tum me moverit, oſtenderem, non ut, ſi docti aliter ſentirent, pertinacius eorum ſententiæ repugnarem. Quod autem concludit Robortellus: „ Tantum illud addam, „ Sigonium, dum ſuo uſus eſt judicio in „ emendando Livio, non illum quidem emendaſſe, ſed corrupiſſe, in pluribus quam „ mille & ſexcentis in locis, quod ego propediem patefaciam: mallem ab eo conſideratius eſſe dictum. Non enim vereor ne homines improbi conviciatoris, & iniqui obtrectatoris maledictum potius, quam juſtam alieni laboris reprehenſionem ſint exiſtimaturi; cum videant, eum qui amplius mille & ſexcentos locos Livianos à me depravatos ſe oſtenſurum profitetur, vix quindecim nominare in hoc libro potuiſſe, in quo ille ita cupide in me eſt invectus, ut etiam ex alienis laboribus occaſionem mei vituperandi quæſierit: niſi forte operariorum errata mihi ipſi, ut eum audio facere, aſcripturus eſt.

IN CAPUT XXXVI.

Livianæ correctionis ratio reddita; & duæ aliæ ex conjectura prolatæ.

B DEinceps exponenda ratio eſt, cur apud Livium ex iniquo ſuo, iniquiſſimo fecerim. Verba ejus ſunt lib. II. Tributum iniquo ſuo tempore imperatum. Ego cum in omnibus manuſcriptis libris, Tributum iniquum ſuo tempore imperatum reperirem, cumque Petrum Nannium ſe in codice Buſlidiano, iniquo non ſuo, legiſſe affirmantem audirem, veritus, ne illa lectio, iniquo ſuo, ex alicujus ingenio potius, quàm ex veterelectione in verba Livii irrepſiſſet, ſtatui, aut iniquum tributum, id eſt, impar cenſui ſuo imperatum à conſulibus dici, tempore ſuo, id C eſt, dum militavit, aut, iniquiſſimo tempore, pro iniquum ſuo tempore, eſſe legendum. Cauſſas enim affert ille, cur æs alienum fecerit: quia Sabino militans bello propter populationes agri non fructu modo caruiſſet, ſed villa incenſa fuiſſet, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquiſſimo tempore imperatum, id eſt, minime opportuno, & idoneo ſibi tempore. Robortellus autem, quòd exiſtimet me, iniquiſſimo tempore, ad rempublicam, non ad eum, qui loquitur, retuliſſe, iniquo ſuo tempore mavult; quod, ut dixi, ab emendatoribus nonnullis ex iniquum ſuo factum eſſe apparet. Petrus quidem Nannius, cum, iniquum non ſuo tempore, legit, haud D ſane cum ſuo ſe Robortello conſenſiſſe oſtendit. Non probas igitur hanc conjecturam; dabo alteram, ut opinor, firmiorem, hac tamen conditione, ne mihi iniquo aliquo meo tempore eam mihi in maledictis objicias. Lib. XLI. quo ex libro mendas alias alio tempore ſuſtuli, hæc verba ſunt: Deinde lege caverent, ne quis quem civitatis mutandæ cauſſa ſuum faceret, neve alienaret. Dico illud, ſuum, eſſe mendoſe, pro ſervum, quod ex compendioſa librarii ſcriptura natum eſt. Lex enim cavebat, ne quis filium ſervum faceret, mutandæ civitatis cauſſa. Siquidem dixit, ſocios liberos ſuos quibuſcunque Romanis, in eam conditionem, ut manumitterentur, mancipio dediſſe, eoſque libertinos cives fuiſſe; E poſt autem cautum eſſe, ne quis ſervum filium ea de cauſſa faceret, id eſt mancipio daret; & lib. XLV. Adeo quanta Macedonia eſſet, quam diviſui facilis, & à ſe ipſa quæque contenta pars eſſet, Macedones quoque ignorabant; puto reſtitui debere, ut ſe ipſa quæque pars contenta eſſet. Loquitur de diviſione Macedoniæ, quam ita Paullus inſtituit, ut omnium inter ſe regionum commercia tolleret. Quod ante quàm factum eſſet, Macedones ignoraverant; id eſt, ut magna Macedonia eſſet, ut facile dividi poſſet, ut quæque ejus pars ſeipſa contenta eſſet; quod eſt nihil aliud,

aliud, niſi ut nulla pars alterius ope egeret. Atque hæc quidem conjectura duce dicimus, nam manuſcriptos earum hiſtoriarum libros nullos inſpeximus.

IN CAPUT XXXVII.

Tribuum rationem, & diſtinctionem, & Dionyſii locos non fuiſſe intellectos, & quid de ea re conſtituendum ſit.

FRanciſcus Robortellus adeo jugulaſſe me ſua illa Galeria, quam apud Livium centuriam eſſe expoſui, ſibi perſuadet, ut ab eo dimoveri non poſſit, quin etiam rurſus hoc capite ejus rei meminit. Itaque de hoc capite verbum nullum eram facturus, niſi nomen meum, & quidem aliqua cum contumelia contineret. Quod ne ei ſit impune, quàm prudenter, & perite ſcriptum ſit, oſtendamus. Primum ergo illud fecit ſcite Robortellus, quòd Anienſem, & Collinam tribum eſſe lapide uno ſibi confirmandum eſſe duxit, cum ea & multorum auctorum, & multorum lapidum, quos alii protulerunt, teſtimonio ſatis certa tribus ſit. Deinde peritius alterum quòd tribus ex locis, & regionibus fuiſſe diſtributas dixit, nam id quidem primis, & maxime Servianis temporibus tantum obſervatum eſt, ut qui urbem incolerent, in quatuor tribus, quæ à quatuor regionibus urbis nomen acceperant, conjicerentur, Suburanam, Exquilinam, Collinam, Palatinam; qui agri partes, in alias tribus, quæ à locis appellatæ erant, transferrentur, prout quiſque eas incolebat. At eam conſuetudinem non eſſe ſervatam, inde apparet, quòd urbanæ tribus ignominioſæ haberi cœptæ ſunt, ruſticæ honoratæ, ita ut urbanis tantum humiles, & libertini, in ruſticis honeſti, & ingenui cenſerentur; niſi vero omnes, qui ruſticas obtinebant tribus, rura habuiſſe, non urbem velimus, & Verrem in Romilia tribu, ut cenſum eſſe, ſic habitaſſe, itemque Sulpicium in Læmonia, Auguſtum in Scaptia; hæ enim omnes ruſticæ fuerunt. Neque vero hoc dicerem, niſi Robortellus quærens, cur pater Anienſi tribu ſit, filius Collina, hanc cauſſam redderet, quòd filius è domo paterna in aliam quæ non eadem tribu continebatur, migraſſet; quaſi vero pater in Anienſi tribu extra urbem habitaret, filius in urbem commigrans, & in Collina domicilium ponens, jus Collinæ tribus adeptus ſit; & quaſi habitatio, non cenſoria notio jus tribus dederit. Nam quòd Dionyſius vocat Servianas tribus τοπικάς, recte ait; tum enim quam quiſque tribum obtinebat, in ea habitabat. Itaque ad primam illam originem reſpiciens Gellius tributa comitia eſſe dixit, cum ex regionibus, & locis ſuffragium ferretur. Sed hæc omnibus niſi Robortello nota ſunt. Eodem etiam capite illud falſo ſcriptum eſt, diſtributionem populi in claſſes, & centurias à Dionyſio vocari γενικήν. Non enim hoc tradit Dionyſius, ſed inquit tribus Romuli tres fuiſſe γενικάς, Servii quatuor τοπικάς. γενικὰς autem id eſt per gentes, non, ut in quit Robortellus, ex cenſu, & ætate, quo nihil fingi poteſt abſurdius, ſed quòd tribus tres fecit, triplicem gentium rationem ſequutus, Ramnenſes, Tatienſes, Luceres. Ramnenſes Romani erant à ſe vocati, quibus Palatium aſſignavit. Tatienſes, à Tatio, quibus Capitolium tribuit. Luceres reliquus adventitius populus à Luco, in quem confugerant, quibus deinceps, ut quæque pars urbis addita, ita aſſignata eſt. Sed quoniam adventicius populus veterem jam tandem multitudine ſuperabat, placuit Servio populum urbanum in quatuor tribus conjicere, & qui Capitolium, Palatiumque, & quod eſt inter Capitolium & Palatium ſpatii incolerent, in Palatinam transtulit, qui Suburam tenerent, in Suburanam, qui Eſquilias in Eſquilinam, qui Viminalem, Quirinalemque collem in Collinam. quare illud γενικὸν Dionyſii non ad centurias pertinet, ſed ad tribus à Romulo inſtitutas. Verba Dionyſii ſunt hæc: Καὶ οὐκ ἔτι κατὰ τὰς τρεῖς φυλὰς τὰς γενικὰς ςρατιωτικά, ὡς πρότερον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τέτταρας τοπικάς, καὶ τὰς ὑφ' ἑαυτοῦ διαταχθείσας ἐποίησε. Cur autem hæc non intellexeris, ea cauſſa eſt, de qua ſæpius jam dixi; non enim græca ſine dictionarii ope intelligis, quanquam te in ſtudio ut in ceteris prudenter, & modeſte venditas. Neque enim ullam eſſe cauſſam video, cur tu in hujus antiquitatis ignoratione verſareris, cum ſatis plane Dionyſius loquatur. Quare ego tibi auctor fuerim, ut ante vim verborum græcorum diſcas, deinde te antiquitati interpretandæ tradas. Mihi vero Galeriam, & Veturiam interea explicandam relinquas. Quas ſcio tribus eſſe, & lib. XXVI. & XXVII. Livii, tribus partes, atque centurias.

IN CAPUT XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. XLII. LXIII.

SEquentium ſex capitum defenſionem Manutio, qui in iis aut palam, aut obſcure oppugnatur, relinquam; ipſe nihil dicam.

IN CAPUT XLIV. & XLV.

Loci Milonianæ emendatio, & explanatio deluſa, & melior allata. Ciceronis item duo alii loci emendati.

DEinceps locum corrigit in oratione pro Milone hunc: Deinde, quis in eo prætore conſul fortis eſſet, per quem tribunum virum conſularem crudeliſſime necatum eſſe meminiſſet? In quem ille ita: „ Hic „ locus difficillimus eſt, ſi ita legas, & obſcurus, multoſque torſit; dubium enim eſt, „ quem Cicero vocet tribunum virum conſularem; quomodo enim tribunus vir conſularis eſſe dicitur, cum tanto ante conſulatum gereretur tribunatus plebis. Alii aliter „ emendant. Sed ego puto legendum, tribunum, & virum conſularem, addita in medio particula, Et; declaro autem locum. „ Atqui conſules Clodium coërcere non potuiſſent, per quem ante meminiſſent crudeliſſime necatum tribunum, id eſt Seſtium, „ quem multis vulneribus confoſſum ſeminecem reliquit; & virum conſularem, id eſt „ Milonem ipſum, cui eo anno petenti conſulatum, & ſemel renunciato conſuli fecerat inſidias Clodius, prior ut perimeret. Ex quo apparet Robortelli ſententia tribunum Sextium necatum à Clodio dici, qui tantum vulneratus eſt, Milonem necatum à Clodio, quem Milo nullo vulnere accepto necavit, eundem Milonem conſularem appellari, qui μηδ' ἐν ὀνείροις conſulatum vidit. O acumen hominis incredibile! Hoc eſt artificium, quod te admirabile Patavii tradere paulo ante gloriatus

riatus es? quando alias aliquid tale dixit Cicero, quæ μετάστασις eſt iſta tua? vel potius perſonarum, temporum, rerumque μετάθεσις? non intelligis tribunum eſſe Clodium, conſularem virum eſſe Ciceronem ipſum, Necatum exigua mutatione eſſe mendoſe pro Vexatum? opponi prætorem tribuno, conſulem conſulari; hoc modo? an ſi Clodius factus eſſet prætor, eum conſules coërcere potuiſſent, qui cum eſſet tribunus conſularem virum me ipſum lege de exilio lata, crudeliſſime vexavit; nam ſi in minore magiſtratu conſularem neglexit dignitatem, profecto in majore à conſulibus coërceri non potuiſſet. Quanta autem ſit literarum ſimilitudo inter u, & n, x, & c, præſertim vero cum in aliquot etiam manuſcriptis ſit, necatum, quod propius ad x accedit, intelligis. Dixit autem in eadem oratione: P. Clodius eum ſtatuiſſe omni ſcelere vexare rempublicam. Vexare autem non poterat, niſi legibus, quo pacto vexavit etiam, ut quidem ipſe ait, crudeliſſime Ciceronem. Quam autem vehemens verbum ſit vexare, etiam per ſe ſumptum, declarat Gellius. Quare cave putes Robortelle, te recte aut particulam, Et, interpoſuiſſe, aut perſonas, aut tempora, aut negotia, aut hujus orationis artificium, quamvis artificioſæ auctor eloquentiæ intellexiſſe. Quod ſi particulæ interponendæ apud Ciceronem exemplum quæris, cur non affers id, quod eſt in II. contra Rullum? Itaque excipitur hac lege non adoleſcentia, non legitimum aliquod impedimentum, non poteſtas, non magiſtratus ullus aliis negotiis, ac legibus impeditus, reus denique, quominus Xvir fieri poſſit. Siquidem legendum eſt, Non reus; nam etiam rei ne profiteri petitionem poſſent, impediebantur; ut de Catilina repetundarum reo dixit Salluſtius; & illud in Vatinium: Quid quiſque noſtrum de ipſo loquatur, non eſt ſane requirendum: boni viri judicent; id eſt maximi momenti, & ponderis; nam legere oportet; quid boni viri. Quod autem ſequenti capite, legit apud Ciceronem in III. de orat. ex Nonio: Cum ſint luminoſæ, & quaſi jactuoſæ partes duæ, cum in locum illum incidam, ubi ſe hanc lectionem probaſſe ait, neque enim memini tale aliquid apud eum legiſſe; neque enim ejus ſcripta percurri; tum quid ipſe ſentiam exponam.

IN CAPUT XLVI.

Loci epitomæ Livianæ emendatio defenſa; aliena confutata. De legibus duabus ad petitionem conſulatus ſpectantibus; & duo alii loci epitomarum emendati, unus de Intercatia, alter de Q. Caſſio.

Deinceps ad me redit, & vitio dat, quòd locum epitomæ L. vitioſum non recte emendaverim; is eſt: P. Scipio Æmilianus, cum ædilitatem peteret, cos. à populo dictus, quoniam per decem annos fieri minime licebat, legibus ſolutus, & conſul creatus. Ego, quoniam legem de decem annis non obſervari, niſi in iis, qui ſemel cepiſſent conſulatum, ſciebam; ea enim caveri, ne quis intra x. annos conſul iterum fieret, cumque in manuſcriptis libris aliis, tum maxime in uno, quem ipſe habeo, & ei qui inſpicere voluerit, libentiſſime, ut alia omnia mea, commodabo, legi animadverterem, per annos, numero, Decem, omiſſo, non dubitavi, quin germana

A hæc eſſet lectio, præſertim vero cum Scipionem tum XXXVII. annos natum ſcirem, atque ædilitatem anno ſuo petentem viderem. Nam qui ædilitatem anno ſuo petit, is tum annali lege à conſulatu repellitur. Neque vero me fugiebat, Martialem Rogerium in commentario Lælii, & poſt eum Antonium etiam Bendinellum, ex conjectura, per annos quinque legere. Sed ego manuſcriptis libris potius ſtandum, dum à ratione non diſſiderent, quam ingenio, & conjectura cujuſquam putabam; præſertim vero cum viderem, in epitomam LVI. eandem mendam irrepſiſſe, ubi ſit mentio poſterioris conſulatus Scipionis, ita: Quem cum capere non poſſet, ob legem, quæ vetabat quenquam intra x. annos conſulem fieri;
B nam illud, intra x. annos, ibi non congruit, cum inter primum & ſecundum Scipionis conſulatum amplius x. interſint anni; ergo cum in iiſdem manuſcriptis tolli hanc etiam controverſiam, quam nec Rogerius, nec quiſquam alius ſuſtuliſſet, viderem, factum eſt, ut majorem etiam apud me manuſcripti libri auctoritatem haberent; intelligebam enim utrobique numerum x. annorum ab iis interjectum eſſe, qui niſi legem conſularem de x. annis cognoverunt; priore autem petitione Scipionem ætate impeditum, quòd ætas conſularis eſſet annus XLIII., poſteriore lege, qua cavebatur, ne quis omnino iterum conſul fieret,
C quam Cato ſuaſerat, de qua in ſcholiis dixi. Nec eſt, quod Robortellus adjiciat, ſe, poſtquam hæc ſcripſit, animadvertiſſe idem à Grucchio ſcriptum eſſe; nam potuerat idem apud Bendinellum legere, non longe ab eo loco, in quo ſui honorificam mentionem ab eo factam ſe legiſſe affirmat; potuerat etiam legere, antequam Bendinellus ad ſcribendum ſe conferret, apud eum, quem modo nominavi, Rogerium.

Mentio porro epitomarum, ac Scipionis facit, ut in mentem veniat loci cujuſdam, qui eſt in epitoma LXVIII. ejuſmodi: Scipio in expugnatione interceptæ urbis majus etiam periculum adiit; nam murum primus omnium
D tranſcendit. Puto enim pro interceptæ reponendum eſſe Intercatiæ. Siquidem ita ſcriptum eſt in libro de Viris illuſtribus: Scipio Lucullo in Hiſpania legatus, apud Intercatiam oppidum provocatorem ſingulari prœlio vicit. Muros hoſtilis civitatis primus aſcendit. Atque idem ſcribit Appianus in Iberica. De Intercatia autem Hiſpanica urbe Strabo, & Plinius tradiderunt. Eſt etiam in iiſdem Epitomis libro CXI. inſigne erratum, nondum à quoquam ſublatum: Propter Q. Catuli prætoris avaritiam, crudelitatemque Cordubenſes in Hiſpania cum duabus Varianis legionibus à partibus Cæſaris deſciverunt. Quære, quis ſit hic Q. Catulus, non reperies; indicant veræ
E lectionis veſtigia aliqua libri veteres manuſcripti, in quibus eſt, Q. Cati; indicat multo magis Dio, qui hunc Q. Longinum appellat libro XLII. ex quo intelligi poteſt, Q. Caſſii eſſe legendum; nam Longinus Caſſiorum fuit cognomen; ſic autem Dio: ἐπεὶ γὰρ ὁ λογγῖνος ὁ κύιντος πολλὰ κατ' αὐτοὺς ἐλυμαίνετο, τὸ μὲν πρῶτον ὀλίγοι τινὲς συνέστησαν ὡς ἀποκτενοῦντες αὐτόν· ἐπεὶ δὲ δὴ τρωθεὶς διέφυγε. καὶ τότε πολλῷ μείζω σφᾶς ἠδίκει. συχνοὶ μὲν κορδυβήσιοι, συχνοὶ δὲ καὶ στρατιῶται, ἀπό τε καὶ τοῦ πομπηΐου γεγονότες, ἐπανέστησαν αὐτῷ.

IN CAPUT XLVIII.

Loci Cæſaris emendatio deriſa.

UT ſcientiam alia, ſic gravitatem Robortelli eximiam declarat caput XLVIII., in quo Cæſaris locum emendat ex libro III. de bello civili, ejuſmodi: Pompejani, quòd is mons erat ſine aqua, diffiſi ei loco, relicto monte, univerſi ſimul Lariſſam verſus ſe recipere cœperunt. Hoc modo legitur in omnibus, ſed maxime in Aldino xxx. ante annos impreſſo. Ille autem ut aliquid dicere videretur, & ſecundum Emendationum librum expleret, cum ei materia ad juſtum libri corpus conficiendum deeſſet, extremo ſecundo libro hujus loci meminit, & inquit, in aliis libris legi: Univerſi juris ejus Lariſſam verſus &c. ac delendas eſſe voces illas JURIS EJUS à librario in verba Cæſaris imprudenter illatas. Nec attendit, ſi voces illæ tollendæ ſunt, eas jam ante annos xxx. eſſe ſublatas, ſi non tollendæ, ſe nihil, cur non ſint tollendæ, afferre.

IN CAPUT XLIX.

Loci Quinctiliani correctio irriſa.

PRæclarum etiam ſcientiæ ſuæ documentum reliquit ſequenti capite, ubi locum Quintiliani depravat ita, ut ne veſtigium quidem germanæ ſententiæ relinquat. Verba ſunt M. Cœlii in Antonium: Nanque ipſum offendunt temulento ſopore profligatum, totis præcordiis ſtertentem ructuoſos ſpiritus geminare, præclaraſque contubernales ab omnibus ſpondis tranſverſas incubare, & reliquas circumjacere paſſim, quæ tamen exanimatæ terrore hoſtium adventu percepto excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, fruſtra cervicibus tollebant, blandius alia ad aurem invocabat, vehementius etiam nonnullam feriebat, quarum cum omnium vocem, tactumque noſcitaret, proximæ cujuſque collum amplexu petebat, nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat, ſed ſemiſomno ſopore inter manus centurionum, concubinarumque jactabatur. Ex his verbis illa mendoſe eſſe affirmat: Quarum cum omnium vocem, tactumque noſcitaret; legendum enim: Quarum cum omnium voce, cantuque excitaretur. Demonſtrabo ſententiæ vulgatæ lectionis integritatem primum, deinde ſanitatem mentis emendatoris hujus aperiam. Mulieres inquit, Antonium excitare conabantur; hoc genus eſt; modus, voce, & tactu; voce, cum alia nomen inclamaret, alia blandius ad aurem invocaret; tactu, cum alia cervicibus fruſtra tolleret, alia vehementius etiam feriret. Ille autem, qui omnium earum vocem, tactumque noſcitaret, proximæ cujuſque collum amplexu petebat; quid dici poteſt hac oratione planius, hac ſententia melius? At ille inquit: „ Ego puto legi debere: Quarum cum omnium voce, cantuque excitaretur. Nam quadrabit belle, quod poſtea ſequitur: Nec dormire excitatus. Quod ſi quis repugnet, & dicat, cantu concubinarum temulentum excitari non potuiſſe, cum cantus ſomnum adducat potius, poſſit dici, cantum inconditum ſignificari, non ſuavem. Cur cantum affers Robortelle, pro tactum? & inconditum

A cantum interpretaris, cum voce dixerit? cur inquis vocem, Tactu, tibi non placere? cum habeat, ut Vox ad quæ referatur? cur ex noſcitaret, oſcitaret, eſcitaretur, excitaretur efficis? quis hanc tuam conjecturam inanem, & anilem ad corrumpendam præclaram ſententiam allatam non rideret? Præclare igitur actum eſſe cum T. Livio iterum dico, cui talis emendator non obtigerit; jam enim ita deformatus eſſet, ut ne imago quidem ejus in tanta fœditate dignoſceretur.

IN CAPUT L.

Loci Euripidis correctio refutata, & ſenſus
B *demonſtratus; ubi de Caliſtone in leænam converſa agit.*

SEquitur locus Euripidis vitioſus, quem ſibi Robortellus ex Ludovici Caſtelvetri ſententia emendandum ſuſcepit. Verba autem ſunt Helenæ in ea tragœdia, quæ Helena nominatur, hæc:

> ὦ μάκαρ ἀρκαδία ποτὲ παρθένε
> καλλιστοῖ, διὸς ἃ λεχίων ἐπί-
> βας τετραβάμοσι γυίοις,
> ὡς πολὺ ματρὸς ἐμᾶς ἔλαχες πλέον,
> ἃ μορφᾷ θηρῶν, λάχνᾳ γυίων,
> ὄμμασι λάβρῳ χῆμα λεαίνης
> C ἐξαλλάξασ' ἄχεα λύπης.
> ἄν τε ποτ' ἄρτεμις ἐξεχορεύσατο.
> χρυσοκέρατ' ἔλαφον μέροπος τιτανίδα κόραν
> καλλοσύνας ἕνεκεν.

Reſtituit igitur auctore Caſtelvetro Robortellus, pro λεαίνης, λεαίνῃ; pro ἔλαφον ἔλαβον, ideſt ὑπέλαβον; pro μέροπος. Quarum emendationum ut poſtremas digniſſimas eſſe eximio ingenio, atque doctrina ſingulari Caſtelvetri exiſtimo, ſic primam alieniſſimam eſſe puto; neque ab ipſo (novi enim & ipſe, ut tu ſcis, Ludovicum Caſtelvetrum Mutinenſem civem meum, amicum tuum) ſed à te excogitatam eſſe duco; inquis enim λεαίνῃ pro λεαίνης reponendum eſſe, ut ſit λεαίνῃ verbum ἀπὸ τοῦ λεαίνεσθαι, quod eſt levigari, non autem à nomine λέαινα λεαίνης, quòd leæna nihil hanc ſententiam pertineat. Quæ quam perverſa cum interpretatio, tum emendatio ſit, non eſt, ſi quis attentius conſideret, difficile intellectu. Lamentatur enim præditam ſuam fortunam Helena, & beatam appellat Calliſtonem, his verbis: O beata quondam virgo in Arcadia Caliſto, quæ Jovis cubile aſcendiſti; ut meliorem mea matre ſortita es conditionem quæ cum figuram forma feræ, membrorum lanugine, torvo leænæ oculo commutaſſes, reliquiſti dolores. Siquidem illa vox λύπης mendoſa eſt, & λύπας videtur legendum, quod E te miror oblitum eſſe, cum ſine dubio, & hoc tibi eruditiſſimus Caſtelvetrus narrare potuerit; meliore ergo conditione uſam eſſe Calliſtonem ait, quam Ledam, quamvis cum utraque Jupiter concubuerit. Nam Calliſto in urſam converſa, curis omnibus liberata eſt; quòd autem eam humanam figuram formam feræ, villoſis membris, & torvo leænæ oculo commutaſſe ait, ſatis apparet leænæ nomine eum eſſe abuſum pro urſæ; quòd utriuſque beluæ torvus, & truculentus aſpectus ſit; quam licentiam, id eſt, ut à ſimili, & finitimo aliquid ſumant, ſibi poëtæ liberius fortaſſe, quam neceſſe eſt, ut ſcis, vindicarunt. Hinc

Hinc enim illa, Pollux pro Caſtore, Teucer pro Dardano, Scylla Niſi pro Scylla Phorci. Hectorea gens pro Æneja, Pheneum pro Palanteo, Sidonia Dido pro Tyria; & quæ ſunt ejuſmodi. Hic eſt meus ſenſus, quem ſatis omnibus patere exiſtimo; tuus vero, ut opinor, hic. Beata Calliſto, quæ forma feræ, lanugine membrorum, torvo oculo figuram levigaris, id eſt, (ut tu ais) illuſtras ſtellis, commutatis doloribus moleſtiæ; qui ſenſus cum per ſe, tum maxime cum eo, quem ipſe attuli, comparatus fœdus judicandus eſt; deinde quid eſt illud ἐξαλλάξασ' ἄχεα λύπας, cum dolores moleſtiæ commutaveris? at quanto melius ſi dicas, Calliſto cum muliebri figura abjecta ferinam formam, & piloſa membra, & oculos truces ſumpſiſſet, dolores reliquiſſe? atque hoc eſſe, in quo ei Helena invideat quòd illa cutis ſuis tandem aliquando liberata ſit, ipſa vero corpore ſuo adhuc Trojanos, ac Græcos perdat. Sed de tota hac re docti judicabunt; ego enim Caſtelvetrum (ut dixi) virum ſummo ingenio, excellenti doctrina præditum tale quicquam dixiſſe, aut ſenſiſſe non exiſtimo. Robortellum autem, ut eſt amicorum ſuorum perennis inimicus, hoc ipſum Caſtelvetri contumeliæ cauſſa, non honoris dixiſſe puto; me autem movent illa verba: „ Ego nihil amplius hoc loco deſiderari poſſe video; gratiam ſemper habebo Lodovico Caſtelvetro viro acerrimi judicii, & ſingularis doctrinæ. Idque ideo hoc ipſum literis teſtatum relinquere volui. Eodem modo errat Sigonius, & corrumpit Livii verba libro I. Nam, ut omittam dicere, quod cum Caſtelvetri beneficium vult ornare, aſtute ſolœciſmo illo dehoneſtavit. Idque ideo hoc ipſum; quid eſt illud, Eodem modo errat Sigonius, niſi eodem modo, quo Caſtelvetrus? nam ſuperiore capite nullius errorem exagitavit; hoc enim tantum dixit, Euripidis locum corruptum acutiſſime à Caſtelvetro eſſe correctum; poſt autem emendatione ejus, ut opinor, falſa allata, ſubdit, Eodem modo errat Sigonius. Erraſſe ergo etiam ait Caſtelvetrum. O ſtuporem hominis incredibilem, ſi hoc noluit, improbitatem admirabilem, ſi hoc modo amicum, & magiſtrum ſuum ſibi laudandum putavit; calliditatem ſingularem, ſi literatum hominem hac inani laudis ſpecie, ne quem relinqueret, quem non aut aperte, aut clam perſtrinxiſſet, deluſit.

IN CAPUT LI.

Liviani loci emendatio defenſa; ubi de Curtio equum in vado paludis deſerente ait.

DEinceps, ut unde cœpit, eodem deſinat, Robortellus Livianum locum à Sigonio emendatum vellicare conatur; is eſt ejuſmodi: Equus Curtium in vado ſtatuit. In hunc locum ita Glareanus: Equum Curtius in vado ſtatuit. Hæc lectio, ſiquidem vetuſta eſt, maxime placet, Sabellicus tamen eques Curtium, pro Equus Curtium in vado ſtatuit, legendum putat. Ego vero ita: Equus Curtium in vado ſtatuit. Hanc lectionem laudat Glareanus injuſte; veteres enim libri habent, Equum Curtius in vado ſtatuit; ex quo intelligi poteſt, legendum eſſe, Equum Curtius in vado deſtituit; nam Plutarchus hanc ſententiam ita vertit, καὶ ἀφεὶς τὸν ἵππον, ἑαυτὸν ἔσωσεν, id eſt, deſtituto equo ſemet ſervavit. Errori locum

A dederunt finitimæ illæ ſyllabæ do de. Adverſus hæc Robortellus: Sigonius Livii verba corrumpit, dum ad ſententiam Plutarchi ipſa vult accommodare, cum tamen uterque diverſa protulerit alios ſecutus auctores; ſententia eſt: „ equum emerſiſſe ex palude illa, & ſtatuiſſe Curtium in vado, id eſt in loco tuto, ac minime profundo. Sigonius dum accommodat Livii verba ad Plutarchi ſententiam, ita emendat temere, conjectura utens. Equum Curtius in vado deſtituit. Sed hæ meræ ſunt nugæ; nam omnes vetuſti libri habent, ut ante ego retuli. Quæ ſunt meræ nugæ Robortelle modeſtiſſime? primum vides in ſuo lib. ita legiſſe Glareanum, eamque lectionem probaſſe, dummodo

B vetuſtatis auctoritate fulciretur; deinde in multis, quos ego inſpexi olim manuſcriptis libris, & nunc etiam in Mureti, ſcito ita eſſe diſertiſſime; habes deinde ſenſum hunc optimum: Monumentum ejus pugnæ, ubi primum ex profunda emerſus palude equum Curtius in vado deſtituit, Curtium lacum appellarunt. Significat enim Curtius evaſiſſe incolumem, relicto in vado equo; atque iccirco loco nomen inditum, ubi Curtium deſtituit equum. Habes eandem ſcientiam à Plutarcho confirmatam; quem animadverti multa ad verbum è Livio, quem etiam ſæpe citat auctorem, tranſtuliſſe. Habes genus dicendi planum, &

C nulla ſui parte novum; ut illud paulo ante: Cum fluitantem alveum tenuis in ſicco aqua deſtituiſſet; habes erroris ſimilitudinem, vado ſtatuit, vado deſtituit. Quod ſi excutere velimus tuam, primum eam non in omnibus libris inveniemus, deinde quaſi rationem equo tribuemus, ut equitem in vado collocarit; tum novum, & inauditum hoc genus dicendi, equum ſtatuere in vado equitem, invehemus, poſtremo contra Plutarchi, qui multa à Livio ſumpſit, ſententiam, ex nullius autem ſcriptoris auctoritate incommodum ſenſum inferemus. Nam Dionyſius Curtium tandem ex palude cum armis emerſum incolumem ad ſuos perveniſſe ſcribit, ita: ὁ δὲ χάρυος πολλὰ

D μοχθήσας σὺν χρόνῳ σώζεται τῆς ἐκ λίμνης καὶ ὅπλα, ἔχων καὶ εἰς τὴν χάρακα ἀνάγεται equi vero non meminit; fuit certe Curtio commodius equum in vado deſtituere, quam in palude. Non probas ex conjectura ſyllabam addi ſimilem præcedenti; an eſt hoc contra præcepta, an contra exempla tua? qui dictiones etiam integras mutari, verſus integros adimi ſcriptum reliquiſti; ſi hæc tibi nugæ viſæ ſunt, & quidem meræ, quæ librorum manuſcriptorum, auctoritate roborata, quæ Plutarchi judicio confirmata, quæ uſitata loquendi formula comprobata, quæ ſententia optima ſunt innixa, quid de tua, immo de tuis judicabimus, quos leviſſima ſola ſemper conjectura commo-

E tus, adducis? De ea ne, In concione; equites Ro. militares, equites R. annos IIIIL. Caldatum, Calda lotum; Avus ſuus, ab urbe; tactum noſcitaret, cantu excitaretur, & ceteris ejuſmodi?

IN CAPUT LII.

Fuſetium, non Suffetium, eſſe ſcribendum, & tam Mettium, quàm Metium ſcribi poſſe.

DEinceps duo in me reprehendit; unum, quod Mettium duobus T. non uno ſcribi

bi debere putarim, alterum quòd Fuſetium, non Soſſetium ſcribendum cenſuerim. Quorum primum gravitatem ejus indicat, ſcientiam alterum. Nam de Metio nihil unquam præceptorum dedi; in meis autem ſcholiis, ubi ejus mentio incidit, Metium ſcribendum curavi, ut libro primo, ubi de Metio Fuſetio, & libro IIII. ubi de Metio Vettio ita loquor: VETTIUS MESSIUS. Utrumque nomen vitium continere ſuſpicor, ſcribendumque Vettius Metius; eſt autem Metins prænomen, ut in Fnffetio, & Curtio, & aliis; & tamen addit, me quia apud Græcos legerim, μέττιος Mettium ſcripſiſſe; ubi hoc ego docui Robortelle? aut qui græci ſunt, qui ita ſcripſerint? nam ego μετιον, apud Plutarchum, ac Dionyſium invenio. Quare, ut vere dicam, quæ in extremo hoc libro ſcripſiſti, haud dedita opera credo te hæc omnia conſcripſiſſe, ſed repente te ea, ne vacuas aliquot relinqueres paginas, ne locis quidem meis inſpectis, comparaſſe; alioquin & paginæ, & verſus, ut ſoles, nnmerum attuliſſes. Itaque jam nunc deſino mirari, cur cum contra Alciatum ſcriberes, illum ex tuis ſcriptis aliquid ſumpſiſſe inſimulaveris, cum tu eademmet ſcripta, quæ illum ſuffuratum tibi eſſe arguebas, nondum, cum ille ſua ediderat, edidiſſes; ſed tnm cum in Alciatum, & quidem, ut nunc in me, extremo Annotationum tuarum ſecndo libro, ſcriberes, in manu haberes; adeo te vel ambitionis, vel maledicendi libido ſenſu, memoria, & mente ſpoliare ſolet; ut quid adverſarius tuus ſcripſerit, ant memoria non teneas, aut ſi teneas, obtrectandi ſtudio, non admodum magni facias, an contra quam ille ſcripſerit, tu eum ſcripſiſſe accuſes. Memorem autem, & omni cupiditate vacuum eum, qui alterum ſibi maledictis figendum, ut tu me, ſuſcepit, eſſe Robortelle oportet.

Venio ad METIUM de quo tn ita: „ Fuſetium etiam ſcribendum cenſet, & ita „ imprimi juſſit in ſuo, quia φυφίτιον videt „ ſcribi ab Halicarnaſſeo. Sed cur non Bube„ tium etiam ſcribit Sigonius ſecutus Plutar„ chum, qui ſcribit ubique βυβίτιον; cur Ha„ licarnaſſeum potius, quam Plutarchum ſe„ quitur? Hæc ille: Ego primnm quid ſcripſerim indicabo, deinde quæ ſcripſerim confirmabo. De Fuſetio ita ego ſcripſi in ſcholiis Livianis libro primo. *ALBANI METIVM SVFETIVM CREANT.*) *Lege Fuſetium*; nam Dionyſius habet φυφίτιον, Plutarchus in libro τῶν παραλλήλων μέτιον φυβίτιον appellat. Eodem modo Q. Fuſius Calenns, non Fuſius, ut vulgo, vocandus eſt. Quod ex Capitolino ejus conſulatu, & græco Dionis libro intelligi poteſt. Hæc ego tum. His nunc adjicere poſſum, habere me aliquot etiam Valerii Maximi exemplaria ſcripta, in quibus ſit, Fuſetius, non Suſetius. Libet autem hic Pierii Valeriani viri doctiſſimi judicium, ac teſtimonium de Metio, & Fuſetio afferre, ut ipſe dum hæc reprehendis, quantum in obſervatione antiquitatis valeas, aliquando intelligas, atque ubi intellexeris, ſtudioſius aliorum, & maxime vetera monumenta perluſtres, & perlegas. Pierii in VIII. Æneidos verba ſunt hæc: Citæ Metium in diverſa quadrigæ diſtulerant) Antiqui omnes codices, quotquot habui Metum legunt dictione biſyllaba, quam alibi unico T. alibi geminato reperias; mutilatamque eſſe dictionem cauſſa metri Servius ait, dum ipſe quoque Metum biſyllabum agnoſcit ſane Mettius duplicato TT pluribus locis in veterum monumentis ſcriptum animadverti, Placentiæ in D. Pauli templo. L. METTIUS L. F. duobus TT. notatum eſt; & Romæ in ædibus Pauli Plancæ legere eſt, Q. METTIO, & P. METTIO; tametſi non ignorem, & Metia & Metius unico T alibi notatum; utcunque vero primam in eo ſyllabam produci volunt. Sed enim hic minime præterire poſſum, quod pervulgato errore in Livianis codicibus, & alibi paſſim Metius Suffetins per S prima litera ſcriptum eſt, cum dubio procul Fuffetius per F ſit ſcribendum; ita enim apud Dionyſium Halicarnaſſeum, & Græcos alios invenias φουφέτιον. Præterea ſi qui noluerint Græcis adhibere fidem, oſtendit mihi Janus Parrhaſius vir utraque lingua eruditiſſimus T. Livii codicem vetuſtate venerabilem, in quo Fuſetius ſcriptum erat prima litera per F. non per S. qnem quidem codicem nomina quædam ſpecioſa Vindicianus Nicomachus Dexter, & Victorianus ſe emendaſſe aſcripſerunt, idque in Symmachorum gratiam ſe feciſſe profeſſi ſunt. Ad hæc & Nonii Marcelli vetuſtum codicem protulit, & alios quoſdam auctores, in quibus eodem modo Mettius Fuſetius ſcriptum habebatur. Ajunt præterea, Pomponium Lætum totius antiquitatis virum obſervantiſſimum, qui ſuperiori ætate in Ro. gymnaſio primas obtinuit ſæpius inclamare ſolitum, Fuſletius dicendum. Hæc Pierius. Quæ ſi tu legiſſes, aut niſi viri hujus, immo horum auctoritatem, ut aliorum omnium, contempſiſſes, nunquam me, quod pro Suſetio Fuſetium repoſuiſſem, ut increpares, animum induxiſſes. Ex his autem illud intelligi poteſt, primam ſyllabam Metii apud Virgilium longam eſſe; cum tamen tu brevem eſſe exiſtimes, cum ais, falſum eſſe, quod Mettius duobus TT ſcribi debeat, idque ex verſu Virgiliano oſtendi. Haud procul inde citæ Metium in diverſa quadrigæ; quomodo enim brevis ea ſyllaba eſſe poteſt in Metum, quem Servius atteſtantibus omnibus antiquis libris agnoſcit; deinde quid in tanto veterum librorum, doctorumque hominum conſenſu de Fuſetio reſpondebis, quem ubique à Plutarcho βυβίτιον nominari ais, idque falſo, nam in libro quem protuli τῶν παραλλήλων φυβίτιον, idque, ut apparet, litera una mendoſa appellat? quam hinc ridicula eſſe illa videntur, quæ proſers, φυβέτιος, ἀσέτιος Fuſetius, Aſetius, Suſetius; at inquis erat etiam magiſtratus Carthagine, qui Punica lingua Suffetes dicebatur; ergo non inuſitata erat talis pronunciandi, & ſcribendi ratio; quid? ergo Albani, aut Romani linguam ſuam Carthagine uſque duxerunt? & Romana dicendi ratio ex Punica ipſa petita eſt? O prudentiam hominis incredibilem!

IN CAPUT LIII.

Patricios, etiam novos homines fuiſſe, & M. Scaurum novum hominem appellatum; & de quodam numiſmate Cæſaris.

SEquitur caput, in quo duos errores complexus es. Gaudeo te tandem mihi amiciorem eſſe factum; qui enim erratum unum in multa dividere, ut plura viderentur, ſolebas, idem uno capite duo concluſiſti, credo veritus, ne ſingula per ſe ſatis firma viderentur.

tur. Reſpondebo igitur ordine utrique. Verba tua ſunt hæc: „ Novos homines non tantum è plebe, ſed etiam patricios dici, ſcri„ bit Sigonius; nec intelligit Aſconii locum, „ ubi de Scauro loquitur: Æque illi labo„ randum fuit, ac novo homini. Nam Aſco„ nius non ait, illum fuiſſe novum, ſed æque „ illi laborandum, ac ſi fuiſſet novus, nec ul„ las majorum habuiſſet imagines. Ad hæc ego breviter: Si vis Scaurum patricium virum iccirco quia patricius erat, novum eſſe non potuiſſe, vide ne fateri cogaris, eandem eſſe nobilitatem cum patriciatu, ac patricios omnes etiam ſine magiſtratibus curulibus nobiles fuiſſe; ſi autem nobilitas non ex genere, ut in libro de nominibus latius oſtendi, ſed ex imaginibus; imagines autem ex ſella curuli comparabantur, profecto qui primus è gente aliqua patricia magiſtratum ceperit, novus erit; at Scauri domus, inquies, multis tantum ante annis jacuerat, ita ut non ipſe primus ex familia ſua magiſtratum ceperit, quanquam pater, avus, proavuſque nulla vitæ induſtria fuiſſent, ac populari luce caruiſſent; & propterea novus non erat. Novus ne, an nobilis fuerit, non diſputo; hoc ſcio, ſæpius à Cicerone inter novos homines, nunquam inter nobiles numerari. Habeo etiam auctorem Plutarchum, qui eum novum hominem vocat in libro de fortuna Romanorum, his verbis: αἰμίλιος δὲ σκαῦρος ἐκ ταπεινοῦ βίου, καὶ ταπεινοτέρου γένους, καινὸς ἄνθρωπος ἀρθεὶς ὑπ' αὐτῆς προγράφεται τῷ μεγάλῳ συνεδρίῳ; vertam, ut intelligat Robortellus græcarum literarum, ut videtur, non adeo peritus: Æmilius vero Scaurus ex humili vita, & humiliore genere, novus homo ab ipſa fortuna ſublatus princeps ſenatus lectus eſt: καινὸν ἄνθρωπον hominem novum appellavit; nam in Catone majore ait: εἰωθότων τῶν ῥωμαίων τοὺς ἀπὸ γένους δόξαν οὐκ ἔχοντας. ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὐτῶν καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους. Nunc venio ad alterum; de quo tu ſic ais: „ Numiſma argenteum, in „ quo elephas eſt, cum hac ſubſcriptione „ CÆSAR, ego domi habeo, & multi vide„ runt; à cujus altera parte ſcalprum, mal„ leus, & veru ſunt, inſtrumenta, quibus „ olim Romani uſi ſunt in elephantis peri„ mendis, ut Livius, & alii teſtantur. Nec „ eſt, quod Sigonius laboret in alio numiſ„ mate pervulgato, & omnibus noto profe„ rendo, in quo ſimpulum, & aſpergillum, „ aliaque quæ ſpectant ad ſacrificia, ſunt; „ ante ipſum alii hæc expoſuerunt, & cogni„ ta ſunt paſſim. Negas Robortelle nummum illum, in quo dixiſti te aſpexiſſe inſtrumenta elephantorum interimendorum, eum eſſe, quem ego imprimendum curavi, in quo inſtrumenta ſacrificiorum ſunt, huncque te domi tenere ais. Vix puto hominis eſſe homini alteri aliquid affirmanti fidem non habere; dicam tamen, quid ego à te & ceteri omnes expectarint; ſi nummus talis invenitur, cur non quo nummiſmatum in libro eſſet, attuliſti? neque enim hunc, quem tu poſſides, unum in terris eſſe, veriſimile eſt; neminem certe hactenus ex iis, qui ejuſmodi ſtudio tenentur, inveni, qui ſe aliquando talem vidiſſe meminerit. Quamobrem ego, donec illum videro, te vaſa illa à ſcalpro, malleoque non ſatis diſtinxiſſe, non mentis, ſed oculorum vitio exiſtimabo; atque eos, à quibus rationem eorum vaſorum accepiſſe ſignificas, libentius, quam te audiero.

IN CAPUT LIV.

Liviana emendatio defenſa.

SEquenti capite Livianam meam hanc emendationem mordet. Livius lib. III. Strictum etiam telum, reſperſuſque ipſe cruore tota in ſe caſtra convertit. Ego cum in pleriſque libris manuſcriptis triennio ante invenirem: Strictum etiam telum tenens; id quod nunc etiam in Mureti libro invenio, & cum Dionyſium ipſum, cum de eodem homine, eademque re loqueretur, eam non prætermittere animadverterem, ne prætereundam mihi quidem putavi. Dionyſius enim ita: τὴν μαγειρικὴν δὲ χειρὸς ἔχων, αἵματι πεφυρμένος ἅπας, id eſt, manu cultrum tenens, totus ſanguine fœdatus. Ille autem omittendam eſſe cenſet, quia duo, inquit, admirationem injiciebant militibus, primum telum ſtrictum, deinde ipſe Virginius, qui erat reſperſus cruore; quod ſi addatur, dictio, Tenens, ſe non videre ait, quomodo locum habere poſſit altera dictio, Ipſe, quæ alioquin vim magnam habet in ea periodo. Ad quæ dico: Virginium duobus modis caſtris admirationem incuſſiſſe, & quod ſtrictum telum teneret, & quod ipſe ſanguine reſperſus eſſet; quod autem ait, ſe non videre, ut vox, Ipſe, locum habeat, neſcio quos oculos habeat, qui non videant, aliud eſſe Virginium ſtrictum telum tenentem, aliud Virginium ipſum, quod multo magis eſt, reſperſum cruore; neque enim Virginius aut cum telo, aut non reſperſus attuliſſet admirationem, ſed cum ſtrictum teneret gladium, & ipſe, nedum gladius, eſſet reſperſus ſanguine, in ſe tota caſtra convertit. Hæc ſi non vides, aut videre non potes, non eſt, quòd in tantis veterum ſcriptorum tenebris ambules, aut aliis lucem oſtendere cogites, quam ipſe intueri prope cœcus non poſſis.

IN CAPUT LV.

Cur ſenatores patres, & patricii dicti ſint; & quid ſit Mores deſidere.

LIvii locus eſt libro I.: Centum creat patres, ſive quia is numerus ſatis erat, ſive quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent. In hunc ego ita: Sane legendum eſſe videtur: Qui ciere patres poſſent. Sic enim ſcribit libro X. Qui patrem ciere poſſent, eos patricios eſſe appellatos. Dionyſius etiam, ac Plutarchus, ubi exponunt cauſas, cur centum potiſſimum ſenatores, quos patres appellaverit, Romulus crearit, ita ajunt: ὡς πατέρας ἔχειν ἀποδεῖξαι μόνοι, id eſt, quod ſoli centum patres nominare poſſent, quaſi vero alii terræ filii eſſent. Adverſus hæc Robortellus robuſtiſſimas duas affert rationes; unam, quia licet patricii inde dicti ſint, non tamen patres inde appellatos ſentit Livius; alteram, quòd Dionyſius opinionem hanc, qua multorum mentes imbutæ ſunt, non approbat. Excutiam primum vulgatam lectionem, id eſt tuam, deinde confirmabo meam. Dionyſius civitatem à Romulo in duas partes diviſam tradit, in plebejos, & patres; patres autem dictos ait, vel quòd ætate ceteris antecellerent, vel quòd filios haberent, vel quòd generis ſplendore præſtarent, vel, ut Romanorum obtrectatoribus placuit, patricios vocatos eſſe, quia ſoli ciere

ciere patres poſſent; quid Plutarchus? centum optimos fecit ſenatores, & eoſdem patricios; cœtum autem eorum ſenatum appellavit. Patricios vero ſenatores vocatos ajunt, alii, quia juſtorum filiorum erant patres, alii potius, quia ipſi ſuos ciere poſſent patres, quod non multis facere licuit, ex iis, qui in urbem primi confluxerunt; quid Livius? Centum creat patres, ſive quia is numerus ſatis erat, ſive quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent; patres certe ab honore, patriciique eorum progenies appellati. Cum ergo Dionyſius, & Plutarchus probabiles aliquot cauſas ejus nominis Patrum attulerit, quam hanc eſſe Livianam dicemus? Patres creati centum ſunt, quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent; at cur non poterant ducenti, cur non trecenti? quid ſenatori cum patribus? deinde quid eſt creari patrem; quando dixit Livius alias, aliquos patres eſſe creatos? quod ergo nemo dixit, quod per ſe inane eſt, quod genus dicendi parum Latinum infert, id à Livio eſſe dictum aſſeremus, ut Sigonio repugnemus? At patricii inde dicti ſunt, inquis, non patres. Reſpondeo, apud Romulum eoſdem fuiſſe patricios, & patres, & ſenatores. Vides enim Dionyſium, diviſam eſſe ab eo civitatem, dicere in plebejos & patres, qui ſunt patres? an ſenatores? non, ſed patricii; ibi enim diſcrimen gentium notat; quos vero patres appellavit, in reddenda ejus nominis cauſſa patricios vocat. Vides Plutarchum eoſdem ſenatores, & patricios factos dicere, cur autem ſenatores patricii dicti ſint, cauſſas reddere. Tradit etiam Zonaras, auctor, ut ſcis, Græcus, qui non niſi ex bonis auctoribus hauſiſſe ſuam hiſtoriam videtur, Romulum centum creaſſe ſenatores, eoſque patricios appellaſſe. Lege Livium, ſæpe invenies patres plebi opponi, non ut ſenatum populo, ſed ut patricias gentes plebejis; an vero cum toties inquit, conſules factos, unum è patribus, alterum è plebe, illum unum ex ſenatoribus lectum ſignificat? non certe; at non ne etiam idem inquit, centum in patres eſſe à Priſco rege lectos, eoſque minorum gentium appellatos, quos Cicero ad Pætum ſcribens patricios minorum gentium nominavit? Fuerunt ergo Romuli tempore centum ſenatores, qui patres iidem, & patricii dicti ſunt; itaque idem erat numerus patriciorum, ac ſenatorum; progredientibus autem temporibus crevit numerus patriciorum. Nam filii, nepoteſque eorum patricii fuerunt illi quidem, non tamen ſtatim ſenatores; immo vero ſenatores etiam fuerunt, qui ne patricii quidem erant, ſed plebeji. Ergo ſi Romuli tempore iidem ſunt ſenatores, patres, & patricii; cur centum patres, id eſt, ſenatores legit Romulus? inquit Livius: quia vel is numerus ſatis erat, vel quia ſoli centum erant, qui ciere patres poſſent; atque hoc idem oſtendit Livius in x. libro, cum P. Decium plebejum ita loquentem facit, Patricios quondam dictos, qui ciere patrem poſſent, ſe quia patrem ciere poſſit, patricium eſſe. At Dionyſius, inquis, hanc opinionem non probat; at ne eam quidem probat Livius, cum ait: Sive quia ſoli centum erant, qui ciere patres poſſent; patres certe ab honore dicti. Sed faciamus hanc probari à Livio, improbari à Dionyſio; an hoc portentum tibi videtur? quot in rebus, & quidem graviſſimis diſſenſerunt? lege commentarios meos; ibi quanta ſit inter eos diſcordia demonſtratum invenies; quanquam ſi Dionyſius eam non probavit, at probavit Plutarchus, non neglexit alio in loco Livius; quid ergo reprehendis, an quod ex CREARI factum eſt CIERE? quid mirum hoc factum ab iis, qui verbum non adeo uſitatum non intelligerent? Mirum hoc tibi videri demiror, qui pro militaris, quadrageſimum ſextum, pro Avus ſuus ab urbe, pro Caldatum Calda locum, nulla re, niſi infirmiſſima fretus conjectura repoſuiſti; quod eſt hoc faſtidium rerum alienarum Robortelle, ut noſtras res etiam fœdiſſimas tam avide complectamur, alienas vel pulcherrimas averſemur? Habet hæc lectio ſententiam Dionyſii, Plutarchi, Zonaræ, Livii ipſius judicio confirmatam, habet locutionem venuſtiſſimam, habet literarum paucarum mutationem facillimam; cur tibi, niſi quia Sigoniana eſt, ſordeat, valde miror.

Eodem capite reprehendis, quòd in procemio, deſidentes mores, magis probaverim, quam diſſidentes. Ego enim ita: Velut diſſidentes primo mores ſequatur animo, deinde, ut magis, magiſque lapſi ſint, tum ire cœperint præcipites. Probo doctorum quorundam hominum conjecturam, qui Deſidentes, legunt. Etenim ſubſequitur, ut magis, magiſque lapſi ſint, tum ut ire cœperint præcipites. Videtur enim eâdem ſemper tranſlatione res magis creſcere; quam tranſlationem, quia primo duriorem eſſe putavit, adhibita particula, Velut, molliorem fecit; quod in proprio diſſidentes faciendum non fuiſſet. Eſt autem diſſidere leni quodam motu in ſemet concidere. Porro autem his verbis mutationes omnes Romani imperii breviſſime complexus eſt. Nam cum, Partum imperium, ait, intervallum illud totum indicat, quod à Romulo uſque ad Ap. Claudium intercedit, qui primus bellum extra Italiam Carthaginenſibus fecit; cum, Auctum, tempus inde ad Carthaginem everſam notat. Deſediſſe præterea mores intelligit, Gracchanis temporibus; lapſos magis eſſe, Sullanis; præcipites iſſe, Cæſarianis. Quid rodit in his Robortellus? „ Neſcio quos doctos, inquit, appellet. Certe liber à Melchiore Seſſa editus, & emendatus à viris doctis, Deſidentes, habet. Deſedentes ego non probo. Diſſidentes legi malim, ut eſt in vulgatis omnibus libris; vocat enim Livius diſſidentes mores, in diverſa euntes; ut de toga Horatius: ſi toga diſſidet impar. Quam graviter, quam argute? Qui ſunt iſti docti? inquit; non Seſſa, Robortelle, quem tu ubique contumeliæ cauſſa injuſte nominas, cum me emendationes meas ex peſſimo ejus omnium libro collegiſſe ſignificas, ſed Theodoricus Morellus, cujus aliquot extant annotationes à Vaſcoſano editæ. Tibi autem diſſidentes placet, nulla alia credo de cauſſa, niſi ut diſſidentem à ſemet ipſo Livium facias, id eſt, in ſuſcepta tranſlatione non perſtantem; quod tu odio quodam in hunc auctorem potius adductus, quam ex animi ſententia facis, & injuſte facis.

IN CAPUT LVI.

De ſolenni Fidei inſtituto.

EXtremum hoc caput eſt, in quo in me acerbitatem evomat ſuam Robortellus. Locus eſt Livii lib. 1. Ut tua ſigna nobis certa,

ta, ac clara ſint. In hæc ego: Vetus quidam liber, ut audio, acclaraſſint, habet, quod eſt vetuſtum verbum, & ſolenni precationi conveniens. Ille: Meræ nugæ; omnes habent, ut in vulgatis; quid? tu legiſti omnes Robortelle? non certe; mihi verò ſe ita legiſſe vir & doctus, & bonus, cujus nomen reticeri, quia minime ambitioſus eſt, cupit, in libro manuſcripto affirmavit; cujus lectionem ſignificaſſe, quid Livio nocuit? Vetuſta quidem verba libenter Livio præſertim ſolennibus in precationibus, qualis illa eſt, uſurpari, ne tu quidem ignoras.

Eodem capite: verba alia Livii lib. primo: Augur ad lævam, ejus capite velato, ſedem cepit. In hæc ego: Hunc in modum diſtinguendum eſſe Rhodigino placuit, Plutarchi auctoritate adducto, qui ſcribit in Numa: ἐνταῦθα τ μαντίων ὁ προφητῶν τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον, αὐτὸς δὲ παρστὰς ἐξόπιθεν. Videtur enim Plutarchus (ſi modo recte eſt apud illum vox illa ἐγκεκαλυμμένον,) caput regis velatum fuiſſe, non auguris ſignificare. Me autem juvat eorum eſſe ſententiæ, qui ad lævam ejus ſcribunt, & caput velatum auguris intelligunt; quod infra dicat: Statua Atii capite velato in comitio fuit; & libro X. Si autem capite velato victimam cædat, auguriumve ex arce capiat. Adverſus hæc doctiſſime Robortellus. „ Plutarchus „ non diſſentit à Livio, ſicuti Sigonius exiſti„ mat. Nam legi debent illa verba, & inter„ pungi ſic: τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας, „ ἐγκεκαλυμμένος αὐτὸς, καὶ παραστὰς ἐξόπιθεν. O erratum turpiſſimum Sigonii; quid tandem inter me, & te intereſt, niſi quod ego modeſtius de loci Plutarchi lectione dubitavi, quam tu audacius confirmas? An hæc arma icciſco tibi tradidi Robortelle, ut in me ingratus ea converteres? Ultimus locus Livii eſt: Et ſoli Fidei ſolenne inſtituit. In hunc ego: Si in quibuſdam manuſcriptis eſt, (ut audio) Et ſimul fidei, non improbo. Contra hoc Robortellus: Ego, ſoli, legendum puto, quia non inſtituerat aliis diis ſollenne ſacrum; ideſt anniverſarium. Deinde de voce ſolenni exempla, quaſi id negetur, aut non ab omnibus, illo excepto, ſciatur. Ut facilius ea, quæ dicam intelligantur, recitabo locum Livii integrum: Camœnis eum lucum ſacravit, quod earum ſibi concilia cum conjuge ſua Egeria eſſent, & ſoli Fidei ſolenne inſtituit. Ego, quia, ſoli Fidei ſolenne inſtitutum ait: ſi vera narrentur à doctis, quos aliquando de literis differentes audivi, in aliquot manuſcriptis legi, Et ſimul fidei, malim ita: Lu-

A cum Camœnis ſacravit, & ſimul Fidei ſolenne inſtituit. Hoc rodit Robortellus; quam avide? primum, ſolenne dicitur anniverſarium, Varrone, Virgilio, Livio auctoribus; ſcio. Soli autem Fidei legendum, quia non aliis diis ſolenne inſtituerat, id eſt anniverſarium. Videte ergo, quibus ſe laqueis irretiat Robortellus, & quibus ſe anguſtiis, in angulo hujus diſputationis extremo, concludat, ut hiſtoriæ notitia juguletur, & ſe nihil ſcire fateri cogatur. Si demonſtraro, aliis etiam diis Numam ſolenne inſtituiſſe, id eſt, anniverſarium, profecto ipſe nihil in hoc genere ſcire confiteatur neceſſe eſt. Confitebitur autem; neque enim pugnax eſt; & jam

B id ita eſſe pro certo habet; jam tum, cum ſcribebat in me, non credebat; puerum enim me putabat, nunc virum expertus eſt. Scribit Dionyſius Numam Terminalia diem feſtum Termino deo inſtituiſſe, eique ſacrum non ſolenne ſolum, ſed etiam ſtatum conſecraſſe. Idem ſcribit Fidei quoque ſacrificia publica, ut etiam aliis diis ordinaſſe; afferam verba, ne fingere videar: ἱερὸς ἀπέδειξεν ὅρια θεῶν τοὺς λίθους, καὶ θυσίας ἔταξεν αὐτοῖς ἐπιτελεῖν ἅπαντας ἡμέρᾳ ῥητῇ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐπὶ τὸν τόπον συνερχομένους ἑορτὴν ἐν ταῖς πάνυ τιμίαις, καὶ τὴν τῶν ὁρίων θεῶν κατασκευασάμενος. ἣν Ῥωμαῖοι τερμινάλια καλοῦσιν; & poſt: πρῶτος ἀνθρώπων ἱερὸν ἱδρύσατο πίστεως δημοσίας, καὶ θυσίας αὐτῇ κατεστήσατο,

C καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς δημοτελεῖς. Dic Robortelle, quid eſt, quod ait, Numam inſtituiſſe Termino θυσίας ἡμέρᾳ ῥητῇ κατ' ἐνιαυτὸν niſi ſacraſtata, & ſolennia, ideſt quod certo die, quotannis celebrarentur? Aude nunc dicere, ſoli Fidei ſolenne inſtitutum, aliis diis non item, & meam emendationem eo nomine labefactare. Atque cum hæc ita ſint, ego tamen non te nugari dico, ego non te imperitum, non judicii expertem nomino, neque in tam turpi errore tuo exagitando, Sigonii, quam Robortelli ſimilem eſſe malo. Quamobrem, cum intelligas, in quo tandem ſumma doctrinæ laus poſita ſit, non in eo, ut nobis multum tribuamus, ſed ut nobis quam pluri-

D mum tribuatur; eam vero quo majore humanitatis lepore condita ſit, eo graviorem hominibus, & gratiorem accidere, erunt partes tuæ, ut poſt hac humilius de te, de aliis magnificentius & loquaris & ſentias; atque nimiam iſtam Catonis Utinenſis, cujus te æmulum eſſe profiteris, exoletam jam ſæculorum diuturnitate ſeveritatem abjicias, conſtantiam amplectaris, Cenſorii ſupercilium deponas, humanitatem imiteris.

CAROLI SIGONII
EMENDATIONUM LIBER SECUNDUS,
AD CLARISSIMUM VIRUM
BERNARDUM NAUGERIUM
SENATUS VENETI APUD PONTIF. MAXIMUM ORATOREM.

SUperiore libro, CLARISSIME NAUGERI, ſingula Franciſci Robortelli decreta, quæ ille tribus in me voluminibus erat complexus, everti: hoc pauca quædam, quæ ex reliquis commentariis ſumpta ſunt, ingenii ejus monimenta labefactabo; primum autem libellum de nominibus Rom. totum oppugnabo, atque unà etiam prætermiſſis à me ante capitibus ejus occurram; deinde emendationes illas, quas duobus Annotationum ſuarum in libris ſcriptas reliquit, exagitabo. Quo labore perfecto, pauca quædam ex principio commentarii Poëtices, & Æliani ab eo de Græco converſi adjungam; ut non ipſe ſolum, ſed omnes demum intelligant, quanto potius fuiſſet, ſi ſua ipſe contentus gloriola ex aliena laude imminuenda ſuam amplificare conatus non eſſet. Subjiciam autem aureolum ejus duarum pagellarum de nominibus libellum, ac ſingulas ſententias ejus, quas ipſe ſine cauſſa in cœlum ferens, me in meum contuliſſe ait, excutiam. Liber autem eſt hic:

NOBILISSIMO, OPTIMOQUE ADOLESCENTI
FLORIANO AND. FIL. ANTONINO UTINENSI,
FRANCISCUS ROBORTELLUS S. D.

Gaudeo mirum in modum te ita libenter Piſis, ubi jam triennium bonis artibus operam navaſti, commorari, ut nuſquam libentius ſis; tum quia meo hortatu huc primum veniſti, tum quia tantum utilitatis tibi attulit commoratio iſta, quantum & ipſe ſperaſti, nec ego unquam dubitavi; nam quod, mea cauſſa, ais crebrò, peramanter tu quidem ut ſoles, loqueris, neque ego aliter dictum accipio; te enim mei ſtudioſiſſimum ſemper cognovi; Tantum igitur tibi debeo pro tam ſincero tuo in me animo, quantum plane me à te amari confido; Confido autem plurimum, nec minus ſane quàm ſemper optavi; ac polliceor daturum me operam, ut intelligas, me in te amando à nemine vinci; quamvis doleam, non dari mihi occaſionem aliquam meæ erga te benevolentiæ tibi declarandæ, nam leve ſignum eſſe judico, quod tu maximum putas, ut tibi petenti deſcriptam mittam eam diſputationem, quam domi incboatam habebam, de nominibus veterum Romanorum; res enim perpuſilla eſt, & vix te digna, etſi tam multa in eo genere mihi collegiſſe videor, ut, cum nihil quòd à ceteris dictum ſit prætermiſerim, multa etiam addiderim, quæ ab ipſis fuerant prætermiſſa. Alia, quæ jamdiu tibi deſtinavi, ſi te illis delectari intellexero, propediem mittam; nondum enim propter ſummas occupationes, quibus diſtineor, publicè legendi abſolvere potui; nam quicquid mihi ſuperfuit temporis abbinc uno menſe, fuit mihi magna ex parte neceſſariò luctui dandum ob mortem optimi patris, qui etſi, (uti ſcis) perhonorifice inter noſtros cives longam ætatem vixit, incommode tamen abſenti mihi accidit illius è vita diſceſſus; verum de hac re ſatis. Tu vale, & me, ut facis, ama.

Piſis IV. ante Calendas Aprilis M. D. XLVIII.

Quæ-

Quæſtio an Rhetores recte dicant à nominibus propriis duci argumentationes.

HErmogenes in libro περὶ εὑρέσεως ſic ait: A
τῶν δ' ἂν ἐξεταζομένων ἰσχυροτάτην ἔχει
δύναμιν τὰ ὠνομασμένα, καὶ κύρια, οἷον
Περικλῆς, ὁ Δημοσθένης, καὶ τὰ τοιαῦτα Latini
à nominibus aut pronominibus nunquam,
à cognominibus quandoque, ut à Verre.
Neque tamen argumentatio eſt, ſed potius
deluſio quædam; itidem apud Ciceronem
libro ſecundo de Orat. Quid fers Cinciole;
ibi eſt deluſio in ipſo nomine, ſicuti patet.

De Nominibus Romanorum.

PRimum obſervo, Romanos uno nomine
uſos fuiſſe; ut Romulus, Remus. Po- B
ſtea, ubi in urbem migrarunt Sabini; du-
plicari cœpiſſe nomina, quod fortaſſe fa-
ctum ex commigratione illa, & conjun-
ctione duorum pop. ut, Numa Pompilius,
Servius Tullius, Lartes Porſenna; quàm-
vis hoc nomen Hetruſcum fuerit. In quo
prænomine; Lartes; ſciendum eo veluti
prænomine uſos veteres. Servius interpres
Vergilianus ab oppido dictum putat, iti-
dem Plut. in Publicola exiſtimat, qui ta-
men λαίρτας ſcribit; ſed male: nec mirum
tamen, quia homo Græcus, multis in locis
perperam profert nomina Romana; quod
eſt aliquando etiam à Dionyſio Halicarnaſ- C
ſeo factum. Idem Plutarchus in Ciceronis
vita; κουαδραντάριαν vocat Clodiam, quàm La-
tini ſæpe vocant Quadrantariam; ut Quin-
tilianus lib. ſexto, cap. VIII. Dionyſius in
hoc nomine A. Virginii, qui Cœlimonta
nus eſt à Latinis vocatus, ſcripſit Monta
nus. Obſervo etiam apud authores Latinos,
& Græcos, duo nomina tantum proferri
conſueviſſe aliquando, etiam tum, cum Ro
mani tribus, aut quatuor utebantur. Plu-
tarchus in vita Marii ait; ſe non reperire
in veterum monimentis tertium nomen;
quamvis nonnulli appellarint Nepos; quod
non probatur ſatis. Videretur enim prodi- D
gus vocatus. Sic enim Cicero libro ſexto,
Epiſt. ad Att. Epiſt. II. his verbis: Sum-
ptu jam nepos evadit Scaptius. Livius ſæpe
duo tantum profert nomina, neque caret
reprehenſione, quia Hiſtorici eſt omnia
explicare; & debet ſane ſcriptor poſterita-
tis habere rationem magis, quàm ſuorum
temporum. Romani poſtea tribus uti cœ
perunt nominibus. Sed de iis antequam
aliquid dicamus, volo, ut veterum & recen-
tiorum aliquot ſententias, de hac re diju-
dicemus. Video nonnullos ita ſenſiſſe. Præ-
nomen. P. Cognomen. Corn. Nomen. Scip.
Agnomen. Africanus. Hanc diviſionem ita E
diſtinctam ſecutus eſt Victorinus interpres
Rhet. & alii, quos ſileo brevitatis cauſſa;
Cognomen hi videntur ſtatuere in familia,
ut ſit. Tullius. Cornelius. Julius. Sed in
tali re duo illorum apparent errores; qui
graviſſimi ſunt. Primum enim conſequere-
tur nomen eſſe poſſe poſtpoſitum cogno
mini, quod eſt valde abſurdum Deinde
falſiſſimum eſt quod illi afferere videntur.
Agnomen extrinſecus dici, aut ex animo,
aut corpore, aut ex fortuna; ut Superbus.
Pius. Craſſus. Pulcher. Silo; quod à Si-
leno ductum eſt, qui ſuperciliis pingeba-
tur hirſutis. Prænomen. P. M. M. Alii
ſic diſtinguunt. Nomen. Agnomen. Co-
gnomen. Corn. Tul. Por. Scip. Cic. Cato
Afric. Sed & hi turpiter errant, nam agno-
men familiæ eſt appellatio, & gentis, unde
agnati, & gentiles dicebantur, qui ex ea-
dem erant familia, ut Cic. in Top. ait; &
idem in Bruto Ser. Tullium regem genti-
lem ſuum ea de cauſſa nominat; itidem er-
rant; quia quod cognomen eſt, ut Scipio,
ipſi vocant agnomen. Sed prætermiſſis
aliorum erroribus, conemur nos aliquid,
quod rectum ſit, ſtatuere in hac nominum
ratione. Ac ſane antequam aliquid ſtatua-
mus, primum videndum, an hæ appella-
tiones ſint uſitatæ apud Latinos. Prænomen
dici ſolitum, probamus duorum teſtimonio
graviſſimorum authorum, Horatii ac Cicer.
Horatius enim in Satyr. libro ſecundo ait:
Gaudent prænomine molles Auriculæ. Ci-
cero in epiſt. ad Volumnium. Quòd ſine
prænomine familiariter, ut debebas, ad me
epiſtolam miſiſti, primum addubitavi, num
à Volumnio ſenatore eſſet, quo cum mihi
magnus eſt uſus. De nomine non eſt ma-
gnopere neceſſe, ut ullam afferamus proba-
tionem; ſatis enim notum eſt. Horatius
libro primo Ep. Mercemur ſervum, qui di-
ctet nomina. Cic. lib. de Inven. ſecundo.
Nomen cum dicimus, ſæpe etiam cogno-
men intelligimus. Agnomen, multi aſſe-
ruerunt non eſſe dictionem Latinam. etſi
ſemel tantum eam protulit Cicero in Rhet.
lib. ſecundo. Nomen autem cum dicimus,
cognomen quoque, & agnomen intelligatur
oportet. Probus quoque probatiſſimus au-
thor hanc appellationem non rejicit, ſed
agnoſcit. Juriſconſulti vero prorſus reci-
piunt. Verba enim ſunt in Inſtitutionibus
Juſtiniani hæc: tit. de leg. libro ſecundo.
Si quis in nomine, cognomine, prænomi-
ne, agnomineve legatarii teſtator erraverit;
quæ res impulit omnes fere juriſconſultos
antiquos, & recentiores, ut de hac re, quæ
nobis propoſita eſt, differerent; à quibus
quoniam alicubi diſſentio, veſtrum erit ju-
dicare, quam recte diſſentiam. Recipimus
igitur iſtam appellationem vel propter Ju-
riſconſultos ipſos. Cognomen ſæpe à vete-
ribus prolatum, & cognomentum. Cic. in
ſomn. Scip. Eritque cognomen id tibi per
te partum quod habes ex nobis adhuc hæ-
reditarium; idem in oratione pro Milone:
C. Caſſinius, cognomento Schola. Horat.
Pingui cognomen Tardo domus. Plutarchus.
τρίτον ὄνομα vocat in Coriolano Dionyſius
Halicarnaſs. ἐπώνυμον, ubi de C. Mutio lo-
quitur: ᾧ ἂν ἐπώνυμον κέρδος. His ita decla-
ratis. Duobus modis ſententiam meam in
hac diſputatione conſtituo. Primum ſecun-
dum Juriſconſultos, qui in hanc ſeriem re-
cipiunt Agnomen. Sic Prænomen & No-
men ſimul, nam idem eſt. Agnomen. Co-
gnomen, quod aliquando ſimplex, aliquan-
do duplex. Quòd Prænòmen & Nomen
idem eſſe dixi; ne quis putet novum eſſe,
legat Plutarch. in Coriolano, ubi ait: &
ſic tertium nomen eſt adeptus cum illi ante
tan-

„ tantum eſſet proprium nomen Cajus; &
„ alterum familiæ, aut commune generis,
„ Martius. Verba Græca ſunt hæc: εἰ καὶ τρίτον ἔχει ὄνομα, τὸ κογνώμεντον, ὃ καὶ μάλιστα δῆλόν ἐστι τῶν ὀνομάτων, ἴδιον ἦν ἐξ ἀρχῆς, τὸ δὲ δεύτερον, οἰκίας ἢ γένους κοινὸν ὁ μάρκιος. Secundus modus
„ à me ſtatuitur ſecundum veteres qui purius
„ locuti ſunt, & prætermiſerunt Agnomen,
„ ſic: Prænomen. Nomen. Cognomen. Tri-
„ bus nominibus ſenatores fuiſſe appellatos
„ olim obſervavi; Equites autem, & plebe-
„ jos, majori ex parte duobus. Livius ubi
„ de tribubus militaribus loquitur, hos plebe-
„ jos nominat, ſic. C. Sextilius. M. Albinus.
„ P. Titinius. L. Antiſtius. Senatores autem
„ ita vocabantur. C. Ælius Pœtus. M. Lici-
„ nius Craſſus. M. Portius Cato. Dicamus
„ igitur primum de Prænomine, quod pro-
„ priam appellationem perſonæ ſignificabat;
„ Erat prænomen ſignatum, aut una litera
„ tantum; ut M. P. Q. L. C. D. id eſt De-
„ cimus, non Decius, ut multi ineptè profe-
„ runt. T. id eſt Titus; ut T. Ampius, quam-
„ vis in Sempronio Graccho Tiberium ſigni-
„ ficet, in quo multi errant; aut duabus li-
„ teris; ut SP. de quo ſatis multa Plutarch.
„ in Probl. rerum Rom. AP. unde emendatus
„ ille locus in Epiſt. fam. libro primo Tito
„ Ampio; non Appio. quia Ap ſemper Præ-
„ nomen, ut patet; CN. aut Tribus; ut Ser.
„ Sex. Reperio aliquando prænomina ex in-
„ tegris dictionibus; ut Agrippa Menenius
„ Lanatus. Licinius Memenius Lanatus. A-
„ gnomen (ſi ſequaris juriſc.) aut nomen (ſi
„ cæteros Latinos) illud eſt, quo ſignificatur
„ Gens, ſeu Familia; ut Portius Julius Cæ-
„ cilius Sempronius Cornelius. Has familias
„ eſſe ſatis conſtat, & teſtatur Dionyſius Ha-
„ licarnaſſeus, ubi de Bruto loquitur; ex fa-
„ milia Junia; quæ à ſocio Æneæ deducta
„ erat. Idem, ubi de familiis Albanorum Ro-
„ mam tranſmigrantibus loquitur, an; Mi-
„ grarunt hæ: Julia. Servilia. Gegania. Quin-
„ tilia. Clœlia. Sciendum verò, omnia no-
„ mina, quibus familiæ ſignificantur proferri
„ in Jus; ut Portius. Cæcilius. Julius. Tul
„ lius. Reliquum eſt, ut dicamus tertio loco
„ de Cognominibus. Adnotat Plutarchus in
„ Coriolano, apud Romanos nomina poni con-
„ ſueviſſe à rebus geſtis; à forma; à virtute;
„ itidem à fortuna; apud Græcos; ut σωτῆρα. καλλίνικον. φύσκωνα. εὐεργέτην. φιλάδελφον. εὐδαίμονα;
„ de qua re Plin. lib. XVIII. cap. III. & Ma
„ cr. lib. primo, cap. ſexto. Mordacitas etiam
„ quandoque & maledicentia imponebat co-
„ gnomina; ut etiam apud Græcos, Antigo-
„ nus δώσων; apud Latinos, Metellus vitta-
„ tus, ſeu diadematus, quia frontem obliga-
„ tam gerebat propter ulcus. Plut. in Coriol.
„ Ego vero in cognominibus ſtatuo duas Claſ-
„ ſes. Primum in iis, quæ ducuntur à laude
„ animi, à vitio corporis, à conſuetudine ſeu
„ ſtudio, à forma corporis; ut Cato Pœtus
„ Cincinnatus Longus Arvina Bubulcus Pictor
„ Verrucoſus. Secundam claſſem in iis pono,
„ quæ ducuntur ab eventu, ſeu fortuna; ut
„ Macedonicus. Dalmaticus. Creticus à pro-
„ vinciis. Africanus. Iſauricus ab urbe. Ideo
„ conqueritur Cicero, lib. epiſt. ad Att. quin-
„ to, cum eſſet in Cilicia Procoſ. & expu-
„ gnaſſet oppidum Pindeniſſum, non eſſe ap-
„ tum ad cognomen parandum. Qui (malum)
„ Pindetiſſæ; nam Servilius ante ab Iſauro
„ urbe præclara fuerat appellatus, Quandoque

A „ tamen etiam ab eventu primum cognomen
„ cernere eſt; ut Cn. Pomp. Magnus. Et
„ quærat aliquis fortaſſe, Pompejus ne ante
„ haberet duo tantum nomina, antequam Ma-
„ gnus fuiſſet à P. Sylla appellatus. Sciendum
„ igitur, patrem ipſius Strabonem vocatum à
„ vitio corporis, quod cognomen rejectum
„ poſtea, opinor, à Pompejo; ſicut etiam de
„ Q. Fabio Maximo legimus, qui Verrucoſi
„ nomen omiſit, etſi retinebant aliquando.
„ Non me latet hoc loco plura potuiſſe à me
„ dici de iis cognominibus, quæ à legumi-
„ nibus ſunt deducta; item à forma, & vitio
„ corporis; ut Vopiſcus. Panſa; ſed hæc ſa-
„ tis nota ſunt, & de iis Quint. lib. II. &
B „ Macr. lib. III. Dion. Halic. ubi de Tar-
„ quinio rege loquitur ait: διὰ ταύτην ἐπωνυμίαν τίθενται αὐτῷ Ῥωμαῖοι τὸν Σεξτίβιον; ὅπερ δὲ δηλοῖ βού-
„ λεται κατὰ τὴν ἡμετέραν γλῶτταν τὸν ὑπερήφανον; ὃ δὲ
„ πάντων αὐτῶν πρῶτον ἐκάλουν, ὡς δὲ ἡμεῖς ἄντι μὲν
„ προγενέστερον, ἐμφύνομεν γὰρ ἦν τῷ νεωτέρῳ κατ' ἄμφω
„ τὰ ὀνόματα; quod pertinet ad ſuperiora intel-
„ ligenda. Glareanus ibi hæſitabat propter
„ verba interpretis, quæ ſunt: Erat enim
„ utroque nomine cognominis junior ſeniori.
„ Illud non prætermittam Cæſarem non ab
„ utero cæſo dictum quod multis video pla-
„ cere; ſed, quod ait Servius, & Spartianus,
„ ab Elephanto primum cæſo; nam lingua
„ punica Cæſar elephas dicebatur; Quare, in
C „ quibuſdam argenteis numiſmatis apud me
„ videre eſt, ab altera parte Elephantem cum
„ hac inſcriptione CÆSAR. Ab altera autem
„ inſtrumenta, quibus elephantos Romani
„ perimebant.

„ Obſervavi quandoque cognomen Græ-
„ cum fuiſſe apud Romanos; ut Sex. Furius
„ Philus. Q. Minutius Thermus. M. Bœbius
„ Pamphilus. In quo Cognomine tamen ſcien-
„ dum, legendum eſſe Tampilus; hujus veræ
„ lectionis veſtigium adnotavit Glareanus,
„ Tamphilus. Ego verò in numiſmate ar-
„ genteo, quod eſt apud me, video ſcriptum
„ Tampilus, & aliis multis oſtendi. Atque
„ hæc de cognominibus dicta hactenus ſint.
D „ Dicendum modò de Nominibus Mulierum.
„ Nominibus Legum. Nominibus Liberto-
„ rum. Nominibus Adoptivis. Mulieres à
„ nomine gentis vocabantur, & uno tamen
„ nomine; ut. Portia. Cornelia. Julia.
„ Tullia. Clodia. Servilia. Cæcilia. Te-
„ rentia. In Epiſtolis tamen Cœlii ad Cic.
„ Epiſt. VIII. legere eſt Paulam Valeriam;
„ & alibi eandem à Cicerone Polam voca-
„ tam. Sicuti Tertullam à Plutarcho, quod
„ diligenter conſiderandum. Plutarchus in
„ Problem. ubi quærit, Cur maribus nono,
„ fœminis octavo die nomina imponerentur;
„ ait: Mulieres uno, aut duobus appella-
„ bantur nominibus. Ego duobus appellari
E „ nunquam obſervavi, ni fortaſſe prænomen
„ illud ſignificare voluit Plutarchus, quod eſt
„ omnibus mulieribus commune, ut diceren-
„ tur Cajæ; quod ab uxore Tarquinii; quæ
„ Tanaquil vocabatur, deductum eſt. Hinc
„ Cicero uſurpat in orat. pro Muræna verba
„ illa auſpicata in nuptiis: Ubi tu Cajus.
„ Ego Caja. Eſt apud me inſcriptio anti-
„ quiſſima, quam multis oſtendi; in qua tale
„ prænomen ſignari videtur tali nota. Ↄ. Ↄ.
„ Tibulla, & quæ ſequuntur. Hanc tamen
„ inſcriptionem animadverti poſtea legi in
„ impreſſis libris; ſcioque multos addubitare
„ an vetuſta ſit, vel potius ab aliquo ficta;

„ pro-

A „ probat tamen quod volumus; in nominibus
„ mulierum Romanarum ſæpe per jocum in.
„ verſio fiebat quædam , atque mutatio in
„ nomina Græcarum mulierum, ob morum
„ ſimilitudinem; Hinc apud Quintilianum li
„ bro VIII. à Cæcilio oratore legimus Clo-
„ diam vocatam Quadrantariam Clytemne-
„ ſtram; & in Triclinio Coam; in cubiculo
„ Nolam, qui locus hunc, opinor , ſenſum
„ habet; ut in conviviis vocaretur Coa; qua-
„ ſi Venus altera, quæ Coa olim dicta etiam
„ in luſu talorum ; in cubiculo Nola, quia
„ nollet, & reluctaretur amatoribus ; nam
„ etiam Catullus : Multivola eſt mulier, di-
„ xit, non diſſimili ratione . Nomina legum
B „ à ſuis authoribus ducebantur, ſumpta appel-
„ latione ab agnomine , ſeu nomine gentis ;
„ ſicuti etiam in mulierum appellationibus eſt
„ factum . Lex Julia . Sempronia . Corne
„ lia . Oppia . Pompeja . Cincia; apud Ci-
„ ceronem in oratione pro Archia mentio fit
„ de lege Papia, qui illam tulit, multi aſſe-
„ runt fuiſſe Q. Æmylium Papum . Hoc igi
„ tur ſi verum eſt , obſervationi noſtræ vide
„ tur adverſari ; Factum autem eſt (ut ego
„ opinor) ut dignoſci poſſet à familia Æmy-
„ liorum, qui Pauli cognomen habebant .
„ Scribit Aſc. in Orat. pro Mil. fuiſſe Milo
„ nem ante ex familia Papia; mox Annium
„ dictum ab avo materno, à quo fuerat ado-
C „ ptatus . Nomina libertorum ſemper ab
„ agnomine patronorum, à quibus fuerant in
„ libertatem aſſerti, ducebantur; ut lib Epiſt.
„ fam. Epiſt. XV. item in Epiſt. ad Att. ubi ſæpe
„ Tullium libertum ſuum nominat . Idem fa-
„ ctum obſervo in nominibus quibuſdam barba-
„ rorum, qui ſimilitudinem nominum à Roma-
„ nis jam victoribus & obtinentibus provincias
„ aucupabantur. Ejuſmodi multa apud Cæſarem
„ in Comm. de bello Gall. obſervari poſſunt.
„ Nomina Adoptatorum filiorum talem habe
„ re videntur rationem; ut agnomen quidem
„ accipiant ejus , à quo adoptantur ; ſuum
„ vero agnomen mutent in aliam quandam
„ terminationem in anus: de qua re Dion. li-
D „ bro Hiſtor. Cicero lib. primo Epiſt. ad Att.
„ Cæcilium Pomponianum vocat Atticum ,
„ nuper adoptatum à Cæcilio avunculo , qui
„ Atticus poſtea filiam ſuam vocavit Cæci
„ liam ; de qua Cicero libro ſexto Epiſt. ad
„ Attic. Epiſt. II. Cum tamen ſoror ipſius
„ Pomponia vocaretur ex priore agnatione .
„ Idipſum factum eſt in nomine Æmyliani .
„ Idem Cicero lib. ſexto ad Att. Scipio hic
„ Metellus proavum ſuum neſcit cenſorem ;
„ Significat enim Scipionem , Aſiatici illius
„ filium, qui adoptatus fuit à Q. Metello Pio,
„ & dictus Q. Metellus Scipio ; in qua ado-
„ ptione plane diverſam rationem cernere eſt
„ ab ea, quàm adnotavit Dion. Nomina quo-
E „ que gentilia , ſeu agnomina mutationem
„ quandam recipiebant, cum poſſeſſionem ſi-
„ gnificaturi ita loquebantur . Ut Cicero
„ lib. ſecundo Epiſt. ad Att. in Anniana Mi-
„ lonis domo; niſi forte id factum, quia Milo
„ ab Annio avo Materno in ſuam familiam
„ aſcitus fuerat . Obſervavi quoque in nomi-
„ nibus Romanorum, ea quæ olim prænomi-
„ na eſſent facta ; ut Menenius . Licinius ;
„ de qnibus ante diximus ; nam poſtea ita
„ dictum eſt in eo nomine . M. Licinins .
„ Craſſus ; cum enim Licinius ante præno-
„ men . Sic etiam in Agrippa . Illud verò
„ ſciendum, cum tot nomina Romani habe-
„ rent, ut à nobis dictum fuit, Ciceronem ;
„ & alios in ſuis libris, ſæpe unum , aut al-
„ terum proferre reliquis omiſſis; Unde ſæpe
„ oritur ambiguitas , de quo ſic intelligen-
„ dum; ut in nomine Luculli an de L. an de
„ M. qui fratres erant , qualis locus eſt in
„ oratione pro Archia poeta . Sed hæc faci-
„ le dijudicantur ab hiſtoriæ peritis ; qualis
„ etiam ambiguitas erat in nomine Curionis
„ lib. II. Epiſt. fam. in qua re multi decepti
„ ſunt; non diſtinguentes patrem Curionem ,
„ à filio; nam illæ Epiſtolæ : Nondum erat
„ auditum & Sera Gratulatio ; ſcribuntur ad
„ patrem; hoc exemplum appoſui, ut cogno-
„ ſcatis, quàm ſit in his rebus ſæpe difficile
„ verſari . Sæpe etiam affinitate & ſimilitu-
„ dine nominum decipimur; ut in illo loco ,
„ qui eſt in ſomnio Scipionis . Manilio Cos.,
„ non Manlio; itidem in hoc agnomine Tul-
„ lo; & Tullio ; itidem in agnomine Æmy-
„ lio, nam & de Lepidis; & de Paulis dici-
„ tur . Sæpe etiam decipi poſſumus in co-
„ gnominibus; ut cum Lentulum, Scipionem,
„ Piſonem ſcribi videmus; nam de multis in-
„ telligi poteſt idem , quod tamen dijudica-
„ tur ex hiſtoria . Aliquando tamen non
„ ſunt ambigua ut in eo loco : Marcellinum
„ tibi iratum eſſe ſcis ; nam Cn. Lentulum
„ Marcellinum intelligit , cum ſcribat ad P.
„ Corn. Lentulum ; in quibus quoque appel-
„ lationibus videre eſt Lentulum modo agno-
„ men, modo cognomen . Itidem in Epiſto-
„ lis ad Att. ubi Acidinos nominat ; ſcire
„ enim omnes appellationes neceſſe eſt, alio-
„ quin res fuerit obſcura; eodem modo ſeſe
„ habet in Tuſc. prima cum Calatinos nomi-
„ nat . In lib. quoque de Amicitia, ubi ait.
„ Videmus Papum Æmilium C. Luſcinio fa-
„ miliarem fuiſſe, quæret aliquis, quis fuerit
„ Luſcinius & ignorabit, niſi ſcierit illud fuiſ-
„ ſe C. Fabritii cognomen . In Epiſt. quo-
„ que ad Sulpitium , ubi ait Noſter Gallus ;
„ quæret quiſpiam quis fuerit Gallus, fruſtra,
„ niſi ſcierit hunc eſſe C. Sulpitium Gallum;
„ item lib. I. Epiſt. fam. Epiſt. I. ubi ait :
„ Philippus ; nam hic vocabatur L. Martius
„ Philippus ; ibidem cum ait Libonis ; hic
„ enim appellabatur L. Scribonius Libo, quod
„ etiam antiqua oſtendunt numiſmata expli-
„ cantia illud Puteal de quo apud Horatium
„ fit mentio . Sæpe etiam Cicero agnomen
„ ſolum ponit; ut Sulpitius, Servilius, Rutilius,
„ Afranius , ſæpe cognomen tantummodo ;
„ ut Lucullus . Craſſus . Balbus; ſæpe præ-
„ nomen tantum, ut Publium cum Clodium
„ ſignificat; & Q. de Fratre loquens; & Cn. de
„ Pompejo, quod tamen familiariter inter fa-
„ miliares videri poteſt factum . Sæpe præ-
„ nomen videas conjunctum cognomini pro-
„ ferri ; ut M. Craſſus . M. Cato . L. Lu-
„ cullus . Raro prænomen cum agnomine .
„ Sic M. Portius . Q. Tullius; aliquando ta-
„ men ; ut P. Clodius . C. Antonius ; nec
„ puto ullius rei , niſi conſuetudinis cujuſ-
„ dam habitam fuiſſe rationem, & ſoni, qui
„ ſuavior accideret auribus . Rariſſime vero
„ Agnomen cum cognomine ; ſic Portius Cato.
„ Julius Cæſar. Cornelius Scipio . Clau. Mar-
„ cellus . Nunquam vero præpoſtero ordine;
„ ſic . Craſſus Marcus . Lucullus L. neque
„ ſic , ut præcedat cognomen , ſubſequatur
„ agnomen; ut Cicero Tullius ; Unde non
„ ſatis placet opinio eorum, qui locum illum
„ in libro de Amicitia emendant ; Videmus

„ Pa-

„ Papum Æmilium , nam appellationes om-
„ nes hæ ſunt . Q. Æmylius Papus, ut ipſi
„ etiam affirmant; Res igitur diligentius con-
„ ſideranda . Atque hæc à nobis hactenus
„ dicta ſint, de omni ratione Nominum Ro-
„ manorum; ita tamen , ut monitos vos ve-
„ lim, me in hac explicatione mea non tranſ-
„ gredi Auguſti tempora , ſatis enim patet ,
„ poſt civilia bella, cum univerſa fere nobi-
„ litas fuiſſet extincta ; in urbem Rom. aſci-
„ tos undique Barbaros , & alienigenas , qui
„ militarent ſub Auguſto, atque ita magna
„ ex parte corruptam fuiſſe antiquam illam
„ conſuetudinem, quæ magna cum religione
„ etiam in nominibus ſervabatur . Illud quo-
„ que nolim lateat legentes explicationem
„ hanc meam; potuiſſe me pro meo jure , ſi
„ voluiſſem, ſequi eorum ſententiam qui agno-
„ men prorſus tollunt ; nec enim uſitatam
„ unquam reperias dictionem hanc apud vete-
„ res, & quamvis in Inſtitutionibus Juriſconſ.
„ ſemel legatur, credi tamen poteſt additum
„ à nonnullis per inſcitiam, quod facile mon-
„ ſtratur ex Theophilo Græco interprete, qui
„ de Agnomine ne verbum quidem protulit ;
„ & vetuſtioribus libris ; in quibus ea vox
„ non eſt ſcripta . Ego tamen , ut ſequerer
„ vulgatam rationem ab omnibus acceptam ,
„ & retinerem Agnominis appellationem ,
„ commode omnia , uti mihi videor , inter-
„ pretatus ſum ; etſi aliter ſentire video do-
„ ctiſſimos viros multos , qui de hac re ſcri-
„ pſere.

CAROLUS SIGONIUS
IN LIBRUM DE NOMINIBUS ROMANORUM
FRANCISCI ROBORTELLI.

Quæſtionem de argumentatione à nominibus petenda alienam eſſe.

QUæſtio, an rhetores recte dicant.) inanis, ac prope ridicula res videtur, eum, qui ſe de nominibus Romanorum ſcripturum eſſe profiteatur, initio diſputationis quæſtionem ponere, an rhetores recte dicant, à nominibus propriis duci argumentationes; quid enim argumentatio ad nominum rationem pertinet ? cum argumentatio ipſa ex rhetorum & dialecticorum libris, nominum verò ratio ex antiquitate petenda ſit? Ipſe autem ſe de nominibus daturum præcepta pollicetur; nam in epiſtola ita ſcribit : Nam leve ſignum eſſe judico , ut tibi petenti deſcriptam mittam eam diſputationem, quam domi inchoatam habebam de nominibus veterum Romanorum.

Hermogenis locus de propriorum nominum quæſtione non intellectus , declaratus.

HErmogenes in libro περὶ στάσεων, ſic ait : τῶν αὖ ἐξεταζομένων ἰσχυρότατον ἔχει δύναμιν τὰ ὡρισμένα, καὶ κύρια, οἷον ὁ Περικλῆς, ὁ Δημοσθένης, καὶ τὰ τοιαῦτα.) Ut quæſtio ridicula fuit, ſic explicatio quæſtionis multo magis . Nam ad id, quod propoſuit, quæri poſſe, an rhetores recte dicant, à nominibus propriis duci argumentationes, reſpondet, aut reſpondere videtur, recte eos dixiſſe ; idque confirmat Græcorum, & Latinorum auctoritate : Græcorum, ut Hermogenis; Latinorum, ut Ciceronis; quid autem dixit Hermogenes? is in libro de ſtatibus ſcriptum ita reliquit: Ex iis perſonis, quæ in quæſtionem caderent, vim maximam habere definita nomina, & propria, ut Periclem, & Demoſthenem , & quæ ſunt ejuſmodi ; quam auctoritatem noſter hic ſine dubio non attuliſſet, ſi Hermogenis conſilium accepiſſet, aut ſi verbi, quo ille utitur, vim intellexiſſet; eſt autem ἐξετάζεσθαι quod eſt in quæſtionem cadere ; quod nihil ad argumentationem , de qua ipſe propoſuit , pertinet ; illud autem demonſtrandum erat , ut ſæpe Græci à nominibus propriis argumenti aliquid elicerent; in quo ipſi plurimum propter felicem illam nominum juncturam valent, ut à Traſymacho , Chryſogono ; & Ariſtophanes in Nebulis in nomine Phidippidis luſit, ὀνειροπολεῖθ' ἵππους. Item : ὀνειροπολεῖ καθεύδων ἱππικήν. Item : ἡ μὲν γὰρ ἵππον προσετίθει πρὸς τοὔνομα Ξάνθιππον, ἢ Χάριππον, ἢ Καλλιππίδην. Idem autem inter quæſtionem, & argumentationem intereſt, quod omnis argumentatio refertur ad quæſtionem , quas miror virum doctiſſimum ita confudiſſe, ut ex una in alteram tranſierit. Nam exemplum Hermogenis ad quæſtionem pertinet; Ciceronis autem ad argumentationem; niſi quòd ea re deceptus eſt, quòd nomina propria tam in quæſtionem cadunt , quàm in argumentationem . Hermogenem autem de quæſtione loqui; facile probari poteſt. De civilibus; enim controverſiis diſputat; omnem autem controverſiam in perſonis, aut rebus , aut utriſque poſitam eſſe ait . Perſonas alias in quæſtionem cadere oratoriam , alias non cadere; ex iis quæ caderent, vim maximam habere definita nomina, & propria, ut Periclem, & Demoſthenem, ſecundo loco, quæ cum aliquo comparantur, ut patrem, filium, dominum, ſervum ; tertio quæ criminibus obnoxiæ ſint, ut adulterum , adulatorem ; de quibus vero nulla conſtitui quæſtio poſſet, eas eſſe infinitas , ut Quendam ; aut ex utraque parte æquales, ut duo juvenes divites, ſi alter alteri aliqua de re diem diceret . Hoc cum ita ſit , apparet, propoſitum Hermogeni non fuiſſe , ut de argumentatione diceret, ſed de quæſtione, & ſtatu, cum docere vellet, quas cauſas orator poſſet tractare, quas non poſſet, & quæ ſtatum haberent , quæ non haberent.

An

An à nomine argumentari liceat.

LAtini à nominibus, aut prænominibus nunquam, à cognominibus quandoque, ut à Verre.) Confirmat nunc, quod dixit, auctoritate Latinorum, non rhetorum, ſed oratorum, quos ait nunquam à nominibus, & prænominibus argumenta duxiſſe, aliquando autem à cognominibus. Et hoc totum nihil eſſe inde apparet, quòd & Cicero in prænomine ludens Appietatem dixit, & à nomine in Corneliana argumentatus eſt, cum inquit: Qui veterem illam ſpeciem fœderis Martiani ſemper omni ſanctiorem Marte duxerunt. Nam Marcius L. Marcii, ejus, qui fœdus cum Gaditanis icit, nomen eſt gentilitium. Quid plura? nonne idem hoc fieri poſſe aperte tradidit libro primo de Inventione? cum ait: Nomen cum dicimus, cognomen quoque, & agnomen intelligatur oportet. De hominis enim certo, ac proprio vocabulo agitur, ut ſi dicamus iccirco aliquem Callidium vocari, quòd temerario, & repentino conſilio ſit; aut ſi ea de re hominibus Græcos imperitis verba dediſſe, quòd Clodius aut Cecilius, aut Mutius vocarentur; ſunt enim Callidius, Clodius, Cæcilius, Mutius gentium Rom. nomina; & Quintilianus libro v.; Nomen in argumentum raro cadit, niſi cum ipſum alicujus cogitationis attulit cauſſam, ut Lentulo conjurationis, quòd libris Sibyllinis dominatio dari tribus Corneliis dicebatur, ſeque eum tertium eſſe credebat, poſt Syllam, Cinnamque, qui & ipſe Cornelius erat. Neque vero video, cur non ab Agrio, Agraſio, & Fundanio, quæ nomina gentis fuerunt, peti argumentatio poſſit, cum Varronem eis diſputationem de agro, fundoque tribuiſſe in libris de re ruſtica videamus; itemque cur non à Valerio, Salvio, Statorio argumentari liceat, cum boni etiam ominis cauſſa hæc nomina in delectu prima appellari ſolita ſcribat Feſtus, à valetudine, ſalute, & ſtatu, quibus nihil eſſe poteſt melius.

An à cognomine argumentari liceat.

A Cognominibus quandoque, ut à Verre; neque tamen argumentatio eſt. Sed potius deluſio quædam.) Hoc ex Quintiliano ſumptum eſt libro v. Jocorum tamen, inquit, ex eo frequens materia, qua Cicero in Verrem non ſemel uſus eſt. Significat autem Quintilianus cognomina aliquando joci, non argumenti materiam dare, ut cognomen Verris Ciceroni, cum in nomine animalis luderet; ut in divinatione: Repente eveſtigio ex homine tanquam aliquo Circæo poculo factus eſt Verres, redit ad ſe, atque ad mores ſuos. Hunc ergo jocum Robortellus non argumentationem, ſed deluſionem in cognomine vocat.

Locus Ciceronis non intellectus expoſitus.

ITidem apud Ciceronem libro II. de oratore: Quid fers Cinciole.) Et hanc deluſionem in nomine appellat Robortellus; de qua Cicero lib. II. de orat.: Sæpe etiam ſententioſe ridicula dicuntur, ut M. Cincius, quo die legem de donis, & muneribus tulit, cum Centho prodiiſſet, & ſatis contumelioſe, quid fers Cinciole quæſiſſet; ut emas, inquit, Cai, ſi uti velis; quæ ſi qua in his verbis deluſio eſt, certe non eſt in nomine Cinciole, ut ille putat, ſed in vocibus his, Quid fers; contumelia quidem eſt in diminutione Cinciole; at jocus non ex eo ductus eſt, ſed ex vocibus, Quid fers, cui reſpondit Cincius, fero, ut emas, ſi uti velis. Hoc eſt enim ridiculum ſententioſe dictum, quod propoſuit Cicero ſe allaturum. Quare hoc exemplum nihil ad rationem nominum pertinet, ut etiam reliqua ab eo propoſita.

An Romulus, & Remus uno nomine, an duobus uſi ſint.

PRimum obſervo, Romanos uno nomine uſos fuiſſe, ut Romulus, Remus.) Nego Romulum, & Remum exempla ad hoc præceptum illuſtrandum accommodata eſſe; primum, quia Romulus, & Remus uno nomine ſunt uſi, quia ſpurii fuerunt, id eſt, incerto patre; & propterea gentilicio nomine caruerunt: deinde, quia ſi quis maternum genus ſpectaſſe eos dicat, duobus nominibus affecti fuerunt, & Romulus, & Remus Silvii appellati ſunt; unde mater Rhea Silvia fuit. Itaque hac ego de re ita ſcripſi in libro de nominibus: Valerio quidem ego aſſentior, quippe qui & hanc rationem apud Italos fuiſſe, & aliis præterea eos quibuſdam nominibus à Romanis uſos eſſe reperiam, & Romulum, ac Remum, aut quia ſpurii fuerunt, gentis nomine caruiſſe, aut certe ex Silvia gente, cujus & mater erat, extitiſſe exiſtimem.

IN CAPUT XX. LIBRI PRIMI.

De nominibus ſpuriorum, & nothorum.

„ IN hæc autem invectus eſt Robortellus ita: Romulus & Remus, quia ipſorum mater erat ſacris initiata, nothi fuerunt, quia patrem habuerunt Martem, varii dici non poſſunt, aut ſpurii. Cui ego: Romulus & Remus, quia ex non juſto matrimonio nati ſunt, nothi, quia incerto patre, ſpurii fuerunt; neque enim Martem è cœlo deſcendiſſe, ut cum virgine veſtali concumberet, crediderim, neque id, niſi quia is auctor culpæ honeſtior habitus eſt, ab aliquo traditum eſt. Quod autem addit, me ſcribere, Romulum, & Remum ideo Silvios non fuiſſe dictos, quòd cum nothi eſſent, ejus gentis nomine caruerint, non ſatis videtur mea verba attendiſſe. Dixi enim Romulum, & Remum, quia ſpurii, id eſt, incerto patre nati erant, caruiſſe gentilicio nomine patrio, at quia certam habebant matrem Silviam, ex gente Silvia eſſe dici potuiſſe. Quod meum dictum miror à Robortello acuto viro non intellectum. Quod quærit, ut oſtendam ſi poſſim, olim apud Romanos florenti rep. nothos ex gente fuiſſe repulſos, nec gentilicia ſuorum nomina retinuiſſe: cur hoc à me ſibi velit oſtendi, de quo ne verbum quidem feci, non video; quando enim ego nothorum mentionem ullam feci? Spurios dixi, quia patre certo non eſſent, patrio etiam gentilicio nomine vacaſſe; nothorum verbum ne uſurpavi quidem. Quod ſi ille nothos intelligit, ut quidem omnes faciunt, eos, qui ex non juſto connubio eſſent ſuſcepti, ſatis indicat Livius, eos non modo gentem, ſed ne libertatem quidem habuiſſe, etiam florente republica, cujus

hæc verba ſunt libro XLIII.: Et alia novi generis hominum ex Hiſpania legatio venit. Ex militibus Romanis, & ex Hiſpanis mulieribus, cum quibus connubium non eſſet, natos ſe memorantes, ſupra quatuor millia hominum, orabant, ut ſibi oppidum, in quo habitarent, daretur; ſenatus decrevit, uti nomina ſua apud L. Canulejum profiterentur, eorumque ſi quos manumiſiſſet, eos Cartejam ad Oceanum deduci placere. Latinam eam coloniam fuiſſe, libertinorumque appellari. Quin etiam Svetonius innuit, nothos patris nomine non eſſe uſos, cum inquit C. Cæſarem ſummi ſui erga Cleopatram amoris demonſtrandi cauſſa paſſum eſſe natum ex ſe, & ea filium ſuo nomine Cæſarionem vocari; & quod ait Dio, Octavium ægre tuliſſe filium Cæſaris ex Cleopatra à M. Antonio Cæſarionem eſſe nominatum, & ad Cæſaris genus traductum. Attamen Robortellus ait:
„ Is Romanus erat civis, qui ex ingenuo &
„ ingenua eſſet ortus, nec aliud præterea
„ requirebatur, ſi modo pater Romanus erat,
„ & mater Romana, aut etiam peregrina;
„ deinde alia multa, quæ omnia à propoſita
„ diſputatione noſtra remotiſſima ſunt. Quod
„ ſupra dixerat: Neſcio quid nugarum afferat
„ Sigonius cap. III. cum ait: Spurius di-
„ ctus, qui ſine patre eſſet; eſto Spurium ſi-
„ gnificare nothum; quæro an Spurius præ-
„ nomen ſignificaret eos, qui ſine patre eſ-
„ ſent, hoc eſt vulgo conceptos; quo id au-
„ ctore aſſeris; ergo tam multi viri præclari
„ apud Livium, & alios, qui Spurii præno-
„ mine dicuntur, omnes vulgo concepti fue-
„ runt; reſpondeo, me quod ſcripſi auctore Valerio protuliſſe, qui in epitoma de prænominibus, Spurios ait incerto patre genitos, quaſi apatoras; non autem, qui Spurii prænomine uſi ſint apud Romanos, incerto patre fuiſſe genitos, quemadmodum neque omnes Marcos, aut Tiberios menſe Martio, aut ad Tiberim natos eſſe, neque omnes Quintos, Sextos, Decimos quinto, ſexto, aut decimo loco eſſe ſuſceptos; ſed prænominis vim, atque uſum inde profectum eſſe; in quo acute nimis cavillatur Robortellus.

Duorum nominum ratio non à Sabinis.

POſtea ubi in urbem migrarunt Sabini, duplicari cœpiſſe nomina.) Hoc non ex ſua obſervatione, ſed ex præceptis veterum diſcere potuit; quod tamen an verum fuerit, quæri poteſt, nam pater Numæ, qui nunquam Romæ fuit, Pompo Pompilius dictus eſt, & rex Sabinorum, antequam Romam commigrarit, Titus Tatius; & ex eadem gente eodem tempore Metius Curtius, Voleſus Valeſius, & Romæ Sp. Tarpejus, Hoſtus Hoſtilius fuit, antequam Sabini in civitatem acciperentur. Ergo non ex duorum populorum copulatione, ſed ex peregrina conſuetudine, ut multa alia, profecta hæc duplicandorum nominum ratio eſt. Quod meminit Servii Tullii, primum intelligendum eſt, eum nec Sabinum fuiſſe, nec Romanum, ſed Corniculanum, cujus patrem Corniculanum civem vocat etiam Livius. Si ergo Albani, Sabini, Corniculani duobus nominibus uſi ſunt, atque iidem in civitatem Romanam ſuſcepti ſunt, ſatis conſtat, eos non ex civitatis communione, ſed ex patria conſuetudine duo nomina tuliſſe; præſertim vero cum idem

A Etruſci, Robortello auctore, fecerint, ut Lartes Porſena.

IN CAPUT XXVI. LIB. I.

De Prænomine Lartis.

IN quo prænomine Lartes ſciendum eo uti prænomine uſos veteres.) Ego alias oſtendi, erraſſe ipſum, qui Lartes ſcribat, cum ſit ſcribendum Lar, idque auctore Dionyſio, Plutarcho, Valerio, Cariſio, Priſciano, Servio. Ad hæc reſpondet cap. XVI. libri primi; ſe ſcripſiſſe Lar, ſed librarios corrupiſſe; quod an veriſimile ſit, alii viderint. Scriptum
B eſt enim diſerte ita: Lartes Porſena. In quo prænomine Lartes; & apud Plutarchum male λαέρτας. Cum ergo ter ſcriptum ſit, ſane auctoris, non librarii videtur erratum; errorem tamen confitenti condonanda ſunt omnia. Verum illud fuit ingrati hominis, quod à me accepit, id in me retorſiſſe; ego enim dixeram, Porſenam ex Tolumnia gente fuiſſe, auctore Cariſio, qui inquit: Larſi Tolumnii Porſenæ fuit, facit Lartis; contra ille erraſſe me ait, qui non viderim, id mendoſe legi, pro Tolumnii, & Porſenæ, qui duo fuerunt. Quod etſi fieri potuiſſe fateor, tamen miror, cur non Porſenæ, & Tolumnii potius dixerit; nam Lar Porſena Larte Tolumnio multo
C antiquior fuit; præterea vero movet me Dionyſius, qui regem hunc Cluſinorum fuiſſe Lartem nomine, Porſenam cognomine ſcribit, id eſt, λάρος ὄνομα, πορσίναν ἐπίκλησιν; quo fit ut gentilicio caruerit; quod eſt abſurdum; illud autem ridiculum, quod Robortellus ne auctore quidem inſpecto, eum emendavit. Hoc enim apud Priſcianum eſſe, quod apud Cariſium eſt, ait.

IN IDEM CAPUT.

Lar unde ſumptum.

SErvius interpres Virgilianus ab oppido di-
D ctum putat.) Cum notaſſem Servium, non ab oppido, ſed à loco dictum ſcribere, reſpondet nihil intereſſe; nam locum etiam eſſe oppidum.

IN IDEM CAPUT.

Plutarchus à calumnia defenſus.

ITidem Plutarchus in Puplicola exiſtimat; qui tamen λαέρτας ſcribit, ſed male.) Nihil tale eſſe apud Plutarchum alias notavi; præterea apud Plutarchum non eſſe, λαέρτας, ſed κλάραν pro τ̃ λάρον admonui; ipſum autem deceptum eſſe ab interprete, qui vertit Laer-
E tem. Ad hæc ille, capite XXVI. Cum illa verba protuli: Itidem Plutarchus exiſtimat in Publicola; non quidem Plutarchum ab oppido dictum Lartem ſignificaſſe dixi, ſed Plutarchum videri exiſtimaſſe Lartem eſſe prænomen. Qui tamen κλάραν, ſeu λαέρτην ſcribit; ſed male. Ego ita ſcripſi; nam prorſus exiſtimo eum, qui Plutarchum vertit, eo loco vidiſſe multos codices habere λαέρτην, & ideo Laertem vertiſſe. Honeſta defenſio.
„ Si modo credibile ſit, eum, cum id ſcripſit,
„ græcum codicem legiſſe; nam illud conſtat, non κλάραν, ſeu λαέρτην, ſed tantum λαέρτην ſcripſiſſe.

Græ-

Græcorum defenſio.

NEc mirum tamen, quia homo græcus perperam profert nomina Romana.) Vide quam injuſta criminatio ſit. Quod enim vitii ejus culpa, qui non græcum codicem, ſed interpretem legit, contractum eſt, id in Plutarchum, ac totam nationem, cui plurimum antiquitas R. debet, refert.

Dionyſius à calumnia defenſus.

QUod eſt aliquando etiam à Dionyſio Alicarnaſſeo factum.) Et hoc etiam in Dionyſium injuſtiſſime, quo nemo diligentior in Romana antiquitate colligenda, & explicanda fuit. Sed videte quo argumento Græcos ſcriptores inſcitiæ, atque incuriæ notet. „ Plutarchus, inquit, Clodiam Quadrantiam vocat, quam Latini ſæpe vocant „ Quadrantariam, ut Quintilianus libro VI Dionyſius in hoc nomine A. Virginii, qui Cœlimontanus dictus eſt à Latinis, ſcripſit Montanus. Primum quæro, unde explorati habes, Quintilianum audiendum eſſe potius, quàm Plutarchum? aut, ut ante, in Larte Plutarchi librum non eſſe corruptum? deinde Dionyſius bis hujus cognominis meminit, primum ita, ut appareant in verbis Græcis veſtigia veræ lectionis, καὶ ημοντανὸς, pro καιλιμοντανός; deinde ita, ut diſerte μοντανὸς ſcriptum ſit; quod ne inſcite quidem factum opinor; utroque enim cognomine hunc uſum, & Cœlimontani, & Montani puto; nam eodem in conſulatu, à Dionyſio μοντανὸς dicitur, in veteribus faſtis conſularibus, quos identidem citat Cuſpinianus, eſt etiam cognomen Montani, non Cœlimontani; Ergo cauſſa nulla fuit, cur tam acerbe in optimos ſcriptores, & de antiquitate optime meritos invaderet.

IN CAPUT XIX. XX. XXI. LIB. I.

Nomen duobus modis accipi, pro genere, & ſpecie. Nominum inter ſe ordinem duplicem eſſe. Agnomen idem eſſe, atque cognomen.

OBſervo etiam apud authores Latinos, & Græcos duo nomina tantum proferri conſueviſſe aliquando &c.) Hac de re ego ita in meo commentario: Cum autem Romanos duobus primum, poſt etiam tribus nominibus uſos eſſe reperiamus, quorum unum præcipue nomen, alterum prænomen, tertium cognomen, aut agnomen appellaverunt, &c. Adverſus hæc pugnat Robortellus cap XIX. lib. primi; & quærit, quomodo tum, cum duo uſurpabantur nomina, ea vocarentur? & cur nomen primum poſuerim, prænomen vero ſecundum, cum contra ſit faciendum, & cur tertio loco cum cognomine agnomen vocem barbaram conjunxerim. His tribus quæſtionibus, quo planius potero, ſatisfaciam. Primum intelligendum eſt, Nomen accipi ὁμωνυμῶς: nam & genus eſt, & ſpecies. Genus, cum dicimus: apud Romanos tria erant nominum genera. Species, ut: quorum unum præcipue erat nomen, quod gentilicium diceretur, alterum prænomen, quod nomini gentilicio præponeretur, tertium cognomen, unde duo illa priora diſtinguerentur. Itaque & gentilicium nomen, & prænomen, & co-

A gnomen nomina ſunt, ſi ut genus ſumamus; id eſt, ut vocabula, quæ in nominando aliquo celebremus; unde Dionyſius de prænomine Larte dixit, Nomen, λάρος, ὄνομα πορσίνας ἐπίκλησιν; & Plutarchus Capratium & Bubulcum cognomina, nomina vocavit in Poplicola; & Livius Egerium nomen, quod cognomen appellavit Dionyſius, vocavit. Quare hanc etiam diſputationem de nominibus inſcribimus, in qua nihil aliud agimus, niſi ut gentilicium nomen à prænomine, atque hæc duo à cognominibus præceptis & ratione diſtinguamus. Quod quæris, cur nomen prænomini præpoſuerim, cauſſæ multæ ſunt. Una autem hæc, quòd tum non uſum, ſed natu-

B ram, & ortum docui. Etenim ſimplicia junctis antiquiora ſunt, atque priora, & ſi prænomen eſt id, quod nomini præpoſitum eſt, ergo ante ſit Nomen, quàm prænomen neceſſe eſt; quod cum mirer à te ſubtiliſſimo viro non eſſe intellectum, declarabo uberius. Eſt aliquis princeps generis, & gentis alicujus futurus; exempli cauſſa Julus Æneæ filius, aut Atis ejus ſocius; procreant filios. Hos Græci patronymico ſuo exprimunt, Julidem, Atidem, Latini ſuo in IUS, Julium, Atium; nihil eſt enim aliud Julius, quam è Julo natus, neque Atius, quam ex Ati, & ita in ceteris, atque hoc dictum eſt Nomen, quod gentilicium eſt, quia, ex qua gente quis ſit,

C indicat. Cum ergo multi eſſent vel filii, vel nepotes Juli, vel Atis, qui omnes Julii, vel Atii dicerentur, ut inter ſe diſtinguerentur, fuerunt alio aliquo præpoſito nomine decorandi. Itaque ſi luce exempli gratia natus eſſet, Lucium, ſi mane Manium, ſi ad Tiberim, Tiberium, ſi quinto, ſexto, aut decimo loco, Quintum, Sextum, Decimum appellarunt; & præpoſito hoc nomine illi gentilicio, dixerunt, L. Julius, Sex. Julius, Q Atius, D. Atius; & ſic in ceteris; atque nomen illud ſecundo loco excogitatum, quod antiquo nomini gentilicio præponeretur, Prænomen vocarunt. Itaque Appianus dixit: καὶ τὰ ὀνόματα Ῥωμαίοις πάλαι μὲν ἓν ἦν, ὥσπερ ἀνθρώποις ἅπασιν ἑκάστῳ.

D μετὰ δὲ ἐγένετο δύο, καὶ οὐ πολὺς χρόνος, ἐξ οὗ καὶ τρίτον ἤρξατό τισιν ἐς ἐπίγνωσιν ἐκ παθῶν, ἢ ἀρετῆς προστίθεσθαι. Quare ſi naturam ſpectes, quam tum ego in origine horum vocabulorum tradenda ſpectavi, prænomen ſecundum eſt; ſi uſum, primum; quod tu pro tuo acumine non intellexiſti. Quod quæris, cur agnominis mentionem fecerim, intelligere facile potes, eam cauſſam eſſe, quòd tum apud omnes grammaticos, tum apud Ciceronem in libro de inventione, & juriſconſultos, rationem ejus haberi comperio; me tamen idem agnomen cum cognomine exiſtimaſſe, declaravi in primo capite de cognominibus, ubi hæc verba ſunt: Qui vero agnomen aliud eſſe à cogno-

E mine tradiderunt, ii mihi ſatis, quod ſentiunt, non probant; & reliqua, quibus veterum grammaticorum opinionem oppugnavi; ita ut, ſi eorum probanda fuerit ratio, non neglexerim, ſi refutanda, non approbarim. Et tamen tu cum hoc legeris, ſæpius eo me nomine reprehendis, oblitus ſcilicet te agnominis vocem non ſolum retinuiſſe, ſed etiam pro nomine gentilicio contra omnium præcepta uſurpaſſe. Sic enim in extremo libro ais, potuiſſe te agnomen tollere, ſed vulgatam rationem ſequi, & agnominis appellationem retinere maluiſſe, & omnia commode interpretatum eſſe. Nam capite etiam XXI. ejuſ-

ejuſdem libri incredibile eſt, ut ſumma animi A
æquitate in me invehatur. Pauſaniam de tribus, & pluribus Romanorum nominibus in Atticis auctorem cito, id ille quaſi magnum aliquod crimen, in Achaicis, non in Atticis eſſe, exclamat, locumque illum ante me à Giraldo eſſe notatum, cum ego anno MDL. meum, ille ſuum librum MDLIII. ediderit; quæ ſi levia dictu videntur, gravitati adverſarii mei, qui me hæc cogit dicere, aſcribantur. Poſt autem ubi criminatus eſt, ſe oſtenſurum nihil à me dictum eſſe, quod à ſe non dictum ſit prius, repetit me agnominis rationem habuiſſe, cum tamen illud, proprio, ut dixi, capite, auctore maxime Cicerone, exterminaverim, quamvis in conſtituendis nominibus, verbis ipſis grammaticorum uſurpatis, B
ejus meminerim; & mihi, quia vocem eam barbatam non eſſe dixi, propè bellum indicit; neque admirabilem ipſe in ea re Ciceronis, Juſtiniani, & grammaticorum veterum, quos in ceteris rebus omnibus admiramur, conſenſum reformidat, nec ſe eam uſque ad extremum in alia, quam antiqui uſurparint, ſignificatione, retinuiſſe meminit. Atque ita, ſi hæc capita ejus legas, magnum aliquid dicere primo aſpectu eum velle exiſtimabis, ſi ſummam argumentorum ſubducas, nihil ab eo dici invenias, niſi hæc: Finem facio perſequendi errata primæ editionis Sigonii. Item: Sane condono ipſi libenter reliqua. Item: C
Multa ridicula, & puerilia ſunt, quæ dicit Sigonius. Item: In recitandis veterum auctorum ſcriptis lectorem decipit Sigonius. Item: Pauſaniæ locum ante Sigonium protulerat Giraldus. Item: Nihil omninò protulit Sigonius, quod non ab aliis ante eſſet dictum. Item: Errat Sigonius, quòd agnomen adjunxit. Item: Et tamen mea oratione non eſt deterritus Sigonius, tam nullo eſt judicio præditus in literis. Item: Cur non percipis Sigoni tandem id, quod verum eſt? ne te ipſum & alios ſimul, qui te audiunt, aut tua ſcripta legunt, decipias aut deridendum præbeas. Hæc de me contemptim; de ſe autem glorioſe, primum illud: Reliqua Sigonio condono; deinde: Enumerat Livius omnes, qui D
de nominibus Romanorum ſcripſerunt, me quoque non prætermittit, qui multo ante ſcripſeram. Item: Sententiam meam totidem pene verbis protulit poſt me Lilius Giraldus. Item: Dii boni quantum ego laboravi in evellenda hac opinione, & quantum grammaticos exagitavi hac de cauſſa. Item: Et tamen non eſt deterritus Sigonius; quid plura? Si unus hic eſſet, quem Jupiter in deorum concilium advocaſſet, Minerva omnes artes edocuiſſet, non is, qui tempus futurum pro præterito ſumpſiſſet, qui toties jam Livium, Pædianum, Quintilianum, Ciceronem, bonos omnes è medio tollendos ſine ratione curaſſet, qui nullam venuſtatem orationis, ſummus auctor E
rhetoricæ præſentiret, non tam elatè de ſe, de aliis tam ſummiſſe, de tota re tam parum ad veritatem apte & diceret, & ſentiret. Phalarim ipſum eo ſupercilio locutum in illa ſua tyrannide Siciliæ, quo hunc in hac literarum repub. maledixiſſe exiſtimamus? non certe. Hæc autem vera eſſe, argumentis, non contumeliis, à quibus mihi abſtinendum eſſe duxi, confirmabo.

Nepotis cognomen unde.

PLutarchus in vita Marii ait, ſe non reperire in veterum monimentis tertium nomen, quamvis nonnulli appellarint Nepos; quod non probatur ſatis; videretur enim prodigus vocatus.) Reprehendit eos, qui neglecta Plutarchi auctoritate, C. Marium Nepotem appellarint; quia ſi Nepos dictus eſſet, prodigus fuiſſe videretur; quod non procedit; neque enim, ut alias dixi, omnes, qui Nepotis cognomen tulerunt, à luxuria dicti ſunt. Etenim Pædianus Q. Metellum, qui coſ. cum T. Didio fuit, Nepotem dictum ſignificat, quaſi Metelli Macedonici nepotem; quamvis filium hujus, qui cum P. Lentulo coſ. fuit, ex eo, quod prodigus eſſet, dictum innuat.

Ut Livius reprehenſus ſit.

LIvius ſæpe duo tantum profert nomina.) Hic locus attendendus eſt, vel quia notam habet, quaſi cenſoriam, in Livium, vel quia ipſe ſecum paulo poſt diſcrepabit.

Quid gens & familia ſit.

COgnomen hi videntur ſtatuere in familia, ut ſit Tullius, Cornelius.) Gentem debuit dicere; eſt enim gens Tulliorum, Corneliorum, Juliorum; familia autem pars eſt gentis; ut multis exemplis docui in libro de nominibus; quas voces etiam ſi aliquando oratores confundunt, tamen ab eo, qui artem tradit, proprie ſunt uſurpandæ; hanc autem rem cum ſcripſit, non novit; nunc ſcit, ubi Sigonii commentarium legit.

Cognomen etiam nomini præpoſitum.

PRimum conſequeretur, nomen eſſe poſtpoſitum cognomini, quod eſt valde abſurdum.) Quanquam verum eſt, Tullium non eſſe cognomen, tamen incommodum, quod ex ea opinione ait conſequi, prope nullum eſt; nam, ut paulo poſt oſtendam, Latini nomina etiam aliquando cognominibus poſtpoſuerunt; ut Macer Licinius, Curſor Papirius, Paullus Æmilius, Criſpus Saluſtius, Vetus Antiſtius, apud Livium, & Ciceronem.

Agnomina unde ducta.

DEinde falſiſſimum eſt, quod illi aſſerere videntur, agnomen extrinſecus dici, aut ex animo, aut ex corpore, aut ex fortuna; ut Superbus, Pius, Craſſus.) Si illi, ut ait, agnomen Africanum vocant in P. Cornelio Scipione Africano, ergo agnomen quartum nomen appellant, quod hic falſiſſime ab animo, corpore, fortuna duci ait, & decipitur; nam Catus ab animo eſt, & tamen quarto loco eſt, in Sex. Ælio Peto Cato; & Verrucoſus à corpore eſt, & tamen quarto loco uſurpatur in Q. Fabio Maximo Verrucoſſo, & Dives à fortuna eſt, & tamen quartum locum obtinet in P. Licinio Craſſo Divite; ergo ſi agnomina quarta nomina ille appellat, verum eſt, agnomina ex animo, corpore, & fortuna duci. Adde, quod exempla, quæ affert, tertiorum nominum ſunt, non quartorum, ut Superbus L. Tarquinii, Craſſus P. Li-

Licinii, Pulcher Ap. Claudii. Pius tantum eſt quarti, quod etiam ab animo ductum ſatis conſtat in Q. Cæcilio Metello Pio; prætermiſit etiam exemplum agnominis à fortuna ſumpti; ô præclarum antiquitatis doctorem, unde Sigonius, unde omnes omnia mutuati ſunt.

Agnomen ab agnatione dictum, refutatum; & agnatos non idem eſſe, atque gentiles.

AGnomen familiæ eſt appellatio, & gentis, unde agnati, & gentiles dicebantur, qui ex eadem erant familia, ut Cicero in Topicis ait; & idem in Bruto Ser. Tullium regem gentilem ſuum ea de cauſſa nominat.) Dii boni, quam paucis in verbis quot doctrinæ, & diligentiæ monimenta! Iterum conſtituere videtur, agnomen eſſe gentis, cum proprie, familiæ, dicendum fuerit. Deinde agnomen ab agnatis ortum ſignificat; nec videt, quod dixi, primum unum extitiſſe nomen gentilicium, poſt alterum, quod quia præponeretur, Prænomen eſſe appellatum; tertium, quia cum nomine proferretur, cognomen, quaſi connomen; quartum, quia cognomini adderetur, agnomen, quaſi annomen eſſe vocatum; ut enim narum, navum, natum, noſco, componentes dixerunt ignarum, ignavum, cognatum, cognoſco, teſte Victorino, ſic nomen, cognomen, & agnomen; non agnomen ab agnaſcendo, aut ab agnatione; quo nihil eſt in tota grammaticæ ratione perverſius. Tertio loco ait, agnatos, & gentiles ex eadem fuiſſe familia; nec attendit, inter agnatos, & gentiles id intereſſe, quod inter familiam, & gentem intereſt, ut docui in libro de nominibus; neque hic repetendum eſt quicquam; agnati autem ſunt ejuſdem familiæ, gentiles ejuſdem gentis. Poſtremo ait, Ciceronem in Topicis ſcribere, agnatos, & gentiles ex eadem eſſe familia, quod non ſcribit; inquit enim: Gentiles, qui inter ſe eodem nomine ſunt, id eſt, ex eadem gente; familiæ autem, aut agnatorum non meminit; exempli cauſſa, Tullii omnes ejuſdem ſunt gentis, unde dixit, Ser. Tullium regem gentilem ſuum, quia ambo erant ex gente Tullia; at non erant agnati, neque ex eadem familia; unde in Bruto ait, multos uſurpaſſe alienam familiam, cum eſſent ejudem nominis, & gentis, ut ſi, inquit, me à M'. Tullio patricio eſſe dicerem, qui conſul fuit cum Sulpicio; & in eodem Bruto: Tuus gentilis Brute M. Pennus. Nam & Pennus, & Brutus ex eadem gente, & nomine; ambo enim Junii, ſed ex diverſis familiis; nam alter ex Juniis Brutis, alter ex Juniis Pennis. Quod autem ait, Ciceronem in Bruto Ser. Tullium gentilem ſuum appellare, non eſt ita; id enim ſcribit in Tuſculanis; hoc autem ubique facit Robortellus, ut vera auctorum loca nunquam citet: tam perdita memoria eſt.

Nominis exemplum allatum, refutatum.

DE nomine non eſt magnopere neceſſe, ut ullam afferamus probationem. Satis enim notum eſt. Horatius libro primo epiſtolarum. Mercemur ſervum, qui dictet nomina.) Satis hic locus docet, ut res obſcuras videat, qui perſpicuas non perſpiciat; inquit enim, ſatis notum eſſe, Nominis vocabulum uſurpa-

A tum à Latinis, & affert exemplum, quod ad eam rem, quam quærimus, non pertinet; nunc enim quærimus nomen id, quod gentilicium eſt, quod diſtinguitur à prænomine, & cognomine; exemplum autem hoc ſignificat genus quoddam totum; dicimus enim nomina R. multa fuiſſe, prænomen, nomen, cognomen, unde dixit Horatius, ſi honori inſervire volumus, emamus nomenclatorem, qui dictet nomina civium, non gentilicia tantum, ut Julius, & Tullius, ſed omnia, ut hic eſt C. Julius Cæſar, hic eſt M. Tullius Cicero; gaudebant enim nobiles prænomine, ut dixit Horatius: Gaudent prænomine molles Auriculæ; & cognominibus, quibus ple- B runque virtus eorum, aut majorum ſuorum declarabatur; multo autem commodius futurum erat exemplum Catulli: Non decet tam vetus ſine liberis Nomen eſſe; intelligit enim, gentem Manliam, nam tum Manlium Torquatum laudabat; & in Piſonem: Qui te nunquam viderant, tamen honorem illum nomini mandabant tuo; id eſt, Calpurniæ genti.

IN CAPUT XXII. XXIII.

Prænomen, & nomen ut idem ſit, & diverſum; & contraria opinio reprehenſa.

C QUod prænomen, & nomen idem eſſe dixi, ne quis putet novum eſſe, legat Plutarchum in Coriolano, ubi ait: Et ſic tertium nomen eſt adeptus, cum illi ante tantum eſſet proprium nomen Cajus, & alterum familiæ, aut commune gentis Marcius; verba græca ſunt hæc.) Primum dico, prænomen, & nomen non eſſe idem, niſi nomen pro genere accipias; deinde Plutarchum non id dicere, quod hic ait. Satis enim conſtat, grammaticos veteres Soſipatrum, Donatum, Priſcianum, Diomedem, quatuor genera Romanorum nominum conſtituiſſe, prænomen, nomen, cognomen, & agnomen; & Ciceronem dixiſſe: Qui vetere pronomine, D novo nomine T. erit Cæcilius, & cetera, quæ à me alio loco collecta ſunt; quibus gentilicium nomen diverſum eſſe à prænomine confirmatur. Plutarchus præterea prænomen vocat proprium nomen Cajum, gentilicium vero, quod familiæ, & gentis eſt commune, Marcium. Sic enim hæc ejus verba vertenda ſunt: Ex hoc tertium nomen invenit Coriolanum; ex quo perſpicuum eſt etiam maxime, quòd ex nominibus proprium fuit Cajus, ſecundum familiæ, aut gentis commune, Marcius. Hoc eodem modo cum à me alias eſſet admonitus, ægre tulit; & reſpondit cap. XXII. libri primi his verbis: Ego hæc ſcripſeram ante in mea diſputatione, cum eſſet E mihi in animo grammaticorum illam falſam opinionem refellere, qui ſtatuerunt prænomen, nomen, cognomen, agnomen; & dixeram vel debere nos tollere de medio hanc vocem (quòd inuſitata eſſet,) agnomen, aut ſi retinere vellemus, ſatius eſſe familiæ nomen per eam ſignificare, quia agnati dicuntur, & agnatio; unde deducta videri poſſit hæc vox agnomen; atque ut inveherem hanc ſententiam protuli exempla; præterea, ut id commode fieri poſſet, ſtatui prænomen, & nomen, quæ ſeparata ante à grammaticis proferebantur, unum & idem ſignificare poſſe; „ ut Publius, „ & Cajus prænomina dicerentur, & nomi-

„ na ; atque ne id videretur abſurdum teſti„ monio Græcorum comprobabam . His autem verbis nihil aliud efficit, niſi ut dum ſe è laqueo vult extricare, eo magis ſe implicet. Repetit enim, agnomen eſſe familiæ, agnomen ab agnatione dictum, prænomen & nomen gentilicium idem ſignificare, idque Plutarchum velle; quæ omnia quam ſint vera, paulo ante oſtendi. Neque vero negari poteſt, quin prænomen ſit Nomen, ſi nomen pro genere ſumas, at ſi pro ſpecie, id eſt, pro gentilicio nomine, ut ille ſumpſit, & à Plutarcho ſumi voluit, nihil minus. Cum ergo nihil contra me, niſi erroris ſui declarationem afferat, nec Plutarchum id velle, quod dixit, confirmet, tum vero, ut vere dicere videatur, artificioſe fidenter in me ita ſubſequitur: „ Nunc Sigonius me reprehen„ dit, quia nullo judicio præditus eſt in literis „ nec ſatis attendere videtur, quid alii, qua„ ve ratione ſcribant. De hoc non agitur hoc tempore Robortelle, an Sigonius ſit judicio præditus, illud agitur, ut prænomen, & nomen gentilicium idem eſſe, idque ex verbis Plutarchi confirmes; quod non probas, & alteri maledicis; quam modeſte omnes, quam vere, tu ipſe videris. Cum autem ipſe ſe defendere non poſſit, eandem in me culpam quaſi rabidus retorquere conatur; accepit enim hæc omnia præcepta ab oratoribus, quorum perſtudioſus eſt; & inquit: „ Ipſe Sigonius in ſuis ſcholiis ait, nomen, & „ prænomen confundi, & prænomen nomen „ dici interdum, immæo & ipſum cognomen „ his verbis: Nomen autem & prænomini congruit, & cognomini. Nec videt me ſumpſiſſe nomen pro genere, id eſt, pro vocabulo nominandi; quomodo fit, ut prænomen, & cognomen nomina ſint; non autem, ut ille exiſtimavit, ut prænomen, & cognomen nomina gentilicia ſint. Itaque in epitome cum ſcriptum eſſet, Ne cui de gente Manlia Marco cognomen eſſet, putavi emendandum Marco nomen; eſt enim Marci prænomen nomen, ſi pro genere ſumas, non cognomen, niſi eo abutaris. Addit deinde, poſſe intelligi ex Dionyſio, & Plutarcho Prænomen, & Nomen idem eſſe, quia Dionyſius prænomina nomina communia vocat, Plutarchus nomina propria nec attendit, non iccirco, quia prænomina, & nomina communia, vel propria idem ſunt, effici ut prænomina, & nomina idem ſint, niſi eo modo, quo dixi, ſi Nomen, ut genus accipias. Poſtremo omiſſa hac quæſtione, quam ſe expedire non videt poſſe, robuſtum, ut ſolet, telum in me jacit, ut ſi ſibi cadendum ſit, ſecum ſaltem concidam; & ait: Sed idem Sigonius pueriliter loquitur, cnm ait: Quod ſi quis hos fortaſſe, ut leves auctores, repudiaverit, nunc animum referat ad ea, quæ ſcripta ſunt apud Dionyſium, Plutarchum, Ciceronem, & Svetonium, à quibus hæc opinio confirmatur. Pollicetur ſe teſtimoniis illorum probaturum, rem ita ſe habere. Audi ò Sigoni, proba, ſi potes, horum teſtimonio agnomen ita proferri, ut grammatici ſentiunt. Neque intelligit, me nolle confirmare horum ſcriptorum auctoritate Agnomen, cujus ipſi non meminerunt, & quod ego, cum de cognominibus agerem, damnaturus eram, ſed prænomen, nomen, & cognomen, de quibus ipſi diſerte loquuntur. Nam ſi agnomen mihi probandum ſumpſiſſem, cur locum Ciceronis, & Victorini, & Juſtiniani prætermiſiſſem? quæ mihi ignota fuiſſe non poteſt dicere, cum ipſe magiſter meus eorum meminerit. Quod volui ergo, probavi, quod non probavi, ne probandum mihi quidem ſuſcepi. Ille autem toto hoc capite nihil, niſi maledictorum in me aculeos emiſit, quæſtionis explicationem nullam ſenſit. Cumque hæc uno capite complecti poſſet, tamen ille, ut errata dilataret, duo fecit, neque eandem eſſe materiam animadvertit. Dat ergo vitio, quòd cum ſcriptum eſſet libro III. apud Livium: Quidam Cæſonem, alii Cognomen Quintio adjiciunt, non emendaverim, ut multi, Quidam Cæſonem, alii Cajum cognomen. Sed C. nomen, levi in vetere ſcriptura mutatione facta, id eſt, o in punctum verſo, itemque iterum, quòd in epitoma, pro Marco cognomen, Marco nomen co-ſyllaba inſcite repetita ſublata, repoſuerim: apponit autem locum Valerii, in quo de Servio Tullio rege ait: Statuæ ipſius titulus teſtatur ſervili cognomine, quaſi vero ab eo Servius, quod prænomen in Tullio fuit, cognomen dicatur; nec intelligit, omnia nomina, unde aliquis diſtingui poſſit, cognomina abuſive poſſe vocari; ut enim cognomen, ſic prænomen diſtinguendi vim habet; quod ergo primum cognomen alteri inditum eſt, id non alia de cauſa inditum eſt, niſi ut cum prænomen ſatis non eſſet, quo ab aliis internoſceretur, tertio illo diſtingueretur; cum ergo cauſſa ſit eadem, certe vox cognominis poteſt prænomini etiam, quatenus ad diſtinguendum partum eſt, accommodari; quæ tamen in appellando intet ſe ex ordine diſtincta videre poſſumus; ſed de hac re poſt etiam apertius.

Tribus nominibus ſenatores, duobus plebejos uſos eſſe, refutatum.

TRibus nominibus ſenatores fuiſſe appellatos olim obſervavi; equites autem, & plebejos majori ex parte duobus. Livius ubi de tribunis militaribus loquitur, hos plebejos nominat, ſic: C. Sextilius, M. Albinus, P. Titinius, L. Antiſtius.) Quæ portenta dii boni! Primum ordines ipſos cognominibns fuiſſe diſtinctos, nemo unquam docuit; ordines autem hic intelligit, cùm ait, ſenatores, equites, & plebejos; quanquam haud fere fieri ſolet, ut cum de tertio ordine agitur, plebejus dicatur, ſed de plebe, & plebs; quod mirificus iſte antiquitatis obſervator non vidit. At quomodo probat, ordines cognominibus fuiſſe diſtinctos? Livius, inquit, ubi plebejos tribunos militares nominat, hos nominat, C. Sextilium, M. Albinum; dico ex hoc argumento nihil effici, quia fortaſſe Livius eorum cognomina conſulto omiſit, quibus affecti illi viri erant; quod ne ipſum quidem negaturum opinor, cum ita ſupra ſcripſerit: Livius ſæpe duo profert nomina; neque caret reprehenſione, quia hiſtorici eſt omnia explicare. Neque illud etiam procedit: Plebeji erant, ergo ex equeſtri ordine, vel de plebe. Nam cum Livius eos fuiſſe plebejos ait, gentem ſignificar, non ordinem; gentium autem duo genera, patricium, & plebejum, ordinum tria, ſenatores, equites, plebs; in omnibus autem ordinibus erant & patricii, & plebeji. Ille autem hæc confundit; qui ab ordinibus ad gentes tranſit; neque quid inter eos interſit, perſpicit; cum jus patriciorum à regibus, & populo daretur,

ordo

A ordo ex cenſu, & lectione cenſoria acquireretur. Quare ſi ſenatores ſoli tribus nominibus appellarentur, hoc incommodum conſequeretur, ut ſi quis antequam in ſenatum lectus eſſet, cognomine caruiſſet, tum ex cenſoria in ſenatum lectione cognomen adipiſceretur; quod falſum eſt. Nam & C. Æ. Pætus, & M. Licinius Craſſus, & M. Porcius Cato, etiam antequam ſenatores eſſent, tribus nominibus utebantur. Quod ſi ille dicat, ſe intelligere, non qui ex familiis plebejis eſſent, cognomine caruiſſe, ejus exempla ipſum redarguent. Nam Ælii Pæti, & Licinii Craſſi, & Porcii Catones plebeji fuerunt; & tamen B tribus nominibus uſi ſunt; quid dicam de C. Mænio, Ti. Coruncanio, C. Duilio, Q. Cædicio, M'. Manilio, L. Opimio, T. Didio, Mariis, Antoniis, qui omnes plebeji fuerunt, quoſque, cum conſulares omnes, multi cenſorii, aliqui etiam triumphales fuerint, ſenatores quoque fuiſſe veriſimile eſt, & tamen duobus tantum nominibus uſos videmus. Illud autem hunc noſtrum fortaſſe decepit, quod nobilium magis fuerunt cognomina, quam ignobilium; quoniam autem nobilitas ante patriciorum fuit, quam plebejorum, propterea cognomina etiam ante in patriciis audita, & frequentata ſunt, quam in plebejis; erant enim patricii tum notiores, quod ipſi ſoli rempublicam adminiſtrabant, & cognoC minibus diſtinguendi erant. Cum hæc ego, atque alia multa hujus opinionis refutandæ cauſſa alias ſcripſiſſem, ille tamen nihil reſpondit, & ſe à puero ſenem tam acriter caſtigari paſſus eſt; ſed ad contumelias confugit, quibus nihil potuit facere indignius. Ex ejus autem ſilentio hæc, quæ dixi, veriſſima eſſe omnes intelligere poſſunt.

Decimum D. litera ſignificatum.

UNa litera, ut Decimus, non Decius, ut multi inepte proferunt.) Hac de re ego ita: Quoniam multos eſſe animadverti, qui D. Decium interpretarentur, notum quiD dem errorem, ſed errorem tamen tollere volui; & reliqua quibus errorem confuto. Robortellus Cap. xxxiii. libri primi objicit mihi, quòd hoc à ſe ſumpſerim, & quòd ſe auctorem cum præfatione honoris, ut debui, non fecerim; quaſi vero cum dixi: Notum quidem errorem, eum ab alio ante me indicatum, non ſignificaverim; ex hoc autem uno loco omnia me ſua ſcripta compilaſſe ait; quod an verum ſit, efficiam, ut ipſe aliquando intelligat, cum quam multis in rebus ab eo diſſentiam, ſenſerit.

Tiberium non T. litera ſignificari, ſed Ti.

E T Id eſt Titus; ut T. Ampius; quamvis in T. Sempronio Graccho Tiberium ſignificet, in quo multi errant.) Alio loco docui errare ipſum, qui T. Tiberium ſignificare dicat. Tiberium enim duabus literis Ti. demonſtrari; idque etiam Plutarchi teſtimonio; quod ille videre non potuit; quam ad rem nihil eruditus homo reſpondit.

Appius an ſemper prænomen.

APpius ſemper prænomen.) At Corradus lapidem antiquum citat in Bruto, ex quo apparet, Appium ibi eſſe nomen gentilitium; ut etiam Numerium in lapide Veneto; Cn. Numerius.

IN CAPUT XXX.

Prænomina aliquot integra eſſe ſcripta.

REperio aliquando prænomina ex integris dictionibus, ut Agrippa Menenius. Licinius Menenius.) Hinc factum eſt, ut objecerit mihi cap. xxx. quòd docuerim, una, duabus, & tribus literis prænomina ſcripta eſſe, pluribus autem omiſerim; idque injuſte; nam cum dixi, vel una, vel duabus, vel tribus, id ex auctoritate veterum Grammaticorum, & Plutarchi feci, qui, ut pluribus literis ſcriberentur, non docuerunt; non omiſi tamen Agrippam, Vibum, Hoſtum, Voleronem, Voluſum, Poſtumum in veteribus lapidibus, aut omnibus literis eſſe notata; ut ſi veterum auctoritatem ſpectaremus, nihil ad ea, quæ illi ſcripſiſſent, adderem; ſi uſum, obſervationem meam non prætermitterem.

IN CAPUT XXXI. XXXII. XXXIII.

An Licinius, Actius, & Nevius prænomina fuerint.

LIcinius Menenus Lanatus.) Ego etiam in meo commentario ante, Licinium prænomen eſſe ſcripſeram, quia bis in eodem viro uſurpari à Livio videbam; poſt autem cum Livium emendaturus, Diodori græcos libros evolverem, atque Lucium Menenium pro Licinio invenirem, neque id aliter eſſe poſſe ob eas, quas attuli in ſcholiis Livianis, rationes ſentirem, mutavi ſententiam, & Robortellum, ut mutaret, admonui. Ille autem, ne quidquam à me didiciſſe videatur, in priſtina permanet; & ait capite xxxi. libri primi, ſe probaſſe ea, quæ aliquando prænomina fuerunt, poſt fuiſſe nomina, ut Menenius Licinius; in quo facit ridicule; affert enim ad probandum id, de quo controverſia eſt. Capite autem xxxiii. objicit, quòd idem & ego antea ſcripſerim. Suum autem Diodorum non λεύκιον habere, ſed λικίνιον ait; neque, ut apud Livium, Licinius Menenius legi debeat, defendit; quid plura? cum ego jampridem illum admonuerim, nihil ipſum dixiſſe de Manio, Numerio, Cæſone, Mamerco, Volerone, aliiſque innumerabilibus prænominibus, & notis eorum, quæ ex tenebris vetuſtatis à me omnia eruta ſunt, ea vero tantum docuiſſe, quæ omnibus nota erant: non fuiſſe reſpondet ſibi propoſitum omnia perſequi, ſed tantum regulas generales proferre ad dignoſcenda veterum Romanorum nomina; cum tamen videatur contra profiteri in epiſtola, cum ait: « Etſi tam multa in eo genere mihi collegiſſe « videor, ut cum nihil, quod à ceteris dictum « ſit, prætermiſerim, multa etiam addiderim, quæ ab ipſis fuerant prætermiſſa; his enim verbis ſe omnia, quæ ſciat, complexum ſignificat; ex quo intelligere poſſumus, quæ præterita ab eo ſunt, ea in ejus cognitionem non cecidiſſe. Deinde addit in me converſus: Uter « noſtrum prudentius egit Sigoni. Ego ne repe« terem, quæ ab aliis ante dicta fuerunt, ita « ſcripſi, tu quæ ab aliis, & in primis à me « fuerunt ex græcis auctoribus prolata, omnia « repetis, & profers, quaſi à te primum inven« ta. Cui ego: Immo vero, uter prudentius egit no-

noſtrûm Robortelle, tu, qui nihil prætermiſiſſe te dicis, ex iis quæ à ceteris dicta ſunt, an ego, qui nihil à te ſumpſi, niſi quòd errantem te multis in locis refutavi; an vero hoc credibile eſt, maximum meum volumen de nominibus ex tuo duarum pagellarum libello compilatum eſſe? quid autem ſumere potui, ſi omnia jam inde ab initio improbavi? an credis, quæ ſumpſiſſem, eadem eſſe refutaturum? an etiam illa omnia, quæ innumerabilia ſunt, à te relicta, ex intimis magni pectoris tui penetralibus hauſi? Vide in hoc genere, in quo te valere plurimum putas, ut frigeas; neque enim quicquam me à te ſumpſiſſe, niſi D. Decimum, non Decium ſignificare proferre potuiſti, de quo ſatis ſupra dictum eſt. Dixeram Actium prænomen eſſe Sabinum, & id quidem auctore Valerio, unde Actius Clauſus, nunc quærit, capite xxxi., cur non ſit item in Tullo Attio; quaſi vero Tullus Attius Sabinus ſit, & non Volſcorum rex. Dixeram in Actio Nævio, videri legendum eſſe Attium Næum; primum quia Dionyſius νίβιον vocat nomen commune, Attium vero gentilitium; commune autem nomen pro prænomine à Dionyſio uſurpari, deinde quia ſuſpicabar Nævium eſſe mendoſe pro Næum. Latinos enim Næum pro Cnæo uſurpaſſe, Valerio, & ceteris grammaticis atteſtantibus. Itaque alio loco Livium mendoſe Manlium Nævium pro Manlio Cnæo dixiſſe; atque hæc multis verbis in ſcholiis Livianis libro primo docueram. Quid ad hæc Robortellus? ubi contumeliarum haſtas jecit, manum conſerturus clypeum ſolitum opponit, emendationem divinatione innixam; νέβιον inquit, non νίβιον legendum eſt; & addit græcos ſine diſcrimine uti β, & ν, ut λαβίκαν, & λανίκαν: quod præceptum cum tritum, tum à re propoſita alienum eſt. Concludit autem, Navium eſſe prænomen, eadem ratione, qua ego ſive Nevium, ſive Næum eſſe concluſeram. Itaque toto capite cum multa dicere videatur, nihil tamen dicit; quære enim cur Navius ſit prænomen; ex eo capite (eſt autem xxxi. primi libri) nihil elicies aliud, niſi, quia ita legi debet apud Dionyſium. At ſequenti capite primum inquit, me non legiſſe Feſtum, poſt ait, animadvertiſſe ſe, me legiſſe Feſtum; quid ait Feſtus? Ficus Navia ab Attio Na-io augure; quaſi vero in eo nomine uſurpando non alios ſecutus Feſtus eſſe auctores potuerit, quam Dionyſium. Tandem me dimiſſo in Valerium quaſi victor incurrit, qui Cnæum ſcripſerit dictum eò, quòd in corporibus genitus ſit; & irridet eum; quam falſe, non attinet dicere; quaſi vero, inquit, in mantica, aut in crumena, aut ciſta aliqua alii gignantur, & Cnæi tantum in corporibus. Suſcipiamus ergo nos cauſſam Valerii, ut ei, à quo multa didicimus, gratiam aliquam referamus, & colligamus Valerium, non quidem ex ingenio, ut ſolet Robortellus, ſed ex manuſcriptis libris, quos habemus; inquit enim Cnæum dictum eſſe ob inſigne nævi, idque prænomen Cnæum, Gnæum, & Næum varie eſſe appellatum; à nævo autem, qui in corporibus gigni ſolet, Gnæum nominatum. Qua lectione conſtituta, nullus jam jocis Robortellianis relinquitur locus; hinc etiam apparet, cur Græci γναῖον ſcribant, inmirum, quòd diphthongo etiam Latini, ut prænominis originem declararent, in eo uterentur. Si ergo Næus, & Gnæus idem ſunt, quid mali feci, cum Dionyſii νίβιον pro Næo mendoſe poſitum eſſe ſcripſi? Si Feſti auctoritas non repudianda fuit, quid præterii, cum ex Feſti loco dubitari de tota re poſſe ſignificavi?

IN CAPUT XXIV. & XXVII.

Fauſtum, & Fauſtam prænomina eſſe.

HOc autem loco videtur etiam reſpondendum eſſe de Fauſto, de quo ita ſæpe ipſe jam egit, ut per annos jam ſeptem nihil aliud audiſſe mihi videar; ita nullum ille locum, nullum tempus prætermiſit, quo non mihi Fauſtum iſtum objecerit; nullum amicum, nullum familiarem præteriit, quibus cum de Fauſto meo non egerit; ut aliquando veritus ſim, ne inſignem aliquam injuriam, ac contumeliam à Fauſto aliquo, unde lacrymæ iſtæ manarent, acceperit; nam naturali odio cur in Fauſtum boni ominis vocabulum ſit incenſus, non video. Scripſi Fauſtum prænomen eſſe, auctore Valerio, qui ait, ubi de origine aliorum prænominum diſſerit: Fauſtus à favore dictus; objicit Robortellus, Valerii locum eſſe vitioſum; & ſi rectus ſit, Valerium tamen, ut levem auctorem, eſſe cum ſuo Fauſto repudiandum; ego vero cum vitii nihil diſpicio, tum Valerii auctoritatem Robortellianæ longe antepono; quod ſi mecum ille agere hoc modo perrexerit, ut ſupra, cum de Plinii auctoritate diſputavi, ſic non ineptis ipſum fortaſſe interrogationis aculeis excitabo, & Valerio etiam ſine alio teſte credendum eſſe probabo; quid enim? His crebris ejus permotus vocibus ne non amico obſequi roganti potius, quam admonenti velle viderer, rationem aliquando inivi, qua aliquo modo ei ſatisfacerem. Fauſtum igitur non omnino excluſi è numero prænominum, qui enim id facere per Valerium poteram? ſed inter peregrina prænomina retuli, & ſocium Voluſi feci, quem Sabinum eſſe prænomen, & inde Romam translatum acceperam. Fauſtulus enim etiam ante Romam conditam Albanus paſtor celebratur; non fuit hoc contentus Robortellus, omnino Fauſtum è finibus Latinorum à me cupit expelli, & ei aqua, & igni interdici; non faciam Robortelle, ut rogatu cujuſquam antiquum prænomen ejiciam; non patitur Valerius, non patiuntur monimenta vetera, quorum unum, quod nunc ad manum eſt, recitabo; in libro veterum epigrammatum Jucundi Veronenſis, cujus ſupra memini, eſt tale epitaphium:

Interamnis.

PROVIDENTIA TI. CÆSARIS AVGVSTI NATI AD
ÆTERNITATEM ROMANI NOMINIS SVBLATO
HOSTE PERNICIOSISSIMO P. R. FAVSTVS
TITIVS LIBERALIS VI VIR ITER. P. S. F. C.

Ex quo epigrammate apparet, Fauſtum prænomen eſſe Tiberii tempore; ſin autem Tiberii, certe etiam Auguſti, cujus tempore Fauſtæ cujuſdam ex plebe feminæ meminit quoque Plinius lib. VII. Objicit præterea, quòd Fauſtum in Cornelio Syllæ Dictatoris filio prænomen eſſe dixerim in prima editione prænominum, idque, quia in ſecunda ſublatum videt, tanto vehementius, quanto ipſum meo magis quaſi repulſum judicio ſentit, reprehendit; quæ ſunt iſtæ pectoris tui anguſtiæ Robortelle, ut per te nihil vel trima obſervatione excogitare, quod adverſario tuo objicias, poſſis, niſi quæ ille in ſuis ſcriptis mutarit, & quaſi condemnarit, notes atque accuſes? deinde cur facis, contra quam pollicitus es? nonne enim dixeras, te cum ludorum ſecularium errores, quibus te turpiſſime implicuiſti, expoſuiſſes, reliqua te mihi omnia primæ editionis errata condonaturum? cur ergo nunc de Fauſto Cornelio, quo jam aures obſurduerunt meæ? cur hac re vexare τὸν σιγῶντα pergis? cur non jam tandem finem hoc nomine mihi maledicendi facis? Si fuit erratum, non eſt à te exagitandum, poſteaquam ſuſtuli; ſi non fuit, multo minus; erratum? inquit Robortellus, immo fœdiſſimum portentum; in quo portentum Robortelle ſuaviſſime? dixi in filio Syllæ dictatoris Fauſtum eſſe prænomen; hoc eſt portentum? audi Plutarchum in Sylla. Ex Metella geminos, inquit, peperit, marem, & feminam, atque illum Fauſtum, hanc Fauſtam nominavit. Cum filio ſuo Sylla Fauſti nomen impoſuit, an tum cognomen impoſuit, an prænomen? primum quando alias à parentibus filiis cognomina indita eſſe probabis? deinde quid erat neceſſe, ut cognomine Fauſti filium ornaret, cum Felicis cognomen patrium, quod idem ſignificabat, uſurpare poſſet? an ut diceretur Cornelius Sylla Fauſtus Felix? non certe. Sed ut diceretur Fauſtus Cornelius Sylla Felix; an vero poſt ita mortuo patre vocatus ab omnibus ſit, non quæro; de conſilio patris nunc diſputo. Ille enim, cum in florenti fortuna conſtitutus geminos peperiſſet, nova familiæ prænomina, ut in nova dominatione, & extraordinaria potentia ſibi uſurpanda duxit, Fauſtum, & Fauſtam; hac re poſita, cum Aſconius dicat in orat. pro Scauro, Fauſtus Cornelius Syllæ filius, & pro Milone, Fauſtus Sylla, an repugnare tibi Plutarcho, aut negare, quominus Fauſtus in eo prænomen ſit, videtur? Dices, hæc non modo tractaſti in eo libello; an neſcis me multis in rebus, ut tritis σιγῆν; cur ea igitur ſuſtuliſti, inquis; non ſunt omnia neque hoc loco, neque tibi mea conſilia aperienda, cum tua ſuſtulero, tum rationem reddam, in meis non eſſe neceſſe puto. Nam quod repetis de fragmento Capitolino; cum ſyllabæ illæ & à Marliano, & à te conjunctæ editæ ſint, tolerabiliorem meam tum fuiſſe conjecturam exiſtimo, quam tuam; ego enim prænomen repoſui, tu cognomen; memini enim, cum tu Venetiis eundem ſupplendorum faſtorum laborem, quem ego, te ſuſcepiſſe, ſed poſt meum editum deſtitiſſe, diceres, ut mihi hujus tuæ liberalitatis fidem faceres, librum oſtendiſſe, in quo fragmenta ſupplere inſtitueras, atque illo in loco non Fauſti, ſed Ambuſti, conjunctione item ſyllabarum illarum deceptum, repoſuiſſe, meque tum tibi iſtum errorem, narrata tibi de disjungendis illis ſyllabis conjectura, eri-

A puiſſe, quam ad me ab eruditiſſimo homine Antonio Auguſtino multo ante Romā delatam eſſe locupletiſſimus teſtis eſt Ludovicus Caſtelvetrus, vir integerrimus, idemque, ut ais, amicus tuus. Quare quid eſt, quod amplius hoc fragmento in me lacerando te frangas; in quo ſi fuit error, niſi ipſo inſpecto lapide, intelligere difficile fuit, te vero bis eodem, vel cum ita edendum curaſti, vel cum Ambuſti repoſuiſti, implicare, turpiſſimum fuit. Si autem conjectura adhibenda fuit, quam à me acceperas, in ea te tam ſæpe, & tam glorioſe jactare, cupidi hominis fuit. Semper hoc agis Robortelle, ut aut ea, quæ non ſcripſi, aut non eo modo, quo ſcripſi, B objicias, aut operariorum errata, aut Manutianos aſteriſcos mihi vitio vertas, aut quæ meo damnavi judicio, damnes; de quibus tamen omnibus tibi ſatis eſſe reſponſum puto; niſi forte me contumeliis etiam reſpondere velis, quibus crebrius, & inſolentius uteris, quam tua gravitate, & prudentia dignum eſt. Qua quidem in re ego Sigonii mores imitabor, tu Robortelli.

IN CAPUT XVIII. & XXV.

Quando prænomina imponerentur, diſputatum.

VEre dicam, nullum ſuſcepi in hac diſputatione laborem graviorem, quam ut C ordinem aliquem his quæſtionibus darem. Etenim Robortellus, ut ſemper alias, diſſolutæ ſcopæ; nihil ordinatim, ſaltuatim omnia; quod debet uno capite, id duobus, tribus, pluribuſve complectitur; à re digreditur; quod propoſuit, non probat; aliena confirmat; verba multa, nihil nervorum, contumeliæ plurimum. Itaque ſummo ſtudio extrahendum eſt ex tanta quaſi verborum colluvione, quid ille velit; quid probet; argumenta ordinanda, in capita digerenda ſunt, digreſſiones omittendæ, contumeliæ, ut ab irato homine, contemnendæ. Atque hæc cauſſa fuit, cur ego tot capita in hunc locum redegerim, atque D eis hoc demum loco reſponderim. Sed de meo conſilio ſatis; nunc ad rem. Cum de prænominibus imponendis diſputarem, dixi magnam eſſe inter veteres hac de re controverſiam. Valerium enim à Plutarcho, & Feſto diſſentire. Is enim ex Scævolæ ſententia ait, pueris, cum togam virilem ſumerent, puellis, cum nuberent, imponi prænomina conſueviſſe, reliquos vero pueris, nono die, puellis, octavo nomina impoſita tradere. Hoc igitur ille ſtatim arripuit, quod roderet, & nullam diſſenſionem eſſe ait. Nam Valerium loqui de prænominibus, Plutarchum, & Feſtum de nominibus, id eſt, de gentiliciis nominibus; cur autem ita ſit, nihil affert capite E XVIII. tantum ſummæ acclamationis loco, quaſi re ſatis ſuo teſtimonio graviſſimo confirmata concludit, ita: „ Quis jam ferre poſſit „ tantam Sigonii inſcitiam, qui omnia ſuis nu„ gis confundit; at vero capite XXV. affert verba Valerii, qui inquit: Publii, qui prius pupilli facti erant, quam prænomina haberent, & inquit his verbis exiſtimaſſe Valerium Romanos habere prænomina tunc cœpiſſe, cum virilem togam ſumerent; inde uſque ad extremum nihil aliud, niſi acerbæ in Sigonium contumeliæ. Nunc nos quantum hanc ejus expoſitionem urgeat incommodum, videamus. Prænomina, inquit, maribus, cum virilem to-

togam ſumerent; feminis cum nuberent, imponebantur; gentilicia nomina illis octavo, his nono. Primum doce Robortelle, cum Plutarchus inquit, ὀνόματα τίθενται, de gentiliciis intelligere, ego enim tibi tum probabo, cum ea græci exprimere volunt, οἱ συγγενεῖς, & τῆς οἰκίας, & τὸ γένους ὄνομα appellare; atque eoſdem pro prænomine & cognomine nomen uſurpaſſe. Quo fit, ut ego apud Plutarchum, & Feſtum nomina pro prænominibus accipiam; deinde oſtende aliqua veſtigia hujus conſuetudinis, quòd gentilicia nomina liberis impoſita ſint; neque afferas illud tuum: „ Puto fuiſſe conſuetudinem, ne ignoraretur, „ quis è qua ortus eſſet familia, ut luſtrico die „ infantibus nomina imponerentur; Imponeban„ tur autem eadem, quæ & patrum erant, hoc „ eſt gentilicia. Sed aut auctoritate veteris alicujus ſcriptoris, aut aliquo exemplo id proba; neque enim hanc ego conſuetudinem invenio, eamque ne eſſe quidem potuiſſe dico; quid enim erat neceſſe pueris imponere nomen gentilicium, quod etiam repugnante patre ferebant? & quod ubi primum nati erant, dummodo certo eſſent patre, habebant? & quod ne patris quidem arbitrio mutari poterat? exempli gratia, ſuſcepit filium M. Tullius Cicero, cur vis puero illi à patre Tullii nomen imponi, quod eſt commune totius Tulliæ gentis, & eorum omnium, qui ex Tulliis nati ſunt; quid enim ſignificat Tullius, aut Julius aliud, niſi qui in gente Tullia, aut Julia natus eſt? Si ergo gentilicia non imponebantur, profecto cum Plutarchus, & Feſtus nomina imponi dixerunt, prænomina, quæ in poteſtate patrum erant, quæ potiſſimum filiis imponerentur, intellexerunt. Teſtis eſt Feſtus, cum inquit, Numerium Otacilium Maleventanum Q. Fabio filiam collocaſſe, ea conditione, ut qui primus natus eſſet puer Numerii prænomine ornaretur; teſtis eſt Plutarchus, cum Romulum Primam, Syllam, Fauſtum, & Fauſtam liberis ſuis nomina impoſuiſſe prodidit. Teſtis eſt Livius, qui cautum ait, ne quis è gente Manlia Marci prænomine uteretur; teſtis eſt Svetonius, qui, Lucium à Claudiis repudiatum, Cnæum, & Lucium à Domitiis Ahenobarbis tantum probatos in Tiberio, & Nerone ſcriptum reliquit; nunquid ſimile de gentiliciis? quæ ut non adimi, ſic ne imponi quidem potuerunt. Nam qui in alteram gentem adoptione tranſierunt, ſuam tamen non amiſerunt, ſed ſe exempli gratia & Octavianos, & Æmilianos, & Servilianos, cum ex Octavia, Æmilia, & Servilia exiſſent gente, vocarunt. Quis unquam inventus eſt Cornelius, qui filium ſuum Cæcilium, cum gentilicium imponere vellet nomen, impoſuerit? Fauſtum quidem, quod ſui arbitrii erat, Cornelius Sylla impoſuit, non Tullium, aut Julium. Si ergo gentilicia nomina impoſita fuiſſe non probas, ego vero prænomina impoſita fuiſſe, gentilicia imponi neceſſe non fuiſſe probavi, ſatis patet, Plutarchum, & Feſtum cum nomina dixerunt, prænomina intellexiſſe, atque adhuc controverſiam illam, quam ego intuli, manere; eamque aut temporibus, ut dixi, aut prænominibus diſtinguendis diſſolvendam eſſe. Verba enim Valerii ſunt hæc: Pueris non prius quam togam virilem ſumerent, puellis non antequam nuberent, prænomina imponi moris fuiſſe, Q. Scævola auctor eſt; neque vero quo tempore, aut quæ prænomina imponi moris fuerit, exprimit; ut ſint, qui ſuſpicentur recte ne, an ſecus, non definio, Scævolam juriſconſultum de prænomine Cajo, & Caja, quo & viri, & mulieres maxime nubentes utebantur, intellexiſſe: unde vulgatum illud: Ubi tu Cajus, ego Caja, Feſto, & Cicerone teſtibus. Nam quod opponis Valerium dixiſſe, Publios fuiſſe dictos, qui prius pupili facti erant, quam prænomina haberent, quid meam cauſſam lædat, non video; nonne enim dixi, ex Valerii ſententia prænomina maribus cum togam ſumerent eſſe impoſita; dixi quomodo ergo illud tu hoc Publicorum præcepto oppugnas? cum idem atque ego, dicas. Incredibile eſt, qui tua ſcripta parum attente legat, ut te primo aſpectu multa ut magna quædam dicere judicet, ubi intentius rem ſpectare inſtituat, ut nihil eſſe quod dixeris, inveniat; ut hoc loco negaſti cap. XVIII. controverſiam eſſe inter hos ſcriptores, cap. autem XXV. id probaſti, verbis Valerii de pupillis allatis, quæ meam non modo non oppugnant, ſed etiam propugnant ſententiam; deinde in contumeliis reliqua; diſce igitur aliquando Robortelle, vel argumentari robuſtius, vel loqui modeſtius, vel auctorum verba conſiderare acutius; ordinem diſce, quo nihil eſt in omni arte præſtantius; nam hic rumor percrebuit, te quidem multa devoraſſe, verum pauca concoxiſſe.

An omnia nomina gentilicia in JUS deſinant.

SCiendum vero, omnia nomina, quibus familiæ ſignificantur, proferri in JUS.) Primum, gentis, non familiæ, fuit dicendum; deinde non omnia in JUS terminata eſſe, ego alio loco oſtendi.

Expoſitio loci Ciceronis exploſa.

IDeo conqueritur Cicero libro epiſtolarum ad Atticum quinto, cum eſſet in Cilicia procoſ. & expugnaſſet oppidum Pindeniſſum, non eſſe aptum ad cognomen parandum.) Quid alio loco de hac interpretatione judicarim, nunc exponam. Nam hic noſter ſenſum germanum Ciceronis non videtur aſſecutus. Neque enim Cicero queritur Pindeniſſum non eſſe aptum ad cognomen parandum, ſed ad gloriam ex ejus expugnatione propter oppidi obſcuritatem parandam. Sic enim ait: Saturnalibus mane ſe mihi, Pindeniſſæ dediderunt, qui malum, iſti Pindeniſſæ? qui ſunt, inquies; nomen audivi nunquam; quid ego faciam? non potui Ciliciam, Ætoliam, aut Macedoniam reddere; quibus verbis de obſcuritate, ut dixi, oppidi queritur, non de cognomine inepto; neque enim quiſquam unquam imperator Romanus, aut Cilix, aut Ætolus eſt ex victoria nominatus, ut iis in cognomine invidere poſſet, verum aliquot ex iis provinciis clariſſimos triumphos egerunt. Hoc idem ſentit etiam Cicero, cum ſcribit ad Cœlium: Expugnabam oppidum Pindeniſſum tantis opibus, tantoque negocio, ut mihi ad ſummam gloriam nihil deſit, niſi nomen oppidi; id eſt quod obſcuriſſimo nomine cum ſit, ne mea quidem ſatis glorioſa eſſe victoria, & expugnatio poſſit, qualis eorum fuit, qui Ciliciam, Ætoliam, & Macedoniam ſubegerunt. Nam quod ait Robortellus, ineptum ad cognomen eſſe, non video cur non Cicero Pindeniſſa facile dici potuiſſet, ut

quon-

quondam Valerius Meſſala à Meſſana victa, ſi ſplendidum oppidi nomen fuiſſet. Atque hoc modo ante à me admonitus, nihil tamen eloquentiſſimus, & peritiſſimus homo reſpondit, ſeque à puero ſenem coargui hoc modo permiſit, & contumelias pro defenſione oppoſuit, quo nullum robuſtius telum eſſe Robortellus exiſtimat.

An Vopiſcus cognomen fuerit.

VItio corporis, ut Vopiſcus, Panſa.) Vopiſcus ante fuit prænomen, veteribus grammaticis auctoribus, & quidem Juliorum; cognomen autem fuiſſe republica ſtante probandum eſt.

Unde Cæſaris cognomen ductum ſit; & de numiſmatis cujuſdam Cæſaris interpretatione.

ILlud non prætermittam, Cæſarem non ab utero cæſo dictum, quod multis video placere, ſed quòd ait Servius, & Spartianus, ab elephanto primum cæſo; nam lingua Punica Cæſar elephas dicebatur. Quare in quibuſdam argenteis nummis apud me videre eſt, ab altera parte elephantem cum hac inſcriptione, CÆSAR; ab altera autem inſtrumenta, quibus elephantos Romani perimebant.)





Numum illum, cujus ipſe meminit, ego accurate effingendum curavi, ut omnes homines ejus induſtriam in Romana antiquitate illuſtranda cognoſcerent; ſunt enim ejuſmodi numi multi cum apud alios, tum apud clariſſimum, & humaniſſimum virum Andream Lauredanum patricium Venetum; quanquam quæ ille ad hunc numum interpretandum attulit, ea à multis hujus artis peritis reprehendi ſæpe animadverti, qui quæ ille inſtrumenta elephantorum interimendorum eſſe tradidit, ea pontificia, ac religionis potius inſignia eſſe contenderent, albogalerum, vel tutulum, ſeceſpitam, aſperſorium, & vas ſacrificale. Albogalerum enim ita deſcribit Feſtus: Albogalerus à galea nominatus eſt; eſt enim pileum capitis, quo diales flamines, id eſt ſacerdotes Jovis utebantur: fiebat enim ex hoſtia alba Jovi cæſa, cui affigebatur apex virga oleagina. Tutulum autem ita: Tutulum vocari ajunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & extructum in altitudinem. Ennius: Libaque fictores, argeos, & tutulatos. Itaque Varro lib. de lingua Lat. exponens hunc eundem Ennii verſum, ait: Tutulati dicti ii, qui in ſacris capitibus habere ſolent, ut metam; id tutulus appellatur ab eo, quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent, uti velatos, dicunt tutulos; ſive ab eo, quod tuendi cauſſa capilli fiebant; ſive ab eo, quod altiſſimum in urbe eſt, quod eſt arx, ea res tutiſſima tutulus vocatur. De ſeceſpita ſic Feſtus: Seceſpitam alii ſecurim, alii dolabram æneam, alii cultellum putant. Item: Seceſpita cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo, rotundo, ſolido, juncto ad capulum auro, argentoque, fixum clavis æneis ære Cyprio, quo flamines, flaminicæ virgines, pontificeſque ad ſacrificia utebantur; dicta autem eſt ſeceſpita à ſecando. Aſperſorium quidam vocant, quo aquam luſtralem aſpergebant; unde Virgilius:

Ter pura ſocios circuntulit unda
Spargens rore levi- Et alibi.
-corpuſque recenti
Spargit aqua-

Vas ſacrificale eſt vel capedo, vel ſimpuvium. De capedine Cicero in Paradoxis. Quid autem Numa Pompilius? minus ne gratas diis immortalibus capedines, ac fictiles urnulas, quam filicatas aliorum pateras fuiſſe arbitramur? & libr. III. de nat. Docebo meliora me didiciſſe de colendis diis immortalibus jure pontificio, & more majorum, quàm capedunculis, quas Numa nobis reliquit. De Simpulo Feſtus: Simpulum vas parvum non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur, à ſumendo dictum, Varrone auctore, ut fortaſſe à capiendo capedo dicta eſt; & Juvenal. Satyra VI. Aut quis Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum; & Plin. lib. XXXV. In ſacris quidem etiam inter has opes non murrhinis, criſtalliniſve, ſed fictilib. prolibatur ſimpullis. His igitur rationibus adducti multi inſtrumenta hæc, quibus elephantes interficerentur, eſſe negant, pontificalia autem (ut dixi) inſignia eſſe aſſerunt, quæ divo Julio Cæſari conſecrato, & in deos relato tributa ſint ab Auguſto, qui in patris Pont. Max. mortui honorem hunc nummum percuſſerit. Itaque ab altera parte eſſe elephantem, conſecrationis ſymbolum. Unde Svetonius in Claudio ſcripſerit: Claudius aviæ Liviæ divinos honores, & Circenſi pompa currum elephantorum Auguſteo ſimilem decernendum curavit; eadem etiam de cauſſa anguem elephanti ipſi eſſe ſubjectum, qui, auctore Plutarcho in Cleomene, heroibus ſacer eſſet. Unde Virgilius in V. de angue ad tumulum Anchiſæ mortui dixerit:

Incertus genium ne loci, famulum ne parentis;

cum apotheoſim ejus ſignificare vellet, ut ait Servius. Sed ſive hæc, ſive alia ſunt, profecto nihil hic nummus ad eum qui primum elephantem occidit, neque ad ipſa demum elephantorum interimendorum inſtrumenta pertinet, quod amicus meus ingenioſe confinxit: præſertim vero cum fabrile ſcalprum cum malleo ad ejuſmodi belluas interimendas adhibitum ſit, auctore Livio. Spero tamen, cum hæc ille audiverit, eum pro ſumma, & re-

recondita multarum rerum, qua præditus eſt, cognitione, quod antea omiſit, veterum ſcriptorum auctoritate hæc inſtrumenta eſſe ad interimendos elephantos idonea oſtenſurum, atque hunc nummum diligentius, quam adhuc fecit, interpretaturum. His verbis cum ego olim hanc hujus interpretationem oppugnaſſem, reſpondit, ſe nummum hunc domi habere; meque nummum alium, quàm quem ipſe habeat, attuliſſe, Hunc autem nummum, quem ille habet, ſi modo habet, nemo quod ſciam, vidit. Itaque liberum ſit unicuique, eam, quam velit, fidem ei habere,

Mulieres R. alio aliquando, quàm Cajæ prænomine eſſe uſas, confirmatum. Plutarchi, Varronis, Valerii loci alii à fœdiſſimis emendationibus defenſi, alii declarati. An cognominibus feminæ uſæ ſint; repugnantium opiniones refutatæ.

MUlieres à nomine gentis vocabantur, & uno tamen nomine, ut Porcia, Cornelia, Julia, Tullia; in epiſtolis tamen Cœlii ad Ciceronem epiſtola VIII. legere eſt Paulam Valeriam, & alibi eandem à Cicerone Polam vocatam, ſicuti Tertullam à Plutarcho, quod diligenter conſiderandum eſt. Plutarchus in problematis, ubi quærit, cur maribus nono, feminis octavo die nomina imponerentur, ait: Mulieres uno, aut duobus appellabantur nominibus; ego duobus appellari nunquam obſervavi, ni fortaſſe prænomen illud ſignificare voluit Plutarchus, quod eſt omnibus mulieribus commune, ut dicerentur Cajæ.) His verbis ille, ut patet, ſine ulla dubitatione affirmat, mulieres nullo unquam alio nomine, niſi gentilicio eſſe uſas. Plutarchi vero locum de duabus feminarum nominibus, ad prænomen Cajæ, quo omnes feminæ uterentur, refert. Hæc ego cum legiſſem, cumque ea multis modis, ut falſa, labefactari poſſe ſentirem, in meo de nominibus Romanorum commentario ſcripſi: Mulieres alio aliquando, quam gentilicio nomine, & Cajæ prænomine fuiſſe appellatas; nam etiam feminis Luciam, Publiam, Numeriam, Titam, Maniam, Poſtumam, Proclam, Primam, Secundam, Tertiam, Quartam, & Quinctam prænomina fuiſſe, idque Valerio, Feſto, Varroni, Plutarcho, Livio, Ciceroni, lapidibus aliquot etiam veteribus aſſentientibus, placuiſſe competiebam. Quibus ex rebus omnibus concluſi, arbitrari me illud ſatis intelligi, Mulieres Romanas præter Cajam alio aliquando prænomine eſſe uſas; quibus verbis illud ſignificavi, me præceptionem illam hujus hominis non probare; qui ſine ulla exceptione mulieres uno tantum nomine gentilicio, & uno tantum prænomine Cajæ ornarat; cur autem ALIQUANTO addiderim, ea cauſſa fuit, quòd perpetua, atque omnium ne mulierum prænomina fuiſſent, ſatis conſtitutum non habebam, & maxime tota de hac ratione addubitabam. Atque hoc quidem cum aperte in eum ſcriberem, nullo tamen aſperiore verbo uſus ſum, ut omnes intelligerent, me rem ſolum, quam ille pro certa attuliſſet, cum ſe mulieres uno tantum, duobus nunquam appellari nominibus obſervaſſe profeſſus erat, in dubium revocare, nec tamen definire. Nunc ille, cum mea legerit, ſeque juſte à me admonitum ſenſerit, eandem quæſtionem retractavit. Ne autem videretur aliquid à me didiciſſe, magnam partem eorum argumentorum, quæ ego ad meam opinionem confirmandam comparaveram, ſibi convellenda ſuſcepit; & jam mulieres non uno tantum gentilicio nomine, & uno Cajæ prænomine afficit, ſed pro prænomine cognomen inducit; ut ſi mihi ſalſius reſpondendum putem, jocandi materia nulla in graviſſimum, & doctiſſimum hominum defutura ſit, qui quam ſemel de re ſuſcepit opinionem uſque ad extremum non tueatur, nec quod ſcriptis ſemel mandavit, id ratione defendere, cum oppugnetur, ſciat; ſed ut pavidus puer, ſtatim ad aliam ſententiam tanquam in arcem victus refugiat. Quoniam autem rei veritas falſis ejus obſcurata emendationibus, atque interpretationibus aperienda atque in lucem producenda eſt, non gravabor exponere, quibus olim ego rationibus mulieres alio aliquando, quam Cajæ prænomine, eſſe uſas concluſerim, deinde quibus ille fallaciis hæc argumenta oppugnet, qua à me arte defendantur, oſtendere; eſt enim admirabile, non idem nos ſentire, cum ambo ex iiſdem locis ad noſtram probandam opinionem argumenta ducamus. Prænomina igitur muliebria ſtatuit Valerius, apud quem ita ſcriptum eſt, capite de Prænominibus: Antiquarum mulierum frequenti in uſu prænomina fuerunt Rutilia, Cæſellia, Rodocilla, Murcula, Burra à colore dicta; iſta prænomina à virilibus tracta ſunt Caja, Lucia, Publia, Numeria (ſic enim pro Moërea in manuſcriptis multis, quos ipſe habeo, libris, invenio). Statuit item Feſtus, cum ſcribit: Prænominibus feminas uſas eſſe, teſtimonio ſunt Cæcilia, & Tarratia, quæ ambæ Cajæ ſolitæ ſint appellari; pari modo Lucia, & Tita. Statuit id, quod omnium plurimi facio, M. Varro in libris de lingua Latina, cum ait: In noſtris nominibus, qui ſumus in Latio, & liberi neceſſaria. Itaque ibi apparet analogia, ac dicitur Terentius vir, Terentia femina, Terentium genus; in prænominibus ideo non fit item, quòd hæc inſtituta ad uſum ſingularia, quibus diſcernerentur nomina gentilicia, ut à numero Prima, Secunda, Tertia, Quarta, in viris ut Quinctus, Sextus, Decimus. Sic ab aliis rebus cum eſſent duo Terentii, aut plures, diſcernendi cauſſa, ut aliquid ſingulare haberent, notabant, forſitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is Manius eſſet, qui luci, Lucius, qui poſt patris mortem Poſtumus; è quibus quædam item accidiſſe feminis, proportione appellata declarant prænomina mulierum antiqua Mania, Lucia, Poſtuma; videmus enim Maniam matrem larum, & Luciam Volumniam Saliorum carminibus appellari. Poſtumam à multis poſt patris mortem etiam nunc appellari. Significat idem Plutarchus in quæſtionibus; qui ſcribit, mulieres duobus, mares tribus nominibus eſſe uſos, & in Mario, ubi Poſidonium videtur reprehendere, quòd argumento quodam ſuo mulieres proprio nomine ſpoliaret, cum idem mulieri nulli primum nomen, quod proprium eſſe ſtatuebat, imponeret; & in Romulo, qui Romulum ex Zenodoti ſententia filiam reliquiſſe ait, eamque ab ordine procreationis Primam appellaſſe. Sententiam vero, atque orationem horum auctorum confirmat uſus, qui ex veteribus lapidum, ac librorum monimentis colligitur. Nam & Salvia Prima, & Prima Valeria, & Cornelia Secunda, & Tertia

Æmi-

Æmilia, & Tertia Mucia, & Quarta Hoſti-
lia, & Livia Quarta, & Quinta Claudia, &
Quincta Nonia, & Nonia Quinctula, & L.
Peducea, & M'. Acilia paſſim, ut ſcripſi, le-
guntur. Quibus rebus effectum eſt, ut con-
cluſerim mulieres alio aliquando, quam Cajæ
prænomine eſſe uſas. Nunc immutata, ut di-
xi, ſententia, nihil Cajæ meminit, pro Caja
cognomina ſubdit. Rationes autem, quibus
ſuperiores prænominum auctoritates frangere,
cognomina vero confirmare conetur, audia-
mus. Primum ad Feſtum, & Valerium diſer-
te, & ſine ulla mendæ ſuſpicione muliebria
prænomina ſtatuentes, nihil dicit; contemnit
videlicet Feſtum; deſpicit Valerium, in iis
præſertim rebus, quæ adverſentur opinioni
ſuæ; atque hæc una egregia, & imitatione
digniſſima ratio reſponſionis eſt. Locum Var-
ronis, & locum Plutarchi, qui eſt in quæſtio-
nibus, mendoſum eſſe ait; atque ex ingenio
homo acutiſſimus, & corrigendi magiſter
emendat; alios locos à me non intellectos ex-
clamat. Sed de aliis poſt; nunc de Varrone;
qui loquitur de analogia generum, & inqnit:
in nominibus gentiliciis liberorum hominum,
qui ſunt in Latio, neceſſariam eſſe trium gene-
rum analogiam, atque ibi apparere. Sic dici
Terentium virum, Terentiam feminam, Te-
rentium genus; in prænominibus ideo non
fieri item, (id eſt, ut trium generum ſerve-
tur analogia,) quia hæc inſtituta ſunt ad
uſum ſingularia, quibus diſcernerentur nomi-
na gentilicia, ut à numero Prima, Secunda,
Tertia, Quarta, in viris ut Quinctus, Sextus,
Decimus; quibus verbis nonne perſpicuum
eſt, eum velle, prænomina non ſervare ana-
logiam, quam gentilicia nomina? nam in gen-
tiliciis uſurpari tria genera Terentium virum,
Terentiam feminam, Terentium genus; in
prænominibus non item; nam in feminis eſſe
prænomina Primam, Secundam, Tertiam,
Quartam, ut in viris Quinctum, Sextum, De-
cimum. Quid autem ait novus noſter hic Ari-
ſtarchus? non inducendum eſſe hunc locum,
ut ſpurium, ſed corrigendum, ut vitioſum.
Nam ubi legitur: In prænominibus ideo non
fit item, quòd hæc inſtituta ad uſum ſingula-
ria; reponendum eſſe: In prænominibus id
non fit. Item quot quot inſtituta ad uſum
ſingularia. Cur ita? ut ſenſum colligat opi-
nioni ſuæ defendendæ accommodatum; quem
tandem? in prænominibus id non fit. Item
quot quot inſtituta ad uſum ſingularium, qui-
bus diſcernerentur nomina gentilicia; (ea
vero cognomina interpretatur) non ſervant
analogiam trium generum; quia dicitur Pri-
ma, Secunda, Tertia, Quarta cognomen in
feminis, Quinctus, Sextus, Decimus præno-
men in viris. Macte virtute Robortelle, qui
tam belle libros Latinorum emendas, ut nul-
lum ſenſum relinquas, omnem antiquitatem
tollas, ut feminas antiquis prænominibus ſpo-
lies, novis cognominibus ornes; cum tamen
ipſe negare non poſſis Varronem ſcripſiſſe
Maniam, Luciam, Poſtumam antiqua earum
fuiſſe prænomina. Sic enim ais: „ Sed de
„ Varronis opinione qnid ſentiam, alias co-
„ pioſius declarabo. Nunc redeo ad Sigo-
„ nium, qui teſtimonio Varronis confirmare
„ conatur, feminas R. prænominibus uti con-
„ ſueviſſe; ego præter illa Luciam, Poſtu-
„ mam, & Maniam nihil elici video ex Var-
„ rone poſſe, quæ tamen vetuſtate obliterata
„ eſſe ait. Ego vero tibi reſpondeo Robor-

A telle, ex verbis Varronis integris, neque te-
mere, atque ad tuum arbitrium depravatis
nihil aliud elici poſſe. Quod ſi Lucia, Mania,
Poſtuma antiqua prænomina earum fuerunt,
ſatis argumento eſt, mulieres R. ut ſcripſi,
alio aliquando, quam Cajæ prænomine eſſe
uſas, contra quam tu bonus interpres anti-
quitatis tradideras; & ſi vis me lectionem
Antonii Auguſtini viri longe alio, quam tu,
judicio præditi, cujus liber poſt meum de
nominibus commentarium in lucem prodiit,
eſſe ſequutum, ſim ſequutus, dummodo hoc
conſtet, locum illum à te neque intellectum
eſſe, & ſine cauſa corruptum. Irridet ergo
Valerium Robortellus, pro nihilo habet Fe-
B ſtum, diſtorquet Varronem; non eſt ſatis.
Plutarchum etiam ſibi dilacerandum ſumpſit;
qui ita in quæſtionibus inquit: χρῶνται δὲ
δυσὶν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄῤῥενες,
id eſt, utuntur duobus nominibus feminæ,
tribus mares; quæritis quomodo? Cum inter-
pretem legiſſet, (neque enim græca ab eo
ſatis intelligi res ipſa loquitur) qui vertit te-
mere, utuntur uno, aut duobus nominibus
mulieres, atque cum de eo à me amice fuiſſet
admonitus, reſpondet: „ Alias ego in meo li-
„ bello ſcripſi, uno, aut duobus mulieres uti
„ nominibus, ſequutus Plutarchi teſtimo-
„ nium; nam bene emendati codices habent,
„ ἑνὶ δὲ χρῶνται, ἢ δυσὶν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι: at-
C „ que ſic etiam vertit olim Petrus Lucenſis vir
„ doctus, qni ante centum annos fere Lucæ
„ vixit, & profeſſus eſt. O præclarum emen-
datricis artis auctorem! Cur legit Robortel-
lus apud Plutarchum contra vulgatam ratio-
nem Uno, aut duobus? quia Petrus Lucenſis
ita vertit; quis eſt iſte Petrus Lucenſis? vir
doctus, qui centum propè ante annos Lucæ
vixit. O rem indignam; ille, cui Feſtus
inanis, inſulſus Valerius, ineptus Varro, ut
poſt oſtendam, videtur, tantum tribuit
Petro Lucenſi neſcio cui, quia centum
ante annos vixit, ut eum ſatis firmum
decretorum ſuorum propugnaculum putet?
at bene emendati codices, inquit, ita ha-
D bent; qui Robortelle? ubi ſunt? vide
ne ſexcentos domi te habere dicas, ut de Li-
vianis dixiſti. Sed nulli ſunt certe; neque
enim in tanta re eorum mentionem præcipuam
omiſiſſes. Sed de correctione ſatis; nunc de
ſententia. Sic enim ait: „ Statuit Sigonius
„ feminas Ro. uti duobus nominibus, præno-
„ mine ſcilicet & nomine, ut ſi dicas M'. Aci-
„ liam; ego hoc falſum eſſe aſſero; nam ſi
„ duobus utuntur, non de prænomine id vo-
„ luit intelligi Plutarchus, & nomine; ſed
„ de nomine, & cognomine hæc emendatio-
„ num lib. II. Cap. X. at hoc in libro ita:
„ Plutarchus in Problematis inquit: Mulieres
„ uno, aut duobus appellabantur nominibus,
E „ ego duobus appellari nunquam obſervavi,
„ niſi forte prænomen illud ſignificare voluit
„ Plutarchus, quod eſt omnibus mulieribus
„ commune, ut dicerentur Cajæ. Quis eſt,
qni non videat, ipſum his verbis ſecum diſ-
ſentire, cum idem ſe ſemper ſenſiſſe videri ve-
lit? nemo niſi idem ipſe, qui ſcripſit, qui ne
ſe quidem jampridem deſipere intelligit. Si
mulieres Romanas Robortelle duobus nun-
quam appellari nominibus obſervaſti, cur nunc
Plutarchum nomen, & cognomen intellexiſſe
ſcripſiſti? Si autem duo Plutarchi nomina
ad gentilicium, & ad Cajam referebas, cur
eadem nunc ad gentilicium, & cognomina

traduxiſti? NUNQUAM ſcripſiſti Robortelle, non RARO. Quæ eſt hæc ratio hominis non literati, ſed qui ſe literatum vult haberi, admonitum ſubito de ſententia dimoveri, atque huc & illuc vagari, & quæſtionis difficultate, tanquam ſæva tempeſtate jactatum, ad ineptiſſimam ſententiam, tanquam ad ſcopulum infeſtiſſimum detrudi? hanc ut teneat, omnes antiquos auctores correctionibus ſuis violare, interpretationibus inquinare, ſermone deludere? Nam quia Plutarchi locum alterum in Mario nactus eſt, eum poſſe ſenſum, quem cupit, habere, uſque eò profectus licentia eſt, ut etiam Varronem, quem ſibi aperte adverſari intellexit, Plutarcho poſtponendum eſſe dixerit; ſcilicet Robortelle in ratione nominum Roman. tradenda Plutarchus Varroni præferendus? an Græcus Romano, qui vigente vix imperio vixit, ei, qui cum florente repub. floruit? qui res Romanas audivit, ei qui interfuit? qui nominum ipſorum Romanorum ſero, ac ſenex, ut ipſe de ſe Plutarchus fatetur, rationem accepit, ei, qui eadem ipſa cum lacte hauſit, præponetur? Quid? non ne tu in hoc libro ſcripſiſti, Græcos perperam proferre nomina Romana, ut Plutarchum, qui Quadrantiam Clodiam pro Quadrantaria ſcripſit? Me miſerum. Tu M. Varro, qui Cicerone, graviſſimo teſte, auctore, ætatem patriæ, deſcriptiones temporum, qui ſacrorum jura, qui ſacerdotum, qui domeſticam, qui publicam diſciplinam, qui ſedium, regionum, locorum, qui omnium divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuiſti, in ejuſdem antiquitatis cognitione Plutarcho, quem cum laudare volumus, alterum apud Græcos Varronem dicimus, ab homine ſi non imperitiſſimo, at certe non eruditiſſimo poſtponeris? Sic enim ille de Varrone, quaſi de Manutio, aut Sigonio aliquo loquitur: Sed de Varronis opinione quid ſentiam, alias copioſius. Item: Cenſeo magis habendam eſſe fidem Plutarcho, quàm Varroni; quid autem tandem in Mario dixit iſte Plutarchus? mulieribus nullis, inquit ille, primum nomen imponi; quid ſi doceo, aliam eſſe poſſe loci ejus ſententiam, eam prope, quam ipſe Varronem, & Plutarchum ſummos viros concilians, ſum ſequutus? Quam ſententiam tu adeo exagitaſti, ut etiam auſus ſis affirmare, me, quia in eo loco interpretando à te diſſenſerim, græcarum literarum eſſe ignarum. Nam quod id gravium, ut tu vocas, hominum teſtimonio confirmatum, minus laboro, cum ego te omnium, qui vivunt, graviſſimum, jam ita levem reddiderim, ut nihil eſſe te mobilius videatur. Itaque cum maledicta tua acerbiſſima feram æquo animo, patiar gravis ejus etiam hominis, quicunque fuit, injuriam, quem unum ex omnibus maxime video eſſe maledicum, ac tibi propterea tam amicum, à me fortaſſe, quia veſtrum utriuſque diſſimilis ſum, alienum; verba igitur ſunt: ἐξ ὧν καὶ μάλιστα ποσειδώνιος ἐλέγχειν δοκεῖ τοὺς τὸ τρίτον ὄνομα ῥωμαίοις κύριον εἶναι νομίζοντας, οἷον τὸν κάμιλλον, καὶ τὸν μάρκελλον, καὶ τὸν κάτωνα; γίνεσθαι γὰρ ἀνωνύμους τοὺς ἀπὸ μόνων τῶν δυοῖν προσαγορευομένους. λανθάνει δὲ αὐτὸν, ὅτι αὐτῷ τῷ λόγῳ πάλιν ἀνωνύμους ποιεῖται τὰς γυναῖκας. οὐδεμιᾷ γὰρ γυναικὶ τίθεται τῶν ὀνομάτων τὸ πρῶτον, ὅπερ οἴεται κύριον ὄνομα ῥωμαίοις ὑπάρχειν ὁ ποσειδώνιος. Verba quæ faciunt quæſtionem ſunt hæc: οὐδεμιᾷ γὰρ γυναικὶ τίθεται τῶν ὀνομάτων τὸ πρῶτον. In his autem

A verbum eſt τίθεται, quod à te, ut etiam ab interprete, ſumitur in patiendi ſignificatione, à me in agendi; fit autem, ut ſi in patiendi ſignificatione accipiatur, ad Plutarchum referendum ſit, quam primum nomen nulli mulieri imponi ſcripſerit; ſi in agendi, ad Poſidonium, qui nulli mulieri primum nomen impoſuerit; ego vero poſteriorem interpretationem ſecutus ſum, ne à Varronis, & ceterorum Latinorum judicio Plutarchum diſſidentem facerem, atque adeo etiam à ſe ipſo, quem in quæſtionibus duobus nominibus affeciſſe mulieres prænomine, & nomine à te ante didiceram. Quid ergo ais? erraſſe me, neſcire græcas literas; cur tandem? quia in-

B terpretis ſententiam reliqui, novam aliam attuli; quid igitur? negas illum eſſe verbi τίθεσθαι uſum, quem dixi? ſi non poteſt eſſe, jure reprehenſus ſum, ſi poteſt, quid me græcarum literarum rudem hoc nomine arguis? quid erat negotii, interpretem legere, & ejus, ut tu facis, ſententiam ſequi, niſi me melioris fortaſſe ſententiæ novitas, & verbi frequentiſſimus uſus huc devocaſſet? At neſcis, inquis, græcas literas; cur inquam? quia τίθεσθαι imponitur, non imponit, eſt convertendum? Scilicet Robortelle tu ſolus in orbe literarum inveneris, qui ignores τίθεσθαι ὄνομα eſſe nomen imponere? tu de græcis unquam literis facies mentionem, cum hoc te neſcire confitearis?

C quid? nonne ita etiam locutus eſt Plutarchus tuus in quæſtionibus? διὰ τί τοῖς ἄῤῥεσιν ἐνναταίοις ὀνόματα τίθενται, id eſt, cur Romani maribus nono die nomina imponunt? cui voci tu patiendi ſignificationem tribuiſti cum ita vertis: Plutarchus in problematis, ubi quærit, cur maribus nono die nomina imponerentur; cum agendi tribuere debueris; primum, quia Petrus Lucenſis, is, qui centum ante annos vixit, ita vertit; neque enim hic tuus Petrus ſemper vult eſſe tuus, ſed aliquando etiam meus; deinde quia Attice ὀνόματα τίθεται, non τίθενται Plutarchus ſcripſiſſet; poſtremo, quod caput eſt, quia ſubaudiuntur Romani, ut in ceteris quæſtionibus, διὰ τί κοσμοῦσι τοὺς παῖδας; διὰ τί ἀπάτορας σπουρίους καλοῦσιν; quid? nonne

D aperte dixit in Poplicola; ἐτίθεντο δὲ παισὶν αὐτῶν πορκίους, καὶ καπραρίους ὀνόματα; id eſt imponebant nomina filiis Porcios, & Caprarios; & in Coriolano: καθάπερ ἕλληνες ἐτίθεντο πράξεως μὲν ἐπώνυμον τὸν σωτῆρα. Sed quid dico Plutarchum? nonne ſexcenties hoc genere dicendi uſus eſt Plato in Cratylo, hoc modo? pauca afferam ex principio, ut diſcas ea, quæ neſcis: τί βλέπων ὁ νομοθέτης τὰ ὀνόματα τίθεσθαι. Item: ὁ νομοθέτης ἐπίσταται καλῶς θέσθαι τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα. Item: δοκοῦσι μοι μάλιστα θέσθαι οἱ ἀμφὶ ὀρφέα τοῦτο τὸ ὄνομα. Item: κινδυνεύουσιν οἱ πρῶτοι τὰ ὀνόματα θέμενοι. Item: οἱ παλαιοὶ ἄνθρωποι οἱ θέμενοι τὰ ὀνόματα; quid quæris?

E tertio quoque verſu invenies τίθεσθαι ὄνομα pro nomen imponere, non imponi in eo dialogo. Si ergo ita Plato locutus eſt, ſi ita ſemper Plutarchus, ſi ſententia non modo non repugnat, ſed etiam te, ut ita vertas, invitat, cur non potui cum interprete diſſentire, cujus tu judicium ſequeris? an qui non facit, ut tu, græcas neſcit literas, an, qui, quod tu, omnium, ut tu, literarum eſt expers? ſed redeo ad quæſtionis initium. Si ergo Feſto, Valerio, Varrone diſerte loquentibus, Plutarchi vero obſcurius illo quidem, ſed ita tamen, ut facilius hanc, quam tuam ex verbis ejus ſententiam colligamus, ſi his, inquam, auctoribus

ribus feminas Rom. alio aliquando, quam Cajæ prænomine uſas eſſe ſcripſi, quid tibi venit in mentem Robortelle meam præceptionem tam acriter inſectari? Scilicet cæcus ambitionis te furor, & inſita maledicendi libido te attraxit; neque enim recte mea verba percepiſti, aut caſte meam ſententiam retuliſti; quod vel ex argumentatione tua intelligo, vel ex propoſitione, cum ais: Mulieres prænomine uſas vario, ſicuti viri, Sigonius oſtendere conatur. Ego ne Robortelle oſtendere conatus ſum, mulieres vario prænomine, ſicuti viros, eſſe uſas, cum dixi, ex verbis ſuperiorum auctorum ſatis intelligi, mulieres alio aliquando, quam Cajæ prænomine appellatas? an vero, ſi dixi ALIQUANDO, dixi ſemper, dixi, omnes mulieres, dixi omnibus virilibus prænominibus eſſe uſas? quid dixi? iis eſſe uſas, de quibus te repugnante ſcripſit Valerius, ſcripſit Feſtus, ſcripſit Varro, Prima, Secunda, Tertia, Quarta, & ceteris. Quis ergo huc te tantus furor adduxit, ut hoc nomine in me tanquam in Ulyſſem Ajax invaderes? an ut tanquam Polyphemus ab Ulyſſe excæcareris? credo. Etenim cum loci illius Plutarchi ſententiam, quam non videbas, tibi aperui, te non oculis, ſed propè vita ipſa privavi. Siquidem hoc uno errore Sigoniano ita delectaris, ut modeſtiſſime hoc modo ſcripſeris: „ Nunc Sigonius Plutarchum non intelligens, teſtimonio illius probare conatur, mulieres prænomen habuiſſe, cum nominatim dicat Plutarchus, ipſas prænomine caruiſſe. Satis mirari non poſſum, unde tanta inſcitia hominis. Credo ipſum jam jure caſtigatum à me toties, cautius poſthac calamum arrepturum, ut ſcribat, ne ab omnibus irrideatur. Oro te Robortelle, quis tu es, qui caſtigandum Sigonium ſuſcepiſti? Hoc eſt caſtigare Sigonium, ea literis, ac poſteritati mandare, quæ immortale futura ſint tuæ ſtupiditatis, atque inſcitiæ monumentum? oſtende Plutarchi verba ea ſententiam habere non poſſe, oſtende ſententiam illam ad ea, quæ ab ipſo alio loco de duobus nominibus ſcripta ſunt, accommodari non poſſe, tum te me caſtigaſſe gloriare; ſi hoc non potes facere, caſtigatum te confitere, & quidem cum fœdiſſime lapſus ſis, neque verbi ejus vim apud Plutarchum intellexeris. Cum ergo Primam auctore Varrone prænomen eſſe ſcirem, non dubitavi Plutarchi locum adjungere, qui Romulum ſcribit filiam reliquiſſe, quam ab ordine procreationis Primam appellarit; hoc eò pertinuit, ut rationem, quæ in virilibus prænominibus ſervata eſt, in mulieribus etiam retentam eſſe indicarem. Hoc autem reprehendit Robortellus reprehendendi magiſter magnus, his verbis: „ Errat primum Sigonius, qui dum Primam prænomen feminæ probare eſſe vult, nugas Zenodoti, quas nullus veterum probandas cenſuit, profert, tanquam Plutarchi graviſſimi auctoris teſtimonium; deinde, quia prænomen id ibi eſſe non apparet, cum nullum aliud ſubſequatur nomen gentilicium. Dic ſodes Robortelle, an Plutarchus Zenodoti exploſam fuiſſe ſententiam dicit, quia Romulum filiam Primam vocitaſſe tradiderit, an quia eum omnino liberos reliquiſſe ullos prodiderit? Si ergo illud non reprehendit Plutarchus, ne id quidem ego protuli; non enim filiam ne reliquerit Romulus diſputamus, ſed ex Plutarchi oratione, qua Zenodoti ſententiam recitat, hanc conſuetudinem colligimus, filias apud Romanos ab ordine procreationis appellatas. At non apparet, inquis, ex eo loco, an Prima ſit prænomen, quia non ſubſequitur nomen gentilicium. Audi Robortelle. Si Prima non eſt prænomen, quia non ſubſequitur nomen gentilicium, eadem ratione, ne eſt quidem, ut tu vis, cognomen, quia non præcedit nomen gentilicium; multo minus ipſa gentilicium eſt nomen. Si ergo Prima non eſt nomen, certe verbum, aut adverbium ſit neceſſe eſt; ò præclarum doctorem antiquitatis; filia Romuli caret nomine gentilicio; cur? quia pater eo caret; eſt enim Romulus ſpurius, & ſine gente; at hoc præceptionem meam non debet impedire; pater nomine non caret; eſt enim è gente Silvia, unde mater Rhea; at ne filia quidem, Prima Silvia. Confirmo præterea, quod à Varrone dictum fuit de Secunda, Tertia, Quarta prænominibus, multorum veterum lapidum, ut ſupra dixi, teſtimonio. In hæc ita Robortellus cap. XII. „ Quis riſum teneat hæc legens; ſub finem ſui libelli, me, opinor, imitatos ait Auguſti tempora non tranſire; oſtendat ſi poteſt illa marmora vigente repub. ita ſcripta fuiſſe. Quid? an tu Robortelle eos lapides poſt obitum Auguſti inciſos eſſe probabis? ſi non facias; cum lapidem invenerim, & quidem veterem, quo ea, quæ à ſummo doctore Varrone ſcripta ſunt, confirmantur, cur non utor eo, quanquam de tempore ambigo? cum repugnat lapis reipub. temporibus, tum mihi eſt in hac conſtituenda quæſtione abjiciendus, cum conſentit, non negligendus. Sed tu idem, qui te Auguſti tempora non pertranſire ſcribis, unde tua cognomina niſi ex noviſſimis lapidibus protuliſti? Sed vide, quam nolis quicquam, de tua, ſi poſſis, gloria excidere; me tui ais imitatione diſputationem meam Auguſti imperio concluſiſſe; cur tui potius, Robortelle, quam eorum, qui faſtos Capitolinos ſcripſerunt, in quos illum commentarium compoſui? nonne vides, faſtos meos, meamque omnem illam antiquitatis diſputationem ejus temporis finibus terminari? deſine credere Robortelle aut te tam excellentem, aut me tam ſtolidum eſſe, ut te imitari velim, in quo, ut leviſſime dicam, imperfecta omnia ſunt. Hoc cum teneatur manu, Secundam, Tertiam, & Quartam prænomina fuiſſe, tamen argumentaris deinceps cognomina eſſe, quia in lapidibus ipſis ſcriptum ſit hoc modo: Salvia C. F. Prima, cumque alterum lapidem habeas adverſarium, in quo ſit Prima Valeria Sp. F. non tamen Primam eſſe prænomen, ſed cognomen concludis; cur? quia conſequeretur, inquis, quod eſt maxime abſurdum, Primam modo prænomen eſſe, modo cognomen. Tu abſurdum putas Robortelle id quod virilibus de prænominibus, quorum ſanctior obſervatio fuit, à veteribus Valerio, & Priſciano traditum eſt? quid enim Agrippa, Voluſus, Mamercus, Proculus, Tullus, quæ Meneniorum, Valeriorum, Æmiliorum, Juliorumque prænomina fuerunt, nonne poſt in Viſpaniis, Valeriis, Æmiliis, Plautiis, Volcatiiſque cognomina celebrata ſunt? Hæc ſi tu aut per te obſervaſſes, aut à Valerio, & Priſciano cognoviſſes, ejuſmodi argumentatione uſus eſſes? quod enim tandem hoc incommodum eſt, in feminis (ſi modo cognomina earum ulla ſint) idem ſervari, atque in viris?

Con-

Concludis hunc locum: „ Nec eſt, quod te
„ torqueas Sigoni diu; nunquam enim pervin-
„ ces Quinctam, Quartam, prænomina eſſe.
Cui reſpondeo, malle me ipſum torquere;
quam, ut tu feciſti, Varronem; à quo tu nul-
lo unquam tormento elicies id, quod à Plu-
tarcho, me quidem adverſante, expreſſiſti,
ut tibi obſequatur, ac mulieribus ante præno-
men, nunc cognomina largiatur. Quod ſi
Quartam, & Quinctam prænomina eſſe non
pervincam, at Varronem, auctorem aliquan-
to, quàm te meliorem id voluiſſe pervincam;
at mulieres R. alio aliquando, quam Cajæ,
ut ſcripſi, prænomine vel te concedente per-
vincam; at te mutata ſententia gloriæ, & ina-
nis ambitionis cauſſa pulcherrimum quenque
auctorem dilacerare pervincam. Atque au-
ctoritatibus quidem hactenus pugnavimus, nunc
ratione quid præſtare poſſimus, videamus.
Quæ te res igitur impulit Robortelle, ut præ-
nomina mulieribus eriperes? an ut proprio eas
nomine ſpoliares? Siquidem ex tribus nomi-
nibus primum proprium fuiſſe apparet; neque
enim gentilicium proprium eſt, cum univer-
ſæ ejus nominis genti commune ſit, nec co-
gnomen, cum id familia plerunque univerſa
uſurpet; quòd ſi proprium id ei, qui primus
illud invenerit, aſſignabis, vide ne idem ille
antequam cognomen illud pepererit, nomen
proprium nullum habuiſſe videatur. Si ergo
nec ſecundum nomen, nec tertium in viris
proprium eſt, ergo primum; eadem eſt ratio
feminarum. Cur enim dices Juliam, aut Tul-
liam nomen eſſe proprium filiæ C. Julii Cæſa-
ris, aut M. Tullii Ciceronis, cum omnes,
quæ ex eis, aut fratribus eorum filiæ ſuſci-
piantur, eo nomine vel invito patre futuræ
ſint? Nam cognomen proprium eis eſſe non
poſſe, argumento eſt, quod ne multa quidem
cognomina mulieribus accommodari analogia
ipſa permittit; non enim ut dicitur Julius,
Julia, Tullius, Tullia, Calpurnius, Calpur-
nia, ſic Cæſar Cæſara, Cicero Cicera, Piſo
Piſa. Sint ergo prænomina propria ut viro-
rum, ſic mulierum nomina, non eadem illa
quidem, quæ virorum; neque enim tam eas,
quam viros diſtinguete opus fuit, quippe quæ
à rebus agendis, & maxime à repub. admini-
ſtranda remotæ ſint: ſed non tamen omnino
diverſa. Quoniam autem apta viſa eſt ad fi-
lias internoſcendas ipſa ratio oriendi, eas à
Prima uſque ad Quinctam numerantes perve-
nerunt; his Poſtumam, quæ poſt patris mor-
tem nata eſſet, adjecerunt, reliqua virilia
prænomina raro in feminis uſurparunt; quan-
quam tu Ti. Æliam, & P. Serviliam, & A.
Æmiliam ex vetuſtis lapidibus excitaſti; qua-
rum mulierum etſi incerta ætas eſt, tamen
quia pulchræ ſunt, & quidem noſtri ſtoma-
chi, ſint in deliciis; nam & ipſæ id verum
eſſe, quod ſcripſi arguunt, mulieres Ro. alio
aliquando, quam Cajæ prænomine eſſe uſas.
Nunc docendum eſt, cognomina illa, quibus
tu mulieres homo liberalis donaſti, non fuiſſe
donanda, neque eam donationem à te jure
eſſe factam, cum ex alieno donaveris, præſer-
tim vero nemine, ex majoribus natu, quorum
ea poſſeſſio fuerit, interprete, atque auctore;
quid? Robortellus homo ea doctrina, qua
omnes norunt, præditus, mulieres cognomi-
nibus nullo veterum auctore afficit? nemine,
niſi Feſto qui inquit, Majorem & Minorem
inter mulierum cognomina poni ſolita fuiſſe;
quid Robortellus? Major & Minor auctore

A Feſto cognomina ſunt, ergo Prima, Secunda,
Tertia, & Quarta cognomina ſunt. Egregie;
at Prima, Secunda, Tertia, & Quarta Var-
rone teſte prænomina ſunt, ergo & Major, &
Minor. Dices, Feſtus diſerte ea cognomina
vocat. Cur non eadem mihi, quæ tibi Ro-
bortelle corrigendi poteſtas datur, ut poſſim
prænomina, pro cognominibus reſtituere; cur
non licet mihi Feſtum ita, ut tu Varronem
irridere; atque Varronem Feſto anteferre?
cur non poſſum, ut tu, ne à te capiar, Pro-
teum fingere; poſſum illud quidem, ſed non
facio tamen; vim cognominis tantummodo
explico, dico enim cognomen appellari vocem
quamcumque, qua gentilicia nomina diſtin-
B guamus; qua voce tam prima, quàm tertia
nomina comprehenduntur; eſſe enim aliquod
tale genus indicat Varro, cum ait: Quotquot
inſtituta ad uſum ſingularia, quibus diſcerne-
rentur nomina gentilicia; non ita legitur, in-
quis; at ita legendum eſt, ais. Hinc fit, ut
ratio naſcendi prænominibus pariter, & co-
gnominibus cauſſam dederit, atque ut præno-
mina aliquando pro cognominibus, ſic cogno-
mina pro prænominibus uſurpata ſint; & ut
Divus in Cæſare, Imperator in Auguſto novo
more prænomina fuerint; & ut Aquilius ab
aquilo colore, id eſt, nigro dictus prænomen
à Feſto celebratum ſit; quid plura? idem Fe-
ſtus nonne Proculum inter cognomina refert?
C at vivente Romulo floruit Proculus Julius, &
poſt Proculus Virginius. Idem nonne Ruti-
lias cognomina fuiſſe feminarum, id eſt, ru-
fas, quod eo maxime colore delectarentur,
ait? at eas inter prænomina ponit Valerius,
cum Rutiliam, Cæſelliam, Murculam, Rodo-
cillam, prænomina muliebria Burram à colo-
re dicta prodit recte; eſt enim Cæſellia, quaſi
cæſii coloris, Murcula (ſic enim in manuſcri-
ptis legitur) muricis, Rodocilla roſei, Burra
rufi, auctore Feſto; in confirmandis ergo mu-
liebribus cognominibus cares auctoribus num
item exemplis? certe. Paullam enim affers,
& Metellam; ut Paullam Valeriam, & Cæ-
ciliam Metellam, quæ extremis reipublicæ
D temporibus ſunt audita; quæ non video,
cur non prænomina dici poſſint. Si enim
eodem tempore multa alia cognomina
in viris pro prænominibus celebrari cœpta
ſunt, ut Paullus, quod fuerat Æmiliorum co-
gnomen, in Paullo Fabio Maximo, & Paullo
Æmilio Lepido, & Coſſus quod Corneliorum,
in Coſſo Cornelio Lentulo, & Potitus, quod
Valeriorum, in Potito Valerio Voluſo, & Ju-
lus, quod Juliorum in Julo Antonio Africano,
qui omnes imperante Auguſto conſulares cla-
riſſimi viri fuerunt, cur non Paulla, & Me-
tella, quæ aliquando Æmiliorum, & Cæci-
liorum cognomina fuerunt, prænomina in Va-
leria, & Cæcilia appellari poſſunt? eoque
E etiam magis cum Paulla non fuerit Paullæ
Valeriæ, quam ſignificas, cognomen; nam ſi
fuit aliquod, fuit Triaria; fuit enim Triarii
ſoror Valeria, auctore Cœlio. Triarius au-
tem Valeriorum cognomen; cur ergo frater
Valerius Triarius dicitur, ſoror Paulla Vale-
ria, ſi Paulla cognomen eſt? an ut ais, quia
adoptio ſubeſt? quæ adoptio Robortelle? fra-
ter non eſt adoptatus; retinet enim familiare
cognomen Triarii, ſoror adoptata? unde hanc
ejus adoptionem hauſiſti? Si ergo neque te-
ſtes, neque uſum muliebrium cognominum
potes proferre, cur ancipitem Plutarchi locum
de duobus feminarum nominibus ad cognomi-

na

na potius, quam, ut ante, ad prænomina transfers? quorum & auctores graviſſimos multos, & uſum antiquiſſimum habes. At multa, quæ in viris cognomina uſurpata ſunt, poſt Auguſti tempora in feminas tranſierunt, Maxima, Conſtantina, Peregrina, Rectina, Nigella. Sexcenta alia ſint, quæ tu ex Luſitani amici tui ſcriniis deprompſeris, cum multo plura, & certiora ex veteribus librorum monumentis colligere potueris; quid? tu ad ſua tempora in ſcribendis illis quæſtionibus reſpexiſſe Plutarchum credis, cum cauſſas rerum omnium jam inde uſque ante conditam urbem repetat? Quare ſi cognomina non intellexit Plutarchus in quæſtionibus, quia reipub. temporibus in uſu non fuerant, ne in Mario quidem mulieres primo nomine potuit ſpoliare. Hoc tamen uſu ipſe ita gloriaris, ut uno, ad ſummum altero exemplo rem confirmaris. Et te non piget, à me uſum muliebrium prænominum poſtulare, quem ſaltem primis temporibus permittis, atque id eſt, quod ipſe dixi, ALIQUANDO, cum tu niſi noviſſimis temporibus cognomen nullum reperire, ſi modo id cognomen vocandum eſt, poſſis? Quære alia argumenta Robortelle, ſi potes; nam in his quantum roboris ſit, niſi plane deſipis, vides.

An Cajæ prænomen omnibus mulieribus fuerit commune.

PRænomen illud, quod eſt omnibus mulieribus commune, ut dicerentur Cajæ.) Proba, omnes promiſcue mulieres Cajas vocatas. Ego enim probabo tantum id in nubentibus uſurpatum, Feſto, Cicerone, & aliis auctoribus.

Lex Papia de peregrinis à quo, & quando lata.

APud Ciceronem in oratione pro Archia mentio fit de lege Papia.) Si Sigonius hæc ſcripſiſſet, quæ ſcripſit Robortellus, quos ille riſus, quas comœdias excitaret, quoties imperitum, quoties judicio carentem, quoties pueriliter omnia ſcribentem audiremus; quot capita ſcribi, ut plura viderentur errata, videremus. Ego contra, doctiſſimum virum, ut hominem lapſum judico, atque venia dignum exiſtimo; neque enim in tam longo duarum pagellarum opere, neque in tanta rerum mole ſemper vigilare, quanquam diligentiſſimus homo, potuit. Dubitat ergo primum, deinde confirmare videtur, legem Papiam à Q. Æmilio Papo eſſe latam, qui cum Pyrrho rege bellavit; nec videt eam legem ætate Ciceronis latam. Siquidem inquit in II. de off. Male qui peregrinos urbibus prohibent, ut Papius nuper. Ignorat ergo eam legem non à Papo, ſed à Papio, neque Pyrrhi, ſed Ciceronis temporibus eſſe latam; quæres à quo Papio? à C. Papio tribuno pl. ut ſupra dixi, Cotta. & Torquato coſſ. Dio lib. XXXVII Κἀν τούτῳ πάντες οἱ ἐν τῇ ῥώμῃ διατρίβοντες πλὴν τῶν νῦν ἰταλίαν οἰκούντων ἐξέπεσον γαΐου τινὸς παπίου δημάρχου γνώμῃ. Nega hunc Robortelle, vel emenda, vel Fauſtum oppone, ut videaris aliquid dicere.

De nominibus libertorum.

NOmina libertorum ſemper ab agnomine patronorum, à quibus fuerant in libertatem aſſerti, ducebantur.) Qui me agnomen uſurpare, cum grammaticorum ſententiam recitabam, non patiebatur, is illud in alia ſignificatione, quam quiſquam unquam factitavit, uſurpat. Agnomen enim pro gentilicio nomine ponit, quia, ut ſupra dixit, Agnomen ab agnatione fluxit. Adde, quod nomina libertorum non ſumebantur à nominibus gentiliciis patronorum, ut ipſe ait, ſed etiam à prænominibus; ut M. Tullius Laurea, T. Cæcilius Eutychides, M. Livius Andronicus; de quibus ego alias.

De nominibus novorum civium.

IDem factum obſervo in nominibus quibuſdam barbarorum, qui ſimilitudinem nominum à Romanis jam victoribus, & obtinentibus provincias aucupabantur.) Hoc non eſt ſatis. Cauſſa aperienda, vel occaſio, qua illi nomina Romanorum aſſequerentur; ut civitas; qui enim civitatem Ro. adeptus erat, is prænomen, & nomen ejus, per quem impetrarat, uſurpabat; ut multis ego in meo commentario exemplis oſtendi.

De nominibus adoptatorum.

NOmina adoptatorum.) Non ſolum qui adoptati erant gentilicium nomen, ſive, ut ipſe ait, agnomen mutuabantur ab adoptante, ſed prænomen etiam, & cognomen; ut P. Cornelius Scipio Æmilianus; & alii.

Locus Ciceronis non recte citatus.

CIcero libro primo epiſtolarum ad Att. Cæcilium Pomponianum vocat Atticum.) Immo lib. III. Q. Cæcilium Pomponianum appellat; quod non dixiſſem, niſi ille mihi vitio dediſſet, quòd verſus aliquot ex Atticis Pauſaniæ, pro Achaicis retuliſſem; quaſi vero ego tot verſus non inſpecto Pauſaniæ loco exſcribere potuiſſem.

Locus Ciceronis explicatus; & Scipio Metellus à quo ſit adoptatus.

IDem Cicero libro epiſtolarum ſexto ad Att. Scipio hic Metellus proavum ſuum cenſorem neſcit fuiſſe. Significat enim Scipionem Aſiatici illius filium, qui adoptatus fuit à Q. Metello Pio, & dictus Q. Metellus Scipio.) Adſcribam quæ alias in hunc locum ſcripſi; ut ejus modeſtiam homines tandem cognoſcant, qui cum intellexerit, ſe à me juſte admonitum, non fuit pervicax, nihil reſpondit, atque herbam dedit; recte ille quidem, id præſertim ætatis homo, niſi ſe, quaſi efferatus ad contumelias contuliſſet. Verba mea hæc fuerunt: Metellus autem hic Scipio P. Cornelii Scipionis Naſicæ filius naturalis fuerat, teſte Dione. qui ita ait lib. XL. ὁ πομπήιος κύϊντον σκιπίωνα πενθερόν οἱ ὄντα προσείλετο. ὢν γὰρ γένει μὲν υἱὸς τοῦ νασικᾶ ἂν, ἐκ δὲ τοῦ κλήρου διαδοχῆς ἐς τὸ τοῦ μετέλλου τοῦ εὐσεβοῦς γένος ποιηθείς: id eſt: Pompejus Q. Scipionem ſocerum ſibi collegam aſcivit, qui naturalis filius fuit Naſicæ ille quidem, adoptatus à Q. Metello Pio. Quod cum ita ſit, neſcio quid in mentem amico meo venerit ſcribere in libro de nominibus ita: Cicero lib. Epiſt. ad Att. VI. Scipionem hic Metellus proavum ſuum neſcit cenſorem non fuiſſe. Significat Scipionem Aſiatici illius filium, qui adoptatus fuit à Q. Me-

Metello Pio. Cur mirer, hæc cauſa eſt; nemo enim Aſiatici filium fuiſſe Scipionem hunc ſcribit; niſi quem hic ſequitur Dionis interpres. Neque vero omnino hic Scipio Metellus Aſiatici filius eſſe potuit, ſed Naſicæ; primum quia hic idem P. Cornelius Scipio apud Eutropium, & Eutropii Græcum interpretem Pæanium nominatur; & P. Scipio in Epitomis, & apud Ciceronem pro domo dicitur, cum ait: Atqui C. Atinius patrum memoria bona Q. Metelli, qui eum ex Senatu cenſor

A ejecerat, aut tui Q. Metelle, & tui P. Servili, & proavi tui P. Scipio. Aſiatici vero Lucii prænomen tulerunt; deinde quod in Bruto avum hujus vocat P. Scipionem Naſicam oratorem, proavum P. Scipionem Naſicam Serapionem oratoris patrem, abavum verò P. Scipionem Naſicam Corculum Serapionis patrem: quæ cum in Aſiatici filium cadere nullo modo poſſint, in Naſicæ certe maxime cadunt; hoc modo:

I. P. Scipio Naſica Corculum. Cos. DXCI. DXCVIII. abavus Scipionis Metelli.

|

II. P. Scipio Naſica Serapio. Cos. DCL. proavus Metelli Scipionis.

|

III. P. Scipio Naſica Orator. avus Scipionis Metelli. Cos. DXLII. uxor Cæcilia Macedonici filia.

|

IIII. P. Scipio Naſica. pater Metelli Scipionis.

|

V. P. Scipio Naſica, qui adoptatus à Q. Metello Pio Q. Metellus Scipio dictus eſt. Cos. DCCI.

I. C. Lælius. Cos. DCXIII. abavus Scipionis Metelli.

|

Lælia filia.
II. Uxor Q. Mucii Scævolæ Aug. Cos. DCXXXVI. proavi Scipionis Metelli.

|

Mucia filia.
III. Uxor L. Licinii Craſſi Oratoris Cos. DCLVIII. avi Scipionis Metelli.

|

Licinia filia.
IIII. Uxor P. Scipionis Naſicæ, patris Metelli Scipionis.

|

V. P. Scipio Naſica, qui adoptatus à Q. Metello Pio Q. Metellus Pius Scipio dictus eſt. Cos. DCCI.

Deſcripſi autem etiam maternos Metelli avos ex Ciceronis ſententia in Bruto, ne quis eundem de maternis, non de paternis intellexiſſe ſuſpicari poſſet, atque ita rem (quod fieri ne hoc quidem pacto poteſt) ad Aſiaticos traheret.

An prænomina unquam pro gentiliciis uſurpata ſint.

OBſervavi quoque in nominibus R. eam, quæ olim prænomina eſſent facta; ut Menenius Licinius; nam poſtea ita dictum eſt in nomine M. Licinius Craſſus.) Dixi ante Licinium mendoſe legi apud Livium in Menenio, pro Lucio; quid eſt autem, quod quærat exemplum M. Licinii Craſſi, qui annos amplius CCCC. poſt Licinium Menenium vixit, cum P. Licinium Calvum primum tribunum mil. è plebe, qui eodem tempore, quo Menenius vixit, potuerit nominare? ex

B quo apparet Licinium non ante fuiſſe prænomen, quam gentilicium nomen, cum etiam Licinium legi oportere concederem.

Ambiguitatem nullam in nomine Lucullorum eſſe in oratione pro Archia.

UNde ſæpe oritur ambiguitas, de quo ſit intelligendum, ut in nomine Luculli, an de L. an de M. qui fratres erant, qualis locus eſt in oratione pro Archia poëta.) In oratione pro Archia ita loquitur Cicero: Statim Luculli eum domum ſuam receperunt; quid eſt quod labores de hoc nomine, an Lucium, an Marcum intelligat, cum utrunque

C ſcias intelligi? poſt enim meminit ſæpe L. Luculli, ſed aperte.

Am-

Ambiguitatem nullam eſſe in nomine Curionis, in Epiſtolis Ciceronis ad eum.

QUalis etiam ambiguitas erat in nomine Curionis lib. 11. Epiſt. famil. in qua re multi decepti ſunt, non diſtinguentes patrem Curionem à filio; nam illæ Epiſtolæ, Nondum erat auditum, & Sera gratulatio ſcribuntur ad patrem.) Hanc opinionem intelligo à ſcholis omnibus eſſe repudiatam; neque enim videre ſe eruditi homines ajunt, quemadmodum cum in extrema Epiſtola de tribunatu C. Curionis filii agatur, ea Epiſtola transferri ad Curionem patrem poſſit, qui multis ante annis conſul triumphaverat; in priore vero cum de reditu Curionis filii ex Aſia agatur, cur non idem ſit Romam revertens, qui fuerat abſens; id eſt, cur non ad eundem redeuntem hanc ſcripſerit, ad quem abſentem ſuperiores ſcripſerat; præſertim vero cum in ſuperioribus de patris clariſſimi viri obitu mentionem fecerit; hæc etiam cum ante in eum dixiſſem, ipſe vera eſſe ea ſolito ſilentio comprobavit.

Tullum, & Tullium diverſa eſſe.

ITidem in hoc agnomine Tullo, & Tullio.) Conſtitue quæſo tandem, quod voces agnomen, nam ſi pro nomine gentilicio id uſurpas, Tullius eſt quidem agnomen, at vero Tullus prænomen in Tullo Hoſtilio, cognomen in L. Volcatio Tullo.

Lentulum modo cognomen, modo agnomen eſſe, refutatum.

IN quibus quoque appellationibus, videre eſt Lentulum modo agnomen, modo cognomen.) Hoc ait Lentulum modo cognomen eſſe, ut in P. Cornelio Lentulo, modo agnomen, ut in Cn. Lentulo Marcellino. Qui autem hoc dici poteſt? nam ſi agnomina ipſo auctore omnia in JUS deſinunt, certe Lentulus agnomen non erit.

Luſcinum, non Luſcinium ſcribendum.

LUſcinio. Item Luſcinius.) Luſcinus eſt ſcribendum. Item. C. Fabricii per c ſcribendum; ex faſtis Capitolinis, & Græcis; ſic paulo poſt Sulpicium, non Sulpitium.

Locum Ciceronis non emendate citatum.

UBi ait noſter Gallus.) Veſter Gallus jam pridem correctum eſt. Veſtrum autem dixit, id eſt, veſtra gente Sulpicia; paulo poſt Marcius, non Martius; & Porcius, non Portius; ex lapid. Capitol. & Græcis.

Prænomen cum agnomine ſæpe prolatum, contra quàm alii dixerint.

RAro prænomen cum agnomine, ſic M. Portius, Q. Tullius.) Atqui Livius primis libris plerunque cognomina omiſit; in eoque à Robortello reprehenſus eſt; ut Q. Servilius, M. Fabius, Sp. Caſſius, innumerabiles alii; nihil enim frequentius. Quod affert exemplum C. Antonii, facit ridicule; neque enim ejus erat ullum cognomen, quod omitti poſſet.

Agnomen cum cognomine uſurpatum.

RAriſſime agnomen cum cognomine ſic, Portius Cato.) Atqui dixit Livius: Cornelius Barbatus, Junius Brutus, Valerius Antias, Licinius Macer; & alia multa.

Cognomen prænomini prælatum.

NUnquam præpoſtero ordine, ſic, Craſſus Marcus.) Atqui dixit Cicero in 11. de orat. Maluginenſem M. Scipionem.

Cognomen agnomini prælatum.

NUnquam ſic, ut præcedat cognomen, ſubſequatur agnomen.) At Livius dixit: Macer Licinius, Antias Valerius, Curſor Papirius; & Cicero in epiſtolis: Vetus Antiſtius, Balbus Cornelius, Calvus Licinius, Lævus Ciſpius, Papus Æmilius in Lælio, quamvis Robortellus non probet.

Agnominis vocem temere retentam.

ILlud quoque nolim lateat legentes explicationem hanc meam potuiſſe.) Confitetur ſe commodiorem rationem ſequutum agnominis vocabulum retinuiſſe; & tamen cum hoc ita ſit, ſuperioribus capitibus libri primi emendationum illum exclamantem audivimus, quòd ego eam vocem uſurpaſſem, quòd ſe duce non eam è finibus linguæ Latinæ ejeciſſem, addens: „ Dii boni quantum ego elaboravi „ in evellenda hac opinione ex hominum ani- „ mis, & quantum grammaticos exagitavi „ hac de cauſa. Et tamen non eſt deterritus Sigonius, tam nullo eſt præditus judicio in literis; ò conſtantiam incredibilem. Ex his autem paucis, quæ in hunc librum notavi, intelligent omnes, an cauſſa ſit, cur ſcientiam ab eo compilem, aut ſermones ejus privatos, ut ille criminatur, inaudiam; cum nobiliſſimum quodque ejus decretum improbarim, atque improbandum eſſe probarim. A me ſumſiſti, inquit ille. Dii meliora tum enim me hominem non eſſe exiſtimabo, cum iſtius diſciplinæ rationem probabo. Sed tranſeamus ad alia, ut dormientem hominem è ſomno aliquando excitemus.

CA-

CAROLUS SIGONIUS
IN LIBRUM
ANNOTATIONUM.

IN I. ET II. CAPUT.

QUod primum ſpecimen ingenii, atque doctrinæ ſuæ dedit Robortellus, is fuit liber unus Annotationum, quibus diverſos Græcorum, & Latinorum auctorum locos illuſtrandos ſuſcepit, cui poſt aliquot annos alterum quoque adjunxit. Quorum librorum ſupra etiam mentionem feci, cum de Cæſaris loco, quem ille primo libri capite, & loco Ciceronis de oratore, quem XIII. ſecundi libri capite, ſua correctione deformarat, diſputavi. Quibus emendationibus ſatis ſupra exploſis, reliquas, quales ſint; & quam egregiæ, & Robortelli nomine dignæ, exquiremus. Secundo enim capite Horatii verſum, ubi ille ſe in cycnum mutari ait, illuſtraturus, affert ex Laërtio Socratis ſomnium, qui ſibi inter genua cycnum tenere viſus eſt; poſtridie autem natum eſſe Platonem; quæ res quam ſatis ſit ad rem, ipſe viderit; quid enim poëtica divinatio cum philoſophi ſomnio? quid philoſophus cum poëta habet ſimile? Illud erat afferendum, ut cycnus ex cantu poëtam effingeret; atque ut ſe potius cycnum, quàm anſerem fieri Horatius ceciniſſet. Atque hoc eſt admirabilium rerum illarum genus, quibus ipſe, ſe multæ lectionis hominem eſſe, multis perſuaſit, quæ quanti faciendæ ſint, omnes intelligunt; à quibus ego, ne omnino omni eum induſtriæ laude ſpoliem, exagitandis abſtinebo.

Locos Callimachi aliquot non eſſe intellectos.

TErtio igitur capite locos ex hymnis Callimachi aliquot ſibi ſuſcepit illuſtrandos; in quo præter alia docte, atque ſcite prolata, correctiones verborum aliquot affert, ita alienas, ut hoc uno argumento ſatis intelligi poſſit, eum literas græcas ne primoribus quidem labris attigiſſe; quod ne maledice potius ei, quàm vere objicere videar, notatis locis aliquot oſtendam. Primum autem hoc poſtulo ab eo, ut ſecum conſtituat aliquando, cum variam lectionem profert, utram probet, ac laudet, veterem ne, an novam; utram enim dixerit, eum deteriorem ſemper ſequutum eſſe oſtendam.

In hymno Apollinis ita legitur in extremo: χαῖρε ἄναξ· ὁ δὲ μῶμος ἵν' ὁ φθόνος ἔνθα νέοιτο. Ille addit: In alio ſcribitur φθόνος: cum tamen melior ſententia eliciatur ex voce φθόρος; quam φθόνος; precatur enim poëta, ut Momus ibi habitet, ubi mors, id eſt, ut intereat Momus; quo nihil melius; at Robortellus huic Momo amicus ei cavet, & reponit pro morte invidiam, quo ſenſu nihil frigidius poteſt eſſe.

Idem facit in hymno Dianæ: Καὶ ἐν οὔρεσιν ἑψιάασθαι. In alio inquit ſcribitur, ἐψιάασθαι; & tamen antiqua lectio, quam videtur improbare, cum novam infert, multo melior eſt; loquitur enim de Diana Callimachus, cui cu-

A ræ eſt χορὸς ἀμφιλαφὴς καὶ ἐν οὔρεσιν ἑψιάασθαι, id eſt junctarum inter ſe manuum chorus, & ludere in montibus; eſt enim ἑψιάασθαι ludere; ut eſt in ρ Odyſſeæ in extremo fere.

δίσκοισιν τέρποντο καθήμενοι ἑψιάασθαι.

Et paulo poſt: γαῖαν ὑποπτήσσοντες. Ille: in alio ſcribitur ὑποπτοίοντες; unde quæſo Robortelle hoc tuum ὑποπτοίοντες extraxiſti? quid ſignificat? evolve tua dictionaria omnia, nihil invenies. Cur ergo, cum novam lectionem profers, aut quæ nullum ſenſum: aut quæ deteriorem inducat, profers? niſi quòd vel ambitione, ut aliquid egiſſe videaris, vel, quod malim, nimia linguæ græcæ cognitione induceris?

B Item in Lavacris Palladis: ματρὸς μὲν γοερῶν οἶκτον ἀηδονίδων. Ille: Scribitur aliter, οἶκον. Ego vero rectius οἶκτον, id eſt, miſericordiam legi puto. Lamentationem enim, & fletum conſequitur miſericordia; unde ſequitur illud: θεὰ δ' ἐλέησεν ἑταίραν. Si ergo nova lectio quam tu affers, ſemper eſt, ut dixi, pejor, quid ais? an cum hoc facis te veterem probare, novam tantum ſignificare? ne hoc quidem modo defendi tuum factum poteſt; oſtendam enim jam alio loco, novam, quam attuliſti, meliorem eſſe, quàm veterem; ut quod tu probas id damnandum, quod damnes, laudandum eſſe videatur.

In hymno Dianæ, ubi loquitur de cerva interfecta ab Hercule:

C σὺ δὲ μίαν κελάδοντος ὑπὲρ ποταμοῖο φυγοῦσαν,
ὄφρα ἀέθλιον ὕστατον Ἡρακλῆϊ
ὕστατον ὄφρα γένοιτο, πάγος Κερύνειος ἔδεκτο.

Ille: in alio ſcribitur κερύνειος. Si ergo veterem probas, peſſime ſentis; eſt enim κερύνειος legendum; ſignificat enim montem Arcadiæ κερύνειαν; de quo Pauſanias in Achaicis; unde Servius exponens verba illa Virgilii. Nec vero Alcides tantum telluris obivit; Fixerit aëripedem cervam licet; exponit, Cerynitim cervam intelligi, ita à loco dictam.

Item in eodem: Καὶ μὲν Κυρήνην ἑταρίσσαο; in alio, inquis, ſcribitur ἱμερίσσαο; nec intelligis; ſi probas priorem, te nihil intelligere; nam illud nihil, hoc in numerum ſodalium adjungere ſignificat.

D Item in Lavacris Palladis: ὀστέα ματρὸς δεξεῖται. Habetur, inquis, in alio λεξεῖται, ſicuti videtur legiſſe Politianus; nec vides omnino legendum eſſe λεξεῖται, non δεξεῖται, propter verba, quæ ſequuntur; τοῦ δ' υἱέος ὀστέα μάτηρ λεξεῖται δρυμὼς πάντας ἐπερχομένα, id eſt, mater peragratis omnibus ſylvis oſſa filii colliget; quod melius eſt, quam accipiet. Atque hæc ſint ſatis, ut doceam Franciſcum Robortellum rationem emendandi nullam tenere, aut certè haud ſatis robuſto judicio in eo ſtudio verſari,

IN CAPUT V.

Locum Tibulli interpunctione obſcuratum.

NUnc ut Tibulli ſenſum perſpicuum per ſe perverſa interpunctione obſcuret, oſtendam. Verſus ſunt Tibulli libro primo, elegia IX. quibus puerum alloquitur, hoc modo:

Ure meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga ſeca.
Nec tibi celanti fas ſit peccare, paranti
Sit Deus occultos, qui vetet eſſe dolos.

Horum verborum rectum ſenſum primum exponam, poſt, ut ab eo pervertatur, aperiam; permittit poëta puero, ut omnibus ſemet potius incommodis afficiat, igni, ferro, verberibus, quam ut muneribus delinitus alienis, ſemetipſum deferat; & ſi clam in ſe peccare velit, precatur, ne poſſit, ſed ut, dum paret in ſe aliquid delinquere, ſit Deus, qui vetet occultos ejus dolos eſſe; hunc autem Bacchum eſſe poſt interpretatur, qui vino ſecretos dolos homines patefacere cogit; hic eſt ſenſus; verba autem hæc: Nec tibi liceat in me peccare, celanti, id eſt, occulte; at Deus ſit tibi paranti in me peccare, qui vetet dolos tuos occultos eſſe. Hoc ſenſu, aut his verbis qui offenditur, is mihi ſine ſenſu videtur; at exortus eſt tamen Robortellus, magnus inquam ille poëtarum interpres Robortellus, qui hæc non probet; inquit enim cap. v.
„ Sic diſtinguuntur hi verſus in impreſſis co-
„ dicibus; interpres vero prætermiſit, credo
„ quòd exiſtimaret adeo planum etiam, ac fa-
„ cilem ſenſum, ut nulla egeret interpreta-
„ tione. Mihi vero attentius conſideranti
„ videbatur ſenſus, aut obſcurus, aut prope
„ nullus erui poſſe, ſi ita diſtingueretur, quod
„ veriſſimum eſſe mihi poſtea demonſtrarunt
„ manuſcripti codices, in iis enim ita haben-
„ tur: Nec tibi celanti fas ſit peccare pa-
„ ranti, Eſt deus occultos, qui vetat eſſe
„ dolos.

„ Non diſplicuit mihi hæc lectio, quæ
„ etſi imperitis primum videri poſſit duriuſcu-
„ la, eſt tamen uſitata apud Latinos, & Præ-
„ ciſmum frequentem redolet. Lucret. lib. v.
„ ſic loquutus eſt: Quidve mali fuerat nobis
„ non eſſe creatis?

„ Erit igitur ordo in illis carminibus hic:
„ Nec tibi paranti peccare ſit fas celanti ſci-
„ licet eſſe; quaſi non liceat tibi celare, quod
„ peccare paras, quoniam id vetat deus; poſ-
„ ſit etiam fortaſſe legi, celandi; ſit fas cœ-
„ landi, pro celare; ſic certe locutus eſt Ci-
„ cero; cum in animo haberem navigandi;
„ ſub priore formula ſic protulit ſcribens ad
„ Atticum. Mihi negligenti eſſe non licet.
„ In alio manuſcripto exemplari vidi non ce-
„ lanti nec celandi, ſed juranti eſſe ſcriptum.
Hæc ille; ex quibus ſatis intelligi opinor, eum omnino ſenſum germanum hujus loci non vidiſſe, ac temere quod non intellexit jamtum auſum eſſe etiam immutare.

A

IN CAPUT VI. ET VII.

Loci Tibulli à prava interpretatione defenſi.

EOdem modo capite VI. ejuſdem Tibulli verba depravat, ut in illo verſu ex elegia II. libri I. Neu quiſquam multo perfuſum tempora Baccho Excitet; ille enim percuſſum legit, & ita legendum contendit, quia græci [illegible] etiam dicant. Ego etſi percuſſum omnino non improbo, tamen melius profuſum legi dico. Nam cum poëta dixerit, Adde merum, vinoque graves compeſce dolores; recte infert, multo perfuſum tempora
B Baccho; quod dixi non ſolum ad naturam vini reſpiciens, quod liquidum eſt, ſed ad ſomnum, quo tempora perfunduntur; ut deſcripſit Virgilius in v. Ecce deus lethæo rore madentem, vique ſoporatum ſtygia ſuper utraque quaſſat tempora, cunctantique natantia lumina ſolvit; & in IX. paſſim vino, ſomnoque per herbam corpora fuſa vident.

Item depravat alterum locum in eadem: Illa viro coram nutus conferre loquaces, Blandaque compoſitis addere verba notis. In manuſcripto, inquit, eſt Abdere; qua ex dictione pulcherrimus poëtæ elicitur ſenſus; nam antea dixit, nutus loquaces, ita poſtea dixit, Abdere verba notis compoſitis; ſub il-
C lis enim notis, ac geſticulationibus amatorum abſconduntur multi ſermones, quos ipſi non ſecus intelligunt, ac ſi ore proferrentur. Hanc tu lectionem Robortelle cum laudas, te Tibulli ſenſum non percepiſſe ſignificas; neque enim nunc intelligit ſermones puellæ cum amante juvene, ſed fictos ſermones cum marito. Virum enim non marem, ſed maritum accipere debes. Venus inquit, docet puellam molli decedere lecto; quo? viri. Venus docet pedem nullo ponere poſſe ſono, cum furtim è cubiculo exit mariti. Illa eadem docet puellam cum præſente marito nutus loquaces conferre, & compoſitis notis blanda verba addere, fallendi cauſa, id eſt,
D falſis nutibus falſa verba, quæ amorem præſeferunt, & maritum decipiunt, addit; quod enim dixit, Conferre cum marito nutus loquaces, ita ait poſt blanda verba compoſitis notis addere; tu vero in aliam tractus ſententiam, putas, Venerem docere ſermones, & nutus puellarum, quibus capiunt amantes, cum de fraude, qua decipiunt maritos, loquatur; quod de Vulcano, & Venere Virgilius VIII. Incipit, & dictis divinum inſpirat amorem; poſt: Dixerat, & niveis hinc, atque hinc diva lacertis cunctantem amplexu molli fovet. Sed ſive de marito, ſive de amante dixerit, omnino Addere meliorem habet ſententiam. Sequenti porro capite, quid facit
E aliud, niſi, ut Catulli locum de olido veterno, ſatis à Rodigino expoſitum, iterum exponat; id eſt rem actam, ut aliquid agere videatur, agat?

IN CAPUT X. Jam modo non.

Declaratio Tibulliani loci deriſa.

VErſus Tibulli ſunt libro primo, elegia prima:

Jam modo non poſſum contentus vivere parvo,
Nec ſemper longæ deditus eſſe viæ.

Hic Robortellus exploſis aliorum interpretationibus affert ſuam, ut ſit Modo non, pro Nequidem, niſi, ut; nunc ne poſſum quidem, niſi contentus vivere parvo; hoc confirmat Cæſaris oratione ex libro VII. ita: Ubi illi præter ſpem, quos fugere credebant infeſtis ſignis ad ſe ire viderunt, impetum modo ferre non potuerunt; ac primo concurſu in fugam conjecti proximas ſylvas petierunt; & ait ſimiles eſſe inter ſe has dicendi formulas, Tibullianam, ac Cæſarianam. Hic enim; impetum modo ferre non potuerunt, eſſe æque, atque, Ne impetum quidem ferre potuerunt. Mihi vero nihil eſſe inter eas videtur ſimile; nam apud Cæſarem, Modo non potuerunt, eſt, ne potuerunt quidem, apud Tibullum, Modo non poſſum, ne poſſum quidem, niſi. Itaque ibi eſt una negatio, hic duæ; ergo nihil ſimile. Si autem ſit ſubaudienda negatio, neſcio cur non poſſimus dicere, jam nunc non poſſum non contentus vivere parvo.

IN CAPUT XI. XII. XIII.

Quomodo Cicero οἰκονομικὸν, & πολιτικὸν verterit.

SEquenti capite declarat, quid ſit apud Cæſarem, equos ſubſodere, & ait id eſſe, quod ait Lucianus ὑποτέμνειν τὸν ἵππον. item τιτρώσκειν τὸν ἵππον ὑπὸ τὸ στέρνον, id eſt trajicere equum, & vulnerare equum ſub pectus. O rem Robortelliana adnotatione dignam!

Duodecimo vero capite reprehendit Aretinum, & Donatum, qui οἰκονομικὸν, & πολιτικὸν verterint apud Ariſtotelem, rem familiarem, & publicam; & vertendum fuiſſe ita, Eam partem philoſophiæ, quæ ad res domeſticas, & familiares, quæ ad rempub. pertinet; hoc autem dicendi genus nulla auctoritate firmat; eſt autem illud certum, tale aliquid Ciceronem non dixiſſe; quanquam ſcio illum Ciceronem contemnere, ac ſuos neſcio quos Apulejos admirari. Dixit autem Cicero, domeſticam, & civilem prudentiam in Partitionibus: Atque illa prudentia in ſuis rebus domeſtica, in publicis civilis adpellari ſolet; & libro II. de off. Num propterea nulla eſt reipub. gerendæ ratio, atque prudentia, quia multa Cn. Pompejum fefellerunt? & in libro I. de Invent. Civilem ſcientiam. At vero tertio decimo interpretatur apud Ariſtotelem in Poëtica Nomorum poëſim, legum poëſim, ut Solonis; quæ expoſitio, ut inanis, & falſa ſit, poſt indicabo; cum ejus poëticas aliquot interpretationes excutiam.

IN CAPUT XIV.

Interpunctio loci Ciceroniani ex epiſtolis refutata. Non vereor, ne quid timide.

NEque vero novam ejus etiam interpunctionem, atque ſententiam loci ejus ex ſecundo epiſtolarum Ciceronis ſatis unquam probavi. Cauſas autem nunc exponam; ſic legitur epiſtola ſeptima ad Curionem: Non vereor, ne quid timide, ne quid ſtulte facias, ſi ea defendes, quæ ipſe recta eſſe ſenties.

Quod in id reipub. tempus non incideris, ſed veneris (judicio enim tuo, non caſu in ipſum diſcrimen rerum contuliſti tribunatum tuum) profecto vides, quanta vis in repub. temporum ſit, quanta varietas rerum, quàm incerti exitus, quàm flexibiles hominum voluntates, quid inſidiarum, quid varietatis in vita non dubito, quin cogites. In hunc autem locum Robortellus ita: „ Non dubito,
„ quin omnes, ſi attente legerint hæc verba,
„ offendantur tam perplexo verborum ordine,
„ etiam ſenſu, qui etſi aliquis videri poteſt
„ non eſt tamen aptus, & concinnus. Meus
„ ille ſic habet iſta verba deſcripta, & inter-
„ puncta, quæ cum quiſpiam legerit, facile
„ judicabit ita omnino eſſe legendum, & in-
„ terpungendum locum hunc. Non vereor,
„ ne quid timide, ne quid ſtulte facias, ſi ea
„ defendes, quæ ipſe recta eſſe ſenties, quòd
„ in id reipub. tempus non incideris, ſed ve-
„ neris, judicio enim tuo, non caſu in ipſum
„ diſcrimen rerum contuliſti tribunatum tuum.
„ Profecto vides, quanta vis in repub. ſit
„ temporum, quanta varietas rerum, quàm
„ incerti exitus, quam flexibiles hominum
„ voluntates, quid inſidiarum, quid varieta-
„ tis in vita non dubito, quin cogites. An-
„ tea tres fiebant in hac oratione periodi,
„ Prima, NON vereor. Secunda, QUOD in
„ id reipub. tempus. Tertia, QUANTA vis
„ in repub. temporum; adde, quòd & una
„ fiebat παρένθεσις, quæ disjungebat verba.
„ Nunc ſi ita leges, ut demonſtravi, duæ tan-
„ tum erunt periodi; prior: NON vereor,
„ ne; altera: PROfecto vides. QUOD in id
„ reipub. tempus, leviter hæc verba ſunt in-
„ terpungenda à ſuperioribus; nam eſt ratio
„ prioris propoſitionis: JUDICIO enim tuo,
„ non caſu, eſt altera ratio proximarum di-
„ ctionum: SED veneris. Profecto vides,
„ quanta vis in repub. Quod hinc ſit ſumen-
„ dum alterius periodi initium, patet ex per-
„ ſpicuitate. Cum enim duo contineat ver-
„ ba hæc periodus, unum illic, VIDES, alte-
„ rum in fine, cogites, videtur elegantiſſime
„ omnia diſtinxiſſe Cicero.

Hoc eſt hujus de loci interpretatione Robortellianum judicium. Longe autem aliud eſt, pace tanti viri dixerim, Sigonianum; ego enim vulgatam interpunctionem ſervo, & meliorem, ut opinor, ſenſum elicio, & uſitatiorem dicendi formulam affero; eſt autem una πρότασις illa, Quod in id reipub. tempus non incideris, ſed veneris; quam duæ ἀποδόσεις ſubſequuntur, una profecto vides; altera, Non dubito, quin cogites; eſt autem ſimile hoc. Quod, & Profecto, vel Non dubito, frequenti illi Ariſtotelicæ, ἐπεὶ δὲ, δῆλον ὅτι. item ἐπεί, ἤτοι ut in Poëtice, ἐπεὶ δὲ μιμοῦνται οἱ μιμούμενοι πράττοντας, ἤτοι βελτίονας, ἢ καθ' ἡμᾶς, ἢ χείρονας ἀνάγκη μιμεῖσθαι, id eſt, Quoniam qui imitantur, imitantur agentes, profecto meliores aut pares nobis aut deteriores imitentur neceſſe eſt. Si ergo hæ duæ redditiones ita cohærent cum illa προτάσει, ut divelli non poſſint, non placet etiam eas à Robortello dilacerari; alioquin & ſenſum, & gratiam omnem orationis evertas neceſſe eſt, quod ab acutiſſimo viro animadverſum non eſſe moleſte fero; quoniam ergo conſilio, non caſu petiſti, inquit, hoc tempore tribunatum, profecto vides, quanta vis in repub. temporum ſit, quanta varietas rerum; neque vero dubito, quin eadem de cauſa etiam cogites, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates, quid inſidiarum, quid vanitatis in vita ſit; quo ſenſu quid melius excogitari poteſt?

IN

A

IN CAPUT XV. ET XVI.

NE de aliena gloria quicquam detraham, apponam hoc loco, quibus verbis hoc caput à Petro Nannio Alcmariano ſit repre henſum libro VIII. Miſcellaneorum. Sic ille:

IN APOPHTHEGMATA PLUTARCHI.

Quis ſit Choragus, quis Demagogus.

,, INhærentem me libris die admodum lu- culento & amœno, quidam ex amicis ambulatum extraxerunt, neſcio quod μέγα B χρῆμα novorum libellorum pollicitantes. Erant autem iſti Laurentius Dacholius, & Johannes Berzoſa, ambo Græce & Latine ad miraculum uſque periti; ibi quum in itinere eſſemus; occurrit Gulielmus Picta- via, fortuna, genere, & virtutibus illu- ſtris; & qui ex profeſſionibus trium lingua- rum non ignobilem ſibi famam Lovanii comparaverat. Huic à latere adhærebat Gysbertus Cœlius, quem nobis Italia do- ctiſſimum medicum remiſit; ii me in equis amantiſſime ſalutant, & quantum licet, ampleđuntur. Poſtquam diſceſſum eſt à chariſſimis capitibus, exigo ab illis meis pollicitatoribus novos illos libellos. Quid C multa? depromuntur è ſinu. Video illic multa in variis auctoribus pulcherrime ca- ſtigata, & non pauca in Eraſmo reprehen- ſa, jure quidem aliquando, ſed tamen ni- mia acerbitate, & piis animis prorſus in- tolleranda. Auctor iſtius operis Franciſcus Robortellius, juvenis (eam enim in eo ætatem eſſe audio, quod cum ipſius laude dictum velim) multijugæ eruditionis, & generoſæ indolis, ſed tamen in Batavos ho- mines ferocioris animi & importunioris maledicentiæ, quàm decet. Id ejus verba, quæ jam hic ſubjicio, planum facient. Eraſmus (inquit) vir doctiſſimus, ſi illius opera legas, ita alicui videtur dormitaſſe, D ut mireris. In Apophthegmatis; quæ ex Dio- gene Laërtio vertit in Latinum, legendis, deprehendi hunc errorem; qui ut pateat apertius, ſubſcribam primum Laërtii Græ- ca verba, deinde Eraſmi converſionem & interpretationem. Poſtremo rationes, cur putem illum lapſum eſſe. Laërtius in vita Diogenis Cynici, τοὺς δὲ Διονυσιακοὺς ἀγῶνας με- γάλα θαύματα μωροῖς ἔλεγε, καὶ τοὺς δημαγωγοὺς ὄχλου διακόνους. Eraſ. Dionyſiaca certamina, quæ Athenis in honorem Bacchi magnis impen- diis, pompaque celebrabantur, appellabat magna ſtultorum miracula. Labitur Eraſ- mus, primum, quod ex uno duo facit ἀποφθέγματα, ſubdit enim ſeparatim, Orato- E res, qui ſummo in precio habebantur Athe- nis, dicebat turbæ miniſtros, quòd ad gra- tiam loqui cogerentur. Rurſus labitur in vertenda dictione δημαγωγὸς, quam cum non ſatis intelligeret, in priorem incidit erro- rem dividendi Apophthegmatis in duas partes. Δημαγωγοὶ appellantur à Græcis, qui populo præſunt. Heſychius ait, δημαγωγεῖν idem eſſe, quod στρατηγεῖν, unde δημαγωγὸς ὁ ἄρχων ἐκ τοῦ τὸν δῆμον ἄγειν, καὶ διοικεῖν, Julius Pollux lib. octavo nominat δημάρχους, qui ſunt κατὰ δῆμον ἄρχοντες, olim dicti ναύκληροι eodem lib. nominat ἀθλοθέτας qui decem erant, κατὰ φυλὴν ἐπὶ τῷ διαθεῖναι τὰ Παναθήναια τόν τε μουσικὸν, καὶ γυμ- νικὸν, καὶ τὴν ἱπποδρομίαν. Demoſthenes in ora- tione Midiam hos vocat χορηγούς; ejus ora- tionis argumentum facile poteſt locum hunc declarare Laërtii; nam cum eſſet χορηγὸς παιδικῶν, tribus ſuæ, & ludos Bac- chanales, de quibus nunc meminit Laër- tius, populo exhiberet, pulſatus fuit à Midia inſolentiſſimo homine in medio thea- tri. Libanius rhetor doctiſſimus in argu- mento ejus orationis explicando de Diony- ſiacis ſic ait: ἑορτὴν ἦγον οἱ Ἀθηναῖοι τῷ Διονύσῳ, ἣν ἐκάλουν ἀπὸ τοῦ θεοῦ Διονύσια, ἐν δὲ ταύτῃ τραγικοὶ καὶ αὐλητικοὶ, καὶ κωμικοὶ χοροὶ διηγωνίζοντο. καθίστανται δὲ χοροὺς αἱ φυλαὶ δέκα τυγχάνουσαι, χορηγὸς δὲ ἑκάστης φυλῆς ὁ τὰ ἀναλώματα παρέχων τὰ περὶ τὸν χορόν. Hoc eſt Feſta celebrabant Athenienſes in honorem Bacchi, quæ vocabant ab ipſius nomine Bacchanalia: in his autem & Co- mici & Tragici, etiam Aulœdi inter ſe de præſtantia, & ſumma artis laude certabant, choros conſtituebant ſingulæ tribus, quæ decem erant, Choragus autem ſingularum tribuum ſumptus in ea re faciebat. Verùm ex his ſatis: quivis enim intelligere poteſt, quàm præter Laërtii ſenſum & dictionis ſi- gnificationem δημαγωγὸς Eraſmus verterit, oratores. Senſus igitur Laërtii eſt hujuſmo- di. Dionyſiaca certamina ſtolidis magna eſſe miracula, atque choragos, ſeu præfe- ctos horum ludorum, turbæ eſſe miniſtros; etiam fuerit ſatius interpretari ὄχλου pro tu- multu & perturbatione. Hactenus Robor- tellus. Duo objicit Eraſmo; & quòd ex uno ſimplicique Apophthegmate duplex fe- cerit, & quòd τὸ δημαγωγὸς vocabulum non bene intellexit. Cæterùm niſi doceat δημαγω- γοὺς eoſdem eſſe quos χορηγοὺς, ab utraque culpa liberatur Eraſmus. Videndum igitur primum, quibus probationibus utatur in aſſerenda iſtiuſmodi ſignificatione. Heſy- chius (inquit) δημαγωγεῖν idem eſſe ait, quod στρατηγεῖν, unde δημαγωγὸς ὁ ἄρχων, ἐκ τοῦ τὸν δῆμον ἄγειν καὶ διοικεῖν. Si eo ſenſu hoc dictum eſſe ab Heſychio intelligimus, jam ratiocina- tione iſta confectum eſt, hos tres magiſtra- tus eoſdem eſſe, ἄρχοντα, στρατηγὸν, καὶ δημαγωγὸν, limitibus quibus longiſſimè diſtant, in unum confuſis. Archontas enim Libanius in Androtionem magiſtratus porrecta manu creatos. Choragos ſuffragiis electos dicit. Sed nondum probatum eſt δημαγωγὸν & χορηγὸν ejuſdem eſſe functionis. Addit deinde δημάρχους eoſdem eſſe qui στρατηγοὶ & ἄρχοντες & δημαγωγοί. Ne nunc quidem ullum documen- tum dedit δημαγωγοὺς & χορηγοὺς ejuſdem ſi- gnificati eſſe participes, quod ſolummodo in quæſtione eſt. Tamdem aggregat huic cumulo ἀθλοθέτας, qui decem erant, ut ſin- gulæ tribus unum iſtiuſmodi haberent ad Panathenæa procuranda. Hic aliquid affine videtur poni cum choragis, qui & ipſi de- cem erant. Jam ſi docuiſſet, ἀθλοθέτας eoſdem eſſe qui δημαγωγοί, eſſet quiddam quod illius ratio videretur effeciſſe. Cæterum quid id contra Eraſmum, ſi ſecundum tuam ὑπόθεσιν, ἀθλοθέται καὶ χορηγοὶ ſint iidem? quod tamen nequaquam tibi concedimus, ut ſuo loco planum faciemus. Porrò quæ adfert ex Li- banio, nihil demonſtrant, niſi decem Cho- ragos fuiſſe: nihil id quoque ad controver- ſiam pertinet, evincendum eſt enim δημαγωγοὺς, eſſe χορηγοὺς, cujus rei nullum omnino indi- cium ex authoribus dedit. Sed redeamus ad Heſychii verba δημαγωγεῖν, idem eſſe quod

,, στρα-

,, στρατηγός. Nihil aliud Heſychius attulit quam A
,, etymologiam vocabuli, ut dicas Prætor,
,, quaſi præitor, quod præeat, nullo indicato
,, vel officio, vel functione iſtiuſmodi perſo-
,, næ, quòd ſi quis quum alicubi legat, dux
,, qui præit in itinere, & quem alii ſequun-
,, tur ſtatim inferat, dux & prætor idem
,, ſunt, nonne pulchrè ratiocinatus fuerit? aut
,, Nicolaus & Nicodemus iidem ſunt, quia
,, etymon nominis idem eſt, quàm ſcitè ſcili-
,, cet ille perſonas diſtinxerit & ἄρχων & δήμαρχος
,, & στρατηγός & δημαγωγός populum gubernant,
,, non tamen iidem magiſtratus. Longius
,, enim diſtant, quàm Nili fontes à ſuis oſtiis;
,, ἄρχοντες enim ſunt, qui Rempub. admini-
,, ſtrant, & à quorum nominibus Faſti no- B
,, tantur, ut Romæ à Conſulibus. Nec mi-
,, rum, cum teſte Vellejo Paterculo depulſis
,, à Rep. regibus, Archontes illis ſucceſſerint.
,, primum perpetui, deinde in denos annos
,, creati, poſtremo in ſingulos. Δημάρχους non
,, immerito Tribunos appelles. Hi enim ſin-
,, gularum tribuum præfecti erant, hi tabu-
,, las conficiebant prædiorum cujuſque tribus
,, eorumque nomina recipiebant, quo ſuæ tu-
,, telæ jam facti eſſent, populumque (ubi
,, opus erat) convocabant, & à debitoribus
,, pignora capiebant; στρατηγὸν vero ducem belli
,, ex multis hiſtoriis intelligas, in Evangelio
,, etiam earum excubiarum præfecti ſunt,
,, qui templum ſervant & apud Ariſtotelem C
,, Politicorum ſeptimo, Polemarchi & Stra-
,, tegi, pro eodem genere magiſtratuum po-
,, nuntur. Apud Ariſtophanem in Veſpis
,, Polemarchi idem officium habent, quod
,, Romæ prætores peregrini, ut qui de cauſis
,, peregrinorum cognoſcant. Ἀθλοθέται verò
,, eatenus Romanis Ædilibus ſimiles, quòd
,, ſpectaculis præſident, cum Choragis nihil
,, commune habent, qui ſuo ſumptu ſpecta-
,, cula inſtruunt, judicandi munus aut Corol-
,, larii dandi nequaquam jus habent. Δημαγωγός
,, vero is eſt, qui populares auras captat,
,, ſive is ſit Orator; quo plerunque fit, ac
,, proinde non raro pro oratore ponitur, ſive
,, alterius generis homo, certe ea de cauſa D
,, ab Ariſtotele appellantur publici adulato-
,, res. Sic enim ait Politicorum libro quarto,
,, καὶ ὁ δημαγωγὸς καὶ ὁ κόλαξ οἱ αὐτοὶ, καὶ ἀνάλογον, καὶ
,, μάλιστα δ' ἑκάτεροι ἰσχύουσιν οἱ μὲν κόλακες παρὰ τυράν-
,, νοις, οἱ δὲ τοῖς δήμοις τοῖς τοιούτοις. Hoc eſt, Et
,, demagogus & aſſentator iidem ſunt certa
,, quadam ſimilitudine & proportione, &
,, ambo præpotentes ſunt. Aſſentatores qui-
,, dem apud tyrannos, demagogi vero apud
,, iſtiuſmodi populos. Rurſus libro quinto,
,, Ἐπὶ δὲ τῶν ἀρχαίων, ὅτε γένοιτο ὁ αὐτὸς δημαγωγὸς καὶ
,, στρατηγὸς εἰς τυραννίδα μετέβαλλον. σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι
,, τῶν ἀρχαίων τυράννων, ἐκ δημαγωγῶν γεγόνασιν. αἴτιον
,, δὲ τοῦ τότε μὲν γίγνεσθαι, νῦν δὲ μὴ ὅτι τότε μὲν οἱ E
,, δημαγωγοὶ ἦσαν ἐκ τῶν στρατηγούντων, οὐ γάρ πω δεινοὶ
,, ἦσαν λέγειν, νῦν δὲ τῆς ῥητορικῆς ηὐξημένης, οἱ δυνάμε-
,, νοι λέγειν δημαγωγοῦσι μὲν. διὰ ἀπειρίαν δὲ τῶν πολεμι-
,, κῶν οὐκ ἐπιτίθενται. Hoc eſt, Olim cum idem
,, eſſet & demagogus, & belli dux, in ty-
,, rannum evadebat. Plerique enim veterum
,, tyrannorum ex demagogis facti ſunt. Cau-
,, ſa quur id tum contigerit, ac jam non
,, fiat, quòd tum demagogos ſe præſtabant,
,, qui rebus bellicis præfuiſſent, nondum
,, enim per id tempus eloquentes erant. Nunc
,, autem arte dicendi amplificata, qui elo-
,, quentes ſunt, demagogos ſeſe exhibent.
,, Verum quia belli peritiam non habent, ab-

,, ſtinent ſe ab occupanda tyrannide. Fac
,, mihi quæſo in iſtis locis ex Demagogo Cho-
,, ragum, ſi audes. Non erravit igitur Eraſ-
,, mus qui oratorem id verterit. Certe Julius
,, Pollux Demagogum & Rhetorem uno titu-
,, lo complexus eſt, libri quarti capite quarto
,, περὶ ἐπαίνου ῥήτορος καὶ δημαγωγοῦ, neque toto ca-
,, pite in tot elogiis ullum inter eos diſcri-
,, men facit. Rurſus capite quinto ejuſdem
,, libri; περὶ ψόγου τούτων inquit, numero ſingu-
,, lari utens, tanquam res eadem ſit, voca-
,, bula autem duo; multaque ibi convitia
,, ſunt, quæ ad nullum niſi ad Oratorem re-
,, ferri poſſunt, quale eſt: συκοφάντης, δικογράφος,
,, δικορράφος, λέγων ἐπὶ χρήμασι, πρὸς ἀργύριον λέγων,
,, μηδὲν ῥῆμα προῖκα εἰπών, μισθοῦ φθεγγόμενος, πρὸς
,, χάριν λέγων, πρὸς ἡδονὴν δημηγορῶν, παρὰ τῇ κιγκλίδι
,, ζῶν. Calumniator, litium conceptor, con-
,, troverſiarum conſutor, pro pecunia lo-
,, quutulejus; ob nummos dicens, nullum
,, verbum gratis proferens, pro mercede
,, vocem edens, ad gratiam loquens, ad
,, voluptatem conciones fingens, apud tribu-
,, nalia ſemper vivens. Poſtremo Libanius
,, in argumento contra Androtionem com-
,, magiſtratus dividat Athenienſes, alios facit
,, ſortitu obventitios, quos ille appellat
,, ἀρχὰς κληρωτὰς, quales ſunt judices, alios
,, χειροτονητὰς, porrecta ſcilicet manu creatos,
,, in quorum claſſe στρατηγοὺς collocat, alios
,, αἱρετοὺς ſuffragiis electos, in quorum numero
,, choragos conſtituit, ex quibus vel cæco
,, apparet, quàm omnino nihil iſtæ functio-
,, nes conveniant. Ego tamen, ut dicam quod
,, ſentio, nihil iſtud ἀπόφθεγμα corruptum vi-
,, detur, τοὺς δὲ Διονυσιακοὺς ἀγῶνας μεγάλα θαύματα
,, μωροῖς ἔλεγε. Salſum id & acerbum, & probè
,, ex indole Diogenis. Id autem quod ſequi-
,, tur, ignavum & vapidum, καὶ τοὺς δημαγωγοὺς
,, ὄχλου διακόνους, & demagogos eſſe vulgi mini-
,, ſtros. Quid acrimoniæ habet iſtud dicte-
,, rium? credo igitur vocem διακόνους eſſe cor-
,, ruptam, & olim fuiſſe ſcriptum διανομεῖς &
,, ex gamma quæ Græce γ Latinum c re-
,, præſentat, in eam iterum, cui forma affi-
,, nis eſt, commutatum eſſe, rurſus ex γ
,, quæ multum accedit ad υ præſertim in
,, literis exoleſcentibus ypſilon eſſe factum,
,, atque ita pro διανομεῖς διακόνους nobis emerſiſſe,
,, ut hic ſit ſenſus, demagogos publica inter
,, ſe dividere, ac prædæ habere; atque ita
,, aderit nobis venuſtas παρηχήσεως, quæ fre-
,, quens eſt in dictis Diogenis; nobis illam
,, utcunque imitari licuerit; ſi dicamus Pu-
,, blicolas eſſe Publivoras. Sed hic, etſi
,, malo jure Eraſmum carpat, maledicus non
,, fuit. Nunc pergamus ad ſecundam in
,, Eraſmum annotationem. Annotavi (in-
,, quit) ſuperius Eraſmi Roterodami erratum
,, quoddam in vertendis è Laërtio Diogenis
,, Cynici apophthegmatis, ſed cum & ea
,, paulo poſt omnia percurriſſem, & cum
,, Græco contuliſſem, multo plura perperam
,, verſa deprehendi. Libuit igitur ſigillatim
,, hic aſcribere, ut videant eruditi, quanto-
,, pere à vero Laërtii ſenſu aberrarit. Si
,, quum hæc ſcriberem, plus ocii fuiſſem na-
,, ctus, adnotaſſem & in aliorum apophtheg-
,, matis vertendis Eraſmi errata, ſed hæc alio
,, complectemur libello. Interim ſat erit, ſtu-
,, dioſos literarum monere, ne magnopere
,, eam Apophthegmatum ament tranſlatio-
,, nem. Nam etſi multa rectè converſa ſunt,
,, multo tamen plura perperam expreſſa vi-
,, ſun-

A „ ſuntur atque hoc facile cognitu erit iis qui „ Græca legerint.

IN CAPUT XX.

Ciceroniani ex prima Tuſculana loci interpunctio reprobata.

LOcus eſt in primo Tuſculanarum quæſtionum, in quo non idem ſentio, atque Robortellus in diſtinguendis perſonis, & ſententia enodanda: Sic vulgo legitur: A. Adeo tu me delirare cenſes, ut iſta eſſe credam? M. An tu hæc non credis? A. Minime vero. M. Male hercule narras. A. Cur quæſo? M. Quia diſertus eſſe poſſem, ſi contra iſta dice- B rem. A. Quis enim non in ejuſmodi cauſſa, aut quid negotii eſt, hæc poëtarum, & pictorum portenta convincere? M. Atqui pleni ſunt libri contra iſta ipſa differentium philoſophorum. A. Inepte ſane. In hæc ita Robortellus: „ Neminem eſſe puto alicujus judicii „ hominem, qui iſta ſic diſtincta legens non „ offendatur, melioremque requirat ſenſum. „ Commodum igitur videtur, ut totum locum „ deſcribam, ſicuti eſt in vetuſto exemplari „ à me inventus; omnes enim per ſe cogno- „ ſcent, quantum hæc à priori diſtet lectio, „ & ſenſus. A. Adeo ne me delirare cenſes, „ ut iſta eſſe credam? M. An tu hæc non C „ credis? A. Minime vero. M. Male hercule „ narras. Cur quæſo? A. Quia diſertus eſſe „ poſſem, ſi contra iſta dicerem; quis enim „ non in ejuſmodi cauſſa, aut quid negocii „ eſt hæc poëtarum, & pictorum portenta „ convincere. M Atqui pleni ſunt libri con- „ tra iſta ipſa differentium philoſophorum. „ A. Inepte ſane. Puto omnibus jam eſſe per- „ ſuaſum ita debere locum legi, & inter „ pungi. Hæc Robortellus. Quod autem ille omnibus ſe perſuaſiſſe ait, mihi neſcio quo meo fato non perſuaſit. Cenſeo enim confundi perſonas, & quod gravius eſt, pulcherrimam ſententiam perturbari; quæ ex vulgata perſonarum diſtinctione colligitur, ita: Inquit D auditor: Adeo ne me delirare cenſes, ut fabuloſa inferorum portenta credam? miratur Marcus, & ait: An tu hæc non credis? negat ſe ea credere Auditor. Subjicit Marcus, eum non bene dixiſſe, cum ſe ea credere negavit. Quærit deinceps auditor, cur maledixerit; reſpondet Marcus, quia adeo vera ſunt, ut ſi ipſe contra ea diſſerere vellet, diſertus eſſe poſſet. Subſequitur Auditor; imo ita falſa, ut nihil ſit facilius, quam ea refellere; reſpondet Marcus, imo nihil difficilius eſſe; unde plenos extare libros contra ea ipſa differentium Philoſophorum. Hoc autem ſenſu nihil planius, nihil verius eſſe exiſtimo. Quod autem dixi, iis verbis: Quia diſertus eſſe poſſem, ſi E contra iſta ipſa dicerem, ſignificari portentorum eorum veritatem, quæ difficile niſi à diſerto refutari poſſit, probo ejuſdem Ciceronis auctoritate, qui in II. Philippica ita loquitur: Qui cum hoc iſto tempore ſtent cum gladiis in conſpectu ſenatus, ego quoque te diſertum putabo, ſi oſtenderis, quo modo ſis eos inter ſicarios defenſurus; id eſt, te putabo diſertum, ſi veritatem oppugnabis. Robortelli autem aliena hæc ſententia eſt. Negat ſe portenta credere Auditor; reprehendit eum Marcus, & quærit cur non credat; reſpondet Auditor, nimirum quia falſa ſunt; ſignum falſi, quia diſertus eſſe poſſem, ſi contra iſta ipſa dicerem; quid eſt autem hoc? nam falſa refellere, non eſt difficile, neque in eo laus elucet eloquentiæ. Nam quod ait, diſertus eſſe poſſem, difficultatem cauſſæ perorandæ ſignificat. Itaque quam illud abſurde etiam, quod ſequitur? Quis enim non in ejuſmodi cauſſa, aut quid negocii eſt, hæc poëtarum, & pictorum portenta convincere? ſit enim, ut idem Auditor, portenta inferorum & difficilia & facilia, quæ refellantur, eſſe dicat, & ſplendor illius ſententiæ: diſertus eſſe poſſem; tenebris involvatur ita, ut non appareat. Quare omnino meo judicio non eſt mutanda ratio illa perſonarum, atque hoc ipſum ne Robortellum quidem, ſi rem attentius conſiderarit, negaturum eſſe confido.

IN CAPUT XXIII.

CApite autem XXIII. reddit rationem, cur Cicero in prima Tuſculana ἀξίωμα pronunciatum verterit; id eſt, ut loquuntur, orationem enunciativam; idque quaſi myſterium ſit Dionyſii aliquod, tradit magna cum gravitate; eſſe enim à Stoicis ſumptum id, Diogenis Laërtii auctoritate confirmat. Cum tamen illud tam tritum ſit, ut etiam apud Priſcianum inveniatur, cujus hæc verba ſunt libro XVIII. Et ſciendum, quod has quidem conſtructiones, quæ per nominativum abſolvuntur, Stoici ἀξιώματα, vel συμβάματα vocant, id eſt, dignitates, vel congruitates; ut Apollonius ambulat. Vere ergo ille in libro de arte corrigendi dixit, multa lectione opus eſſe ei, qui ſe ad ſcribendum confert; alioquin ea pro novis afferet, quæ omnibus nota ſunt, pro magnis, quæ ſunt puſilla.

IN CAPUT ULTIMUM.

CApite XXV. Eraſmum virum doctiſſimum dilacerat; quem cum Petrus Nannius novem ante annis cum maxima hujus infamia ultus eſſet, ipſe obmutuit; credo, quod indecorum eſſe putavit giganti rem eſſe cum Nano. Ego vero quomodo Nannius ipſe robuſta ejus tela infregerit, exponam; ut, cum ille mihi reſpondebit, una etiam Nannio, quem ſine reſponſo novem annos jacere homo diſertiſſimus paſſus eſt, reſpondere poſſit. Verba ejus ex VIII. libro Miſcellaneorum hæc ſunt:

Quid ſit Μέλλοντας πολιτεύεσθαι.

„ IN decimoctavo Apophthegmate ita ſcriptum eſt: ἐπῄνει τοὺς μέλλοντας πολιτεύεσθαι, καὶ μὴ πολιτεύεσθαι, καὶ τοὺς παιδοτροφεῖν, μὴ παιδοτροφεῖν. „ Eraſmus ſic vertit: Laudabat eos, qui ad „ rempublicam acceſſuri non accederent, qui „ pueros alturi, non alerent. Παιδοτροφεῖν hic „ ſignificat ſervos nutrire: etſi pueri ſervi di- „ cuntur: tamen dilucidior ſenſus eſſet, ſi „ dixiſſet, qui ſervos alturi, non alerent. „ Nam juxta illud:

σώματα πολλὰ τρέφειν,
ἀτραπὸς εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη:

Hactenus ille. Quis quæſo hic error? Nam ipſe fateris pueros ſervos dici. Jam ſi id verum eſt, ut eſt longe veriſſimum, id reddidit quod tu vis? Sed inquis, dilucidior eſſet ſenſus, ſi ſervos alere vertiſſet. Ego tibi nequaquam id concedo, putoque potius de liberis alendis dictum eſſe à Dio-

gene, quum olim illos occidere liceret, atque adeo ſervus apud Terentium dementiam appellet, quod herus, quicquid Glycerium peperiſſet, ſtatuerat educare, ac proinde magnis privilegiis ad educationem prolis invitabantur. Verum donemus tibi tuum ſenſum eſſe illum unicum, ad quem reſpexerit Diogenes. Quid quæſo peccati, vocem πολύσημον æque πολυσήμων interpretari, quum inde in nullam partem abſurda ſententia enaſcatur, & in ipſo ambiguo tota vis gratiæ & lepotis ſæpius ſit conſtituta. Olim in eccleſia legebatur, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam, ut deſtruas inimicum & defenſorem, ut narrat Sulpitius in vita D. Martini, nunc legimus, ut deſtruas inimicum & ultorem, Græce ἐκδικητήν, quod utranque ſignificationem in ſe retinet. Jam ſi quis reddat, ut deſtruas inimicum & vindicem, & fide translationis ſervata, judicium lectori integrum relinquat, rectius ne tibi facere videtur, quàm ille litem ſuam facit, & alteram partem præoccupat, quum res in æquilibrio pendet? Cæterum quia hoc apophthegma nulla ratione ita transfundi in linguam Latinam poteſt, quin perdat nativam ſuam & perquàm lepidam argutiam, paucis indicabo ad quæ alluſum ſit à Diogene. μέλλοντας πολιτεύεσθαι, & ii dicuntur qui aliquando Rempublicam ſunt adminiſtraturi, quales ſunt magiſtratus deſignati, & qui procraſtinatores ſunt in Republica ſuſcipienda. Deinde valde mecum ambigo, num etiam in hac voce μέλλοντας alluſum ſit ad hanc dictionem μέλοντας hoc eſt, meditantes, quanquam & ipſum verbum μέλω ſtudeo ſignificat. Nam Heſychius (inquit) μελλόντων μελετώντων; quamobrem prope adducor, ut credam ſic eſſe vertendum. Laudabat eos qui ſtuderent rei publicæ gubernandæ, non gubernarent: & pueris alendis, ac non alerent; ut intelligas, eum iſtarum rerum meditationem probaſſe, uſum, functionemque vituperaſſe.

Quid ſit Manum porrigere complicatis digitis.

Rurſus idem Robortellius carpit Eraſ. in decimo nono Apopht. ſic enim inquit: „ Eraſmus ait: Illi tribuitur & hoc „ ænigma, Manus non eſſe porrigendas ami„ cis, complicatis digitis. Innuens non ſatis „ eſſe, ſi comes nos præbeamus amicis, ſed „ comitati adjungendam benignitatem. Apud „ Laërtium ſic exprimitur hoc ænigma, ἔλεγε „ δὲ καὶ δεῖν τὰς χεῖρας ἐκτείνειν, μὴ συγκεκραμμένοις τοῖς „ δακτύλοις. Addit ex ſe Eraſmus amicis, quod „ ſi addatur, tollitur ænigmatis ambiguitas „ tota & venuſtas. In Græco ita legitur. „ Ajebat, manus oportere extendere non con„ fuſos digitos; vel dicebat manus eſſe exten„ dendas, non confuſis digitis, & ſane hoc „ melius. Senſus eſſe poterit omnia eſſe aper„ to animo & ſimplici facienda, non autem „ fucato & ſimulato, vel non oportere eſſe „ rapacem. Nam qui aliquid in vola abdunt, „ manum non extendunt; vel ſi referas ad „ orationem, ſicut olim Zeno ajebat, oratio„ nem oportere eſſe planam & apertam, non „ conciſam, confuſam, aut obſcuram. Hactenus Robortellius, qui cum promiſerat ſe errorem allegare, nihil quod vel affine errori eſſet, allegare potuit. An propterea male audiet Eraſmus, quod de ſuo addidit, amicis? In hoc opere Eraſmus nunc anxium interpretem, nunc liberum paraphraſtem, nunc ſedulum commentatorem agit. Jam quod tu ais, ea additione omnem ambiguitatem tolli & venuſtatem, vehementer admiror, qui ipſe adhuc incerta interpretatione fluctuare videris, & de ſententia una in aliam deſilis, ſi nihil eſt obſcuri, quid ita ſubinde ejus Apophthegmatis ſignificationem refingis, quod proprie eſt hominum, qui ſibi ipſis dum alia atque alia tentant, non ſatisfaciunt, nec venuſtas ex ænigmate tollitur, ſi aliquantulum lucis affundas. Optima enim ſunt illa ænigmata quæ ita ſe abdunt, ut tamen latentem viam ad ſua myſteria ſubindicent. Cæterum ubi tu legis συγκεκραμένως, Eraſmus videtur legiſſe συγκεκαμμένοις, hoc eſt, contractos, & id rectius videtur. Valde enim improba eſt metaphora digitos confundi, nec ſcio, an uſquam alibi eam locutionem reperire liceat. Quod autem Eraſmus benignitatem comitati adjungendam eſſe, ex hoc ænigmate intellexerit, non levi neque futili ratione niſus eſt, primum quia dextra fidei, amicitiæ, & comitati conſecrata ſit; unde illud Virgilii:

Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe tyranni.

„ Inde Græci verbum δεξιοῦσθαι finxerunt, hoc „ eſt, dextra complecti. Digitos autem con„ tractos ſignificare tenacitatem, vel unus „ Martialis arguerit:

Litigat, & podagra Diodorus Flacce laborat,
Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra eſt.

Rurſus idem: De Demagogo.

„ IN trigeſimo quarto rurſus Eraſmus ver„ tit δημαγωγὸν oratorem, quod non probo. „ Laërtius: ἴδε ὑμῖν ἔφη ἐςὶν ὁ Ἀθηναίων δημαγωγός. „ Eraſmus, hic eſt, inquit, ille Demo„ ſthenes Athenienſium orator. Sed ſic melius: „ En vobis o hoſpites, Athenienſium ducem „ ac principem; vel, En qui Athenienſium „ aures captat ac demulcet. Nam probrum „ in ſe habet hæc demonſtratio per μέσον δάκ„ τυλον. Hactenus Robortellius. Nihil hic peccaſſe Eraſmum, ſuperius demonſtratum eſt, quamobrem non eſt conſilium ea repetere.

Rurſus idem. Quid παρὰ ſignificet.

IN trigeſimo ſeptimo Laërtius: τοὺς πλείστους ἔλεγε παρὰ δάκτυλον μαίνεσθαι, ἐὰν οὖν τις τὸν μέσον προτείνας πορεύηται δόξει μαίνεσθαι, ἐὰν δὲ τὸν λιχανόν, οὐκέτι. Eraſmus. Dicebat plurimos inſanire præter digitum. Nam ſi quis aſſidue medium digitum intendat vice indicis, vulgo inſanus habetur: ſi quis indicem, ſanus videtur. At plurimi ſunt homines, qui gravius inſaniunt rebus ſeriis, quàm ſi digitum pro digito porrigant, & tamen vulgo hi non habentur ſani. Hactenus Eraſmus. Nunc audite quid Robortellius dicat. „ Quoniam „ παρὰ cum accuſativo junctum, ſæpe accipi„ tur pro apud, vel prope, lepidior ſenſus „ mihi videtur, ſi dicas: Multos ajebat inſa„ nire prope digitum medium, quod eo ma„ gis probo, quia ſequitur, ἐὰν δὲ τὸν λιχανὸν οὐκέτι, „ id eſt, ſi quis indicem non amplius. Ecce „ vicinitatem inſaniæ, ſicuti digitorum. Mul-

„ to-

„ torum inſania eſt occulta, ſed fortaſſe non
„ minor quam ea quæ aperta eſſe ſolet. Unum
„ me torquet in hoc dicto Diogenis, quòd vi-
„ deo conſuetudinem fuiſſe apud veteres, ut
„ medio digito commonſtrarentur inſani &
„ infames. Neque ſatis memini me legere
„ apud ullum, eos habitos inſanos, qui alte-
„ rum commonſtrarent digito, vel qui me-
„ dium extantem, à cæteris concluſis geſta-
„ rent, hoc videndum. Nam quin ita ut ex-
„ poſui, ſit accipiendum dictum Diogenis,
„ non eſt dubitandum. Hactenus Robortel-
lius. Qui quum omni ratione conatus ſit emendare Eraſmum, nihilo meliora in medium attulit, nec argutiem iſtius dicti percepit. Eſt enim ſenſus, pleroſque uno digito ab inſania diſtare; nam ſi impudico digito commonſtrationes facerent, ut faciunt indice, inſani haberentur, id quia non faciunt, ſpatium diſcrimenque unius digiti intereſt, quo minus ſint vecordes. Præter enim abſurdum geſtum oſtendendi nihil requiritur, quin ſint pro inſanis habendi. Formulas iſtius loquutionis ubi παρὰ intervallum ſignificat, abunde apud Budæum reperies.

Rurſus idem. Quid ſit Κρανεῖον.

IN quadrageſimo ſexto Laërtius: ἐν τῷ Κρανείῳ ἡλιουμένῳ αὐτῷ Ἀλέξανδρος ἐπιστὰς φησὶν αἴτησόν με, ὃ θέλεις. Eraſmus. Quum Alexander Magnus inviſeret Diogenem; reperit eum in Cranio ſedentem pro dolio. Hactenus Eraſmus. Robortellius: „ Cranium per ι in pe-
„ nultima calvariam ſignificat Cranium mor-
„ tuorum, κράνειον vero per ει diphthongum in
„ penultima, ſignificat Craneum, qui erat lo-
„ cus gymnaſii è regione Corinthi. Hoc pa-
„ tet ex alio loco Laërtii, ubi ait: διάγων ἐν τῷ
„ Κρανείῳ τῷ πρὸς τῇ Κορίνθῳ γυμνασίῳ. Eraſmus de-
„ ceptus eſt vocis ſimilitudine, nam vertit in
„ cranio, id eſt in calvaria, neque eſt quòd
„ quis illum excuſet, poſſe etiam intelligi de
„ gymnaſio, ſic ſcriptam illam dictionem La-
„ tine, ut ii proferatur longum. Nam cur ad-
„ didit pro dolio, quod non eſt in contextu
„ Græco? ex quo ſatis patet, Eraſmum de-
„ ceptum eſſe. Immo nihil minus patet, quum enim inquiat Eraſmus, eum ſedentem in cranio pro dolio, ſatis indicat ſe diverſum putare cranium, & dolium. Nam ſi idem exiſtimaſſet, nullo modo pronunciaſſet, eundem & in dolio ſedere, & ante dolium. Et qnod tu dicis, vertit in cranio, id eſt, in dolio, illam exepegeſim de tuo addidiſti; nec ea in verbis Eraſmi reperitur. Pergit deinde Robortellius. „ Laërtius dicit ἡλιουμένῳ,
„ vertit Eraſmus, Laceras ſchedas glutino
„ committentem. Dii boni, quale ſomnium?
„ Quis dicat, in ſchedis glutinandis fuiſſe
„ occupatum Diogenem? Labitur igitur & hic
„ Eraſmus, dum ſibi nimius indulget in ver-
„ tendo, & addendo multa, quæ in Græco
„ contextu non leguntur. Quur errat Robortelli? an quia plura addit, quàm tuus Laërtius habet? quando unquam Eraſmus in verba Laërtii juravit? Quicquid ubique invenit, quod ad præſens Apophthegma ſpectat, vel in Græcis, vel in Latinis auctoribus, in unum congerit; Idne errorem ampliorem & inſtructiorem facere non eſt profeſſus, ſe verborum Laërtii interpretem, ut illi religio ſit, quicquam vel detrahere vel addere.

Rurſus idem. Diverſa transferri ex diſcordia exemplarium.

„ IN ſexageſimo octavo Laërtius: μακρά τινος
„ ἀναγινώσκοντος, καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βιβλίου ἄγραφον
„ παραδείξαντος, θαῤῥεῖτε ἔφη ὦ ἄνδρες γῆν ὁρῶ. Eraſ-
„ mus. Quodam tempore, quum diutiſſime
„ legens tandem eo veniſſet, ut videret char-
„ tam vacuam, bono inquit animo eſtote viri,
„ terram video. Labitur Eraſmus, quòd ait
„ ipſum Diogenem legentem eo dixiſſe, γῆν ὁρῶ,
„ quum alius hoc dixerit. Quid ſi aliud exem-
„ plar Græcum ſecutus ſit, ac ita invenerit,
„ μακρά τινα, ac non μακρῷ τινι, non ne unica aut
„ altera litera aliter inventa ab omni errore
„ Eraſmum vindicaverit? Eadem certe gratia Apophthegmatis, ſive Diogenes legerit & dixerit, terram video, ſive alius quiſpiam legerit, ſubjiciente Diogene, terram video.

Rurſus idem.

IN LVI. Eraſmus. Quum primum cœpiſſet philoſophari, cum in dolio ſolus rancido veſcens pane audiret totam urbem lætitia perſtrepentem, erat enim dies feſtus, ſenſit animo nonnihil tædii, diuque ſecum de relinquendo vitæ inſtituto cogitavit. Sed quum tandem mures videret adrepentes, micas panis edere, quid diſplices, inquit, tibi o Diogenes, ſat magnificus es, ecce etiam paraſitos alis. Audi nunc Robortellii quiritationem. „ Ego profecto neſcio,
„ unde hic paraphraſtes egregius tam multa
„ præter rem in medium attulerit. Nam in
„ Græco ita legitur, breviſſime & politiſſime,
„ πρὸς τοὺς ἐφιπτάντας ἐπὶ τράπεζαν μῦς, ἰδοὺ φησὶ, καὶ
„ Διογένης παρασίτους τρέφει, id eſt, ad mures per-
„ repentes in menſam: En ait, & Diogenes
„ paraſitos alit. Robortellius præter copiam, nihil hic arrodere poteſt. Mirum autem unde Diogeni menſa, qui nihil ſuppellectilis habuit, præter peram. Certe priori loco (nam bis hoc Apophthegma habet) menſam omiſit.

Rurſus idem: Quam facile librarii peccent.

„ IN ſeptuageſimoſecundo Eraſmus ait. Huc
„ veni inſpecturus inſaniam tuam, qui non
„ contentus regno. In Græco ſcribitur κατάσ-
„ κοπος τῆς σῆς ἀπληστίας, id eſt, explorator tuæ
„ cupiditatis, quæ eſt inexplebilis. Hic ne-
„ ſcio quur ἀπληστίαν verterit Eraſmus inſa-
„ niam; in uno vocabulo tota culpa. Vide-
„ tur Eraſmus fiducia memoriæ libros ali-
„ quando non conſuluiſſe, ac propterea ali-
„ quando non eadem, ſed cognata vertere.
„ Cæterum tam aperta res imperitiæ aſcribi
„ non poteſt. Poſtremo valde mecum addu-
„ bito, num principio ſcriptum ſit inſatiem
„ pro inſatiebilitatem, quod ſcriba non intel-
„ ligens verterit inſaniam.

Rurſus idem. De licentia in deducendis etymis.

„ IN LXXIII. cum dicit Eraſmus ἄθλιος Græ-
„ ce, miſerum ſonat, multiſque afflictum
„ laboribus unde & Athletis nomen, decipi-
„ tur... nam Athleta non dicitur παρὰ τοῦ ἀθλίου,
„ id eſt, à miſero, ſed à verbo ἀθλέω, quod
„ eſt luctor, certo, vel παρὰ τοῦ ἄθλου, id eſt, à
„ certamine. Eſt quidem apud Græcos ver-

„ bum

„ bum ἀθλεύεσθαι, id eſt, infelicem eſſe & adverſis conflictari, ſed non Athletæ ab hoc dicti ſunt, immo è diverſo ἀθλεύεσθαι παρὰ τῶν ἄθλων, propter labores eorum immenſos. Hactenus Robortellius, qui præter originationem nihil carpit. Atqui in etymologiis mire ludunt auctores, id ſi non patitur; auferat à Jureconſultis, teſtamentum à teſtatione mentis eſſe dictum, à Cicerone fidem inde appellatam, quod fiat id quod dictum eſt.

Rurſus idem. Errores magnorum virorum eſſe emendandos, non convitiis exagitandos.

„ IN LXXIV. Eraſmus. Invitatus, ut ad Alexandrum veniret, recuſavit, at Perdiccæ præfecto minitanti necem ni veniret. In Græco nulla fit de Alexandro mentio, ſed tantum de Perdicca, περδίκκα ἀπειλήσαντος. Errat turpiſſime in reddendo Latine reſponſo Perdiccæ; ait enim nec dubitavit viciſſim minitari Perdiccæ, ſe feliciter victurum ſi ſine illo viveret, indicans eſſe infelices, qui cum Perdicca viverent. Eſt in Græco εἰπεῖν δὲ μηδὲν ἀπειλεῖν μέγα, ὡς καὶ χωρὶς ἐμοῦ ζῆσαι εὐδαιμόνως ζήσεται. Senſus eſt, Quum mortem minitatus eſſet Perdiccas Diogeni, inquit Diogenes, nil magnum; nam & phalangium hoc efficere poſſit, putabat magis Perdicca dignum, ſi ſic minitaretur, Ut libet ò Diogenes, vel veneris, vel non veneris ad me, dabo tamen operam, ut etiam ſine te recte vivam. Recte tu quidem Robortelli, ac nunc primùm legitimam habes cauſam reprehendendi, quæ antea vel injuſta fuit, vel nulla, vel frivola. Sed quur quæſo tot auctaria huic Apophthegmati adjicere placuit, quum tu eam legem vertendi toties; tam odiosè, in Eraſmo prædamnaris? Nam hæc omnia (ut libet ò Diogenes, vel veneris, vel non veneris, dabo tamen operam) in Græco nuſquam deprehendas. Ἐκεῖνο δὲ μᾶλλον ἀπειλεῖν ἄξιον, ὡς εἰ καὶ χωρὶς ἐμοῦ ζῆσαι εὐδαιμόνως. Id autem eum minari dignum cenſebat, ſi diceret, etiam ſi ſine te vixero, beate vixero. Libertatem tuam in transferendo non culpo, ſed ad legem quam in alios condis te revoco. Erravit Eraſmus? certe tam fœde ſugillandus non erat, poſt tot lucubrationes marcidus vigiliis alicubi cum bono Homero dormitat. Tu non contentus priori ſugillatione, hanc coronidem in fine tuæ annotationis adjungis. „ Jam patet, opinor, turpiſſimus Eraſmi error.

Rurſus idem. Quæ ſignificata habeat Vita.

„ IN LXXV. Alter hic gravis apparet Eraſmi lapſus; nam ſic vertit. Ajebat faciles eſſe deos ad donandam hominibus vitam. Cæterum hanc ignorari ab his qui quærunt dulciaria, unguenta, aliaſque id genus delitias. Cum apud Laërtium legatur, ἐβόα πολλάκις λέγων τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ῥᾴδιον ὑπὸ τῶν θεῶν δεδόσθαι, ἀποκεκρύφθαι δὲ αὐτὸν ζητούντων μελίπηκτα, καὶ μύρα, καὶ παραπλήσια. Quorum verborum hic eſt ſenſus, Vociferabatur ſæpe, affirmans facilem & parabilem admodum deos hominibus dediſſe victum, ſed latere eos, dum intenti ſunt mellitis placentis, unguentis, & aliis id genus quærendis. Vides quantum interſit inter hunc & illum ſenſum? Sed multo magis animadvertes; ſi leges quæ in ſua commentatione ſuper hoc dicto addit Eraſmus. Hactenus Robortellius. Si Eraſmus vitam pro victis poſuit, nihil erravit, in eo enim ſignificatu invenitur apud Donatum in Phormione, cujus hæc ſunt verba, Vita autem & mores ſignificat, & animam, & alimentum, & ſpatium vivendi. Recte igitur Eraſmus vocabulum πολύσημον πολυσήμως extulit, ut διχονοία eadem eſſet. Eſt autem alluſum ad hos verſus Heſiodi in libro operum & dierum, ubi ſic ait:

Κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι;
ῥηϊδίως γάρ κεν καὶ ἐπ' ἤματι ἐργάσσαιο
ὥστε σε κ' εἰς ἐνιαυτὸν ἔχειν καὶ ἀεργὸν ἐόντα. Hoc eſt:

Occultant ſuperi victum mortalibus ægris,
Nam facile obtineas tantum ſub luce diurna,
Suppetat ut penus (quamvis ocieris) in annum.

Quòd ſi in commentatione evagatur, nihil poſſum dicere, niſi liberrimum ejus ingenium liberis aliquando habenis currere. Cæterum rurſus ex te quæro, quæ tua quoque licentia, quum Græca verba habeant, victum latere & in occulto haberi, tu ad perſonas tranſtuleris, tanquam illos victus lateat ἐβόα enim inquit, πολλάκις λέγων τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ῥᾴδιον ὑπὸ τῶν θεῶν δεδόσθαι, ἀποκεκρύφθαι δὲ αὐτόν. Clamabat ſubinde dicens, victum facilem à diis donatum eſſe, ſed eum in occulto haberi, dum homines requirunt placentas ex melle, & unguenta, aliaque conſimilia.

Rurſus idem. Metaphoras ſæpe improbiores videri, non eſſe.

„ IN LXXX. Delirat Eraſmus; nam ſic vertit, Præteriens prodigi cujuſdam ædes, inſcriptionem habentes, Venales: facile (inquit) divinabam fore, ut præ immodica crapula domum evomeres. Jam enim domum abſumpſerat, antequam venalem proſcriberet, vomitus erat ille verius, quam venditio. Hactenus ille. In Græco ſcribitur, θεασάμενός ποτε ἀσώτου οἰκίαν ἐπιγεγραμμένην; πράσιμος, ᾔδειν (εἶπεν) ὅτι οὕτως κραιπαλῶσα ῥᾳδίως ἐξεμέσεις τὸν κεκτημένον. Senſus eſt, Conſpicatus Diogenes in prodigi cujuſdam domo inſcriptum, Venalis. Sciebam (inquit) fore aliquando, ut tantum crapulans, ò domus eras evomitura tuum herum. Quid hoc ſenſu lepidius? at cujus non offenduntur aures, quum Eraſmus ait virum evomere ædes? Aptior quippe eſt jocus, domum evomere herum. Recte tu quidem, ſed non puto te aliud cogitare, quam hunc lapſum eſſe potius incuriæ & inadvertentiæ (ut mihi hoc vocabulum uſurpem) quàm inſcitiæ aut delirii. Quòd autem eam metaphoram de domino evomente ædes, tanquam abſurdiſſimam exagitas, ſcias ei non diſſimilem in dictis Catonis Cenſorii inveniri, ſic enim ait, Quendam qui agros mari vicinos ob luxum vendere coactus eſt, ajebat ſe mirari, quaſi plus poſſet quam ipſum mare, quod enim illud vix paulatim alluebat, ille facile devorarat. Ejuſdem immanitatis eſt, devorare agros, & evomere ædes.

Rur-

A

Rurſus idem. Eraſmum ingenue, ſed tamen latenter, ſua emendare.

„ IN CLXII. Eraſmus. Cuidam per con-
„ vitium dicenti, Sinopenſes te exilio dam-
„ narunt, at ego, inquit, illos manſione: ſi-
„ gnificans ſe, quòd ſolum vertere cogeretur,
„ nihilo feliciorem eſſe iis, qui in patria ma-
„ nerent, nec exilium æquo animo pati poſ
„ ſent; tam enim miſerum eſt, manere coa-
„ ctum, quam exulare coactum. Quis non
„ videt, ut miſer Eraſmus in ſua commenta-
„ tione fallitur? Nam cum dixit Diogenes,
„ ἐγὼ δ' ἐκείνων τὴν μονήν, ſignificare voluit, Sino-
„ penſes habitare ignobilem, & aſperam re-
„ gionem, & ideo infeliciores multo eſſe, ſe,
„ qui exulabat, profecturum in loca amœna
„ & urbes præclaras Græciæ. Hunc ſenſum
„ ſprevit opinor Eraſmus, quod ingenioſus
„ ſibi videbatur, quum excogitabat aliquid
„ abſurdum. Ideo vero hoc dixi, quia pau-
„ lo poſt ait, ex Plutarcho afferri eum ſen-
„ ſum, quem ego expoſui; at ſibi videbatur
„ Plutarcho ingenioſior, neque illius inter-
„ pretatione contentus. Hactenus Robortel-
lius, qui fatetur, Eraſmum & bonam & ma-
lam commentationem ſuper apophthegma-
te feciſſe, verum illum non intelligendo,
ſed in deligendo aberrare. Eraſmus homo
multi pudoris, & eximiæ ingenuitatis, ſicu-
bi in primis editionibus lapſus eſſet, ple-
runque in ſecundis editionibus id addebat
quod rectius erat, nova illa interpretatione
tacite damnans quod antea ſcriptum fuiſſet,
ut & pudori ſuo conſuleret, & lector non
falleretur, cui ex duobus ſcripti generibus
facile licebat meliora eligere, aut alio in
opere, quod alibi infelicius exierat, retra-
ctabat. Rem ita ſe habere comperiet,
quiſquis editiones Adagiorum inter ſe com-
mittat. Quod ſi quis ſtatim hominem eſſe
nihil exiſtimet, qui, ubi errarit, reſipiſcat,
quid exiſtimandum de illis, qui errores
ſuos nunquam agnoſcunt? in tanta πολυγραφίᾳ
ſomnum obrepere, quid mirum eſt? Si in
viam non rediſſet, erat, cur ei te ducem
præſtares: cum vero ſuo Marte ad rectum
iter revertatur, quid opus eſt iſta acerbita-
te verborum?

Rurſus idem. Quid ſit χείρων.

„ IN CI. Eraſmus. Conſpiciens duos centau-
„ ros pugnantes, in tabula peſſime pictos,
„ Uter horum (inquit) deterior eſt, notans
„ pictoris imperitiam, quaſi dubitaret, uter
„ eſſet deterius pictus. Uſus eſt autem voce
„ ambigua; nam χείρων & pejor dicitur, & in
„ pugna inferior. Hæc ille: Laërtius ſic
„ ἰδών ποτε δύο κενταύρους κάκιστα ἐζωγραφημένους, ἔφη,
„ πότερος τούτων χείρων ἐστί; id eſt, Conſpicatus ali-
„ quando duos centauros male pictos, ait,
„ Uter horum eſt deterior? In Græco, ſicuti
„ patet, non eſt illa dictio, pugnantes, quam
„ addit, quia aliter non intelligebat jocum. Sed
„ revera Diogenes alluſit ad nomen proprium
„ Chironis. Sic πότερος χείρων; nam poterat accipi
„ dictum ambigue, uter eſt deterior, id eſt,
„ deterius pictus: & ſic, uter eſt Chiron.
„ Quid ad hæc o bone Eraſme? Hic ego te
laudo Robortelli; nam & bene caſtigas, &
præter ironiam non immaniter inſultas.

Rurſus idem. Quatenus indulgendum venuſtis agnominationibus.

„ IN CXXV. ἐρωτηθεὶς ποτὲ ποίῳ καιρῷ δεῖ γαμεῖν,
„ ἔφη, τοὺς μὲν νέους μηδέπω, τοὺς δὲ πρεσβυτέρους μηδε-
„ πώποτε. Eraſmus vertit. Interrogatus, quan-
„ do juveni ducenda uxor? Juveni (inquit)
„ nondum, ſeni nunquam. Sed non recte.
„ Nam μηδέπω & μηδεπώποτε idem ſignificant
„ apud Græcos, id eſt, nunquam; nam ſen-
„ tiebat neque juveni, neque ſeni unquam
„ eſſe ducendam. Ego puto, Eraſmum juſtiſ-
„ ſima de cauſa à vulgatis libris receſſiſſe.
„ Quid enim gratiæ habet de diverſiſſimis
B
„ ætatibus πολλάκις reſponſum? ducendam
„ nunquam eſſe uxorem nec juveni nec ſeni;
„ ac proinde Eraſmum ita legiſſe, τοὺς μὲν νέους
„ μηδέπω, τοὺς δὲ πρεσβυτέρους μηδεπώποτε, ut indicet,
„ juvenes nondum maturos, & in juvenili
„ ætate eſſe expectandum, antequam ducas,
„ ubi expectaveris, ſuperventu ſenectutis
„ fruſtra ſis ducturus, vel certe importune.
Ego (ſi Eraſmus hic errat) talem erro-
rem lubens amo & amplector, qui in exi-
guo deflexu ſententiæ tantum gratiæ & va-
rietatis uni dicto, tanta parſimonia verbo-
rum addere poteſt. Nam inter cætera ſer-
vata eſt illa dulciſſima παρήχησις, μηδέπω &
μηδεπώποτε, in his verbis nondum & un-
quam.

C

Rurſus idem. Cynicorum dicteria acria eſſe.

„ IN CXXVII. Eraſm. Quum videret ado-
„ leſcentem quempiam ſeſe ornantem, ſi
„ ad viros (inquit) fruſtra, ſi ad fœminas,
„ injuſte. Feſtivius apud Græcos propter vo-
„ cum affinitatem ἀτυχεῖς, ἀδικεῖς. Nam fruſtra,
„ ſe parat mas maſculo, inter quos non po-
„ teſt eſſe conjugium. Hæc ille: Ἀτυχεῖν apud
„ Græcos præterquam quòd ſignificat voti
„ eſſe impotem, ſignificat etiam infelicem
„ eſſe. Erit igitur lepidior ſenſus, Si te or-
„ nas maſculo, miſerrimus es: ſi mulieri,
D
„ inique. An lepidior ſit (mehercle) igno-
ro, mihi certe non videtur. Eſt enim illa
magis ſatyrica & Cynica, iſta tua ignavior
& dilutior. Ut ut eſt, pro errore, etiam
ſi iniquiſſimus ſis, imputari non poteſt,
quum verba etiam hunc ſenſum capiant.

Rurſus idem. Studio carpendi diſſimulat ſe videre remedia offenſarum.

„ IN CXXIX. Eraſm. Canis Diogenes eſt
„ dictus, & hoc vitæ genus à multis lau-
„ dabatur, nemo tamen imitabatur. Itaque
„ dicebat, ſe canem eſſe laudantium, ſed
„ laudatorum neminem cum laudato cane
E
„ venatum ire. Senſum dicti optime explicat
„ Eraſmus, ſed verba peſſime atque ita ob-
„ ſcure, ut non intelligantur; faciat pericu-
„ lum per ſe unuſquiſque legens, decipitur
„ in una dictione ἐπαινουμένων, quam vertit lau-
„ dantium, quum ſit paſſive accipiendum, hoc
„ ſenſu, ſe canem eſſe unum ex iis qui lau-
„ dantur; decipitur rurſus dictione ἐπαινούντων,
„ id eſt, laudantium, quam paſſive videtur
„ reddidiſſe, laudatorum, niſi modo accipias
„ poſitum tanquam nomen verbale. Verba
„ Græca ſunt, hæc: ἔλεγεν ἑαυτὸν εἶναι κύνα τῶν
„ ἐπαινουμένων, ἀλλὰ μηδένα θέλειν τῶν ἐπαινούντων
„ συνεξιέναι ἐπὶ τὴν θήραν. Senſus eſt, dicebat ſe
„ ca-

„ canem eſſe ex laudatiſſimis unum, ſed neminem eorum, qui laudabant ſe, ſecum ad venationem velle prodire. Quid ſi Robortelli idem loquatur Eraſmus, quod tu, atque adeo ut tu, nunquid cauſæ eſt, quur ferula verberetur, tanquam qui peccet in ultimas minutias grammaticæ artis? reddantur verba Eraſmi ſuis locis, unde imperitia librarii ea detorſit, videbis illum pulchra ad tuum ſenſum loqui. Faciam igitur quod tu noluiſti; nam te animadvertiſſe, facile ex ſagacitate tui ingenii dijudico. Itaque dicebat, ſe canem eſſe laudatorum, ſed laudantium neminem cum laudato cane venatum ire. Jamne ſentis, quàm iniquus ſis præ ſtudio carpendi? Jam quod tu dicis ſenſum dicti optime eſſe explicatum ab Eraſmo, falſum eſt. Si enim verba (ut nunc leguntur) eluxata ſuis ſedibus maneant, quis quæſo in his verbis intellectus? Sed laudatorum neminem cum laudato cane venatum ire.

Rurſus idem. Quid ſit ἐνουρεῖν.

„ IN CXLI. Fœdiſſime labitur Eraſmus. Nam inquit, Cuidam opprobranti hoc ipſum, obtentu juventutis, crimen defendit, dicens, Tunc celerius reddebam lotium, nunc non item, Cynica circuitione notavit juvenilem ætatem, quæ facilius reddit humorem veſicæ, quum ſenibus moleſta ſit dyſuria. Hactenus Eraſmus. Audi nunc Robortelli eulogia. Tum opinor tuus ille carnifex calculus torquebat te o Eraſme, quum hæc ſcripſiſti de dyſuria Diogenis; o lepidum caput, verba Græca ſic ſeſe habent: πρὸς ἄλλον γέ τι τῷ αὐτῷ ὀνειδίσαντα, ἴσον, καὶ γὰρ ἐνεούρουν θᾶττον, ἀλλὰ νῦν οὔ. Putavit Eraſmus eſſe ἀπὸ τοῦ οὐρεῖν, id eſt, mingere: ſed cur non animadvertit compoſitionem verbi? an fruſtra componitur? οὐρεῖν ſignificat præter mingere, & ſecunda utor navigatione & vento; idem οὐρίζειν; eſt igitur dictio compoſita ἀπὸ τοῦ οὐρεῖν, id eſt, ſecundo utor vento, & νέος, id eſt, juvenis νεουρεῖν igitur appoſitiſſime ſe dixit in juventute Diogenes, id eſt, ſe uſum eſſe tum ſecundo juventutis afflatu in vivendo. Tranſverſi enim aguntur homines in vitia, tum à nimia felicitate, tum à juventute, quæ turbationum eſt plena. Senſus igitur erit lepidiſſimus; ego tunc ob juventutis ſecundum afflatum celerius navigabam, ſed nunc non; deferbuerant enim cupiditates, à quibus antea impellebatur huc & illuc. Quo igitur ſpectat illa dyſuria Eraſmi? O impotentem debacchationem in re lubrica, ubi ſi titubat Eraſmus; nec tu certe firmo veſtigio conſiſtis. Ego ſi tuum verbum retinere vellem, non tam laciniofam adderem interpretationem, ſcilicet ſe eſſe uſum tum ſecundo juventutis afflatu, tranſverſi enim aguntur homines in vitia, &c. ac tandem poſt longam verborum ambagem non niſi ratiocinatione eo pervenire, quo curſum intenderas; ſed ſimpliciter, tum facile & temere velificabar, jam non item; ut præceps audacia juventutis, cauſam culpæ dediſſe videatur. Sed tu qui dicis, Eraſmum non animadvertiſſe; vide ne ipſe hic minus oculatus videare; primum aſſeveras, νεουρεῖν non componi niſi ex νέος, id eſt, juvenis, & οὐρεῖν, in tam inſolenti compoſitione cur

A nullum exemplum adducis, ut nobis faceres neceſſitatem credendi? Quid ſi potius componatur ἀπὸ τοῦ νεὼς, hoc eſt, à nave, & οὐρεῖν? ſic enim componitur βοωλκεῖν, & νεώλκια, quid ſi à præpoſitione ἐν & οὐρεῖν conſtituatur, quod omnino verum puto, ut ſignificet immingere, quo vitio tenera pueritia ſubinde laborat, ut ſtratis ſuis & cunabulis immingat, eoque id dictum ſit à Diogene, quod puer olim parum continens fuerit, ac perinde culpam eam non tam ſuam, quàm ætatis fuiſſe. Cæterum jam ſe ætate emendatiorem factum eſſe.

Rurſus idem. Quid venter ſignificet.

B „ IN CXLV. Anaximenes Rhetor, obeſo erat corpore. Hunc adiens Diogenes ita locutus eſt, Impartire nobis tenuibus ventrem; nam & ipſe levaberis onere, & nobis commodabis. In Græco eſt ſcriptum ἡμῖν πτωχοῖς, id eſt, nobis mendicis, tenuibus vertit Eraſmus. Melius eſt ut dicas, mendicis; nam ſi mendici magno eſſent ventre, non cogerentur toties eſurire ſemel expleti. Et id ſcilicet dignum erat annotatione; ſi in genere tenuibus vertit pro mendicis. Neque hic tenues referuntur ad habitum corporis, ſed fortunæ, ne hic exiles & caſtigato ventre intelligas. Venter autem hic præter notam ſignificationem etiam

C alimentum ſignificat. Nam ex ambiguo luſit Diogenes. Inde γαστρίζειν ſaturare, & γαστρίζεσθαι rapidius deglutire.

Rurſus idem. Eraſmum aliquando alienis oculis contentum eſſe.

IN CLII. & CLIIII. apophthegmate haud dubie erravit Eraſmus, & recte ſentit Robortellius, laudemque acuminis non exiguam meretur, niſi illam corrumperet nimia debacchandi petulantia. Hoc enim Epiphonema in fine ſuæ caſtigationis accinit: „ Verum, quid non fœdas tuo con-

D tactu o nequiſſime Eraſme? Ego puto Eraſmum ideo non animadvertiſſe, alluſum eſſe ad propria nomina centaurorum Εὐρυτίων καὶ Χείρων, quod alieno ingenio fretus parum Græca verba inſpexerit. Nam per omnia ſequitur fratris Ambroſii tranſlationem, cujus iſta ſunt verba. Formoſo adveſcenti ad convivium enati, deterior (inquit) remeabis, illo redeunte & poſtridie dicente, & abii & deterior effectus non ſum, Deterior inquit; nam prorſus mihi perſuadeo, Eraſmum aliquoties Græcum Laërtium non conſuluiſſe, & aliena fide contentum fuiſſe, quale eſt illud, quod ſuperius à nobis ex-

E cuſatum eſt. Alteri ſibi idem exprobranti, atqui (inquit) emingebam tum celerius, modo non ita. Nec mirum, magis ſtuduit colligere apophthegmata, quàm interpretari.

Rurſus idem. Mordacia dicta convenire Cynico.

IN CLIII. Jam conſequitur dictum, quod non recte diſtinxerat à priore Eraſmus. „ Sic autem exorditur in Græco, εἶτα τὸν δύσκολον, in quo video Eraſmum vertiſſe, ut te ſuſpenderes, quum in Græco legitur ἀπαλλάξεσθαι, niſi forte habebat ſcriptum in ſuo ἀπάγξασθαι ſi legis ἀπαλλάξασθαι, mollior eſt ſenſus, tibi

„ ſua-

„ ſuaſiſſem, ut hinc diſcederes procul à no- A
„ bis, cum improbus ſis. Rectè divinas Ro-
bortelli, nam ita quoque tranſtulit Ambro-
ſius. Sed quid erroris, vel adeo offenſæ?
nam quod tu mavis, minime Cynicam
mordacitatem refert.

Rurſus idem.

„ IN CLIII. Eraſmus. Inviſerat Lacedæmo-
„ nem, inde Athenas revertentem, per-
„ contabatur (ut fit) quo iret, & unde ve-
„ niret? à viris (inquit) ad feminas. Sic
„ Eraſmus vertit, & addit, notans Athenien-
„ ſium delitiis effeminatos mores, quum La-
„ cedæmones dure inſtituerentur. Græce ſic B
„ legitur: πρὸς τὸν πυθόμενον, ποῖ καὶ πόθεν, ἐκ τῆς
„ ἀνδρωνίτιδος, ἔφη, εἰς τὴν γυναικωνῖτιν. Ἀνδρωνῖτις à
„ Græcis dicitur locus, ubi ſoli verſantur
„ viri, γυναικωνῖτις, ubi ſolæ mulieres inhabi-
„ tarent; ſic notans mollitiem Athenienſium,
„ & laudans robur & optimam diſciplinam
„ Lacedæmoniorum. Quid ego audio? etiam
hic peccavit Eraſmus, quòd per metony-
miam extulit, quod propriis vocabulis non
potuit? an venuſtiorem putas illam longiſ-
ſimo ſyrmate ambagioſam circumlocutio-
nem, quam quæ in rotunditate & verbo-
rum compendio conſiſtit?

Rurſus idem. Anxietatem vertendi gratiam ſententiæ corrumpere. C

„ IN CXXVII. Eraſmus. Si Philoſophum
„ ſimulo (inquit) hoc ipſum eſt philoſo-
„ phari. In Græco eſt, εἰ καὶ προσποιοῦμαι σοφίαν,
„ καὶ τοῦτ᾽ ἐστὶ φιλοσοφεῖν; id eſt, Si ſapientiam ſi-
„ mulo, hoc ipſum eſt Philoſophari; ὦ τῆς
„ μικρολογίας? inclinationem τὴν συζυγίαν non tu-
„ lit, Philoſophum, Philoſophiam; nam
„ σοφίαν capi pro philoſophia, ne ipſe quidem
„ negare poteſt. Jam dulcem illam inflexio-
nem, quam Græci παρηγμένον dicunt, &
quam Eraſmus affectavit in his verbis Phi-
loſophum, philoſophari, ſi hunc vertendi
ſcrupuloſum & nimis anxium auctorem ſe- D
qui volumus, omnino extinguemus.

Rurſus idem. Quid ſit libertas.

„ IN CCII. Eraſm. Quid eſſet in vita opti-
„ mum interrogatus, ait, libertas. At ve-
„ re liber non eſt qui ſervit vitiis; nec li-
„ ber eſſe poteſt qui multis eget, plurimis
„ autem eget avarus, ambitioſus, ac delitiis
„ deditus. Inſanis o Eraſme in iſtis tuis cæ-
„ mentatiunculis, Græce ſcribitur παρρησία,
„ id eſt, libertas in loquendo. Hanc dicebat
„ optimam Diogenes: παρρησιάζειν eſt libere
„ loqui, ſed hoc non fit niſi à liberis homi-
„ nibus, in libera civitate; ii igitur qui hac E
„ potiuntur παρρησίας, vere beati ſunt. Poſt-
quam tibi collubitum eſt commentationes
Eraſmi cæmentatiunculas appellare, age
videamus, quid hic tu commenteris. Li-
bere loqui, non fit (inquis) niſi à liberis
hominibus in libera civitate: ergo Dioge-
nes qui in caſtris Philippi pro exploratore
captus Regi objecit inexplebilem avidita-
tem παῤῥησιαστὴς non erat, utpote non in li-
bera civitate, ſed ſub regno, & in Tyran-
ni caſtris. Non (me hercle) tibi hoc pro
crimine objicio; ſed quæ calumniæ ex mo-
roſitate interpretandi naſci poſſunt, oſten-

do. Eraſmus libertatem loquendi non me-
reri exiſtimavit tantum elogium, ut in vi-
ta optimum ſit habendum, quamobrem à
ſpeciali libertate quæ in dicendo eſt, ad
generalem deflexit. Libere enim agere
multis modis præponderat, quum Therſi-
tes, qui videtur habere verba quam mini-
me obnoxia, factorum libertate careat,
eoque magis ad hanc interpretationem in-
vitabatur, quod ſciret παρρησίαν, καὶ ἐξουσίαν
καὶ ἄδειαν ſignificare, teſte Heſychio; ſimile
quiddam videas in ἰσηγορίᾳ, qua non parem,
ſolummodo libertatem dicendi, ſed etiam
agendi ſignificamus.

Rurſus idem. Verecundia Eraſmi in transferendis obſcœnis.

„ IN CCV. Eraſmus. Quum in foro in con-
„ ſpectu omnium fuiſſet operatus, utinam
„ quoque liceat (inquit) ſic perfricto
„ ventre à fame eſſe quietum; ſentiens agita-
„ tione corporis acui ſtomachi orexim; à
„ qua neceſſitate cupiebat eſſe liber. Itidem
„ ſtudioſi graviter ferunt à literis naturæ ne-
„ ceſſitatibus avocari. Jam vero hac com-
„ mentatione nihil indoctius, aut magis præ-
„ ter rem excogitari poteſt; in Græco eſt
„ χειρουργεῖν; verbum obſcœnum, id eſt, mani-
„ bus tractare virilia, uſque ad ſeminis effu-
„ ſionem, quo facto (inquit) utinam & ſic
„ per veneris attrectationem fames pelli poſ-
„ ſet, ſicuti coëundi libido. Deſine delirare
„ miſer Eraſme. Ad iſtum modum Robor-
tellius ſuas cenſuras deſinit, ac tali epipho-
nemate claudit. „ Ego puto, Eraſmum opti-
„ me intellexiſſe fœdam rem, ſed diſſimulaſ-
„ ſe, ne lector ex ipſius verbis id diſceret,
„ quod antea ignorabat. Deinde ſecutus eſt
„ Ambroſium veterem interpretem, qui eo-
„ dem modo hoc dictum expreſſit. Poſtremo
„ χειρουργεῖν non eſt proprie maſturbari, ſed ho-
„ neſtum vocabulum, quod longius transla-
„ tum, verecunde & obſcure rem turpem ſi-
„ gnificat, quale eſt quod Ariſtophanes in
„ Veſpis: γλωττοποιεῖν dicit. Eſt enim χειρουργεῖν
„ proprie manibus operari; unde Chirurgi
„ quoque medici vulnerum hulcerumque ap-
„ pellati ſunt. Heſychius χειρουργῆ, id eſt,
„ χερσὶν ἐργάζεται. Verecundiam ergo, quæ in
„ Græco eſt, Eraſmus retinuit. Ceterum quia
& Robortellius minatur cenſuras in omnia
Apophthegmata Eraſmi, & quidam in Flan-
dria idem meditantur, ſtatui nonnulla, quæ
in hoc libro obnoxia calumniis videri poſ-
ſint, annotare, & ſi qui ibi ſunt lapſus;
cum ſumma modeſtia indicare, ut ea loca
præripiant hominibus nimium dentatis &
calumnioſis. Doleo (mehercle) vicem ho-
minis optime de literis humanioribus meri-
ti, qui in Venere pingenda, ubi propemo-
dum humanum ingenium tranſgreditur,
laudatores non, ubi negligentior eſt in fi-
bula vel ligula, aut cincinnis capitis expri-
mendis, non emendatur, quod tolerabile
erat, ſed conſpuitur, quum neminem un-
quam ille ſcriptorem in literis humaniori-
bus ſugillaverit, & ſugillandi vel in ſolis
Apophthegmatis mille opportunitates oc-
currerent. Qui enim non videt, quoties
Philelphus, quoties Ambroſius Diogenis
Laërtii interpres impingat? Magno igitur
honore digni ſunt & Petrus Victorius, &
Andreas Alciatus, qui cum jure ab Eraſmo
diſ-

diſſentiunt, civiliter id faciunt docendi ratione, non hoſtili petulantia, quorum mores hic imitabor, quo obtrectandi materiam aliis vel tollam, vel mitigem.

De Ageſilao. Parvis copiis in arcto contra magnas pugnandum.

QUum hoſtes Ageſilai exercitum foſſa cingerent, id quod facile poterant ob multitudinem, ac Nectabimus, cui ſuppetias ferebat, cenſeret erumpendum, & cum hoſte conſerendas manus, ne quod inſtitueret perficeret ille, negabat impediendos hoſtes, qui pares hoſtibus eſſe ſtuderent non ſuperiores, ſiquidem foſſa utriuſque dirimebat confligendi copiam. Græce habetur: οὐκ ἔφη διακωλύσειν τοὺς πολεμίους ἴσους αὐτοῖς γίνεσθαι βουλομένους. Hoc eſt, non ſe (inquit) prohibiturum hoſtes, qui pares ipſis eſſe vellent. Non hic corrigo Eraſmum, ſed explano, malignior interpres poſſit colligere ex verbis Eraſmi, quaſi approbaſſet Ageſilaus circumvallationem, quum ejus mens ſit, ob paucitatem ſuorum, in anguſtiis pugnare, qua parte foſſæ nondum coierant. In tam arctis locis non poterant hoſtes erumpenti Ageſilao ſuam multitudinem, qua abundabant, objicere, ſed inter pares numero prœlium erat conſerendum; qua ex re ſibi victoriam (quia præſtantiorem habebat militem) ſpondebat, quod & evenit. Hanc hiſtoriam invenies apud Gemiſtum Pletonem.

Aliud. Pacem ab Imperatoribus peti, à ſenatu dari.

IDem quum in Lydia Tiſaphernem vertiſſet in fugam, ac quàm plurimis interemptis jam in agros regios feciſſet incurſionem, Rex Perſarum per Legatos, quorum præcipuus Tithrauſtes ingentem vim pecuniarum ultro ad illum miſit, petens ut à bello deſiſteret: Ageſilaus reſpondit, pacis quidem tempore reipublicæ vigere auctoritatem. Sic Eraſmus: Græce eſt ἧς μὲν εἰρήνης ἔφη τὴν πόλιν εἶναι κυρίαν. Hoc eſt, civitatem jus auctoritatemque habere pacis dandæ; quibus verbis legatos à ſe Lacedæmonem rejecit, idque more Romano. Imperatores enim hoſtes de pace ſolicitantes ad ſenatum relegare ſolent.

Aliud. Incuſandos auctores malorum, non eos qui culpa vacant.

Δικάζοντος δὲ τινα δίκην αὐτοῦ, καὶ τοῦ κατηγόρου εὖ εἰρηκότος, τοῦ δὲ ἀπολογουμένου φαύλως, λέγοντος δὲ πρὸς ἕκαστα. Ἀγησίλαε δεῖ τὸν βασιλέα τοῖς νόμοις βοηθεῖν; καὶ τὴν οἰκίαν (ἔφη) εἴ τις σου διώρυττε, καὶ τὸ ἱμάτιον εἰ ἀφῃρεῖτο, προσεδέχου ἂν τὸν οἰκοδόμον, ἢ τὸν τὸ ἱμάτιον ὑφάναντα ἐπικουρήσειν σοι. Eraſmus. Idem quum in quadam cauſſa ſederet judex, & is qui accuſabat recte dixiſſet, patronus contra, male, ſubinde tamen repeteret inter dicendum, Ageſilae, decet regem opitulari legibus, perinde quaſi bonam haberet cauſſam, & ab ipſo ſtarent leges, hominis improbitatem interpellans Ageſilaus: Si quis (inquit) domum tibi perfoderit, aut veſtem abſtulerit, num expectaturus eſſes, ut architectus, aut qui veſtem contexuit, tibi ſit auxilio futurus? Subindicat, regem eſſe veluti legum architectum, nec convenire, ut is opituletur iis, qui contra leges aliquid admiſiſſent. Ita viſum eſt Eraſmo. Mihi videtur ad iſtum modum etiam transferri poſſe. Judicante illo litem quandam, & ab accuſatore probe perorata cauſſa, quum alter male reſponderet, & ad ſingula verba ſubjiceret, oportet Ageſilae regem legibus præſidio eſſe. Si quis (inquit) tibi domum ſuffodiſſet, & veſtem tuam ſuffuratus eſſet, an ibi ſcilicet expectares, ut vel faber, vel textor tibi ſuccurreret? In translatione nihil mihi eſt controverſum cum Eraſmo, iſtam tamen aptiorem eorum verborum ſententiam puto, ſuffoſſa domo ab effractore ac ſuppilata veſte, fur conveniendus eſt de damno ſarciendo, præſtandove, non faber aut textor. Indicans per hoc, eum debere agere cum ſuo accuſatore, qui vi dicendi ipſius cauſſam ſubverteret, non cum rege, qui ex allegatis judicaturus eſſet.

Aliud de Agide primo. Duas eſſe Lacedæmone regias familias.

Πρὸς τοὺς φάσκοντας ὅτι φθονοῦσι τινὲς αὐτῷ τῶν ἐκ τῆς ἑτέρας οἰκίας, οὐκοῦν ἔφη τὰ ἴδια αὐτοῖς κακὰ λυπήσει καὶ πρὸς τούτοις τὰ ἐμὰ καὶ τῶν ἐμῶν φίλων ἀγαθά. Eraſmus. Quum quidam apud illos diceret, eſſe nonnullos alienæ familiæ, qui ipſi inviderent, &c. Ego malim, alterius familiæ, non alienæ. Certam enim gentem ſignificat. Nam duæ erant apud Lacedæmonios regiæ familiæ, earum altera ipſi infeſta eſſe renunciabatur. Puto Amanuenſem pro ſua libidine vocem mutaſſe, quod non infrequenter factum videas in optimis quibuſque auctoribus.

Ex Anaxandrida: Qui ſe curat, non agros, agris & mancipiis locupletari.

PErcontanti cuidam, cur Lacedæmonii Helotis (ſic apud illos dicebantur, quorum conditio media erat inter ſervos & ingenuos) committerent colendos agros: quoniam (inquit) non ipſorum cauſſa, ſed noſtra Helotas noſtros comparavimus, videlicet ſtultitiam illorum taxans; qui mancipia ad oſtentationem alunt ocioſa, & ſervos ocioſos, ac miniſtros voluptatum habere malunt, quàm frugiferis operis occupatos. Hæc Eraſmus. In Græcis longe alia & argutior ſententia: πυνθανομένου δέ τινος διὰ τί τοῖς εἵλωσι τοὺς ἀγροὺς ἐγχειρίζουσι, καὶ οὐκ αὐτοὶ ἐπιμελοῦνται, ὅτι ἔφη οὐκ ἐκείνων ἐπιμελούμενοι ἀλλ᾽ ἑαυτῶν αὐτοὺς ἐκτησάμεθα. Fieri poteſt, ut alluciner, dicam tamen quod mihi videatur. Percontante vero quodam, quur ſervis agros concrederent, ac non ipſi potius eorum curam gererent? quoniam (inquit) non illorum curam gerendo, ſed noſtrum ipſorum comparavimus. Indicans, ſi agros curaſſent, ac non ſeipſos, non futurum fuiſſe, ut eos poſſiderent.

Aliud. Cur Spartani pericula in bellis contemnant.

ἌΛλου δὲ ἐρωτῶντος διὰ τί ἐν τοῖς πολέμοις σπαρτιᾶται θαρσαλέως κινδυνεύουσιν, ὅτι ἔφη αἰδεῖσθαι περὶ βίου μελετῶμεν, οὐχ᾽ ὥσπερ οἱ ἄλλοι φοβεῖσθαι. Eraſmus. Alii cuipiam percontanti, quam ob rem Spartani ſemet impavide objicerent periculis: quo-

A „ quoniam, inquit, pro vita timere conſue-
„ vimus, non aliorum more expaveſcere. Ar-
„ bitror in Græcis vitium eſſe, & pro δειλιᾶν
„ legendum ἀνδρίζεσθαι, ut ſit mens Apophtheg-
„ matis: Ideo Spartanos in bello pericula au-
„ dacter ſubire, quòd exercitati ſint pro vita
„ pugnare, non timere. Nam timere pro vita,
„ nullum vitæ ſubſidium adferre, acriter pu-
„ gnare periculum propulſat. Non diſſimile
„ illud Saluſtii verbum: Semper in prœlio iis
„ maximum eſt periculum, qui maxime ti-
„ ment. Audacia pro muro habetur.

Aliud Antalcidæ. Eraſmum alibi hoc ipſum habere rectius, quod alibi infelicius exiit.

„ Ἀνταλκίδας ἐν Σαμοθρᾴκῃ μυούμενος, ἐρωτηθεὶς ὑπὸ
„ τοῦ ἱερέως τί δεινότατον δέδρακεν ἐν τῷ βίῳ, εἴ τι
„ μοι πέπρακται τοιοῦτον, εἴσονται, εἶπεν, αὐτοὶ οἱ θεοί.
„ Eraſmus. Antalcidas quum in Samothracia
„ initiaretur, rogatus quid egregium patraſ-
„ ſet in vita: Si quid, inquit, tale mihi per-
„ actum eſt, ſciunt ipſi dii. Exiſtimans inep-
„ tum, commemoratione ſuorum geſtorum ſe
„ diis commendare, quia ſive prædicaret, ſive
„ ſileret, nihilo minus noverant. Nam apud
C „ ſacerdotem poterat etiam falſa narrare. Sit
„ hoc modeſtiæ exemplum, ac de Deo præ-
„ clare ſentientis. Vox δεινότατον multæ & va-
„ riæ ſignificationis eſt, ſed puto tamen hic
„ potius grave, quàm egregium interpretari
„ licere. Hunc enim intellectum iſtius dicti
„ mihi perſuadeo, Sacerdotem interrogaſſe
„ ex Antalcida, quidnam in vita graviſſimum
„ peccaſſet, ut poſt confeſſionem habitam lu-
„ ſtratione expiaretur, quò ſacris Samothra-
„ ciis purus & integer initiari poſſit. Poſt
„ exaratam iſtam annotationem incidi in Lin-
„ guam Eraſmi, ubi per omnia mecum con-
D „ ſentit, ut cuivis potius rei, quàm imperi-
„ tiæ ſit imputandum, ſi quid hic à Græcis
„ diſſentit.

Aliud Archidami Ageſilai. In prœlio non locus certus, ſed occaſio victoriæ quærenda eſt.

„ Ἐν δὲ τῷ πρὸς Φίλιππον πολέμῳ συμβουλευόντων τινῶν ἔτι
„ πόῤῥω τῆς οἰκείας τὴν μάχην συνάπτειν δεῖ, ἀλλ' εὖ μαχόμε-
„ νοι, κρείσσονες τῶν πολεμίων γενόμεθα. Eraſmus. In
„ bello quod gerebatur cum Philippo, qui-
„ buſdam ſuadentibus, ut procul à patria pu-
„ gnaretur. Haud iſtud ſpectandum eſt (in-
„ quit) ſed bene pugnantes hoſtibus erimus
E „ ſuperiores. Significans non perinde referre,
„ ubi confligas cum hoſte, ut quàm ſtrenue
„ ſe gerat dux aut miles in bello: Recte
„ Eraſmus ſecundum Græca verba; ſed exi-
„ ſtimo legendum pro εὖ μαχόμενοι, οὗ μαχόμενοι,
„ hoc eſt, ὅπου, nimirum hoc ſenſu: Non cu-
„ randum, num procul à domo, ſed ut ibi
„ prœlium confererent, ubi vincerent, victo-
„ riæ opportunum locum, non longe diſſitum
„ à patria reſpectandum.

Aliud. Mortem pœnam eſſe minime ſumptuoſam.

„ Θεκταμένης καταγνόντων αὐτοῦ θάνατον τῶν Ἐφόρων, ἀπῄει μει-
„ διῶν, καί τινος τῶν παρόντων ἐρωτήσαντος εἰ καταφρονεῖ τῶν
„ τῆς Σπάρτης νομίμων; οὐκ εἶπεν, ἀλλὰ γέγηθα. ὅτι δεῖ με ταύτην
„ ζημίαν ἐκτῖσαι αὐτὴν παρ' οὐδενὸς, οὔτ' αἰτήσαντά με
„ οὔτε δανεισάμενον. Hæc ſic vertit Eraſmus. The-
„ ctamenes poſteaquàm Ephori capitis ſen-
B „ tentiam in ipſum pronunciaſſent, abiit ri-
„ dens. Rogantibus qui aderant, an etiam
„ contemneret leges Spartanorum? Nequa-
„ quam (inquit) quin gaudeo potius, quòd
„ hæc mihi mulcta ſolvenda eſt, quum eam
„ nec indixerim cuiquam, nec à quoquam
„ mutuo acceperim. Hactenus Eraſmus. Sed
„ ego arbitror hunc ſenſum eſſe, Thectame-
„ nem reſpondere, non ideo ſe ridere, quòd
„ ſibi leges Spartanæ pro ludibrio eſſent, ſed
„ quòd talis ipſi mulcta ſolvenda eſſet, quam
„ de ſuo poſſet dependere; à nemine ad eam
„ rem vel mutua vel fœnebri pecunia acce-
„ pta. Contemnens & irridens mortem quaſi
C „ minime ſumptuoſam. Obiter, cum hæc ſcri-
„ pſi, incidi in antiquiſſimum volumen Thu-
„ ſculanarum quæſtionum, ubi iſtius Apoph-
„ thegmatis Cicero mentionem facit. Sed quid
„ ego Socratem aut Theramenem viros virtu-
„ tis & ſapientiæ gloria inſignes commemoro,
„ cum Lacedæmonius quidam, cujus ne no-
„ men quidem proditum, mortem tantopere
„ contempſerit, ut cum ad eam duceretur
„ damnatus ab Ephoris, & erat vultu hila-
„ riori, lætoque dixiſſet ei quidam inimicus,
„ Contemniſne leges Lycurgi? reſponderit:
„ Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui
„ me ea pœna multaverit, quam ſine mutua-
D „ tione & ſine verſura poſſem diſſolvere.

Ex Apophthegmatis Socratis. Initium magnitudine parvum, efficacia maximum eſſe.

„ Dicebat bene incipere non eſſe puſillum,
„ ſed juxta puſillum. Græca ſic habent:
„ τὸ ἄρχεσθαι μικρὸν μὲν μὴ εἶναι, παρὰ μικρὸν δὲ.
„ Quod Laërtii interpres ita reddidit, Bene
„ incipere non eſſe, ſed maximum. Quan-
„ quam aliud exprimunt verba Socratis, ſed
„ ſentit (ni fallor) bene incipere non eſſe
„ quidem parvum, ſed parvi fieri. Hacte-
„ nus Eraſmus. Quòd ſi poſt tantos viros
E „ aliquid divinare licet, libens dixerim, bene
„ incipere non eſſe parvum, ſed in re parva
„ confici, ut hic ſit intellectus, Bene incipe-
„ re, eſſe rem arduam, licet in re parva ver-
„ ſetur. Primordia enim reſpectu reliquæ
„ univerſitatis valde quidem minuta, ſed ta-
„ men difficillima confectu, quum tota ratio
„ ſequentium inde ſuam originem trahat.

CAROLUS SIGONIUS
IN LIBRUM SECUNDUM
ANNOTATIONUM.

IN CAPUT IX. ET XIII. ET XIV.

Expoſitio Odes Horatii rejecta.

DEinceps octavo ſecundi libri capite reddit cauſſam, cur Catullus amaros calices dixerit; id quod ex Guerrini commentario ſumptum eſſe ſupra oſtendi. Tertio autem decimo locum Ciceronis ex II. de oratore corrumpit; ubi de Maluginenſi; qua de re ſupra etiam diſputatum eſt.

At vero quarto decimo Oden Horatii novo quodam modo interpretatur. Ode eſt XXIV. libri primi.

Quis deſiderio ſit pudor, aut modus,
Tam chari capitis, præcipe lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus ſopor
Urget? &c.

Hanc oden à nemine adhuc intellectam, nec ſcite explicatam eſſe ſcribit Robortellius; ipſe autem ſe verum ſenſum ejuſdem oſtentaturum tum hoc loco, tum etiam in libro de arte corrigendi ait, hoc modo: primum hæc verba cum interrogatione legenda eſſe cenſet. „ Quis deſiderio pudor, aut modus tam chari „ capitis; hoc ſenſu. Turpe eſſe viris diu lugere, ſed amiſſo Quinctilio, licere diu citra pudorem omnem lugere; mox apoſtrophe poëtam uti ait ad Melpomenem Muſam, quam rogat, ut flebile carmen ſibi præſcribat, & precatur, his verbis: Præcipe lugubres cantus Melpomene, cui liquidam pater Vocem cum cithara dedit; poſt apoſtrophen conſequi indignationem quandam ſumma contentione animi prolatam his verbis. Ergo Quinctilium perpetuus ſopor urget; mox alia verba proferri, quibus augere amici luctum conetur. Multis ille quidem flebilis occidit. Nulli flebilior, quàm tibi Virgili. Paulatim vero poëtam labi ad conſolationem, & mitigationem doloris, ut patet in conſequentibus verbis; quibus rebus expoſitis ita concludit: „ Puto igitur ſatis omnes intelligere, jam Ho„ratii locum hunc illuſtriorem eſſe hac emen„datione, & declaratione, cum ante obſcurus „ eſſet, & frigeret, neque in eo artificium ul„lum appareret. Hæc eſt Robortellii ſententia; fit autem neſcio quomodo, ut mea longe ab eo diſſideat; neque enim admirabile hoc ejus artificium diſpicere poſſum, præſertim vero, cum nec qui loquatur, nec quæ ſint verba Muſæ, nec quæ ſit ratio conſolationis, aperiat, & verba, & ſententiam venuſtiſſimam pervertat; quæ omnia apparebunt, ſi eam, quam ego meliorem ſemper eſſe judicavi, declarationem explicuero. Conſolatur igitur Virgilium impatienter Quintilii mortem ferentem; ratio conſolationis inde petita eſt;

A mors revocari non poteſt: quæ vero revocari damna nequeunt, patientia eſſe lenienda. Methodus eſt, Inducit Virgilium ipſum à Muſa rationem hujus tolerandi doloris exquirentem, Muſam vero eam ſubjicientem; verba Virgilii ſunt. Quis deſiderio pudor, aut modus &c. Muſæ: Multis ille quidem; uſque ad extremum. Quærit autem à Muſa Virgilius primum, quouſque deſiderari amicum debeat, id eſt, quæ ſit ratio leniendi deſiderii amici ſui cauſſa; quod expreſſit iis verbis: Cantus lugubres præcipe; deinde rationem affert, cur juſtum deſiderium, & luctus ſuus ſit; occidit enim inquit Quintilius; quo nemo pudore, juſtitia, veritate erat præſtantior, id eſt, qui quaſi ob has virtutes mori minime

B debuit. Quam rationem quaſi dolore victus, indignabundus profert, cum admiratione ita. Ergo Quintilium perpetuus ſopor urget? Huic poſt reſpondet Muſa, atque ſententiam ejus excipit aliis verbis. Confitetur autem occidiſſe Quintilium, eumque jure ab ipſo fleri primum affirmat, quia non ſtatim repugnare ejus orationi tutum putat, ſed ſenſim in animum ejus illabi vult; deinde negat; juſte autem eum fleri putat amicitiæ cauſſa, injuſte, quia mortui revocari ad vitam nulla pietate, nulloque artificio poſſunt; quæ autem ejuſmodi ſunt, patientia leniri debent. Neque vero eſt, quod miretur quiſquam, Virgilium, & Muſam loquentes inductos. Sic enim in morte Architæ poſtea Nautam, & Architam

C loquentes fecit, atque Architam ipſum nautæ reſpondentem iiſdem verbis. Ut enim hic: Multis ille quidem flebilis occidit, ſic ibi: Occidit & Pelopis genitor. Hæc ego ita: Robortellius autem neque dialogum hunc explicuit, neque vidit, atque omnia hæc unius eſſe poëtæ putavit; quod ſignificat maxime, cum ait: Mox alia verba profert, quibus augere amici luctum conatur: Multis ille quidem flebilis occidit. Nulli flebilior, quam tibi Virgili. Hæc ſi docti contulerint, non dubito, quin ſenſum ab eo totum perturbatum, & confuſum artificium duxerint.

IN CAPUT XV. ET XVIII.

D *Loci Ciceroniani ex II. de oratore explicatio deluſa.*

SEquenti capite reprehendit Strebæum, qui in exponendo joco, qui eſt apud Ciceronem lib. II. de oratore finxerit id, quod traditum memoriæ non erat, nec videt in quo ſit accuſandus Strebæus, in eo ſe etiam labi, neque jocum illum non aliter, quam Strebæum intelligere. Verba ejus hæc ſunt: „ Libro ſecundo de oratore, ubi de talibus „ loquitur, profert hæc verba Cicero: Ridi„cule etiam illud L. Porcius Naſica cenſori „ Catoni, cum ille, Ex animi tui ſententia „ tu uxorem habes? non hercule, inquit, ex „ ani-

A „ animi mei ſententia. Strebæus interpres „ dormitavit in hoc loco exponendo; ait „ enim L. Porcium Naſicam interrogaſſe Ca„ tonem, an haberet uxorem ex animi ſui „ ſententia. Refert hanc eandem rem A. „ Gellius, ſed nomina non profert, ſicuti „ omnes ſciunt, qui legerunt; ait autem Stre„ bæus, contigiſſe eo tempore, quo Cato jam „ ſenior Salonii ſcribæ filiam duxit in uxo„ rem; id quidem verum eſſe ſcio; nam & „ Catonem Saloninum ex ea ſuſcepit filium; „ ſed merum eſt ſomnium, Naſicam interro„ gaſſe Catonem eo tempore, quò Salonii fi„ liam duxit uxorem. Hoc enim ipſe con„ fingit, quamvis ex probabili conjectura, non B „ tamen ex hiſtoria ſumit. Hæc ille. Ex quibus liquet, ipſum cum Strebæo conſentire, Catonem à Naſica ita eſſe interrogatum, Ex animi tui ſententia uxorem habes? nec intelligere non Catonem à Naſica, ſed Naſicam à Catone eſſe interrogatum. Nam hæc formula interrogationis erat cenſoria: Ex animi tui ſententia uxorem habes? ut apud Livium: Ex animi tui ſententia tu ex edicto C. Claudii, Ti. Sempronii cenſorum in provinciam Macedoniam redibis? nec videt ſolenne hoc eſſe de uxoribus petitum à cenſoribus jusjurandum, de quo Gellius ita: Cenſor agebat ſolenne de uxoribus jusjurandum; verba iſta erant concepta. Et tu ex animi tui ſententia C uxorem habes? habeo equidem, inquit, uxorem. Sed non hercle ex animi tui ſententia; tum cenſor eum, quòd intempeſtive laſciviſſet, in ærarios retulit; nec ſentit, ſi Cato cenſor ille ſit, qui reſpondeat, Non Hercle ex animi tui, vel mei ſententia, ipſum ſemet ipſum notaturum fuiſſe, qui intempeſtive luſiſſet. Ergo Strebæus à Robortellio, quod interrogationem à Catone, non à Naſica factam non intellexiſſet, fuit reprehendendus; nunc uterque quòd in re apertiſſima offenderit, caſtigandus.

Octavo autem & decimo capite, qui ſint apud Ariſtotelem Umbrici populi, diſputat; ea vero diſputatio unde ab eo ſumpta ſit, ſuppreſſo nomine, ſupra dictum eſt.

IN CAPUT XXI. ET XXII.

Loci quidam Livii, Ciceronis, Aſconii, & Plinii declarati. Lapides aliquot veteres expoſiti. De equitibus R. equo publico; & quid ſit equus publicus, & de V. decuria Judicum; & errores alieni in hac re confutati.

B Arcem nunc expugnemus Robortellianæ ſcientiæ, qua ſe ille omnibus, qui ſunt, qui fuerunt, excellere in tradenda R. antiquitate gloriatur. Cap. XXI profert hæc verba ex libro V. Livii: Repente, quibus cenſus equeſter erat (equi publici non erant aſſignati) conſilio prius inter ſe habito, ſenatum adeunt, factaque dicendi poteſtate, equis ſe ſuis ſtipendia facturos promittunt. Hunc autem ut locum explanet, citat ex II. Philippica verba Ciceronis hæc: Tum exiſtimavit ſe ſuo jure cum Hippia vivere, & equos vectigales Sergio mimo tradere. Item hæc ex Aſconii commentario in orationem in competitores: Cum Sylla poſt victoriam Circenſes faceret, ita ut honeſti homines quadrigas agitarent, fuit in C ter eos C. Antonius; & paulo poſt: In Syllæ ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium, & alios quoſdam nobiles homines agitaſſe; præterea Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas; quam redemptionem ſenatori habere licet per legem; fuit autem notiſſimus in circo quadrigarum agitator Boculus. Ad hanc autem rem declarandam profert demum Piſanum quoddam etiam marmor antiquum, in quo mentio equi Publici ſit; ita:

C. SATURIUS SATURI PICENTIS P. P.
FILIUS FAB. SECUNDUS. EQUO PUBLICO
EX V. DECURIS PRÆFECTUS COH. II. ASTYRUM
AUGUR PATRONUS COLONIÆ ASCULANORUM
VIX. ANN. XIX. DIEBUS XXVII.
PATER FILIO PIENTISSIMO FEC.

D Quibus ex verbis apparet Robortellium Ciceronem cum Livio, Aſconium cum Cicerone, cum omnibus vetuſtum lapidem conſentire, atque de eadem re omnes loqui exiſtimare; quod ego longe ſecus eſſe opinor; aliud enim Livium, aliud Ciceronem, aliud Aſconium, aliud Piſanum lapidem velle. Conſideremus autem primum Ciceronis verba. Acceſſit, inquit, ut Cæſare ignaro, cum ille eſſet Alexandriæ; beneficio amicorum, magiſter equitum conſtitueretur; tum exiſtimavit ſe ſuo jure cum Hippia vivere, & equos vectigales Sergio mimo tradere. Loquitur de M. Antonio magiſtro equitum Cæſari dictatori adjecto; ſignificat autem E equos ad magiſtrum equitum pertinuiſſe. Siquidem Antonius magiſter equitum conſtitutus, exiſtimavit ſe ſuo jure cum Hippia, quaſi nihil agentem, vivere; omnem autem equorum curationem, quæ ſui erat magiſtratus, ut ab omni eſſet munere liber, Sergio mimo tradere; qui tamen eſſent equi, qui pertinerent ad magiſtrum equitum, parum compertum habeo. Illud quidem certum eſt, ut dictatoris in pedites, ſic magiſtri equitum in equites poteſtatem in bello fuiſſe; hos autem vectigales Sergio datos ait, quaſi ut ex ea curatione vectigal quoddam colligeret. Aſconius autem de ludis Circenſibus victoriæ cauſſa factis loquens, quadrigas, non equos nominat, quas redimi ſolitas eſſe ab ærario, atque iccirco vectigales vocari, quique redemptas eas haberent, agitatores in circo fuiſſe ait; non fuiſſe autem hanc magiſtri equitum curationem, inde apparet, quòd per centum amplius annos, ante Syllam nullus dictator, ac nullus magiſter equitum fuerat. Circenſes tamen agitatores nullos interea fuiſſe probabile non eſt; præterea ſi ab ærario redimebantur vectigales quadrigæ, profecto nihil ad magiſtrum equitum attinebant, cujus nulla erat ærarii cura, ſed ad quæſtorem. Quare quanquam quid inter equos vectigales, & quadrigas vectigales interfuerit, pro certo afferri non poteſt, veſtigiis tamen quibuſdam, non eadem ipſa inter ſe fuiſſe indicari poteſt; atque Aſconii verbis Ciceronis verba illuſtrari non poſſe, conjectura probare licet. Equos autem

autem publicos, de quibus ſcribit Livius, multo minus aut eoſdem eſſe, quos vectigales equos, aut vectigales quadrigas, certius confirmare mihi videor poſſe. Scribit enim eo loco Livius, eos, quibus cenſus equeſter erat, equi publici non erant aſſignati, equis ſe ſuis ſtipendia facturos promiſiſſe. Placuiſſe autem ſenatui, omnibus extra ordinem militiam profeſſis æra procedere, & equiti certum numerum æris aſſignatum; ac tum primum equis merere equites cœpiſſe; quid ergo equi publici ad magiſtrum equitum, vel ad ludos, quos à cenſoribus aſſignatos eſſe oſtendit Livius libro xxxix. S. C. inquit, factum, ut tribuni pl. ferrent, ut P. Æbutio, cujus pater equo publico meruerat, emerita ſtipendia eſſent, ne invitus militaret, neve cenſor ei equum publicum aſſignaret. Itaque alios equites equo publico fuiſſe, alios equum publicum habuiſſe invenio. Cicero in vi. Philippica: Altera ſtatua eſt equitum Romanorum equo publico; & in libro Antiqu. Inſcriptionum: P. Mario Vot. Lupertiano equiti R. equo Publico, omnes honores municipales publice adepto, Judici de ſelectis, ſacerdoti &c. Et Livius libro xxix: Equitum deinde cenſus agi cœptus eſt, & ambo forte cenſores equum publicum habebant. Utriſque autem equum cenſores nota ademptum videre poſſumus. Livius libro xxvii.: In equeſtribus notis eadem ſervata cauſſa. Illis omnibus equi adempti, qui Cannenſium legionum equites in Sicilia erant; addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita ſtipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, ſed dena ſtipendia equis privatis facerent, animadvertere etiam poſſumus Neronem, & Livium cenſores alterum alteri equum publicum, quem habebant, ademiſſe. Multa alia loca proferre poſſem, quibus docerem alios equites equo privato, alios publico meruiſſe, alios etiam, poſtquam magiſtratus adepti erant, equum publicum habuiſſe. Sed nunc his ero contentus. Quid ſit autem cenſorem equum publicum aſſignare, aut equum publicum adimere, ne facilis quidem explicatio eſt. M. Varro cum lib. vii. de lingua Latina ait, equum publicum mille aſſariorum fuiſſe, ſignificare videtur ſtipendium fuiſſe, quod ei equiti daretur, qui equo publico eſſet; militandi ne, an emendi equi cauſſa, parum liquet. Illud quidem dubium non eſt, qui equo à cenſore ſpoliabatur, eum equum vendere eſſe juſſum; id enim in Neronis, & Clandii cenſura ſcripſit Livius. Ut ergo aliquis eques Rom. eſſet equo publico, cum cenſus equeſter, tum etiam equi publici cenſoria aſſignatio quærebantur; quæ omnia quid ad vectigales equos Sergii mimi, aut ad vectigales quadrigas Antonii pertineant, non video, neceſſarius mens Robortellius poſt viderit. Nam quod ſcriptum eſt in Piſano lapide: Equo Publico ex v. Decuris longe ab his omnibus diverſum eſt. Nam equus ille publicus de quo diximus, militare quoddam ornamentum & cenſorium munus fuit, hoc urbanum judiciorum, & quidem Imperatoris beneficium; unde eſt epigramma tale Polæ, ut eſt in libro Jucundi Veronenſis.

———Max. Trib. P. VI. Imp. XI. Cos. II. P. P. M. Aurelius Menophilus ornatus judicio ejus equo publico, ſacerdos &c.

& Spoleti.

M. Septimio M. F. Hor. Soptimiano equo Publico donato IIII. VIR. I. D. Præfect. Fabr. &c.

& Romæ.

Q. Plotius Q. F. Quir. Romanus exornatus equo Publico honoribus functus in Colonia Oſtienſi; deceſſit ſuperſtitibus parentibus.

Item.

A. Atinio A. F. Pal. Paterno ſcribæ Ædil. Cur. Hon. Ab Imp. equo Publico honor; Coh. II. Bracar. &c.

& Puteolis.

L. Annio L. F. Col. Modeſto. Hon. equo Pub. K. Jun. in curia Baſileæ Auguſtanæ. ſcribendo affuer. T. Oppius Severus, Viguetius Liberalis, Julius Capritanus, Granius Longinus.

Satis ex his apparet, ut equus publicus dignitas fuerit judicio Imperatoris delata. Quod autem in eo lapide eſt: Equo Publico ex v. Decuris, judicem eum fuiſſe apparet ex v. Decuris, vereor autem, ne male deſcripſerit, Decuris pro Decuria, ſiquidem tale eſt etiam epigramma Brixiæ, auctore Volfango: P. Pladitio C. F. Pal. Clodiano equo Publ. Decur. Brixiæ C. Pladitius Pr. Provinciæ Aſiæ leg. X. G. C. Junius Magnus Dec. Col. Karn. equo Publico ex v. Decuria digniſſimo I. DDD.

& Auximi ex libro Jucundi.

M. Oppio Capitoni. Q. Tamudio Q. F. T. N. T. PR. N. Vel. Aninio Severo equo Publico Judici Select. ex v. Decur. &c.

& Peruſiæ.

C. Vibio C. F. L. N. Tro. Gullo Proculejano Patrono Peraſinorum. Patrono; & curatori R. P. Veronenſium Judici de V. Dec.

& Auximi.

L. Præſentio L. Fil. Lem. Pætto Lattio Severo Præfecto coh. in Afr. C. R. eq. Judici Selecto ex v. Dec. pr. Auxim. &c. Significat autem Equo Publico ex v. Decuria, Judicem fuiſſe ex v. Decuria, ex iis, qui equo publico donati erant, unde Plinius lib. xxxiii. Propter hæc diſcrimina Cajus princeps decuriam quintam adjecit, tantumque nactus eſt faſtus; ut quæ ſub divo Auguſto impleri non potuerunt decuriæ, non capiant eum ordinem; paſſimque ad ornamenta ea etiam ſervitute liberati tranſiliant; quod ante nunquam erat factum; quoniam in ferreo annulo equites, judiceſque intelligebantur; adeoque promiſcuum id eſſe cœpit, ut apud Claudium Cæſ. in cenſura ejus unus ex equitibus Flavius Proculus CCCC. ex ea cauſa reos poſtularet. Ita dum ſeparatur ordo ab ingenuis communicatus eſt cum ſervitiis. Item: Nec pridem id factum; Divo Auguſto decurias ordinante, major pars judicum in ferreo annulo fuit; iique non equites, ſed judices vocabantur; equitum nomen ſubſiſtebat in turmis equorum publicorum. Judicum quoque non niſi quatuor decuriæ fuere primo, vixque ſingula millia in decuriis inventa ſunt, nondum provinciis ad hoc munus admiſſis. De v. decuria equitum etiam Svetonius. Si ergo equi vectigales ad magiſtrum equitum, quadrigæ ad ærarium, & ludos, equi publici ad cenſorem, & rem militarem, equo Publico donati ex v. Decuria ad Judicum decurias, & ad Imperatorem pertinuerunt, profecto non eadem hæc omnia fuerunt, ut tu omnium, qui ſunt, qui fuerunt, quique poſt erunt, doctiſſime Robortelli, putaſti. Quod cum ita ſit, aude nunc de Romana antiquitate verbum facere, teque in ea, ut facis, jactare, aude de Galeria,

ria, aude de Veturia dicere, aude de tribubus, de centuriis, & earum diviſionibus hiſcere. Te enim diſertiſſimum, ſi hæc, quæ dixiſti, ita eſſe confirmaris, putabo. Nam quòd in lapide illo Piſano, literas has P. P. interpretaris pater patratus, cur non qua ratione motus id facias affers? cur non potius, ut aliqui volunt, Provinciæ Præſes? ut ſit Picentis provinciæ præſidis; quanquam ego nihil definio; tantum rationem ſententiæ ſuæ à doctiſſimo viro quæro. Vigeſimo ſecundo capite, id eſt ultimo, Alciatum ſibi dilacerandum reliquit; eumque à ſe, atque ab aliis omnia, quæ ſciebat, furatum eſſe modeſtiſſime inſimulat; de qua re ſatis ſupra dictum eſt; nunc ad alia pergamus. B

Locus Epithalamii Catulli ut prave ſit expoſitus.

„ NOn tibi Herculeja periculum eſt.) In „ hunc locum Robortellius in commen„ tario ejus libelli, hoc modo ſcribit. Ita A „ omnes fere legunt, & interpretantur locum „ hunc corruptum; ego puto legendum ex vetuſtis libris lectionis hujus veſtigium ſequutus, Arunculeja, quod appellarit Catullus Juliam ſponſam Arunculejam ab Arunca oppido vetuſtiſſimo, quod ædificatum in Latio fuit ab Auſone rege, à quo Auſonia Italia dicta fuit. Innuit igitur hinc majores illius profectos, ut nobilitatem, & antiquitatem generis laudet. Hanc interpretationem, quæ tantopere placet Robortellio, neminem doctum probare poſſe exiſtimo; ſatis enim conſtat Juliam gentem ab Alba, non ab Arunca ortum habere; plena ſunt annalium monimenta Livii, Dionyſii, omnium; non eſt ergo, quòd Arunculejam Juliam legamus, quaſi antiquis ſedibus ab Arunca profectam. Adde, quòd non video, ut ab Arunca fiat Arunculejus; neque enim à Satrico fit Satriculejus, ſed Satricanus, neque Saticula Saticulejus, ſed Saticulanus, ut à Sveſſula Sveſſulanus, à Nola Nolanus, à Tuſculo Tuſculanus; ut à veteribus grammaticis memoriæ proditum eſt.

CAROLUS SIGONIUS
IN COMMENTARIUM
POËTICES ARISTOTELIS.

Librum poëtices in tres partes non recte diviſum.

NUnc venio ad Poëticen Ariſtotelis, qua in interpretanda ipſe ſibi videtur regnare. Conſiderabo autem non totum ejus commentarium, ſed principium tantum, quaſque præcipue ego expoſitiones ejus non probem, demonſtrabo; ut ille tandem intelligat, erraſſe ſe vehementiſſime, qui me egere languidulis ſuis emendationibus neſcio quibus exiſtimarit; neque vero quicquam ex iis, quæ à Madio acutiſſime in eum ſcripta ſunt, attingam: „ Primum igitur neſcio, „ quis ſit ille qui probare poſſit diviſionem „ hujus libri, quam ille triplicem eſſe conſti„ tuit his verbis: Liber hic commodiſſime „ mihi dividi videtur poſſe in tres partes; „ primum inveſtigat definitionem poëtices, „ deinde agit de tragœdia, & ejus partibus, „ poſtremo de epopœja, & comparat hanc „ cum tragœdia. Meo enim judicio liber hic non in tres, ſed in ſex partes diſtribuendus eſt; primum enim non ſolum de definitione poëſeos agit, ſed etiam de origine ejus, & incremento; origo autem, & incrementum nihil ad definitionem pertinent. Sequuntur deinde aliæ partes, una de tragœdia, de epopœja altera. Quinta eſt de quæſtionibus, & diſſolutionibus poëticis; quæ ab eo in ſua diviſione prætermiſſa eſt, cum tamen à tragœdia, & epopœja ſeparata materia ſit; extremo libro tragœdiam cum epopœja comparat; quæ ſexta pars appellari, cum à diſputatione de tragœdia, & epopœja avulſa ſit, merito poteſt.

C *Quid ſit αὐλητικὴ, & κιθαριστική.*

KAὶ τῆς αὐλητικῆς ἡ πλείστη, καὶ κιθαριστικῆς. Et magna pars Auletices, & Cythariſtices.) Quærit hoc loco Robortellus, quæ poëſes ſint hæ Auletica, & Cythariſtica, atque ita ſcribit: „ Recenſet Julius Pollux fuiſſe apud vete„ res πυθικὸν νόμον αὐλητικόν. Nam νόμους vocabant „ Græci præſcriptas quaſdam canendi formu„ las diverſa cantilenarum genera; leges opi„ nor à Latinis recte dici poſſint, & Horatius „ forſan hoc ſignificavit in Odis, ubi de Pin„ daro loquitur, cum ait: Numeriſque fertur „ lege ſolutis. Ejus Pythici carminis erant D „ partes quinque: πεῖρα, κατακελευσμός, ἰαμβικόν, „ σπονδεῖον, καταχόρευσις &c. poſtremo ita conclu„ dit: Hinc quoque licet perſpicere, quanto „ artificio veteres hanc poëtices facultatem „ tractarent; & nos noſtra ætate, dii boni, „ tunc nos poëtas appellandos eſſe credimus, „ cum unum aut alterum verſum, male, ut „ ille ait, tornatum facimus. Hactenus de „ Auletice, nunc de Cythariſtice dicendum. „ Cythariſtice eadem eſt, quæ & Lyrice; „ nam Julius Pollux ait: λυρῳδάς, κιθαρῳδάς, „ κιθαριστάς idem ſignificare. Item: Ad cytha„ ram canere antiquiſſimus fuit mos. Hinc „ Phemius apud Homerum, Jopas apud Vir- E „ gilium, & Horatius in Odis ab Apolline „ precatur: Nec Cythara carentem ſenectam. „ Item: In Cythariſtice inſignis fuit Terpan„ der, à quo νόμους τερπανδρείους. Item: Caneban„ tur ad cytharam, ut ait Pollux, hymni, „ pæanes, παροίνια, amatoria, & jocoſa quæ„ dam. Huc opinor reſpiciens Horatius ait: „ Deſine magna modis attenuare parvis. Idem

„ alibi: Non hæc jocoſæ conveniunt lyræ. Hæc ille. Nemo eſt autem, qui ex his verbis non opinetur, eum velle Cythariſticen, & Auleticen verbis imitatas eſſe, ac cythariſticen, vel lyricen eam eſſe, quam Pindarus, & Horatius ſcripſerint; cum tamen Ariſtotelis longe alia ſententia ſit. Significat enim primum Auletices, & Cythariſtices multa genera eſſe, cum ait: Epopœja, Tragœdia, Comœdia, & Auletices, & Cythariſtices maxima pars imitantur; quaſi vero innuat, alias eſſe auleticas, & cythariſticas imitatione vacuas; poſt autem ubi docet, poëſes non eodem modo imitari omnes, ſed alias ſermone tantum, alias ſaltu tantum, alias harmonia, & ſaltu, inter eas, quæ harmonia tantum, & ſaltu imitarentur, retulit Auleticam, & Cythariſticam. Sic enim ait: οἷον ἁρμονίᾳ μὲν καὶ ῥυθμῷ χρώμεναι μόνον ἥτε αὐλητικὴ, καὶ ἡ κιθαριστική. Si ergo Auletica, & Cythariſtica utuntur tantummodo harmonia, & rhytmo, id eſt, ſaltatione, ergo non ſermone, & metro. Sunt enim exemplum apud Ariſtotelem earum poëſeum, quæ non imitantur ſermone. Robortellius autem cum verba Pollucis, & reliqua ad declarandam Auleticam, & Cythariſticam protulit, ſignificat, ſe velle, has poëſes uti, & imitari verſu. In quo meo judicio hallucinatur; neque enim Lyrica Pindari, aut Horatii ea eſt, de qua nunc Ariſtoteles agit. Siquidem illæ verſum afferunt ſine ſaltu, hæ vero harmoniam habent tantum cum ſaltu. Quod ſi ſaltatoriam unam fuiſſe poëſim inquit Ariſtoteles, quæ ſaltu tantum imitaretur ſine harmonia, & verſu, cur non poſſumus intelligere, fuiſſe etiam aliquam Auleticam, & Cythariſticam (nam multa, ut dixi, earum fuiſſe genera ſignificat) quæ harmonia tantum uterentur & ſaltu? fortaſſe autem hæc Cythariſtica, de qua nunc agit Ariſtoteles, ea eſt, quæ ab Athenæo libro XIV. ψιλὴ κιθάρισις, & ψιλοκιθαριστικὴ dicitur, quam inveniam à Menecharmo, à Lyſandro Sicyonio commutatam ait; qui Lyſander eodem auctore περιελὼν τὴν συνήθειαν τὴν ὑπάρχουσαν ἐν τοῖς ψιλοῖς κιθαρισταῖς χρώμασί τε εὐχρόοις πρῶτος ἐκιθάρισε, καὶ ἴαμβον, καὶ μάγαδιν τὸν καλούμενον συριγμόν. Auletica vero, quæ συναυλία; de qua ille ita: συναυλίαν ἄν τις ἀγνοεῖ συμφωνίας ἀμοιβαίας αὐλοῦ, καὶ ῥυθμοῦ χωρὶς λόγου τοῦ προσμελῳδοῦντος. Nam quod ait Pollucem ſcribere λυρῳδὰς κιθαρῳδὰς κιθαριστὰς idem ſignificare, non videtur Pollucem intellexiſſe; ille enim artifices muſicos varios enumerat, non eoſdem eſſe tradit.

Quid ſit Poëſis Nomorum. Perſas non eſſe jocoſum comœdiæ nomen.

Εἰσὶ δέ τινες, αἳ πᾶσαι χρῶνται τοῖς εἰρημένοις. λέγω δὲ οἷον ῥυθμῷ, καὶ μέλει, καὶ μέτρῳ. ὥσπερ ἥ τε τῶν διθυραμβικῶν ποίησις, καὶ ἡ τῶν νόμων, καὶ ἡ τραγῳδία, καὶ ἡ κωμῳδία. διαφέρουσι δὲ ὅτι αἱ μὲν ἅμα πᾶσιν, αἱ δὲ κατὰ μέρος. Quærit hoc loco Robortellius, atque adeo etiam in primo libro Annotationum, qui ſint Nomi apud Ariſtotelem, quos inter poëmatum genera videmus etiam à Polluce referri; atque utroque in loco Nomos interpretatur, leges à legiſlatoribus, ut à Solone, & Lycurgo latas, quas verſibus ſcriptas fuiſſe conſtat, ut facilius memoriæ mandarentur. Quam opinionem ego nullo modo ferendam eſſe aliquando exiſtimavi; cur autem ita exiſtimarem, tribus maxime argumentis adductus ſum. Primum, quia inquit Ariſtoteles, Dithyrambos & Nomos imitatos eſſe ſaltu, harmonia, & oratione conjunctim, Tragœdiam & Comœdiam ſeparatim. An vero qui leges legiſlatorum recitarent, iidem muſicum inſtrumentum pulſarent, atque ſaltarent, ut Dithyrambici faciebant, facile vocari in quæſtionem poſſit. Hoc certe ita factum ſignificat Ariſtoteles, ille vero hoc tantum in Dithyrambicis obſervatum docuit; de Nomis, ne in ſcopulum incideret, reticuit, ſed eos ad Tragœdiæ, & Comœdiæ conſuetudinem traduxit. Sic enim inquit: Ariſtoteles ait, Comœdiam, Tragœdiam, & legum poëſim uti conſueviſſe ſeparatim, &, ut ipſius utar verbis κατὰ μέρος, ſermone, rhythmo, & harmonia. In quo errat; nam Nomi ſequuntur dithyrambos, non Tragœdiam & Comœdiam; inquit enim Ariſtoteles: Differunt inter ſe Dithyrambi, Nomi, Tragœdia, & Comœdia, quòd illæ utuntur omnibus conjunctim, hæ ſeparatim; illas autem cum dixit, priores duas à ſe nominatas intellexit, Dithyrambos, & Nomos. Accedit, quòd Ariſtoteles, cum de rebus, quas diverſas imitarentur poëtæ, diſſerit, eas aut magnas, aut leves eſſe ait; opponit autem Dithyrambos Nomis, Tragœdiam Comœdiæ. Si autem Dithyrambis, (ut conſtat, & ipſe Robortellius exponit,) atque Tragœdia res magnæ exprimuntur, profecto Nomis, & Comœdia parvæ. Leges autem Robortellus res graviſſimas & ſanctiſſimas eſſe concedit, ex quo apparet Poëſim Nomorum non eſſe poëſim legum. Poſtremo videndum eſt diligenter, quòd cum Ariſtoteles exempla Dithyramborum affert, & Nomorum, Perſas nominat, & Cyclopas, quorum Perſas ſcripſit Timotheus, Cyclopas Philoxenus. Quod ſi ita eſt, ergo Cyclopes ſunt materia Nomorum, & Philoxenus auctor Nomorum. Cyclopes autem non ſunt leges, nec Philoxenus eſt legiſlator. Quare apparet Nomorum poëſim, de qua hic agit Ariſt. non eſſe legum, ut Solonis, quæ elegis ſcriptæ ſunt; poſtremo Nomos poëſim quandam fuiſſe maledicam, ab Arga quodam poëta ſcriptam docet Plutarchus in Demoſthene, qui Demoſthenem prodit Argam appellatum fuiſſe à ſermone, quo auditores inceſſeret. Fuiſſe enim Argam poëtam improborum Nomorum, & acerborum; verba ejus ſunt hæc: ἢ πρὸς τὸν λόγον ὡς ἀνιῶντα τοὺς ἀκροωμένους, καὶ γὰρ Ἄργας τοὔνομα ποιητὴς ἦν νόμων πονηρῶν, καὶ ἀργαλέων. Quibus de Nomis, & quo de poëta multo etiam apertius Athenæus lib. XIV. Καὶ μοχθηρῶν δὲ ᾀσμάτων γεγόνασι ποιηταὶ, περὶ ὧν φησὶ Φαινίας ὁ Ἐρέσιος ἐν τοῖς πρὸς τοὺς σοφιστὰς γράφων οὕτως. Τελένικος ὁ Βυζάντιος ἔτι δὲ Ἄργας ποιηταὶ μοχθηρῶν ὄντες νόμων πρὸς μὲν τὸν ἴδιον χαρακτῆρα τῆς ποιήσεως εὐπόρουν, τῶν δὲ Τερπάνδρου, καὶ Φρύνιδος νόμων οὐδὲ κατὰ μικρὸν ἐδύναντο ἐπιψαῦσαι; ex his autem patet, & Nomos inter improba fuiſſe poëmata, & Argam malorum horum Nomorum fuiſſe ſcriptorem. Addo illud etiam, non placere in eo expoſitionem Robortellii, qui Perſas jocoſum nomen comœdiæ fuiſſe exiſtimat. Nam ſi Perſæ, & Cyclopes fabulam rerum levium complexi ſunt, cur hoc exemplum attulit Ariſtoteles ad Dithyramborum, & Nomorum expoſitionem, cum Dithyrambi & Nomi ipſo auctore res graviſſimas imitentur? Supervacaneum ergo erit, & inutile & nulli rei propoſitæ accommodatum exemplum. Quod ſi Ariſtotelem haud temere locutum eſſe ſtatuemus, Perſas eum retuliſſe dicemus ad Dithyrambos, Cyclopas ad Nomos. Tradit enim differentiam actionum

gravium, & levium in iis poëſeum generibus, quæ imitarentur ſermone, harmonia, & ſaltu conjunctim; quam differentiam probat ſequens oratio. Eodem vero modo inter ſe diſtinguuntur Comœdia, & Tragœdia, quòd una res leves, altera graves imitatur; unde argumentum elici poteſt. Quo modo Tragœdia diſtinguitur à Comœdia, eodem modo Dithyrambi à Nomis; at tragœdia res graves, comœdia leves imitatur, ergo Dithyrambi graves, Nomi leves. Ergo Nomi non ſunt leges.

Quid ſit μιμεῖσθαι ἐν τοῖς αὐτοῖς.

ΕΤι δὲ τούτων τρίτη διαφορὰ, τὸ ὡς ἕκαστα τούτων μιμήσαιτο ἄν τις, καὶ γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς, καὶ τὰ αὐτὰ μιμεῖσθαί ἐστιν, ὅτε μὲν ἀπαγγέλλοντα &c. „ Robortel„ lus interpretatur ἐν τοῖς αὐτοῖς, in iiſdem ho„ minibus, & ait ſenſum eſſe. Sæpe contingit, ut in iiſdem hominibus eadem imitemur, diverſo tamen modo, quod declarat, cujuſmodi ſit, ὅτε μὲν ἀπαγγέλλοντα. Hanc igitur ego etiam interpretationem nec probo, nec probari ab erudito aliquo homine poſſe. exiſtimo. Propoſuit enim Ariſtoteles triplicem imitationis differentiam, ἐν οἷς, ἃ, ὡς, id eſt, quibus inſtrumentis, quas res, quomodo; inſtrumenta autem intellexit orationem, concentum, & ſaltum, res, actiones graves, vel leves, modum vel loquendo, vel loquentes inducendo, vel utroque modo; duas autem differentias cum expoſuerit, nunc tertiam explicandam aggreditur, ita tamen, ut repetat duas priores, ἐν οἷς, καὶ ἃ, inquiens: Καὶ γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς, καὶ τὰ αὐτὰ μιμεῖσθαί ἐστιν, id eſt, licet enim iiſdem inſtrumentis eaſdem res imitari. Illud autem ἐν τοῖς αὐτοῖς non ad inſtrumenta, ſed ad homines refert, nec particulæ ἐν, quæ hoc loco inſtrumento ſignificando ſervit, uſum vidit; cum tamen ſæpe alio loco de eadem differentia ſic loquutus ſit Ariſtoteles; ut ſupra: ἅπασαι μὲν ποιοῦνται τὴν μίμησιν ἐν ῥυθμῷ, καὶ λόγῳ, καὶ ἁρμονίᾳ. Item: ἐν τρισὶ δὲ ταύταις διαφοραῖς ἡ μίμησίς ἐστιν, ὡς εἴπομεν, ἐν οἷς τε, καὶ ἃ, καὶ ὡς. Item: ἐν πᾶσι γὰρ ποιοῦνται τὴν μίμησιν; his omnibus in locis ἐν ſignificat inſtrumentum. Unde alio loco dixit: ἑτέροις, ἑτέρως, ἕτερα; οἷς, ὡς, ἃ. Ex quo intelligi poteſt ἐν τοῖς, nullo modo ad homines referendum eſſe, ſed ad inſtrumenta.

De cauſſis naturalibus poëſeos.

ΕΟίκασι δὲ γεννῆσαι μὲν ὅλως τὴν ποιητικὴν αἰτίαι δύο τινὲς, καὶ αὗται φυσικαί. τό τε γὰρ μιμεῖσθαι σύμφυτον &c. Hæc verba, quibus Ariſtoteles duas cauſſas naturales, unde profecta poëſis eſt, ita divellit Robortellius, ut veras cauſſas non attingat, ſententiam obſcuret, orationem perturbet. Has enim cauſſas interpretatur, Imitationem, & quæ ex imitatione capitur voluptatem, poſtremo vero ad imitationem adjungit etiam concentum, & rhythmum; qua expoſitione ego nihil eſſe alienius puto. Itaque ſequor potius Averroëm, quem ille, ut aliquid per ſe ſapere videretur, reliquit; atque poëſim duabus naturalibus è cauſſis ortam eſſe interpretor, Imitatione, & harmonia, rhythmoque; verba autem ita expono, ut quæ ille cauſſam eſſe ait, ea ego rationem cauſſæ conſtituam, hoc modo. Videtur autem, inquit, Poëtica duabus omnino à cauſſis, iiſque naturalibus eſſe profecta: Imitatione; quod duabus rationibus confirmat, quòd imitari ho-

A minibus à pueris inſitum eſt; cujus rei argumento eſt, quòd hac ipſa re à reliquis differunt animantibus, quòd ad imitationem aptiſſimi ſunt, & primas diſciplinas imitatione conſequuntur; altera, quòd rebus imitatione expreſſis omnes delectantur; cujus rei illud indicio eſt, quod in operibus accidit; quæ enim ipſi cum quadam animi moleſtia intuemur, eorum ſimulachra accuratius efficta ſi videamus, voluptate perfundimur, ut agreſtium ferarum, & beſtiarum; cujus etiam rei cauſſa ea eſt, quòd non philoſophis ſolum, ſed aliis etiam hominibus jucundius accidere nihil poſſit, quam diſcere; quanquam impari ratione id faciunt &c. His ergo omnibus nemo
B eſt, qui non videat non duas res, ut cenſuit Robortellius, ſed unam tantummodo confirmari, nimirum cauſſam unam naturalem poëſeos eſſe imitationem, & quòd imitatio, & quòd voluptas, quæ ex rebus imitatione effictis capitur, homini natura inſita eſt. Sic enim hæc inter ſe reſpondent. τό τε γὰρ μιμεῖσθαι σύμφυτον τοῖς ἀνθρώποις ἐκ παίδων ἐστὶ, καὶ τὸ χαίρειν τοῖς μιμήμασι πάντας σύμφυτον ἐστι id eſt: Nam tum imitari natura hominibus inſitum eſt à pueris, tum rebus imitatione expreſſis delectari; quæ ille ſine ratione divellit. Illud autem: καὶ τούτῳ διαφέρουσι τῶν ἄλλων ζώων, ὅτι μιμητικώτατόν ἐστι, καὶ τὰς μαθήσεις ποιεῖται διὰ μιμήσεως τὰς πρώτας; eſt ſignum prioris rationis, id eſt, cur imitatio à
C pueris inſita ſit; quia homo differt ab aliis animantibus in eo, quòd ad imitandum eſt maxime aptus. Quod autem ait Ariſtoteles pueros diſcere primas diſciplinas imitatione, primas diſciplinas Robortellius interpretatur, Mathematicas, quas à pueris percipi vult imitatione, ego malim intelligi, loqui, legere, ſcribere, & reliqua ejuſmodi, quæ ut picæ, & pſittaci, ſic pueri imitando diſcant. Illa vero verba: ἀλλ' ἐπὶ βραχὺ κοινωνοῦσιν αὐτοῦ. διὰ γὰρ τοῦτο χαίρουσι τὰς εἰκόνας ὁρῶντες, ὅτι συμβαίνει θεωροῦντας μανθάνειν, καὶ συλλογίζεσθαι τί ἕκαστον. οἷον ὅτι οὗτος ἐκεῖνος. ἐπεὶ ἐὰν μὴ τύχῃ προεωρακὼς, οὐ διὰ μίμημα ποιήσει τὴν ἡδονὴν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀπεργασίαν, ἢ τὴν χροιὰν, ἢ διὰ τοιαύτην τινὰ ἄλλην αἰτίαν; hæc, inquam, verba do-
D cent, quemadmodum non eandem voluptatem reliqui homines capiunt, cum ex imitatione diſcunt, atque philoſophi; qua de re dicere cœperat, cum delectationem ex imitatione homini ingenitam eſſe à natura probaret. Neque enim inquit, alia cauſſa eſt, cur alii homines aſpectu imaginum capiantur, quam quòd intuendo efficitur, ut diſcant, atque quid earum quæque ſit, ratione concludant, exempli cauſſa hunc illum eſſe; quoniam niſi ille ante vidiſſet, non ex imitatione, ſed ex artificio, aut ex colore, aut ex ejuſmodi re alia delectationem afferret; quaſi vero ſignificare velit, philoſophos etiam voluptatem capturos ex earum rerum aſpectu, etiam ſi
E non ante vidiſſent. Ex quo intelligi poteſt Robortellium ſine ratione hunc locum emendaſſe; nam cum ſcriptum ſit: οὐ διὰ μίμημα ποιήσει τὴν ἡδονὴν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀπεργασίαν, ἢ τὴν χροιὰν, ille licentia ſua tollendi abuſus, tollit, διὰ ut μίμημα rectus caſus ſit, hoc ſenſu; non res imitatione efficta delectabit; nec animadvertit redditionem, quæ ſequitur, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀπεργασίαν. Quare recte habet locus, neque Robortellianam emendationem deſiderat; eſt enim ſubaudiendum vel εἰκὼν, id eſt, imago ipſa non ob imitationem, ſed ob artificium delectabit; vel vox, ἐκεῖνος; dixit enim ὅτι οὗτος ἐκεῖνος; ſequuntur deinceps illa: Κατὰ φύσιν δὲ ὄντος ἡμῖν

μιμή-

μιμεῖσθαι, καὶ τῆς ἁρμονίας, καὶ τοῦ ῥυθμοῦ. τὰ γὰρ μέτρα, ὅτι μόρια τῶν ῥυθμῶν ἐστι, φανερόν, ἐξ ἀρχῆς οἱ πεφυκότες πρὸς αὐτὰ μάλιστα, κατὰ μικρὸν προάγοντες ἐγέννησαν τὴν ποίησιν ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων, id eſt, cum nobis à natura inſita ſint, imitatio, concentus, & rhythmus, (neque enim dubium eſt, quin metra particulæ ſint rhythmorum) profecto ii, qui ad hæc maxime nati ſunt, à rudibus initiis, imperitiſque profecti paulatim poëticæ originem perſecuti ſunt. His ergo verbis Robortellius Ariſtotelem repetere ait ſuperiores duas cauſſas, ideſt imitationem, & delectationem; cumque alteram tantum nominet, imitationem, & pro altera afferat harmoniam, & rhythmum, ſe expedire non poteſt; etenim quæ ad hanc quæſtionem ſolvendam affert, vix eſſe hominis videntur. Quare dicendum, ac ſentiendum eſſe exiſtimo: cum Ariſtoteles cauſſas duas naturales poëſeos propoſuerit, atque alteram imitationem tantum nominaverit, eamque multis verbis confirmaverit, eandem nunc repetere, atque ſecundam cauſſam adjungere, quæ eſt harmonia, & rhythmus. Itaque hoc in loco eſt ἐπανάληψις, quæ fit, ſuperiore ſententia diverſis verbis repetita; huic autem repetitioni accommodata eſt particula, δέ. Duæ ergo ſunt cauſſæ poëſeos naturales; Imitatio, & inſtrumenta imitationis; inſtrumenta vero tria ſunt, harmonia, & rhythmus; nam rhythmus in duo dividitur, in ſaltum, & metra; metra enim, inquit, particulæ ſunt rhythmorum. Non probat autem inſtrumenta imitationis eſſe nobis naturalia, quia ſatis perſpicuum putavit ex eo, quòd imitationem ipſam nobis eſſe naturalem probavit. Itaque ſtatim concludit: „ Qui à natura formati fuerunt ad imitandum, oratione, harmonia, & „ ſaltu, eos poëſeos initia rudia introduxiſſe.

Locum non intellectum, ubi de Homeri Margite; & βατραχομυομαχίαν non eſſe leve poëma.

Τῶν μὲν οὖν πρὸ Ὁμήρου οὐδενὸς ἔχομεν εἰπεῖν τοιοῦτον ποίημα. εἰκὸς δ' εἶναι πολλούς. ἀπὸ δὲ Ὁμήρου ἀρξαμένοις ἐστίν, οἷον ἐκείνου ὁ Μαργίτης, καὶ τὰ τοιαῦτα, ἐν οἷς καὶ τὸ ἁρμόττον ἰαμβεῖον ἦλθε μέτρον. Robortellius hæc verba ita interpretatur, ut dicat Ariſtotelem intelligere, omnino nullius poëtæ ante Homerum dici enim ait: „ Sed dicat aliquis, „ ſi ex natura homines imitantur, & Home„ rus tam proxime abeſt à noſtris tempori„ bus, abſurdum eſt, ſi initium ſumpſit poë„ tices ab Homero; reſpondet Ariſtoteles: „ credibile quidem eſſe ante Homerum mul„ tos extitiſſe alios poëtas, qui imitationis „ poëticæ ſtudioſi ita ſcripſerint, ſed non „ poſſe id pro certo afferri, quod nullus jam „ extaret, qui prior Homero dici poſſet. Hæc ille: quibus ſignificat, ſe ſenſum Ariſtotelis non admodum difficilem non percepiſſe; non enim inquit Ariſtoteles, nullius ante Homerum poëtæ ſcripta extare, ſed nullum tale, quale eſt Homeri Margites, cum tamen veriſimile ſit, multos ejuſmodi poëmata ſcripſiſſe; propoſuit enim duo genera poëmatum, laudes, & vituperationes; de auctore laudum nihil affert, vituperandi auctorem facit Homerum, quia nemo ante eum, quantum extet, poëma ſcripſerit ejuſmodi, quale eſt ejus Margites; ſenſum autem hunc verborum ille non collegit, quia verba, non ut oportet, ordinavit, hoc modo: τῶν μὲν οὖν πρὸ Ὁμήρου οὐδενὸς ἔχομεν εἰπεῖν τοιοῦτον ποίημα, οἷον ἐκείνου ὁ Μαργίτης, καὶ τὰ τοιαῦτα; deinde reliqua per parentheſim; εἰκὸς δ' εἶναι πολλούς. ἀπὸ δ' Ὁμήρου ἀρξαμένοις ἐστίν, ideſt ac eorum quidem qui ante Homerum ſcripſerunt, nullius ejuſmodi poëma poſſumus nominare, quale eſt ejus Margites, & ejuſmodi alia; eſt tamen veriſimile multos in tali ſcriptione eſſe verſatos, ab Homero autem exordientes poſſumus. Quod autem ait Ariſtoteles. Et ejuſmodi alia, Robortellius βατραχομυομαχίαν interpretatur; in quo ego longe ab eo diſſentio; neque enim ranarum, muriumque pugnam rem levem, ac vituperationis argumentum, ut Margiten, eſſe exiſtimo; nam eam rem ut gravem tractavit, niſi forte apium hiſtoriam rem levem apud Virgilium dixerimus, cum uterque his belluis rationem dederit, & actiones humanas tribuerit, & de iis ut de hominibus ſcripſerit. Quare cum ea levis actio non ſit non reſpondet Margiti, ſed Iliadi, id eſt, epopœjæ.

De incremento Comœdiæ.

Ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικά, ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς τῶν πόλεων διαμένει νομιζόμενα κατὰ μικρὸν ηὐξήθη προαγόντων, ὅσον ἐγίνετο φανερὸν αὐτῆς. In hæc verba ita Robortellius: Hæc ita vertit Paccius: „ Quantum ſe ſe ipſa aperiebat. Videtur ta„ men hic eſſe ſenſus. Comœdia paulatim ab „ iis, qui Phallica tractabant, ad tantam uſ„ que magnitudinem, quantam nunc cernere „ eſt; quaſi innueret adhuc augeri poſſe, & „ expoliri; id quod factum eſt; cum comœ„ dia ex vetere facta eſt nova, quæ multo „ probabilior, & integrior fuit. Hæc Robortellius. Qui meo quidem judicio, quid verbis illis, ὅσον ἐγίνετο φανερὸν αὐτῆς voluerit Ariſtoteles, aſſequutus non eſt. Eſt enim hic ſenſus. Comœdiam ii, qui Phallica tractarunt, quæ etiam nunc ex reip. inſtituto multis in civitatibus permanent, quantum ex ea extabat, paulatim promoventes auxerunt; non enim ſignificat Phallicos poëtas comœdiam inveniſſe, atque ad eam magnitudinem perduxiſſe, quæ tum erat, ſed eam partem Comœdiæ, quæ extabat, quanta quanta erat ſuſcepiſſe, atque amplificaſſe; hoc eſt enim ὅσον ἐγίνετο φανερὸν αὐτῆς; quod Robortellium miror latuiſſe.

Archontem recte verti poſſe, τὸν ἄρχοντα.

Ὀψὲ γὰρ ὁ ἄρχων χορὸν ἔδωκε. In hæc Robortellius ita: „ Sero admodum chorus da„ ri cœpit à magiſtratu: quæ verba cum „ non intelligeret Paccius, inepte vertit. Sero „ ab Archonte Comœdorum chorus inductus. Quibus verbis ſi Robortellius Paccium reprehendit; quòd inductum pro conceſſo dixerit, nihil dico, ſi Archontem pro magiſtratu uſurpatum reprehendit, injuſte factum eſſe affirmo. Erat enim ſummus magiſtratus Athenis hoc nomine, ut inter omnes conſtat; ab eo enim etiam annus nominabatur, quo nomine uſus eſt etiam Cicero in Tuſculana prima, cum dixit, Archonte Pithorato. Itaque rectius Robortellius Archontem, quàm magiſtratum vertiſſet, ut hunc maxime magiſtratum (nam multi alii erant) ſignificaret; non enim qui apud Romanos pro conſule magiſtratum dixerit, cum multi alii præter conſulem magiſtratus ſint, ſatis commode fecerit.

Ἡδυσμένῳ λόγῳ quid ſit, non eſſe intellectum.

ΕΣτὶν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας, καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, ἀλλὰ δι' ἐλέ. Definit hic Tragœdiam Ariſtoteles; cujus definitionis partes duas vereor, ut ſatis eas intellexerit Robortellius; ſunt autem hæ: ἡδυσμένῳ λόγῳ, & χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρώντων; ſic enim ſcribit: „ Sermone ſuavi; „ ita vertit Paccius. Græcus contextus habet: „ ἡδυσμένῳ λόγῳ; quod expreſſius dicas, ſi Latine „ poſſit referri, Suaviſacto ſermone; cum „ enim imitatio fiat tribus, ſermone, rhyth„ mo, harmonia, omnia hæc adhibet tragœ„ dia; poſt autem cum Ariſtoteles declarat, „ quid velit per λόγον ἡδυσμένον, & ait: λέγω δὲ „ λόγον ἡδυσμένον τὸν ἔχοντα ῥυθμόν, καὶ ἁρμονίαν, καὶ μέ„ λος, ita ipſe Robortellius ſubjicit: Primum quod appoſuerat in definitione ἡδυσμένον λόγον declarat; implicite enim protulerat; explicat igitur (nam ſub eo latent tria) harmonia, rhythmus, & melos. Hæc ille: Ego vero prave λόγῳ orationem ab eo verſam eſſe exiſtimo. Nam ſi ſaltus, & harmonia eſt pars ἡδυσμένου λόγου, ergo ſaltus, & harmonia erit pars orationis, & quodammodo ratio; vertendum autem eſſe duco, Rationem, ſive modum; ſignificat enim uno verbo genus trium inſtrumentorum imitationis poëticæ; imitatur enim, inquit, tragœdia actiones graves modo ſuavitatis pleno; is autem modus eſt, melos, harmonia, & rhythmus. Melos autem intelligo pro metro; eſt enim metrum non ſolum oratio, ſed oratio cum numero conjuncta; at vero Robortellius per melos ait intelligi cantilenas vocales, atque hoc loco melos ab harmonia diſtingui; neque videt ad inſtrumenta imitationis nihil vocalem cantilenam pertinere, quæ, ne quid ſit quidem, ſi ab eo quæratur, reſpondere poterit.

Quid ſit χωρὶς τῶν εἰδῶν non eſſe intellectum.

ILlud autem: τὸ δὲ χωρὶς τοῖς εἴδεσι, τὸ διὰ μέτρων ἔνια μόνον περαίνεσθαι, καὶ πάλιν ἕτερα διὰ μέλους, ita interpretatur Robortellius: „ Secundum, quod „ appoſuerat in definitione declarat, & vide„ batur egere declaratione aliqua, eſt χωρὶς „ ἑκάστου εἰδῶν. Declarat igitur afferens diſtinctio„ nem hanc: τὸ διὰ μέτρων ἔνια μόνον περαίνεσθαι, ἔνια „ δὲ διὰ μέλους. Hoc duplici de cauſſa videtur „ dictum; primum quidem propter recitatio„ nem totius tragœdiæ; ſeparatim enim fit, „ ſeu, ut ipſius utar verbis, κατὰ μέρος, ſermo„ ne, rhythmo, harmonia; deinde vero pro„ pter chorum tragicum, in quo nonnulla pro„ feruntur voce, & ſermone loquentium, non„ nulla cantantur. Neque hunc ego eſſe horum verborum ſenſum exiſtimo Robortelli, cum ait Ariſtoteles, tragœdiam imitationem eſſe, quæ fit metro, harmonia, & rhythmo, ſingulis his formis ſeparatim in particulis agentibus. Separatim autem, quia nonnulla metro ſolo perficiuntur, nonnulla vero etiam per melos. Etenim hoc in loco melos accipit non pro metrica oratione, ut paulo ante, ſed pro harmonia, & rhythmo; quod paulo poſt μελοποιίαν dixit, cum de his inſtrumentis loquens nominavit τὴν λέξιν, καὶ τὴν μελοποιίαν; per λέξιν enim id eſt dictionem, metricam orationem intellexit, per Melopœjam vero harmoniam, & rhythmum. Si ergo nonnullæ partes tra-

A gœdiæ ſolo metro aguntur, nonnullæ vero metro, harmonia, & rhythmo, commentitia tua illa expoſitio eſt, qui ais in choro tragico alia proferri voce, alia cantu. Quid enim? cantus ille non eſt oratio? nam cantus non eſt harmonia, de qua intelligit Ariſtoteles, quæ tibiis edebatur, aut aliis muſicis inſtrumentis ejuſmodi. Sed cantus, & oratio, & metrum pro eodem accipiuntur. Ego verò exiſtimo hoc velle Ariſtotelem, quaſdam tragœdiæ partes, quæ recitabantur ſine harmonia, & ſaltu, quaſdam, quæ haberent harmoniam, & ſaltum, quarum illas diverbia à Latinis dicta eſſe invenio, hæc cantica. Diver-
B bia autem, auctore Diomede, ſunt fabulæ partes, in quibus diverſorum perſonæ verſantur. Perſonæ autem diverbiorum aut duæ, aut tres, raro autem quatuor eſſe debent. In canticis autem una tantum eſſe debet perſona, aut ſi duæ fuerint, ita debent eſſe, ut ex occulto una audiat, nec loquatur, ſed ſecum, ſi opus fuerit, verba faciat: Ut autem in comœdia apud Latinos vox una diverbiis relicta ſit, ſcribit Livius lib. VII. loco eo, de quo ſupra diſputavimus.

Partes tragœdiæ intellectas non eſſe.

ΕΠεὶ δὲ πράττοντες ποιοῦνται τὴν μίμησιν, πρῶτον μὲν ἐξ ἀνάγκης ἂν τι μόριον τραγῳδίας ὁ τῆς ὄψεως κόσ-
C μος, εἶτα μελοποιΐα, καὶ λέξις· ἐν τούτοις γὰρ ποιοῦνται τὴν μίμησιν, &c. In hæc Robortellius: „ Tres partes tragœdiæ eſſentiales probat per tres notas illas differentias, quæ in principio libri „ appoſitæ fuerunt, & declaratæ, ſunt autem „ hæ: οἷς, ὡς, ἅ; per primam differentiam, „ ſcilicet οἷς, quæ inſtrumentum ſignificat ve„ lut quoddam; per ſecundam differentiam, „ ſcilicet ὡς, quæ modum ſignificat, in qua „ verſatur imitatio tragœdiæ; ex prima diffe„ rentia duæ exiſtunt partes, apparatus, me„ lodia; ex tertia una pars tantum, fabula; „ ex ſecunda tres partes, dictio, mores, ſen„ tentia. Ex his apparet, Robortellium ap-
D paratum referre ad inſtrumenta imitandi, cum pertineat ad modum imitandi; eſt enim ſcenæ aſpectus. Dictionem, mores, & ſententiam referre ad modum, cum nullum eorum ad modum attineat, ſed dictio inſtrumentum ſpectet, mores, & ſententia una cum fabula, materiam. Nam tragici imitantur fabulam, mores, & ſententiam, ut materiam; imitantur autem dictione, & melopœja, ut inſtrumentis: melopœja vero harmoniam, & rhythmum comprehendit. Modus autem tertius eſt ſcena, in qua agentes inducunt, quem Ariſtoteles vocat ornatum aſpectus, Robortellius apparatum. Sic enim inquit Ariſtoteles: οἷς μὲν γὰρ μιμοῦνται δύο μέρη ἐστίν, ὡς δὲ μιμοῦνται, ἕν, ἃ
E δὲ μιμοῦνται τρία. καὶ παρὰ ταῦτα οὐδέν; id eſt, quibus imitantur duo ſunt, dictio, & melopœja; quomodo, unum, aſpectus ornatus: quæ, tria, fabula, mores, & ſententia. Quam autem apte hunc locum expoſuerit Robortellius omnes jam intelligere poſſunt. Miror certe hominem tam in ſcribendo acutum, ac diligentem tertio quoque verbo ſententiam auctoris, & præſertim Ariſtotelis non aſſequi; quod ne viderer inimicitiarum cauſſa dicere, aut fingere, his paucis ex principio poëtices locis conſideratis, volui demonſtrare; reliqua, ut ſi iterum decertandum ſit, recentes in aciem venire poſſimus, in aliud tempus differemus.

CAROLUS SIGONIUS
IN PROŒMIUM ÆLIANI
DE GRÆCO CONVERSI.

Quot errores decem in verſibus Æliani vertendis doctiſſimus Robortellius commiſerit.

NUnc quoniam multum ille ſibi Græcis in literis tribuit, quam injuſte id faciat, decem primis conſideratis Æliani, quem ille vertit, verſibus demonſtremus. Sic orditur Ælianus: τὴν παρὰ τοῖς ἕλλησιν τακτικὴν θεωρίαν ἀπὸ τῶν ὁμήρου χρόνων τὴν ἀρχὴν λαβοῦσαν αὐτοκράτορ καῖσαρ υἱὲ θεοῦ ἀδριανὲ σεβαστὲ πολλοὶ τῶν πρὸ ἡμῶν συνέγραψαν, οὐκ ἔχοντες ὡς ἡμεῖς ἐν τοῖς μαθήμασιν ἐπιστεύθημεν ἕξιν ἔχειν. Robortellius ita: „Scientia illa, quæ ad inſtruendam aciem ſpectat, ab Homeri uſque temporibus originem duxit ô Cæſar divi Nervæ fili Adriane Auguſte. Ac multi quidem eam ante nos literis mandarunt, mathematicam non callentes ſcientiam, in qua nos multum excellere crediti ſumus. Hac periodo quatuor res eſſe exiſtimo, quæ prudentis lectoris animum offendere poſſint; primum, quòd omiſit ea verba, τὴν παρὰ τοῖς ἕλλησι, id eſt, quæ apud Græcos fuit; hac enim de ſcientia loqui ſe profitetur Ælianus, deinde quòd præterit vocem αὐτοκράτορ, quaſi non neceſſariam, cum ait ô Cæſar, cum fuerit dicendum, Imperator Cæſar. Nam id fuit Cæſaribus prænomen, ut inquit Svetonius; tum quod de ſuo addidit, Nervæ; cum ſatis eſſet, ut eſt in Græco: Imperator Cæſar Divi fili; quomodo etiam Auguſtus appellatus eſt, teſtibus nummis, & lapidibus antiquis; poſtremo ſententiam, quæ præclare apud Ælian. una periodo continetur, ipſe in duas periodos ſine ratione contulit; quanto enim aptius Ælianus hoc modo? Scientiam Græcorum in inſtruendis aciebus, quæ jam inde ab Homeri temporibus initium duxit, Imperator Cæſar Divi fili Adriane Auguſte veteres multi literis prodiderunt: Ἐμαυτὸν δὲ πεῖθων, ἠβουλήθην ταύτην συντάξαι τὴν θεωρίαν, ὅτι τοῖς ἡμετέροις οἱ μεθ' ἡμᾶς πρὸ τῶν ἀρχαιοτέρων προσέξουσι συγγράμμασι. Robortellius. Quare ego met mihi in animum induxi optimum fore, ſi de militari hac diſciplina librum conſcriberem, magis enim ad hæc noſtra, quam ad antiquorum ſcripta poſteri animum applicabunt. Non placet hoc loco, quòd Robortellius contra Æliani ſententiam hæc quaſi concluſionis loco pronunciet. Ælianus enim ait: Ego vero. Robortellius: Quare ego met; quaſi nihil interſit; deinde ne ſententiam quidem Æliani germanam ipſum arbitror explicare, cum vertit: Quare egomet mihi &c. cum Æliani ſenſus hic ſit: Ego vero hac de diſciplina ſcribere volui, quòd mihi perſuaderem poſteros meis ſcriptis potius, quàm antiquorum animum adjuncturos; & ἐμαυτὸν πείθων vertit: in animum mihi induxi, cum Cicero ſoleat dicere: Inducere animum, non inducere ſibi in animum. Sed Ciceronianam illum contemnere dicendi rationem defenſores ejus dicere ſoliti ſunt. Addit etiam de ſuo, Militari cum ex ſuperiore periodo repetendum ſit: Ἐπεὶ δὲ τῷ θεῷ πατρί σου νερούᾳ συμβαλὼν παρὰ φροντίνῳ τῶν ἐπισήμων ὑπατικῶν ἐν φορμίαις ἡμέρας τινὰς διέτριψα δόξαν ἐπιτετυχημένῳ περὶ τὴν ἐν τοῖς πολέμοις ἐμπειρίαν, συμβαλὼν τ' ἀνδρὶ εὗρον οὐκ ἐλάττονα σπουδὴν ἔχοντα εἰς τὴν παρὰ τοῖς ἕλλησι τεθεωρημένην μάθησιν, ἠρξάμην οὐκέτι περιφρονεῖν τῆς τακτικῶν συγγραφῆς. Robortellius: Quoniam verò cum Divo patre tuo congreſſus Formiis, aliquot dies commoratus fuit apud Frontinum, qui unus eſt inter conſulares illuſtres viros, & magnam ex bellicæ artis peritia laudem tulit, & cum eo de hac collocutus animadverti, non minus ſtudii illum ponere in ea militari diſciplina, quæ à Græcis inventa fuit, & tradita. Cœpi itaque tunc non negligere opus, quod ſcribere in animo habebam de ratione inſtruendi copias. Hic vertit; ἐπειδὴ. Quoniam autem; cum vertendum eſſe, Poſtquam vero, ſententia doceat, quæ eſt hæc: Equidem ignarus Romanæ diſciplinæ ab hac ſcriptione refugiebam, ſed poſtquam animadverti Frontinum magnam in hac re operam collocare; cœpi hoc ſtudium non contemnere. Facit etiam non ſatis conſequentem orationem Robortellius, cum ait: Quoniam vero cum Divo patre congreſſus commoratus fui, & cum eo collocutus animadverti. Cœpi itaque. Cum una periodo omnia devinciri debeant ita: At verò poſtquam cum Frontino collocutus animadverti non minus ab eo ſtudii in Græcorum diſciplina poni, ne meum quidem ipſe ſtudium deſpicere cœpi. Robortellius autem diſſolutum quoddam genus orationis amat, quod neſcio an omnibus probetur. Neque vero quenquam etiam probaturum eſſe arbitror, verba illa παρὰ φροντίνῳ τῶν ἐπισήμων ὑπατικῶν verti, apud Frontinum, qui unus eſt inter conſulares illuſtres viros; non enim expreſſa eſt antiqua Romanorum formula; qua utebantur & rep. vigente & perdita. Conſularis vir clariſſimus; dixit enim Cicero in epiſtola ad Servium: Conſularem clarum virum; & in orat. poſt reditum ad Quirites: Conſulares clariſſimos; extat etiam nota hujus formulæ. V. C. qua vir clariſſimus ſignificabatur, unde in libro Jucundi Veronenſis eſt antiquum epigramma tale: CROTTIO EUSEBIO V. C. CONSULARI. Cur ergo non potius, apud Frontinum virum clariſſimum conſularem, quam, qui unus eſt inter conſulares illuſtres viros? Sed Robortellium exiſtimo, tum, cum hæc ſcripſit, non tam fuiſſe in Romana antiquitate verſatum, quam nunc eſt. Omittit etiam Nervæ, credo, quòd ſupra ſine cauſſa, repoſuerat, & hoc præceptum artis ejus ſit, quam ſe ut emendandi, ita vertendi ait conſcripſiſſe: ὡς ἂν σπουδάζεσθαι παρὰ φροντίνῳ δοκοῦν αὐτὸ, ὅπερ τι χεῖρον εἶναι τῆς ῥωμαϊκῆς διατάξεως περιεῖχεν αὐτό. Robortellius: Putans in ea cognoſcenda Frontinum tantum ſtudii non fuiſſe poſiturum, ſi deterior hæc, quam Romana fuiſſet. Cur non

ut

A ut Ælianus? ſi deteriorem hanc ille, quam Romanam exiſtimaſſet? Atque hæc hactenus. Satis enim intelligi puto, ſi his primis verbis neque auctoris ſententias, neque antiquitatis formulas, neque loquendi rationem Latinis uſitatam expreſſam ab eo eſſe exiſtimo, quid de reliquo totius libri corpore ſim judicaturus; in quibus adeo ipſe cœcutit, ut quodam etiam in loco exametrum ſeptem pedum, optimus tamen grammaticus, ac poëta, hunc ſcripſerit:

Edentes incompoſitam vocem confuſaque verba;

B quod ego in puero illo ſuo vitioſiſſimum, ac ſummopere caſtigandum eſſe cenſerem. Quæ omnia ne hoc tempore perſequar, diuturnus labor, & jam defeſſa ſcribendo manus, impedimento ſunt.

Hæc pauca habui Franciſce Robortelle, quæ tibi laceſſenti, ac me ſæpius ad hoc certamen provocanti ſubito reſponderem; multa plura, cum majus erit ocium, allaturus. Feciſti mihi gratum, quod induſtriam meam præclaris his tuis commentatiunculis acuiſti, meque tuis tollendis erroribus, ad aliorum etiam fortaſſe multorum mentes conformandas excitaſti; gratius autem facies, ſi brevi C commentarium tuum illum caſtigationum Livianarum, quem polliceris, edideris, modo ne, quæ aut à me non ſcripta, aut non cogitata, aut operarum culpa contracta ſint, quæ multa eſſe poſſunt, mihi in maledictis objicias. Quòd ſi ab iis rebus, quas ego ſcholiis meis complexus ſum, diſceſſeris, tacitus te, ut hominem injuſtiſſime mecum agentem, ac ventoſiſſimum, leviſſimumque dimittam; me enim generis mei nomen, ut ſileam, patriæ vero, ut prope mutus ſim, admonent; at ſi me juſto certamine provocaris, non modo non mutum, ſed etiam, ſi ita res tulerit, diſertiſſimum ſenties.

D *Emendationes quædam Aſconii, de quibus ſupra diſputatum eſt, iterum confutatæ.*

HOc loco viſum eſt aſcribere lectionem quorundam locorum Aſconii, de quibus ſupra diſputatum eſt, quam ex libro Franciſci Othomani deſcriptam ad me Achilles Statius vir, ut ſupra dixi, eruditus proxime Patavio miſit; quem librum Othomanus ſe ex vetuſtiſſimi exemplaris auctoritate emendaſſe profitetur. Hoc autem feci, ut omnes videant, uter noſtrum propius, cum uterque conjectura Aſconii ſenſum exquireret, ad veritatem acceſſerit.

Locus ille in divinationem: Varro conſobrinus frater huic cenſi reus ex Aſia; ubi ego neſcio quid ſuſpicatus ſum de Varrone conſobrino Ciceronis ex 2. de Orat. & Bruto, Robortellius ineptè de Varrone conſobrino Hortenſii, ita habet: Terentius Varro frater C. Varronis conſobrini M. Tullii reus.

Alter ille in II. in Verrem: Unde quia major ſumma eſt pecuniæ publicæ, quàm privatæ, ut pro cenſu privato, ærarium dicitur pro loculis, & arca theſauri pro ſaccello fiſcus ita habet: Unde quia major ſumma eſt pecuniæ publicæ, quam privatæ, ut pro cenſu privato loculos, & arcam, & ſaccellos dicimus, ſic pro publico theſauro ærarii dicitur fiſcus. Ex quo intelligi poteſt, falſum illud eſſe, in quo ſe ille tantopere effert, legendum eſſe, non ut pro cenſu privato, ſed ut Populi R. cenſus privato; quod etiam ſupra improbavi, quanquam tot verba deeſſe divinare non potui.

Tertius in Cornelianam: Providendum, ut haberent legati, unde præſentia darent, ita legitur: Providendum, ut haberent legati, unde in præſentia pecuniam creditoribus darent. Ex quo apparet, merito me hoc dicendi genus vituperaſſe, Præſentia dare, pro præſentem pecuniam dare, quod Robortellius intulerat, atque laudarat.

Quartus in eandem: Cornelius ea re offenſus, ſenatui queſtus eſt de ea ne exhauriri provincias uſuris, ſatis demonſtrat, me recte vidiſſe, non oportere has voces, De ea, negligere; quoniam in hoc libro legitur: Queſtus eſt de ea re in concione, non ut Robortellius, queſtus eſt in concione.

Quid dicam de quinto? qui eſt in orationem in competitores, nonne planiſſime ſententiam Aſconii, quam dixi, oſtendit, Robortellianamque interpretationem refellit? Sic enim legitur: Præterea movet me, quòd cum ſint commentarii Ciceronis ſuarum etiam defenſionum. Commentarium tamen hujus defenſionis, aut principium nullum inveniam. Itaque puto non defendiſſe, ſed tantum de defendendo cogitaſſe; quod per hæc ipſa negari non poteſt. Hoc autem judicio abſolutus eſt Catilina infamia judicum, ut & Clodius infamis fuerit, quippe qui prævaricatus eſt. Nam & rejectio judicum ad arbitrium rei videbatur eſſe facta. Hæc enim verba ſignificant Catilinam à Cicerone non, ut ego dixi, defenſum, cum tamen Robortellius ex his colligi defenſum eſſe ſcripſerit; in quo glorioſe ſe venditat.

CA-

CAROLI
SIGONII
LIBRI
DISPUTATIONUM
PATAVINARUM
ADVERSUS
FRANCISCUM ROBORTELLUM.

LIBER PRIMUS.

Schedæ quædam Scholarum Patavinarum foribus affixæ, ad ſequentem Diſputationem pertinentes.

FRanciſcus Robortellus Utinenſis linguæ Latinæ rationem novo quodam modo ſe traditurum pollicetur auditoribus ſuis, ut facile ac cito Latine loquendi certam normam cognoſcant; nam veriſſimum illud eſt: Is qui cito non diſcit, nunquam diſcit; Quare oratos omnes vult, ut ſe ad tam præclaram diſciplinam percipiendam parent; attenteque audiant: Sed non ante id efficiet, quam locos Topicos, qui octodecim ſunt, ex præſcripto Ciceronis tum in libris de Orat. tum in Topicis, & partitionibus expoſuerit. An vero publice etiam extra ordinem tradi hæc diſciplina debeat, an privatim, deliberabimus poſtea. Valete nobiliſſimi, ac lectiſſimi Aloleſcentes; amateque Robortellum veſtrum, qui dies nocteſque nihil aliud cogitat, quàm ut aliqua ratione vobis prodeſſe poſſit. Patavii Idibus Februarii M. D. LXII.

Franciſcus Robortellus Utinenſis, qui ex præſcripto Ciceronis lib. II. *de Orat. locos Topicos explicavit, hodie, ut pareat edicto gymnaſiarcharum, incipiet explicare librum primum de Oratore, & primum Proœmium ipſum; mox de dialogo diſſeret longe ſecus, ac inepti, & indocti quidam, quos refellere non erit alienum à re, ut diſcant poſthac cautius ſcribere.*

Reſponſum.

Ad hæc ineptus, & indoctus ille quidam hoc modo: Primum Robortellum rogat, quoniam ipſe criminationes ejus cognoſcere, nec præſens commode poteſt, nec abſens magnopere ſtudet, ut quidquid in ſuis ille ſcriptis reprehenderit, id ſcripto mandare velit. Nam ſe brevi, ut antea, ad omnia diligentiſſime reſponſurum; deinde ait, ſe mirari, Robortellum, qui ſexcentis in locis quinquennio ante juſtiſſime reprehenſus turpiſſime obmutuerit, de aliena accuſanda doctrina quidquam polliceri audere; additque, inepte illum agere, qui ſuimet propugnatione neglecta de alterius cogitet oppugnatione. Itaque, quanquam dolori ejus ignoſcit, admonet eum tamen, ut bene alios docendo potius, quàm alteri male dicendo ſcholam aut ad ſe advocare, aut ab altero conetur avocare; neque enim quenquam adeo rerum ignarum eſſe, qui jampridem, quorſum hæc alienæ induſtriæ improbatio, & illa propriæ doctrinæ venditatio pertineant, non perſpiciat, atque hominis vicem vehementius jam aut non doleat, aut non rideat.

TRIDUUM PRIMUM.

Loci duo Suetonii declarati. Quid inter patricium & ſenatorem, quid inter ſponſam & uxorem interfuerit. An Flamini diali divortium facere cum uxore, an cum ſponſa licuerit.

COmmodius multo feciſſet Franciſcus Robortellus, ſi diligentia potius, ac ſtudio diuturno Patavinam ſibi ſcholam conciliandam, quàm maledicentia, & obtrectatione duxiſſet. Sed quoniam ille & verbis in concione quotidie, & ſcriptis Scholarum foribus affixis, finem maledicendi non facit, cum etiam nos, quos ille ineptos, indoctoſque, homo omnium ineptiſſimus, indoctiſſimuſque vocavit, ſe refutaturum eſſe jactaverit, ut poſthac cautius ſcribere diſceremus, placuit, primùm illum etiam atque etiam obſecrare, ut in ſuo munere gerendo, & ſuæ & aliorum dignitatis, & quod caput eſt, Principum Venetorum, quibus hi mores meritò probari non poſſunt, voluntatis ratio- A nem haberet, nunc verò eundem etiam benevolè admonere, ut ipſe ſeſe aliquando colligat, & ſecum animo reputet, an, qui à doctiſſimis viris, NANNIO, MADIO, VICTORIO, RUFFO, PATRICIO, nobis denique ipſis juſtis propè voluminibus in omni litterarum genere multos ante annos confectus, ne hiſcere quidem, aut vocem ad ſui defenſionem ullam mittere auſus ſit, eum deceat, aut tam magnifice de ſe, aut tam humiliter de aliis, vel ſentire, vel loqui, iiſque præſertim, à quibus omnium ante, & ſuo demum teſtimonio eſt devictus. Itaque quoniam ille B principium intulit injuriæ faciendæ, ignoſcet nobis, ſi ſæpius eum è ſomno excitabimus, quos jampridem dormire cupientes contumeliis ſuis aſſiduis ne oculum quidem claudere eſt paſſus. Nobis enim eſt conſilium, Commentarios antiquitatum Romanarum ab eo poſtremo editos accuratius examinare, & quàm hic noſter corrector in ejus doctrinæ cognitione planè titubet, demonſtrare. Ut autem lectorum, & ipſius, ſi reſpondere voluerit, conſulatur commoditati; hunc laborem ita

di-

A diſtribuemus, ut non uno die omnia effundamus, ſed tertio quoque die novi aliquid de admirabili hujus hominis eruditione prodamus, rogantes illum iterum atque iterum, ut quando jam ſe ſexcenta illa vetera errata defendere non poſſe fatetur, ſaltem totidem hæc nova, quæ quotidie proferentur, qua ingenii & doctrinæ copia inſtructus eſt, tueatur; & ſcenæ huic, ac theatro nobiliſſimo ſerviat, ſi modo ſe eum, quem falſa ſui deceptus opinione putat eſſe, ab omnibus haberi velit. Nam nos ad omnia, quæ ille aut reſponderit, alio modo in nos ediderit, pollicemur tridui eſſe ſpatio reſponſuros, dummodo ille, qui ſe ætate nobis, doctrina omnibus longè anteire B ait, eadem ſeſe conditione obſtrinxerit. Verùm ad rem.

Dicimus ergo, eum primos tres Svetonii verſus non intellexiſſe, atque ſe in eorum elicienda ſententia, in multos graviſſimos errores, quaſi in quoſdam inextricabiles laqueos induxiſſe, in eo libro, quem ſcripſit de vita Populi Rom.

Svetonius ita loquitur in Cæſare.

„ Annum agens XVI. Cæſar patrem amiſit, ſequentibuſque Conſulibus Flamen dialis deſtinatus, dimiſſa Coſſutia, quæ familia equeſtri ſed admodum dives, prætexta- C to deſponſata fuerat, Corneliam Cinnæ IV. Conſulis filiam duxit uxorem.

Robortellum, qui in eo libro omnem vitæ Populi Rom. rationem in octo capita diſtribuit, Magiſtratus, Judicialia, Sacra, Colonias, Leges, Militaria, Mores, & Familias, ſub caput Magiſtratuum, notabile hoc ex verbis ſuperioribus Svetonii hauſtum ſubjecit. SENATORES, ET PATRICII UXOREM DUCEBANT ETIAM EX FAMILIA EQUESTRI. Quibus verbis nihil abſurdius eſſe poſſe dicimus, quocunque modo ille nomen Senatorum accipiat.

Nam ſi Senatores pro iis, qui in Senatum lecti eſſent, intellexit, excepit id è Svetonio, D quod Svetonius nec dixit, nec vere dicere potuit, neque enim Cæſar annum agens XVII. Senator fuit, aut legi tum in Senatum per ætatem, & leges potuit. Filius autem Senatoris, & ex Senatoria familia, eademque patricia certe tum fuit.

At ſi Senatores pro patriciis accepit, multo etiam vehementius erravit, quia Senator alius eſt à Patricio. Nam Patricius gentem ſignificat, unde ille ortus ſit, Senator ordinem, in quem idem ſit aſcriptus, & patriciatus lege ad Populum lata impetrabatur, Senatorius ordo lectione Cenſoria comparabatur. Quòd ſi idem eſſet Patricius, & Senator, efficeretur, ut omnes Patricii eſſent Senatores, E & nemo plebejus eſſet Senator; quorum utrunque falſum eſt; nam & multi Patricii Senatores non fuerunt, & plurimi plebeii fuerunt; unde dixit Svetonius, Octavium in demortui Tribuni Plebis locum petiiſſe, quamvis Patricius eſſet, nec dum Senator.

Quod vero ſcripſit, PATRICIOS DUXISSE UXOREM ETIAM EX FAMILIA EQUESTRI; multo eſt etiam perverſius. Quia patricius non reſpondet equeſtri, ſed plebejo, quemadmodum Senator non reſpondet equeſtri, ſed equiti. Neque novum eſt, ut ille videri vult, Patricium ducere uxorem equeſtri familia natam, cum equeſtris familia eadem poſſit eſſe equeſtris & patricia; tam enim patricii, quàm plebeji, equites erant Romani; ut de Ser. Sulpicio ſcribit pro Murena Cicero, quem patricium equeſtri loco natum ait. Dicet aliquis quomodo ſcribi oportuit? nempe aut patricios duxiſſe plebejas, aut ſenatorio loco natos equeſtri loco natas, aut ſenatorum filios equitum Rom. filias, hæc enim omnia in Cæſarem, Coſſutiamque conveniunt. Qui autem inquit, SENATORES, ET PATRICIOS DUXISSE EQUESTRI FAMILIA NATAS; is aperte oſtendit, ſe, quis Senator, quis eques, quis ſenatorio, quis equeſtri loco natus, quis patritius, quis plebejus, quid ſenator, quid ſenatus ſit, non intelligere; id eſt, in tota antiquitate Romana planè ſe hoſpitem, & peregrinum eſſe.

Ex eodem loco colligit aliud notabile, idque refert in Caput ſacrorum, his verbis. FLAMEN DIALIS DESTINATUS DIMITTIT UXOREM SIBI DESPONSATAM. PLUTARCHUS ALITER IN PROBLEMATIS ROMANIS. Hoc igitur notabili dicimus nihil poſſe fingi fœdius; primùm, quia putat, Svetonium, & Plutarchum inter ſe diſſidentes eſſe, cum ſint conſentientes, ut oſtendemus aperte; deinde quia inquit, Cæſarem dimiſiſſe uxorem, cum Svetonius dicat, dimiſiſſe ſponſam, cujus rei ignoratio illum in eam opinionem adduxit, ut Svetonium à Plutarchi ſententia diſcordare falsò putaverit. Quod apparebit, ſi ſponſam ab uxore differre probabitur; quod Ser. Sulpicius apud Gellium lib. 4. cap. 4. docet his verbis. „ Qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, ſtipulabatur, eam in matrimonium ductum iri; qui daturus erat, itidem ſpondebat, is contractus ſtipulationum ſponſionumque dicebatur ſponſalia; tunc quæ promiſſa erat, ſponſa appellabatur, qui ſpoponderat ducturum, ſponſus; ſed ſi poſt eas ſtipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur; qui ſtipulabatur, ex ſponſu agebat, judices cognoſcebant. Unde Cicero quoque in II. Epiſtolar. ad Fratrem dixit: Tulliam prid. Non. Craſſipedi deſponſatam; & poſt, ſponſalia ſe Craſſipedi præbuiſſe. Confirmant Paulus, & Modeſtinus Juriſconſulti, qui ſcripſerunt, repudium à divortio fuiſſe diverſum, quòd ſponſæ repudium remitteretur, cum uxore divortium fieret. Itaque Cajus cap. 11. de divortiis ait: „ Repudii formulam fuiſſe, Conditione tua non utor, Divortii, Res tuas tibi habeto. Adde quòd Svetonius oſtendit, Sponſas per plures menſes, & annos haberi ſolitas, antequam ducerentur. Sic enim ſcribit: Cum Auguſtus immaturitate ſponſarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi ſentiret; tempus ſponſas habendi coarctavit, divortiis modum impoſuit. Cum ergo aliud ſit ſponſa, aliud uxor, cumque Svetonius dixerit, Cæſarem Flaminem deſtinatum dimiſiſſe Coſſutiam ſibi deſponſatam, profectò non repugnat Plutarcho, qui ſcripſit, Flamini diali non licuiſſe cum uxore divortium facere; quod idem ſcripſit Gellius lib. 15. cap. 15. ex Fabii Pictoris commentariis. Et ſi Cæſar qui annum XVI. agens, id eſt adhuc prætextatus, Coſſutiam equeſtri loco natam ſibi deſponderat, ſequenti anno Flamen dialis creatus dimiſſa ſponſa, Corneliam Cinnæ Conſulis filiam duxit uxorem, ſatis argumento eſt, Robortellum primam Svetonii ſententiam planiſſimam, omni-

omnibuſque notiſſimam, omnino non percepiſſe, qui Cæſarem duxiſſe uxorem Coſſutiam ſcripſerit, & Plutarchum à Svetonio diſcrepare exiſtimaverit. Quæ cum ita ſint, reliquum eſt, ut hunc hominem ad laudem alio potius, quam litterarum ſtudio ſibi comparandam hortemur, præſertim cum, ut ei ſuperiora omnia condonentur, primos tres Svetonii verſus vigintitrium annorum ſpatio intelligere non potuerit, quos integros ſe in antiquitate Romana cognoſcenda conſumpſiſſe triennio ante in eodemmet libro teſtatus eſt.

TRIDUUM SECUNDUM.

Loci tres Svetonii declarati, unus etiam emendatus. Quæ lex Plotia fuerit, & à quibus, & quomodo provinciæ mandatæ fuerint; & de lege Vatinia, quæ fuerit.

QUod vero multo magis abſonum eſt, ne quid lex quidem Plotia fuerit, homo doctiſſimus apud Svetonium intellexit. Scribit enim Svetonius in hunc modum: „ Cæſar, L. Cinnæ uxoris fratri, & „ qui cum eo civili diſcordia Lepidum ſequuti poſt necem conſulis ad Sertorium „ confugerant, reditum lege Plotia confecit, „ habuitque & ipſe ſuper ea re concionem. Scripſit ergo Robortellus in capite legum, Plotiam legem fuiſſe de L. Cinna ab exilio revocando, ideſt legem Plotiam non fuiſſe legem, ſed privilegium; in quo erravit. Quo autem apertius error ejus patefiat, quæ vis fuerit hujus legis pluribus aperietur. Sylla mortuo excitata eſt ſeditio gravis inter conſules Q. Lutatium Catulum, & M. Æmilium Lepidum, ut etiam ad arma publice ſumenda deſcenderint. Catulus Lepido hoſte publice judicato, legem de vi tulit adverſus eos, qui arma adverſus rempub. tuliſſent; cujus meminit Cicero in or. pro Cœlio, ita: De vi quæritis; quæ lex ad imperium, ad majeſtatem, ad ſtatum patriæ, ad ſalutem omnium pertinet; quam legem Q. Catulus, armata diſſenſione civium, reipub. penè extremis temporibus tulit. Poſt autem Lepido pulſo, & ſedata ſeditione illa, Plotius legem alteram tulit pro iis, qui adverſus rempub. ſteterant; quam legem Cæſar, ut opem ferret L. Cinnæ affini ſuo, qui cum Lepido fuerat, ſuaſit: Quod cum Svetonius demonſtrat, tum Gellius libro 13. cap. 3. cum ait: Reperi in oratione C. Cæſaris, qua Plautiam rogationem ſuaſit, neceſſitatem dictam pro neceſſitudine. Itaque cum poſtea Catilina, ſociique adverſus rempub. Cicerone conſule conſpiraſſent, poſtquam Cicero abiit conſulatu, quæſitum eſt lege Plautia de iis, qui in ea conjuratione fuiſſent. Quod ſcriptum eſt in oratione, quæ dicitur Salluſtii in Ciceronem, hoc modo: Sed, opinor, te magis extollunt, quæ poſt conſulatum cum Terentia uxore de repub. conſuluiſti, cum legis Plautiæ judicia domi faciebatis, ex conjuratis alios pecunia condemnabas. Qui vero hanc quæſtionem exercuit, is fortaſſe Novius Niger fuit, apud quem Cæſar ipſe tum prætor reus ejus conjurationis eſt factus; cujus meminit Svetonius in Cæſare. Ex quo apparet, quam ſit verſatus in antiquitate Romana hic noſter, qui ſe omnibus anteponit; nam ſi lex Plotia de L. Cinna revocando lata fuiſſet, quomodo Catilinæ ſocii poſt tot annos, quam illa fuerat lata, poſtulati ea fuiſſent? eſt ergo lata in univerſum, non uni duntaxat Cinnæ rogata.

Veniamus ad aliud. Scribit ita Svetonius: Quæſtori Cæſari ulterior Hiſpania obvenit; ubi cum mandato P. R. juredicundo conventus circumiret. Hanc ſententiam ita interpretatur Robortellus: QUÆSTORIBUS MANDABANTUR INTERDUM PROVINCIÆ CUM JURISDICTIONE. Cujus expoſitionis plura dicimus eſſe errata, quam verba. Perpendamus ſingula. Nemo unquam legit hoc genus dicendi apud Latinos, Mandare provinciam cum juriſdictione. Item nemo unquam legit, Populum R. mandaſſe provincias Quæſtoribus cum juriſdictione. Jus enim quæſtorum fuit in provincia, curare pecuniam publicam, at prætoris, jus dicere, & ſi quæſtores aliquando jus dixerunt, id mandato prætorum ſuorum fecerunt, non populi Rom. Accedit ad inſcitiam Robortelli augendam, quod non vidit, illas literas, Mandato P. R. non eſſe interpretandas, Mandato populi R. ſed mandato prætoris, & ſcribendum eſſe P R. non P. R. Quorum illud Prætoris, hoc Populi R. ſignificat. Prætor autem Cæſaris quæſtoris in Hiſpania fuit Antiſtius Vetus, ut ſcribit Plutarchus, & Paterculus lib. 11. cum ait: „ Et nobilis quæſtura ejus obita in Hi- „ ſpania ſub Antiſtio Vetere. Ex quibus efficitur, Robortellum debuiſſe ſcribere. Quæſtores mandato prætorum ſuorum conventus juredicundo circumibant; non autem: Quæſtoribus mandabantur interdum provinciæ cum juriſdictione. Erravit ergo Robortellus, cum dixit: Mandari provincias cum juriſdictione. Nam Mandari provinciam cum dicitur, a populo ferè, aut à ſenatu commiſſam intelligitur. Mandatæ autem Quæſtoribus nunquam ſunt; item quòd juriſdictionem prætoris propriam ab eodem prætore commiſſam quæſtori neſcivit; & quòd mendam earum litterarum non ſenſit; & quòd prætorem Cæſaris Antiſtium ignotum habuit, & quod fruſtra ſe intelligendo Svetonio XXIII. annos poſuiſſe, non animadvertit; ſed hæc tolerabilia; hiſtoriæ enim, antiquitatiſque ignorationem tantummodo indicant.

Quod vero ſequitur, eum ne primas quidem litteras ſatis notas habere demonſtrat; accipiamus, quemcunque puerum velimus, & quæramus ex eo, qui ſit ſenſus horum Svetonii verborum: „ Marcellus conſul retulit, „ ut colonis, quos rogatione Vatinia Cæſar „ Novum Comum deduxiſſet; civitas adimeretur; ſanè reſpondebit, Marcellum, inimicum Cæſaris retuliſſe, ut Novocomenſes illi coloni civitate privarentur, qua donati fuerant à Cæſare rogatione Vatinia; ita enim eſt revera. Vatinius tribunus plebis auctore Cæſare conſule legem tulit de danda civitate colonis Novocomenſibus; at Robortellus omni puero rudior, ut apparet, inquit in capite legum: ROGATIONEM VATINIAM FUISSE DE COLONIS, QUI NOVUM COMUM DEDUCTI FUERANT, PRIVANDIS CIVITATE. Scilicet Robortelle lex Vatinia eadem privavit civitate, quæ dederat civitatem? hoc vult Svetonius? hoc ex verbis ejus elici poteſt? Tu cum latine non intelligis, audebis, triduo linguam latinam novo, ut ais, quodam modo traditurum polliceri? hic eſt modus ille novus, pervertere verba, corrumpere ſenteatias, cœlum terra miſcere? Te hæc tradentem audire poteſt aliquis, niſi riſu ani-

A mum relaxare cupiat? Tu cum ſis talis, auſus es dicere, te effecturum, ut ego poſthac cautius ſcribam? quin aggrederis? quin reſpondes? Non potes? quin ergo repetis mercedem à grammatico, qui te infatuavit? Verum nimis urgeo; poſt triduum alia.

Ad Robortellianam defenſionem verbis etiam Reſponſum.

EX tam multis erratis, quæ per tot ante annos, & nunc demum à nobis objecta ſunt Robortello, unum illo tandem ſibi delegit ad defendendum, quod ego pro dignitate hominis omnium minime vellem. Etenim B cum ei inter cætera vitio verterem, quòd ſcripſiſſet, Mandatas quæſtoribus provincias cum juriſdictione à populo Romano, vocavit ad ſe auditorem meum (ò gravitatem hominis incredibilem!) Hieronymum Amulium, juvenem omni generis, ingenii, atque induſtriæ laude ornatum, patricium Venetum, qui ſuo mihi nomine nunciaret, hanc locutionem reperiri ſæpiſſime in libris veteribus Pandectarum. Non dicam, quantopere miratus ſim, hominem ejuſmodi de leviſſima reprehenſione, & ne à tenuiſſimo quidem litteratore magni admodum facienda adeo laboraſſe, ut eam unam defenderit, reliquas graviſſimas tacitus præterierit; illud dicam, me libris eis inſpe- C ctis inveniſſe libro primo tit. de officio proconſulis, & legati, & libro ſecundo tit. de juriſdictione, hoc genus dicendi ſæpius repetitum: Proconſulem, & Prætorem mandaſſe juriſdictionem legato, at Populum Rom. provincias quæſtoribus cum juriſdictione mandaſſe, non inveniſſe. Cum igitur hominis memoriam riſiſſem vehementius, putavi mihi eum hac de re ſtatim eſſe admonendum; ſimulque commonefaciendum, me putare, genus id ſcribendi non poſſe reperiri; quia ſatis eſt, dicere, Mandare provinciam; ſimul enim mandatam etiam eſſe juriſdictionem intelligitur. Præterea non ignorare illum etiam volui, aliud eſſe, Mandare provinciam; aliud D Mandare juriſdictionem: provincia mandabatur prætori, aut proconſuli à populo Rom. juriſdictio mandabatur legato, aut quæſtori à prætore, aut proconſule. Quod cum ea confirmant, quæ heſterno ſcripſi die adverſus eum, tum verba illa juriſconſultorum, ad quæ me ſatis imprudenter ille rejecit. Atque hoc quidem modo reſponſum ſit ei, ſi ita mihi renunciari juſſit; ſin aliter, ſi me ſuæ ille participem fecerit voluntatis, ſubito reſpondebo, & quidem ſine contumelia ulla; ne ipſe eum videar velle imitari, qui præclaram defenſionem hanc ſuam contumeliis, conviciiſque aſperioribus in me ſuis, quibus aures jampridem meæ obſurduerunt, ornavit, à E quibus honeſtius fecerit, ſi poſthac ſe abſtinuerit, ac totum tempus grammaticæ perdiſcendæ tradiderit, cujus ne prima quidem elementa ſatis ei nota, ac perſpecta eſſe, jam ſæpiſſime demonſtratum eſt.

TRIDUUM TERTIUM

Suetonii loci quattuor expoſiti, de jure Senatus Ro. Quid fuerit Eſſe ad urbem cum imperio, quid fuerit mos; quid inter legem & plebiſcitum, & legem ac privilegium interfuerit; ibidemque de lege Pompeja.

AUdio, iniquiſſimo animo tuliſſe Robortellum, me probaſſe, illum ne prima quidem elementa videri didiciſſe. Agam ergo mitius poſthac, ſi ille iraſci mihi deſinet, & iis tantum reprehenſionibus ero contentus, quæ eruditionem interiorem aliquam, & veteris doctrinæ laudem contineant; cujus ipſum prorſus expertem eſſe, me apertiſſime demonſtraturum eſſe polliceor.

In eadem vita Cæſaris ſcribit Suetonius, Cæſarem prætorem vocaſſe Q. Catulum ad diſquiſitionem populi de refectione Capitolii. Addit rationem hanc de ſuo Robortellus, capite de magiſtratibus: QUIA SENATUS NON POSSET PRO SUO JURE ALIQUID DECERNERE. Quibus verbis declarat, Cæſarem ad populum confugiſſe, quia ſenatus nihil poſſet pro ſuo jure decernere. Ergo ſi ſequamur novum hunc auctorem Robortellum, falſus erit Dionyſius, qui ſcribit libro VI. populum magiſtratus creaſſe, leges, bella, pacemque juſſiſſe; reliqua antiquo inſtituto in poteſtate, arbitrioque ſenatus fuiſſe; irridendus erit Polybius, qui libro item VI. ſcriptum reliquit, ærarium, vectigaliaque penes ſenatum fuiſſe; de maleficiis, & criminibus publicis, quæ in Italia committerentur, ut proditionibus, & conjurationibus, & inſidiis eum cognoviſſe. Ergo illudendi ſcriptores illi, qui prodiderunt, ex S. C. de conjuratis, ſociis Catilinæ ſupplicium ſumptum; ergo provincias, ergo ſupplicationes, ergo triumphos decrevit injuſte Senatus, auctore Robortello. Quid egit unquam per ſenatum Cæſar, Robortelle? quæ non per populum, & prætor, & conſul & egit, & obtinuit? Vide ergo quid dixeris; privaſti enim uno verbo omni auctoritate, & jure ſenatum R. quod ne Cæſar quidem ipſe, qui ei magnopere fuit infeſtus, tentavit fortaſſe unquam, neque in ipſo irarum ſuarum ardore Octavius. Sed ſit hoc negligentiæ tuæ.

Illud vero ſingularis certe eſt inſcitiæ, quòd cum ſcribat Suetonius, jam editis comitiis, Cæſaris rationem haberi non potuiſſe, niſi privatus introiiſſet urbem, ut capite de magiſtratibus interpretaris, SI AD URBEM ESSET CUM POTESTATE. Quod reprehendo, tum quia nemo unquam latine dixit, Eſſe ad urbem cum poteſtate, tum quia nemo unquam fuit ab urbem cum poteſtate. Debuiſti, cum imperio, dicere; non enim idem eſt poteſtas, & imperium. Scis enim, te alio loco ſcripſiſſe, imperium lege curiata paratum; at poteſtas erat jus ipſum magiſtratus, ut tribunatus, unde poteſtas tribunicia; imperium autem hoc in loco eſt jus exercitus habendi, bellique gerendi; quod deponere oportebat eum, qui ingredi urbem vellet; neque enim tutum eſt viſum populo, eſſe aliquem in urbe cum ejuſmodi imperio; unde triumphare in urbe nemo ſine lege de imperio ejus diei poterat; at cum poteſtate omnes erant magiſtratus, & ſine ea magiſtratus non fuiſ-

fuiſſent; ſed hæc, quia non tractantur à Rodulpho illo tuo in Topicis, tibi, credo, ſunt nova omnia.

Video enim te labi ſæpiſſime in vocum ipſarum proprietate conjicienda, earumque præſertim, quibus vetus ipſa Romanæ diſciplina reip. continetur; quod in eo, qui ut tu, XXIII. annos in his contrivit ſtudiis, judico eſſe turpiſſimum. Nam cum dicat Svetonius, Cæſarem à Sylla dictatore ſacerdotio, dote, & hereditate multatum, notas ipſe, MOREM FUISSE multandi dote, ſacerdotio, & hereditate; in quo aperte declarat, te, quid MOS ſit, omnino neſcire; MOS enim conſuetudo eſt antiqua, eaque juſta, cujus auctor ignoratur, alioquin eſſet inſtitutum, quæque valebat, ut lex, apud majores, teſte Cicerone in II. de legibus. At hæc multatio Cæſaris novo exemplo facta eſt, & injuſtè ab injuſtiſſimo tyranno Sylla, à majoribus repudiata, omneſque leges evertens; adde nunc tu concluſionem ex Topicis.

Eadem etiam ratione ignorare videris, quid differat privilegium à lege, & plebiſcitum à lege conſulari. Nam ſcribit Svetonius hoc modo: Marcellus conſul rettulit ad ſenatum, ne Cæſaris abſentis ratio comitiis haberetur, quando ne plebiſcito Pompejus poſtea abrogaſſet; acciderat autem, ut is legem de jure magiſtratuum ferens eo capite, quo à petitione honorum abſentes ſummovebat, ne Cæſarem quidem exciperet; ac mox lege in æs inciſa, & in ærarium condita, corrigeret errorem, nec contentus Marcellus Cæſari privilegium eripere, &c. Ex quibus verbis apparet, Cæſarem plebiſcitum, ſive privilegium habuiſſe, quo ſibi concedebatur, ut abſens petere conſulatum poſſet, inde Pompejum legem tuliſſe in univerſum, ne quis abſens petere poſſet, poſt, cum ei veniſſet in mentem Cæſaris, ipſum Cæſarem, correcta lege, excepiſſe. Hæc autem acta ſunt in tertio conſulatu Pompeji. Scribit enim Appianus, Cæſarem auctorem fuiſſe tribunis plebis, ut legem promulgarent, qua ſibi abſenti alterum conſulatum petere liceret, eamque Pompejo tum conſule non repugnante latam; & hoc eſt plebiſcitum, de quo loquitur Svetonius, ſive privilegium Cæſari datum. Narrat etiam Dio, Pompejum in tertio conſulatu Cæſari conceſſiſſe, ut abſens peteret conſulatum, quemadmodum fuerat juſſum; ipſum enim in lege præſcripſiſſe, ſolis iis id licere facere, quibus nominatim fuiſſet permiſſum; & hæc eſt lex Pompeja, quam intellexit Svetonius, cum dixit: Quando ne plebiſcito poſtea Pompejus abrogaſſet. Hæc ergo cum ita nota, ita teſtata ſint, ut prope manu teneantur, tamen tu Robortelle, qui te hoc vocatum ſcriptis per ſcholas diſſipatis ad reſtituendam eloquentiæ latinæ laudem jactaſti, auſus es ſcribere hoc modo in capite legum: PLEBISCITUM, SIVE LEX POMPEJA, UT IN PETITIONE MAGISTRATUUM RATIO NON HABERETUR ABSENTIUM. Quod dum ſcripſiſti erraſti multis modis. Primum enim ſignificas, plebiſcitum, & legem eſſe eandem, cum plebiſcitum tributis comitiis feratur à tribunis pl. lex centuriatis à conſulibus plerunque; deinde privilegium, & legem eſſe eandem, cum privilegium uni rogetur, lex omnibus; tertio loco plebiſcitum, & legem Pompejam eandem feciſti, cum plebiſcitum à tribunis pl. Cæſari latum ſit, lex à Pompejo conſule; quarto loco ſcripſiſti, plebiſcitum fuiſſe, ut ratio abſentium comitiis non haberetur, cum hoc plebiſcitum Cæſari conceſſerit, ut ejus abſentis ratio comitiis haberetur; poſtremo loco ſcripſiſti, legem Pompejam fuiſſe, ne abſentium ratio comitiis haberetur, cum Pompejus lege id permiſerit Cæſari. Poteſt ne in aliquo puero par ignorantia reperiri? Aude nunc dicere, me tua ſcripta compilaſſe; dii meliora; ego à te aliquid diſcere potui Robortelle? tum vere ineptus eſſem, ſi quid à te unquam ſumpſiſſem, qui ne primis quidem imbutus es politioris ſcientiæ rudimentis. Ignoſces autem, ſi in te liberius, quam ſoleo, dico; me enim quotidianæ tuæ contumeliæ cogunt; eſſe mihi conſul, dixit noſter ille ſi fuiſſem tibi ſenator, moderare linguam, temperabo ſtylum; nam quod facio, mehercule invita Minerva facio.

TRIDUUM QUARTUM.

Loci Svetonii quinque declarati. Quomodo adoptati tranſirent in gentem adoptantium, an idem ſit tribunatus, & tribunicia poteſtas; cur imperatores morum regimen ſine cenſuræ honore reciperent. De libertate, & civitate ſervis danda; & quis ſit ſanguis ſervilis.

PErſequamur nunc vitam C. Octavii, ſive Auguſti; & videamus, an melius hanc Robortellus intellexerit, quàm illam C. Cæſaris intellexit. Mihi enim adeo videtur abſurda dicere, ut aliquando verear, ne, cum hæc ſcribebat, luderet potius, quam ſerio ageret. Quod non dicerem, niſi ſtatim me probaturum eſſe confiderem; ad rem igitur.

Narrat Svetonius, C. Octavium tribunatum pl. petiiſſe, ubi ex Apollonia rediit, quanvis eſſet patricius. Robortellus memor, Octaviam gentem, ex qua hic erat, fuiſſe plebejam, declarans, cur dixerit, Svetonius de eo: Quanvis eſſet patricius, ait: QUIA A CÆSARE ERAT ADOPTATUS. Erat enim Cæſar patricius; adoptati vero ſequebantur jura gentis adoptantium. Quod dictum Robortelli reprehendo; quia ut patricius eſſet aliquis jure adoptionis, opus erat lege curiata de adoptione. Cum autem Octavius petebat tribunatum plebis ex Apollonia reverſus, per legem curiatam patricius eſſe non poterat, quia legem curiatam de adoptione nondum impetraverat, nempe inimico ejus M. Antonio conſule, ea ne ferretur, impediente; eam vero legem, ſequenti anno extremo, cæſis jam conſulibus Hirtio, & Panſa, ipſe Octavius conſul tulit & tum per legem curiatam de adoptione nomen, & jura gentis patris adoptivi inivit, ut narrat Dio, & alii aperte. Verum hoc multis menſibus poſt factum eſt, quàm tribunatum Octavius peteret. Quæret aliquis, qua ratione vocet Svetonius Octavium patricium, antequam per adoptionem eſſet patricius; reſpondeo, ea ratione, quæ ſcripta eſt apud eundem; cujus oblitus eſt Robortellus; nimirum, quia gens Octavia in patricios à Cæſare vivente fuerat allecta; ſic enim ait: Gens Octavia à Ser. Tullio in patricias translata procedente tempore ad plebem ſe contulir, ac rurſus magna vi per D. Julium in patriciatum rediit.

Alio

Alio loco ſcribit Svetonius ita: „ Auguſtus C. Toranium collegam patris ſui in ædilitate proſcripſit. At Robortellus ita audacter corrigit Svetonium, ut Sigonium eſſe diceres; & ait: COLLEGAM PATRIS SUI QUOD IN ÆDILITATE PROSCRIPSIT AUGUSTUS, IMMANIS HABITUS EST; age Robortelle, homo acutiſſime reſponde, Auguſtus ne in ædilitate proſcripſit Toranium collegam patris ſui, an proſcripſit Toranium collegam patris ſui in ædilitate? argumentare ex Topicis.

Svetonius item inquit: „ Auguſtus in tribunicia poteſtate collegam ſibi cooptavit. Corrigit Robortellus (licet enim huic homini hoc facere, quippe, qui librum nobilem ſcripſit de ratione corrigendi) reponit ergo Robortellus, pro in tribunicia poteſtate, IN TRIBUNATU; & eſt adeo parum exercitatus in his ſtudiis, ut neſciat, aliud eſſe tribunatum à tribunicia poteſtate, & ignoret, Auguſtum repudiaſſe tribunatum plebis, ut fortaſſe imperatore indignum, tribuniciam vero poteſtatem ſibi aſciviſſe, ut jus ſibi omne vindicaret tribunorum præter nomen honoris.

Fecit autem idem Auguſtus in cenſura; ſæpe enim cenſorem ſe noluit dici, ſed tamen præeſſe moribus more cenſorio voluit. Unde dixit Svetonius: Recepit morum regimen ſine cenſuræ honore. Cujus rei reddit hanc rationem Robortellus: MORUM REGIMEN SINE CENSURÆ HONORE RECIPIEBANT IMPERATORES, QUIA CENSURA MULTO ANTE FUERAT SUBLATA. Quæ ratio, quam ſit vera, judicent, qui Dionem legerunt, apud quem ſcriptum eſt, quadriennio poſtquam Paullus, & Plancus cenſores fuerant, Auguſtum præfectum moribus ſine cenſuræ honore creatum. Quomodo ergo cenſura erat multo ante ſublata, cum cenſores quinto quoque anno creari ſolerent, Auguſtus vero non expectato quinto anno, poſtquam cenſores fuerant, regimen morum ſine cenſuræ honore receperit?

Pergit alio loco Svetonius ita: „ Auguſtus magni æſtimans, ſyncerum, atque ab „ omni colluvione peregrini, ac ſervilis ſanguinis incorruptum ſervare populum R. & „ Romanam civitatem parciſſime dedit, & „ manumittendi modum terminavit. Robortellus, dii boni, qua doctrina vir! capite de legibus ita hæc interpretatur: LEX DE CIVITATE NON DANDA PEREGRINIS, AUT IIS, QUI EX SERVILI SANGUINE ESSENT ORTI. Dum hæc ego lego, moriar, ni me puto illudi ab homine alioqui graviſſimo; neque inducere in animum poſſum, hæc ab eo ſerio eſſe ſcripta, tum cum Bononiæ eſſet, civitate cum erudita, tum his ſtudiis mirifice dedita. Video enim depravaſſe, ac labefactaſſe illum omnia, tum antiquitatis inſcitia, tum latinitatis: conſideremus, quæſo, verba ejus ſingula: LEX) Non inquit Robortelle Svetonius, legem latam ab Auguſto, ne daretur civitas peregrinis, ſed ipſum non dediſſe. DE NON DANDA CIVITATE) Non inquit Svetonius, Auguſtum tuliſſe, ne non omnino daretur civitas, ſed ipſum parciſſime dediſſe. AUT IIS, QUI EX SERVILI SANGUINE ORTI ESSENT.) Non inquit, Auguſtum legem tuliſſe, ne non daretur civitas iis, qui ex ſervili ſanguine orti eſſent, ſed manumittendorum ſervorum licentiam coërcuiſſe; nam cum ſciret, vetere inſtituto, moreque ſervum, ubi vindicta, cenſu, teſtamentoque manumitteretur, una cum libertate civitatem Romanam adipiſci, non vetuit, ne civitas daretur ſervis; (neque enim dabatur) ſed ne tam multi manumitterentur. Sic enim coërcita manumittendi licentia, etiam civitatis dandæ licentiam adſtrictum iri putavit. QUI EX SERVILI SANGUINE ESSENT ORTI). Neque inquit, caviſſe, uti parcius manumitterentur, qui ex ſervili ſanguine eſſent orti, ſed ſervi; qui enim ex ſervili ſanguine orti ſunt, non ſervi ſunt, ſed liberi; quos non eſt neceſſe manumittere, nec civitate donare; nam cum libertate civitatem ſunt conſecuti. Adde quod errorem errore cumulas, cum in capite de Magiſtrat. ponis hæc verba: PEREGRINIS, LIBERTIS, AC LIBERTINIS SI DARETUR CIVITAS, CORRUMPI PUTABATUR SANGUIS POPULI ROMANI. SERVILEM SANGUINEM INTELLIGE LIBERTOS, AC LIBERTINOS, LIBERTINORUMQUE FILIOS. Erras enim iterum, atque iterum, quia civitatem datam libertis ais, quæ non eſt data libertis, ſed ſervis una cum libertate; & quòd libertinorum filios ſervilem ſanguinem vocas, qui & ipſi liberi, & liberis hominibus nati ſunt, & civitatem, libertatemque jampridem adepti ſunt. Neque vides præterea, ſi ſervilem ſanguinem libertinorum filios intelligis, qui ex ſervili ſanguine orti ſunt, futuros libertinorum nepotes; at hi non egent civitate; ſunt enim optimo jure ingenui, & optimo jure cives Romani. Defende hæc quæſo Robortelle; erecti enim ſumus omnes in ſpem defenſionis tuæ ſummam, ut, cum in his ſtudiis XXIII. annos collocaris, egregia multa ſepoſita habeas, quæ ex tot annorum ſtudio promas.

TRIDUUM QUINTUM.

Loci quatuor Svetonii declarati, unus emendatus; an pater Octavii Senator, & quomodo; & quis Senator fuerit; an patricii tantum patroni civitatum fuerint; de ſcommatis inbibendis. Irrogatio mulctæ cujus fuerit, populi ne, an magiſtratus.

QUeritur iterum, ut audio, Robortellus, me ſecum injuſte agere, qui ſæpius in ſermone uſurpem, illum ne primis quidem literis ſatis imbutum videri; putatque in hoc ſibi maximam injuriam fieri; quippe cum conſtet inter omnes, ipſum, dum vixit, hanc tradidiſſe doctrinam, neque etiamnum tradere, ſibi turpe ducere; ego vero, qui non in facta, ſed in ſcripta ejus inquiro, illud in lucem edo, quod latet in tenebris; neque enim libri ejus magnopere verſantur in manibus hominum; credo, quod ſunt obſcurioribus ſententiis referti; quam obſcuritatem hæc latinæ, ut puto, linguæ negligentia parit. Neque enim, cum in capite de legibus ait: LEX DE ACCOMMODANDIS ACTUI RERUM TRIGINTA DIES, qui meus ſenſus eſt, video quomodo ſalvis grammaticæ legibus dictum ſit: ACCOMMODANDIS DIES. Dii maleſaciant grammatico illi magiſtro meo, qui me docuit, ſcribendum eſſe. ACCOMMODANDIS DIEBUS, aut ACCOMMODANDO DIES. Nunc enim demum didici,

poſſe

poſſe etiam dici: ACCOMMODANDIS DIES. A Nimirum hic eſt novus ille modus, quem ſe deprompturum pollicitus eſt Robortellus ex intimis capitis ſui penetralibus, ut caſus, genera, numeri pervertantur. Sed de nugis hactenus.

Veniamus ad graviora. Narrat Svetonius, cum de Catilinæ conjuratione ageretur in curia, Octavium Auguſti patrem ſerius affuiſſe. Quærit capite de magiſtratibus Robortellus, quomodo in ſenatum venerit, ſi erat eques, nec adhuc ſenator; non enim eum in ſenatum allectum fuiſſe unquam. Reſpondet, veniſſe eum in ſenatum, quia tunc erat Prætor; ſiquidem ſequenti anno ex Prætura Macedoniam ſortitus dicitur. Hic ergo multis modis B lapſum dicimus Robortellum non jam, ut ante, latinitatis, ſed antiquitatis ignorantia.

Primum inquit, Octavium tum, cum venit in ſenatum, prætorem fuiſſe, & equitem Romanum; de prætore aſſentior, de equite Romano rideo.

Nam eques eſſe definebat, qui magiſtratus ceperat; neque enim equites capiebant honores, ut à me in libro de jure civium Romanorum eſt demonſtratum; at cum Octavius ædilis fuiſſet cum Toranio, & cum eſſet prætor, eques eſſe qui poterat? Addit, eum non fuiſſe ſenatorem, nec meminit, Svetonium à principio dixiſſe, Auguſtum fuiſſe ex familia equeſtri, in qua primus ſenator pater ejus C fuerit.

Neceſſe eſt autem, cum fuerit ille ſenator, in prætura ſenatorem fuiſſe, quia ex prætura in Macedoniam profectus, ex ea decedens, mortuus eſt. Scribit ultimo loco, Octavium nunquam in ſenatum allectum fuiſſe; quod falſum eſſe convincitur, quia fuit ſenator; eſſe autem ſenator nemo potuit, niſi à cenſore lectus in ſenatum, aut ab eo, qui legendi ſenatus jus haberet; venire tamen in ſenatum multi potuerunt jure magiſtratus, quem gerebant, qui tamen ſenatores non ſunt dicti.

Nec vero minus oſtendit antiquitatis inſcitiam, cum, ſcribente Svetonio, Bononienſes D fuiſſe in clientela Antoniorum, notat ipſe: IN CLIENTELA ALICUJUS GENTIS PATRICIÆ SOLITAS ESSE CIVITATES. Non enim hoc dicit Svetonius, nec dicere potuit. Erant enim Antonii plebeji; quod ex tribunatu pl. M. Antonii triumviri declaratur.

Item narrat Cicero in Verrem, Siciliam fuiſſe in clientela Marcellorum, & tamen Marcelli erant plebeji; quomodo ergo elicit ex verbis Svetonii Robortellus, civitates fuiſſe in clientela patriciorum? niſi quòd, quid ſint patricii, & ex qua gente Antonii fuerint, neſcit?

An vero credimus, ſi Robortellus peritus eſſet antiqui moris Romani, non animadverſurum E fuiſſe inſignem mendam, quæ eſt in eadem vita Auguſti? Scribit enim ita Svetonius: „ Auguſtus jocis quoque quorundam „ invidioſis, ac petulantibus laceſſitus contra„ dixit edicto; & tamen de inhibenda teſta„ mentorum licentia, ne ſenatus quidquam „ conſtitueret, interceſſit.

Quæ verba interpretatus eſt Robortellus in hunc modum: DE INHIBENDA TESTAMENTORUM LICENTIA S. C. NE FIERET, INTERCESSIT IMPERATOR. Ore te Gorgia noſter, declara apertius, quid velis; nam Svetonii verba facilius intelligo, quam tua. Cum loquatur de jocis petulantibus quibus reſpondit Auguſtus, quorſum illud, de inhibenda licentia, teſtamentorum? attende diligentius, quid dicas; non eſt, cur Topica ſpectes; confer te potius ad doctrinam illam de corrigendi ratione tuam.

An idcirco eam prodidiſti, ut ea nobis ſolis eſſet adjumento, non tibi? quid? non ſentis labem, quæ inſidet in voce TESTAMENTORUM? quin reponis pro ea vocem SCOMMATORUM, quæ eſt in veteribus libris; ut ſit hic ſenſus. Reſpondit Auguſtus jocis petulantibus, & invidioſis, & tamen cum ſenatus inhibere vellet licentiam ſcommatorum, prohibuit; ſunt enim ſcommata joci petulantes.

Addam aliud, & concludam. In principio vitæ Tiberii inquit Svetonius: „ Salina„ tor tribus Romanas in cenſura notavit, „ quòd cum ſe poſt priorem conſulatum, „ mulcta irrogata condemnaſſent, conſulem „ iterum fecerunt. Hoc, quod eſt ita apertum, ut nihil pateat magis, ita verborum ſuorum tenebris involvit Robortellus, ut ſit obſcuriſſimum; inquit enim: TRIBUS IN COMITIIS CONDEMNABANT ALIQUEM, ET MULCTAM IRROGABANT REPUBLICA VIVENTE.

Primum enim ridiculum fuit, addere illud: IN COMITIIS. Ubi enim, niſi in comitiis condemnarunt unquam aliquem tribus?

Deinde quod ait: TRIBUS IRROGASSE MULCTAM ALICUI, falſum dicit, vel ſi morem linguæ latinæ ſpectes, vel ſi reipublicæ Romanæ. Non enim mulctam irrogarunt tribus Romanæ, ſed magiſtratus. Neque enim magiſtratus poterat mulctare aliquem, ſed mulctam ei ad populum dicere, ſive irrogare. Populus autem mulctam jubere, atque remittere; quæ mulctæ certatio dicta eſt. Hoc oſtendit Cicero in III. de legibus, cum ait: Cum magiſtratus judicaſſit, irrogaſſitve, per populum mulctæ pœnæ certatio eſto. Livius libro XXV. Tribuni pl. ducentum millium æris mulctam M. Poſthumio dixerunt, cujus certandæ cum dies adveniſſet; & paulo poſt: Tribuni pl. omiſſa mulctæ certatione rei capitalis diem Poſthumio dixerunt; & Philippica XI. Cicero: Craſſus conſul Flacco collegæ Flamini Martiali mulctam dixit, quam mulctam populus Rom. remiſit; & in Miloniana loquens de Clodio tribuno pl. Diem mihi, credo, dixerat, mulctam irrogarat, actionem perduellionis intenderat. Ex quo apparet, tribus irrogata à magiſtratu mulcta condemnare potuiſſe, mulctam autem non ipſas irrogaſſe, ſed magiſtratum. Quære argumenta, ſi qua potes, Robortelle; nunquam enim re politiora hæc ſtudia, & has interiores literas ne primoribus quidem labris deguſtaſſe convinces.

TRIDUUM SEXTUM.

Demonſtrantur Capita diſputationis ejus, quæ de provinciis Romanis ſit inſtituenda, eorumque nullum à Robortello in libro ſuo de provinciis declaratum, ac tactum oſtenditur.

HActenus me demonſtraſſe opinor, quàm injuſte tantum ſibi auctoritatis, & ſapientiæ arroget Robortellus, qui in Svetonii indice componendo, quem ille indigne librum de

de vita, victuque populi Romani vocavit, toties in antiquitatis, & latinæ linguæ more concipiendo, & tam fœde ſit lapſus. Reſtant innumerabilia ejuſmodi multa, quæ quoniam ad alia propero, in aliud tempus differo. Quod ſi, ut multorum vocibus video celebrari, omne ille reſponſionis officium ita diſtribuit, ut ſibi conviciandi partes ſumpſerit, nebuloni neſcio cui munus mei convincendi tradiderit, quod ſuæ dignitatis eſſe neget, ipſum cum collega ſuo de literis ſuæ laudis defendendæ cauſſa contendere, ne hæc quidem occultabuntur. Nunc in animo habeo, excutere librum ejus quendam, quem ille neſcio qua de cauſſa plurimi facit, de provinciis Romanorum, atque oſtendere, illum neque viam, neque rationem ullam tradendarum provinciarum tenere.

Quoniam autem non omnibus ſubito venire in mentem capita hujus diſputationis poſſunt, quæ de provinciis inſtituitur, ea ante ex mea ſententia proponam, tum ſummatim Roboreliana ſubjiciam; ut facta collatione unuſquiſque intelligere per ſe poſſit, eum neceſſarii nihil dixiſſe, quæ vero leviſſima ſunt, & parum neceſſaria, perſecutum eſſe, uſque adeo, ut etiam ridicula & inſulſa quædam, ut aliquid dicere videretur, aſſumpſerit.

Ac mihi quidem in hunc locum accuratius intuenti videtur, eum, qui de provinciis Roman. & earum adminiſtratione diſputare velit, ante, quid ſit provincia, definire, deque ejus jure conſtituere oportere, ejuſque jus à Latinorum & Italicorum jure diſtinguere; neque enim alii populi fuerunt, qui jura à populo Romano acceperint, quam Latini, Italici, & Provinciales. Hac diſputatione perfecta, tum mihi videtur eſſe dicendum quomodo provinciæ fierent, ſenatus ne juſſu, an populi, per quos, ut per legatos à ſenatu miſſos, quibus legibus in univerſum, qua diviſione, quibus tributis, quibus vectigalibus impoſitis, quibus immunitatibus datis.

Et quoniam diverſa fuerunt in provinciis ſingulis oppida, neque omnia eodem jure, ſed diverſo pro diverſis meritis donata fuerunt, cum alia civium Romanorum, alia Latii, alia Italicorum, alia fœderatorum populorum jus obtinerent, alia municipia, alia coloniæ, alia præfecturæ, conſtitutæ eſſent, deinceps videntur hæc omnia mihi diligentiſſime eſſe aperienda, Conſtituta provincia, quoniam ad eam adminiſtrandam mittebantur Roma magiſtratus, dicendum erit, qui mitti ſoliti ſint in provincias, conſules ne an prætores, an proconſules, an proprætores, an præſides, & quid in iis ſingulis temporibus obſervatum ſit; item à populo ne, an à ſenatu decretæ ſint, & quæ de provinciis decernendis, & ornandis leges fuerint. Inde erit dicendum de juriſdictione, & imperio prætoris quomodo in utroque ille officio verſaretur, quo tempore forum ageret, quo bellum gereret, per quos juriſdictionem, per quos bella adminiſtraret. Ita de legatis, de quæſtoribus, & de tota cohorte prætoria, de omni judiciorum, & rei militaris diſciplina erit differendum.

Et quoniam in provinciis erant non tam provinciales, quam cives Romani, mercatores, negociatores, & publicani, erit etiam de jure ei generi hominum dicundo diſputandum. Quin etiam de ſumptu in cohortem prætoris à provincialibus faciendo, & quæ de ea re leges fuerint, dicendum erit. Poſtremò de deceſſione prætoris, & de tradenda ſucceſſori provincia, aut aliquo ut quæſtore, aut legato provinciæ præficiendo, de rationibus ad ærarium, & comitibus in beneficiis referendis, & de ejuſmodi aliis veteribus inſtitutis præcepta erunt danda. Neque vero omittenda lex erit repetundarum, quæ ſociis adverſus avaros, crudeleſque prætores lata eſt, qua multi pœnas graviſſimas dederunt.

His expoſitis, tum de ſingulis erit provinciis nominatim agendum, ut quæque primum confecta ſit, & à quo, ut Sicilia, Sardinia, Corſica, Hiſpania, cæteris; de finibus earum, de bellis, de fœderibus, ut quoties victæ, quibus præmiis, aut mulctis affectæ, quo tempore, per quos provinciæ factæ ſint, cognoſcamus; & reliqua ejuſmodi, quæ tractanti occurrunt facilius, quam cogitanti. At hic noſter, dii immortales, quam doctrinam nobis attulit, quàm divulſam, quàm ſupervacaneam, quàm mancam, quàm incultam, quàm ridiculam; credas, cum ea legas nullos unquam legiſſe libros Romanos, aut alia de re ſcribere potius, quàm de provinciis, ut niſi index te admoneat, ibi agi de provinciis, nunquam ſentire id per te poſſis. Subjungamus ergo etiam capita ejus eo ordine, quo ſunt tractata.

I. Populorum alii ſocii, alii fœderati, alii dediticii, alii municipes, alii colonici.

II. Uſque ad exactos reges vix ultra triginta millia paſſuum progreſſi Romani ſunt.

III. Prima adminiſtratio Romanorum præfectura fuit.

IV. Romani regiones, & regna efficiebant provincias, & utebantur hac voce: Redigere in formulam provinciæ.

V. Provinciæ diſtinguebantur ita, ut aliæ eſſent liberæ, aliæ ſtipendiariæ, nonnullæ tranſmarinæ dictæ.

VI. Diſtinguebantur provinciæ in colonias, in oppida, quæ aut civium Romanorum eſſent, aut Latinorum veterum, aut fœderatorum, aut ſtipendiaria.

VII. Nonnullæ urbes in provinciis conſilium publicum habere non poterant.

VIII. Erat formula provinciarum.

IX. In provinciis erant coloniæ decumanorum.

X. Mutabatur formula provinciarum.

XI. Erant nonnullæ in provinciis coloniæ immunes.

XII. Nonnulli venales dicti.

XIII. Nonnullæ capita dicebantur.

XIV. Nonnullæ civitates etſi non erant coloniæ donabantur tamen jure coloniæ.

XV. Nationes quædam in provinciis dicebantur.

XVI. In provinciis erant etiam tetrarchiæ.

XVII. Præfecturæ etiam in provinciis.

XVIII. Dicitur in provinciis etiam juriſdictio.

XIX. In provinciis nonnullæ urbes metropolis nomen habent.

XX. Quamplurimi etiam municipiorum nomen retinebant.

XXI. Catalogus ſingularum provinciarum, Europæ, Africæ, Aſiæ.

Hæc eſt admirabilis doctrina nobis tradita de provinciis, confuſa, imperfecta, riſuque digna, ut videtis; ea orationis elegantia tractata, ut re ſordidum inepti legulei alicujus ſcriptum putes legere, adeo paucis veterum

rum auctoritatibus firmata, ut anilis quædam fabula eſſe videatur. Jam intelligunt omnes, meritò hunc ſe omnibus anteferre; quippe qui methodum tradendarum artium eximiam teneat, & in antiquitate Romana tractanda ſit alter Varro. Atque hæc ſint dicta in univerſum de eo libro; poſt triduum veniemus ad ſingulas partes perpendendas, & quàm omnes cum veritate conſentiant, oſtendemus.

TRIDUUM SEPTIMUM.

Singula capita diſputationis, quam ſcripſit Robortellus de provinciis, refutata, diviſiones omnes ejus ut falſæ reprobatæ; de ſociis, fœderatis, de l beris, immunibus, ſtipendiariis, & vectigalibus, de municipibus, & colonis.

NEque vero Robortellus in ſingulis partibus ejus diſputationis, quam de provinciis edidit, dividendis, ac ſubdividendis ſe dialecticæ peritiorem, quàm antiquitatis oſtendit; expendamus quæſo ſingulas. POPULORUM, inquit ille, alii ſocii, alii fœderati, alii dediticii, alii municipes, alii colonici.) Hanc diviſionem reprehendimus, ut imperfectam, ut ſupervacaneam, ut ineptam. Imperfecta eſt, quia in nulla harum partium continentur provinciales, de quibus ſermo eſt habendus; ſiquidem in Italia quoque, & in ipſo Latio, ne dum in provinciis erant ſocii, fœderati, dediticii, municipes, & coloni. Supervacanea; quia cum ait: Alii ſocii, alii fœderati, alii dediticii, ſocios potuit præterire, ac debuit, quia fœderati, & dediticii ſocii vocantur. Perinde autem peccavit; atque ſi dixiſſet, corpora animata alia eſſe animalia, alia homines, alia boves; ut enim homines, & boves ſub animali continentur, ſic fœderati, & dediticii ſub ſociis. Quomodo ergo erat agendum? ſic, opinor: Populi omnes aut ſocii erant populi Rom. aut nulla cum eo ſocietate conjuncti. Socii aut fœdere erant, aut deditione. Fœderati aut Latini, aut Italici, aut provinciales. Latini, qui in Latio jure Latii, Italici, qui in Italia jure Italico donati, Provinciales, qui extra Italiam, provinciæ jus ſunt adepti. Inepta demum hæc diviſio eſt; quia municipes, & coloni nova diviſione fuerunt tractandi; ut diceretur: Sociorum provincialium oppida, aut municipia fuerunt, aut coloniæ, aut præfecturæ, aut oppida fœderata. Jam ſentis Robortelle, quantum in dialecticis quoque profeceris, id eſt, in Topicis, à quibus vix ſummo principum imperio divelli potuiſti?

II. Uſque ad exactos reges vix ultra triginta millia paſſuum progreſſi Romani.) Quorſum hoc Robortelle? Loquimur nunc de provinciis, non de Italia. Provinciæ enim extra Italiam fuerunt, & propterea tum Italia Rubicone eſt flumine terminata; cum dico nunc Italiam; dico partem eam, quæ jure Italico erat ornata; ſiquidem & Gallia provincia erat in Italia, id eſt, intra alpes, & mare. Tu vero cum ita loqueris, videris ſignificare, quidquid partum fuit ultra triginta illa millia paſſuum ab urbe, fuiſſe provinciam aut quorſum hoc pertineat, non apparet. III. Prima adminiſtratio Romanorum fuit præfectura.) Quoniam præfectura cum provincia aliquid habet ſimile, propterea jura præfecturarum deſcribere debuiſti; tu autem verba tantum quædam Feſti tum trita, tum aliqua ex parte vitioſa protuliſti, nullo judicio, nulla conſideratione adhibita; hoc eſt tradere de provinciis Robortelle? vide an ita ſe geſſerit ineptus, & indoctus ille, qui de adminiſtratione, jureque Italiæ ſcripſit, vide quid de præfecturis ille tradiderit, tum te pudebit demum, his de rebus literam unquam ſcripſiſſe ullam. V. Provinciæ diſtinguebantur ita; aliæ liberæ, aliæ ſtipendiariæ, aliæ tranſmarinæ.) Dii boni; quæ portenta diviſionum? quomodo dicere poſſumus provinciam liberam? non ne vides repugnantiam clariſſime Topice. Liber enim eſt, qui utitur legibus ſuis, at provinciæ omnes jura à populo Roman. acceperunt, & prætori obediunt populi Rom. ibi jus dicenti. Deinde, quomodo opponis liberum ſtipendiario? Liber eſt, qui utitur legibus ſuis, ſtipendiarius, qui ſtipendia pendit; quæ, ut ita dicam, contrarietas eſt inter leges, & ſtipendia? ut idem genus dividere poſſint, neſcis liberum ſervo opponi, ſtipendiario vero immunem, non liberum. Niſi accipias liberum pro immuni; quod non facis, profers enim ad tuas comprobandas ineptias verba ex epitoma LIX. hæc: Attalus Aſiam teſtamento legavit populo Rom. hac conditione, ut libera eſſet. Attalus autem reliquit Aſiam, non ut immunis, id eſt, ne ſtipendiaria eſſet, ſed ut libera eſſet, ideſt, ut legibus uteretur ſuis, neque in provinciæ formulam redigeretur. Itaque Aſia poſt aliquot annos cum libertate neglecta Ariſtonicum regem ſequeretur, provincia facta eſt ab Aquilio imperatore; ut auctor eſt Strabo lib. 14. & Livius in eadem epitoma, quam protuliſti, ſubindicat; cum ait: Ariſtonicus regis Eumenis filius Aſiam occupavit, cum teſtamento Attali regis legata populo Rom. libera eſſe deberet, opponit enim hæc: A rege occupari, & liberum eſſe debere; id eſt parere legibus alienis, & uti ſuis. Tu autem libero ſtipendiarium oppoſuiſti. An vero tu, quid ſit ſtipendiarius intelligis? Multo minus; addis enim, Vellejum ſcribere, Cappadociam à populo Roman. factam eſſe ſtipendiariam; neque vides ſtipendiarium à vectigali diſtingui; ſtipendiarii enim ſtipendia, id eſt numeratam ſtipem ſolvere cogebantur, à vectigalibus vectigalia exigebantur, vel decumæ, vel portoria, vel ſcripturæ; immunes neque hoc, neque illud pendebant, ſi modo fuit aliqua provincia immunis univerſa; namquin aliquæ in provinciis civitates fuerint, non dubito. At cum addis, nonnullas provincias tranſmarinas dictas, diviſionem tum abſurdam affers, tum imperfectam; abſurdam, quia tranſmarinum eſſe, nihil pertinet ad jus liberæ, & ſtipendiariæ provinciæ, de quo agis; & quia nullo modo diſtinguitur à libero, & ſtipendiario; quid enim commune ſitus habet cum legibus, & ſtipendiis? ò Topicum elegantem; animalia alia ratione utuntur, alia herbis veſcuntur, alia aquatilia ſunt, probe ne diviſum eſt? Imperfecta vero eſt, quia ſi ex ſitu diſtinguere provincias velis, erit altera diviſionis pars adjungenda, ut dicas, provincias alias fuiſſe tranſmarinas, alias tranſalpinas, alias Italicas, ut Galliam citeriorem; neque hoc erit fortaſſe ſatis; dicendum etiam, ut aliæ inalpinæ, aliæ inſulanæ, ut alpes Cottiæ, ut Sicilia, Corſica, Sardinia. Verum hoc totum adeo nugatorium eſt & leve, ut auctorem redoleat ſuum, ad rem nihil attineat.

VI.

A VI. Diſtinguebantur provinciæ in colonias, in oppida, quæ aut civium Rom. eſſent, aut Latinorum veterum, aut fœderatorum, aut ſtipendiaria.) Et hæc etiam diviſio manca eſt, quia prætermiſit municipia, & præfecturas; nam in provinciis erant municipia, coloniæ, præfecturæ, oppida civium Rom. Latinorum veterum, fœderata, & ſtipendiaria. Cur enim cum colonias nominas, non municipia ſtatim opponis, cum illa inter ſe opponerentur, quia in colonias ibant ex civitate Romana, ex municipiis veniebant in civitatem Romanam. Quin etiam hæc diviſio eſt aliqua in parte ſupervacanea: quia repetit, quod ſupra dictum eſt, cum ſcripſiſti; Populi alii municipes, alii colonici. Eodem in loco ais: B colonias jus habuiſſe ſuffragii ferendi in comitiis magiſtratuum Romanorum, quod eſt plane falſum; nulla enim colonia, quatenus colonia, jus unquam habuit ſuffragii, quod demonſtratum eſt à me in ſecundo libro de jure Italiæ; quæ vero habuerunt, eæ, poſtquam civitate donatæ ſunt, habuerunt. Itaque antequam civitas Italiæ lege Julia daretur, nullam invenies habuiſſe, data civitate ferè omnes. Quod ais, Auguſtum ordinaſſe quomodo coloniæ ſuffragia ferrent per ſuos decuriones colonicos, ridiculum eſt omnino, cum Auguſti tempore tota Italia jus haberet civitatis, & ſuffragiorum. Itaque coloniæ tum, non ut coloniæ ſuffragabantur, ſed ut cum C reliqua Italia civitate donatæ. Addis eodem in loco, Aſconium multa tradere in commentario orationis in Piſonem, de jure coloniarum; quæ nec multa ſunt, eaque manca, & obſcura, nec à te perficiuntur, aut illuſtrantur. Adjicis, Aſconium eodem in loco, declarare, quid interſit inter jus Latii, & civitatem: Quod ille ne ſomniavit quidem. Quod ſi verba ejus hoc modo interpretaris, injuriam profectò inſignem eruditiſſimo viro facis. Idem cum vis probare, civitatem datam eſſe multis oppidis in provinciis, præter rem affers teſtimonium Livii, qui ait: civitatem datam Arpinatibus, & Trebulanis, quæ civitates Italiæ ſunt, non provinciæ alicujus. D Adjungis idem eſſe jus Quiritium, & civitatem Romanam, nec probas aliquid; nos autem ea longe inter ſe differre oſtendimus in libris de jure civium R. & de jure Italiæ. Addis, neminem pervenire potuiſſe ad jus Quiritium, ſive ad civitatem Romanam, niſi ante Latinitatem adeptus eſſet; quod eſt ita falſum, ut me pudeat refellere, præſertim cum tu teſtimoniis non utaris ullis. Satis quidem conſtat, Trebulanis, & Arpinatibus quorum tu mentionem feciſti, datam eſſe civitatem, & tamen Latii jus ante non habebant; ſi quid ad hoc oppoſueris, tum quid id ſit, oſtendam. IX. In provinciis erant coloniæ decumanorum.) E Hoc nihil ad rem; quia propoſuiſti paulo ante, te acturum de formula adminiſtrandarum provinciarum; quid autem ad formulam eam attinet, fuiſſe aliquot colonias decumanorum? neque vero declaras, quæ fuerint coloniæ decumanorum nimirum, quia ignoras; neque enim ſi ſcires, id hoc loco ſcripſiſſes; aut certe ut Decumanorum, ſic Sextanorum, & Undecumanorum etiam colonias nominaſſes. XII. Nonnulli venales dicti.) Ridiculum, & inſulſum. XIII. Nonnulla capita dicebantur, Plinius lib. 3. cap. 4. Vocontiorum civitates fœderatæ capita duo Valco, & Lucus Auguſti.) Dii boni, quid ad jura coloniarum pertinet, duas civitates capita fuiſſe Vocontiorum? Piget me reliqua perſequi; ſunt enim omnia ejuſmodi, levia, frigida, inſulſa, nihil ad rem pertinentia; ut commentitiam, ac propè joculatoriam quandam diſputationem animadvertas. Erat, inquit, quædam formula provinciarum; in provinciis erant interdum coloniæ decumanorum; mutari ſolitam formulam provinciæ elicio ex Plinii verbis. Nonnullæ in provinciis coloniæ erant immunes; nonnulli etiam venales dicti; nonnulli capita dicebantur; nonnullæ urbes in provinciis etſi coloniæ non erant, donabantur tamen jure coloniæ; nationes in provinciis quædam dicebantur; in provinciis erant tetrarchiæ. O ridendam methodum, ò ineptam œconomiam, ò volaticam diſciplinam; à formula ad colonias, ab coloniis ad populos, à populis ad colonias, à coloniis ad tetrarchias, quaſi dicas Patavio Bononiam, Bononia Patavium, Patavio iterum Bononiam. Nolo longius in hoc genere rerum provehi; pudet enim me vehementius, cum ineptam, irridendamque hujuſmodi doctrinam refuto; quam nemo eſt, qui non omnibus ſibilis jampridem exploſerit.

TRIDUUM OCTAVUM.

Loci aliquot Rufi, Velleji, aliorumque partim declarati, partim emendati. De Sicilia, Sardinia, Corſica, Hiſpania, Macedonia, Illyrico, quando, & à quo provinciæ factæ ſint, & quid prætoria provincia fuerit, quid conſularis.

ARcem jam invadamus doctrinæ, & ſcientiæ Robortellianæ. Profitetur, ſe deinceps ſingulas provincias enumeraturum, & quo tempore factæ ſint, demonſtraturum. Hoc quæſo diligenter omnes attendite, ut quàm ab eo promiſſa præſtentur, & quomodo, poſtea cognoſcatis; polliceor enim, me contra, in ſumma iſtum hujus ſtudii ignoratione verſari, & ea, quæ ſequitur, doctrina nihil ineptius, fœdiuſvè eſſe, declaraturum; agam autem brevius, quod hæc eadem à me uberius in commentariis faſtorum conſularium ante ſeptennium pertractata ſint.

Primum Siciliam inquit provinciam eſſe factam; hoc ut probet, affert verba Velleji, qui ſcribit, Siciliam provinciam captis Syracuſis fecit Marcellus Claudius. Si ergo intelligit Robortellus, Siciliam primum in provinciæ formam redactam eſſe à Marcello, is ſe in tota provinciarum notitia titubare primis verbis oſtendit. Etenim Sicilia univerſa, excepto tantum regno Syracuſano multo ante Marcelli Syracuſanam victoriam provincia facta eſt, iiſdem ferè temporibus, quibus Sardinia, ſiquidem ſcriptum eſt apud Pomponium de origine juris, prætores quatuor eſſe factos, ut in Siciliam, Sardiniamque novas provincias duo mitterentur; & in epitoma Livianorum, XX. prætores duos additos, ut eſſent quatuor, inter Illyricum, & Gallicum bellum, quod eſt circiter annum DXXV. & apud Solinum capite de Sicilia, Sardiniam, & Siciliam iiſdem temporibus provinciam factam, cum eodem anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius prætores ſortiti ſunt. Univerſa vero adjuncto etiam regno Syracuſano provincia facta eſt redactis in poteſta-

teſtatem Syracuſis, verum non à Marcello, ſed à M. Lævino, qui Marcello ſucceſſit, & pulſis ex inſula Pœnis bellum illud confecit, teſte Livio. Itaque Cicero in Verrem, cum eos imperatores, qui leges inſulæ Siciliæ dediſſent bellis confectis, nominaret, M. Lævinum nominavit, M. Marcellum præteriit; quippe à quo bellum profligatum eſſet, non omnino ſublatum; neque ab eo provincia leges accepiſſet, ſed à Lævino. Quod doctori provinciarum ſummo fuit videndum; neque tam temere Vellejo quamvis auctori bono aſſentiendum.

Addit eodem loco, Siciliam factam eſſe provinciam prætoriam. Oro te Robortelle, quæ eſt provincia prætoria? quæ regeretur, inquies, à prætoribus; at aliæ provinciæ florente repub. à quibus ſunt adminiſtratæ? ſi reſpondebis, à prætoribus, cur hanc potius prætoriam, quam alias vocas? ſi à conſulibus, aut proconſulibus, & huic etiam conſules, & proconſules præfuiſſe oſtendam, ut bello ſervili priore C. Fulvium, L. Piſonem, P. Rupilium, poſteriore Manium Aquillium. Quæ autem provincia ex ordine non prætoribus, &, ſi belli neceſſitas urgeret, non conſulibus eſt commiſſa? Macedoniam, Syriam, Ciciliam; aut quaſcunque alias non ne modo prætores, modo conſules adminiſtrarunt? Neſcis provincias in poteſtate ſenatus fuiſſe, ut quas vellet à conſulibus, quas à prætoribus regi, ipſe pro auctoritate ſua decerneret? qui hæc neſcit, quam ad rem illum eſſe dicemus idoneum, niſi ad conviciandum? Profers teſtimonium Rufi; quid iſte ait Rufus? poſtquam à prætoribus recta eſt, poſtea eſt commiſſa Præſidibus, nunc à Conſularibus adminiſtratur. At idem eſt factum in cæteris ut ſtante repub. à prætoribus, ea everſa modo à Præſidibus, modo à Conſularibus regerentur. Jam quæ ratio iſta prætorum, quæ præſidum, quæ conſularium fuerit, nemo eſt, qui non in tuo hoc tam admirabili libello requirat, idque in primis ad rem pertinuiſſe putet.

Deinde Sardiniam, & Corſicam victas à M. Metello, L. Aurelio, L. Cornelio, T. Manlio notat; at quo tempore provinciæ factæ ſint, ſilentio præterit, quod ſe demonſtraturum eſſe profeſſus eſt. Neque enim procedit hæc ratio: Sardinia victa eſt à Metello, ergo provincia facta eſt à Metello, etiam ſi bellum illud fortaſſe confectum ſit à Metello; quid ita? quia non belli eventus, ſed pacis datæ conditiones ſpectantur; ter devicti Carthaginienſes ſunt; nunquam niſi tertio bello Africa provincia facta eſt; ter item cum Macedonibus depugnatum eſt, extremo tantum bello Macedonia provinciæ leges accepit; cum ergo multas de Sardinia, & Corſica relatas victorias proferas, qua nam potiſſimum provinciæ formulam acceperint, debuiſti adjungere. Neſciebam, inquies; cur ergo profiteris hanc diſciplinam? Age vero quis eſt hic M. Metellus, quem primum Sardiniæ domitorem afferſ? doce tu, qui omnia noſti; ego enim eum eſſe opinor, quem Eutropius ait triumphaſſe de Sardis anno DCXL. quem vide, cur tu cæteris antepoſueris, à quibus ſatis conſtat multis ante annis Sardiniam eſſe devictam provinciam & factam.

Tertio loco Macedoniam collocat; ô mirificum obſervatorem hiſtoriarum, hic hic eſt, qui veterem Romanarum rerum memoriam jam prope ſuperiorum ſeculorum ignavia collapſam reſtituit. Scilicet Macedonia proxime poſt Sardiniam provincia facta eſt; falſus enim eſt Livius, qui confecto ſecundo bello Punico Hiſpanias duas ordinatas ait, in eaſque ut prætores quotannis mitterentur, inſtitutum prodit; idem ridiculus, qui Hiſpaniam primam Romanis initam provinciarum; quæ quidem continentis ſint, poſtremam omnium ſua demum ætate ductu, auſpiciiſque Auguſti Cæſaris eſſe perdomitam ſcribit.

Macedoniam porro cum idem victam ſcribit à Flaminino, à Paullo Æmilio, à Q. Metello, eodem ſe, quo antea, laqueo erroris involvit; neque enim à quo, aut quando provincia facta ſit, aperit, quod ſe traditurum eſſe pollicitus eſt; cur non faciat, cauſſa eſt in promptu; quia neſcire ſe putat; alioquin ut de Sicilia, ſic de Macedonia, auctorem provinciæ tradidiſſet; factam autem conſtat tertio bello victoria Q. Metelli, qui inde Macedonici nomen invenit, multis annis poſtquam Hiſpaniæ in provinciæ formulam fuerant deſcriptæ.

Hiſpaniam primum ingreſſos ait Romanos, cum adverſus Afros per Scipiones ipſis Hiſpanis tulere ſuppetias; inde recitat verba Rufi hæc: Hiſpania primum victa à D. Bruto, Celtiberi à Syllano, Numantini à Scipione, poſtea cum tota defeciſſet bello Sertoriano, recepta à Pompejo; Cantabri, & Aſtures ab Auguſto victi. O diligentiam ſcriptoris incredibilem, ſcientiam multo admirabiliorem. Jam nunc intelligo, quid ſit, cur tantis incedat inflatus animis iſte rhetor. Videte, quàm accurate nobis provinciæ Hiſpaniæ rationem tradiderit, quam copioſè, quàm certe; eſt ne aliquis, qui præterea deſideret quidquam? certè nemo. Neminem dixi; immo vero omnes; quotus quiſque enim eſt, qui, modo mediocri præditus ingenio ſit, quam vitioſa, quàm falſa hæc omnia ſint, non animadvertat? à quo enim, & quando Hiſpaniam provinciæ formulam accepiſſe docuiſti? quibus finibus utraſque Hiſpanias diſterminatas eſſe tradidiſti? ubi de Luſitania verbum feciſti? Recitaſti verba Rufi, primum parum fideliter, deinde omnino mendoſe; ſic enim vulgo leguntur. Hiſpanias primum auxilium adverſus Afros per Scipiones tulimus rebellantes tot annos. Hiſpaniam per D. Brutum obtinuimus, & uſque ad Gades ad Oceanum mare pervenimus; ex quibus verbis apparet, Hiſpaniam non à D. Bruto primum victam eſſe, ut tu refers, ſed à Scipionibus. Quamquam ne eandem quidem Hiſpaniæ partem domuerunt Scipiones, ac Brutus; cum Celtiberis enim illi pugnarunt, hic cum Luſitanis; quod cum aliorum teſtimonio notum eſt, tum maxime ejuſdem Rufi; apud quem in manuſcriptis libris, & apud Jornandem antiquum ſane ſcriptorem, qui hæc verba ex Rufo deſcripſit, ita legitur. Rebellantes Luſitanos in Hiſpania per D. Brutum obtinuimus. Adeo ut Bruti victoria non de univerſa Hiſpania, ſed de Luſitania præcipue ſit relata. Id quod ego ita eſſe pluribus teſtimoniis in commentario faſtorum oſtendi; ſatis etiam conſtat Luſitaniam tum, ut ait Appianus, in provinciæ formam eſſe redactam, nempe anno DCXXI. quo etiam exciſa Numantia Celtiberia eſt ordinata.

Pergit, Illyricos à L. Manilio pr. in ditionem acceptos. Quis eſt iſte L. Manilius Robortelle? erue ex Topicis. L. Anicio debuiſti

buiſti dicere, deceptus videlicet es à Rufi libro parum emendato, alioqui magiſter vitiorum agnoſcendorum, & tollendorum ſummus. Sed tamen ne tradidiſti quidem, à Lucio ne Anicio, an ab alio Illyricum in provinciæ formulam ſit redactum; de Dalmatia vero, quæ Illyrico finitima fuit, ne ſomniaſti quidem, credo, quod Illyricum cum Dalmatia idem eſſe exiſtimaris.

Ab Illyrico inde tranſis ad Cretam, quæ ſero admodum provincia facta eſt, nempe victoria Q. Metelli Cretici, & Cn. Pompeji Magni; uterque enim eorum ſibi ejus belli gloriam vindicavit; cur autem prætermittis Achajam Robortelle, quam L. Mummius, cur Galliam Narbonenſem, quam Q. Fabius provincias fecerunt, & ex iis Achaici, & Allobrogici cognomina retulerunt? quia notionem, inquis, hæc meam effugerunt; quid igitur ſcis, ſi hæc ignoras? maledicere, conviciari, obtrectare, glorioſius de me prædicare, omnes contemnere, me unum cæteris anteponere, polliceri magna, præſtare nihil. Adde etiam, me auctore, profiteri Topica, dividere, ac definire neſcire; latinæ linguæ rationem novam oſtentare, latine ſcribere neſcire.

TRIDUUM NONUM.

De Galliis ſingulis, Thracia, Africa, Cyrenis, Numidia, Mauritania, quando & à quibus provinciæ factæ ſint; multorum ſcriptorum loci declarati; nonnulli etiam emendati.

A Creta inde tranſit ad Galliam, his verbis: GALLI IN ITALIA eam partem tenebant, ubi Mediolanum eſt, uſque ad Rubiconem amnem; vario eventu cum his pugnatum, & diu à capta urbe, & ante ad Aliam, uſque ad ætatem Marii, qui illos depulit Italia, poſtea à Cæſare victi una cum Britannis, & Gallia, & Britannia tributariæ factæ. Moriar, ſi quiſquam unquam pari rerum inſcitia ad ſcribendum acceſſit, atque hic noſter, qui ſibi tantum tribuit; intueamur in ſingula; nam plura in his ſunt errata, quàm verba. Gallos ait à Mediolano ad Rubiconem amnem tenuiſſe partem Italiæ; falſum. Nam Senones ultra Rubiconem tenuerunt Romam verſus uſque ad Æſim; teſtes ſunt omnes, ſed maxime Livius, & Strabo. Significat etiam, Gallos, qui à Mediolano ad Rubiconem tenuerunt, Romam cepiſſe, & ad Aliam cum Romanis pugnaſſe; quod pariter falſum eſt; qui enim Romam ceperunt, & ad Aliam pugnarunt, eos conſtat Senones, quos dixi, fuiſſe, qui à Rubicone ad Æſim pertinuerunt. Cum Inſubribus autem, & Bojis, qui à Mediolano ad Rubiconem ſedes habuerunt, bellatum eſt vario eventu, ſed Senonibus jam extinctis, atque deletis. Quod ait, cum Gallis, qui à Mediolano tenuerunt uſque ad Rubiconem, pugnatum eſſe uſque ad tempora C. Marii, bis offendit. Nam Senones à Dolabella conſule ſedibus everſi ſunt anno urbis 470. Boji, & Inſubres poſtremo pacati ſunt per M. Æmilium Lepidum conſulem anno urbis 566. ita ut poſt eum annum quieta ſemper fuerit citerior Gallia, Salaſſis tantum, & Inalpinis quibuſdam populis exceptis. Marius autem poſt annos ferme centum bellavit cum Cimbris. Jam vero quod ait, Marium expuliſſe Italia Gallos, qui à A Mediolano ad Rubiconem tenuerunt, ridiculum prorſus, atque ineptum eſt; nam Boji multis ante Marii ætatem annis pulſi Italia fuerant, Inſubres armis victi quieſcebant, ac prætori Romano parebant, ut novo eos bello perſequi opus non eſſet; deinde, quis unquam legit, Marium pugnaſſe cum Gallis Italicis? dimicavit ille quidem cum Teutonibus in Gallia ulteriore Narbonenſi ad Aquas Sextias, & in citeriore cum Cimbris ad Atheſim; at ii non Galli fuerunt, ſed Germani, ut plerique aſſerunt; aut ſi Galli, at non Italici Galli, ſed ex ultimo profecti Oceano, qui novas ſedes quærentes, ut poſtea Gothi, Gallias ambas populi Rom. provincias occu- B parant, & ſe Romam infeſtis ſignis tendere minabantur; ut ſcribit Plutarchus, Vellejus, & reliqui. Addit colophonem inſcitiæ, & ait, eos à Cæſare victos. Quos Gallos vicit Robortelle Cæſar Italicos? non Bojos, non Inſubres; multo minus in Italia Cimbros, aut Teutones; neſcis Helvetios, Celtas, Belgas in ulteriore eſſe Gallia ab eo primum edomitos? O portentum in ultimas Cimbrorum terras exportandum. Inſubres, & Boji ad Aliam pugnarunt, iidem Romam ceperunt, iidem à Mario Italia pulſi ſunt, iidem à Cæſare in ulteriore Gallia victi ſunt. Quis unquam tantum vidit in litteratore ullo viliſſimo ſtuporem ingenii, ut hæc, quæ fama ſua univerſum C pervagata ſunt orbem terrarum, incognita prorſus haberet? An cum dixit Rufus Robortelle, Marium Gallos Italia expuliſſe Gallos intellexit Italicos, ut tu, an qui ad Oceanum incolerent, quos alii Germaniæ aſcripſerunt? an cum idem inquit, Cæſarem ſubegiſſe Galliam, propterea Bojos, & Inſubres Italicos intellexit? Dic ergo, de Galliis quid præcepiſti? una erat citerior Gallia; quando hanc, & à quo provinciam factam eſſe docuiſti? altera trans alpes Narbonenſis, ne hanc quidem quando, & à quo ſit facta, tradidiſti; tertia, quam Cæſar debellavit; oſtende, ubi eam provinciam factam eſſe tradideris. Hoc eſt de provinciis tradere, an te inepte, & glorioſe D admiratoribus novæ tuæ ſapientiæ venditare?

Deinde Dardaniam, & Mœſiam à Curio proconſule victas ait; ſcil. quia Rufus ita loquitur; ſi quis autem quærat ab eo, quis nam ſit iſte imperator Curius, ſane reſpondebit, ſe ignorare. Eſt enim non Curius, ſed C. Scribonius Curio, qui de Dardanis triumphavit, auctoribus Eutropio, Oroſio, Floro, Cicerone, Livio, quos miror iſti noſtro plane eſſe incognitos.

Ultimo loco Thraciam à Didio, Druſo, Lucullo, & aliis ſubactam ait; neque tamen quando, & à quo provinciæ formulam acceperit, exponit.

Relicta inde Europa tranſit in Africam; E ut provincias ejus enumeret; exorditur autem à Cyrenis, & tamen ſi ordinem temporum notum haberet, ab Africa debuit initium ducere, id eſt, ab ea parte, quæ Carthaginenſium fuit, & victoria Scipionis Æmiliani provincia prima in Africa univerſa eſt facta.

De Cyrenis autem ita ſcribit. Cyrenæ, & Libya tota ex teſtamento Ptolemæi Appionis pervenit ad populum Romanum.) Et hoc dii immortales, quàm inſulſe. Cyrenæ relictæ ſunt teſtamento regis populo Romano, ergo tum Cyrenæ provincia facta eſt; o dialecticum elegantem, hiſtoricum multo elegantiorem; non tenes memoria Livium, eo quem com-

A commemoras, loco ſcribere, Cyrenas eſſe ab Appione rege relictas ea conditione, ut liberæ eſſent? poteſt ne provincia eſſe, quæ ſit libera; cum liber ſit, qui utitur legibus ſuis, provincia pareat alienis?

Numidiam inde ait victo Jugurtha provinciam factam, citatque teſtes hujus rei Salluſtium, & Vellejum; in quo egregie admiratoribus ſuis imponit. Nam Salluſtius ne verbum quidem de provincia Numidia ullum. Vellejanus autem tantum abeſt, ut id ſcribat, ut eam à Cæſare dictatore factam tradat; verba tamen Velleji ita mendoſe vulgo leguntur, ut mirum non ſit, ſi Robortelli, quamquam acutiſſimi hominis, intelligentiam B fugerint ſunt autem hæc. Ab eodem facta Numidicus Ciliciam perdomuit viſa viciſſet poſt bellum Antiochenum Cn. Manlius Vulſo Gallogræciam; loquebatur de Cæſare, à quo Gallia provincia facta erat; inde pergit. Ab eodem facta Numidia. Ciliciam perdomuit Iſauricus, & poſt bellum Antiochenum Cn. Manlius Vulſo Gallogræciam. Sic autem legendum eſſe, Appianus, lib. II. Dio lib. XLI. & XLIII. & Hirtius admonent, qui Juba victo Numidiam in provinciæ formam eſſe à Cæſare redactam ſcribunt. Non eſſe autem Jugurtha ſuperato Numidiam provinciam factam, indicant reges, qui regnarunt poſt Jugurtham in Numidia, ut Hiempſal, & C Hiempſalis filius Juba, quo à Cæſare profligato Numidia provinciæ formam accepit. Itaque Dio libro XLIII. provinciam unam veterem Libyam dictam ait, quam poſſederant Carthaginenſes, alteram Numidiam, quam Juba; quod idem eſt apud Appianum lib IV.

Deinceps de Mauritania ita præcipit: Mauritania, quam diu Juba rex amicus populo Romano rexit, ſed is poſtea à C. Cæſare victus eſt, & tota regio redacta eſt in formam provinciæ; vide Vellejum, & Cæſarem de bello Africo. Ut mittam inconſequentem alieniſſimo loco orationem, & Cæſarem pro Hirtio nominatum, in cæteris vix teneor, quin exclamem. O cœlum, o terra. D Juba rex, is qui à Cæſare victus eſt, Mauritaniam rexit? Mauritania victo à Cæſare Juba provincia facta eſt? Oro te magiſter ſumme, apud quem litteras didiciſti? neque enim te niſi grammaticæ ignoratione peccare video; nam qui te laudant, hoc in maximis laudibus tuis ponunt, quod ſcriptores omnes pervolutaris; quod quàm verum ſit, ipſi viderint; illud quidem perſpicuum eſt, te eos, ut primarum litterarum ignarum, parum intellexiſſe. Etenim nonne diſerte ſcribit Strabo libro XVII. Mauritaniæ reges duos fuiſſe Bogudem, & Bocchum? nonne eoſdem bello Africo Cæſari amicos fuiſſe, ut Jubam Numidiæ regem inimicum, narrat Dio lib. XLI.? nonne hoE rum commemoratio fit ab iis, qui de rebus à Cæſare in Africa geſtis ſcripſerunt? Quid ergo de Juba ſomniaſti? & Mauritaniam pro Numidia à Cæſare factam provinciam intuliſti? & Vellejum, Cæſaremque, ſive Hirtium de Numidia; non de Mauritania loquentes teſtes protuliſti? Si neſcis quando Mauritania, & à quo provincia facta ſit, neſcis ſcriptum eſſe apud Strabonem, Auguſtum Jubæ adoleſcenti, qui filius fuerat ejus, quem Cæſar regno ſpoliarat, regnum Bocchi, & Bogudis Mauritaniam conceſſiſſe; neſcis item proditum eſſe à Dione lib. LIII. partem Gætuliæ, quæ ſenis Jubæ fuerat, & regnum Bogudis, & Bocchi Jubæ adoleſcenti eſſe datum, Jubæ Ptolemæum ſucceſſiſſe, eoque poſt à Caligula imp. interfecto, Mauritaniam demum provinciam factam eſſe, eamque in duas eſſe diviſam, Tingitanam, & Cæſarienſem; atque hoc idem eſſe apud Tacitum, & Tranquillum in Caligula, & Dionem libro LVIII. quid igitur ſcis? Topica crederem, ſi te dividendi rationem, aut concludendi ullam tenere viderem. At de Topicis fortaſſe non repugnabo, de provinciis vero, & tota conſuetudine Romanæ antiquitatis nihil plane te cognitum habere contendo.

TRIDUUM DECIMUM.

Quando, & à quibus Aſia, Rhodus, Pontus, Syria, & Ætolia provinciæ factæ ſint.

ENumeratis Europæ, Africæque provinciis deinceps recenſet Aſiaticas; ac primum de Aſia, quæ Attali fuerat, ita ſcribit: Aſia teſtamento Attali accepta. Sed Ariſtonicus rex eam poſtea invaſit, qui à M. Perperna victus. Ad hæc dico idem, quod ad alia, Aſiam nec teſtamento Attali eſſe provinciam factam, neque Perpernæ victoria; non Attali teſtamento, quippe quæ libertate donata ſit à populo Romano, teſte Livio; non à Perperna; quia non ab eo confectum eſt bellum, ſed à Manio Aquillio ſucceſſore ejus; à quo etiam X. legatis miſſis Aſia provinciæ leges accepit. Strab. auctore lib. XIV.

Rhodum inde provinciam Aſiæ ſubjicit. O mirificum obſervatorem temporum ſiquidem Rhodus poſt multa ſecula, nempe imperante Veſpaſiano provincia facta eſt; & tamen hic de temporibus quondam mecum etiam contendit.

Rhodo ſuggerit Pontum à Pompejo provinciam factam; nec ſentit Ciliciam, Bithyniam, Cretamque ante factas eſſe, quam Pontum. Sed habet nimirum hic aliquid in animo; neque enim video, cur tanta hic confuſione delectetur; niſi illud ſit, de quo poëta quidam non inſulſe in eundem cecinit:

Principium tanta cur quiſquam in mole requirit,
Pectore ſi incluſum continet ille chaos?

Addit, Syriam victo Antiocho rege provinciam factam, qui victus fuit à L. Scipione Aſiatico, profertque teſtes Appianum in Syriaco, Florum libro II. Livium lib. XXXII. Vellejum libro II. Rufum Cap. XIII. Quis non crederet homini ea ætate, ea exiſtimatione, tam aſſeveranter ſcribenti, ita eſſe, ut narrat? tamen nemo illorum ſcriptorum hoc refert; quid referunt? Antiochum Syriæ regem à Romanis victum; pacem impetraſſe; pacis autem leges fuiſſe has. Ut Antiochus Europa abſtineret, Aſiaque omni, quæ cis Taurum eſt, decederet; pro impenſis in bellum factis XV. millia talentorum Euboicorum daret; mille talentum per XII. annos penderet. Eumeni CCCC. talenta redderet cum Aſianis autem ita pactum; ut cis Taurum montem quæ intra regni Antiochi fines fuiſſent, Eumeni attribuerentur, præter Lyciam, Cariamque uſque ad Mæandrum amnem, ea Rhodiorum eſſent; cæteræ omnes civitates, quæ Attali ſtipendiariæ fuiſſent, eædem Eumeni vectigal penderent, quæ vectigales Antiochi fuiſſent, eæ liberæ, atque immunes fuiſ-

fuiſſent. Eumeni Phrygia utraque, & Myſia reſtituta. His legibus Robortelle interpretaris, Syriam eſſe provinciam factam? Si facta eſt, ergo prætor, qui eam regeret, miſſus eſt; at quando miſſum audiſti; nunquam inquies, niſi poſt Cn. Pompeji victoriam Mithridaticam; ergo, quod etiam aperte ſcripſit Marcellinus libro XIII. & Plutarchus in Pompejo à Pompejo Syria provincia facta eſt, non à L. Scipione; quorum ætates non annis, ſed ſæculis prope conſtat eſſe disjunctas.

Deinceps Ætoliam redactam in provinciæ formam prodit M. Fulvii Nobilioris victoria, citatque teſtem Livium lib. XXXVIII. Appianum in Syriaco, Juſtinum lib. XXXIII. Plinium lib. IV. Primum dicam, Ætoliam victoria M. Fulvii provinciam non eſſe factam hoc autem ex legibus Ætoliæ datis perſpici poſſe, quæ ſunt apud Livium: Imperium, majeſtatemque populi Rom. gens Ætolorum conſervato ſine dolo malo; ne quem exercitum, qui adverſus ſocios, amicoſque eorum ducetur, per fines ſuos tranſire ſinito, neque ulla ope juvato; hoſtes eoſdem habeto, quos populus Romanus, armaque in eos ferto, bellumque pariter gerito. His verbis Robortelle patrone provinciarum, illuſtrator fœderum, omnis antiqui moris obſervator acerrime, fiunt provinciæ? hoc modo ordinantur? non agnoſcis formam fœderis, in quo Ætoli inferiores ponuntur? qua de forma Cicero pro Balbo. Quæres, quando Ætoliæ

A provinciæ forma ſit data; veriſimile eſt tum; cum Græcia tota in provinciæ formam eſt redacta, & Ætoliam eſſe redactam; ſi quidem Rufus Epirotas cum Achivis, & Macedonibus Romano jugo ſubactos tradunt. Achaja vero, & Macedonia Mummii, & Metelli victoria, conſentiente omnium auctoritate, provinciæ eodem tempore factæ ſunt. Verum ſit hoc inſcitiæ Robortellianæ; illud vero cujus ſtuporis eſſe dicemus; quod cum enumerare cœperit provincias Aſiaticas, Aſiam, Rhodum, Pontum, Syriam, his ſubjicit Ætoliam? præclare, ut cætera. Ætolia eſt in Aſia, quæ prope ſpectat Italiam. Tu cum neſcias, ubi Epirus ſit, de provinciis auſus es ſcribere? O doctrinam egregiam o ſcientiam
B omnium præconio, laudeque digniſſimam; primum quæ neceſſaria erant, ne ſenſiſti quidem; deinde quæ ſupervacanea, quæ inſulſa, quæ ridicula, ea diligentiſſime perſecutus es. Provincias, & earum jura ita diviſiſti, ut falſa, & commentitia omnia attuleris, certi, ac præclari nihil tradideris. Pollicitus, te ſingulas provincias, quando, & à quo eſſent factæ, demonſtraturum, adeo ſtupide te in eo munere geſſiſti, ut riſum commoverit, quid ergo te jactas amplius? cur artem non deſeris, quam infelicibus, ut video, auſpiciis didiciſti? Reliqua quæ reſtant, multo plura, ſi me laceſſere perges, ſuo loco effundentur; hæc hoc tempore hactenus.

F I N I S.

LIBER SECUNDUS,

In quo Ephemeridibus ejus reſpondetur & nova ejuſdem errata aperiuntur. Ejuſdem ad Epiſtolam Gabrielis Faërni reſponſio.

Petri Nannii Alcmariani adverſus Robortellum diſputatio ex libro Miſcellaneorum ejus octavo.

HÆC SIGONIUS POST TRIDUUM, ut pollicitus fuerat, Robortello reſcribit.

GRatulabor tibi primum, Franciſce Robortelle, deinde ad me convertar. Gratulor autem, quod de laude, & dignitate tua, quæ quidem, ut video, ſumma eſt, diligentius cœperis aliquando cogitare. Sic enim fama, atque ſermone hominum propè quotidiano celebrabatur, te vetere neſcio qua arrogantia, atque inſolentia morum inflatum, nunquam eo, ut errata tua aut vetera verba excuſares, aut recentia ſcripto defenderes, deſcenſurum; verum omnino rem tantam non quidem ignorantia ulla, de qua illi tamen ſubdubitare videbantur, ſed inſita quadam in animo turpiore ſuperbia ſilentio tranſiturum; ſcilicet ita leviſſimi homines diſputabant, te hominem natum, atque exercitatum ad obtrectandum cum de iis, quæ ad meliorum rationem literarum, & honeſtorum laudem ſtudiorum pertinerent, non ſolere magnopere laborare, tum multo minus te præſentem controverſiam curaturum, cui quotidianis conviciis, quæ in me pro concione propè furioſe conjeciſſes, cumulatè ſatis feciſſe tibi viderere. Quare, ut dixi, tibi admodum gratulor, quod malevolorum iſtorum hominum opinionem feſelleris, & te tandem virum oſtenderis; illud autem tua mehercule cauſſa doleo vehementius, quod ipſe non tuo nomine mihi reſcripſeris, ſed per alterum tibi caveris; video enim te, propterea apud quoſdam, quibus virtus iſta tua admirabilis, & eximia bonitas minus cognita eſt, in arrogantiæ, ac petulantiæ ſuſpicionem iterum non leviſſimam incidiſſe; arrogantiæ, ſi dignitatis eſſe tuæ non putaſti, cum collega tuo, qui magnitudinem ſuſpicit tuam, de ſtudiis literarum, quibus noſtrum uterque devinctus eſt, diſputare petulantiæ, ſi eo modo arbitratus es, liberius in eum te invehi, & minore tui cum invidia poſſe. Verum, ut quoſdam prudentes homines, familiares meos, modo narrantes audiebam, profeciſti in hoc genere parum; nam cum multa alia, tum loquela tua planè te, ut dicitur, indicavit; oratio nimirum iſta inculta, ac plane barbara, diſputatio alieniſſima, procax nimis, atque intemperans ſermo, te auctorem, te ſcriptorem, te propè fabrum hujus moderati, & elegantis, facetique reſponſi apertiſſimè arguunt; nemo eſt, quin ſtili, nemo, quin morum, nemo, quin doctrinæ, nemo, quin ingenii tui notam omnibus imaginem iſto reſponſo expreſſam diligentiſſimè ſentiat. Quod te ſcire pro collegii noſtri ſocietate volui, ne te laudis multum hoc conſilio crederes aſſecutum, à qua tan-
A tum abes, ut verear, ne labem ex iſta re potius aliquam clariſſimo tuo nomini adſperſiſſe videare; quaſi vero tu mecum congredi comminus auſus non ſis, ſed ut ab omni tutus eſſes injuria, in quemcunque certaminis eventum, qui tuas ſuſciperet partes, aſtutè, callideque ſummiſeris. Ego vero, qui iſta veſtra veterum ſcilicet Rhetorum artificia non cognovi, nec quantum apud bonos, & judicio præditos homines ad laudem, famamque proficiant, ſatis intelligo, agam ſincere, atque aperte; prodibo ipſe in campum, ut ſoleo, ſine fuco teque ipſum clara voce, quamquam maximum hominem parvulus provocabo;
B reſpondeboque non conviciis tuis, quæ ut ab irato, & prope deſperato homine profecta prorſus eſſe arbitror contemnenda, ſed rationibus occurram iis, quibus effici vis, te recte, & ex ordine ſcripſiſſe, quæ ſcripſeris; daboque operam, ut oſtendam, te aut mea ſcripta non intellexiſſe, aut, quod malim, callide eorum alio ſententiam, ut aliquid diceres, traduxiſſe, aut certè, à re propoſita, ut vetus tuus mos eſt, quàm longiſſimè receſſiſſe; maledicta vero iſta tua, quibus nunc in me ſolito etiam intemperantius invaſiſti, pro nihilo, ut ſemper habui, ducam; quod confidam operam meam, atque in his ſtudiis
C qualemcunque induſtriam, ſatis omnibus, qui de literarum judicare laude poſſunt, eſſe perſpectam; te certè miror, qui viginti quatuor annos, ut ais, in omnibus Italiæ Gymnaſiis docuiſti, & ſupra quinquaginta natus, ad ſummum gloriæ faſtigium aſcendiſti, ad hæc tam humilia ſcribenda, & tam abjecta deſcendere; quæ ipſe ſi ea eſſem ætate, graduque, quo te eſſe inquis, ne attenderem quidem, nedum aut tam anxiè per conductas, ut facis, operas, quotidie obſervarem, aut demum litteris tanto cum dolore mandarem; quas operas video, ne te funditus malo aliquo nuncio aliquando perdant, multa tibi de me falſo re-
D nunciaſſe.

Nam quod me ipſum omni propè conviciorum genere intemperantius inſectaris, minus laborare debeo, meos ab eo homine mores vituperari, qui quibus ipſe præditus moribus eſſet, nemini ſatis ſe declaraturum eſſe putavit, niſi quomodo nullus unquam improbiſſimus, atque ſpurciſſimus homo de altero eſt loquutus, ipſe ſcripſiſſet. Lætor autem, me adhuc ita ſemper vixiſſe, ut à maledicentiſſimo, & poſt homines natos petulantiſſimo homine mea non ſine impudentiſſimo mendacio vituperari vita potuerit, ut me apud notos perpetua vitæ meæ innocentia, apud igno-

tos verò non obſcura, eaque multiplex induſtria, quæ in ea, quam tu deſcribis, vita eluceſcere nulla poteſt, & tua iſta ob oppugnatam inſcitiam tuam effrenata mihi maledicendi libido, ac mea conſtans erga SENATUM VENETUM, cui diutius, quàm tu, & firmius inſervivi, fides, ejuſque præclara de me teſtimonia multa, quæ ille improbis, ut tu vis, carnificibus, nunquam impertivit, facile defenſura ſint; te certe ita ſcripſiſſe, qui ita vivas, haud equidem miror; falſo te ſacri Inquiſitoris permiſſu hoc feciſſe, ſcripſiſſe, vehementius doleo; quod video, ſanctiſſimum hominem, & religioſiſſimum in ſummam invidiam apud bonos omnes falſis tuis criminibus his alieniſſimis temporibus jure poſſe vocari; ego quidem, quod ſemper mei ſimilis eſſe maluerim, quam tui in tantis injuriis ab omni tamen, ut adhuc ſemper feci, maledicto, quo de tua detrahere fama poſſem, abſtinere decrevi.

Antequam autem ad ea veniam, quæ rem, cauſſamque litterarum attingant, placet epiſtolæ tuæ capitibus quibuſdam reſpondere, ac primum de amicitia, quam tu à me violatam eſſe arguis, quo ego crimine gravius nullum eſſe judico, aliquid dicere. Rediſſe me Bononiæ tecum in gratiam, auctore Hieronymo Seripando, Cardinale omni virtutis, doctrinæ & eloquentiæ laude cumulatiſſimo, fateor, bona autem fide rediſſe, indicat ea epiſtola, quam ego ad te, poſt meum in hanc urbem reditum, ſcripſi, cujus quoniam tu mentionem feciſti, hic exemplum adſcribam. Carolus Sigonius Franciſco Robortello ſalutem. Ut primum Patavium veni, nihil habui antiquius, quam ut Paulum Manutium de reconciliata per Seripandum Cardinalem inter nos gratia facerem litteris certiorem; id enim & ad veterem noſtram amicitiam à me omni tempore diligentiſſime cultam, & ad meum præcipuum quoddam erga illum ſtudium pertinere duxi, ut quando tu abjecta omnium ſimultatum memoria, me monente, & cupiente, eodem auctore Cardinale, cum eo in gratiam rediſſes, meis potiſſimum litteris, qua ille propterea in te poſthac voluntate eſſe deberet, admoneretur. Atque ille ſtatim, quod ſanè opinabar, ita reſpondit, ut non modo ejuſmodi officium ſibi gratiſſimum accidiſſe affirmarit, ſed planè ſummam pluribus verbis lætitiam oſtenderit. Quod ipſum te ſcire oportere exiſtimavi, ut cum de me, qui de tua ſemper doctrina commodè ſenſi, tum vero de Manutio ipſo, qui nunquam à te, ut optimus ipſe teſtis ſum, alieno animo fuit, non aliter, ac de amicis hominibus, tuæque in primis gloriæ ſtudioſis, in poſterum cogitares, & ſimul, ut quorum animos rectiſſima litterarum ſtudia ſemel copulaverant, eos non ſponte, ſed iniquiſſimis improborum hominum ſermonibus eſſe diſtractos, nec jam diutius communibus ſtudiis, & officiis carere poſſe intelligeres. Nos quæ tibi de nobis pollicemur, eadem à te expectamus, nec futurum ſuſpicamur, ut cum noſtram fidem videris, tua erga nos deſiderari poſſit humanitas. Vale, & Papium principem Juriſconſultorum plurimum meis verbis ſalvere jube. Ad has humaniſſimas litteras, cur ipſe nunquam reſcripſeris, quemadmodum & humanitatis ratio, & pacis, fœderiſque conditiones poſtulabant, ſic tu nunc; non reſpondi, inquis, ne ſi diſſimulaſſe lituras vidiſſes, parum me cautum crederes, & in eo te jactares etiam, quòd Robortellum deluſiſſes; ſin autem ad omnia reſpondere vellem, novam ſuſciperem contentionem cum homine improbo, ac ſtulto. Quas tu mihi lituras narras Robortelle? quas te diſſimulare potuiſſe negas? quod fuit in his litteris, non ſummi amoris, non ſingularis benevolentiæ ſignum? ægre toliſti, ut audio, quod me ſemper de tua doctrina commode ſenſiſſe dixerim; voluiſti nimirum, me, commodiſſimè, ſcribere; quod ne facerem, dicam enim ingenuè, ut mea natura fert, illud in cauſſa fuit, quod reconciliata verè inter nos gratia, amicum me tibi, non aſſentatorem factum, neque aliter, ac ſentirem, mihi de te ſcribendum eſſe exiſtimavi. Atque ex hoc quidem intelligi poteſt, quanti tu pacem, quanti fœdus, quanti fidem, quanti dextram, quam mihi præſente ampliſſimo Cardinale porrexeras, quanti auctoritatem ſummi, atque ſanctiſſimi viri feceris, cui fidem tuam, te ad meas litteras ſine dubio reſponſurum eſſe, obſtrinxeras, & uter noſtrum amicitiam parum ſincera fide redintegrarit; nam illa, quæ ſequuntur, quanti ponderis, ac momenti ſunt? curaſti, ut Patavium reſtituereris; neque enim aliter Bononiæ te eſſe poſſe diutius, tua te adverſus illos cives omnes petulantia concedebat; reductus es, & quidem non repugnante me; aude dicere, te, cum Patavium acceſſiſſes, aut ad me tum forte ægrotantem veniſſe, aut qui tuo nomine mecum ejuſmodi, aut ullo unquam alio officii genere fungeretur miſiſſe; tum ego tibi oſtendam, te ubi primum huc veneris, nunquam de mea auctoritate detrahendi finem feciſſe, dediſſe etiam operam, ne ego tecum in profitendo compararer, ſed in aliam, quàm tu horam contumeliæ cauſſa traducerer; id quod Patavina Academia incredibili ſtudio annitente divina Senatus Veneti auctoritas, ut injuſtiſſimum ita repudiavit, ut dum ea floreat Reſpublica perpetuum tuæ refutatæ ab eo Senatu levitatis, atque impudentiæ teſtimonium extet; non dubia neque vetera loquor, ſed recentia, atque omnium cum oculis teſtata, tum ſermonibus celebrata; tu admirabili Senatus indigniſſimam tuam hanc petitionem conſtantiſſime refellentis conſenſu victus, quid aliud poſt unquam egiſti, quàm ut perpetuis coitionibus frequentem à me concionem, eamque mei ſtudioſiſſimam avocares, quàm ut privatim, & publicè me conviciis nemini honeſto ferendis laceſſeres, quam ut etiam affixis ad ſcholarum valvas libellis, & quidem manu tua ſcriptis aliquid quotidie de mea auctoritate detraheres? tum quid mihi erat agendum? te conſulo Robortelle, ut amicum, an tu mihi auctor fuiſſes, ut cum te omni tuo, tuorumque conatu de me funditus evertendo cogitare ſentirem, ego tuo, ut optabas, perdito furori concederem; tibi faſces ſummitterem, non autem reſiſterem, non obviam irem, quoad poſſem? non, opinor; fuiſſet hoc cum remiſſi nimis animi, ac diſſoluti, tum vero hominis turpiter in ocio, litteriſque verſantis; quid ergo egi? primum breviter, ac ſine ulla tua contumelia induſtriæ meæ famam, quæcunque ſit, quam tu libellis illis oppugnabas, defendi; deinde quoniam tu me & ſæpe, & aperte provocaras, errata nonnulla tua turpiſſima, quæ tu defenderes, referendæ gratiæ cauſſa ita propoſui, ut caverem tamen, ne ullo te carperem maledicto,

quo

quo aut mores, aut vita tua læderetur, aut fama integritatis, ſi modo retines ullam, obrueretur; cujus rei ne ſuſpicionem quidem in meis reſidere ſcriptis aliquam volui. Et tu nunc te à me ultro appetitum, atque oppugnatum audebis dicere? oſtende quando, doce quomodo, altius rem repete, longius exordire; non à poſtremis meis in te ſcriptis, ſed à primis tuis in me contumeliis exordium hujus fabulæ cape; dum te demum intelliges modicam Papii, minimam Seripandi, nullam fidei fœderiſque jurejurando firmati, non me, rationem habuiſſe; & doles, te tam inſignem, & eruditum virum, qui XXIV. annos docueris, conviciis à me appellatum: quibus iſtis tandem Robortelle conviciis? neſcis tui unius hoc unum eſſe conviciari? an vero qui tuis quotidianis contumeliis irritatus, te ut virum doctum, & eruditum ſcripto ad ſcribendum provocat, aut te parum acutè multa vidiſſe contendit, aut etiam, ſi vis, parum emendatè loquutum eſſe coarguit, conviciator eſt appellandus? ubi te ego non dicam improbum, furciferum, & carnificem, ſed imperitum, ſtultum, nebulonem vocavi? tuæ omnes ſunt iſtæ voces, ſedent in ore, verſantur in pectore, habitant in lingua tua Robortelle, quas non ſolum optimum virum inquiſitorem, approbaſſe, ipſo præſertim conquerente, mendaciſſime homo mentiris, ſed neminem etiam, niſi tui ſimillimum ſine ſtomacho lecturum eſſe, omneſque potius, unde hæc tanta in re tanta oriatur in nonnullis patientia miraturos exiſtimo. Verum fac, te à me ineruditum appellatum, qui nunquam es, an id mihi in te non licuerit, quod tibi in omnes, & in me præcipuè licere voluiſti? niſi forte hanc tibi licentiam dari putas oportere, quia vir es illuſtris, & magnus? ſed vide, ne tu quo es illuſtrior, atque major, id eſt, ut tu interpretaris, omni laudis genere cumulatior, eo minus tibi conveniat, tantopere alienis laudibus angi; nam quod XXIV. annos humaniora te tractaſſe ſtudia, & nunc moralem docere Philoſophiam inquis, eo turpius peccas, cum ne prima quidem elementa ſcire convictus, ab inhumanitate potius, quam ab humanitate auxilium petis; & quo in loco virtutis præcepta verbis, & exemplis tradere debes, in eodem te & verbo, & re agreſtibus & ferinis moribus eſſe oſtendis.

Hic tu me in te quoque ingratum fuiſſe arguis, quòd ego tua ſcripta non approbarim, quem tu Marino Caballo, clariſſimo Viro, quondam, ut ais, Gymnaſiarchæ, nunc Patavino Prætori prorſus incognitum ante decennium commendaris; quid igitur? an ego te patiar in tam turpi mendacio deliteſcere? non mehercule; at Prætorem ipſum magna voce teſtem appellas; quid propterea? ego contra eundem teſtem appellabo, atque ejus memoriam diligentius, ad ea tempora, quæ tu commemoras, excitabo. Ego Marine Caballe, Prætor optime, omnia me tibi, ut domino meo debere confiteor; quòd me rogatu Robortelli triumvir gymnaſii Venetias accerſiveris, nihil debere confirmo; tantum enim abeſt, ut ego à te triumviro ſim accitus, ut ne is quidem, qui in tui locum ſubrogatus eſt, Dominicus Bollanus, Eques tum clariſſimus, nunc Brixiæ Epiſcopus optimus, me accerſiverit; ego enim à Petro Franciſco Contareno, & Vincentio Dedo, qui ambo poſtea Venetiarum Patriarchæ fuerunt, & à Domino Mauroceno viris præſtantiſſimis tum triumviris advocatus ſum, & quidem ſi rectè, commemini, te abſente. Verum fac, me Robortelle, tua olim fuiſſe commendatione ornatum; quæro nunc ego de te, ſi vera commemoraſti, cur adoleſcenti mihi tuum virtutis teſtimonium impertiſti, virum vero omni ſpoliare laude contendis? ſi falſa, quid eſt, quod ſcribenti tibi quiſquam fidem habendam putet, qui, ſi de me es amicitiæ cauſa mentitus quid facies odii gratia, & ſimultatis? age vero, tu me tantum tibi illo nomine debere exiſtimas, quod me uni viro prope puerum commendaris, ut te poſtea mutata voluntate de ſummæ laudis poſſeſſione, meis diuturnis laboribus parta me virum deturbare conantem, ego coërcere non debeam? & quod parenti meo, ſi reviviſceret, vix concederem, id ſi tibi perfido amico non permittam maledicti loco iniquiſſimè exprobrabis? Et quoniam tu mihi quoque ſæpe, & variè Bononiam objicis, facere non poſſum, quin ad eam quoque partem prius, quàm ad propoſitam controverſiam veniam aliquid dicam; diſputas tu quodam in loco, me in Patavina mea prima concione Bononienſium laudibus obtrectaſſe, cum dixi, Imp. Fridericum II. Bononienſibus infeſtum, eo conſilio Patavinum inſtituiſſe gymnaſium, ut clariſſimis Bononienſis Academiæ jam tum à juniore Theodoſio celebritate, & fama florentis luminibus, & claritati obſtrueret; quæ verba, cùm à me dignitatis ejus Academiæ amplificandæ gratia dicta ſunt, tum vero ne in aliam quidem ſententiam à quoquam, niſi ab obtrectatore nequiſſimo aliquo accipi poſſunt ea certe Bononienſium neminem ægrè laturum, ſi ſapiet, puto, præſertim vero ſi intellexerit, me id in oratione mea uſurpaſſe, in qua plerunque cauſæ ſervientes aliquid de veritate detrahimus, quod civis ſuus Leander Albertus in hiſtoria ſua ſcriptum reliquit. Innuis etiam ſæpius, & quidem, ut ſoles, ad contumeliam, me in tui locum Bononiæ ſubſtitui cupientem, proptereaque prenſantem, adhuc impetrare non potuiſſe; id quod nec feci, nec poſt tuam impudentiam tanta Veneti Senatus conſenſione refutatam facere debui, nec propter pactum, quo me illi multorum annorum obſtrinxi, potui cogitare; at ab illis mentio eſt de me facta; quid? tu Mutinenſium nomen adeo Bononienſibus eſſe odioſum exiſtimas, ut cum illi de hominibus in ſuam civitatem etiam trans alpes accerſendis agant, vicinorum atque amicorum ſuorum omnes obliviſcantur? Hoc certe tibi, atque omnibus poſſum verè affirmare, amicis multis operam ſuam mihi ad eam rem pollicentibus, me ne gratias quidem adhuc egiſſe ullas, veritum ſcilicet, ne ſi eorum fortaſſe voluntati reſtitiſſem, honeſta eorundem me ſtudia inſolentius reſpuere, atque aſpernari viderer, ſi aſſenſiſſem, cupiditatem ejus rei meam aliquam, quæ nulla eſſe debebat, alieno tempore indicarem; tantumque abeſt, ut mihi eam conditionem quæſiverim, ut etiam ad humaniſſimum, atque ingenioſiſſimum juvenem Albertum Bolognetum Franciſci Equitis filium, de rumoribus neſcio quot hac de re concitatis pro viribus comprimendis, perſcripſerim. Id quod non ſuperbiæ, ſed officii cauſa feci; neque enim cum per fidem Venetis principibus datam hinc temerè diſcedere non poſſem, niſi te, tuumque factum imitari, qui Bononienſium Senatum ſolus poſt

homi-

hominum memoriam contempſiſti, vellem, ſuſpicionem aliquam meæ his afferre levitatis, atque ineptæ cupiditatis volui. Te certè conſtat, poſteaquam, ut ante ſperaras, te ſolum Patavii regnare non poſſe ſenſiſti, de repetenda Bononia cogitaſſe, & cùm de te à Reverendiſſimo prolegato ad conſilium eſſet relatum, ut tanta virtnte, & majorum ejus civitatis, quæ ſemper ampliſſima fuit, gravitate digniſſimum fuit, omnium ſuffragiis eam relationem eſſe repudiatam; merito; quem enim paulo ante, ut deſertorem, notare ad poſteritatis memoriam voluerunt, hunc paucis poſt diebus in ſuam gratiam, civitatemque reſtituent? quanquam tu quidem in eo venia dignus fuiſti; nam, ſi verè judicare volumus, non tu illos, ſed illi te deſeruerunt. Etenim cum humaniſſimi homines tuis moribus immaniſſimis adeo offenſi eſſent, ut te amplius ferre nequirent, te unde veneras, redire non obſcuris voluntatis ſuæ, ut fit, ſignificationibus coëgerunt; quamobrem non vereor, ne tu illud pro vero putes, quod in primo capite maledicti & contumeliæ loco poſuiſti, me Bononienſibus imponere voluiſſe, cum tu te idem hoc tuum proprium decus ita eſſe volueris; ut ne ſocium quidem in hujus gloriæ partem patiaris venire aliquem, qui unus poſt fidem coli ab hominibus cœptam es inventus, qui fracto fœdere Bononienſibus impoſueris.

Jam vero, quoniam te in hoc humaniorum litterarum genere ætatis noſtræ facile principem eſſe in eadem epiſtola, propiereaque te à Venetis Patavium revocatum gloriaris, libet etiam de tuo hoc tam eximio harum litterarum principatu non nihil adjungere, ut qui ſis tandem, & qualis, quantuſque orator, quando ego te alias hiſtoricum eſſe ineptiſſimum docui, & Veneti, & Bononienſes, quibus te admirationi eſſe putas, agnoſcant.

Etenim primum quæro, qui poteras apertius inſcientiam ne hujus artis, an arrogantiam indicare tuam, quàm illa Veneta, quæ extat, nobili concione pateſeciſti? oblitus enim, te à Senatu Veneto in urbem ad oratoria præcepta juventuti ſuæ tradenda vocatum, nihil de tuo munere, nihil de tua arte, quæ ſanè prudenti cuilibet, & in hoc genere officii exercitato venire in mentem poterant, attuliſti, ſed quaſi in Senatu Veneto ſententiam diceres, & ex purpuratis illis Patribus unns eſſes, tibi docendum, qua ratione quibuſque adjumentis Senator Venetus in Rep. adminiſtranda gloriam poſſet conſequi, ſuſcepiſti; neque hoc te traditurum pueris es profeſſus, quod quidem ſi facere inſtituiſſes, nequaquam tamen ferendum fuiſſet, ſed Senatores ipſos, ad quos ut præſentes illa tota eſt converſa oratio, incitare ad decus, & ad honeſtatem impellere, atque omnino ut diſſolutos pueros ad bonam frugem redigere voluiſti; quo quid fingi poteſt ineptius ne dicam, an impudentius, an ab omni tanti Senatus dignitate remotius? at quo tu tandem ſummus dicendi artifex hæc artificio, moliris, ac tentas? primum laudis, & gloriæ appetentiam omnibus inſitam eſſe hominibus, ſed maxime Senatori propoſitam eſſe oportere confirmas; quorſum hæc tam longe repetita oratio? ex eo efficis, Senatorem Venetum dies, noctesque pro tuenda libertate vigilare debere, præclare; quid præterea? diligenterque videre, ne forte opinionum errore labatur, quod omnium in ſe gentium oculi ſint defixi; hoc quidem puto eſſe ab ignominia deterrere, non ad gloriam incitare; ſed quid ſequitur? deinceps de voluptate, quæ ex cognitione & notitia artium, ac doctrinarum percipitur, pluribus diſputas; mirabar, ſi in propoſito uſque ad extremum conſilio permaneres; quid deinde? poſtremo Senatum ipſum ad ſervandas, ſovendaſque, quas in imperio, & ditione habet, urbes pulcherrimas, adhortaris; atque ei in primis Utinum oppidum ſæviſſimis jampridem ſeditionum procellis agitatum propè flens, lacrymanſque commendas; o reconditum artificium, o conſilium inauditum, o admirandum judicium. Tu homo eruditiſſime litterati hominis laudem, aut potius commnnem ullum tueri hominis ſenſum poteris, cum hæc tam abſurda, tam indecora, tam aliena & dixeris primum, & poſtea edideris? ſcilicet Senatus Venetus omnium, qui ſunt in terris, ſapientiſſimus, te correctorem, monitoremque ſuum deſideravit? ſcilicet Senatus Venetus omnium virtutum gloria florentiſſimus à te quis eſſet veræ, & ſolidæ fructus gloriæ, cognoſcere exoptavit? tu ad pueros, ut dicere ſoles, optimis ſtudiis erudiendos accitus, patres de publico gerendæ Reip. officio publicè admonebis? tu ad linguam latinam tradendam juvenibus advocatus, ſenibus ipſis de adminiſtrandi, tuendique imperii ratione præcepta dabis? At vide quanta cum indignitate cum tantis viris, & cum ampliſſimo ordine agas; primum admones eos, ut pro libertate invigilent, quaſi illos ſorte dormitantes offenderis; jubes, cavere, ne qua in re peccent, quaſi turpe erratum eorum aliquod deprehenderis; & eos ad libertatem defendendam inflammas, qui ſoli in terris hodie vera, & germana libertate fruuntur; cum iis de libertatis gloria diſputas, qui uni nativam libertatem perpetuo, ac minime interrupto tenore mille amplius annorum tuentur; deinde ubi de inſigni Veneti nominis apud omnes gentes celebritate agis, attende quàm fœda, ac propè joculatoria oratione utaris; ut nemo ſit, quin tum non eximium rhetorem in ſchola dicentem audire, ſed facetum hiſtrionem in ſcena ridiculum geſtum manus agentem ſe putet videre aliquem. „ Adeſte, quæſo, inquis; paucis vos „ volo; atque ſummiſſius aliquanto dicam, ne „ cæteri, qui extra curiam ſunt, exaudiant: „ vos in oculis totius Italiæ eſtis. Scilicet iiſdem verbis Senatores appellas, quibus notiſſimus ſenex ille ſervum ſuum ad ſe vocavit apud comicum, cum te paucis eos velle inquis. Sed cur ſummiſſius agere, cur non potius in veriſſima, & conſtantiſſima laude exclamare, cur non in re omnium præclariſſima ab omnibus exaudiri vis Robortelle? aut cur cum poſtea de te, & de tuo magnifico ejus orationis conſilio loqueris, non ſummiſſius agis, ſed vehementius vociferaris? ſic enim propè exultans ais. Ac ſanè lætor, me à tali ſermone de paranda gloria auſpicatum; nam meorum laborum, ac vigiliarum ſatis magnum fructum putabo, ſi vos litteris ita exornatos, ac omni virtute excultos videbo, ut facilè gloriam conſequi poſſitis; in quo illud etiam eſt valde ridendum; quod dubitare videris, ne Senatores Veneti litteris, & virtute non ſint ſatis ad tantam gloriam exornati; dubitare videris, ne Senatores Veneti ad decus, & ad dignitatem perſequendam ſatis ſint ſine tua illa præclara oratione incenſi; o ſolertiſſimum,

mum, ac ſapientiſſimum hominem; an vero Phormionem Peripateticum Annibal, cum ſe præſente ille apud Regem Antiochum de Imperatoris officio diſputaſſet, juſtius reprehendit, cum multos ſe vidiſſe ſenes deliros, ſed qui magis, quàm Phormio deliraret, ſe vidiſſe dixit neminem, quàm tum tu à Senatoribus Venetis caſtigari potuiſſes, quod ad oratoriam laudem filiis ſuis demonſtrandam accitus, ſemet de Reipubl. adminiſtrandæ ratione, & laude ex ea re comparanda auſus ſis admonere? Sed ſit hic in illa tua oratione ſtupor; nunc velim mihi reſpondeas, in quo genere verſetur tua illa dictio univerſa? ſane ſi prudenter, accurateque reſponderis, ad deliberationis rationem dices eam, & conſilii pertinere; ſcite; ſiquidem tu Senatum Venetum de dignitate non optimè ſentientem ad laudem, & ad gloriam adhortaris; at tu rhetorice peritiſſime te ſophiſtarum veſtigiis velle polliceris inſiſtere, qui laudibus ornare Græciam ſoliti ſunt; ſic enim exordiris. „ Gorgias Leontinus, Hippias Eleus, cæterique ſophiſtæ in frequentibus hominum conventibus quæſtiones tractare ſolebant, non in quibus forenſis diſceptatio verſaretur, concionum, & deliberationum, ſed quæ ad vulgi aures accommodatæ eſſent. Itaque aut Græciæ, aut Athenienſium, aut Lacedæmoniorum laudes oratione ſua proſequebantur; hos ego nunc imitor, niſi quod non oſtentationis, & quæſtus cauſſa ad dicendum veni; cupio enim ego vos hodie ad omne officii munus, quod ad gloriam parandam pertinet, inſtruere; proponis ergo primum, te nobilium Sophiſtarum exemplum imitaturum, quorum omnis oratio non in judiciis, & conſiliis, ſed in laudibus Græciæ poneretur, deinde concludis, velle te Senatum Venetum ad omne officii munus inſtruere, eidemque rectiſſimum ad ſolidam, veramque gloriam curſum oſtendere. Ergo adeo vecors es, & ignarus, ut adhortationem pro laude, præceptionem pro commendatione accipias, & cum quid inter utrunque genus interſit, non intelligas, quod in primis, & puerilibus artis dicendi rudimentis continetur, audebis tam inſolenter eo tibi nomine arrogare, & tam elatus inflatuſque omnia Italiæ Gymnaſia peragrare? quanquam quid miramur, te quid potiſſimum in tuæ artis præceptis inveniatur, neſcire, cum quinam ipſe ſis, adhuc tecum conſtituere non potueris? negas, te Sophiſtam eſſe; cur? quia illi, inquis, oſtentandæ eloquentiæ cauſſa docuerint, ego juventutis Venetæ juvandæ gratia ad hanc orationem accedo; at quo modo te ipſum magis oſtentare, ac venditare inſolentius poteras, quam cum non rogatus, alieno tempore, non idoneo loco, quibus non debebas, quod non oportebat, conſilium afferebas? tu ne juventutis ſtudiis illa oratione opitulari cupis, quam nunquam appellas, quam abeſſe ab illa ſolemni concione fingis? vide ne major multo hæc tua, quam eorum quos reprehendis, ſophiſtarum arrogantia fuerit; illi enim vulgarem multitudinem inducere, tu principes civitatis ſpecie ſapientiæ fallere vis, illi juvenes imperitos allicere, tu te ſenibus ſapientiſſimis oſtentare; & addis, ſophiſtas quæſtus cauſa, te Venetorum benevolentiæ gratia profiteri; nec meminiſti, cum te Piſis Venetias, Patavio Bononiam contuliſti, nihil aliud te, quàm mercedis & præmii ſequutum magnitudinem eſſe; quid enim erat, cur tu nobiliſſimam illam Piſanæ Academiæ celebritatem relinqueres, & te Venetias ad pueros, ſic enim eos vocas, inſtituendos reciperes? Venetorum ſcilicet principum gratia; facilè crederem, niſi te haud ita multo poſt ex Patavino eorum gymnaſio præſtantiſſimo ad Bononienſes majorem quandam mercedem oſtentantes accurriſſe, veniret in mentem; quid? quod adeo inſolens es, ut te non modo ſophiſtam, ſed etiam rhetorem eſſe pudeat confiteri, & te Senatorem quendam primarium haberi, non dicendi artificem cupias? ſic enim ais in exordio eodem: „ Audietis me non tanquam unum, qui è rhetorum ſchola, atque officina prodierit, ſed amantiſſimum veſtri; optime, medius fidius; quaſi vero qui rhetorum è ſcholis proficiſcantur, ii Veneto omnes nomini ſint infeſti, & qui doctrinam artemque ad dicendum attulerit, idem ſtudium, ac benevolentiam ad conſilium Veneto Senatui dandum afferre non poſſit; ſcilicet tu homo ſagax, qui tales ſententias apud Ciceronem legiſti in ſummorum Senatorum Antonii, Craſſique perſona diligenter expreſſas, qui nimium iſtud eloquentiæ & ornatæ, copioſæque orationis ſtudium occultabant, quod in tanta dignitate viris non magnopere probaretur, tu rhetorici magiſtri perſonam abjicies, Senatoris aſſumes? & cum tu rhetorici magiſtri perſonam abjicies, Senatoris aſſumes? & cum tu rhetorico more de dicendi vi, atque oratoris officio præcipere debeas, de conſervandæ patriæ, & libertatis tuendæ laude more Senatorio diſputabis? Senatorio more? utinam ſaltem fingere animo, ac tacitus mente, & cogitatione depingere tantam dictionis formam, & conſilii potuiſſes, quid enim à Senatoria gravitate eſſe tam alienum poteſt, quam cum de Senatoris gloria locuturus ſis, exordium tantæ cauſæ à trita illa ſophiſtarum conſuetudine, & ſubtili generum, & ſtatuum diſputatione, ab Ariſtotelica, & Tulliana de ſtatibus obſcura ſententia recitanda deducere? quod cum tu facis nemo eſt, qui te non tanquam gravem Senatorem, qualis videri vis, ſententiam dicere, ſed tanquam ludi magiſtrum nobilem ad pueros ſolito magnificentius agentem audire ſibi videatur. Sed enim hæc tua ab omnibus jam pridem itriſa verba. Gorgias ille Leontinus Hippias Eleus, cæterique à veteribus ſophiſtæ dicti, qui oſtentationis, & quæſtus cauſa de omnibus rebus profitebantur ſe copioſe, & ornatè loqui poſſe, in magno illo quinquennalium ludorum apparatu, aut in theatro aliquo ampliſſimo, & celebritate hominum refertiſſimo quæſtiones non quidem perdifficiles, & perobſcuras de deorum natura, ſint ne dii, nec ne ſint, aut ſi ſunt, quales ſint, & an rebus humanis conſulant, mundumque adminiſtrent; nam hæc commodius in ſcholis Philoſophorum apud ingenioſos, & ſolertes naturæ indagatores, qui ſeſe totos contemplationi maximarum, cœleſtiumque rerum dediderunt, tractantur; neque eas, in quibus forenſis diſceptatio eſt judiciorum, & deliberationum, atque controverſia facti, & juris; ſed quæ ad vulgi aures eſſent accommodatæ, populariumque animos delinire poſſent, aut ab aliis poſitas, aut à ſe inventas tractare conabantur. Aut igitur Græciæ totius, aut Athenienſium, Lacedæmoniorumve tantum, aut aliorum populorum oratione ſua laudes proſequebantur. Quare non injuria cum in

A illorum orarionibus nulla extaret quæſtio, quæ cauſſam inter duos altercantes conſtitueret, neque judex ullus eſſet, qui de iis rebus, quas loquebantur, ſententiam ferret, multi cenſnerunt, non ab arte quidem excludi debere; (nam illud dicendi genus, quod in laudibus, vitiiſque perſequendis verſatur omnium eſt maxime artificioſum.) ſed inter genera illa prima non eſſe collocandnm; in qua ſententia videtur etiam Cicero fuiſſe; nam ubi M. Antonium clariſſimum oratorem de arte loqnentem facit, multis verbis græcos magiſtros reprehendit, qui ad genus peculiare etiam Theatrales illas quæſtiones redigere voluerunt. Quamvis Ariſtoteles ipſe vir ſummus in omni diſciplinarum genere, qui ſuo B ingenio non modo ab aliis inventas artes expolivit, ſed etiam nondum inventas excogitavit, cenſeat, quæſtiones eas, quod proprium habeant & locum, & auditorem, & tempus peculiari genere, ac ſeparato ab aliis duobus concludi debere. Illos igitnr rhethores ego hoc tempore potiſſimum ſequi etſi videor, hoc tamen differt inter meam, & illorum orationem, quòd non oſtentationis cauſſa, ſed ſtudio juvandi juventutem hanc, & meæ præclaræ erga vos benevolentiæ ſignificandæ, nec quæſtus gratia, illius inqnam turpis, ac illiberalis, ſed honeſtiſſimi cujuſdam lucri aviditate ductus huc ad dicendum veni. Nam ſi C hodie veſtrum amnrem, ac gratiam dicendo fuero promeritus, ac intellexero à me non quidem pecuniam, ſed quæ omni pecunia mihi carior eſt, aliquam veſtri inſtitutionem lucrifactam, divitem me, ac perbeatum putabo. Cupio enim ego vos hodie ad omne officii munus, quod ad gloriam parandam pertinet, inſtruere. Verum ego, qui verebar, ne mihi ad dicendum ulla eſſet propoſita quæſtio, video omnium maximam eſſe jam conſtitutam cauſſam, non quidem forenſem, ac clamoſam, in qua ulla ſit altercatio futura cum adverſariis neque in qua vos judices de fortunis, aut capite alterius ſitis, ſed in qua vobis concertatio ad virtutem, & gloriam D proponitur, & in qua ſit deliberandum, malitis ne cum deſidia turpiter, an cum labore honeſtè vivere; in qua demum de vobis ipſis ferenda eſt ſententia, de veſtro capite, de veſtris fortunis, de veſtra gloria judicandum. Audietis igitur me attentis animis, obſecro, non quidem tanquam nnum, qui è rhetorum ſchola, atque officina prodierit, ſed tanquam hominem veſtri amantiſſimum, vobiſque deditiſſimum, non diſertum quidem, & doctum, ſed cupidiſſimum veſtræ laudis. Dicturus enim ſum hodie. Quæ vera ſolidaque ſit gloria, & qua ratione, quibuſque adjumentis Senator Venetus in Rep. adminiſtranda hanc conſequi poſſit. Magnum eſt ſanè, de quo E profiteor Patres clariſſimi, me verba facturum, &c.

Non progrediar longius; neque enim vereor ne ſi tam turpiter in ipſo veſtibulo cauſſæ, ac prope limine orationis offendiſti, te in ipſius tractationis curſu multo fœdius labi potuiſſe, concedas. Venio nunc ad alteram orationem tuam, in qua omnes tui ingenii, & eloqueotiæ tuæ contendiſſe nervos exiſtimaris. Hæc eſt, in qua tn Imp. Cæſarem Carolum V. mortuum rogatu Hiſpanorum Bononiæ in eorum collegio collaudaſti, quæ cauſſa cum ſit ejuſmodi, ut merito quemvis etiam indiſertum, atque ab eloquentiæ ſtudio alienum, ad dicendi laudem rerum, de quibus agitur, amplitudine facile poſſit excitare, à te tamen ita acta, ita tractata eſt, ut tu quæ illuſtriſſima erant, actionis deformitate prorſus obrueris, quæ ampliſſima, ac prope omnium maxima, ſcriptionis fœditate labeſactaris; neque enim credo adhuc oblitus es, cum tibi dicere incipienti mens, ut imbecillo puero effluxiſſet, atque oratio ea, quam tu domi comparaveras, excidiſſet, pauca te tantum quædam de re tanta, ac prope intermortua verba feciſſe, eaque tam abſona voce, atque abſurda pronnnciaſſe, ur in communi omnium, qui aderant, dolore concio etiam Hiſpanorum frequentiſſima riſum continere non poſſet; meritò; quis enim aut tam ſpectata ætate virum; & tanta copia, ac facultate oratorem in concione ſingula verba quærentem, atque identidem ipſum ſe revocantem, aut tam vaſtum, & tam inconditum hominem fletum in re graviſſima ſimulantem ſine riſu poſſet audire? hoc quidem conſtat, Hiſpanos juvenes prudentiſſimos laudationis ejus exitum intuentes ſæpe tum conſilii ſui pœnituiſſe, qnod ad res geſtas, ad victorias, ad triumphos Imperatoris, Regiſque omnium maximi, atque fortiſſimi celebrandas non quencunque potius ex obſcuriſſimo ludo magiſtrum, quam te rhetoricum, ut tibi uni videris, omnium principem advocaſſent. Itaque cum tu nemini te placuiſſe ſentires, ſcriptam laudationem accuratius, ac diligentius edidiſti à quo utinam abſtinuiſſes; neque enim quiſquam extitit, qui eam legerit, quin te ab omnibus, qui tum ad Imp. Carolum laudandum ingenii, induſtriæque ſuæ facultates, & copias contulerunt, quos multos conſtat fuiſſe, longe & verborum ſplendore, & doctrinæ elegantia, & ſententiarum amplitudine, atque omnino omni dicendi laude judicaverit ſuperatum. Rides, & me fingere putas? conſideremus quæſo primum exordii illius tui caput, ut ex eo de reliquo orationis corpore univerſo judicium facere poſſimus. Tu de laudibus Imperatoris Caroli verba facturus, maxime te naturæ ad dicendum ornatum, & inſtruſtum eſſe præſidiis optas; atque adeo hebeti, & obtuſo ingenio es, ut quam multa in hac ſententia inſint vitia, non ſentias? primum enim quam deforme, atque indecorum eſt, ſummum artificem, atque in dicendo prope perſectum hominem, & ſingularem videri; in exordienda oratione incommodo ejnſmodi aliquo perturbari? at ejuſmodi ſæpe, inquies, exordia conceduntur; non nego; ſed pueris, ſed parum in ejuſmodi muneribus dictionum exercitatis, non iis, quos exquiſita doctrina, quos flagrans ſtudium, quos uſus prope dicendi quotidianus ad omnem cauſſam pro dignitate tractandam ſatis armare, atque inſtruere potuiſſe videantur; itaque optatio illa ingenii, & eloquentiæ, cum te maximo rhetore indigna fuit, tum vero ita aſſiduo omnium uſu, & communi conſuetudine vulgata, & trita eſt, ut jam etiam in indoctis, & rudibus hominibus juſte reprehendatur; deinde vero, quam illud etiam irridendum eſt, quod à natura tibi ad laudandum tribui adjumenta optas, perinde ac ſi à natura minus inſtructus, paratuſque ad dicendum acceſſeris, non etiam huic ſatisfacere cauſſæ ſtudio, & exercitatione poſſis? quæ duo in te eſſe poſtea ſumma confiteris; præſertim illo loco, cùm ais; non ſperare te poſſe Hiſpanis perſuadere, non tantam eſſe in

te

te vim dicendi, & exercitationem, ut de Imp. Caroli eximia virtute, ac ſingulari præſtantia aliquid in medium afferre poſſis, & cùm poſt addis: non inficiari, te multum, diuque in hoc genere dicendi eſſe verſatum. Qui enim tantum ſibi tribuit, ut ſe alteri poſſe perſuadere deſperet; quin ipſe arte, uſuque ad res omnium maximi, clariſſimique Imperatoris, quæ gentes jampridem omnes clariſſima cum victoria peragrarunt, pro dignitate ornandas maxime aptus, atque idoneus ſit, cur hic naturæ præſidia maxime, atque adjumenta deſideret? ſed hæc tamen ego putarem eſſe tolerabilia in eo præſertim, qui ſe non bene dicendi, ſed bene diſſerendi arti vehementius ſtuduiſſe videri velit; verum angor in primis, (B) atque perturbor, cùm à te ea dici ſentio, quæ ne à ſubtiliſſimis quidem, & acutiſſimis dialecticis intelligi queant; ſic enim ordiris: „Uti-
„ nam viri Hiſpani tantam mihi ad dicendum
„ facultatem natura largita eſſet, quanta ad Imp.
„ Carolum laudandum requiritur; quia ſpera-
„ rem me vobis ſatisfacturum; ac ſicut ab ini
„ tio me à vobis rogari non ſum paſſus, ſed
„ operam vobis meam libenter detuli, ſic nunc
„ non modo veſtræ opinioni de me conceptæ,
„ ſed nullius prorſus dubitationi locum reliquiſ
„ ſem, ne par tanto oneri ſuſtinendo eſſe poſ
„ ſem; quid eſt enim hoc extremum? ſic nunc
„ non modo veſtræ de me conceptæ opinioni,
„ ſed nullius prorſus dubitationi locum reliquiſ- (C)
„ ſem; ne par tanto oneri ſuſtinendo eſſe poſ-
„ ſem? an, utinam ſicut ab initio veſtræ volun-
„ tati libenter parui; ſic nunc veſtræ de me
„ conceptæ opinioni reſpondere poſſem? ſi hoc vis, quo pacto hanc tuæ notionem mentis explicuiſti, cum dicas; opinioni veſtræ locum reliquiſſem, & quæ ſequuntur; quis ita loquutus eſt unquam ſive orator, ſive dialecticus, ſive juriſperitus? an vero tu hunc eloquentiæ fructum, atque prudentiæ putas, ea dicere, quæ nemo ſanæ mentis intelligat? an ad laudandum maximum Imperatorem, clariſſimumque Regem accedens aliquam te tui expectationem tanta ſententiarum prope caligine commoturum exiſtimas? erras, ſi dictionis laudem in obſcuritate reponis; (D) falleris, ſi te lucem virtutibus ſummi herois tantis orationis tenebris te poſſe afferre arbitraris. Quod verò multo minus ferendum videtur, ais te ſummo teneri deſiderio, quales Caroli laudes, quamque veræ ſint, probandi; proponis videlicet, te velle Caroli laudes probare, nec meminiſti, Ariſtotelem hujus prope artis parentem clariſſima voce nos admonere, ne qui ad laudandum ſe conferunt, de rebus geſtis confirmandis cogitent, ſed certas actiones, & omnium teſtimonio comprobatas accipiant, in iiſque augendis, atque ornandis ſtudium omne ſuum, & diligentiam ponant; neque enim de facto, ſed de magnitudine, & honeſtate facti in (E) exornatione contendi; quod ſi quis forte id ſibi faciendum putarit, ei præcipere, ut rebus incognitis, & obſcuris, non notis, ac teſtatis hanc confirmationem adjungat; tu vero cum Caroli laudum veritatem te probaturum oſtendis, quæ orbem terrarum univerſum magnitudine ſua complexæ merito in ore, in oculis, atque in manibus ſunt omnium, ac fuerunt, cùm à monitis præclaris diſcedis ſummi artificis Ariſtotelis, tum maximam inſigni viro injuriam, & illuſtri heroi in primis facis, ut cujus te longe, lateque diffuſas laudes augere longa oratione oportet, eas uno verbo ita extenues, ut prope ad nihilum redigas, cum earum quaſi ignotarum, ac dubiarum te pollicearis veritatem eſſe demonſtraturum. Quæ ut vitia omnia cum aliis eluceſcant, verba tua, quæſo, pulcherrima recitemus.

Utinam viri Hiſpani pro mea ſumma erga Imper Carolum, univerſamque Auſtriam domum obſervantia, atque incredibili deſiderio, quo ardeo, illius laudes veſtro juſſu pro concione omnibus his, qui adſunt, recenſendi, ac quales, quamque veræ ſint, probandi, quantam & ego intelligo mihi temporis cauſſa eſſe opus, & res ipſa requirit, tantam mihi copiam, & facultatem dicendi natura eſſet largita; ſperarem enim me talem hodie de re propoſita habiturum orationem, quæ vobis omnibus ſatisfaceret; ac ſicuti ab initio neque hortari vos me, aut orare ſum paſſus, quod eram ſponte mea propenſus ad præſtantiſſimi hujus Imperatoris memoriam recolendam, & virtutes, quarum per tot annos fama apud nos percrebuit, celebrandas, atque operam meam, ac diligentiam vobis amanter in ea re detuli, ſic nunc veſtræ non modo de me conceptæ opinioni (nimium enim vos honorifice de me ſentire animadverti) ſed nullius prorſus dubitationi locum reliquiſſem, ne par tanto oneri ſuſtinendo eſſe poſſem. An vero, quæ demonſtravi in his verbis vitia, ſunt ſatis? minime vero; primum enim illud eſt parum ſcite; quod in prima Caroli mentione, Imp. tantum Carolum nominas, antiqui ſcilicet moris ignarus, quo Imperatores dignitatis ergo Cæſaris nomine ornabantur; deinde, quod Imperatorem tantum appellas, perinde ac ſi ad Germanos orationem habeas, quorum ille eſt Imperator, non ad Hiſpanos, qui te audiebant, quorum ſi auribus ex arte ſervire velles, Regem veſtrum adjungere deberes; mitto, quòd ita loqueris, ut Carolum viventemne, an mortuum laudaturus ſis, non aperias. Nam illa; pro mea ſumma erga Imper. Carolum, univerſamque Auſtriam domum obſervantia, cui riſum prudenti merito non moverent? ſcilicet quo verbo obſervantiæ in quotidiana familiaritate, & uſu communi nos inter nos humiles homines utimur: id tu ad eum virum transferes, quo nemo major, nemo omni virtutis gloria illuſtrior unquam fuit? quid eſt aliud obſervare, quàm clientis more patronum domo deducere, domumque reducere? hoc igitur tam leve officium tu homo abjectiſſime te principi terrarum ais præſtitiſſe, & quod graviſſimo pietatis verbo nequaquam ſatis exprimeres, id tu obſervantiæ leviſſima voce ſignificabis? neque vero ad hunc tu ſemel lapidem offendiſti; quid? non eodem vocabulo Ducem Florentinorum Coſmum in Epiſtola quadam es affatus? Affero, inquis, tibi maxime Dux pro meo officio, ac ſumma obſervantia, qua me tibi maximis beneficiis, & liberalitate perpetuo devinxiſti, Ariſtotelis de Arte poëtica librum; quo loco quæro illud etiam homo diſertiſſime de te, quid voluiſti, cum dixiſti: Pro obſervantia, qua me tibi maximis beneficiis devinxiſti? quam quæſo obſervantiam intelligis, tuam ne erga Ducem, an Ducis erga te? ſi tuam erga illum, quo pacto Dux te ſibi devinxit beneficiis ſuis obſervantia tua? ſi Ducis erga te; vide quid dicas; neque enim adduci poſſum, ut credam, te à tanto Duce obſervatum eſſe, quamvis ſis magnus. Vides ergo, ut obſcuritate nimia delecteris, qua non modo epiſto-

lam

lam illam, ſed etiam orationem hanc egregie maculaſti; nam cum ais, pro mea erga Carolum univerſamque Auſtriam domum obſervantia, & addis, atque incredibili, quo ardeo, illius laudes recenſendi deſiderio, dubitationem affers, Caroli ne, an Auſtriæ domus laudes recenſendi deſiderio flagres; quod ſi, illius mortui, dixiſſes, multas difficultatum ſalebras, in quas imprudens incurriſti, vitaſſes; nam quid dicam de hujus totius comprehenſione periodi? quæ eſt duabus inæqualibus partibus, altera longiſſima, altera breviſſima inſuaviſſime conſtat; prior eſt hæc. Utinam viri Hiſpani pro mea ſumma erga Imp. Carolum, univerſamque Auſtriam domum obſervantia, atque incredibili deſiderio, quo ardeo, illius laudes veſtro juſſu pro concione omnibus his, qui adſunt, recenſendi, ac quales, quamque veræ ſint, probandi, quantam & ego intelligo mihi temporis cauſſa eſſe opus, & res ipſa requirit; altera vero hæc, quæ cum prope par eſſe deberet, duobus tamen tantum prope verbis incluſa eſt. Tantam mihi copiam, & facultatem dicendi natura eſſet largita; quod ſi tu dixiſſes. Tantam mihi cum natura dicendi copiam, ac facultatem attuliſſet, tum ipſe diuturno ſtudio, atque exercitatione quotidiana conſequi potuiſſem, tu multa orationis incommoda, quibus afficeris, prudentiſſime declinaſſes. Jam vero quod ſequitur? Sperarem me de re propoſita talem habiturum orationem, nonne ſcholæ humilitatem undique olet? etenim cum de Caroli laudibus, virtutibuſque, dicere debuiſſes, de re propoſita, quomodo declamandi magiſtri loquuntur, dixiſti; quod vero ſubjicis. Quæ vobis omnibus ſatisfaceret, quam leve dii boni, atque abjectum? præſertim vero cum de Hiſpanorum cupiditate ſupra nihil dixeris; at quanto gravius, ac magnificentius ſi, Quæ tantæ virtutis magnitudini reſponderet, aut, qua tanti Imperatoris laudes facile conſequerer, dixiſſes: Non dicam plura; ſic enim concludo, nullum ex his verbis eſſe, quod non ineptum, non leve, non vulgare, non ambiguum, non alienum, non imprudens, & ne in puero quidem imperitiſſimo ſatis ferendum eſſe videatur, ut facile exiſtimare omnes poſſint, qualis ſit ea oratio futura, cujus principium, adeo titubet, & ex omni parte vacillet.

Hunc igitur talem tantumque oratorem, adeo afflicta res Italia eſt, o Tranſalpini homines, ingenii, & eruditionis gloria præter cæteros abundantes, hodie in Italia unum habemus, hunc unum admiramur, hunc unum colimus. Hunc Piſæ, hunc Bononia, hunc Patavium expetunt, ſibique depoſcunt, hujus eloquentiæ, & doctrinæ fama commotos credimus, atque adeo pro certo habemus, vos Polonos, Germanos, Gallos, & quicquid eſt trans alpes ingeniorum, huc ſe ſe repente in Italiam effuſuros. Hic ſe unum apud vos celebrari, coli, amari ipſe ſibi perſuaſit, atque ea propter adeo ſuperbe, & arroganter incedit, ut reliquos omnes pueros, indiſertos, & rudes appellet, atque à pari ſuo ad ſcribendum invitatus, aut nihil, aut contumelioſè, arroganterque reſpondeat. Etenim, ne forte erretis, atque qui liber Conſtantii Chariſii nomine ſcriptus eſt, cum à Conſtantio, qui nuſquam terrarum reperitur, Robortello inſcio, aut invito, ſcriptum, atque editum eſſe exiſtimetis, ut quibus, quæ hic omnium teſtimonio patent, vobis inaudita, atque obſcuriſ-
A ſima ſint, ſcitote hujus tam fœdi, & prodigioſi partus Franciſcum Robortellum parentem fuiſſe, hominem prope ſexagenarium, ea corporis proceritate, & membrorum vaſtitate, & capitis, manuum, pedumque magnitudine præditum, ut Polyphemum ipſum, cujus venenum expuit, & virus evomit, eſſe credideritis, quo nomine à pleriſque noſtrum, vulgo quidem, ſed clam præ metu muſſantibus appellatur; teſtor Petrum Maciolenum, Rectorem hujus gymnaſii meritiſſimum, Felicem Paciotum Urbinatem, juvenem, non tam doctrina, quàm prudentia, ac morum ſanctitate clarum, Æneam Vicum Parmenſem, hominem certum & de antiquitate Romanarum
B bene meritum, qui mihi hujus nomine omnes ſpoponderunt, ſi cum eo redire in gratiam vellem, eum ſcriptum hoc tam ex omni parte fœdum, & tam fœdo cyclope dignum, quod typis impreſſum ſupprimebat, non editurum; quibus, ut ipſi ſciunt, me gratiam tam turpis monſtri tali mercede nunquam redempturum eſſe reſpondi; eumque, quod è fide dignitateque ſua videretur, ut faceret juſſi; teſtor denique iſtum ipſum Robortellum, qui in ea epiſtola, quam Conſtantii nomine ſcribit, imprudens ſe ipſum prodit, cum ait: Hæc certiſſima fuerit ratio Sigonium refellendi, ſi Onuphrium, à quo ſe laudatum ait, à me non diſſentire demonſtravero; cum enim,
C à Robortello, ſi Conſtantius loquitur, dicere deberet, inquit, à me; à me inquam hujus tam præclari meæ temperantiæ, modeſtiæ, doctrinæ, & eloquentiæ monumenti auctore, atque ſcriptore.

Defenſionis initium.

VEniam nunc ad ea refutanda, quæ tu in me Robortelle defendendæ ſententiæ tuæ gratia protuliſti, ſi ante multiplicem defenſionis tuæ rationem omnibus ante oculos propoſuero; ut ex hoc uno, quemadmodum hæc tu tractare ſtudia per didiceris, omnes apertiſſimè diſcant. Una hæc eſt tua ratio,
D ut in quo ego te coarguam, id te non ignotum habuiſſe, ſed quaſi tuam, non meam cauſſam agas aſtutè multorum præterea veterum, ut id cognoviſſe videare, auctoritate confirmes; quam rationem ego brevi notabo, ne qui, quod à te confirmari videat, id à me fortaſſe negatum exiſtiment; altera eſt, ut, quod ego negem, ipſe comprobare omittas, ſed aliud neſcio quid ei affine confirmes; cui ita occurram, ut te quod probandum fuit præteriiſſe, quod prætereundum, probaſſe oſtendam; tertia eſt, ut ſi quid ad præſentem controverſiam aliunde traduci poſſit, id ornes, de re vero nihil dicas, quam ipſam riſu tantum illudam; quarta, ut omnia fere veterum
E Juriſconſultorum ſcriptis, quo hanc etiam artem aſciviſſe videaris, corrobores; ad quæ, quia ad rem noſtram non judico pertinere, nihil dicam; nos enim de Cæſaris, & Reipublicæ fere temporibus diſputamus; in libris autem Juriſconſultorum pauca Reipublicæ inſtituta, plurima Imperatorum traduntur nam ubi à commentariis quibuſdam, qui ad XII. tabulas, & leges Antiniam, Furiam, Flaviam, Corneliam, Juliam, & de jure paucorum quorundam magiſtratuum ſcripti ſunt, diſceſſeris, nihil fere invenias, quod Reipublicæ ipſius tempora, niſi ſimilitudine quadam attingat; de quibus legibus nullam inter nos

video

video eſſe contentionem; opiniones autem Juriſconſultorum afferre, cum tituli rerum omnium omnibus ſint in promptu, & omnia indicibus, quos tu ſolos evolvis, ſint refertiſſima, adeo expeditum, & facile eſt, ut quivis vel mediocri ingenio præditus, non triduo, ut Cicero, ſed tribus horis, talem Juriſconſultum, qualis tu es, ſe futurum facile profiteri poſſit; qua in re te arrogantiſſime venditas, cum omnia ab amico tuo, ſummo Juriſconſulto acceperis; quinta, ut cum veteribus teſtimoniis egeas, Onuphrium Panvinium amicum meum, aut Budæum ſumma auctoritate virum mihi opponas; quos, ut homines quietos, & ſedatos, in has tricas admiſcendos non puto; ſexta, ut ſæpe convictus errati culpam in librarios conferas, qui aut dies pro diebus ſcripſerint, aut duo verba præterierint, aut totidem addiderint, aut verſus conjunxerint, quam ego ut inanem defenſionis, & ridiculam rationem, merito irridebo; ſeptima, ut conviciis, contumeliiſque omnia obſcures, & lectoris mentem in quæſtionem intentam alio ſtatim traducas, ut vix attentiſſimus aliquis ex tanto cœno, atque ex tanta rerum colluvione eruere, quid velis, poſſit; quas contumelias ſi quis medius fidius una cum diſputationibus alieniſſimis ex tuo dempſerit commentario, vix juſta reſponſionum pagella reperietur, quam ego tamen inanem, & commentitiam, & ne deliræ quidem aniculæ lucubratione dignam oſtendam; nunc ad rem.

Objicis primum, quod te reprehenderim, qui vitam populi Romani in octo capita diſtribueris; meque contra accuſas, quod ad eam diſtributionem oppugnandam nihil quaſi machinarum attulerim; cui ego reſpondeo, me ne tacite quidem in eo te genere arguere voluiſſe, mirarique valde, unde hoc tibi in mentem venerit ſuſpicari, aut quodnam tu de meis verbis reprehendere poſſis, cum ſcripſi: Robortellus, qui omnem vitæ populi Romani rationem in octo capita diſtribuit: ſed tamen iſti tam honeſtæ tuæ voluntati (hoc enim ſummopere cupere mihi videris) pro amicitia noſtra libenter morem eſſe geſturum, ut eam diviſionem evertam. Dico igitur, cum tu vitam populi Romani in octo hæc capita diſpertiveris, Poteſtates, Forenſia, Sacra, Colonias, Leges, Militaria, Conſuetudines, & Familias, parum acute in hac diviſione verſatum eſſe; quia qui attentius eas partes conſideraverit, cum incredibilem earum inter ſe confuſionem deprehenderit, tum facile earum etiam alias deeſſe; alias ſupereſſe cognoverit. Quod, ut apertius explicem, ante quo pacto ego vitam populi Romani, ut nunc quidem venit in mentem dividerem, demonſtrabo. Ego ſi mihi vitam populi Romani forte deſcribendam proponerem, quandoquidem vita actio quædam eſt, duplicem eam conſtituerem, publicam, & privatam; ac publicam quidem poteſtatibus urbanis, & peregrinis contineri exiſtimarem, quarum urbanas dividerem in ſenatum, populum, magiſtratus urbanos, judices, & ſacerdotes; peregrinas vero in magiſtratus provinciales, & imperatores; ad ſenatum ſenatuſconſulta, ad populum leges, ad magiſtratus edicta, ad judices judicia, ad ſacerdotes ſacra, ad provinciales magiſtratus, atque imperatores ipſam provinciarum adminiſtrationem, & rem totam militarem referrem; & reliqua ejuſmodi alia, ut ad eo-

A rum cujuſque jus pertinerent; ad privatam autem vitam rei domeſticæ rationem adſcriberem, familiæ diſciplinam, victum, cultumque, ſepeliendi morem, artes denique urbanas omnes, ac ruſticas, & quæ ſunt generis ejuſmodi; neque enim nunc occurrere fortaſſe omnia ſubito ſcribenti poſſunt; atque ita nullas partes ſupervacaneas futuras, nullas defuturas exiſtimarem; quibus vitiis prorſus tua cumulata diviſio eſt; in primum enim caput poteſtates te ais conferre, quæ ſint in urbe, & extra urbem; neque alias complecteris, quam ſenatum, populum, magiſtratus urbanos, & provinciales; judices autem removes, & ſacerdotes; quaſi hi aut nullam in urbe
B habeant poteſtatem, aut ſi ſeparatim fuerunt tractandi, non eadem quoque ratione ſenatus, populus, & magiſtratus urbani, provincialeſque ſeorſum potuerunt tradi; nec vides hoc pacto, caput, quod de coloniis, municipiis, & provinciis inſcribis, ſupereſſe, cum ad poteſtates peregrinas redigi poſſit; caput de legibus prætermitti poſſe, cùm leges, & conſtitutiones omnes ſint vel ſenatus, vel populi, vel alicujus poteſtatis earum, quas commemoravimus; ſenatuſconſultum enim fit à ſenatu, referente magiſtratu, lex jubetur à populo, rogante aliquo magiſtratu; quin etiam caput de rebus militaribus reduci ad magiſtratus provinciales, & ad imperatores licebit,
C quod iis mandata eſſet tota res bellica, & militaris. Privata vero vita, quam tu in duas partes tribuiſti, conſuetudines, & familias, in multo certe plures eſt partienda; aut enim uno conſuetudinum nomine complecti omnia debes, aut ſigillatim partes omnes enumerare, neque genere, & ſpecie una, ut feciſti, contentus eſſe; quo nihil fieri poteſt abſurdius.

Quanta autem in omnibus his confuſio ſe oſtendat, hæc indicant, quæ ſequuntur; in capite de magiſtratibus impingis primo verbo, cum ais: Senatores, & patricii ducebant uxorem ex familia equeſtri; quia hoc ad caput familiarum pertinebat; neque enim connubia ordinum inter ſe ad ſenatum pertinent, ut ad
D poteſtatem Reipublicæ publicam, ſed ut ad familias civitatis; item illud eodem capite: Conſulares, & triumphales viri, cur ad poteſtates refers, & non ad familias potius inter ſe dignitate diverſas? illud autem: Petentes triumphum non ingrediebantur urbem, poteſtates item non attingit, quas illo capite perſequeris, ſed rem militarem; eſt enim rei bene geſtæ præmium triumphus.

In forenſibus item mirè turbas omnia; forenſia, credo, vocas judicia per prætores, & judices facta in foro; nam populi judicia ad poteſtates aperiè rejicis; turbas autem, cum in eo capite reponis hæc: Publicani, quod nimis magno conduxiſſent vectigalia,
E remiſſionem petebant; item: Publicani tertia mercedum parte relevati ſunt. Qua enim hæc, quæſo, ex parte forum; & judicia attingunt? nam cum publicani vectigalia conducant à cenſoribus petant relevationem à ſenatu, impetrent à populo, quod negocii habent cum judicibus, quid cum ſubſelliis, quid cum foro? Quæ ſubjicis item de proſcriptorum liberis ad honores admiſſis, de novarum tabulis expectatione ſublata, & quibuſdam aliis, quæ acta ſunt à Cæſare dictatore legem ad populum ferente, profectò ad populum potius, & magiſtratus ſpectant, quam ut tu putas, ad judices. Addis etiam de haſtæ auctionibus,

A quæ nihil ad forenſia judicia, ſed ad cenſores, quorum erat, haſtæ publicæ, & auctioni præeſſe. Quod item multatum Cæſarem ſacerdotio à Sylla ad forenſia refers, parum mehercule proſpicis; non enim judicium illud à judicibus factum eſt, ſed à populo, ut inquit Vellejus lib. II. Ex his paucis credo te intelligere poſſe, quod velim, cum te confudiſſe omnia dico; neque enim cuncta, quæ innumerabilia ſunt, perſequi in animo eſt, cum, ſi vere dicam, nihil ſuo loco poſueris; quod miror aliquando, cum tu XXIV. annos docueris, & vir, ut ais, inſignis, & eruditus, &, ut uno nomine dicam, Robortellus ſis; quo quod fingi, dii boni, poteſt majus?

B Præterea verò cum ſcripſerit Svetonius, Cæſarem annos XVII. agentem Coſſutiam duxiſſe ex familia equeſtri, tuque ex eo loco collegeris, Senatores duxiſſe uxores etiam ex familia equeſtri, admonui te eo nomine, quod ex his Svetonii verbis nihil, quod ad Senatores pertineret, elici poſſet; præſertim verò cum Cæſar nec Senator tum eſſet, neque eſſe per ætatem poſſet; tu vero, qui probare debuiſti, aut Cæſarem tum Senatorem fuiſſe, aut quamvis Senator non fuit, tamen de Senatoribus locum illum intelligi oportere, de hoc ne verbum quidem; verum, ut aliquod dicere videare, generalia te quædam ais ex ſingularibus excerpere voluiſſe, & quia, ut C ais, Senatores, & Senatorum filii non ex quocumque ordine ducebant uxorem, addidiſſe id obſervationi tuæ, ne quis crederet, Senatores tantum ex ſuo ordine ducere ſolitos, non quod neſcires, Cæſarem Senatorem non dum fuiſſe, aut eſſe non potuiſſe; in quo æquum eſt, mirificum acumen ingenii tui attendere. Nam cum dicas generalia te ex ſingularibus excerpere voluiſſe; non vides iterum, generale illud, quod excipis, nullo modo ex eo ſingulari colligi poſſe; tum enim demum eliceretur, ſi ſcripſiſſet Svetonius, Cæſarem Senatorem duxiſſe Coſſutiam, aut ſi Cæſar tum Senator fuiſſet; at cùm Svetonius de Senatore nihil dixerit, neque tum Cæſar Senator fuerit, D neque eſſe potuerit, & cum tu Senatores, non autem, ut nunc à me admonitus, Senatorum filios repoſueris, quomodo generale hoc ex eo ſingulari educere potuiſti? Nam quod addis, Senatores aut Senatorum filios non ex quocunque ordine, Cæſaris ætate, uxores duxiſſe, neque id aliqua ratione confirmas, omnino ridiculum eſt. Etenim quæro de te, ſi M. Antonius Senator, ut inquit Cicero in Philippicis, libertini hominis filiam in matrimonio habuit, qui libertini in infimo ordine, qui plebis dictus eſt, conſtiterunt, cur non Senatores etiam ex aliis honeſtioribus ordinibus ducere potuerunt? & ſi Cæſar Senatoris filius duxit uxorem ex equeſtri ordine, E cur non ergo ex omni ordine potuerunt? qui ſunt alii ordines præter hos?

Cum item ex iis verbis notaſſes, Patricios duxiſſe uxores etiam ex ordine equeſtri, accuſavi ego id dictum; primum, quia patricius non reſpondet equeſtri, ſed plebejo, deinde quia non ſit novum, patricium ducere equeſtri loco natam; quippe cum tam patricii, quam plebeji poſſent eſſe equites Rom. & patricii tam plebejas, quam patricias eo tempore ducerent; tu vero horum neutrum refutas, quod debebas; tantum negas; patricios equites eſſe potuiſſe; quod ut probes, affers duo genera equitum; unum, ut ais, inſtitutum à Ser. Tullio rege, qui octodecim centurias equitum ex cenſu legit, alterum, ut inquis, inſtitutum à Gracchis, in quo publicani fuerunt; priores equites fuiſſe & patricios, & plebejos confiteris; poſteriores patricios fuiſſe inficiaris; ex his autem fuiſſe M. Ciceronem, Cn. Plancium Pomponium Atticum, & Cn. Pompejum Magnum. Priores autem omittamus, ſunt enim equites illi, qui in exercitu peditibus reſpondebant; nos autem eos equites quærimus, qui in civitate Senatoribus opponuntur. Hos ergo ſecundos equites tu probas fuiſſe tantum plebejos, hoc modo: Qui petebant; tribunatum plebis erant plebeji; equites petebant tribunatum plebis, ut Cn. Plancius, teſte Cicerone; ergo equites erant tantum plebeji; nec vides dialectice acute, ex hoc argumento colligi, equites quidem aliquot fuiſſe plebejos, ſed non omnes; nam ſi minorem ita pronunciaris; equites omnes petebant tribunatum plebis, falſa erit; ſiquidem patricii equites non petebant; ſi dicas, equites aliquot petebant, vera quidem erit, ſed concludes, ex equitibus aliquot fuiſſe plebejos: quod nemo negat. Uteris etiam altero, ut videris, & quidem vitioſiore argumento ejuſmodi: Plancius fuit plebejus, Plancius fuit eques, teſte Cicerone; ergo equites non fuerunt patricii; eſt enim idem ac ſi dicas. Robortellus eſt rerum Rom. imperitus. Robortellus eſt valens dialecticus; ergo nulli valentes dialectici rerum Rom. periti; quo quid dici poteſt ineptius? Hoc modo confirmata ſententia tua meam ita convellere niteris. Ego, ut oſtenderem, patricios equites eſſe poſſe, auctoritatem adhibueram Ciceronis in orat. pro Murena, ubi Sulpicium patricium, eundemque equitis Rom. filium eſſe ait his verbis: Contempſiſti L. Murenæ genus, extuliſti tuum; quo loco ſi tibi hoc ſumis, niſi qui patricius ſit, neminem honeſto genere natum facis, ut rurſus plebs in Aventinum ſevocanda eſſe videatur; pater tuus fuit equeſtri loco, avus nulla illuſtri laude celebratus. Quid ad hæc tu? interpretaris hæc verba, ut dicas, Sulpicium patricium fuiſſe equeſtri quidem loco, vel quia pater ejus fuit ex priore equitum ordine, quem tenuerunt etiam patricii, non ex poſteriore publicanorum, quem obtinuit Cicero, vel quia fortaſſe adoptatus eſt ab aliquo equite Rom. plebejo cum ipſe eſſet patricius. Ad utrumque reſpondeo; primum, Sulpicium ex eodem ordine equeſtri fuiſſe, quo Ciceronem, teſte ipſomet Cicerone; qui ita pergit: Quare ego te ſemper in noſtrum numerum aggregare ſoleo, quod virtute, induſtriaque perfeciſti, ut cum equitis Rom. eſſes filius, ſumma tamen amplitudine dignus putarere; & poſt: Non arbitrabar, cùm ex familia vetere, & illuſtri conſul deſignatus ab equitis Rom. filio defenderetur, de generis novitate accuſatores eſſe dicturos; etenim mihi accidit, ut cum duobus patriciis peterem. Ex quibus apparet, vel repugnante te, Sulpicium eo modo, quo Ciceronem, equitis Rom. fuiſſe filium; quanquam quid Ciceronis teſtimonium quærimus, cùm rationem firmiſſimam habeamus? quæro enim ego de te homo ſapientiſſime, ſi Senator eſt, ut conſtat, qui ex cenſu, & ætate in ſenatum lectus ſit à cenſore; ſi quis patricius ſit, qui cenſum, aut ætatem non expleat ſenatoriam, aut expleat ille quidem, ſed à cenſore in ſenatum nondum lectus

ſit,

ſit, in quo eum ex tribus ordine repoſueris? certè aut in equeſtri, aut in tertio, qui dicitur plebis; præſertim vero cùm Iſidorus etiam Senatorum filios uſque ad certam ætatem equites Rom. fuiſſe teſtetur, Adde, quod Romulus Celeres trecentos, auctore Dionyſio, ex clariſſimis familiis, nimirum ex patriciis legit, quos celeres deinde mutato nomine equites appellatos prodit eodem, quem tu protuliſti, loco Plinius. Quod autem ais, vereri te, ne Sulpitius patricius ab equite aliquo plebejo ſit adoptatus, id totum ab ipſa ratione alieniſſimum eſt; neque enim intelligere videris, ſi Sulpicius patricius à plebejo fuerit aliquo adoptatus, ipſum continuo non patricium, ſed plebejum futurum; ut etiam patricii plebeii fiebant, cùm à plebejo aliquo adoptabantur, quod de Clodio præcipue factum accepimus. Verum fac, patricios equites non fuiſſe, ſed tantum plebejo; quid, an ne novum eſt, ut patricius ducat equeſtri loco natam, id eſt ut tu interpretaris, plebejam? non ne factitatum? non ne vulgatum? cur igitur non dixiſti potius, patricius plebejam, aut ſenatorius equeſtrem, quæ inter ſe opponuntur quam patricius equeſtrem, quæ non opponuntur? Vides ergo, ut mea adhuc reprehenſio integra maneat, neque ulla tua convicia extimeſcat.

Nam quod argumentaris, equites fuiſſe publicanos, ergo non patricios, omnino palmare eſt; quaſi vero omnes equites fuerint publicani; quid enim? Pomponius Atticus non ne eques fuit, & tamen non publicanus? negas? vide, quid de illo ſcribat Nepos; ad haſtam publicam, inquit, nunquam acceſſit, nullius rei, neque præs, neque manceps factus eſt; recte; publicani enim ad haſtam publicam conducebant, iidemque aut mancipes, aut prædes in conducendo fiebant; ſi ergo male concluditur, eques erat, ergo publicanus, quanto vitioſius infertur, equites erant publicani, ergo non erant patricii; atque hæc quidem ad rem. Nunc quoniam more tuo omne tibi litterarum imperium ita vindicas, ut alios propria de poſſeſſione dejicias, quàm juſte id facias, non multum ab inſtituta diſputatione digrediens, demonſtrabo.

Arguis quodam in loco, me quæ de antiquo civium Rom. Italiæque jure ſcripſerim, ex aliorum omnia commentariis deſcripſiſſe, nimirum tacite libros tuos ſignificans, qui te omnia collegiſſe in epiſtola quadam ad Campegium præſulem jactas; in quo ego te glorioſius, quam fortaſſe par eſt, reſpondeo venditare; quod quiſque intelliget, qui aut tua, aut etiam aliorum cum meis ejus argumenti ſcripta conferre, & de utroque commentariorum genere libere voluerit judicare. Miror autem te, qui nova omnia ab aliis poſtulas, nihil in hunc librum contuliſſe, quod aut ego, aut alius aliquis ante non obſervarit. Nam, ne longe abeam, quod ais, equitum duo genera fuiſſe, non ignorare debes, idem à me demonſtratum eſſe in libro de jure civium Rom. capite de equitibus, teque locum afferre nullum, quem non ex meis commentariis ſumpſeris.

Quod inquis, ex Plinii verbis colligi, lege Gracchi judicia ad equites eſſe tranſlata, id ante te plurimi, ſed maxime Paullus Manutius in lib. de legibus tradiderunt. Quod ais, prius equitum genus inſtitutum eſſe à Ser. Tullio, qui XVIII. centurias equitum conſcripſit, falſum eſt, cùm inter omnes conſtet, Romulum tres centurias equitum primum conſcripſiſſe, Ramnenſium, Tatienſium, & Lucerum, & Tarquinium Priſcum ſex, ſub iiſdem tamen nominibus, ut Livius, & Feſtus prodiderunt. Quod item ex Plinii verbis elicis, equeſtrem ordinem alterum inſtitutum à Gracchis, id totum item ejuſdem Plinii teſtimonio falſum eſt qui ait eodem in loco, primum à Romulo Celeres, deinde Flexumines, poſt Troſſulos, demum equites appellatos; atque hoc idem Livii, Dionyſii, Valerii, Zonaræ auctoritate confirmatur, qui equeſtris ordinis, ejus, qui ſenatorio opponitur, ante Gracchorum tempora celebrati meminerunt; quæ loca à me eo, quem dixi, in libro collecta ſunt omnia. Quod probas equites publicanos militaſſe, quid, oro, ad rem, quæ in manibus eſt, pertinet?

Quod concludis equitum familias nobilitate diverſas fuiſſe, id non ſolum à propoſito remotiſſimum eſt, ſed cum ſenatoriis etiam familiis ipſis commune, ut aliæ eſſent prætoriæ, aliæ conſulares. Quamobrem, vide, quæſo, quid egeris, multa tu quidem hoc primo capite collegiſti, ſed ita obſcura, ut non intelligantur, ita à re, qua de agimus, aliena, ut tu laudem doctrinæ non ex collectione, ſed ex confuſione quæſiſſe videare, cum quæ dicenda erant, prætereris, quæ prætermittenda, commemoraris.

7. a.

ORo te Robortelle per XXIV. annos illos totos, quos in omnibus Italiæ gymnaſiis docuiſti, quid in ſequenti capite ſcripſiſti, quo meas reprehenſiones everteres? primum probas, inter patricios, & plebejos modo interdicta, modo conceſſa fuiſſe connubia; quod & ego nunc breviter ſignificavi, & pluribus alias in libris de jure civium Ro. capite de connubiis docui; unde tu iſta tua, quæ tu tantopere admiraris, omnia ſuppilaſti, ut aliquid in hoc genere videre, probas item ſenatoribus interdictum, ne ducerent libertinas, lege Papia; quæ res nihil ad me, qui ne verbum quidem ejus feci ullum. Sed fac, me dixiſſe, ſenatores Syllæ tempore duxiſſe libertinas, an vero ſi tu id refutare lege Papia cœperis, credis, te, quod velis, aſſecuturum? quid enim huc ſpectat lex Papia Poppæa, quæ Auguſto demum imperante eſt lata anno, ut opinor, nonageſimo poſt, quam Cæſar Coſſutiam duxit, unde hæc controverſia dimanavit? & tamen de hac ipſa lege ſcriptum eſt à me, capite de libertinis, multo, quàm à te accuratius.

Reliqua omnia, quæ ex libris Pandectarum profers; huc enim totum titulum de ritu nuptiarum ſine cauſſa refers, ut magni alicujus juriſperiti famam conficias, cùm ne magiſtri quidem tui, ſummi viri animi ſenſum ſatis explicare potueris, reliqua inquam omnia, doce qua parte me urgeant, cùm omnia ſint ætate Cæſaris, qua de agimus, poſteriora, & ſi ſuperiora ſint, me tamen non attingant, qui nihil negarim, ex iis, quæ tibi probanda ſumpſiſti.

Jam vero libertinos deſcriptos eſſe in tribus quattuor, C. Flavium libertini filium fuiſſe ſcribam, Ap. Claudium cenſorem libertinorum filios in ſenatum legiſſe, & libertinos in cauſſis patronorum non torqueri ſolitos, quæ omnia à me uberius tractata ſunt capite de libertinis, in libris de jure civium

Roma-

Romanorum unde tu hæc pauca mutuatus es, *ἰυδ'ὶν πρὸς ἵππον*. Quare nunc demum, quid tui laudatores velint, intelligo, cùm te lectionis hominem eſſe multæ prædicant id eſt, ut ego interpretor, alienæ; neque enim difficile admodum eſt, quamplurima, eaque longe inter ſe diſſidentia componere, & juvenes eo nomine imperitos inducere.

Poſtquam ergo hæc omnia præter rem, ut & ipſe quaſi inter poma natares, ut vulgari eſt in proverbio neſcio quo, effundiſti, tum concludis magnifice in hunc modum: Nunc ſatis eſt refutaſſe indoctum hominem, qui cum ſit nullo judicio præditus, nec videat, quorſum ſpectet meus liber, temerè reprehendit, quæ à me doctè, & prudenter ſcripta ſunt. Scilicet ego nullo judicio præditus Robortelle, quia fœdiſſima tua ſcripta non probo? ego indoctus, quia cornicum oculos, ut dicitur? ego ſtultus, quia me contrectari ab altero Polyphemo, qui mihi prope puero graviſſimum bellum indixit, non concedo? tu doctus, & prudens, quia falſa, & aliena omnia collegiſti?

8. a.

Proponis deinde diſtinctiones Populi Ro. multas, patriciorum, & plebejorum, equitum, & peditum, in claſſes, in ſeniores, & juniores, in trib. in ordines ex generibus, quæſtuh. & cauſis, quas omnes dico eſſe à propoſita controverſia remotiſſimas, & omnes ante partim à me, & quidem copioſius tractatas in libris de jure civium Rom. partim à Grucchio, iiſdem verbis in primo de comitiis, ut mirer, te, quam nova ab aliis omnia requiras, non erubeſcere, cum alieno loco oſtentandæ ſcientiæ cauſſa, nihil niſi, ante ab aliis dictum, quod quidem laudabile ſit, in hunc librum conjeceris, quem tuæ diligentiæ & moderationis exemplum poſteris eſſe voluiſti. Movent me præterea in hac etiam tam aliena diſputatione multa, quæ non ſolum ſupervacanea ſed etiam falſa eſſe arbitror. Nam quod ais, patricios alios lectos à Romulo alios à Priſco rege, qui minorum gentium dicti ſunt, aſſentior, quod addis alios lectos eſſe poſt reges exactos, qui conſcripti dicti ſunt, rideo; quam video, te confundere patricios cum ſenatoribus, ut ſoles; cùm enim dicimus, patricios minorum gentium, familiam gentemque ſignificamus, cùm dicimus, patres conſcriptos, ordinem ampliſſimum intelligimus, id eſt, ſenatum; & ut patricii conſcripti non dicuntur, cùm de familia loquimur, ſic nec patres minorum gentium, cùm ordinem intelligimus; inter patricios hi gradus gentium fuerunt, non inter ſenatores; unde Cicero Papirios patricios dixit fuiſſe, ſed minorum gentium; ex quo apparet, te in eodem luto hærere, quo ante.

Quod ſine auctoritate contendis, ſenatores non eſſe factos ex cenſu, niſi ſub Imperatoribus, pariter rideo; invenio enim ſcriptum apud Svetonium, Auguſtum, qui primus fuit Imperator, ſenatorium cenſum ampliaſſe; ac pro octingentorum millium ſumma duodecies *HS* taxaſſe, ſuppleviſſeque non habentibus, & Ciceronem in epiſtola ad Valerium dixiſſe: C. Curtius habet in Volaterrano poſſeſſionem, hoc autem tempore Cæſar eum legit in ſenatum, quem ordinem iſte iſta poſſeſſione omiſſa vix tueri poteſt; ex quo apparet, Cæſaris etiam tempore cenſum ſenatorium factitatum; præterea cùm equitum cer-

A tus cenſus jam inde ab exactis regibus fuerit, ut in II. libro de jure civium Rom. demonſtravi, non video, cur non idem etiam in ampliſſimo ordine legendo fuerit cuſtoditus.

Quod adjicis de lege Papia, de ſuffragiis ferendis, id cùm à re alienum, tum ex Hotomani libro de legibus eſt ſumptum.

Hæc ubi propoſuiſti, concludis, ex his cognoſci poſſe, rectè te dixiſſe, ſenatores ex equeſtri ordine uxorem duxiſſe: id quod primum à me non eſt negatum, deinde à te non eſt probatum; neque enim quia cives alii patricii, alii plebeji, alii ſenatores, alii equites fuerunt, itemque alii juniores, alii ſeniores, propterea efficitur, ut ſenatores ex equeſtri
B ordine duxerint uxorem; tibi ergo auctor ſum, ut protinus concludendi rationem addiſcas; hanc enim ſi cognoveris, vir medius fidius mirabilis eris.

Probas etiam, dici poſſe, ſenator duxit plebejam; quod non negavi, nec negari poteſt; quia ſi plebeja eſt quæ è gente plebeja nata ſit, ſive quæ ex ordine infimo ſit qui de plebe dicitur, modo ne humillima ſit, duci, ut credo, potuit. Probas autem hoc verbis Svetonii, qui inquit. Otho avus Imp. cujus pater eques fuit, ſed mater humilis, incertum, an ingenua; in quibus, mirum, nulla ſenatoris mentio fit; item verbis Juriſc. Senator à plebejo adoptatus manet ſenator; ex
C quo ne hoc quidem, quod vis, concluditur. Atque hic ais, me improbaturum quod juriſconſultus dixerit: ſenator à plebejo adoptatus; quia tecum differens, dixi plebejo opponi patricium, non ſenatorem; immo vero rectè ego, rectiſſime juriſconſultus, tu vero, omni lucerna pinguior, ut ſemper, ineptiſſimè. Etenim cùm plebejus ſignificat gentem, opponitur patricio, cùm ordinem, reſpondet ſenatori, & equiti, quod tu præ nimio acumine videre non potes.

Quod addis, plebejos à patriciis adoptatos patricios eſſe factos, quorſum vir conſiderate, & ſolers? & ſi ad rem pertinet, ex meis certè libris ſumptum eſt.

D Quod ais, ſenatores continere etiam patricios, auctore juriſconſulto, qui inquit? Cæteri cives ſunt plebs ſine ſenatoribus, id & alienum, & falſum eſt; plebem enim ille accipit hic, ut ordinem, non ut gentem, quod eſt, atque ſi dixiſſes: Cæteri cives ſunt in ordine ultimo præter ſenatores; jam tu vides, ut tuos iſtos juriſconſultos intelligas, quos aucupandæ opinionis gratia tertio quoque verbo alieno tempore profers.

Jam cùm reliqua addis de ſenatorum dignitate, de differentia plebis, & populi, ut patricii, & ſenatores populi nomine contineantur, meum mihi ſomnium narras. Sed, ut vides, hic frigent omnia, neque inſtitutæ
E diſputationis ſunt, neque enim confirmant, quod unum tibi fuit urgendum, ex Svetonii verbis elici, Cæſarem cùm duxit Coſſutiam uxorem, aut ſenatorem fuiſſe, aut eſſe potuiſſe, quod à me negatum eſt, & tibi fuit probandum; & tu, volueris, nolueris, verum eſſe confiteri coactus es, neque tibi quidquam convicia profuerunt.

18. a.

Narrat Svetonius, Cæſarem prætorem vocaſſe Q. Catulum ad diſquiſitionem populi de refectione Capitolii; addidiſti tu de tuo; quia ſenatus non poſſet de ſuo jure aliquid decernere; reprehendi ego hoc, quia tu uno

verbo

verbo ſenatum omni auctoritate privaſſes; dixique Cæſarem ad populum ſe contuliſſe, quia popularis fuit, non quod ſenatus de rebus ullis, aut, ut tu nunc interpretaris, de refectione Capitolii decernere pro ſuo jure non potuerit. Ad hæc tu, qui debebas probare, cognitionem de refectione Capitolii populi fuiſſe non ſenatus, probas, o portentum, Capitolium ex lege populi à M. Horatio Cos. anno primo poſt reges exactos fuiſſe dedicatum; peccas autem, quia aliud eſt refectio, aliud dedicatio; & Cæſar ad judicium populi adduxit Catulum, ut ab eo repoſceret rationem pecuniarum, quas in reficiendo Capitolino templo conſumpſerat, non de conſecratione ædis; pariter peccas, cum addis Plinium, qui ſcribit, nullam dedicationis legem eſſe; & Gellium, qui ait, ſacrorum deteſtationem calatis comitiis fieri; & Livium, qui inquit, certamen conſulum inciderat, uter dedicaret ædem Mercurii, ſenatus à ſe rem ad populum rejecit; rurſus peccas, cùm non ſentis, auctoritatibus iſtis ſenatui non propterea adimi poteſtatem judicandi de dedicatione. Quamobrem ſi meæ auctoritati parueris, hanc diſputandi artem ſtatim aſſumes, neque enim vides, quod eſt probandum, & confirmas, quod non eſt negatum; hinc te tranſalpinis ais admirationi eſſe; ſic enim quidam ajunt anteponendus eſt Robortellus Sigonio; quia uberior; dii malefaciant iſti ubertati; ego ſi ſtultus hoc modo eſſe voluero, diffluam undique divitiis ſententiarum, ſed non cohærentium: at his rebus delectantur, ais, tranſalpini. Erras, cum judicio ſint acerrimo præditi; te enim Poloni omnes, juvenes virtute, & ingenio ornatiſſimi, te Galli, te Germani propterea fugiunt; quos tu tuo nomine attractos in Italiam ſcribis advolare.

19. 16.

Quæſtoribus, inquis, mandabantur provinciæ cum juriſdictione. Reprehendi hoc ego dictum, & quia latinè non dicatur, mandare provinciam cum juriſdictione, & quia nunquam populus Rom. mandaverit Quæſtoribus provincias cum juriſdictione. Tu qui horum utrunque probare debuiſti, nunc attende, an demonſtraris; inquis enim; dicitur latinè mandare magiſtratum, item mandare juriſdictionem, ergo dicitur latinè mandare provinciam cum juriſdictione; macte virtute Robortelle, qui iſta per XXIV. annos docuiſti tam pulchra, & exteras gentes omnes cis alpes advocaſti. De altero, quod dixi, nunquam provincias mandatas eſſe à populo Romano, quæſtoribus, aſſentis, ſed negas te voluiſſe hoc, cum dixiſti, Quæſtoribus provinciæ mandabantur cum juriſdictione; nec ſentis, te hoc voluiſſe confiteri cogi. Etenim ſi mihi das, provincias nunquam mandatas eſſe, niſi à populo, mihi des etiam neceſſe eſt, cum ais, mandatas quæſtoribus, mandatas eſſe quæſtoribus à populo. Quod dixi, aliud eſſe mandare provinciam, aliud juriſdictionem, quod provincia mandaretur à populo proconſuli, aut proprætori, juriſdictio quæſtori, aut legato à proconſule, aut proprætore, nunc probas, quanquam aliud eſſe ante affirmaras aſtuteque, ut non diſcere à me, ſed docere me videaris, id confirmas, & quidem, ut doctior videaris, cum contumelia mea. Erroris tui cauſſam adſcripſi, quia cum apud Svetonium legatur ita: Mandato P. R. credideras legendum eſſe, mandato populi Romani, cùm legendum ſit, mandato P. R. id eſt prætoris, id quod veriſſimum eſſe ais, & cùm tamen hoc à nemine ante animadverſum poſſis dicere, tu adeo iniquus es, ut mihi propterea convicium grande facias, quia te id docuerim, cui, ut ais, omnia cognita ſunt.

19. 20.

Poſtremo quaſi tua, non mea cauſſa agatur, auctoritate confirmas, quæ dixi de differentia mandandæ provinciæ, & juriſdictionis; ut iis, qui parum in tuis verbis intelligendis evigilant, te ut magnum hominem, ut ſemper, oſtentes; ſed ecce, qui cornicum oculos.

20. 12.

Erat etiam controverſia, quæ fuerit lex Plotia apud Svetonium, cùm dixit: Cæſar L. Cinnæ uxoris fratri, & qui cum eo civili diſcordia Lepidum ſequuti poſt necem conſulis ad Sertorium confugerant, reditum lege Plotia confecit. Interpretatus es tu, legem fuiſſe de L. Cinna revocando. Reprehendi, quod dixeras, legem eam uni Cinnæ rogatam non in univerſum latam, inde enim effici, ut lex Plotia privilegium eſſet, non lex; tu vero veteratorie mea verba accipis, quaſi ego dixerim, privilegium non eſſe legem; idque tibi confirmandum, ut rem novam, magnamque ſuſcipis, in eoque victoriam totam ponis; ego autem culpavi te, non quod rogationem Plotiam legem appellaris, ſed quod eam de L. Cinna revocando fuiſſe dixeris, & legem generalem privatam feceris, cum tamen te profitearis in hoc libro generalia ex ſpecialibus elicere. Adjungis, legem Plotiam de L. Cinna revocando fuiſſe, quia nominatim ob L. Cinnam revocandum lata ſit, ſicut ait Cicero, Regulus de commutandis captivis Romam miſſus; quam rationem credo te ex penetralibus Topicorum tuorum hauſiſſe, neque enim trita, & pervulgata eſt argumentatio hæc; dic quæſo Robortelle, unde ductum eſt hoc argumentum; à diſſentaneis, credo; eſt enim hic tibi locus familiariſſimus; & eſt, ut video, firmiſſimus digniſſimuſque, cur te major ſtipendio Bononienſes reducant; lex Plotia nominatim lata eſt ob L. Cinnam revocandum, ſicut M. Regulus de permutandis captivis Romam eſt miſſus; hercle dicunt quidam, ille Robortellus eſt diſertus; quibus ego: diſertus ſine controverſia.

20. 14.

Novum deinde inſtituis caput, cum hoc indice. Furtum Sigonii detectum; videamus, an hoc tu melius probes, quàm legem probaveris Plotiam. Idem ſcriptum eſt, inquis, apud Zaſium, & Hotomanum, quod tu ais, te primum excogitaſſe; primum nego, me dixiſſe, ea ſcripturum, quæ ego primus excogitarim, nec ſcio unde tu hoc collegeris, niſi ita oculorum, & mentis aciem rabies, furorque perſtrinxit, ut quæ non videas, te vidiſſe putes; deinde dico, me ſcripſiſſe, quod neque Zaſius prodidit, neque Hotomanus. Etenim Hotomanus ait legem Plotiam fuiſſe, ut qui civili bello Lepidum ſecuti ad Sertorium confugerant, impune redirent, ego in univerſum, ut qui adverſus Rempub. in ſeditione ſteterant, reſtituerentur; neque enim ſi eſſet de iis tantum, qui bello civili Lepidi & Sertorii contra Rempub. fuiſſent, Cicero multis poſt annis ea lege revocaſſet eos, qui bello civili Catilinæ interfuerunt; ut elicitur ex ora-

oratione in Ciceronem Salluſtiana. Zaſius in-
quit, ſuiſſe, ut qui armati ſenatum obſedis-
ſent, & Rempub. oppugnaſſent, & potiſſimum
qui cum Lepido adverſus Rempub. arma tu-
liſſent, punirentur; ego, ut omnes hoſtes
Reipub. cives reducerentur. Zaſius hunc
Svetonii locum, & alterum Gellii ad hanc le-
gem non pertinere cenſet, ego his omnibus
locis eandem legem intelligi puto; quid ergo
de furto loqueris homo furaciſſime?

Paulo poſt negas, verum eſſe, quod dixi;
legem Plotiam fuiſſe pro iis, qui contra Rem-
pub. ſtetiſſent, & ais fuiſſe de revocandis ab
exilio, qui Lepidum ſecuti erant; nec ſentis,
te tibi repugnare, ſcripſiſti enim paulo ante,
fuiſſe de L. Cinna nominatim revocando; ergo
ſignificas, te ſi per gravitatem tuam liceret,
libenter ſententiam tuam mutaturum; at non
erit indecorum, mihi crede, de propoſito de-
cedere, immo laudaberis; ne te pudeat; noli
tam ſui juris eſſe, tuæque ſententiæ; adjun-
gis, huic opinioni hiſtoricos omnes aſſentiri;
miror, me neminem eorum legiſſe; cur non
nomen, non locum, & paginam, ut ſoles,
præferebas? erat hoc dignitatis, erat conſtan-
tiæ tuæ. Addis Plotiam, cujus meminit, ut
dixi, Salluſtius, fuiſſe de vi publica; ne hoc
quidem recte, quia Plotia de vi publica per-
ſequebatur eos, qui contra Rempub. ſtete-
rant, ex locis ab Hotomano prolatis, hæc fa-
vet, & revocat eos, qui Reipub. bellum fe-
ciſſent; neque enim Cicero eos, qui cum Ca-
tilina fuerant, revocaſſet lege Plotia, ut ait
Salluſtius, niſi hanc vim hæc lex habuiſſet.

Quod ſubjicis de lege Lutatia, alienum
eſt à re noſtra & ſumptum à Zaſio, & Manu-
tio, & Hotomano; quære convicia Robortel-
le, nam argumenta tua parum robuſta ſunt.

13. 22.

Iteras, & quidem facetè ſatis, ut video,
privilegium etiam legem dici poſſe; idque
extra cauſſam, neque enim hoc ego reprehen-
di, ut dixi, ſed quod legem generalem in an-
guſtum adduxeris, & vim ei privilegii dede-
ris, cum uni rogatam eſſe Cinnæ dixeris; ita-
que ut aliquid ſapere videaris, multis verbis,
quod etiam cæco apparet, privilegium legem
eſſe confirmas; & quidem cum tanta contu-
melia, quantam impudentiſſimus, ac turpiſſi-
mus homo modeſto homini nunquam dixit;
& ut me ipſum tandem conficias, ac propè
jugules, quæ tu in tua vita unquam in meis
ſcriptis reprehendiſti, ea breviter uno tempo-
re repetis omnia, ut ſi ſejuncta parum olim
valuerunt, ſaltem nunc poſſint aliquid con-
globata; nec meminiſti, me ad omnia quin-
quennio ante unius menſis ſpatio ita ibi re-
ſpondiſſe, ut tu fracto ſemper ad hunc diem,
demiſſoque animo obticueris; ſic ergo ad om-
nia uno verbo dico, quæ de loco Plutarchi,
Livii, urbis annis, Fauſto objicis, ea me
aliàs abunde defendiſſe, teque ea, niſi refuta-
ris, quanquam convictum, faſtidioſe, ut ſo-
les, arroganterque jactare. Quod me repre-
hendis, qui ſcripſerim, à nobis docebitur,
equidem, dum vivam, ridebo; neque princi-
pem ſcriptorum omnium putabo, cum tu ni-
hil aliud vitii in meis ſcriptis non paucis in-
venire, quanquam ſolertiſſimus homo potue-
ris, quàm hanc vocem, docebitur.

Quod ais, me centurias claſſium nomina
habuiſſe, ſcripſiſſe, miror; neque me ea de re
tecum unquam contendiſſe, aut libro ulli man-

A daſſe dico. Binorum vero comitiorum ratio-
nem, niſi tu me doctus homo refelleris, ſem-
per melius, quàm te & cognoviſſe, & tradi-
diſſe exiſtimabo; quod idem etiam de femina-
rum prænominibus aſſero.

15. 8.

Svetonius ſcripſit, Cæſarem à Sylla di-
ctatore ſacerdotio, dote, & hæreditatibus gen-
tiliciis eſſe multatum; tu excepiſti. Morem
fuiſſe multandi dote, hæreditate, ſacerdotio;
ego contra, Moris vocem in tali Syllæ facto
uſurpari non poſſe, quia mos ſit conſuetudo
antiqua, juſta, cujus auctor ignoretur, alio-
quin eſſet inſtitutum, quæ valebat, ut lex
apud majores; multationem vero Cæſaris novo
B exemplo factam eſſe, injuſtè ab injuſto tyran-
no Sylla, à majoribus repudiatam, omneſque
leges evertentem; dixi autem ob id, quia
novum erat tale in Repub. quale Syllæ fuit,
imperium; & ut civis aliquis alterum ſacerdo-
tio, hæreditate, & dote multaret, eo nomi-
ne, quod ſibi inimicus fuiſſet, aut cum ini-
micis ſuis ſenſiſſet, aut eum dote multaret,
quod inimici ſui filiam in matrimonio habe-
ret; nam Cornelia Cinnæ filia fuit, quo cum
Sylla decertavit; tu qui probare debebas,
factitatum, & juſtum eſſe, ut civis civem
inimicum ſuum dictaturam injuſtam adeptus
multaret, nihil horum probas; ſed me nugari
ais, & tamen tacitè meam ſententiam probas,
C cum veteres ita locutos oſtendis, ut moribus
leges opponerent; quem locum integrum ex
meo de jure civium Rom. lib. primo ſumis;
qui tamen mea verba non attendat, is putet,
te mihi adverſari, ac vehementius repugnare;
adeo aſtutus es decertator, & pugil.

Deinde probas, morem fuiſſe multandi
dote, citaſque Juriſconſultos teſtes, in quo-
rum libris multæ cauſæ traduntur, quibus mu-
lieres multari dote poſſint: & es adeo rudis,
& hebes, ut non ſentias, me negaſſe, moris
fuiſſe, ut vir dote, quia inimicus eſſet, à
cive potente multaretur, nonne mulieres im-
pudicæ, ut tu probas, & veneficæ multaren-
tur; quid enim eſt ſimile viro cum femina,
D & huic cauſſæ cum illa?

16. b. 22.

Probas deinde morem fuiſſe multandi he-
reditate, & Senatuſconſultis, & legibus po-
ſterioribus, quæ reperiuntur in digeſtorum
libris, quos unos mei evertendi cauſſa vide-
ris his diebus evoluiſſe, & ut te Schola Pa-
tavina, ut maximum Juriſconſultum ſuſpice-
ret, neque enim ſcio, an fidem habeam cui-
dam familiari meo, qui mihi pro certo retu-
lit, te ne hæc quidem loca legiſſe, ſed tibi
ab amico tuo, ſummo Juriſconſulto ſuppedi-
tata fuiſſe, ſed, ut dixi, mos probatur ex
ſuperiore tempore, non ex conſequente; quod
in libris Juriſconſultorum explicatur; deinde
E alia cauſſa eſt hæc multationis Cæſaris, alia
eorum, quos in Pandectis legiſti. Multo
vero minus virium habet teſtimonium Sveto-
nii, qui ait, Cæſarem ſanxiſſe, ut parrici-
dæ, exules toto multarentur patrimonio; ne-
que enim Syllæ factum ſimile eſt, & eſt mul-
to antiquius, quàm decretum hoc Cæſaris.
Affers etiam exemplum Marii, qui judex mul-
tavit aliquem dote; quod eſt diſſimile; nam
Sylla judex non judicavit, ſed dictator tulit,
neque multationis eadem cauſſa; judex enim
Marius ex legibus veteribus impudicum mul-
tavit, Sylla legem novam, eamque iniquam
tulit

tulit de inimicis ſuis, quia adverſus ſe arma tuliſſent, bonis patriis ſpoliandis; nihil ergo more egit, ut tu princeps bonarum litterarum ſcripſiſti; quemadmodum ne tu quidem more egiſti, qui propterea in me maledictis invaſeris, & tamen te moralem profiteri Philoſophiam ais.

17. a. 18.

Probas deinde, morem fuiſſe multandi ſacerdotio, auctoritate Valerii, qui ſcribit, Cethegum, & Claudium propter exta parum curioſe aris admota flaminio abire juſſos; quid ſimile in Cæſare? illi enim more juſſi abire, Cæſar novo exemplo, nova cauſſa, nova lege; ſcribit enim Vellejus, libro ſecundo, cum Cæſar à Mario, Cinnaque flamen factus eſſet, Syllam victorem omnibus eorum actis lege infirmatis, ſacerdotium Cæſari ademiſſe; oſtende nunc quæſo morem hunc; & doce alias ante Syllam aliquid tale uſurpatum in civitate Rom. eſſe; neque mihi tuum illud jam fractum argumentum opponas, te generalia ex ſpecialibus colligere voluiſſe; neque enim id unquam ex his Svetonii verbis hauries, quod ſcripſiſti; vides ne, ut mea acutiora tela ſint, quàm tua, quas floccifacio, ut impudiciſſimi, & ſpurciſſimi hominis, contumeliæ?

17. a. 3.

Svetonius ait. Cæſarem flaminem dialem deſtinatum Coſſutiam ſibi deſponſatam dimiſiſſe; tu notaſti, cum Svetonio diſſentire Plutarchum, qui ſcribit, flaminem non potuiſſe uxorem dimittere; reprehendi ego te, cùm dicerem, Plutarchum à Svetonio non diſſentire, quod Svetonius de ſponſa loquatur, Plutarchus autem de uxore, quarum inter ſe differentiam protuli; tu differentiam hanc notam eſſe ais, eamque quaſi me reprehendas, non te ipſum defendas, multis verbis confirmas, & quidem quaſi gravius peccaverim, non ſine ſolita inſectatione; requiris porro, ut probem, licuiſſe flamini dimittere ſponſam quod miror te magnum dialecticum à me poſtulare; neque enim id me confirmare ſuſcepta diſputationis ratio vult; tuetur hoc ſatis Svetonii auctoritas, ab eo requiras licet, putabam, te potius à me requiſiturum, ut probarem, Cæſarem non concubuiſſe cum Coſſutia, nam ſi tu demonſtrare mihi poſſes, cum ea concubuiſſe, uxor eſſet, & apertè à Plutarcho diſſentiret; verum hoc onus nunquam ego ſuſciperem.

Deinde exclamas, me non animadvertiſſe, te ſcripſiſſe, non ſponſam, ſed uxorem deſponſatam; cui reſpondeo, te parum ſcite id feciſſe; quia Svetonius inquit, deſponſatam, non deſponſatam uxorem; deinde quæro de te, quid ſit uxor deſponſata, ſi idem quod ſponſa, non diſſentiunt inter ſe, quia alter de ſponſa loquitur, alter de uxore: ſi idem, quod uxor; ergo uxor erit, antequam in manum convenerit, quod neſcio an probaris; nam quod ais, de proximo accingendum pro accincto haberi, id tuis pueris probato, non mihi; cùm ergo hanc differentiam te oſtendere non poſſe videas, ut alio avertas lectoris animum, atque caliginem oculis, mentibuſque objicias, nec ex tantis tenebris aliquis, quid dicere volueris, eruere poſſit, affers inde doctrinam novam quandam, & inauditam de ſponſalibus, de nupta, & ſponſa, de verbo deſtinare; item quæſtiones aliquot lubricas ponis, ad rem nihil, ad oſtentationem plurimum pertinentes, ad eaſque multa teſtimonia

A juriſconſultorum affers, ut omnia cognoviſſe videaris; nec tamen aliquid concludis, ut ſemper ſoles; deinde ne lector imprudens ſapientiam tuam præteriret, te mecum comparas, his verbis; quid ad hæc blæſe; litterator viliſſime, miraris me omne genus librorum legiſſe? neque enim ſolida poteſt parari doctrina plurimarum rerum, ſi quis unum, aut alterum evoluerit librum &c. Facile tibi concedo Robortelle hanc laudem, ut pervolvendis juriſconſultorum indicibus multa congeras, quæ nec tu, nec quiſquam alius intelligat; ſic enim exiſtimo, neminem futurum, qui etiam ſi attentiſſime hunc librum legerit, quid tu velis, narrare alteri poſſit; qui adhuc ſe B ad illum legendum contulerunt, ſat ſcio tuæ duntaxat cognoſcendæ impudentiæ cauſſa, quæ mirifica in his locis hoc tempore celebratur, ſe contuliſſe. Itaque vocem quandam ſummi viri, & boni, patroni tui in primis laudo, qui cùm ſæpius hunc tuum libellum in manus ſumpſiſſet, multis rebus offenſus, magno tandem cum ſtomacho eum abjecit, adjiciens, male horas ſuas te in eo ſcribendo poſuiſſe, ſed multo pejus, qui eum lectitarint, eſſe collocaturos; redeo ad rem.

19. b.

Cùm ſcripſiſſet Svetonius, Cæſaris conſulatum petentis rationem haberi non potuiſſe, C niſi privatus introjiſſet urbem, tu interpretatus es, ſi eſſet ad urbem cum poteſtate; reprehendi vocem illam cum poteſtate, quia neque diceretur, eſſe ad urbem cum poteſtate, neque aliquis unquam fuiſſet ad urbem cum poteſtate; debuiſſe te, cum imperio dicere; hoc tu refutas contumeliis potius, quàm rationibus; quas, quemadmodum ante dixi, ut à deſperato, & profligato homine profectas omnino contemno; quibus omnibus antequam occurram, opinionem meam, ut eſt à me in meis de jure civium Rom. libris, veterum firmata teſtimoniis, explicabo. Dico igitur, aliud poteſtatem, aliud imperium eſſe, ex eo cognoſci poſſe, quod in tribunis plebis quæſtoribuſque, & in aliis minoribus magi- D ſtratibus poteſtatis nomen ſit factitatum, quibus viatores apparuerunt, imperium non; ſic enim dixit Livius lib. II. tribunum plebis privatum eſſe, ſine imperio, ſine magiſtratu; at tamen tribuniciam dixerunt ſemper poteſtatem; imperium autem in majoribus ut dictatore, conſule, & prætore uſurpaverint, qui non viatore ſolum, ſed etiam lictore uterentur, quod in libris de jure civium Rom. demonſtravi; ut gravius multo fuerit imperium, quàm poteſtas, quanquam ſæpe etiam poteſtas de majoribus uſurpata ſit; imperii autem voce vim omnem magiſtratus ejus comprehenderunt, ſive edictum faciendi, ſive juriſdicendi, ſive cauſas capitales cognoſcendi, ſive auſpi- E candi; in quo qui eſſet imperio, ei illum, qui privatus eſſet, ſæpe latini ſcriptores oppoſuerunt. Alio modo dicitur imperium jus habendi exercitus, & belli gerendi; quomodo dixit Cicero V. Philippicâ. Demus imperium Cæſari, ſine quo res militares adminiſtrari, exercitus haberi, bellum geri non poteſt; differt autem hoc imperium à ſuperiore; quia illud habetur in urbe, hoc extra urbem; niſi cùm conſules ſenatuſconſulto eo ſunt armati, quo monentur, ut videant, ne Reſpub. aliquid detrimenti capiat, teſte in Catilinæ bello Salluſtio; illud acquiritur unà cum magiſtratu, hoc alia lege, quàm magiſtratus, nempe

pe

pe curiata, aut Cornelia; ut in libris de jure civium Rom. demonſtravi; illo qui ornatus eſt, nullum alind nomen habet, quam nomen magiſtratus, ut prætoris, aut conſulis, hoc qui habet ſive magiſtratus ſit, ſive ſine magiſtratu, acquirit nomen imperatoris; non poteſt autem temere haberi in urbe, quia non videbatur ſatis libertati tutum eſſe, aliquem in urbe verſari cum jure exercitum habendi, & bellum gerendi. Itaque ubi primum hoc imperio aliquis erat ornatus, urbe exibat, & ad urbem manebat, qnoad in provinciam iret, & reverſus è provincia ad urbem manebat, ſi petere triumphum vellet; eique Senatus extra urbem in æde Bellonæ dabatur, ſi triumphum impetraſſet, tum lex ei de imperio ejus diei, quo urbem inibat triumphans cum exercitu, ferebatur; alioquin ſi urbem ingredi alicujus negocii cauſſa voluiſſet, eum abdicare ſe imperio oportuiſſet; hinc illa pro Sextio. Erat Pompejus ad portas, erat cum imperio, & Salluſtii in Catilinæ bello: Metellus, & Marcius erant imperatores ad urbem, impediti, paucorum invidia, ne triumpharent; hoc autem imperium poteſtas provincialis eſt appellata; quod oſtendit Aſconius cùm ait: Ad urbem eſſe dici ſolet de iis, qui cum poteſtate provinciali, aut nuper è provincia revertiſſent, ant nondum in provinciam profecti eſſent. Atque hæc ita eſſe, cùm te negaturum non arbitror, tum etiam à me uberius, ut jam ſæpe indicavi, alibi demonſtrata ſunt, cùm ergo Cæſar Galliam provinciam obtineret cum imperio, ſive poteſtate provinciali, ſive jure belli gerendi, & in urbem reverſus petere in foro conſulatum vellet, non poterat, inquit Svetonius, ejus haberi ratio, niſi privatus, id eſt depoſito imperio intraſſet; quam ſententiam cum tu interpretatus eſſes, Si ad urbem eſſet cum poteſtate; admonui te, oportuiſſe dicere, cum imperio, aut cum poteſtate provinciali; nam ſimplex vox poteſtatis, non ſignificat jus belli gerendi, ut illo in loco ſignificatur: & quia non dicatur eſſe ad urbem cum poteſtate, neque aliquis unquam fuerit ad urbem cum poteſtate provinciali; neque enim qui cum poteſtate erat tantum, impediebatur, quo minus urbem, cum vellet, iniret, ut quæſtor; tu autem probas dici, Eſſe cum poteſtate, & dici, Eſſe ad urbem, quod non negavi; eſt enim tritum, & pervulgatum; ex quo efficis acute, dici etiam, Eſſe ad urbem cum poteſtate; ô monſtrum; profers etiam locum Aſconii, qui dixit Eſſe ad urbem, dicebatur de iis, qui cum poteſtate provinciali ex provincia rediſſent, nec attendis, eum dicere, cum poteſtate provinciali, non cum poteſtate tantum, ut tu hebes homo, & rudis dixiſti; poteſtas autem provincialis jus omne, quod habet prætor in provincia continet, juriſdicendi, cauſſas capitales cognoſcendi, & belli gerendi. Aut ergo dicere debebas cum poteſtate provinciali, aur cum imperio; jam vides, quemadmodum tuæ contumeliæ parum roboris habeant, ſed cum tuo ſtupore, & impudentia jaceant. Hic tu, ut magnus repente Juriſconſultus habearis, voces quaſdam ex libris Juriſconſultorum affers, merum, & miſtum imperium, neque tamen quid eæ ſint, aſſequi potes; ad omnia ego reſpondeo. Merum imperium eſt, inquit Vlpianus, habere gladii poteſtatem ad animadvertendum in facinoroſos, quod etiam poteſtas appellatur; miſtum, cui etiam juriſdictio ineſt; quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit: quibus vocibus nihil explicatur aliud, quàm poteſtas juriſdicendi, & cauſſas capitales cognoſcendi; illud Romæ prætoris urbani, & peregrini, hoc vero eorum, qui quæſitores dicti ſunt; in provincia vero idem prætor urrunque jus habuit. Hic tu inepte interpretaris, jus gladii, id eſt, jus gladii contra hoſtes, & bellum gerendi, & ita intellexiſſe Ciceronem falſo in locis prolatis ais; ex quo concludis, ſi imperium, quod ſignificat jus gladii, id eſt, belli gerendi, eſt idem, qnod poteſtas, auctore Ulpiano, ergo dicere licet, tam eſſe ad urbem cum poteſtate, quàm cum imperio, cùm volumus cum jure belli gerendi eſſe ſignificare, ita cum ait Cicero: demus imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt, & contra Rullum: nemini dabatur imperium, cui magiſtratus non eſſet datus, exponis imperium, id eſt, jus gladii; ex quo ſequeretur, magiſtratuum unis comitiis mandari, jus gladii, id eſt, jus animadvertendi in facinoroſos, quod eſt jus ipſum magiſtratus, aliis concedi; quo quid poteſt eſſe perverſius? nonne intelligis in iis locis imperium eſſe belli gerendi jus, quod magiſtratui mandatur? Octavius Cæſar, ais, quia proprætor factus exercitum ducebat, non habebat jus gladii, id eſt imperium; quid ineptius? ſi proprætor erat, non habebat imperium? quid eſt aliud proprætorem eſſe, quam imperium habere? an vero ille ante proprætor fuit, quàm imperium haberet? nonne Cicero, cum decernit ei imperium, ſtatuit etiam proprætore eſſe? cum dixit: Demus imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt, ſit proprætore eo jure, quo qui optimo; & Vell. lib. II. non ait: Senatum juſſiſſe, ut is propr. cum Antonio bellum gereret? Dices, Octavius ante paravit exercitum, quàm haberet à ſenatu imperium; quid tum? paravit, ſed privato nomine, ut privatas ulciſceretur inimicitias, ſed legitimo juſtoque caruit imperio, quo deinde à ſenatu ornatus publico nomine, ut legitimus Imperator, & proprætor bellum geſſit; neque vero ſi ſine nomine imperii bellum proſpere geſſiſſet, aliquid à ſenatu legitimi honoris juſte petere potuiſſet; non ergo, quia Octavius Cæſar ante exercitum paravit, quàm imperium adeptus ſit, propterea fit, ut ante paretur exercitus, poſt imperium, id eſt, jus gladii educendi, ut tu vis, obtineatur; ſed qui non habet imperium, bellum publico nomine gerere non poteſt. Hoc idem cum voluiſſe virum doctum Panvinium videas, eum refutare ineptè contendis, cui ſcio ſatis illum reſponſurum eſſe, & tibi tantam licentiam excuſſurum. Hinc Livii locum inſignem te unum intellexiſſe gloriaris, atque adeo ridicule interpretaris ut nunquam poſthac materia ridendi doctis hominibus defutura ſit: eſt autem hic lib. IX. Papirius dictator Junium magiſtrum equitum dixit, atque ei legem curiatam de imperio ferenti triſte omen diem diffidit; ubi cùm omnes intelligant, & verè, dictatorem tuliſſe legem curiatam de imperio ſuo, tu abſurde intelligis legem tuliſſe de imperio magiſtri equitum, qnod quia, ut ais, à ſe illi mandari non poterat, ad populum ille ſe contulit; neque ſentis homo excors, ſi mandetur magiſtro equitum imperium, duos fore in eodem exercitu Imperatores, id eſt belli duces, & qui

ſuis

ſuis auſpiciis bellum gerant; ſiquidem Livius libro IV. Imperatorem dixit, cujus auſpiciis res gereretur; atque ita magiſtrum equitum dictatori ſuo parem futurum; quod ſi eſſet, cur bello Punico ſecundo extra ordinem Minucio magiſtro equitum cum Fabio dictatore lege imperium fuiſſet æquatum? Non tam longe video, inquis, quid mirum? ταχῦνα γε τὴν λεπτὴν ἢ ἔκτα νῦν. Abi ergo homo iners cum tuis XXIV. annis, & tuis Juriſconſultis, nec de imperio, aut de rebus Romanis quidquam amplius hiſce.

23. 22.

Scribis porrò Auguſtum morum regimen recepiſſe, quia cenſura multo ante erat ſublata; negavi hanc eſſe cauſſam, quia tantum abeſt, ut cenſores multo ante ſublati eſſent, ut quatuor tantum ante annis cenſuram geſſiſſent Paullus, & Plancus, anno urbis 733. auctore Dione, cùm tamen cenſores quinto quoque anno ex ordine creari ſolerent; tu vero, quem demonſtrare oportuit, lege aliqua ſublatam fuiſſe cenſuram, aut Plancum, Paullumque cenſores nunquam fuiſſe, hæc à re alieniſſima, &, ut oſtendam à veritate ipſa, affers; ab anno, inquis, 672. uſque ad annum 694. intermiſſa fuit cenſura per annos 22. oportuit autem dicere ab anno 667. uſque ad annum 683. per annos 17. id eſt, à Philippo, & Perperna cenſoribus uſque ad Gellium, & Lentulum cenſores Craſſo, & Pompejo conſulibus inde tranſis ad annum 709. quo Cæſar dictator præfectus moribus factus eſt; præteris autem cenſores, Catulum, & Craſſum an. 688. Cottam, & Servilium an. 689. alios, quorum nomina exciderunt an. 692. alios an. 698. Claudium, & Piſonem an. 704. quæ omnia à me in faſtorum commentariis demonſtrata ſunt. Inde ab anno 709. ad annum 725. negas ullos fuiſſe cenſores, nec meminiſti Antonii, & Sulpicii, quorum in antiquiſſimo lapide fit mentio anno 711. ut in eodem libro notavi; anno 724. cenſuram geſſerunt Auguſtus, & Agrippa, teſte Dione, & Svetonio; anno 631. ut tu ſupputas, ut ego, anno 633. cenſores fuerunt Paullus, & Plancus, poſt quadriennium Auguſtus morum regimen recepit; ergo tu inferre poteris, quia multo ante cenſura fuerat ſublata; oſtende legem, qua ſublata ſit; huc urge, huc incumbe, non eſt, quod contumelias ſpectes parum moralis philoſophe, oſtenta te mihi, non pueris, ne Bononiam, ne Patavium, ne Piſas objicias, atque Italiæ ſua damna exprobres. Nam quod illudis me, qui dixerim, cenſores quinto quoque anno creari ſolitos, moriar, ni te putem deſipere; ſic enim Varro, ſic Aſconius, ſic omnes, ſic ego in commentariis faſtorum factum demonſtravi, niſi quid extra ordinem evenerit.

24. 15.

Scribit Svetonius in Auguſto: Auguſtus magni æſtimans, ſincerum, atque ab omni colluvione peregrini, & ſervilis ſanguinis incorruptum ſervare populum Romanum, & Romanam civitatem parciſſime dedit, & manumittendi modum terminavit. Hinc tu collegiſti: Auguſtum legem tuliſſe de non danda civitate peregrinis, aut iis, qui ex ſervili ſanguine eſſent orti. Tum ego admonui te, Svetonium non dixiſſe, Auguſtum legem tuliſſe de civitate non danda; ſed civitatem parciſſime dediſſe; defendis nunc: factum imperatoris habet vim legis; concedo; habet vim le-

A gis, id eſt, ei obeditur, ut legi ſed non eſt idem, fecit princeps, ergo legem tulit, & maxime in Auguſto, qui ita Reipublicæ præfuit, ut aliquam etiam populo poteſtatem relinqueret; ne mihi tua illa ſequentium juriſconſultorum vulgata dictata objicias; deinde an idem eſt, dedit parciſſime, & legem tulit, ne non daretur? qui parciſſime dat, paucis dat, qui legem fert de non danda, nulli dari vult; admonui etiam, Svetonium dixiſſe, Auguſtum terminaſſe modum manumittendi, non autem, ut tu, legem tuliſſe de non danda civitate iis, qui ſervili ſanguine orti eſſent; terminaſſe autem manumittendi modum, quia qui tum cenſu, vindicta, teſtamentove manumiſſi eſſent, cum libertate civitatem adipiſcerentur;
B tu reſpondes; o impoſtorem nequiſſimum, ſervi manumiſſi non ne cives fiunt? utique inquis, ſi igitur, addis, ſanxit Auguſtus, ne manumitterentur, utique ſanxit, ne civium numerus augeretur hoc genere, & eo ſpectat hæc imperatoris conſtitutio, ne civitas daretur iis, qui ſervili ſanguine orti eſſent; reſpondeat indoctus hic homo, ſi poteſt.. Reſpondeo ego, indoctus homo belluæ immani in ſylvis Carnicis natæ, atque æducatæ; ſi ſanxit Auguſtus, ne ſervi manumitterentur, an iccirco ſanxit, ne qui ſervili ſanguine orti eſſent, in civitatem acciperentur? qui ſunt ſervili ſanguine orti? profectò aut ſervi ſervitutem
C ſervientes, aut ſervorum, qui poſt manumiſſi ſunt, filii; ſi ſunt ſervi, an cavit, ne ſervi civitate donarentur? non ne ſatis more majorum, legibuſque regiis cautum erat? quando ſervus civis Romanus, niſi manumiſſus, eſt habitus? ſi ſervorum manumiſſorum filii, an cavit, ne civitas daretur filiis libertinorum, cùm non modo filii libertinorum, ſed ipſi etiam libertini eſſent cives Romani? Addis providit Auguſtus, ne multi libertini eſſent cives, quia ſemper hi contemni ſoliti erant, quod ex ſervili ſanguine erant orti; quid eſt hoc, providit, ne libertini eſſent cives? an vis alios libertinos fuiſſe cives, alios non fuiſſe? neſcis libertinos omnes in tribu-
D bus urbanis fuiſſe? an erat aliquis in tribu, non civis? Adjungis, Sigonius indoctus interpretatur ſervilem ſanguinem ipſos libertos tantum, ego literatorum omnium facile princeps, appello ſanguinem ſervilem libertinos; libertinorum filios, nepotes, pronepotes, & alios deinceps. O princeps mi, quis eſt ingenuus, non ne qui ex liberis eſt natus? filii ergo libertinorum ſunt ingenui, quia ex liberis ſunt nati, multo magis nepotes, pronepotes, & cæteri, præſertim cùm tu ipſe ſcribas in capite de adoptione, manumiſſorum filios fuiſſe ingenuos; ergo ingenui dicuntur ſervili ſanguine orti, ſi ex liberis ſunt nati? ergo ſi quis ſemel ſervivit, conditionem in infinita ſecula poſterum ſuorum ſervilem propagabit? hoc
E voluit Auguſtus, ne qui in civitate eſſent nepotes, pronepotes, abnepotes, atnepotes libertinorum, qui omnes jure optimo erant ingenui? reſponde vir inſignis mi, vel potius reſpondeant gymnaſia tua; ego enim libertinorum nepotes optima conditione ulos ingenuitatis docui in libris de jure civium Romanorum.

Nam quod addis, commodiore conditione fuiſſe ingenuos, quam libertinos, rem certè difficilem attigiſti; meliore ſunt; quis negat? an meliore, quam libertinorum nepotes, qui ſunt optima? Addit, ſi liberti eſſent, ſed

civium Romanorum liberti, non adipiſcebantur civitatem Romanam, & propterea te dixiſſe, ne daretur civitas libertis, & libertinis; egregiè; ergo tulit Auguſtus ne daretur civitas libertis peregrinorum? quando antedata fuerat? o errorem errore deteriorem; diſperеam, ni te millies tibi ipſi repugnare cogam, ſi animum impetus capiat, ſed ad majora propero. Ad extremum concludis: Hæc ſatis oſtendere poſſunt, quanta ſit nebulonis hujus, qui me Robortellum, id eſt, inſignem, & præſtantem virum reprehendere auſus eſt, temeritas, & inſcitia; inde ais. Lege Svetonium in Auguſto, ubi narrat, eum libertino milite uti noluiſſe; quorſum? quid ergo? hoc erat novum? quando uſi ſunt militibus libertinis Romani, niſi dubiis Reipublicæ temporibus, id eſt, raro? an quia Auguſtus noluit uti milite libertino, ſervilis ſanguis ſignificat nepotes, pronepotes, abnepoteſque libertinorum? hoc enim concludis; audi o præſtantiſſime vir Tomitane, & riſum, ſi potes, contine, ut hic Topicus noſter argumentatur. Tandem concludis, hæc omnia, quod nobis ab initio propoſitum fuit, ſatis oſtendunt; immo vero o Robortelle, ut oſtendi, ἐν γῆς, ἐν ὑγρῷ ἀνέστη.

25. b. 1.

Scripſerat Svetonius: Salinator tribus Romanas in cenſura notavit, quod cum ſe poſt priorem conſulatum multa irrogata condemnaſſent, conſulem iterum fecerunt; tu excepiſti. Tribus in comitiis condemnabant aliquem, & mulctam irrogabant Republica vivente. Admonui ego, illud in comitiis, non eſſe apud Svetonium; neque neceſſarium eſſe, quia tribus niſi in comitiis jubeant aliquid; ad hoc cum tu nihil reſponderis, poſſum dicere me unum ſaltem tuo teſtimonio viciſſe; deinde notavi, non dici, tribus irrogare multam, ſed magiſtratum irrogare multam, quæ jubeatur à tribubus, aut remittatur, atque hoc oſtendi locis auctorum veterum multis; quæ tu refutare non potes; multoque minus, quia cum inquit Svetonius, tribus multa irrogata Salinatorem condemnarunt, non potes dicere, tribus multam irrogarunt Salinatori, & condemnarunt, ſed cum eſſet ei à tribuno plebis multa irrogata, condemnarunt. Hoc ergo tu confirmas, & more tuo, ut me reum facere videaris, alia in hanc ſententiam ex Theſauro linguæ latinæ, & Budæi commentariis ſumpta profers; & cum contumelia quaſi victor, & non victus, & jam ſæpiſſime à me confoſſus loqueris; inde nonnulla alia à propoſita re abhorrentia. Tandem exanguis accedis ad probandum, dici etiam, tribus irrogare multam; & profers verba Budæi hæc: Quæ mulcta poſtea populi ſuffragiis vel irrogaretur, vel abrogaretur; & putas hæc una verba ſine auctoritate veterum contra me telum eſſe acerrimum; facile ut poſſim concludere, me tibi alterum etiam tacenti extorſiſſe; etenim cum te victum ſentias, in me irruis, & petis, ut oſtendam, dici, jubere multam; quaſi vero ſi populus juſſit legem, bellum, pacem, cæteraque ejuſmodi omnia, cum rogatus eſt, non etiam eundem dicere poſſimus, multam juſſiſſe, cum erat à tribuno irrogata. Tandem tibi venit in mentem afflicto, Ciceronem dixiſſe, privilegia ne irroganto, idque valere exiſtimas, ut probes, dici poſſe, populum multam irrogare, & es adeo ſtolidus, ut non ſentias, illud, irroganto, ad magiſtratus, non ad populum referri oportere; inde ut lectoris animum alio ſtatim transferas, diſputas extra cauſſam ex Budæi commentariis de verbo Anquirere, & judicare, & ut magnum aliquid videaris confeciſſe, ſic concludis. Hæc ſi ſaperet blæſus iſte litterator, deberet potius exquirere à me, quam ſuam detegere inſcitiam. O audaciam inauditam; ſic tu victus, jugulatuſque loqueris? hæc ego à te cognoſcam? dii veſtram pacem; quod iſtud impudentiæ monſtrum his annis rupes Carnica procreavit?

26. b. 14.

Cum narret Svetonius, C. Octavium tribunatum pl. petiſſe, ubi ex Apollonia rediit, quanvis eſſet patricius; tu memor, Octaviam gentem, ex qua hic erat, fuiſſe plebejam, declarans, cur dixerit Svetonius de eo. Quanvis patricius eſſet, ſcripſiſti, Quia à Cæſare fuerat adoptatus; erat enim Cæſar patricius; adoptati vero ſequebantur jura gentis adoptantium. Quod dictum tuum reprehendi, quia ut patricius eſſet aliquis jure adoptionis, opus erat lege curiata de adoptione; cum autem Octavius petebat tribunatum plebis ex Apollonia reverſus, per legem curiatam patricius eſſe non poterat, quia legem curiatam de adoptione nondum impetraverat; nempe inimico ejus M. Antonio conſule, ea ne ferretur, impediente; eam vero legem ſequenti anno extremo cæſis jam conſulibus Hirtio, & Panſa ipſe Octavius conſul tulit, & tum per legem curiatam de adoptione nomen, & jura gentis patris adoptivi inivit, ut narrat Dio, & alii aperte; verum hoc multis menſibus factum eſt, quàm tribunatum Octavius peteret. Patricius autem fuit ante tribunatum Octavius, quia gens Octavia in patricios à Cæſare vivente fuerat allecta, Svetonio teſte. Ex his apparet, tibi hunc incumbendum eſſe, ut demonſtres, aut legem, qua Cæſar patricium Octavium fecerat, nullam fuiſſe, aut adoptionem quancunque ſine lege curiata generis dignitatem augere, & mutare; primum confiteris; alterum proponis te demonſtraturum; an autem id conſequaris, videamus; quid ais? juriſconſultus, inquis, ſcribit, adoptionem dignitatem augere; concedo, ἀλλ' ἅμα ταύτῃ, nimirum adoptionem lege curiata factam. Inde convertis ſermonem alio, & ais, me non conceſſurum dici, ſenatorem adoptari à plebejo; immo concedo ineptiſſime, quia plebejus hic ſenatori opponitur, ut ordo ordini, non, ut tu putas, familia ordini, ut ſupradixi. Addis, ſenatorum appellatione etiam patricios intelligi, & ſine teſtimonio, præter rem contendis. Item, digrediens, de patriciis & plebejis adoptatis eadem repetis ex meis commentariis omnia, ut non diſcere, ſed docere videare. Si adoptatur, addis, aliquis plebejus à ſenatore, & patricio, erit patricius; concedo, ſi lex curiata acceſſerit. Inde, præter rem, declaras, quid ſit, in familia, & extra familiam eſſe. Locum Dionis, qui inquit, Octavium à Cæſare adoptatum eſſe ἐς τὴν οἰκίαν, in nomen & familiam interpretaris, ego in hereditatem; ſubſtantia enim non eſt nomen, aut familia, mi princeps litterarum; nam ſi tum in nomen, & familiam adoptatus eſſet, lege curiata poſtea non eguiſſet. Addis ineptias, Octavium patriciatui Cæſaris renunciaſſe, quia beneficium non confertur in invitum; o ſomnium ægroti; beneficium non conferri in invitum probas auctoritate Rinaldi in comprehenſorio feudali;

mal-

A mallem, te probaſſe, & hoc erat multi jugæ lectionis tuæ, Octavium renuncjaſſe beneficio Cæſaris, aut, quod debes adhuc, adoptionem ſine lege curiata dignitatem, & nomen adoptivi mutaſſe. Item ais, Octavius retinere voluit jus plebis, ut tribunus eſſet; at inquit Svetonium, petiiſſe tribunatum, quanvis patricius eſſet. Das herbam denique re, verbo pugnas, cùm ais, adoptionem, & patriciatum dari à populo in comitiis, id eſt, lege curiata; ex eo enim efficitur, Octavium ante legem curiatam patricium dici non potuiſſe, quia eſſet adoptatus teſtamento à Cæſare; concludis poſtremo ita: Cùm viderem, magnam vim eſſe ad augendam dignitatem ejus, B qui adoptatur, ideo id dixi, ut poſſem de tota re diſſerere; dixeris quantum libet, non tamen adhuc perſuaſiſti, Octavium ſine lege curiata adoptione factum eſſe patricium. Inde contumeliæ, & convitia innumerabilia, quorum illud eſt valde ridendum. quòd dum objicis, me ſi tria verba ex tempore loquar, ſolœciſmum, aut barbariſmum eſſe facturum, ſolœciſmum ipſe committis, etiam in puero vehementiſſime caſtigandum; ſic enim loqueris: ſi tria verba latina proferre poteris, quin in ſolæciſmum, aut barbariſmum non incideris, victor eris; neque ſentis illud, quin non, quàm ſit barbarè dictum, cum tamen hæc quatuor menſium ſpatio ſcripſeris, non ex C tempore dixeris; ſed tu hoc librario tribues; quis enim principem litteratorum in ejuſmodi erratum delabi poſſe exiſtimaret?

29. 2. 4.

De provinciis librum ſcripſeras, in quo te de earum adminiſtratione, diſtributione, & enumeratione dicturum eſſe ſuſceperas; reprehendi primum partem illam, in qua adminiſtrationem, diſtributionemque complexus eras, eamque divulſam, ſupervacaneam, mancam, incultam, ac ridiculam eſſe demonſtravi; quod ut melius intelligeretur, primum quæ mihi in hac quæſtione tractanda viderentur, expoſiii, tum quæ tu attigiſſes, & quo ordine, patefeci; ut etiam cæcus perſpicere D poſſet, me non fictis criminibus, ſed veriſſimis argumentis inſcitiam, & ſtupiditatem tuam arguere; ad quæ cùm tu nihil reſcripſeris, ego te ut tuo convictum damnatumque judicio, teſtimonioque dimittam.

Tranſeo nunc ad tuas reſponſiones, quas, ut aliquo modo occultè elabereris, non ordine poſuiſti, ſed, ut tuæ eſſe viderentur, perturbate; ſervabo autem ordinem tuum ne aliquid velle videar præterire, ita tamen ne te aliquid patiar præterire; nam hunc ego librum judicio verè tuum, id eſt omnium, qui unquam ſcripti ſunt, ineptiſſimum; quod ex ratione reſponſionum tuarum facile unuſquiſque intelligere poterit.

E Dixiſti, Siciliam provinciam factam eſſe prætoriam. Admonui te, non videri id recte dictum: Sicilia facta eſt provincia prætoria; quia omnes provinciæ inſtitutæ ita fuerint, ut quotannis in eas prætores mitterentur, nec provincia fuerit ulla ſine prætore, argumento autem hujus rei eſſe, quæ augeſcente numero provinciarum prætorum etiam numerus auctus ſit, ut ſcribit Pomponius; addi etiam, te non poſſe dicere, Siciliam potius prætoriam provinciam eſſe factam, quàm Sardiniam, Galliam, Aſiam, & reliquas, huc accedere, quæ qui dicit, Sicilia facta eſt provincia prætoria, ſignificat alias factas eſſe non prætorias; cùm tamen omnes, tum cùm factæ ſunt, prætoriæ factæ ſint, & poſtquam factæ fuerunt, ſi ordines res ageretur, omnes prætorum imperio adminiſtrarentur, ſi quid extra ordinem ſenatus decernebat, duæ conſulibus mandarentur, quæ conſulares dictæ, reliquas prætores ſortirentur; atque hoc ita apertum eſt, ut probatione non egeat; ſiquidem nulla provincia eſt, quæ ex ordine non prætoribus, extra ordinem non conſulibus aliquando ſit decreta. Ad hæc tu: Quid ais imperite nebulo? Sicilia nonne fuit prætoria o modeſtiſſime & optime cyclops, ſed non magis Sicilia, quam omnes aliæ.

Addis: Rufus ait, Siciliam primam fuiſſe provinciam factam; quorſum hoc? non id reprehendo; illud culpo, quæ cum prætoriam factam dixiſti, ſignificare viſus es, alias eſſe factas non prætorias; quod oportuit probare, occurris, Rufum dixiſſe Siciliam primum fuiſſe prætoriam, poſt ſub Imperatoribus præſidialem; recte Rufus, tu ſtultiſſime; neque enim tu dixiſti aliquid de præſidiali, cùm tamen in tuis illis præclaris diviſionibus hanc etiam ponere deberes, alias prætorias, alias præſidiales, ut admonui te, nec tu recte factum, negare potuiſti; profers item Strabonem, qui inquit; Auguſtum feciſſe alias provincias prætorias, alias conſulares; & hic egregie, tu autem abſurdiſſime; non enim tu de Auguſto nunc loqueris, ſed de populo R. & de Sicilia, quæ ante Auguſtum annos circiter CCL. provinciæ formam accepit.

Cùm tu proferres teſtimonium Rufi, qui ait: Sicilia poſtquam à prætoribus recta eſt, poſtea eſt commiſſa præſidibus, nunc à conſulibus adminiſtratur, occurri ego his verbis: Ar idem factum eſt in cæteris, ut ſtante Rep. à prætoribus, ea everſa modo à preſidibus, modo à conſularibus regerentur, quibus verbis ſignificavi, provincias diverſis temporibus à diverſis rectoribus fuiſſe adminiſtratas; tu autem ais: mentiris, nam certa fuit diſtinctio provinciarum imperatorum ætate, nec in eas, quæ erant prætoriæ, mittebantur præſides, aut prætores in illas, quæ erant præſidiales; cui ego nunc reſpondeo iterum, me voluiſſe, quod dixi, non id quod tu arguis; mirarique me vehementer, te ea eſſe audacia præditum, ut cùm latine non intelligas, diſputare ſcribendo cum altero velis, cumque te victum, proſtratumque ſentias, ad contumelias ſubito confugias, & Venetorum Principum patientiam tandiu illudas.

Suſcipis deinde probandum, quaſi rem incognitam, & obſcuram, provincias Reip. tempore alias prætorias fuiſſe, alias conſulares, probas autem ex loco epiſtolarum Cœlii omnibus pueris notiſſimo, qui meminit ambarum; cui iterum dico; provincias florente Rep. omnes fuiſſe prætorias ordine, conſulares duas, extra ordinem, ut ſenatui placuiſſet; certam autem provinciam fuiſſe conſularem, te nunquam probaturum.

Quod autem mirabile magis eſt, profers Pomponii verba adverſus me, quibus ego contra te uſus fueram, qui inquit titulo de origine juris, creatos eſſe prætores, qui rebus provincialibus præeſſent; immo creati; ergo provinciæ prætoriæ fuerunt, fuerunt, ſed omnes, adeo ut ſi de Sicilia loquaris provincia facta, non dicas, provincia prætoria facta eſt; nam qui ita dicit, ſignificat, Sardiniam exempli gratia non fuiſſe prætoriam, aut Aſiam. Ar-

Arguis deinde, me non inflexiſſe locum Pomponii; de quo quærəmus; ſic ille: Poſt duos creatos prætores urbanum, & peregrinum, capta Sardinia, mox Sicilia, item Hiſpania, deinde Narbonenſi, totidem prætores, quot provinciæ in ditionem venerant, creati ſunt, partim qui urbanis rebus, partim qui provincialibus præeſſent. Hæc verba ego his verbis interpretatus ſum: Scriptum eſt apud Pomponium, prætores quatuor eſſe factos, ut in Siciliam, Sardiniamque novas provincias duo mitterentur; quid tu ad hæc? Non videt cuculus, quatuor additos prætores; non duos; nec enim ſeparatim eos nominat; oro te magiſter magne, ſi neſcis litteras, cur nos illudis? Fateor Pomponium dixiſſe poſt urbanum, & peregrinum prætores quatuor alios eſſe adjectos, qui in quatuor provincias mitterentur, Sardiniam, Siciliam, Hiſpaniam, Narbonenſem; at ego, quia ſcio poſt duos inſtitutos, urbanum, peregrinumque duos alteros uno tempore additos inter primum, & ſecundum bellum Punicum, qui Siciliam Sardiniamque adminiſtrarent, quemadmodum in Faſtorum conſularium commentario uberius demonſtravi, propterea quod ad rem meam pertinebat, dixi, duos creatos, qui in Siciliam, Sardiniamque mitterentur; ex quarum provinciarum nominatione facilè perſpicere poteras, me numerum duorum priorum à numero poſteriorum ſecernere. Nunc, ſi vis, dicam aperte, hic Pomponius parum mihi probatur; inquit enim quatuor additos, quaſi eodem tempore omnes additi ſint, cum duo inter ſecundum, & tertium bellum Punicum, duo alteri poſt ſecundum ſint inſtituti; præponit Sardiniam Siciliæ, cum Sicilia, ut tu dixiſti, prima fuerit omnium; inquit, creatos eſſe, ut in Hiſpaniam, & Narbonenſem mitterentur, cùm poſteriores duo ſint creati, ut in duas Hiſpanias citeriorem, & ulteriorem mitterentur, teſte Livio. Nam Narbonenſis provinciæ cauſſa, quæ multo poſt adjecta provincia eſt, nihil eſt innovatum.

Deinde ut probes, recte te dixiſſe, Siciliam prætoriam provinciam eſſe factam, profers Livium, qui ait: Hiſpaniæ duæ terminatæ, in eaſque ut prætores mitterentur, inſtitutum; egregiè probas, Hiſpanias rectas à prætoribus, de quo quæ mihi tecum contentio eſt? non probas, Siciliam potius, quàm alias, factam eſſe prætoriam. Dixi, provincias fuiſſe in poteſtate ſenatus, ut quas vellet à conſulibus, quas à prætoribus regi, decerneret. Hic tu, ab Onuphrio ſumpſiſti, inquis. Sumpſi ab Onuphrio? cur non ille potius à me, qui mihi tantum tribuit, ut meis familiaribus ſermonibus plurimum ad hæc ſcribenda, quæ tu ſæpe, ut oracula profers, ſe adjutum profitetur?

Poſt autem addis, Onuphrius te cum diſſentit, qui paulo ante Pharſalicam pugnam provincias dividit in prætorias, & conſulares; ſcite; ex decreto ſenatus; non ut aliquæ eſſent perpetuò conſulares. Verum, ut video, nihil adhuc tam multis verbis & conviciis profeciſti; non dum, cur potius Siciliam factam eſſe provinciam, quam alias dixeris, cauſſam reddidiſti; huc igitur urge; reliqua mitte.

Dixeras, Siciliam provinciam à Marcello factam; admonui primo bello Punico factam à Lutatio, aut ſecundo iterum non à Marcello, ſed à Lævino; ad hoc cum tu nihil ne convitiorum quidem reſcripſeris, jam ut tua confeſſione victor, poſſum facile exultare.

Ægre fers, quod dixerim, te indicem Svetonii librum de vita victuque populi Rom. indigne inſcripſiſſe; & ais, te Varronis veſtigia perſecutum eſſe, qui tales libros ſcripſit, & inſcripſit. Reſpondeo, inter Varronianos, & tuos nihil ſimile eſſe, niſi titulum. Varro enim ut eſt apud Nonium; pollicetur ſe primo libro de re familiari ſcripſiſſe, ſecundo de victus conſuetudine primigenia, tertio de diſciplinis neceſſariis vitæ, & inde reliqua; tu vero ubi aliquid tale, ſententiam Svetonii collegiſti, quam bene vidimus, & in indicem retuliſti; indicem dixi; utinam index eſſet; nam indices ordinem aliquem habent, hic eſt mera confuſio, vide ergo quid præſtare poſſis, cum ne ad indicem quidem concinnandum idoneus ſis; & in eo ſcribendo etiam grammaticè pecces; quod ſi tu res tomos adjeceris, inſcitiam hercle, ſtuporemque tuum latius indicabis; quin potius iſta mittis; ut de provinciarum libro feciſti, quem cùm te huic libro adjuncturum oſtendiſſes, maturiore deinde conſilio præteriiſti.

30. a. 30.

Reprehendi etiam diviſionem populorum, & provinciarum tuam, cùm populos diviſiſti in ſocios, fœderatos, dediticios, municipes, colonicos, provincias in liberas, ſtipendiarias, tranſalpianas; defendis hæc ita, ut confitearis, male te diviſiſſe, ſed neges eam diviſionem eſſe, verum enumerationem, vel auctore Thoma Peregrino Metaphyſicen in Patavino gymnaſio profitente; cui ego, audiſſe me, metaphyſicos de ente, ut ens eſt, & de ſubſtantiis ſeparatis, quibus aures noſtræ propè obſurduerunt, tractare, de provinciis Romanorum non admodum anxio, atque ſollicito animo eſſe; ſed tamen non dubito, quin metaphyſicus quicunque, ne dum doctiſſimus, qualem eſſe Peregrinum ſcio, ſi tua verba audiat, in meam ſubito ſententiam deſcenſurus ſit; etenim cùm librum inſcripſeris, de adminiſtratione, & diſtributione provinciarum, cùm in principio propoſueris, te de provinciarum diſtributione diſputaturum, cùm dixeris paullo poſt, te antiquam Varronis diviſionem prolaturum, hanc non diviſionem, ſed enumerationem eſſe dicere poteris? Poſt, cùm addideris, diſtinguebantur provinciæ, ut aliæ liberæ, aliæ ſtipendiariæ dicerentur; & poſt, cùm dixeris: Præter alias differentias hæc erat etiam in provinciis, diviſionem te voluiſſe afferre, negare poteris? an ne diſtinguimus numerando? an ne differentiis utimur numerando? poteſt ne differentiarum fieri mentio ſine diviſione? quam ad rem valent differentiæ, quàm ad genera partienda? quæ eſt alia generum partitio, quàm diviſio? ſi numerare voluiſti, cur in populorum diviſione non etiam provinciales commemoraſti, de quibus agere propoſueras? ſi numeraſti tranſmarinas, potuiſti etiam tranſalpinas; an vero in enumeratione idem bis numeramus, ut cum tu ſocios, & fœderatos dixiſti cum omnes fœderati ſocii ſint? ſi tibi hæc numerationis vox placebat, cur non utebaris, ut poſtea, cum te ſingulas Europæ, Africæ, Aſiæ provincias velle numerare dixiſti? in quo à me non es reprehenſus; hominem induſtrium, & vigilantem rerum harum tractatio poſtulat, non Polyphemum aliquem ſomno, vinoque ſepultum.

Ex-

Expoſtulas deinde mecum, quod dixerim, te ſine veterum teſtimonio loqui; an vero veterum teſtimonio nititur ille, qui, quod tu facis, in hoc libro ſæpiſſime ſententiam ſuam nulla alia, quàm Budæi, & Onuphrii auctoritate defendit; quorum ille heri mortuus eſt, hic minor eſt te annis, opinor, viginti?

Dixi alienum eſſe à quæſtione provinciarum, quod ſcripſiſti, Romanos uſque ad exactos reges poſſediſſe non ultra triginta millia paſſuum; quia ſignificare videris, ultra illud ſpatium fuiſſe provincias, & quaſi agri Romani, & provinciarum fines conſtituere. Reſpondes, ſi provincia eſt porrò victa, ergo oportuit id proferre. Firmum hercule argumentum. Magna Græcia eſt porrò victa, id eſt, longè à domo victa, ergo eſt provincia; falſum, mi dialecticorum princeps; non ergo ab agro Ro. ſed ab extremis Italiæ partibus, quibus ſunt annexæ provinciæ, fuit tibi hæc exordienda tractatio, quas omiſiſti.

Argui, te de præfecturis loquentem, propè nil dixiſſe, me autem plurima inveniſſe, negas tua ſcripta cum meis eſſe comparanda, egregie; negare non poſſum.

Scripſiſti, primam Romanorum adminiſtrationem fuiſſe præfecturam; jam ego, Quoniam, inquam, præfectura cum provinciis aliquid habet ſimile, propterea jura præfecturarum deſcribere debuiſti; quibus verbis te accuſavi, quod non copioſius egiſſes de præfectoris, quia quod in oppido eſt præfectura, id in regione eſt provincia; tu autem propè furore amens ita in me inveheris: Inquit cuculus, quid ſimile habet præfectura cum provincia? videat quæſo quivis cuculi hujus inſcitiam, an præter rem eſt, cùm de provinciis agas, etiam de præfecturis loqui? Verbum non habeo Robortelle aptum ad tuam inſcitiam, & impudentiam declarandam; cùm enim ego te laudem, te vituperari putas, & me accuſas; ego dixi nihil ſimile eſſe præfecturæ cum provincia, an magnam ſimilitudinem eſſe? o ſtipitem; neque enim plus eſt in te ſapientiæ, quàm in lapide; quippe cui vir, ut ajunt, navis videtur.

Dixi, te ad declarandam præfecturam uno Feſti loco fuiſſe contentum, debuiſſe alia addere, eumque locum ſatis obſcurum te non illuſtrare; occurris: Onuphrius etiam tuus nihil aliud addidit; honeſta defenſio; occurri, me plurima in eam rem collegiſſe; reſpondes, nolo videre tua; quid mirum? ne aſinus quidem aurum vult, ſed ſtramenta.

Reprehendi te, quòd provincias diviſeris in liberas, & ſtipendiarias, & tranſmarinas. Hic tu, ita quoque fecit, inquis, Onuphrius; præclarè; hoc eſt veterum ſcriptorum omnia teſtimonio confirmare? quam verum illud eſt, aut regem, aut ſtultum eſſe oportere.

33. 34. 35.

Ad ea, quæ de tributis, tributariis, vectigalibus, ſtipendiariis, & immunibus dicis, quia me non contingunt, & quia ad alia feſtinat oratio, nihil dico.

Dixeras, Cyrenas, & Libyam totam ex teſtamento Ptolomæi provinciam eſſe factam; negavi ego hoc, quia non procedit ratio: Cyrenæ relictæ ſunt populo Ro. à Rege, ergo provincia facta eſt; quia relictæ fuerunt ea conditione, ut eſſent liberæ, provincia vero nulla ſit libera; quia liber ſit, qui legibus ſuis utitur, provincia, quæ pareat alienis. Hic tu reſiſtens ais, poſſe eſſe provinciam liberam, ut Macedonia fuit; de qua ſcriptum eſt apud Livium libro 45. Paulus Macedones omnes liberos eſſe juſſit; & in epitoma ejuſdem libri: Macedonia in formam provinciæ eſt redacta. Cui ego. Nihil debet eſſe in epitoma, quòd non ſit in libro, cujus ea eſt epitoma, aut non aliter eſt intelligenda epitoma, quam verba, quorum ea eſt epitoma, at Livius cùm copioſius ea de re loquatur, nullum verbum de provincia facit, ergo ne epitomæ quidem verba in hanc ſententiam ſunt accipienda, ut intelligamus. Paulli Macedonici victoria Macedoniam Provinciam ita eſſe factam, ut quotannis à prætorib. Romanis adminiſtrata ſit; neque enim extat memoria prætorum, qui Macedoniam rexerint, niſi poſt Metelli victoriam, qua verè provinciam factam eſſe Mæcedoniam ſcimus. Repugnat enim libertati prætor, faſces, lictores, imperium, exercitus; cum autem de Hiſpaniis Livius eſt locutus, dixit. Hiſpaniæ duæ ordinatæ, inſtitutumque ut quotannis duo eo prætores mitterentur; & Solinus cap. de Sicilia ita: Sardinia, & Sicilia utraque inſula in Romanam poteſtatem redacta iiſdem temporibus; provincia facta eſt, cum eodem anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius prætores ſortiti ſunt.

Syriam dixiſti à L. Scipione provinciam factam; ego à Cn. Pompejo Magno, teſtibus veteribus ſcriptoribus multis; quid tu ad hæc? dixi, inquis, quod inveni apud Onuphrium tuum; nego conſequentiam domine dialectice mi excellentiſſime.

Addis, fuiſſe aliquam regionem liberam, ſed ſtipendiariam, ut Africam ſecundo bello punico; quorſum hoc? loquimur de provincia, non de regione libera; iteras. Libya erat libera, & ſtipendiaria, & poterat eſſe provincia, quia Macedonia provincia fuit, ſed libera; nihil eſſe poteſt infirmius; oſtende Lybiæ prætorem; tum provinciam fuiſſe aſſentiar.

Dixeras Sardiniam, & Corſicam victas fuiſſe à M. Metello, C. Aurelio, L. Cornelio, T. Manlio admonui, te non propterea tradidiſſe, an provinciæ factæ ſint, nec à quo, nec quando; non enim recte concludi, victæ ſunt ab iis, ergo ab iiſdem factæ provinciæ ſunt; multi vicerunt, non omnes provinciam fecerunt; nunc reſpondes, te id oſtendiſſe ſatis teſtimonio Rufi; quid inquit iſte Rufus? Sardinia, & Corſica à Metello victa oppono, non procedere, victa eſt à Metello, ergo provincia facta eſt à Metello; occurris, procedit, quia Rufus ſemper ex multis victoriis nominat ultimam, qua provincia facta ſit; falſum; nam Sicilia provincia facta eſt diverſis temporibus, à Metello, ſive potius Lævinio, à Rupillio, ab Aquillio, & tamen ille non Aquilium ultimum, ſed Marcellum primum, id eſt, non poſtremam, ſed primam victoriam nominavit; tu tamen non unam Metelli victoriam nominaras, ſed multas alias, Aurelii, Cornelii, Manliique adjunxeras; at tuus, inquis, Onuphrius ita loquitur. Quæſivi qui nam eſſet iſte Metellus; tu contemptim mandas, ut ego quæram; atqui ego quæſivi ſatis, & te ipſum docui. Hinc tu iratus, ſumpſiſti omnia ab Onuphrio, inquis, immo vero tu expilaſti Onuphrium ſed furti dabis mihi pœnas.

Reprehendi te, quod poſt Sardiniam col-

locarii, Macedoniam, cùm Hiſpania ante in provinciæ formulam ſit redacta, quàm Macedonia. Ad hæc tu: ut ſoles, modeſtè. Miratur cuculus, cur eo loco Macedonia poſita ſit, nec videt, qua ratione id ſit factum. Immo vero non video, nec tu quærenti mihi ſatisfeciſti; adeo ſuperbus es, & ignarus. Macedoniam victam à Flaminio, Paullo, Metello dixiſti; reprehendi, quod non à quo provincia facta ſit, expoſueris; reſpondes te dixiſſe, à paullo; cui ego; primum, non quo loco debebas, deinde à Paullo factam nego; repetis Vellejum idem ſcribere; occurro, Vellejum ſubactam dicere, non provinciam factam eſſe. Nullus auctor rejiciendus eſt, inquis; immo omnes, cum ea dicunt, quæ veritati, & rationi repugnat; diſſentis, inquis, à Vellejo. Quid tu, cùm Sardiniam victam à Metello dixiſti, non ne ab ejus ſententia diſceſſiſti, qui ſcripſit à T. Manlio?

De Hiſpania diſputaſti his verbis: Hiſpaniam primum ingreſſi Romani, cum adverſus Afros per Scipiones ipſis Hiſpanis tulere ſuppetias. Sex. Ruf. cap. 8. Victa primum à D. Bruto, Celtiberi à Silano, Numantini à Scipione minore; poſtea cum tota defeciſſet Sertoriano bello, recepta à Pompejo, Cantabri, & Aſtures ab Auguſto victi. Sed vide Plin. l. 3. in ea ſex provinciæ factæ ætate Rufi, Bœtica, & Luſitania conſulares, Tarraconenſis, Carthaginenſis, Gallicia, Tingitanæ. Hæc verba ego reprehendi, quòd à quo, & quando Hiſpania provinciæ formam acceperit, quibus finibus utræque Hiſpaniæ diſterminatæ ſint, non docueris, & nullum de Luſitania verbum feceris; addidi etiam te recitaſſe verba Rufi parum fideliter, & mendoſe; eaque integra ego, & emendata protuli. Nunc reſpondes, te protuliſſe tres auctores. Ruſum, Plinium, Vellejum, & declaraſſe, quæ pars à quo fuerit victa, quo tempore provincia facta; o monſtrum; tu in iis, quæ modo protuli, verbis hæc tanta complecteris? hoc, quod quæro, Rufus, Vellejus, aut Plinius tradiderunt? inſaniſti Robortelle. Opponis, tibi non fuiſſe propoſitum, ut de finibus Hiſpaniarum provinciarum, quæ terminatæ à populo Rom. ſunt, diſputares; & tamen te de diſtributione provinciarum, & adminiſtratione profiteris eſſe ſcripturum. Dixi te parum fideliter verba Rufi protuliſſe, quia apud Rufum ſcriptum ſit, victoria primum Scipionum partas eſſe Hiſpanias, tu autem Hiſpaniam primum à D. Bruto victam ſcribas; tu reſpondes me mentiri, quia ſi addatur verbum unum, nihil deerit; verbum autem vis eſſe LUSITANIA; ut legatur Luſitania victa primum à D. Bruto; vides ergo, ut tutum habeas portum, quo te jactatus recipias, vitium librariorum; non eſt autem veriſimile hoc, nec conſentaneum, neque enim Rufi librum emendas tu, cum vulgo, pro Luſitanos, tot annos, legatur.

Scripſeras Illyricos victos à L. Manilio, deceptus à vulgato Rufi libro, in quo ita eſt; admonui te, legendum eſſe L. Anicio. Hic tu mihi gratias agis, hoc modo: Quod ait cuculus, Anicium, non M. milium legi debere, id ſcit Robortellus, & agnoſcit librariorum in uno nomine ſcribendo erratum; ô hominem dignum, à quo reliqui modeſtiæ præcepta cognoſcant.

Admonui, te Dalmatiam omiſiſſe, quæ non eſſet victa cum Illyrico, ſed alia victoria. Hic tu more tuo meum mihi opponis Onuphrium, ſcriptorem ſanè vetuſtum.

A

Scripſi, te præteriiſſe Galliam Narbonenſem, quæ poſt Dalmatiam erat collocanda, reſpondes, te de ea locutum, ubi agis de Gallia, & à quo, & quando victa fuerit, docuiſſe, falſum; nam ubi de Gallia agis, quod ad Narbonenſem pertinet, tantum recitas verba Rufi hæc: in Gallia, & Britannia ſunt provinciæ 18. alpes maritimæ, Narbonenſis, Riennenſis, &c. Hæc autem facta eſt provincia à Fabio Allobrogico, cujus nulla in tuo libro toto eſt mentio.

Dixi, te omiſiſſe Achajam factam provinciam victoria Mummii; tu nihil reſpondes; ergo aliquando tandem arrogantia victa eſt.

B

In diſputatione, quam inſtitiiſti de Gallia, multa reprehendi, ſed maxime, quod Gallos, qui à Mediolano ad Rubiconem pertinerent, Romam cœpiſſe dixiſti, à C. Mario Italia pulſos, à C. Cæſare bello fractos. Hic tu non ſine contumelia, reſpondes, te intellexiſſe Italiæ, & Galliæ fines aſſignare; quæ reſponſio dubitationem meam, ſi attenderis, nullo modo tollit. Addis, Plinium ſcribere, Italiam à ſupero Mari Æſi, ab infero Macra amnibus terminari, victis, & deletis Senonibus ad Rubiconem proceſſiſſe; quæ verba dico apud Plinium nulla eſſe, neque vera eſſe, quia Italia ante Senonas victos Arno terminabatur. Luca enim de Liguribus capta eſt, eaque poſtea provinciæ Galliæ attributa, ſed hæc multo apertius in libris de jure Italiæ à me pertractata ſunt. Dixi, Romam non eſſe captam à Gallis, qui à Mediolano ad Rubiconem habitarunt, ſed à Senonibus qui à Rubicone ad Æſim; opponis, te loqui de finibus Italiæ, & Galliæ; quo nihil poteſt reſponderi inſulſius; itaque tacitus te, ut debeo, dimitto; cur enim non potuiſti dicere, Galli, qui à Rubicone ad Æſim pertinuerunt, Romam ceperunt? Diverſi, inquis Galliæ fines fuerunt; nihil mihi notius eſt, at non poſtquam Gallia Rubicone eſt terminata, à Senonibus capta Roma eſt, ſed poſt deletos Senones, ii termini, quos dicis, conſtituti ſunt.

C

D

Hinc ubi te nihil proficere argumentis vides, tanquam canis in peregrinum inſultas. Nihil dixiſti, inquis, quod non alii; immo quæ nemo alius; dialogi diſputationem ex meis de arte poëtica commentariis ſuppilaſti; oſtende, ut deprehendar. Quod erat, inquis, dicendum in eo præteriiſti, redargue me, ut vincas; de ratione interrogandi, & reſpondendi ne verbum quidem feciſti; ego vero te ad Ariſtotelis libros, ut debui, rejeci; ne actum, ut dicitur, agerem; ubi? inquies; tum cùm ſcripſi: Quod ſiquis fortaſſe erit, qui me parum multa ad eorum officium, qui in ejuſmodi diſputationibus quæſtionem ſive poſcant, ſive ponant, explicandum attuliſſe putaverit, is ſic habeat, me cum ejuſmodi diſciplinam multis libris ab Ariſtotele accuratiſſime traditam, omnibus in promptu eſſe viderem, inanem, atque alienam operam ſuſcepturum judicaſſe; ſi quæ ille plurima, eademque pulcherrima de diſſerendo præcepta reliquit, omnia ad hanc dialogorum diſciplinam inſtituendam accommodarem, præſertim vero cum ab initio admonuerim perfectam dialogorum laudem egregia ipſa dialecticorum in diſputando conſuetudine

E

ne

ne contineri. Non animadverti, inquies; credo, quia vocabula tibi incognita uſurpavi, poſcere quæſtionem, & ponere, pro interrogare, & reſpondere. De decoro multa, inquis, verba feciſti, quod omni dramati eſt commune; atqui aliud differentium, aliud alio munere fungentium eſt; de eo pluribus, inquis, Ariſtoteles in poëtica, immo ne vix quidem.

Negavi, Romanos cum Gallis, qui à Mediolano ad Rubiconem pertinent uſque ad C. Marii tempora prælio decertaſſe; tu nihil reſpondes, mirum, tantum in te eſſe modeſtiæ, ut te victum ſilentio fatearis.

Negavi, Marium expuliſſe Italia Gallos eos, qui à Mediolano ad Rubiconem incoluerunt; obmutuiſti, bene habet res, haſtam abjicis.

39. b.

Dixeras Gallos, qui à Mediolano ad Rubiconem ſedes tenuerunt, à C. Mario Italia pulſos; hoc ego inficiatus ſum; probas tu teſtimonio Rufi, at Rufus, mi vetule, non inquit, Gallos, qui à Mediolano ad Rubiconem, ſed ſimpliciter Gallos, ita ut de Cimbris poſſis intelligere, quos alii Germaniæ aſcripſerunt; ſic Onuphrius quoque, inquis, ô ſtolidum, Onuphrius ait, Marium Galliam ab impetu Cimbrorum ſervaſſe; ergo Gallos, qui à Mediolano ad Rubiconem ſunt, Italia Marius expulit? pugnavit in Gallia citeriore Marius ad Atheſim non cum Gallis Italicis, ſed cum Cimbris. Hinc quaſi me Onuphrii teſtimonio jugulaveris, inſers: I modo, & ſupputa diligenter, ubi pugnatum ſit cum Cimbris in Gallia Narbonenſi ad Aquas Sextias, an ad Atheſim in citeriore, an illi Cimbri Germani fuerint, an Galli; ego vero mi princeps, ſupputavi & te, velis, nolis, tecum diſſentire coëgi. Addis: Vide in qua re labitur, & hæſitat, & audet invehi in me virum erudiſſimum, qui nihil ſcribo, quod non ſit veterum teſtimonio confirmatum. Scilicet Onuphrius, qui tibi poſſet eſſe filius, vetuſtiſſimus auctor eſt? Non eſt ſpes, inquis, te proficere, quia difficile eſt, canem vetulum loro aſſueſcere; ecce qui me quinquennio ante puerum appellabat, nunc ſenem vocat; immo vero de te mi vetule actum eſt, nam, ut tu ſoles dicere, qui cito non diſcit, nunquam diſcit; tu vero, ne ſero quidem.

Dixeras Gallos, qui incoluerunt à Mediolano ad Rubiconem à Cæſare domitos fuiſſe; negavi; non auſus es hiſcere, ergo victus.

Admonui, te præteriiſſe Galliam citeriorem; obmutuiſti; quid te faciam igitur?

Scripſeras, Dardaniam, & Mœſiam à Curio victas, inductus à mendoſo Rufi libro, admonui, ſcribendum eſſe à Curione; reſpondes, te id ſcire, mihique maledicis, quod non animadverterim, errorem illum eſſe notatum poſtea; miror autem, quia in tuo libro, non invenio notatum inter errata; quare vereor, ut delires. Dixeras, Numidiam rege Jugurtha victo, à Mario factam eſſe provinciam; argui te, cùm ſcriberem, veterum omnium teſtimonio, poſt multos annos factam eſſe à Cæſare; opponis nunc mihi Rufum, qui ſubactam tantum ait; quod verbum jam ſæpius non ſatis valere oſtendi ad id, quod volumus; refugis rurſus ad Onuphrium, ut ſi ei repugnem, amici à me voluntatem abalienem, aut vineta egomet cædam mea; ſic enim ais; dum refellis me, refellis Onuphrium; ô ingratum cuculum, qui laudatorem ſuum refellit; erraſti; accipitrem voluiſti dicere; qui te miſerum miſere laniavit. Addis, quæ ego ex veterum Velleii, Hirtii, Dionis, Appiani ſententia de Numidia dixi, meras nugas eſſe, mihique Onuphrium reſponſurum; ô dignitatem Italiæ, quæ tam ſtolido litteratori per tot annos in omnibus ut ipſe ait, gymnaſiis commendata eſt; attendite tranſalpini, quo tandem ſtultitiæ provectus ſit hic noſter, qui ſe totam Europam Patavium fama doctrinæ ſuæ evocaturum eſſe pollicitus eſt; ut ſe victum ſentit, & auctoritate veterum jugulatum, audet ita ſcribere: Verum quia hoc mihi commune eſt cum Onuphrio, illi permittam, ut refutet nebulonem hunc; induſtrio enim homini fieret injuria, ſi quæ ab eo dicta ſunt, confirmare vellemus; vide Onuphri quid egeris, Sigonius te aggreditur. Immo vero tu princeps confirma opinionem tuam, & profer nunc paginam, & verſum, ut gloriaris, te facere ſolitum eſſe. Dixeras, Salluſtium hoc litteris de Numidia provincia prodidiſſe; negavi; cur non me refellis? cur non iſta verba profers?

De Mauritania ita præceperas: Mauritania, quàm olim Juba rex amicus populo Romano rexit; ſed is poſtea à C. Cæſare victus eſt, & tota regio reducta in formam provinciæ; vide Vellejum, & Cæſarem. Hic reprehendi orationem inconſequentem. Mauritania, quam Juba rexit, ſed is poſtea; tu obmutuiſti; ergo non ſum falſus, cùm te dico grammatice neſcire ſcribere. Dixi, te proferre Cæſarem pro Hirtio; non negas; Negavi, Jubam regem à Cæſare victum rexiſſe Mauritaniam, negavi Cæſarem Juba victo feciſſe Mauritaniam provinciam; confirmavi opinionem meam auctoritate Strabonis, Dionis, Velleii, & Hirtii, qui ubi de Numidia, & Mauritania provinciis ſcribunt, apertiſſime loquuntur, quo tempore Juba regnabat in Numidia, in Mauritania regnaſſe Bogudem, & Bocchum, illum Pompejo ſtuduiſſe, hos Cæſari; multaque alia, quæ non videntur repetenda. His autem auctoritatibus Hirtii, Strabonis, Dionis, Velleii, Taciti, Tranquilli opponis verba obſcura, & fortaſſe manca unius Rufi, qui Imp. Valentiniani æqualis fuit; item opponis Onuphrium; inde quaſi victor ais: Quid exclamas bellua, quid furis? inde in tuas laudes. Jure me laudant, quod omne ſcriptorum genus legerim; & quidem legi, inquis, & diligenter notavi ſingula; ô Itali, ô tranſalpini advolate, ut, quod in proverbio eſt, πίθηκος ἐν πορφύρᾳ; videatis.

44. b.

Ætoliam provinciam factam M. Fulvii victoria dixeras, protuleraſque teſtes Livium, Appianum, Juſtinum, Plinium; negavi, apud hos quidquam de Ætolia in provinciæ formam redacta prodi, eam quidem à Fulvio victam exponi, conceſſi; leges etiam pacis Ætolis datæ, quarum meminit Livius, ſatis indicari adjeci, Ætoliam tum in provinciæ formam non eſſe redactam. Tu, qui verba horum ſcriptorum, in quibus provinciæ mentio fieret, proferre debebas, ſic reſpondes: ego probavi Ætoliam provinciam factam tot auctoritatibus, & hic cuculus audet invehi in me. Itera dum eadem iſta mihi; probaſti ne provinciam factam, an devictam? neque enim

ut

ut ſæpe dixi, procedit; victa eſt, ergo provincia facta eſt. Hinc tu ſatis argute; ô impudentem hominem, imperitum totius antiquitatis; immo vero ô te miſerum, mentis, atque conſilii inopem; ſubjiciam, inquis, Onuphrii verba. Profectò niſi hunc Onuphrium amicum, & familiarem meum tibi parabas, non erat, cur de provinciis verbum mihi reſponderes at Onuphrius tamen non provinciam factam, ſed bello tantum devictam ſcribit, verbis Livii recitatis provinciam fuiſſe factam contendis, quia in legibus pacis de penſionibus pecuniæ actum eſt, quaſi penſio provinciam faciat; quid? Africa ne ſecundo bello Punico provincia facta eſt, quia pecuniæ penſione multata eſt? Prætoris, prætoris inquam imperium, tribunal, lictores provinciæ formam inducunt, non pecuniæ penſio: oſtende, Ætoliam à prætore annuo adminiſtratam ante Mummii victoriam, qua Græcia ſervitute multata eſt, & victor eris.

Hinc quid vetat, inquis, quin ſint fœderati, & ſtipendiarii; quorſum hoc? quis negat?

Ætoli erant, ais, fœderati, ut Latini. Hoc uno verbo oſtendis, te neſcire, quo fœdere eſſent Latini; quid enim? ergo Ætoli meliore conditione fuerunt, quàm Italici? ſiquidem Latini Italicis commodiore in cauſſa fuerunt, ut in meis de jure Italiæ commentariis demonſtravi. Expectas, inquis, dum Livius dicat, ex X. legatorum ſententia; immo vero non expecto; nam & in conſtituenda provincia eos aliquando præterit, ut cùm de Hiſpaniæ duæ ordinatæ provinciæ, in eaſque ut duo prætores mitterentur, inſtitutum, & in ordinanda Macedonia nominat, quam tamen à Paullo provinciam factam non eſſe probavi.

Concludis: Judicent nunc docti, an ſomnium unius cuculi debeant præferre antiquorum hiſtoricorum auctoritati; at hiſtorici victam à Fulvio, non provinciæ formam accepiſſe narrant.

Poſtremo enumeraturus provincias dixiſti, te Europæ, Africæ, Aſiæque provincias eſſe perſecuturum; idque præſtitiſti, ut primum Europæ, deinde Africæ, tum Aſiæ provincias recenſueris; in una tantum es lapſus Ætolia, quæ cùm ſit in Europa, illam in Aſia collocaſti, Syriæque ſubjeciſti. Hac de re te admunui. Quam cum tu defendere nequeas, tamen adeo perfrixiſti frontem, ut audeas hoc modo reſpondere. Ætoliam ego in Aſiæ provinciis referendis ſubjeci Syriæ, non quod neſcirem, ut cuculus ait, illam eſſe in Aſia, hanc in Europa, ſed quia bellum hoc ex illo natum eſt; ſed hoc demus cuculi ſtultitiæ, & impudentiæ, quæ tanta eſt, ut omnium ſuperet admonitiones; ſcilicet ego, inquis, ſitum provinciarum & urbium neſcio diſtinguere; id ſi putas, facis, quia amenses, & exulcerato animo. Collige rationem hanc; Robortellus cùm Europæ provinciam in Aſia poſuit, non erravit; cur? quia Robortellus non poteſt errare. Sigonius qui Robortelli erratum patefecit, peccavit; cur? quia putavit, Robortellum hoc neſcire.

42. b

Quod ais, Ætoliam te Syriæ ſubjeciſſe, quia bella conjuncta ſunt, miror; non enim te bellorum pollicitus fueras rationem habiturum, ſed ſitus: quod debuiſti in multis aliis, ut in Macedonia, & Illyrico, quæ cum &

A ſitus, & belli neceſſitudine conjunctæ fuerint, non tamen Illyricum Macedoniæ ſubjeciſti. Syriacum autem Ætolicumque bellum adeo inter ſe divulſa ſunt, ut neque eodem tempore, neque ab eodem Imperatore, neque iiſdem legibus utrumque confectum, & compoſitum ſit; victus ergo cum ſis, cede arena ignave retiarie; neque enim in hoc palæſtræ genere gymnaſiorum jactatio quidquam proficit.

43. b

Colonias jus ſuffragii habuiſſe dixeras. Aſſenſi, ſed ſolum poſt legem Juliam, qua civitas Italiæ data eſt anno 662. ab U. C. habuiſſe autem tum, non ut colonias, ſed ut civitate Rom. donatas. Hic tu me refutaturus B ais: Vide cucule veterum teſtimonia. Cicero poſt reditum ad Quirites. Nullus in eorum reditu motus factus eſt municipiorum, & coloniarum; at me in patriam ter ſuis decretis Italia revocavit; & pro Sextio. Nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, quæ non de mea ſalute decreviſſet: O ignaviam, & ſtupiditatem incredibilem; tu non ſentis, Ciceronem loqui de reſtitutione ſua, quæ annis amplius XXX. poſt legem Juliam facta eſt? quo tempore tota ferè Italia jus ſuffragii erat adepta? & coloniæ, non ut coloniæ, ſed ut municipia ſuffragia Romæ inibant?

Occurris hoc loco prope amens, ac deſ-C peratus: At tu nihil, niſi hiſtorias, inquis, tenes; immo vero, ne has quidem; ſed non quæramus hoc; illud quæramus potius, quod ego, qui nihil, te auctore, habeo cognitum, te virum eruditiſſimum in omni diſciplinæ genere fregi, atque abjeci; quod eſt enim genus ſcriptorum tuorum, quod ego non te patiente, ac tacente, labefactarim?

Probas colonias habuiſſe ſuffragium, quia cùm duo eſſent genera coloniarum, Latinæ, & civium Romanorum, quæ dictæ ſunt civium Romanorum, ſatis conſtet jure ſuffragii fuiſſe præditas; nego hoc conſtare, immo falſum eſſe affirmo; teſtem citas Onuphrium meum: hoc tu unum ad hanc pugnam attuliſti D telum; & tamen adeo arroganter te venditas? Non habuiſſe autem, planum feci in libris de jure Italiæ.

Scripſeras, neminem pervenire potuiſſe ad jus Quiritum, ſive ad civitatem Romanam, niſi ante Latinitatem adeptus eſſet; hoc negavi, ut falſum; probas auctoritate Ciceronis, qui in IV. epiſt. ad Att. ait: Siculis Latii jus dedit Cæſar dictator, civitatem Antonius; quid ergo? Cæſar non potuiſſet Siculos cives facere, ſi voluiſſet? cum Italiæ data eſt civitas, an præceſſerat ulla latinitas? cum Ciſpadana Gallia civitate donata eſt, an jure ullo Latii erat affecta? cum tot oppida extra Latium in civitatem ante legem Juliam ſunt E aſcita, proba ea ullum jus Latinitatis obtinuiſſe.

Addis, Appianum ſcribere, Latinitatis hoc jus fuiſſe, ut cives Rom. fierent, qui in coloniis Latinis magiſtratum geſſiſſent; video, unde tu hoc ſumpſeris; ab Onuphrio: vere ſcribis; ex hoc concludis, te merito, dixiſſe, jus Latii gradum fuiſſe perveniendi ad civitatem Romanam: fateor. Jus Latii gradus fuit perveniendi ad civitatem Romanam, id eſt, Latini habebant hunc gradum, ut qui domi ſuæ magiſtratum geſſiſſent, ii eo jure cives Rom. intelligerentur; at tu non ita ante ſcripſeras; verum neminem pervenire ad civitatem

tem

rem Romanam potuiſſe, niſi Latinns eſſet factus, vel jus Latinitatis adeptus eſſet; olim comparabas exteros cum Latinis, nunc Latinos cum Romanis; olim inter peregrinitatem, & civitatem Romanam, ponebas Latinitatem, ut gradum, nunc peregrinos præteris, ſed Latinitatem, inquis, gradum fuiſſe; quod ego te multo copioſius docui in libris de jure Italiæ. Quare, quod ais: cur non me refellis o imperite, reſpondeo, refelliſſe ſatis, & te imperitiſſimum oſtendiſſe.

Deinceps ais, Galliæ ciſalpinæ bello Marſico datam eſſe civitatem lege Julia, & Italiæ univerſæ uſque ad Rubiconem, & Arnum; tranſpadanis à Pompejo Strabone jus Latii datum, & iiſdem poſtea à Cæſare dictatore civitatem; video, unde hæc ſumſeris; nimirum, ab Onuphrio; miror autem cur tu hæc hoc loco proferas, quæ rem noſtram non attingunt, multoque etiam vehementius, cur à me poſtules, ut hæc refellam; quaſi vero hæc tu in tuo de provinciis libello tractaris, aut hæc à me ulla ex parte reprehenſa ſint; qui poſſum hæc reprobare, cùm à me hæc eadem commentariis meis de jure Italiæ ſint mandata? illud certe nunquam laudabo, quod dixiſti: Galliæ ciſalpinæ lege Julia civitatem datam; non enim univerſæ data eſt, ſed ciſpadanæ tantum, quippe cum, vel te ipſo teſte, tranſpadanæ jus Latii datum ſit, lege Pompeja.

Scripſeras, Aſconium in commentario in Piſonianam declaraſſe, quid intereſſet inter jus Latii, & civitatem Romanam; admonui, Aſconium hoc ne ſomniaſſe quidem; probas tu recitatis iterum Aſconii verbis his: Pompejus Strabo tranſpadanas colonias deduxerat. Pompejus enim non novis colonis eas conſtituit, ſed veteribus incolis manentibus jus Latii dedit, ut poſſent habere jus, quod ceteræ Latinæ coloniæ, id eſt, ut gerendi magiſtratus cauſſa civitatem Romanam adipiſcerentur; & ſubjungis: Hæc Aſconius, quæ & multa ſunt, & pleniſſima ſolidæ eruditionis, ſatiſque declarant jus coloniarum. Non nego, quin plena ſint eruditionis, nego multa eſſe, & ex his declarari quid interſit inter jus Latii, & civitatem Romanam; hoc enim his declarari ante dixeras, non, ut nunc, jus coloniarum Latinarum. Addo etiam, te hunc locum non legiſſe apud Aſconium, ſed apud Onuphrium; non enim eſt apud Aſconium, gerendi magiſtratus cauſſa, ſed petendi; & tamen te omnia ais diligenter legiſſe.

Dixeras item, Aſconium hoc in loco multa afferre de coloniis; tum dixi, hæc neque multa eſſe, neque aperta, & tamen à te neque expleri, neque illuſtrari. Reſpondes, locum, qui ſequitur eſſe mutilum, & legi poſſe, ut legit Onuphrius; ergo fateris, te locum mutilum quondam non ſenſiſſe; neque enim procedit argumentum. Locus hic, quem mancum me vidiſſe negas, legi poteſt, ut ab Onuphrio, ergo erratum agnovi, & emendavi. Dixi, te non declaraſſe, quid ſit, ut petendi magiſtratus cauſſa civitatem Romanam adipiſcerentur; an probas, te his verbis declarationem ullam attuliſſe? tantum ais: Diſperéam, ſi ullum aut improbiorem, aut impudentiorem vidi hominem; ita ne vero Robortelle? tu cùm nullam ne fictam quidem reſponſionis rationem inire poſſis, eum à quo perſtringeris, improbum, & impudentem vocabis? hæc eſt tua diſciplina? hæc eſt virtus, cujus te dare præcepta jactas? hæc eſt humanitas, quam profiteris? hæc ſunt Topica, quibus gloriaris? hac de cauſa te Bononia revocatum putas, ob hanc rem ſe tranſalpinos in Italiam effuſuros exiſtimas?

49. b.

Dixeras, Aſiam à Perperna provinciam factam; probavi teſtimonio Strabonis, non à Perperna factam, ſed ab Aquillio, qui Perpernæ ſucceſſit, & ex decem legatorum ſententia Aſiam in provinciæ formam redegit; reſpondes, te auctorem habere Paterculum, qui dicat, Aſiam à Perperna tributariam factam; reſpondeo, non procedere, Aſia à Perperna tributaria facta eſt, ergo provincia facta eſt; nam Scipio major tributariam fecit Africam, non tamen provinciam; prætoris enim inſtitutio, non tributi impoſitio facit provinciam. Hæc tu de provinciis reſpondiſti; quàm apte, judicent alii; an vero ad omnia reſpondiſti? minime vero.

Probabas civitatem datam multis in provincia, auctoritate Livii de Trebulanis, & Arpinatibus, quæ in Italia, non in provincia oppida ſunt; reprehendi; tu obticuiſti.

Dixeras jus Quiritum, & civitatem Romanam eſſe idem; negavi; doce, ubi probaveris.

Thraciam te, quando provincia facta ſit, non oſtendiſſe dixi; quid mihi reſpondiſti? nihil prorſus.

Infinita alia, aliena, vana, perturbata à te ſcripta fuiſſe dixi, ubi hæc mi princeps ſaltem conviciis attigiſti?

44 a.

Scripſerat Svetonius: Bononienſes in clientela Antoniorum fuiſſe, collegiſti inde tu, & ſcripſiſti: Civitates in clientela alicujus gentis patriciæ fuiſſe; oſtendi ego, te, quia Antonii eſſent plebeji, non potuiſſe, Patriciæ dicere, id eſt, ex verbis id Svetonii elicere. Hoc cum tu negare non poſſis, in librarium culpam transfers; qui duas voces omiſerit; legendumque ais ita eſſe: Aut patriciæ, aut plebejæ; modeſtè autem ita reſpondes. Improbitatem Sigonii demonſtro, qui in re omnibus nota peccaſſe me putat, nec videt, librariorum negligentia eſſe prætermiſſa hæc duo verba: Aut plebejæ; ſi non eſſet exulcerato animo improbus hic nebulo, agnoſceret librariorum erratum, nec carperet in re tam aperta Robortellum virum inſignem. Bona tua venia dicam Robortelle, tu non modo hoc, ſed ſexcenta alia deteriora dixiſti; non potes autem dicere, ex verbis illis Svetonii, civitates fuiſſe in clientela Patriciæ gentis, aut plebejæ, quia Antonii illi non fuerunt Patricii, aut plebeji; ſed plebeji tantum.

44. b.

Scripſerat Svetonius ita: Auguſtus jocis quoque quorumdam invidioſis, at petulantibus laceſſitus contradixit edicto; & tamen de inhibenda teſtamentorum licentia, ne ſenatus quidquam conſtitueret, interceſſit. Quæ verba tu hoc modo es interpretatus. De inhibenda teſtamentorum licentia S. C. ne fieret, interceſſit imperator Admonui, te non ſenſiſſe labem inſidentem in voce, Teſtamentorum; quæ ſententiam illam corrumpat; viderique legendum eſſe ſcommatorum; ut legitur in libris manuſcriptis aliquot; ut ſit hic ſenſus. Reſpondit Auguſtus jocis petulantibus, & invidioſis, & tamen cum ſenatus inhibere vellet licentiam ſcommatorum, prohibuit; ſunt enim ſcommata joci petulantes. Reſpondes, ſenten-

A tiam non eſſe malam, ſed vocem, vociſque inflexionem tibi diſplicere; oſtendiſque, te ignorare, quam ſæpe apud Latinos Scriptores ſcomma inveniatur, ut apud Macrobium libro VII. nam quod de inflexione dubites, miror, cum eodem modo Varro dixerit, & Cicero poëmatorum. Audi Soſipatrum libro primo: Poëmatorum & in ſecundo: & in tertio idem Varro aſſidue dicit, & his poëmatis tanquam nominativo hoc poëmatum ſit, & non hoc poëma. Itaque Cicero pro Gallio, poëmatorum, & in oratore, poëmatis, dixit. Sed & Q. Lælius ex principibus grammaticis librum ſuum ita inſcripſit. De vitiis, virtutibuſque poëmatorum.

B Addis etiam, non placere tibi hanc lectionem, quia Beroaldus eam vidiſſet; qui citat legem hanc, qua vox teſtamentorum confirmatur. Si quis libellum ad infamiam alterius etiam ſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine, ſi condemnatus ſit, qui id fecit, inteſtabilis eſſe ex lege jubetur, id eſt, teſtamentum facere prohibetur; optime certe quadrat hæc lex. Svetonius ait, cùm Auguſtus jocis petulantibus reſpondiſſet edicto, tamen cum ſenatus cohibere vellet licentiam teſtamentorum, interceſſiſſe; quid ſimile habet Auguſtum noluiſſe impedire licentiam teſtamentorum, quæ faciebant, qui libellos infames ſcripſiſſent, cum lege quæ jubet, ut ſi quis C damnatus ſit, quia libellum infamem ſcripſerit, ne teſtamentum faciat? Tertia ratione uteris, quia legendum eſt potius, de teſtamentorum, id eſt, deteſtationum, quam vocem quis niſi auribus agreſtibus, atque duris ferre poſſet? apparet ergo, te omnia potius vel ridicula probaturum quàm ut meam aliquam ſententiam laudes adeo, ut familiari, ac ſingulari tuo verbo utar, exulcerato animo es. Scripſeras: Lex de accommodandis actui rerum triginta dies. Admonui ſcribendum fuiſſe, aut Accommodando dies, aut Accommodandis diebus; tu moderate reſpondes; ſtultus es, qui non vides in uno verbo lapſum typographum, dies pro diebus; nec fieri po- D tuiſſe contendis, ut qui XXIV. annos docuerit tale aliquid peccet: præclara defenſio, ſi modo eam cuiquam probaveris; mihi certe non probas, qui deteriora te multa commiſiſſe ſcio.

Scripſeras. Plebiſcitum, ſive lex Pompeja, ut in petitione magiſtratuum ratio non haberetur abſentium; in his verbis quinque fœdiſſimos errores pateſeci, quos tu tacite confiteris. Recitas enim nunc hæc verba ita: Plebiſcitum, ſive etiam lex Pompeja, ut vel haberetur, vel non haberetur ratio abſentium; ubi addis, demis, tranſponis; addis hæc: Vel haberetur vel; demis, in petitione magiſtratuum; tranſponis, ut patet omnibus. Quare E quo teneam vultus mutantem Protea nodo? quo? brevi experieris? Primum cum ais, Plebiſcitum, ſive lex, videris utrunque idem eſſe ſignificare; & tamen contraria ſunt; uno enim datur, altera tollitur; deinde illud, vel, ſignificat, Plebiſcito & lege Pompeja æque permiſſum utrunque, vel ut habeatur ratio, vel ut non habeatur, cum tamen uno concedatur, altera adimatur, tertio, cur ut ſemper alias non ſecreviſti plebiſcitum à lege Pompeja? cur contraria uno capite es complexus? cum hæc igitur hoc modo ſcripſiſſes, agnoſce demum ſtuporem tuum; ſic enim ais: Ego eandem vim obſervo habuiſſe plebiſcitum, & legem latam de eadem re; tu vim eandem eſſe putas, concedere, ut abſens petat, & prohibere? o ſtupiditatem hominis incredibilem; ſed ſit hoc tolerabile; at etiam acerbe audes latrare? Es nimirum, inquis, ineptus, & impudens, nulloque judicio præditus, & ſtultus; his enim coloribus deſcribi debes. Robortelle ubi es? inſaniſti miſer; an credis, prudentem aliquem, aut bonum mores hos tuos non in perpetuum damnaturum? actum eſt de tua mehercule laude; jacent illa tua gymnaſia; ſi quid unquam laudis aliqua induſtriæ ſpecie es adeptus, id totum mihi crede hoc tempore maculaſti.

Scripſeras: Rogatio Vatinia de colonis, qui Novum-comum deducti fuerant, civitate privandis; reprehendi, quod lex Vatinia fuerit de Novocomenſibus, civitate donandis, & Marcellus conſul ad ſenatum retulerit de privandis. Hoc quod eſt ita verum, ut negari non poſſit, rejecta in librarios culpa defendis; dii malefaciant iſtis librariis Robortellianis; quid ergo deliquerunt? conjunxerunt, inquis, verſus duos, cum enim ſcripſiſſes, inquis, uno verſu.

Rogatio Vatinia, item altero.

De colonis, qui Novum-comum deducti fuerant, privandis civitate, utroſque, inquis, conjunxerunt; non dico, quam veriſimile hoc ſit, librarium tam graviter peccaſſe, te præſertim Bononiæ corrigente, & errata in poſtrema libri parte colligente; ubi omnia pro omina, commendantur pro commendatur, Lanviis pro Lanuvii falſo ſcriptum eſſe notaſti, non ne etiam dies pro diebus ponendum, Luſitania, vel haberetur vel, Aut plebejæ, deeſſe, verſus hos diſtinguendos eſſe, ſcribere poteras? ſed ſit ſcriptum, ut vis; quando alias legem non expreſſo legis argumento nominaſti, ut Lex Vatinia, Lex Julia, quin qua de re lex eſſet adjungeres? nunquam; cum autem caput ſeparatum ſcribis, de privandis civitate Novocomenſibus, quid ſubaudire vis, legem? non certè; nam in ſenatu actum eſt. Senatuſconſultum? multo minus; nam relatum eſſe à Marcello ſcribit Svetonius, non à ſenatu decretum; quid ergo vis homo iners? explica notionem mentis tuæ; an ego injuſtè te reprehendi? an erit unquam aliquis tam iniquus, qui cum hujus rationem reſponſionis audierit, æquo animo te ita ſcribentem ferre poſſit? Nimirum improbus & impudens iſte Sigonius, qui putat falſis criminationibus contra me virum inſignem allatis poſſe ſe ſibi laudem parare.

Cùm ſcripſiſſes, collegam patris ſui, quòd in ædilitate proſcripſit Auguſtus, immanis habitus eſt, reprehendi id dictum; neque tu defenſionem aliquam attuliſti.

Cùm ſcripſiſſes, Auguſtum in tribunatu collegam ſibi cooptaſſe, pariter improbavi; tu nihil; ergo venditandi tui finem fac tandem homo arrogantiſſime, & cum de litteris diſputas, iſta tua gymnaſia, atque iſtos tuos XXIV. annos remove.

CA-

CAROLI SIGONII IN FRANCISCUM ROBORTELLUM RESPONSIO.

REſpondi rebus iis Robortelle,
quibus tu pro tua laude tuenda
de ingenio ſtudioque meo plu-
rimum diripere contendiſti; te-
que in eo, quemadmodum ini-
tio propoſueram, ut vanum, ut imperitum,
ut impudentem aperte re, non verbis oſten-
di. Venio nunc ad ea, quibus tu idem extra
cauſſam, inſtitutum, diſciplinam, mores, fa-
mamque meam concerpere paſſim, ac conci-
dere, inimico magis, quàm concertatorio
more conatus es; quid enim? adeo ne de
mens, & excors eras, ut te impune ſperares
diu me petulantiſſima tua lingua violaturum?
adeo ne patientiæ, & bonitati meæ confide-
bas, ut me tam effrenatæ iſti tuæ de me ma-
ledicendi libidini nunquam putares eſſe repu
gnaturum? erraſti, ſi ejuſmodi te ſpes ad ſtu-
dium hoc obtrectationis induxit; deceptus es,
ſi talis te ad fororem iſtum cogitatio incita-
vit; neque enim ſi ego in meo vetere quodam
manens modeſtiæ inſtituto adhuc tacitus obla-
trantem te pro concione dimiſi, meam ali-
quam poſthac reſponſionem tua tanta iſta di-
gnam petulantia devitabis; age igitur homo
inertiſſime, quæro primum de te, quæ te res
adeo ſuperbum, & inſolentem reddit, ut ne-
mini ad literarum laudem paulo vehementius
aſpiranti jampridem, aut linguæ procacitate,
aut ſtyli intemperantia parcas? eximiæ erudi-
tionis ratio aliqua? quæ? an quod cum eo-
rum, qui eadem, quæ tu, tractant ſtudia,
certis quibuſdam terminis ſepta profeſſio te-
neatur, poëtarum, hiſtoricorum, & orato-
rum, tu unus, quaſi hæc te tanta nihil attin-
gant, inanem quandam philoſophi, & juriſ-
conſulti famam aucuperis, cum inter imperi
tos quotidie de ſtudiis alienis alieniſſimo tem-
pore ridicula quædam, atque omnibus nota
balbutias, de tuis vero quod ſatis ſit, ne ro-
gatus quidem ab amico reſpondeas? an vero
præclara tibi poëticæ Ariſtotelis artis inter-
pretatio animos tollit, cujus cognitionem ne
primoribus quidem te labris deguſtaſſe Ma-
dius, & Victorius, homines eruditiſſimi, do-
ctorum omnium judicio, convicerunt? an
Romanæ antiquitatis, & veteris illius totius
conſuetudinis notitia es inflatus, cujus te je-
junum, & rudem prorſus eſſe, ne tu quidem
quinquennio ante contendenti mihi adhuc au-
ſus es repugnare? an vero Latinæ, Grecæque
linguæ nova quadam ſcientia gloriaris, cum
tu ita ſoluta oratione ſcribas, ut caſus, tem-
pora, & genera labefactes, ita verſus facias,
ut etiam carmina ſeptem pedum heroica ſcri-
bas, ut illud apud Ælianum:

Edentes incompoſitam vocem, confuſaque verba.

Ita græce intelligas, ut ſcriptoris ſenten-
tiam aut non aſſequaris, aut certe non expli-
ces; neque aliquid horum, me, & Petro
A Nannio, pererudito homine objiciente jam
longo intervallo defendere audeas? an deni-
que virtutis ullius oratoriæ gloria ſubnixus
ambulas, qui orationem adeo languidam,
ſordidam, ac diſſipatam affers, ut nulla indo-
cti, ac barbari ſit alicujus hominis aut inqui-
natior, aut ab omni dicendi laude alienior?
cùm ergo ſis ejuſmodi, quæro ego nunc ite-
rum de te Robortelle, quæ res eſt, quæ tan-
tos tibi ſpiritus afferat, ut te omnibus doctri-
næ laude aliqua præditis in omni diſciplinæ
genere ad eorum contumeliam anteponas, ut
omnibus perpetuo obloquaris, ut omnibus
B maledicas? niſi ut inauditam quandam tuam
petulantiam, levitatem, & arrogantiam pate-
facias? negas hæc in te eſſe omnia, negas;
redarguam te tuis ſcriptis, convincam etiam
alienis; non fictis falſiſque criminibus, ut tu
mecum agis, ſed veris certiſque teſtimoniis te
redarguam inuſitatæ, atque immoderatæ pro-
cacitatis tuæ ſint hæc argumento, quód cum
ante hos annos eruditiſſimum, atque optimum
quenque ultro ſcripto laceſſieris, neminem
tamen, niſi aſperrime, & contumelioſiſſime
appellaris; age enim. Reprehendiſti Eraſmum
Roterodamum in Annotationibus tuis; adeo
C vehementer in ejus doctrinam, quæ ſumma
eſt, inſultaſti, ut eum etiam hominem nequiſ-
ſimum auſus ſis nominare; pugnaſti cum prin-
cipe hujus ætatis juriſconſultorum Alciato,
furem illum, & expilatorem tuorum, alieno-
rumque ſcriptorum arguiſti; res tibi fuit cum
clariſſimo philoſopho Vincentio Madio; quid?
non ne imperitum eum & vanum, menda-
cemque in tuis commentariis nominaſti? Jam
in Paulum Manutium in virum diſertum in-
primis, & eruditum quod convicii genus præ-
teriiſti, cum eum tertio quoque verbo biblio-
polam, & imperitum in Emendationibus tuis
D appellaris, atque etiam pueros ea ſcire dixe-
ris, quæ ille neſciret? quid? M. Antonium
Muretum, & Henricum Stephanum Gallos,
ſummæ induſtriæ, ſingulariſque doctrinæ vi-
ros, non ne ludimagiſtrum unum, impoſto-
rem alterum appellaſti? nam Joannem Ron-
ghegallum magnum juriſconſultum ut honori-
fice tractaris, ſatis eadem tua ſcripta demon-
ſtrant. Age vero non ne Lucæ cum Cœlio
Curione inſigni doctrina viro ſimultates exer-
cuiſti adeo acerbas, ut etiam illum delatione
nominis non Luca ſolum, ſed Italia quoque
ipſa depuleris? Chiriacum vero Strozam vi-
E rum egregium Piſis, & Joannem Faſeolum
hominem in omnibus literis ornatum, & ele-
gantem Patavii non ante certe inſequi male-
dictis, & contumeliis urgere quotidianis de-
ſtitiſti, quàm illi tibi ceſſerint, & prope fa-
ces ſummiſerint. Venetiis autem dum fuiſti,
tum perpetuo cum Manutio depugnaſti, tum
Egnatium ipſum optimum, & doctiſſimum
virum, quem tu tanquam alterum parentem
præſertim jam ætate confectum colere, ac
ve-

venerari debebas, quotidianis tuis injuriis, maledictiſque eo perpuliſti, ut is in te quodam die, tuis auditoribus inſpectantibus educto ſenili gladiolo impetum fecerit; ne illud dicam, quod, ut ſermo hominum eſt, Petrum Vincentinum Medicum à te duntaxat in litterarum ratione diſſentientem, etiam veneno Lucæ tolleres es aggreſſus, ut meritò his domeſticis tuæ inſitæ inſolentiæ notis externa teſtimonia illa poſſint adjungi, vel Nannii, qui te ferocioris animi, & impudentioris maledicentiæ hominem in commentariis ſuis vocare non dubitavit, vel Alciati, qui temet teſte, hominem te in vexandis hominibus doctis audacem ſignificavit. Locus poſtularet, ut de me aliquid dicerem, quem tu ut primum altius ſe efferre, atque de ipſa eloquentiæ, & doctrinæ laude vehementius cogitare ſenſiſti, internecino propè tibi bello perſequendum, & urgendum putaſti. Itaque non hoc ſolum libro, quem tu proxime edidiſti, ſed illo altero, cum adverſus me quinquennio ante diſputares, eadem propè me ratione adortus contumeliis potius, quàm argumentis me evertere nullo alio crimine es conatus, niſi quod te ut hominem omnis ſine controverſia doctrinæ, atque ingenii principem ad genua accidens non venerarer. Non dubito, quin ad hanc te conſuetudinem alienis aliquot compulſum eſſe injuriis dicas, teque quod feciſti, dignitatis tuæ tuendæ cauſſa feciſſe opponas; video locum, ubi te jactaturus, quod telum arrepturus ſis, ſentio; occurrendum eſt conſilio tuo, reſiſtendum audaciæ, tuis met verbis te ita natum, ita educatum eſſe demonſtrandum eſt, ut neminem, qui ad gloriam, laudemque eodem, quo tu curſu, flagranti ſtudio petat, aſpicere poſſis. Extat ode tua quædam græca, quam vitæ vaticinium inſcripſiſti, in qua laudes tuas adeo arroganter, & faſtidioſe complexus es, ut omnibus riſum, multis etiam dolorem, cum in eam incidunt, moveas. In hac Muſa ex Apollinis præſcripto de te tum infante canente, affirmas, ſol fugat nubes, ſic te invidorum, atque iniquorum in te impetum repulſurum, teque ea tibi morum, & virtutum temperantiæ, & juſtitiæ præſidia comparaturum, ut facile improbis terrorem, bonis ornamentum, civibus tuis gloriam afferas, muſas vero ipſas tuis vigiliis, monumentiſque clariores, atque illuſtriores redditurum; ô arrogantiam inauditam, ô inſolentiam intolerandam. Poëtæ cum aliquid tale ſcribunt, de aliis ferè ſcribunt & ea fingunt, quæ illorum naturæ & conditioni conveniant, de quibus dicunt, tu de te ipſo dixiſti, & ea dixiſti quæ in tuam cadere fortunam, ſtatumque non poſſunt; quis enim unquam privato rhetori, quod juſtus, quodque temperatus eſſet, quæ regiæ ferè virtutes ſunt, laudi tribuit? quis unquam litterarum magiſtrum malis terrori fuiſſe niſi quo modo tu bonis omnibus es linguæ procacitate, dixit? quis unquam tam inſolens ſui admirator extitit, ut ſua induſtria litterarum ſtudiis ſplendorem, ac muſis ipſis decus attuliſſe aſſeverarit? attuliſſe dixi; quia quanquam ibi muſa hæc ut futura prædicit, tamen poëtico more ea ut jam facta accipienda ſunt, alioquin inanis tota illa poëſis foret, ac commenticia. Sed mittamus hæc; quis unquam tam magnifice de ſemetipſo ſenſit, ut hæc de ſe prodiderit litteris, quæ tu ſerio, atque omni poëtico joco remoto in commentario de corrigendi ratione ſcripta reliquiſti? Nihil perturbate, nihil confuſe, inquis eſt à me unquam dictum. Tu dicere audes Robortelle, nihil te unquam confuſe, nihil perturbate dixiſſe, cum nullus ſermo tuus, nullum ſcriptum ſit, in quo aut caput, aut pedes appareant? ſæpe à propoſito digrediaris, inſtitutam quæſtionem nunquam urgeas; ut vere nihil aliud ipſe quæſiſſe videare, quàm ut multa congeſſiſſe, nihil digeſſiſſe videare; ut qui uno verbo virtutem iſtam tuam perſpicuitatis, qua tu gloriaris, vulgo exprimere velint, ii te chaos antiquum appellent. Quid illud eodem in libro? ars corrigendi, inquis, non temere à me primum excogitata eſt, verum bene, & ratione confecta; hanc enim non quivis præſtare poteſt, ſed qui multarum, & maximarum rerum diſciplinis ſint inſtructi, qui multa legerint, multa audierint, multa triverint uſu. Ecce quam multa tibi arroganter aſſumas, ut optimum te ſine ulla impudentiæ ſuſpicione profitearis emendatorem, cùm tamen ſi quid corrigere velis, verſus alios, quos non intelligis, inſeras, alios funditus tollas, verba pro arbitratu mutes, ac transferas, tempora confundas, caſus perturbes, genera torqueas, cœlum terra miſceas, ut aliquid in eo genere eſſe videaris; id quod ego dicere non auderem, niſi hæc omnia ſigillatim à me in meis adverſus te Emendationibus probata, te aſſentiente, aut certe non repugnante ſcirem; quid? in ceteris libris ſummiſſius de te fortaſſe aut loqueris, aut ſentis? immo vero inſolentius; nullus enim incidit locus difficilis, nulla occurrit quæſtio lubrica, de qua te commentarium non ſcripturum aliquem arrogantius jactes; diſputas tu quodam in loco adverſus Manutium, virum eloquentiſſimum de ſtudio, & diſciplina dicendi; hic te repente de artificioſa eloquentia propediem traditurum eſſe occurris; incidit de Tulliani exprimendi ſtyli ratione ſermo, tum ſcholas tuas Patavinas de ſententiis Ciceronis jam torqueri prælo opponis; evenit, ut mecum de corrigendo Livio diſceptares, Livium jam te emendaſſe, jamque ſub prælo eſſe jactaſti; diſſeruiſti item mecum de urbis, populique Roman. temporibus, ea ipſa te copioſius tractaturum eſſe in tua, quam confeceras, chronologia ſcripſiſti; incidiſti in faſtorum meorum conſularium mentionem, & tu tales tibi ad tuum uſum paraſſe non dubitaſti affirmare; datum eſt tempus, ut de epitomis hiſtoriarum in epiſtola ad Illuſtriſſimum Campegium Præſulem ageres, tum tu ſubito rationem te demonſtraturum earum conficiendarum pollicitus es; qua in epiſtola eo tandem progrederis impudentiæ, ut etiam litem iis intendere velle videaris, qui propter labores tuos ſe tibi gratiam debere non fateantur; ſic enim ais: Quæ mihi non debeatur gratia, qui omnia collegi? Litem autem propterea dixi, quia cum Floridus Sabinus homo egregie doctus quondam ſcripſiſſet, juvenem quendam Utinenſem Callimachi hymnos vertiſſe, & tuum nomen conſulto præteriiſſet, tu diutius laudis ejus deſiderium perferre non potuiſti, te met ſubito indicaſti, confeſtim te illius laboris auctorem eſſe profeſſus es, his verbis: Libuit mihi hoc litterarum monumentis teſtatum relinquere apud omnes, eum eſſe me, quem Floridus illo loco ſubinnuiſſet; ſat enim ſcio, illum prolaturum fuiſſe Robortelli nomen, ſi pro

certo

certo ſciret. Ut facile appareat, ſi quis tibi meritos habeat honores, ei te ſine dubio bellum acerrimum illaturum; rides, & me in re ſeria jocari putas? quid? non ne hoc ipſum declaraſti adverſus Andream Alciatum hominem juris civilis, & omnis politioris doctrinæ laude ornatum, cùm male eum illo nomine accepiſti, quòd de voce benignitate, Acheloo, & œconomo eadem, quæ tu, litteris mandaſſet, nec tuum præclarum nomen litteris teſtatum reliquiſſet? negas? hæc tua verba ſunt, maximo, ut vides, à te cum dolore prolata. Ne crederent homines, me illa ab Alciato ſumpſiſſe; dum recens adhuc memoria eſt hujus rei, maturè cavendum honori meo exiſtimavi contra tanti viri auctoritatem; edidi ego annotationes meas anno MDXLII, ille Parerga ſua MDXLIII. O jejunitatem animi incredibilem, ô pectoris anguſtias inauditas; tu tanti facis ea, quæ ex Calepino, & Perotto de benignitatis, & Acheloi, & œconomi ſignificatione, ut digna, quæ tranſalpinos omnes Patavium evocarent, ſumpta ſcripſiſti, ut te tam ſolicito animo hujus vulgatæ auctorem obſervationis profitearis? quanquam vide, quo te tua iſta immoderata maledicendi libido, atque ambitionis quaſi quidam fluctus abripuit; quod à te accepiſſe Alciatum criminaris, id ille ne potuit quidem; nam de Acheloo non in primo Annotationum tuarum libro, quem videre potuit Alciatus, ſed in ſecundo, quem tu, cùm ea in Alciatum ſcribebas, in manibus habebas, nec dum edideras, ſcripſiſti, neque in explicandis verſibus, ut ais, Horatianis, ſed Catullianis ejus rei meminiſti; hoc autem feciſti capite IX., ubi loquens de miſcendo vino apud Catullum, ſubjicis: Lepidum eſt ſatyri illius dictum petulci, & ebrioſi apud Achæum, quod ibidem refert Athenæus, Μῶν ἀχελῷος κεκερασμένος; quo noſter Virgilius reſpiciens ait: Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis. Adeo ergo te rabies iſta obtrectandi obcæcavit, ut quo loco, & quomodo de Acheloo ſcripſeris, cum in Alciatum diceres, non memineris. Ejuſmodi ergo qui ſit, quo hunc tandem nomine afficiemus, ſi arrogantis, & ſuperbi repudiabimus? mitis, credo, & modeſti; quî poſſunt hæc in eum verba convenire, qui ſe inimicum amico de errore ſuo levius ſuſpicanti futurum minatur? quis eſt iſte tam iniquus? Robortellus; nemo credet; dico tamen, quæ ſcripta ſunt à te in II. libro Annotationum tuarum his verbis: Coactus ſum verſus ipſos, inquis, aſcribere, quia ſuſpicatus erat familiaris meus me lapſum in dictione, Statim; atque, ſi diis placet, ſyllabæ non habuiſſe rationem; voluique amicum monitum, ut cautius poſthac mecum agat, meique honoris rationem habeat aliquanto majorem, nec putet, me in antiquorum verborum proprietate perſpicienda ita hallucinari; ſi enim id non fecerit, amicum non putabo. Dii immortales, adeo portentoſum putas eſſe, te in unius ſyllabæ ignoratione verſari, ut etiam in hac re exclames, ſi diis placet, nec memineris, verſum te ſeptem pedum heroicum edidiſſe, & dum me loquentem ſolœciſmum commiſſurum arguis, ſolœciſmum ipſum turpiſſimum effudiſſe? At iſtud fortaſſe ferendum; quod vero me quondam correctionem Aſconii tuam, quam tu ſemel cum amicis tuis quibuſdam communicaras, inaudiſſe, atque inde in meos commentarios conjeciſſe dixiſti, eoque mihi nomine graviſſime comminatus es, vix non ab homine, ſed ne à pecude quidem cicure profectum eſſe videtur poſſe. Nutare mihi videris, ac titubare, non affero maledicta ex trivio, tuis te verbis coarguo; ſic tu mecum agis quinquennio ante in Emendationibus tuis. Si alii multi, qui à me audierunt illud furtum iſtud tuum mihi non ſignificaſſent, & palam dictitaſſent, ſe hoc æquo animo non laturos, hac de re ne verbum quidem eram facturus; ſed veritus, ne illi iracundius tecum agerent, quàm ego, hæc quam leniſſime potui proferenda duxi. Vide ut ipſe non ſolum per te ferox ſis, & immanis, ſed ferociores etiam, & immaniores habeas miniſtros acerrimos hujus tuæ potentiæ ſatellites. Me miſerum, ubi terrarum ſum? aut quod in me tantum peccatum concepi, quo à me Dionyſium iſtum alienaverim? Dionyſium? immo Phalarim. Dionyſius enim humanitate aliqua, & litteris erat imbutus, tu omnem humanitatem videris exuiſſe, atque omnes litteras conculcaſſe; ſiquidem & veteribus illis, quorum ingeniis optima quæque diſciplina parta eſt, & nobis, qui præclara illorum hoc tempore ducimur imitatione, bellum crudeliſſimum intuliſti. Quid ergo? audendum certe tandem aliquando, atque arrogantia tanta retundenda, ac repellenda inſolentia eſt. Unde autem exordiar, aut unde rei tantæ initium ſumam? neque enim cui prius in tam vaſto quaſi conviciorum tuorum oceano occurram, mecum facile conſtituere poſſum; unde? ut ſe quodque primum offeret, ita primum refellam, teque mecum fraude, mendacioque, ex quibus ipſe totus compoſitus es, contendiſſe planum faciam; objicis primum, me obtrectatione tui obrepere ad honorem aliquem voluiſſe. Quæ me Robortelle ad te proximo ſcripto laceſſendum cauſa impulerit, ſatis me ante tibi arbitror demonſtraſſe, cùm me illa ratione perditis tuis in me conatibus repugnare, non tuam ultro oppugnare auctoritatem voluiſſe dixi. Quod vero me laudem te opprimendo quæſiſſe ullam exiſtimas, vehementer mehercule erras; quod enim tanto patefaciundo ſtupore ſperari decus, quæ tantâ aperiendâ inſcitiâ expectari gloria poteſt? alio ſcilicet ſpectavit mens mea Robortelle, alio intendit; nolui nimirum laudes meas, ſi quæ fortaſſe honeſtis laboribus meis partæ ſunt, ab impuriſſima lingua tua, commaculari. Neque vero illud verum eſt, quod tu alio loco mihi vitio vertis, me tuis ſummis laudibus invidentem ad hanc contentionem adductum eſſe; cur enim ego tibi tandem invideam: an quod me multum antecedis ætate? an quod ſcribendi ſuperas facultate? an quod plura conſcripſeris, an quod meliora, an quod uberiora? non, inquis, ſed quod pluribus, quàm tu in gymnaſiis edocuerim; verè; at ego multo magnificentius, atque ad famam dignitatemque illuſtrius eſſe arbitror, me eximium perluſtratorem iſtum omnium gymnaſiorum ad furorem, atque ad inſaniam adegiſſe, quàm omnia, ut tu, gymnaſia immerito peragraſſe. Hic tu iratus injuriam à me tibi fieri magnam opponis, quod te, qui omnia Italiæ gymnaſia obiveris, ſolus in toto terrarum orbe non colam; cùm te Bocchius, Regulus, Amaſæus, ſic enim ſcripſiſti, Bononiæ coluerint in primis, & obſervarint; quid illi boni viri, & docti fecerint, Robortelle, non quæro; ego quidem ut tam impotenti, imperitoque homini ſervirem, nunquam in-

animum inducere potui, ſæpiuſque mecum
dolentius deploravi, præclara hæc litterarum
ſtudia adeo neglecta, ac deſerta jam pridem
in Italia eſſe, ut clariſſima etiam gymnaſia
homo omnium inertiſſimus, atque infantiſſi-
mus propè neceſſario conculcarit; quanquam
quo te illi honore affecerint, ipſe exitus indi-
cavit; ſatis enim conſtat, cum agreſtes, du-
roſque mores tuos ſodalitates nobilium juve-
num illæ, litterarum gratia conſtitutæ diutius
ferre nequirent, perpetuò te dicteriis, jociſ-
que petulantibus, ut immanem nimis, ferum-
que hominem perſecutas eſſe, teque ſuffragiis
ſuis non honeſtiſſimis ſuis cœtibus ſolum,
ſed quia prorſus urbe cedere, ac primo quo-
que tempore, vel detériore conditione abire
coëgiſſe; quorum diſtichum unum feſtivum
in primis, & ſalſum hoc loco præterire non
poſſum.

Mellifluas qui credis apes hoc robore clauſas.
Heu fuge, crabronum millia multa latent.

Jam illa, quæ à te tota ad dignitatem tuam
augendam, meamque laudem imminuendam
ſunt comparata, cùm tu te mecum compa-
rans, omnibus te mihi in rebus arrogantius
prætuliſti, quanam à me ratione refutabuntur?
primum me Venetiis in tui locum ſubrogatum
eſſe negaſti; ô impudentiam ſingularem; quis
hoc unquam dixit, præter te, qui falſa omnia
dicere audes? cur tandem? quia profitente
me, inquis, nemo alius Veneta in urbe pu-
blicè Latinam eloquentiam tradidit, te in di-
verſis urbis partibus aliquot alii; primum
nego, hoc ad dignitatem, auctoritatemque
ejus loci, quem Regius, quem Sabellicus,
quem Egnatius, quem tu, quem ego obtinui-
mus, minuendam, aliquid pertinere; deinde ſi
pertinet, te totam hujus rei culpam dico ſu-
ſtinere; te enim, te inquam Scholam illam
nulla propè cum gratia, atque auctoritate
tenente, S. C. illud factum eſt, ut nonnulli
alii eſſent, qui in remotioribus maxime urbis
regionibus deteriore tamen, quàm tu, condi-
tione, profiterentur. Nam quod ad me atti-
net, credam ego potius ſemper Senatui ipſi,
à quo omnia mea ornamenta proficiſcuntur,
quàm tibi homini contumelioſo, atque dicaci.
Ille autem & cùm me Venetias accerſivit, in
tui me locum ſubſtituere ſcripſit, & cum ſti-
pendio me majore ornavit, eadem quoque
verba reperiri; quemadmodum ex ipſis Sena-
tuſconſultis, quæ poſt aſcribam, intelligere
poteris. Nam quod ais, potuiſſe me Vene-
tiis inſcitiam meam tegere, ubi me duo, aut
tres pueri audiebant, cujus prudentiæ ſint,
conſideremus. Tu Robortelle contemnere,
& parum honeſtum innuere munus ejus, qui
Venetiis Latinæ oſtendat rationem eloquentiæ
potes, quod vel ipſius civitatis majeſtate am-
pliſſimum, vel eorum, qui ibi profeſſi ſunt,
auctoritate graviſſimum ſit, quorum nomina
ſunt ad immortalitatem jampridem omnium
præconio commendata? neque tibi venit in
mentem, hunc olim tibi locum, poſtquam cla-
riſſimam Academiam Piſanam obtinuiſſes, à te
fuiſſe appetitum, ſupplicatione expreſſum, &,
quod in maximo poſuiſti beneficio, aliquan-
diu poſſeſſum? quam autem audientiam non
deſpicit, qui Venetæ juventutis ex omni no-
bilitatis flore collectæ audientiam deſpicit?
quos ſi tu ad contumeliam pueros nominas,
noli mirari, ſi te iidem modo juvenes Patavii

A explodendum, atque ejiciendum eſſe duxerunt.
Nam quod à tribus ibi me auditum eſſe cri-
minaris, exiſtimare videris, quia cum tu ibi
profiterere, neminem habuiſti, qui te videre,
ne dum audire vellet, idem etiam ſucceſſori
tuo, quaſi ejuſdem calamitatis, atque offen-
ſionis heredi contigiſſe; in quo multum, mihi
crede, tua te fefellit opinio; quid enim? fal-
ſum ne ipſius Senatus putas ea de re teſtimo-
nium? non credo; at ille duobus Senatuſcon-
ſultis bis eo me nomine, quo te nunquam,
decoravit; quorum verba ipſa, ne fingere vi-
dear, recitare libet, ut omnibus inſignis iſta
tua pateat procacitas, ac petulantia; unum
eſt, in quo mihi ſtipendium majus virtutis
B ergo decernitur; cujus hæc verba ſunt: Cùm
Carolus Sigonius Mutinenſis, qui in hac urbe
humaniores litteras profitetur, in ſuo munere
obeundo expectationi, opinionique de doctri-
na ſua noſtræ non reſponderit ſolum, ſed eam
etiam ſuperarit, quod eas litteras docuerit,
atque etiam doceat, cum magna auditorum
frequentia, ac voluptate; qua in re omnem
ille diligentiam, atque induſtriam ponit, ut
omnibus eſſe perſpicuum poteſt, cumque di-
gnum ſit, ut tali mercede afficiatur, qua ſe-
datiore animo in his pergere ſtudiis ad publi-
cam utilitatem poſſit, vultis, jubetis ne &c.
alterum eſt, quo me ille in Patavinam Acade-
miam mittit, cujus hæc ſunt: Vacat in Aca-
C demia Patavina Latinæ, Græcæque eloquen-
tiæ locus propter Franciſci Robortelli abſen-
tiam; in quem cum bonum, idoneumque in-
terpretem aliquem ſubrogari oporteat, cum-
que omnibus Caroli Sigonii doctrina, virtuſ-
que cognita ſit, qui per octo annos perpetuos
Latinas litteras in hac urbe tradidit, cum ma-
gna ſua laude, & auditorum utilitate, qui il-
lum frequentiſſimi audierunt, vultis, jubetis
ne, ut &c. An vero ſi is ego eſſem, quem tu
te tibi in ſomnis fingis, & aliis videri vis,
tam honorifice à Senatu Veneto re cognita,
atque perſpecta ſæpius eſſem tractatus, an Ve-
netiis ſtipendii acceſſione intra annum, quod
fortaſſe nemini unquam ante alii accidit, de-
D coratus, poſt aliquot annos, eodem, quo tu,
Patavium, ſtipendio, eadem, qua tu, condi-
tione eſſem miſſus. At Patavium, inquis, ut
mitterêris, niſi prenſatione impetrare non po-
tuiſti; ò rem indignam! ergo quod ipſi prin-
cipes inter ſe quotidie faciunt, & patiuntur,
ut & petant viciſſim, & repellantur, id nobis
eorum clientulis, ſi illis officium hoc tribue-
mus, tu deforme, & turpe eſſe putabis? Uti-
nam ego quidem quotidie poſſem tantos pa-
tronos non rogare ſolum, ſed illis quoque
ſummiſſius ſupplicare; non enim juſtas illi pe-
titiones, & clientum preces ſuorum repudiant,
ſed eorum intolerandam inſolentiam, atque
arrogantiam aſpernantur: ut cum, te in La-
E zari locum Patavium petente, Sebaſtianus Fo-
ſcarenus, Senator clariſſimus, idemque elo-
quentiſſimus, illi, quod de te rogabatur, de-
creto in Senatu apertiſſime repugnavit, teque
vel invitum ambire, prenſare, atque etiam
oſtiatim ſupplicare per multos menſes coëgit.
Hinc tu te in me importunius infers, mihique
quaſi litem de dignitate intendis, cum te di-
vino quodam Senatuſconſulto ad reſtituendam
eloquentiam, revocatum inſolentius glorieris.
Lubricus certe locus, & difficilis, præſertim
vero mandato Principis illo nobili divulgato,
quo tibi, ut te Patavium conferas, impera-
tur. Quamobrem danda opera eſt, ut tua

hæc

hæc tanta inſolentia, re pateſacta, atque explicata, tandem aliquando comprimatur. Revocatum te eſſe Patavium ais; ſcio; & quidem etiam per quos, nempe per amicos tuos, homines ſumma auctoritate præditos; quibus te totum tradideras, eoſque ut te prope de Bononienſi exilio; ſic enim etiam pro concione dixiſti, revocarent, rogaras, cum tu diutius ibi propter non obſcura, ſed tamen merita omnium in te odia commodè eſſe non poſſes; atque hoc etiam nonnullorum Polonorum litteris comprobatur, qnos tu Bononiæ impuliſti, ut ad ſuos ſcriberent, qui tum Patavii ſtudiorum cauſſa verſabantur, ut acceptis à Prætore Patavino litteris, triumviros gymnaſii Venetiis convenirent, teque ut unum hoc tempore in Europa verè litteratum Patavium depoſcerent; meam vero operam, meamque induſtriam, quantum poſſent, elevarent, atque minuerent; ad quas quid ab his reſcriptum ſit, etiam me tacente res ipſa loquitur; cui enim ignota eſt nobiliſſimæ Polonorum gentis propenſio erga me animi ſingularis? cui ſtudia, cui officia mea erga illam gentem perpetua ſunt obſcura? quis quantum ab illa mihi gente tribuatur, ignorat? cum Illuſtriſſimus Comes Stanislaus Tarnovius in clariſſima omnium ejus regni familia natus, juvenis cum avita gloria, tum propriis virtutibus omni honore digniſſimus, cum reliqui omnes Poloni, adoleſcentes lectiſſimi & ſuperiore anno, cùm tu Bononiæ eras, & hoc etiam, poſtquam tu ad diſciplinam tranſalpinis, ut ais, nationibus tradendam accurriſti, me non ſolum publice, & privatim audierint, ſed omni etiam ſuo ſtudio, atque omni officio pro ipſorum humanitate complexi ſint? Hoc ergo ubi tibi hac via non ſucceſſit, quæ magnifica, & illuſtris admodum videbatur; tum alia es aggreſſus, qua facile, me præſertim non repugnante, quod optabas, es aſſecutus. Accitus ergo Patavium es, quis negat? in mei locum accitum, cui præter te venit in mentem putare, qui me ad tuum adventum, ut ad ſolis exortum nebulas, alio repente evaſurum, homo ineptiſſime, exiſtimaſti. Nam Senatus ipſius hunc fuiſſe ſenſum, unde, quæſo, probabis? Principis credo ipſius imperio, qui tibi mandavit, ſic enim ais, ut, quia ſibi opera tua in Patavina Academia eſſet opus, huc te quacunque aliorum repudiata, neglectaque conditione conſerres; egregie: quis non intelligit, hoc non mea, ſed Bononienſium gratia comparatum, ut te ipſum honeſte multorum annorum pactione, qua te illis jure jurando obſtrinxeras, exolvere poſſes, cùm tu ſimulatum Principis mandatum, ille neceſſitatem aliquam tui adumbratam prætexeret? cur enim te Princeps alienas reſpuere conditiones impelleret, niſi notam illam ſatis cum Bononienſibus pactionem ſpectaret? cur alienam tibi liberalitatem repudiandam mandaret, ſi me, & meas rationes tantum reſpiceret? immo vero quid ullo prorſus opus erat mandato, ſi ille in me unum intueretur? an ut te nolentem cogeret? quid? nonne tu quotidie hujus unius rei cauſſa petens in foro volitaras, nonne in urbem hujus unius negotii cauſſa Bononia te contuleras? an ut tu me tali imperii ſignificatione dejiceres? quorſum? quomodo? oſtende, doce, non potes? noli ergo adverſus me iis armis uti, quæ tu tibi magno labore adverſus Senatum Bononienſium comparaſti; quid? ſi tua opera Principem ſe eguiſſe vere, dixiſſe confitear, an illum propterea in mei te locum voluiſſe ſubrogari convinces? non video; cui enim dubium eſt, quin, Joanne Faſeolo, viro omni genere litterarum ornato, qui veſpertinam eloquentiæ profeſſionem egregiè multos annos tractaverat, eo ſe, ut fecit, munere ſponte abdicante, te in ejus locum ſubrogare voluerit, atque eo nomine ſe tuam requirere operam dixerit? an vero ſi tu in mei locum ſuffectus eſſes, non aliqua in illo Senatuſconſulto ſignificatio appareret? in eo enim eſt tantum: Vultis, jubetis ne, ut Franciſcus Robortellus in Patavinam Academiam ad humaniores litteras profitendas revocetur? quomodo tu minore tui cum dignitate, aut leviore mei cum offenſione reduci potuiſti, quam his verbis reductus es, quæ tu ſemper in ore habes? ego cum in tui locum ſuffectus ſum, in Robortelli locum me ſubrogari ſcripſerunt; tu cum in mei locum ſubſtitueris, quomodo niſi in Sigonii locum te ſuffici referatur, ſubrogatum te eſſe, poteris affirmare? Teneo ergo ego Latinæ, Græcæque eloquentiæ locum, quem tu, quem Lazarus ante te, vir omni laude dignus, obtinuit; tu quemnam obtineas, ex tuo illo aureo Senatuſconſulto poſtea diligentius erues; at matutina, inquis, mihi hora permiſſa eſt: ſcio, in eoque ambitioni tuæ ſervitutem eſſe, me non reluctante, concedo. Itaque cum tu poſtea ſolus regnare, meque de illa hora cuperes deturbare, delata ad Senatum cauſſa, magna Senatorum omnium conſenſione repudiatus es, qui non occultis ſolum ſuffragiis, ſed vocibus quoque apertiſſimis contrariam rogationem acceperunt, illam alteram antiquarunt; merito; cur enim aliter juſtiſſimi homines facerent, cum ſe paucis à te ante annis relictum, ac deſertum eſſe meminiſſent, ut Bononienſibus majus neſcio quod ſtipendium pollicentibus inſervires? at eloquentiæ ſchola, inquis, te prælegente ſuperiore anno collapſa erat; intelligo, quid tu velis; tumultus illos ſcilicet, quos ſtudioſa hujus Academiæ juventus tum maximos excitavit, cum gladiorum jus non peteret, ſed flagitaret, cum privilegia ſua ſibi quædam jam obſoleta ſervari poſtularet, ac propterea armata novo exemplo propè ſeceſſionis in modum quotidiana de diſceſſu conſilia agitaret; hos, inquam, tumultus omnes mea culpa concitos criminaris; ô rem ridiculam; quæ fuit illius temporis, quæ fuit illius juventutis, quæ fuit omnium tum profeſſorum calamitas communis, ut poſtrema anni parte propter medios, qui exarſerant, tumultus ſolito infrequentius audirentur, hanc tu in me totam transferes, meamque propriam eſſe contendes? at in communi offenſione, mea fortaſſe inſignior conditio viſa eſt, quod novus, quod cum magna expectatione veneram, quod mirifica eximiæ cujuſdam laudis fundamenta jeceram, adeo ut cum ego primum ad dicendum veniſſem, præ mortalium multitudine, quos aliud agentes novæ rei fama conciverat, magiſtratus ipſe, qui me deducebat, locum inire non potuerit; & quod denique virum clariſſimum, Bernardum Naugerium, qui tum ob plurimas ingenii, doctrinæ, virtutis, & ſapientiæ laudes in Republica merito florebat; nunc in Eccleſia Romana maxima cum dignitate Cardinalis verſatur, poſt aliquot menſes ex prætura Patavina in urbem reverſum tam magna de me in collegio renunciaſſe conſtabat, ut ipſi etiam Principi, ac patribus illis

meum

A meum eſſet in hanc Academiam adventum
publice gratulatus. Tu igitur decem fortaſſe
illius turbulentiſſimi anni dies poſtremos tanti
eſſe debere ponderis arbitraris, ut cui Senatus
multa teſtimonia eruditionis, & eloquentiæ
tribuiſſet, quem invitum, & recuſantem ſex
annorum vinculo devinxiſſet, quem per octo
annos Veneta nobilitas frequentiſſima diligen-
tiſſime audiſſet, ei poſt duos menſes deſerto-
rem ſuum aliquem ſubrogaret, & quam ne
ignoto quidem cuiquam unquam, eam ut no-
tiſſimo homini fidem ſanctiſſimam infirmaret:
erras, ſi ita putas; teque errare, ex tua ipſius
petitione iniquiſſima perſpicere potes; quam
ille poſt aliquot dies conſtantiſſime repulit, ut
B tanti ordinis gravitate digniſſimum fuit. At
mutaſti interpretationem, inquis, ut audito-
res rerum novitate alliceres; præclarum; im-
mo vero contra quàm tu ſoles, eandem, quam
ſemel inſtitueram, uſque ad extremum anni
deduxi; cum enim Milonianam exponens ad
argumentationem perveniſſem, ſæpiuſque mihi
de argumentis, eorumque locis diſſerendum
viderem, locorum rationem ex Topicis per
XX., credo, dies interpretatus, eo, unde di-
ſceſſeram, me retuli: ibique quievi. At ad
oratoria ſtudia moralem ego quoque, inquis,
Philoſophiam adjunxi; audio, quis eſt autem
moralis iſte in hac Academia locus Robor-
telle? qua dignitate? qua auctoritate? non-
C ne is, qui ante te ſtudioſis adoleſcentibus
neſcio quibus ſemper à Senatu exercitationis
gratia concedi eſt ſolitus? nonne locus an-
tea ſemper extraordinarius? nonne feſtorum
dierum, modici ſtipendii, nullorum audi-
torum? in horum ergo locum cum ſis ſuf-
fectus, audebis tam intoleranter eo nomine
gloriari? quid ſi ne ſuffectus quidem? Ete-
nim illi ita legebantur, ut certo attributo
ſtipendio certum obire munus obligarentur,
tu nulla aſſignata mercede ad hoc munus ar-
bitratu gerendum es advocatus; ſic enim eſt
in Senatuſconſulto: Ut Fr. Robortellus ad
humaniores litteras docendas revocetur, cum
arbitrio moralia profitenti quadringenti flore-
D ni dentur; an vero cum alii ad Topica le-
guntur, his verbis leguntur, ut ſi velint,
poſſunt, ut omnino debeant? an nullo, ut tu,
an certo decreto ſtipendio conducuntur? age
enim quæro de te, quam multos tu moralium
iſtorum nomine florenos à Principibus exigis,
cum tota ſumma tua ſit quadringentum? ſi
ducentos reſpondebis, non repugnabo; illud
tantum dicam, factum eſſe, ut cum, ante-
quam Bononiam te conferres, humanioris
profeſſionis nomine trecentos ferres, poſtquam
inde ad reſtituendam, ut ais, eloquentiam re-
vocatus ſis, centenos amiſeris. Sin autem cen-
tenos dices, tum te admonebo, ut videas,
cur Veneti Principes cum tibi quondam Bo-
E noniam cogitanti, eloquentiæ nomine qua-
dringentos, ut conſtat, quinquaginta pollice-
rentur, Patavium inde poſt quadriennium cum
tanta, ut ais, gloria redeunti, centum quin-
quaginta detraxerint; ſi nullos reſpondebis:
tum inſtabo, te moralium, quæ tu tantopere
jactas, locum in hoc gymnaſio nullum habe-
re, pro eloquentia vero iſta tua reſtituenda
multo minus Patavii ſtipendii ferre, quam
Bononiæ tuleris; quis autem unquam tam de-
plorata litterarum exiſtimatione præter te eſt
inventus, qui aliqua minore mercede condu-
ceretur, quàm ab iis exigeret, quos relinque-
re cogeretur? non ergo te Veneti Principes

A revocarunt, quia tua valde opera indigerent,
aut ut politiorum tibi litterarum locum prio-
rem, aut ut moralium locum ullum tribue-
rent, ſed tibi roganti, ſupplicantique miſeris
tuis temporibus deeſſe humaniſſimi homines
noluerunt. Quamobrem tantum abes, ut mihi
ſis hoc nomine præferendus, ut ne me qui-
dem æquipares dignitate, præſertim, qui ne
eam quidem, qua ante te adoleſcentes rudes,
& imperiti rerum illigabantur, conditionem
aſſecutus ſis, nec locum tradendæ eloquentiæ
veterem, nec quantum tibi ante obtulerant,
à Venetis obtinueris; ut non verear, ſi quod
inſtituerunt, illi facere pergant, brevi tibi
aliquid etiam de iſtis quadringentis ſint de-
B tracturi, & te ob incredibilem aliquando tan-
dem patefactam inſcitiam, atque intoleran-
tiam tuam, ex hoc, ut debent, gymnaſio de-
jecturi. At magna fortaſſe hæc cum laude
frequentiæ doces; utinam tibi veniat in men-
tem hoc dicere, ut te tuo teſtimonio, facto-
que refellam; non enim credo, oblitus es,
cùm tu diebus feſtis moralia hæc tractare in-
ſtituiſſes, ab omnibus præter quoſdam adole-
ſcentulos, quos unos habes in poteſtate, in-
tra paucos dies eſſe relictum, teque ut huic
malo ſubvenires, quotidianam, quæ octo in
dies fuerat, profeſſionem moralium reddidiſ-
ſe, eamque Topicorum tuorum interpretatio-
ni adjunxiſſe, ut quæ te frequentia de locis
C diſſerentem audiſſet, eadem quoque te eadem
hora de virtute diſputantem cogeretur audire,
at quo hæc tandem modo tractaſti? egregio
medius fidius, ac præclaro; poſſum ego dice-
re, quia nihil hoc anno in tota fuit hac Aca-
demia celebratius primum, quod pervulga-
tiſſimus interpres quiſque notare ſolet, parum
diſtinctè, atque ornatè complectebaris; dein-
de neſcio quid de græcis verbis minuti gram-
matici potius, quàm magni alicujus Philoſo-
phi more perſequebaris, de opere, & opera-
tione, de differentia finium, oculis perpetuo
in ſcriptum defixis trita, & pervulgata quæ-
dam garriebas; ut nullus puer eſſet, qui ſi
animum ad id ſtudium paulò vehementius ap-
D plicaret, non te facile ea interpretandi laude
brevi ſuperaturus eſſet. Et tu tamen illo
ore eris, ut eo nomine non mihi, ſed ne
humillimo quidem cuiquam te anteponas?
At enim in ſchola ſuperiore tu profiteris?
ſic enim dicis; ô vanitatem hominis inaudi-
tam; quæ eſt iſta ſchola ſuperior? ſitu ne
ſuperior, an amplitudine? quid hoc ad gra-
dum auctoritatis? ſed ſit aliqua; dico me il-
lam, cum noſtrum uterque ſibi, tu ætatis,
ego poſſeſſionis jure vendicaremus, clariſſi-
morum rogatu Juriſtarum, quibus ego omnia
debeo, tibi ita, ut jus tamen meum in per-
petuum retinuerim, conceſſiſſe, meque in
alteram æquè nobilem, atque amplam, & ad
E meas rationes magis aptam, quam illi mihi
ultro benevolentiæ cauſſa deferebant, contu-
liſſe; quemadmodum ex actis, quæ poſt aſcri-
bentur, ipſius univerſitatis apparet. Jam vero
quod quærere auſus es, quam multos hoc
anno auditores habuerim, cujus eſt levitatis,
& impudentiæ? tu ſcilicet XXIV. annos to-
tos in omnibus Italiæ gymnaſiis docuiſti, tu
ſupra quinquaginta natus es, & cùm inter te,
& collegam tuum nobilis de laude litterarum
ſit exorta contentio, omiſſa tui defenſione,
de numero quæres auditorum, & in eo vir-
tutis excellentiam pones, quod non tam vir-
tute, quàm prenſatione poſt arguis compara-
ri?

ri? & eo impudentiæ proveheris, ut quod omnium pateat oculis, id ipſum aperto elevare mendacio auſis? quæris quàm multos habuerim? quàm multos tu hoc toto anno nunquam vidiſti, niſi forte cum tabellis ubique diſpoſitis novæ cujuſdam profeſſione ſapientiæ eis maximo omnium cum riſu te turpiſſime venditaſti; & hoc eſt, unde dolor, unde lacrymæ iſtæ. At te, inquis, non audierunt; falſum; ſed putabam te dicturum, tibi obſtrepuerunt; id quod te profitente hoc anno tam crebro factum eſt, ut nunquam ſæpius, tam acriter, ut aliquando non ſcholas ſolum, ſed ædes etiam propinquas jam jam ruituras eſſe vicini timerent; neque injuria; quis enim te aliud nihil agentem, quàm te cum alienæ detrectatione induſtriæ inſolentius oſtentantem, audire æquo animo poſſet? Excipis inde diem neſcio quem, quo prenſationibus amicorum, ſcholam meam adeo frequentem fuiſſe ais, ut etiam Petrus Maciolenus ſcholæ Juriſtarum Rector affuerit ridendum; quaſi vero aut ante, aut poſt non multo ea celebrior ſchola fuerit, aut juvenis ille excellens omni genere laudis, tum primum, aut tum ſolum acceſſerit; preſertim vero cùm tu eum ipſum, quod mei tibi ſtudioſior videretur, aliquando etiam, ut ceteros, contumelioſius appellaris. Hoc ferè fiebat etiam quondam Robortelle, ut qui in honorum petitione ſuperatus eſſet, is deſignatum competitorem, à quo gratia eſſet victus, ambitus accuſaret, quo levior eſſe acceptæ repulſæ infamia videretur; ſic tu cùm te longe victum celebritate, & aſſiduitate auditorum à me videas, prenſationem objicis, ut virtutem obſcures; neque intelligis, ſi prenſationibus profici aliquid ad conficiendum ſcholarum numerum poſſet, te quidquid eſſet hoc anno Patavii auditorum, facilè contracturum fuiſſe; adeo diligentes, & peritos hujus totius ambitionis fabros, ac miniſtros haudquaquam rudis ipſe prenſandi magiſter habuiſti; ſed ut ipſe expertus es Robortelle, virtute, non ambitione nitendum eſt. Id quod cum & ipſe aliquando tandem ſentire cœpiſſes, ad artes alias confugiſti, quid enim latere hominem tamdiu hoc genere exercitatum, ac propè confectum poteſt? primum tabellas quaſdam ad omnia Patavinæ urbis compita, & quidem typis impreſſas collocaſti, quibus oſtendebas, te iis, qui tibi publicè operam dediſſent, triduo privatim Latinæ linguæ rationem novo quodam modo, hæc enim ſunt verba tua, traditurum; quas tabellas, dii boni, qui rurſus ſunt poſtea conſecuti? alii enim ridebant, cum audiebant, egregium Italiæ univerſæ magiſtrum eo humilitatis, & miſeriæ eſſe delapſum, ut circulatorum more, auditorum corrogare concionem compelleretur; alii, qui acutius proſpicere videbantur, audaciam profeſſionis admirabantur, quod qui barbarè, & inquinate ſcriberet, is aliis rectam quandam Latinæ linguæ doctrinam polliceretur; multi quinam modus iſte novus eſſet, quærebant, quem tu propè invidus per XXIV. annos ſuppreſſiſſes, laudabant tamen, quod eum non niſi duriſſimis tuis temporibus prodidiſſes; non deerant etiam, qui in brevitatem temporis, quo doctrinam hanc te demonſtraturum pollicebaris, lepidè jocarentur; & quod, qui cito non diſceret, nunquam fore, ut diſceret, adjeciſſes, de laude ſua jampridem actum eſſe arbitrarentur; quid multa? alios alia, ut cujuſque ingenii vis eſt, de-

A lectabant; tu interea demens elatò pectore incedebas, te unum propterea in omnium eſſe ore gaudebas; amici tui, qui te rectius judicabant, interea triſtes, ac mœſti erant, quòd hac profeſſione tam ſtulta, atque abſurda multum de antiqua tua gloria eſſe detractum videbant. Itaque cùm nec tu hæc præſtares, aut præſtare ullo modo poſſes, nec quiſquam, qui hanc à te diſciplinam flagitaret, inveniretur, cautus homo alio deſcendiſti; pollicitus es, te meam diſputationem proxime de dialogo editam publicè eſſe refutaturum; viſus es aliquantulum animos hominum commoviſſe; præſertim vero, qui ſciebant, qua tu ratione & via de rebus omnibus ſcriberes;
B veniunt uno die aliquanto, quàm ante, frequentiores, veniunt altero, veniunt tertio; nihil de re; tantum te non obſcuris aculeis mores etiam meos audiunt inſectari; proh dii boni; an tu tantum in XXIV. annis illis, quos in humanioribus litteris docendis conſumpſiſti, ponis, ut contra morem, contra humanitatem omnem, hominum tecum de litterarum ratione diſſentientium vitam reprehendere audeas, cùm aliter laudem tuam retinere, opinionem de te concitatam aliter tueri non poſſis? quid ergo? redeunt ad me illi, qui tuis me inflati pollicitationibus reliquerant; multi etiam ex tuis, qui ad eam diem in fide fuerant, titubare incipiunt, & de
C defectione conſilia agitant; pudet jam ejus ſe ſermonibus dediſſe, qui operam, & ſtudium ſuum ponat in maledicendo totum; videres etiam pueros ea re maximè offenſos, malle ſe poſthac omnia, quàm humanitatis ſtudia inhumaniſſima iſta tractare; concio interea tua in dies infrequentior, mea magis magiſque celebratur; non putant, in quo tanta ſit in tantis injuriis patientia, non in eo excellentem aliquam ineſſe virtutem. Poſtquam hoc tu ſenſiſti; neque enim ipſe in hoc negociorum genere cæcus es, putaſti arte alia imbecillas tibi juvenum mentes eſſe alliciendas; non te fugiebat, quam ſint homines novarum cupidi rerum omnes, quàm curioſi, quàm de
D alienis rebus ſæpius, quam de ſuis ſoliciti; oſtendiſti, velle te triduanis meis reprehenſionibus modo adverſus te divulgatis obviam ire; confeſtim accurrunt omnes; quem enim non tanta pollicitatio concitaret? plerique ſtylum etiam, & tabulam ſecum deferunt, ut præclari inde aliquid auferant; tum tu, quanta gravitate, dii immortales, multa primum de te glorioſe, ut ſoles: ætatem nominas, ferunt: gymnaſia jactas, ſuſtinent: eruditionis famam profers, patiuntur. XXIV. totos annos, quibus docuiſti, commemoras, devorant eam quoque moleſtiam; deinde te ad Sigonium confers; nebulonem tertio quoque verbo appellas, ineptum, imperitum, ſtultum;
E nihil relinquis, quod non cæco quodam animi impetu in eum temere jacias; quid miſeri interea illi, qui à parentibus ſuis ex ultimis terrarum oris ad mores, ad diſciplinam, ad humanitatem, ad litteras cognoſcendas miſſi in Italiam ſunt, aut ex tota huc Italia convenerunt, quid illi tandem egerunt? vix credo, quenquam ſequentibus ſæculis crediturum, quod tum evenit, niſi multorum conſtans oratio, & fama ipſa concelebrarit; quid? clariſſima te voce admonuerunt, ut de re aliquando diſputares, & finem maledicendi faceres, in quo te præter cæteros excellere, omnes æquo animo paterentur; quibus voci-

bus adeo univerſa concio acclamavit, ut te
modo excuſantem, modo minantem, modo
alio tranſeuntem, ſudantem quidem interea,
ac voce, & labiis titubantem, ſibilis, ſtrepiti-
buſque altiſſimis de ſuggeſtu deſcendere coë-
gerit; non dicam, qui vultus tuus tum fue-
rit, non qui animus, cùm exanguis, &
æſtuans, ſine colore, ſine voce te repente è
frequenti concione illa proripuiſti; ſat credo,
ſi quid in te tum ſensûs fuit, te tum demum
natum eſſe, pœnituiſſe; aut certe de caſtigan-
do Sigonio aliquando cogitaſſe. Neque vero
hujus diei gloria hac immortali contentus
fuiſti; acceſſit alter, quo cum magna quædam
alia pollicitus, nihil, ut ante, præſtares, pa-
riter es, ut ante, omnium manibus, pedibus,
clamoribuſque repudiatus. Sed tu, qui pren-
ſationis mentionem feciſti, quæ cum adhibe-
tur, idoneo loco, & cum dignitate aliqua
debet adhiberi, non meminiſti, quàm ſæpe
hoc anno, quàm omnibus in locis, & quanta
cum indignitate omnibus te privatim, ac pu-
blicè commendaris? quid enim? nonne ipſe
aliquando ſingulis tabellas diviſiſti, in quibus
hæc verba ſcripſeras? Valete nobiliſſimi, at-
que lectiſſimi adoleſcentes, amateque Robor-
tellum veſtrum, qui dies noctesque nihil aliud
cogitat, quàm ut aliqua ratione vobis pro-
deſſe poſſit; nonne interdum etiam concione
advocata famam, exiſtimationem, auctorita-
temque tuam in extremum, ut fatebaris ipſe,
diſcrimen adductam, iis, qui te audiebant,
humillime commendaſti, cum diceres, te ve-
xari, te opprimi, te inimicorum tuorum opi-
bus oppugnari? ut etiam voces illæ tuæ ſcho-
lis univerſis celebrarentur paſſim, ac jactaren-
tur: Defendite Robortellum veſtrum, Prote-
gite Robortellum veſtrum, Arma capite pro
Robortello veſtro, qui jactatur huc & illuc,
& fluctuat; à quibus oppugnaris Robortelle?
ab iis, quos fœdiſſima tua lingua perdere vo-
luiſti; à quibus defendi vis? ab iis, quos
quinquennio ante objecta quadam majoris ſti-
pendii ſpe relinquendos putaſti; apud quos?
apud eos, quorum ſummum imperium, aucto-
ritatemque pro nihilo habuiſti. At etiam, ô
impudentiam prædicandam, juventutem mihi
deditam, & à me diſcere cupientem auſus es
aſperius appellare, eamque abominandum, &
nefarium hominum genus, atque ignavam,
& ſtultam, improbamque cohortem vocare;
neque lectiſſimos & clariſſimos omnium juve-
nes aut dicto lædere, aut ſignificatione offen-
dere dubitaſti, cùm tamen ipſum nobilitatis
Venetæ florem, cum præſtantem Germano-
rum, Gallorumque gentem, cum Polonos
univerſos, cum ex Italicis nobilitate, & au-
ctoritate in hac Academia principem quenque,
quorum nunc nomina commemorare non eſt
neceſſe, mihi ſtuduiſſe, atque aſſidue operam
dediſſe, facilè recordari poſſis; tu vero excep-
tis Forojulienſibus nonnullis, & eorum ſoda-
libus, qui officio potius, quàm judicio, &
patriæ neceſſitudine magis, quàm animi
propenſione adducti ſe tibi adeſſe profiteban
tur, pauci alii, quos tu glorioſe quodam in
loco trecentos nominas, ſint ſequuti, quos
tamen omnes hoc loco honoris à me cauſſa
ſignificatos, non contumeliæ velim; adeo ut
tu poſtremo à familiaribus deſertus, à comi-
tibus nudus in fœdiſſimo angulo ſcholarum
urinario plerunque conſiſteres, ac conſpectum
ipſum hominum, lucemque fugeres, unde fe-
ſtivi illi, quorum tu meminiſti, jambi dimana-

runt. Nam quod mihi Unitorum ſodalitatem
propè contumeliæ loco exprobras, ridicule &
inique mehercule facis; quaſi vero, qui nobi-
liſſimorum clariſſimorumque juvenum, quales
ſunt, qui honeſtiſſimum illum cœtum inibant,
familiaritate intima uteretur, eum flagitii, &
ſceleris nomine damnaturus ſis. Utinam hoc
ego vere poſſem gloriari, me à tanta, ac tam
eximia juventute fuiſſe aliquando aut ad no-
biliſſima ſua colloquia, aut ad tempeſtiva illa
convivia invitatum; ſed nec illis hoc adhuc
facere venit in mentem, nec ſi feciſſent, ego
per occupationes meas tanto uti illorum be-
neficio potuiſſem; tantumque abeſt, ut me
auctore illa inſtituta ſodalitas ſit, aut meæ il-
B la auctoritati in aliqua re obtemperarit, ut ne
cum aliquo quidem eorum paulo interiore fa-
miliaritate devinctus fuerim; cujus rei opti-
mus tibi teſtis eſſe poterit unus ex illa ſodali-
tate maxime inſignis, Evangeliſta Sbroliavac-
ca tuus, qui laudes eximias ingenii, atque
humanitatis, quibus eſt clariſſimus, hoc uno
obſcuravit, atque obruit omnes, quod te ho-
minem, ut cetera omittam, audacem, & im-
pudentem, adeo conſtanter tuetur, atque de-
fendit. Nam quid dicam, ut Ulyſſem Aldo-
brandum, patricium Bononienſem, virtutis
eximiæ, excellentiſque doctrinæ virum injuſtè
crimineris, quod cum utrunque ſorte noſtrum
audiſſet, te longe à me nobilitate auditorum,
C & frequentia victum inter ſuos falſo renun-
ciarit? falſo, homo audaciſſime, vir ille fal-
ſo? cur tandem? amicitiæ cauſſa? qui me bis
in vita ſua non vidit, cum tibi Bononiæ fa-
miliariſſimus fuerit? imprudentiæ? qui con-
cionibus illis non affuit, ſed interfuit, nec
alienis teſtimoniis, ſed oculis ſuis rem pro
ſapientia ſua ſtudioſe cognovit? Quod ipſum
litteris ipſius etiam, in quibus communem
hanc injuriam tuam graviter conqueritur, de-
monſtrabo. Quæris inde, quas ego artes ha-
beam cognitas, an philoſophiam, an dialecti-
cam, an rhetoricen, an alias? quid? tu me,
quas teneam artes, rogas? facilis eſt, & ex-
pedita reſponſio; eas propè, quæ ad univer-
D ſum illum, quem tu jactas, diſciplinarum or-
bem exagitandum ſint ſatis; teneo, inquis,
ego plures, ridiculum; ſed quî probabis? an
ego poteram ſingulos olim tuos commentarios
ita evertere, ut in quinquennium audaciam,
temeritatemque tuam iſtam intolerandam com-
primerem, niſi ego iiſdem, quibus tu, artium
ſtudiis obſtrictus fuiſſem? an apertius, atque
inſignius eluceſcere varia, ac copioſa doctri-
na alicujus, quàm in principe litteratorum
abjiciendo, atque frangendo poteſt? an vero
ſi mihi reliqua omnia eſſent incognita, non me
tamen jure non tibi ſolum, ſed omnibus etiam
præferendum exiſtimarem, quod te affirmare,
negare, vacillare, ſudare, rigere, inſanire,
E ſævire in hoc clariſſimo orbis terrarum thea-
tro coëgiſſem? At Topicorum, inquis, &
dialecticæ doctrinam univerſam contemnis;
me miſerum; quod tibi imprudenti verbum
excidit? hominem me haberi nollem, ſi quid
mihi tale veniſſet in mentem cogitare; non
ego Topicorum uſum, mi vetule, aut diſcipli-
nam ullam deriſi, ſed te, tuumque inſtitutum
deluſi, &, quoad vivam, deludam, qui nihil
aliud in ore habeas, nihil aliud in omnibus
gymnaſiis, quàm Topica iſta tua ſemel, atque
iterum tradas; adeo ut hoc etiam anno invi-
tis, repugnantibuſque principibus iſta nobis
Topica inculcare volueris; neque ab eo pro-

po-

poſito, niſi magnæ irrogatione multæ deterreri potueris. Quæ res etiam verſibus tum nobiliſſimis eſt mandata. At M. Antonium Januam, inquam, aliquando audis; o impudentiſſimum hominem! an ego principem philoſophorum hujus ætatis non tum officii, tum diſcendi gratia aliquando audiam? quem & à præſtantibus audiri philoſophis videam, & qui à præſtantiſſimis audiatur, digniſſimum judicem? Utinam quod rariſſime facio, id mihi quotidie facere liceret; neque enim quidquam agerem aliud ſtudioſius. At græcas, inquis, litteras leviter attigiſti; leviter; & tamen aliud nihil ab ineunte ætate profeſſus ſum; ſed unde hoc tu probas? quia hiſtorias, inquis, græcas converſas legis; falſum; immo vero niſi græcè ſcriptas; cujus tibi rei illud eſſe argumento poterit, quòd quæ ab iis ſumo, ea, ne, ut tu, inepte latinis græca inculcem, univerſa converto, & quidem aliena ſenſa, ſi animadvertis, ornatius, quàm tu tua, & copioſius exprimo. Habeo, inquis, orationem à te de græco converſam; fieri poteſt; annos enim natus, opinor, viginti, memini, me neſcio quid tale, ſed ſine meo nomine edidiſſe; hæc à Bendinello, inquis, reprehenſa eſt; quid hoc reprehenſionis ſit, neſcio; illud quidem ſcio, Bendinellum hominem eſſe ingenioſum, & doctum, ſed me tamen ab eo, cùm me multum ætate antecederet, ante annos ferè XVIII. diligenter eſſe auditum; quod non ad ejus contumeliam dictum velim, à quo me plurimi fieri, ex litteris quibuſdam ejus ad Sigonem Simonium Lucenſem, ſcholæ Artiſtarum ſubſtitutum, ſummi ingenii, magnæque doctrinæ juvenem miſſis animadverti. Hiſtoriam de rebus Scipionis, inquis, à Bendinello ſumpſiſti; non puto, Bendinellum hoc eſſe dicturum, ne te quidem, ſi meum cum Bendinelli commentario edito compararis; hoc quidem poſſum vere dicere, idque clariſſimo juvene, & omni virtutis laude cumulatiſſimo, Bernardino Lauredano, patricio Veneto teſte, hanc unam hiſtoriam Petro Franciſco Contareno, viro eruditione, & judicio ſingulari, adeo quondam fuiſſe probatam, ut hoc uno nomine me dignum, qui in tui locum Venetiis ſubrogarer, quanquam admodum juvenem, judicarit. Sed & hoc, & cetera, quæ puerilis ſunt memoriæ rudimenta, mittamus; miror enim, ne tu mihi quoties etiam à pædagogo puer aufugerim, furibundus objeceris, cùm ad meam detrahendam, & ſpoliandam auctoritatem ex ultima prope pueritia mea auxilia evocaris. Jam vero cùm tu aliena me mihi ſcripta vindicare, & nihil novi in libris antiquitatum Romanarum meis afferre criminaris, quis te non tum vanum, tum verò etiam non obſcure invidum judicet? quod enim eſſe vanitatis apertius argumentum poteſt; quàm hominem tanto natu, tam inſignem, ut ais, & eruditum ad eam diſceptandi rationem accedere, quæ etiam in puero ſit graviſſime caſtiganda? invidentiæ vero quæ poteſt eſſe nota certior, quam cum ita aliena laude conficeris, ut eam etiam impudenti mendacio deterere aggrediare? profer enim Robortelle commentarios ejus argumenti ullos aut pleniores, aut elegantiores, aut, quod caput eſt, certiores, & vario veterum teſtimoniorum apparatu inſtructiores; miſſos autem facio ſemper tuos, qui propter inauditam deformitatem ſuam meritò doctis omnibus ſunt in amoribus. Nam quod me niſi Romana attigiſſe nomina negas, ſumma hercle me ſolicitudine afficis; quaſi vero obſcuræ ſint vigiliæ, & varii, multipliceſque labores mei; cur autem hoc tu tandem Robortelle dicis? an quia ego commentarium de Romanorum nominibus unum ſcripſi? ô rem ridiculam, & jocoſam; at tù duos, alterum de nominibus, alterum de familiis edidiſti, neque tamen adhuc quid ſit nomen Romanum aſſequi potuiſti; ſi hoc eſt vitium, tu ejus culpam ſuſtines univerſam; tu enim quòd nemo ferè ante de illa reſcripſerat, ad ſcribendum adductus es, ego quòd tu peſſime, atque incommodiſſime ſcripſeras, cum D. Decium, T. Tiberium ſignificare falſo docuiſſes, cum Manii, Numerii, Cæſonis rationem, notamque non cognoviſſes, cùm, ut ſoles, imperfectè, & perturbatè omnia tradidiſſes. At hæres, inquis, tertio quoque verbo, & ne grammaticè quidem loqueris; ignoſco tibi Robortelle, ſi nimium familiaribus tuis quibuſdam, qui tui conſolandi cauſſa hæc tibi de me retulerunt, credidiſti; neque enim hæc ex tua tu ſententia profers, qui me niſi ſemel orantem non audieris, tum cùm tu ineptiſſimè mihi vitio tribuiſti, quòd quammaximas gratias dixiſſem, idque tibi parum latinè dictum videri addidiſti, quemadmodum verſibus quibuſdam elegantibus à non malo poëta quodam eſt demonſtratum. Veruntamen quid ſi ego commodius ex tempore loquar; atque ornatius, quàm tu ex ſcripto? niſi forte qui ſe ab illa ſcriptorum tuorum fœditate removent, quàm longiſſime poſſunt, eos parum latinè loqui exiſtimas; neque enim tua dictione diſertorum omnium judicio conſtat quidquam eſſe incultius; incultius dico? immo vero nihil inquinatius, nihil ſpurcius. At ſi ſcribis, inquis, acceptum Nizolio feras neceſſe eſt, cujus opera adjutus ſcribis ſemper; dii immortales, quo tandem intemperantiæ progredieris? tu homo diſertiſſime paupertatem orationis in eo culpare potes, qui plura volumina ſcripſit, quàm tu attente perlegeris: tu ingenii alacritatem, & copiam in eo requirere, qui à te libro per biennium ſcripto laceſſitus unius menſis ſpatio ita tibi reſpondit, ut ipſe per quinquennium propè attonitus obmutueris? ut tu ubertatem dicendi in eo deſiderare, qui celerius ſcribit, quàm tu cogites? Hodie ſextus eſt dies, ex quo tu tuas ephemerides ediſti; ſcis heri, te meo nomine domi à Petro Angelo Mannuccio juvene & ingenio ſummo, & non mediocri induſtria prædito eſſe conventum, saluteque data hujus mei ad illas reſponſi principium jam typis deſcriptum tibi meo nomine ab illo eſſe redditum, nunciatumque, ut ſi reliquum velles, qui à me ſumeret, quotidie mitteres; quod à me eo conſilio factum eſt, ut tu tandem demens intelligeres, Nizolii ope non egere illos, qui quod ſpatium vix ſatis ad meditandum, id ipſi ad opus propè univerſum conficiendum aſſumerent; quod non dicerem; (nam leve hoc nimis, ac propè puerile videtur,) niſi tua me ad hanc orationem nimia impelleret petulantia; ſed tamen non ne tu in eo homo ridiculus es, qui alteri inopiam, ac jejunitatem orationis objicias, cum te neminem minoribus unquam ad dicendum inſtructum acceſſiſſe orationis præſidiis conſtet? quando enim tu in concione, quando in ſchola, ſiquid tibi pluribus verbis fuit agendum, non ſcripto, eoque inculto, ac ſordido domi ante per ocium comparato, quod voluiſti, es

con-

conſequutus? quando in clariſſimis Italiæ gymnaſiis, in quibus per tot annos fortuna potius quadam, quàm virtute verſaris, quod omnes ante te in ipſo ſaltem profeſſionis initio factitarunt, orationem ad tempus adcommodatam aliquam habuiſti? non Piſis, non Patavii, non Bononiæ, non iterum Patavii, cum res, cum ratio, cum tempus, cum locus maxime poſtularet; orationem dixi? immo vero quando non eandem ubique ex ſcripto de locis tuis Topicis quibuſdam ineptam, & inſulſam cantilenam, quaſi ſolemne carmen aliquod recitaſti, atque auditoribus etiam repugnantibus inculcaſti? At vide, quantum licentiæ tribuat imprudentia; tu, qui quæcunque doces inſpectantibus omnibus ex ſcripto publice doces, eorum, qui nullo ejuſmodi ſubſidio utuntur, deſideras diligentiam, atque adeo inſolens es, ut tibi non veniat in mentem ejus diei, quo hoc anno, cùm tibi diſputationem quandam aggreſſo tabella forte, in qua ſingula propè verba digeſſeras, excidiſſet, neque eam commodè ſine magna dignitatis offenſione recipere poſſes, fractus animo, atque abjectus, quod longius progredi diſputando non poſſes, defatigatum te eſſe dicendo finxiſti, cùm tamen paulo ante pergulam aſcendiſſes, & quaſi capitis dolore vehementi aliquo vexareris, mentum cubito fulciens, voce languida dixiſti, ut omnes audirent: Profectò domini ego feſſus ſum; quod cùm ſenſiſſent amici, te ſubito ſolitis interpellationibus ſublevarunt; aut adeo ſtolidus es, ut illius alterius diei non recorderis, quo, ut conſtat, cùm lætus & hilaris in pergulam Bononiæ perveniſſes, ubi te familiarem tabellam imprudenter domi reliquiſſe ſenſiſti, vultu confuſus, atque animo perturbatus, magno te ſubito alvi dolore oppreſſum eſſe ſimulaſti, teque domum confeſtim fracto, atque demiſſo animo recepiſti? Non vereor, ne multi me hæc ad tempus fingere putent, eaque ad meam cauſſam referendi criminis gratia accommodare. Sed habeo diſputationem tuam, quam de comitiis, opinor, ante ſexennium Patavii habuiſti, quæ cùm tibi fortè de ſinu excidiſſet, à juvene quodam tum collecta non ita multo poſt ad me Venetias miſſa eſt; cujus adhuc exemplum propè ſanctè cuſtodio, quod poſt aſcribam, ut omnes intelligant, quantum memoriæ, quantum doctrinæ, quantum eloquentiæ facultate valeas, quàm pleraque falſa, aliena, ridicula, trita tranſalpinæ juventuti tradas, cujus cauſſa huc te gloriaris Bononia eſſe revocatum. Jam quod me blæſum appellas, nemo hercle unquam, quid tu dicas, intelliget. Etenim ſi blæſum accipis ut Latini, qui litteram R. pronunciare non poſſit, quis ejuſmodi vitium in me agnoſcit? ſin autem eos demum, qui in dicendo non mugiant, ut boves, non vociferentur, ut cyclopes, blæſos appellas, hanc tibi laudem tantam ego facilè concedo, ut abſurdiſſima, ac prope vaſtiſſima voce tua eorum, qui te audiunt, aures obtundas, atque ipſa etiam ſubſellia labefacias. Nam quid eſt, quod me ſæpius Sigoniolum vocas? an quod, ut Polyphemus ille alter, cujus tu cum figura mores effingis, Ulyſſem, ſic tu me hominem haudquaquam puſillum, brevis præ te ſtaturæ exiſtimes? an illud potius non ad ſpeciem corporis, ſed ad ipſius humilitatem generis refers? nam hanc etiam tu mihi arrogantius neſcio quo modo, ac prope faſtidioſius objeciſti, cum me aliquando hypodidaſcali functum mu-

A nere arguiſti, & ex fœce civitatis natum, patremque in vili miniſterio verſatum, quippe lanarium, pro concione ad contumeliam exprobraſti. In quo tam gravi, atque impudenti mendacio ſi te ſine reſponſione diu patiar deliteſcere, equidem jure dignus exiſtimer, qui obſcuriſſimo genere natus, atque ſordidiſſimo verè parente ſim procreatus. Etenim quanquam nunquam ſtudui, ut genere magis, quàm virtute ad famam hominum commendatus viderer, non debeo tamen, cùm ab ignobiliſſimo homine, atque ipſius prope terræ filio ad ejuſmodi contentionem generis vocer, aliquid de me ipſo propterea reticere, ne quid fortaſſe prudentes homines de mea me origine
B glorioſius judicent prædicaſſe. Quare cum à te, tum à cæteris, quorum hæc in manus pervenient, etiam atque etiam peto, ne me tam ineptum, ſtultumque eſſe exiſtiment, ut ea de me litteris, memoriæque mandare velim, quæ cum facilè civium, & vicinorum meorum, qui facilius invidere, quàm favere ſolent, teſtimonio falſa convinci poſſint, omnibus poſtmodum merito deſpectui, ac ludibrio ſim. Meum igitur genus ſcito eſſe hujuſmodi; tu de tuo poſtea pro tuo arbitrio diſputabis. Mutinæ antiquo inprimis, atque illuſtri Italiæ oppido, ſtirpe non indecora ſum ortus; quippe cujus ibi antiquitas ſupra trecentos annos ex veteribus Priſciani, & Riccobaldi annali-
C bus repetatur, qui res Principum Ferrarienſium geſtas litteris perſecuti ſunt. Hoc tu facilè à clariſſimo viro Hieronymo Faleto Comite, eodemque Illuſtriſſimi, & maximi herois, Alphonſi Ferrarienſium, ac Mutinenſium Ducis apud Venetos Legato cognoſcere poteris, qui modo elegantiſſimam & ipſe de eorundem Principum rebus hiſtoriam ex ipſa erutam vetuſtate conſcripſit; apud quem illi, quos dixi, annalium commentarii ex Principum tabulario ſumpti cuſtodiuntur. Hoc idem Gaſparis tibi Sardi vulgata hiſtoria demonſtrabit; quin etiam ſi publicis Mutinenſium tabulis fidem habere volueris, invenies inter vetuſtiſſimos illius civitatis juriſconſultos ex mea
D multos familia numeratos; ut interim ſepulchra vetera mittam, ædeſque ut illis temporibus magnas, atque magnificas in clariſſimo urbis totius loco ſitas, quarum in parte, quæ adhuc in poteſtate mea eſt, ego te, ſi recte meminiſti, tredecim, opinor, ante annos, vix mihi nomine notum, Piſis decedentem excepi. Parente natus ſum honeſto, atque cum modicis opibus, tum iis artibus, quæ in ea civitate honeſtæ habentur, ſe, & familiæ ſuæ conditionem ſatis pro loci dignitate tuente; quem quòd tu lanarium ad ignominiam appellaris, valde miror, cum eo modo, quo ille lanas tractavit, non in ea ſolum civitate, ſed in opulentiſſima, ac ſplendidiſſima quaque, vel ſi
E terrarum caput Venetias ipſas enumeres, honeſtiſſimi homines, atque honeſtiſſimo loco nati tractarint; cujus rei argumento illud erit, quod ille idem etiam in ejus civitatis conſilio aliquando fuerit, quemadmodum ex actis ejus, & novorum codice ſtatutorum intelliges, de quibus ille etiam ſuffragium tulit, qui locus ſordido, atque humili alicui lege, moreve nullo unquam tempore patuit. Hic igitur me illis artibus puerum erudiendum curavit, quibus maxime ad virtutem imbecilla ætas informaretur; meque eorum potiſſimum diſciplinæ commendavit, ad quos tum ab univerſa illius civitatis nobilitate propter doctrinæ, atque inte-

integritatis famam fieret concurſus. Itaque græcas litteras accepi ab eo, qui princeps hujuſce nunc facultatis putatur, Franciſco Porto Cretenſi, qui eas litteras publico tum ſtipendio in ea civitate magna cum laude profitebatur, & poſtquam diu in Ferrarienſi Academia floruit, tecum in Lazari locum Patavium petiit; condiſcipulis in patria uſus ſum multis, quorum ingenium, ſtudiumque acerrimum, tardiſſimum etiam quenque excitare potuiſſent, atque ad laudem, gloriamque facilè imitandi cupiditate, & ſtudio æmulationis accendere; quorum duos non præteribo, unum Jo. Carolum Bovium nunc inter Apulos Epiſcopum, jam tum ea ingenii magnitudine præditum, ut ipſum facilè ad eam, qua nunc Tridentino in Concilio floret, doctrinæ, ac prudentiæ famam perventurum, pro certo haberes; alterum Gabrielem Fallopium, in quo tanta ad omnia litterarum genera vis ingenii elucebat, ut ſine magno admodum ſtudio ad omnem virtutis excellentiam facilè procedere, tanta induſtriæ magnitudo, ut etiam ſi nullo fulciretur ingenio, per ſe tamen niti ad ſummam in omni diſciplina gloriam, poſſe videretur; id quod ipſius rei eventus poſt facilè comprobavit; cum virtus, atque in omni nunc officio præſtantia ejus longè graviſſimas quaſcunque omnium laudes, atque maxima etiam præconia ſuperet; cum hoc autem ita ab ineunte pueritia vixi, ut remota virtutis, & laudis, ad quam uterque flagranti ſtudio contendebat, æmulatione, nihil nobis duobus aut conjunctius eſſe, aut copulatius poſſet. Annos XVI. natus Bononiam, ut ibi philoſophiæ primum, poſt medicinæ operam darem, à patre ſum miſſus, ibique per triennium fui, & quidem honeſtiſſime ſumptibus patris; quo tempore Maynettum Maynettium tum in Logicis clarum, & Antonium Bernardum, & Antonium Franciſcum Fabium in philoſophia audivi; quorum alter quantus ſit, illuſtria ad immortalitatem ingenii ejus monumenta declarant, alter, locus, quem in Academia Bononienſi cum maxima jamdiu laude principem obtinet. Neque vero de contubernalibus meis dicere omittam, ut ex eo etiam genere conſuetudinis diſcas, quàm ego honeſtè, atque honorificè publicis in gymnaſiis fuerim; per biennium ferè in eadem domo cum Hieronymo Oſorio Luſitano familiariſſimè, & conjunctiſſimè vixi; quo viro neminem Hiſpania tulit aut eruditione præſtantiorem, aut eloquentia clariorem, aut vitæ innocentia ſanctiorem. Huic ego, cum me longe ut ætate, ſic doctrina anteiret, ita deditus fui, ut neminem eo plus obſervarem; ab eo ita amatus ſum, ut ejus etiam ope plurimum in omni litterarum, quibus ille jam tum præ ceteris excellebat, ratione profecerim; tantus vero inter nos fuit uſus, ut ad reliqua officia ultro, citroque collata, ille etiam poſt me abſente decedens in patriam apud patrem meum ſit familiariſſimè diverſatus, quod eo vivente, ni ita eſſet, dicere, ne vanitatis arguerer, non auderem. Ex nobilitate Bononienſi intima ſum uſus familiaritate Gabtielis Paleoti, cujus nunc in jure civili, & in omni magna re adminiſtranda excellentem induſtriam, ſummamque prudentiam non Tridentinus conſeſſus ſolum, ubi verſatur, ſed etiam Italia tota admiratur; quartum inde annum in Ticinenſi Academia poſui, ubi Andream Camutium, philoſo-

A phum in primis nobilem, & probatum diligenter audivi, contubernalemque habui ingenioſiſſimum, atque optimum juvenem, Scipionem Caſſolam Parmenſem, qui nunc medicus eſt inter ſuos doctrina, atque auctoritate clariſſimus; annum inde agens XXI. poſthabitis medicinæ ſtudiis, cum majora quædam, ut fit, in animo agitarem, me in Illuſtriſſimi Cardinalis Marini Grimani clientelam, & familiam honeſtiſſimam contuli, ibique per aliquot menſes honeſtiſſime fui; quoad in patriam meæ fortè rei cauſſa reverſus, à civitate mea invitus, atque omnia alia cogitans in locum Franciſci Porti, præceptoris mei, qui in Academiam Ferrarienſem ac-

B cerſebatur, annum agens XXII. ſum ſuffectus, cujus rei teſtimonio ſunt litteræ tum ejus civitatis ad Cardinalem, tum Cardinalis ad civitatem; quarum poſt, exemplum adſcribam; in hoc autem munere verſatus ſum per ſeptennium, quoad Senatus me Venetus annum agentem undetriceſimum in tui locum Venetiis, nullo alio induſtriæ meæ, ut aliorum aſſolet, facto periculo primum ſubrogavit, deinde intra annum novo ſtipendio decoravit. Quam profectionem Mutinenſem cur tu quodam in loco, neſcio quomodo irrideas, ſanè non video; nam ſi civitatis dignitatem reſpicias, ea Mutina civitas eſt, quæ cum multis aliis laudibus ſit illuſtris, ingeniorum tamen in

C primis ac ſtudiorum gloria recentiſſima floreat; quippe quæ Fr. Mariam Molſam poëtam nobiliſſimum, quæ Antonium Florebellum Epiſcopum, tum vitæ innocentia, tum latinæ orationis elegantia excellentem, quæ Lodovicum Caſtelvetrum ingenii, judiciique laude præſtantem, tuumque, ut ipſe quodam innuis in loco, magiſtrum tulerit; quæ Sadoletum, Corteſium, Badiam, Bertanum Cardinales hac ætate pepererit, non à fortuna magis elatos, quam ab ipſa virtutis, ingenii ac doctrinæ præſtantia illuſtratos; quæque denique his temporibus adeo hæc, quæ tantopere admiramur, eloquentiæ ſtudia coluit, ut privata civitas publici, ejuſque clariſſimi gymnaſii ali-

D quando præ ſe ſpeciem tulerit; ſi profitendi rationem ſpectes, ea cum dignitate ibi munus hoc interpretationis obitum eſſe reperies, cum qua Patavii; ſi profeſſorum auctoritatem intuearis, eum ibi docuiſſe invenies, qui, ne quid gravius dicam, tibi, omnium judicio, linguarum eruditione præcellit; ſi annui ſtipendii rationem habeas, multo graviorem mihi propè puero à civibus meis in patria mercedem attributam pro illorum temporum ratione, & Reipublicæ ſuæ facultatibus eſſe reperies, quam quæ tibi viro, ut ais, litterarum omnium principi, in principe orbis terrarum Academia à regibus ipſis Venetis, maris, terrarumque dominis numerata ſit. Hoc

E ego modo natus ſum, Robortelle, hoc educatus; hæc ſunt ineuntis meæ incunabula ætatis, hæc prima rudimenta virtutis; ab his initiis ad aliquam hominum famam perveni, ab his fontibus mea laus omnis ad commendationem aliquam nominis dimanavit. Quæ tu falſa hypodidaſcali mentione injecta, & vana generis obſcuritate objecta homo contumelioſiſſimus impudentiſſimè auſus es deformare. Hæc inquam quin reprehendas, hæc quin redarguas, ac, ſi potes, falſa eſſe convincas, mihique clariſſimas ad ignominiam ſempiternam, ſi mendax narrator fuero, vanitatis notas inuras, non recuſo: noli extimeſcere, ne

ego te viciſſim, non Utini, ut fingis, ſed in ſylveſtribus Carniolæ, id eſt, ultimæ Italiæ montibus natum, & educatum, in ſumma mendicitate vixiſſe, aliena ope diu vitam, & ſtudia tua miſerè ſuſtentaſſe demonſtrem; libero te iſto metu; non hac ego via nitor ad laudem, non generis cujuſquam reprehenſione contendo ad gloriam; hæc eſt tua propria ratio, hæc eſt tua diſciplina; neque enim alteri quis generis ignobilitatem criminis loco objicere audebit unquam, niſi qui ipſe loco ſit obſcuriſſimo, ac ſordidiſſimo natus. Jam illa, quæ tu impudentiſſimè de ganeis, & nocturnis commeſſationibus objeciſti, quid eſt, quod ego exhorreſcere debeam? cum me & ingenii mei ratio, & diuturna ante actæ vitæ conſuetudo placeam ab omni ejuſmodi ſuſpicione criminis liberent? quis enim me non dico noctu vagantem, ſed ne interdiu quidem niſi neceſſario pedem domo efferentem unquam vidit? aut quis in me non perpetuam potius quandam in vultu, velut alienati ſæpe animi triſtitiam, quàm epularem illam, quam tu deſcribis, hilaritatem reprehendit? aut denique quis me foris unquam cœnantem, niſi à nobili fortaſſe aliquo invitatum animadvertit, cui vocanti non parere, inhumani hominis eſſet, atque ipſum prorſus civilem congreſſum, ſermonemque vitantis? an vero ſi me forte aut Lazarus Mocenicus, patricius Venetus, aut Jo. Vincentius Pinellus, patricius Genuenſis, humaniſſimi, iidemque eruditiſſimi juvenes, ad ea me convivia vocent, quæ à ſummis philoſophis, & præſtantiſſimis medicis iniri ſciam, non accedam? Equidem, verè dicam, illum mihi diem pulchre vixiſſe unum videor, quo ad illa tempeſtiva Pinelliana ſodalitia, tum domini humanitate, tum ſodalium comitate, ſuaviſſima vocor; ad quæ non niſi qui moribus, & doctrina ſint ſpectatiſſimi, patet aditus. Etenim ſi graviter agendum eſt, quæ res eſt, de qua non ibi & quæratur acutè, & diſputetur argutius? ſi facete, qui joci, qui ſales ibi deſiderantur non recondita quadam eruditione conditi? an tu putas, quenquam ibi eſſe fortaſſe, qui de te ſermonem inferiet, cùm domino ipſo convivii nemo ſit humanior, cum ſodalibus nemo elegantior, cum omnes unum Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem, Plutarchum, & reliquos ejuſmodi politioris doctrinæ principes in ore habeant? omnes unam honeſtatem, unam laudem, unam gloriam in omni ſua actione, atque oratione intueantur? ad quæ quod ipſe fortaſſe non voceris, mores accuſa tuos; quis enim in tanta humanitate tantam immanitatem, quanta in te eſt, ferre poſſet? At vide quàm conſideratus conviciator exiſtas; cùm ea objicias, quæ cum falſa ſunt, tum in te juſtius convenire, quàm in eum, cui objicias, poſſunt; quis eſt enim, qui ſi noſtrum utrunque viderit, non ex ipſo ſtatim corporis habitu, me uni ſobrietati ſervire, te uni ſolum abdomini natum eſſe exiſtimet? cum ventris illius tui magnitudinem, & pinguedinem inauditam aſpexerit, cum nutantium palpebrarum gravitatem, cum oculorum ſomnum, oris hiatum, faciei colorem, totius corporis motum adeo difficilem, ut vix gradum ſine ſummo ſudore, & ſine vehementi reſpiratione conficias? cum intemperantem illam helluationem tuam, & quotidianam immanium illorum poculorum abſorbitionem acceperit? quod ſpecimen ingenii, quam virtutis indolem,

A quod argumentum acuminis afferre poſſunt in monſtruoſo capite illo tuo frons anguſta, parvi oculi & eminentes, vox Antroniæ pecudi convenientior, quàm homini? quid? tu falſa ganearum commemoratione induſtriam illius obſcurare es auſus, qui inter omnes, quos tu per tot annos convicio violaſti, ſolus & ſuas, & aliorum injurias eſt acerrimè perſecutus? Rectè quondam, opinor, Sophocles, cum quaſi deſipiens à re familiari removeretur à judicibus, quæſivit, num carmen, quod tum habebat præclarum in manibus, deſipientis videretur? ſic ego de te quæro, num tibi aut hic liber quindecim dierum ſpatio ſcriptus, aut ille alter triginta adverſus tuas utre-

B que criminationes comparatus, vinolenti hominis, an ſicci, & ſomniculoſi, an vigilantis videtur? neque enim dubito, quin apud ceteros mearum, qualeſcunque ſint, vigiliarum monumenta varia ante XXXVIII. annum ætatis edita me ab omni ſuſpicione vinolentiæ à tam temulento præſertim conviciatore objectæ, facilè ſint liberatura. Pandite nunc Helicona deæ, cantuſque movete; neque enim quod tu Muſis, atque Apolline ipſo invitis, indignantibuſque feciſti, ut falſa in meam vitam crimina, quaſi venenata quædam tela conjeceris, id ego ſine illorum, aut certe ſine ejuſmodi aliquo ſanctiſſimo numine, cui præteritæ meæ perpetua vitæ ratio cognita ſit,

C his miſeris conari temporibus audeo, ut ea ullius orationis facultate depellam; proh dii immortales, quæ eſt hujus ſeculi labes, quæ horum non dico hominum macula, ſed temporum! Hominem exiſtere propè ſexagenarium, virtutis diſciplinam, humanitatiſque doctrinam in clariſſimis Italiæ gymnaſiis jampridem profeſſum, qui à collega ſuo ignorantiæ demum, inſcitiæque convictus, quia alium non habeat excuſandæ ignaviæ ſuæ portum, extra cauſſam eum ipſum, à quo eſt convictus, improbum hominem impudenter audeat, & nefarium, & perditum, & furciferum, & carnificem appellare? eundemque turpiſſimi cujuſque flagitii nomine falſo non

D dubitet onerare? quæque ſcribit, ea etiam ſacri, ſi diis placet, magiſtratus permiſſu ſe falſo prædicet edidiſſe? ò monſtrum, ò portentum ne in ultima quidem unquam barbaria, ne dum in pulcherrima, atque humaniſſima Italiæ parte auditum! Verbum non habeo Franciſce Robortelle, quo fraudem, quo mendacium, quo impudentiam, quo turpitudinem, quo flagitium, quo ſcelus tuum ad omnem poſteritatis memoriam prædicandum appellem; an vero ſi ego homo eſſem nequiſſimus, non tot, & tam novis, atque inauditis ante teſtimoniis virtutis, atque doctrinæ à Senatu Veneto prudentiſſimo atque juſtiſſimo decoratus, ſi Luca eſſem ob nefanda flagitia pu-

E blicè pulſus; ſi Piſis è ſcena ab hiſtrionibus, antiquæ comœdiæ more, ut infamis digito demonſtratus, & petulantibus verſiculis ad ignominiam ab ipſomet vulgo notatus; ſi Bononiæ ab uxore de flagitio compellatus; ſi veneficus denique, ſi fœdifragus, ſi impius, ſi domi, foriſque turpiſſimus, ſi lingua mala, pejore vero, dii talem terris avertite peſtem, ad omnia flagitia mente præditus eſſem, non autem is, cui nihil horum à petulantiſſimo inimico ne criminosè quidem objiceretur, tu tamen, ſi quam modeſtiæ ſpeciem in vita vidiſti unquam, in me hac de re tam acerbè invehi debuiſti? Neque vero mea cauſſa hoc queror,

quippe

quippe qui gratiam tibi etiam habeam ma- A
gnam, quòd cum turpiſſimum quodque ex
ſumma hominum nequitia crimen, quo me
perderes, conquiſiveris, pernicioſam illam ta-
men, qua tu multos amicos tuos adhuc fortu-
nis omnibus evertiſti, hæreticæ impietatis no-
xam, quæ mihi etiam falſa his ſuſpicioſiſſimis
temporibus vehementius erat exhorreſcenda,
ſilentio prætelieris; multo vero etiam majo-
rem, quod ea de me dicere in animum indu-
xeris, quæ non ſolum præſentis, ac præteri-
tæ, attentæ nimirum, & laborioſæ, ac mini-
mè, ut tu ais, voluptuariæ vitæ meæ conſue-
tudo repudiaret, ſed etiam quæ familiarium
meorum oculi reſpuerent, atque amicorum,
bonorumque omnium, quibus modo nomen B
meum eſſet auditum, aures aſpernarentur; ve-
rum, ita me dii ament, tua me cauſſa in pri-
mis movet, cum à te id ætatis viro, atque
uxore undique, & parvorum liberûm maxi-
ma caterva ſtipato, ea ſcribi video, quæ ne
cogitari quidem ſine reprehenſione ab laſcivo
adoleſcentulo poſſint; ea ſæpius repeti, quæ
ne ſemel quidem à petulanti puero ſine tur-
pitudine dici queant; ea demum à te oratio-
ne ornari, quæ ne obſcure quidem à proter
vo homine aliquo proferri ſine ſumma infamia
poſſint; ut admirationem omnibus afferas in-
credibilem, quid ſit, quod cum ceteras res
omnes inculte, atque horride tractes, tur-
piſſimum tamen quodque flagitium copioſe, C
atque ornate adeo perſequaris, ut ab eo præ
voluptate, & memoria familiaris ſine dubio
nequitiæ tuæ divelli non poſſe videare. O rem
indignam; en cui tu liberos tuos in diſcipli-
nam tradas, à quo mores & diſciplinam per-
diſcas; quem nec imminens ſenium, nec fami-
liaris rei cura, nec ambitionis occupatio, nec
liberalium artium ſtudia, nec tanta cum col-
lega de dignitate contentio ab eo, ne ut ipſe
flagitioſiſſime vivit, vixitque, ſic turpiſſime
loquens, & ſcribens delectetur, poſſunt ulla
ratione revocare; quis enim tam ſpurce de
altero unquam eſt locutus, quàm tu, qui
non, ut tu, turpiſſime vixiſſe convictus ſit?
Quæ tuæ probra, atque dedecora vitæ noli
timere, ne hoc ego tempore prodam, teque
etiam cum Cœlio Curione ab eccleſia Roma-
na damnato de pietate noſtra conſenſiſſe, lit-
teris tuis ad eum, quibus id confiteris, oſten-
dam; eſſem mei diſſimilis, ſi non modo hoc
ſcriptum, ſed ne tacitam quidem cogitatio-
nem meam tali aut oratione, aut conquiſitio-
ne fœdarem; quærent ii, quorum mens non
ita in ipſa dignitatis, atque honeſtatis cura
defixa eſt; quærentibus autem ſi non alii, at
certe muta ipſa Lucæ, Piſarum, ac Bononiæ
mœnia ea reſpondebunt, quæ neſanda amici
tui Gurio, & Grifonius, ille epiſtola ad ju-
riſconſultos Patavinos ſcripta, hic jampridem
vulgatis verſibus prodiderunt. Hoc ego tan-
tum indicare in vulgus non erubeſcam, unum
tandem virum prudentiſſimum, eundemque
juſtiſſimum, prætorem Patavinum, Aloyſium
Mocenicum eſſe inventum, qui verè mores
tuos perſpexerit, teque è dignitate tua tracta-
rit; cum hoc anno in prætorio Patavino, to-
ta Academia, atque adeo tota civitate Pata-
vina audiente, ſæpius eſt minatus, ſe te ut
ſeditioſum atque certum hujus Academiæ tur-
batorem & edicta dominorum ſuperbè con-
temnentem, ſi his eſſe moribus pergeres, pu-
blico ſtipendio multaturum, atque ipſa ſubi-
to urbe, ut quidem dignus es, magna cum
tua ignominia depulſurum.

CARO-

CAROLI SIGONII
AD EPISTOLAM FAERNI
A ROBORTELLO EDITAM,
RESPONSIO.

FAërni epiſtolam, in qua ille de meis in Livium ſcholiis judicat, bis edidit Robortellus, primum quinquennio ante Altilii Aquilæ, eo, qui typis illam tum Robortelli juſſu, ſumptuque mandavit, Gratioſo Perchacino teſte, nunc vero iterum, Conſtantii Chariſii nomine; tantumque huic epiſtolæ tribuit, ut, quod opibus ſuis ipſe ſe aſſequi poſſe diffidit, id Faërnianis viribus bis tentaverit; ſcilicet ut de me victo, profligatoque tandem aliquando triumpharet; adeo ut ipſe ubique de me falſo loqui ſolet, exulcerato in me animo eſt. Reſpondeamus ergo huic etiam epiſtolæ, ne quod adverſus nos telum homini maledicentiſſimo niſi linguæ procacitatem ipſam relinquamus. Ex libro primo locos hos à me depravatos putabat Faërnus; juſte ne, nunc conſideremus.

Capeto Tiberinus, qui in trajectu Albulæ amnis ſubmerſus celebre ad poſteros nomen flumini dedit.] Ego notavi, placere Dioni, regem hunc Tiberium vocari, quia ſcribat, Tiberim à Tiberio rege appellatum, non ab eo, qui Auguſto ſucceſſit, ſed ab alio antiquiore, qui ibi ſubmerſus eſt. Faërnus tamen hiſtorico poſthabito, Tiberinum, non Tiberium probat, nititurque auctoritate poëtæ Ovidii, quia verſus, ut inquit, non tam facile corrumpi, ut oratio, poſſit; cui ego, verſus à poëta ſcriptus difficile corrumpi poteſt, at verſus cauſſa nomen aliquod à poëta facile corrumpi poteſt, ut Virgilius corrupit, qui Scipiadas dixit, quia propter creticum Scipiones dicere non potuit, & Silius Macedum, quia propter tribrachym Macedonum non potuit, ſic cùm Tiberius propter tribrachym dici heroico verſu non poſſet, ut tertia ſyllaba longa redderetur, Tiberinus eſt à poëta dictus; adde, quod veriſimilius eſt, ex Tiberio Tiberim, & Tiberinum, quàm à Tiberino Tiberim eſſe factum. Quamobrem in nominum propriorum ratione poëtarum auctoritate nihil eſſe ſtatuo imbecillius, & hiſtorico potius, quàm poëtæ ſemper, cum bona Faërni manium venia, aſſentiar vehementius.

Dextra Herculis data &c.] Ego manuſcripti libri auctoritate adductus, & ut incommodam quandam ſententiam quæ ex vulgata lectione manabat, evitarem, legendum putavi Herculi. Faërnus incommodum, cujus ego memini, non inficiatur, ſed opponit aliud; neque ipſe ſe tamen ſatis explicare, lectionemque cogitur inducere & à manuſcriptis, & ab hiſtorico Dionyſio, ut ipſe etiam fatetur, alienam; ex quo apparet, facilius eſſe reprehendere alienam ſententiam, quam ipſum aliquam conſtituere. Itaque in hoc aſſentior Faërno, locum hunc eſſe obſcurum, atque difficilem, & de mea, & de illius lectione, ut ipſe ſignificat etiam, valde quærendum eſſe.

A *Fabricato ad id apte ferculo.*] Dixi feretro legi in manuſcriptis, quos ego legi. Hi ſunt qui in bibliotheca D. Marci, D. Antonii, & Jo. & Pauli Venetiis, & D. Joannis de Virdaria Patavii aſſervantur, & aliorum privatorum. Faërnus negat ita eſſe in omnibus, quos ipſe legit; quid tum? Negat item græcos φέρετρον nominare; recte; apud me enim & mendoſe φέρετρον pro φερέτριον, litteræ hujus vitio uno facto, quod & tolerabilius, quàm duorum, ac trium verborum, ut apud Robortellum.

A pleriſque rogitantibus dimiſſi, eo quod feminis quoque aſylum aperuiſſent:] Ego dixi placere, quod eſt in manuſcriptis meis, ecquid
B non feminis quoque; hoc ſenſu; cum Romani finitimorum connubia petiiſſent, repudiati ſunt ab iis rogantibus, cur, ut viris, non feminis quoque aſylum aperuiſſent, quo feminæ confugerent, ſic enim fore, ut non egerent finitimis; hoc non placet Faërno; at placet Sigonio; judicent eruditiores, non exulcerato animo præditi, id eſt, præter Robortellium omnes.

Equum Curtium in vado ſtatuit.] Ego: Equum Curtius in vado deſtituit; primùm quia in manuſcriptis legi, Equum Curtius in vado ſtatuit; & quia Glareanus hujus etiam lectionis meminit, & quia Plutarchus, qui, ut obſervavi, pleraque à Livio ſumpſit, hanc
C ſententiam aperte exprimit. Et quia facilis eſt lapſus ex vado deſtituit, vado ſtatuit, & quia locutio eſt Liviana, ut ſupra: cum fluitantem alveum tenuis in ſicco aqua deſtituiſſet. Et quia commodius fuit Curtio relinquere in vado equum, & ſalutem ſibi quærere, quàm in Lacu; & quia ſi legamus, Equus Curtium in vado ſtatuit, genus dicendi inauditum inducimus, & à Plutarcho, quem conſentire cum Livio, quàm diſſentire veriſimilius eſt, diſcedimus; & quia rationem equo damus, ut Curtium in vado collocet, & quia nullus hiſtoricus illi faveat ſententiæ. Hæc ſi vidiſſet Faërnus fortaſſe non ſibi tantum placuiſſet; neque enim aliter loquitur atque Livius, ſi
D reviviſceret. Utinam ille tandiu vixiſſet, dum quæ in vita ſua tota commentatus eſt, edidiſſet; nam meus labor ſex menſium fuit labor; maluique hoc qualecunque Livio munus tribuere, quàm me perpetuo venditare.

Ab Tito Tatio Titienſes.] Ego admonui Feſto placere Titienſes legi à Tito, at Varronem, & Plutarchum legere Tatienſes, quibus etiam manuſcriptos libros aſſentire. Non negat hoc Faërnus, at tamen mavult Titienſes; qua quæſtione quæ poteſt etiam levior? & tamen ſi ego velim rationem addere, dicam, Tribus à nomine gentis appellatas, nullas à prænomine, & Claudiam, non Appiam, item Corneliam, Sergiam, Fabiam, & reliquas. Tatienſes autem nomen Tribus ſub Romulo inſti-

inſtitutæ fuit. At hæc erant tanti, quæ bis à Robortello ad meam expugnandam auctoritatem adhiberentur.

Uti tua nobis ſigna certa, ac clara ſint.] Ego admonui, me audiſſe ab amico erudito, is autem, ut verè dicam, fuerat Manutius, legi in antiquis libris, acclaraſſint; neque propterea arbitror me hoc nomine jugulaſſe quenquam.

Ut vigeſimo quoque quarto anno.] Correxi ex Plutarcho, & Cenſorino, & manuſcriptis, vigeſimo anno; hanc correctionem in cælum effert Faërnus; at Robortellus omni talpa cæcior eam vituperat in libro de corrigendi ratione his verbis: Ablatione in corrigendo cautè eſt utendum, ne nobis accidat, quod correctori Livii novo, qui corrumpit verba Livii, ubi de anno à Numa inſtituto loquitur, & putat legendum viceſimo anno; & cetera non ſine contumelia ſolita.

Qui ante caſtra urbem poſitam in medio.] Hic ego nihil immutavi, quod mea declarant ſcholia; neque enim attigi quidquam, cujus in ſcholiis mentionem non fecerim. Itaque in epiſtola ſcholiis præpoſita, admonui, me, ne quem fallerem, breves ſententiæ meæ explicationes allaturum. Faërnus hic inquit deſiderari, Non, & rectè; ſic enim in vulgatis omnibus; at hoc vitio operarum; neque enim ego Livium, dum imprimeretur, correxi, ſed ſcholia emendationum ſcripſi.

Ne quid prius, quàm mandata agerent.] Admonui, me legiſſe in manuſcriptis, ne quid prius cum Albano, quam mandata agerent. Faërnus ait, ſe nuſquam, cum Albano, legiſſe; fieri poteſt; adjuvat tamen ſententiam; nec res eſt, in qua fortunæ Italiæ poſitæ ſint.

Scripſi fecialis ſcribendum ſine diphtongo; confirmat idem Faërnus, additque littera T non C ſcribendum; neque vero ego dixi ſecus; quanquam à faciendo fœdere dictum ait Feſtus.

Tum illo die Jupiter populum Rom. ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam.] Ego cùm in manuſcriptis invenirem: Tu ille dies Jupiter, admonui legi poſſe: Tum me dieſpiter; ſiquidem Feſtus ait: Silicem tenebant juraturi per Jovem hæc verba dicentes: ſi ſciens fallo, tum me dieſpiter ſalva urbe bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem. Hoc quod egregium eſt, improbat tantum Faërnus ex ea parte, quia ſequitur, populum Romanum; nec videt, locutionem eſſe antiquam; ut infra. Dediditis ne vos populum Collatinum, id eſt, vos, & populum; ſic nunc me, populum, pro me, & populum. Quæ vero lectio ab eo, ut melior infertur, certè deterior eſt. Tum tu dieſpiter; nam diſcedit à veſtigiis veteris lectionis, Tu ille dies Jupiter, & à forma jurisjurandi ſervata apud Feſtum; ex quo apparet, facilius eſſe correctionem corrodere, quàm corrigere.

Attius Navius.] Ego ex Feſto admonui, Navium ſcribendum eſſe, tamen ex Dionyſio, videri legendum Nevium; apud quem ſit, *νέβιος*; hoc eſt, quod graviſſimum mihi omnium objectat Faërnus.

Ne id quidem ab Turno tuliſſe tacitum ferunt; dixiſſe enim.] Ego ait: Manuſcripti habent: Ne id quidem Turnum tuliſſe tacitum ferunt; dixiſſe enim; recte; nam in priore lectione, Tuliſſe ad Superbum, in hac ad Turnum refertur; quo ſit oratio rectior; nam addit, dixiſſe enim; addo nunc, eſſe locutionem latinis familiarem; ut in Vatin. Tacitus te dimitterem; & pro Marc. Tacitus nullo modo præterire poſſum; hoc modo: narrant, inquit, Turnum tacitum non tuliſſe, id eſt, non tacuiſſe, dixiſſe enim; quid inquit Faërnus? in meis libris non ita legitur; quid hoc mea?

Quam ſummam pecuniæ, &c.] Faërnus neque vulgaram lectionem ait ſe approbare, neque meam ex manuſcriptis allatam; unuſquiſque judicio utatur ſuo; neque enim pluribus de re leviſſima agere volo; quæ ego dixi, patent omnibus. Atque has quidem eſſe graviſſimas mendas confitetur Faërnus, quas ipſe pervolutator Livii ſummus ex centum amplius, in primi libri ſcholiis meis invenerit; quibus tantum tribuit imperitiſſimus hic noſter, ut quoniam in me conjectæ erant, imprudenter poma eſſe crediderit; ex quo apparet, Faërni judicio meum laborem, meamque induſtriam comprobatam potius eſſe, quàm reprehenſam.

Ex tertio libro.

Faërnus ex tertio libro excepit tres locos; eoſque præpoſuit ceteris.

Cenſendo enim quoſcunque magiſtratus eſſe, qui ſenatum haberent, judicabat.] Ego ex manuſcriptis; cenſebat enim non eos magiſtratus eſſe, qui Senatum haberent; pendet à ſuperioribus; alia, inquit Livius, ſententia dicta eſt, ſpecie aſperior, re mitior, adverſus decemviros, ut proderetur interrex comitiorum cauſſa; inde reddit rationem, cur in ſpeciem aſpera eſſet, quia dum interregem prodi volebat, cenſebat decemviros non eſſe magiſtratus. Etenim, ut ait Cic. in epiſt. ad Brutum, dum aliquis eſt in repub. patricius magiſtratus, res ad interregnum redire non poteſt; qui ergo cenſebat interregem, decemviros infirmabat; cum ergo ſenſum tam bonum habeat hæc lectio, neſcio, cur à Faërno inter primas ad rejiciendum electa ſit.

Ceterum neminem majore cura occupatis animis, verum eſſe præjudicium rei tantæ auferri, ſibi placere de eo, &c.] Rhenanus & Glareanus hunc locum ex ingenio varie diſtorquent, & interpretantur: adverſus hos mera portenta dicentes nihil Faërnus, adverſus me tantum pugnat; ego verò ex manuſcriptis meis hanc lectionem protuli. Ceterum neminem majore cura occupatis animis verum eſſe, præjudicium rei tantæ differri poſſe; in quibus diſtinctione adhibita pro auferri lego differri, hoc ſenſu; neminem in Senatu cum majore cura occupati animi ſint, verum eſſe, id eſt, quid vere ſentiat dicere; propterea præjudicium rei tantæ, propter quam perturbati animi ſit, in præſens differri poſſe; ſuam ſententiam eſſe, ut bello perfecto hac de re agatur, id eſt, an decemviri adierint magiſtratus nec ne. Hæc ſententia neſcio cui ſanæ mentis non probetur; at illud differri, non invenitur in libris, quos evolvit Faërnus; me miſerum, qui ante libros Faërni non conſuluerim, quem, cum hæc ſcripſi, ne natum quidem eſſe audiveram. Cur autem, cum qui ante me hunc locum attigerunt, vel Faërni ſententia, eum non intellexerint, prodere non poſſum quod in iis, quos ego legi manuſcriptis, eſt lectionis? Utinam, ut dixi, ſua illa edidiſſet Faërnus, expertus credo eſſet; ſed pax mortuo ſit.

Non erit melius, niſi de quo conſulimus, vocem miſiſſe.] Ego. Minationis genus eſt, quale infra. Proinde quieſſe erit melius; item. Malum militibus meis, niſi quieverint. Cum hoc genus loquendi torqueret Glareanum, nec ſe explicare ſciret, admonui videndum eſſe, ne legendum eſſet: Næ erit melius. Faërnus de Glareano nihil, qui tum octogenarius erat, de me, cui ætas aliquid eo præſertim tempore conciliare veniæ potuit, exclamat ubique; quid ait? Niſi non uſurpatur, niſi accedente negativa. Næ, niſi cum prænominibus ego, tu, ille, iſte. Utrunque verum eſt, ſi frequentiorem uſum reſpicimus; at contra etiam factitatum eſt. Columella lib. 7. c. 3. coloris unitas, niſi præcipua eſt in arietibus, id eſt, non niſi in arietibus. Terentius. Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant. Horatius: Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, *næ* etiam rex; item alia in commentariis linguæ Latinæ.

Ex libro XXVI.

His motus ad Turiam flumen caſtra rettulit.] Credidi ego legi debere, Sturam, & deceptus ſum. Faërnus Turiam, vel Tutiam tuetur; & tamen negat hujus fluminis apud quenquam fieri mentionem. Quare ne ego ingratus ſim, volo viciſſim docere non eum, qui de rebus his nunc non laborat, ſed Robortellum, qui Faërnum in me emiſſarium impulit, id, quod ille ſe neſcire confitetur. Etenim Silius poëta ejus meminit lib. XIII. ubi de hoc Annibalis itinere loquitur:

Caſtra locat nulla lædens ubi gramina ripa
Tutia deducit tenuem ſine nomine rivum,
Et tacite Thuſcis inglorius affluit undis.

Eſt ergo hic ignobilis amnis Tutia vocatus; ex quo apparet, verum id eſſe ſi ſcripſiſſet Faërnus, non omnia ad eam regulam directurum fuiſſe, qua Sigoniana ille ſcripta metiebatur.

Redeo ad prima; ego quid de locis aliquot apud Livium ſentirem, quondam expoſui, neque aliquem, cum meæ ſententiæ rationem in ſcholiis aperuerim, decipere potui; neque eo ingenio ſum, ut me ſemper optime ſenſiſſe exiſtimem, non minus, quam qui ad hunc eundem ſcriptorem, aut declarandum, aut emendandum ſtudium ſuum ante me contulerunt; quos ego plurimis in locis eſſe deceptos oſtendi. Quantum autem profecerim, aliorum eſto judicium.

DISPUTATIO ROBORTELLI

Cujus mentio facta eſt ſupra col. 323. D.

CUm fuerit à nobis copioſe diſputatum de triplici urbis Rom. diſtributione; prima per curias num. 30. à Romulo; ſecunda per tribus num. 4. à Ser. Tullio, mox additas uſque ad 35. tertia per claſſes 6. & centurias CXCIII. ab eodem rege inſtitutas. Videndum, qualis fuerit ratio comitiorum apud veteres, & ecquæ fuerit in ſingulis poteſtas. Ac primum de primo, id eſt, de curiatis. A curiis ſunt curiata comitia dicta; quæ quidem ante Ser. Tullium ſummam habebant poteſtatem omnium rerum. Dionyſius lib. 4. ita. Nam cum aut magiſtratibus creare tam domi, quam foris oportebat, aut leges ſancire & abrogare, bellum, pacemve decernere, curiatim ante ferebantur ſuffragia, & tantundem valebat pauperrimi, quam ditiſſimi calculus; cumque pauci eſſent divites præ pauperum multitudine vincebantur ſuffragiis. Hoc intelligens Ser. Tullius ad divites vim ſuffragiorum transtulit. Cum enim bellum indicere, magiſtratus creare, aut de lege cognoſcere volebat, centuriata comitia indicabat. Ex quibus verbis patet, quod volumus, & ſimul patet quam poteſtatem haberent centuriata comitia. Quod autem verum ſit poſtea conſiderabimus; nam nunc de curiatis loquitur; & Liv. lib. I. Nec enim ut à Romulo traditum eſt, cæteri ſervaverunt reges viritim ut ſuffragium eadem vi, eodemque jure omnibus promiſcue daretur, ſed gradus facti ſunt, ut neque excluſus quiſquam videretur; ex quibus verbis patet, quod volumus. Et declaratur à Gell. locus lib. VI. cap. XXVII. ex lib. Scævolæ citatis verbis. Cum ex gerentibus omnium ſuffragium fertur, comitia curiata vocantur; cum ex cenſu & ætate centuriata, cum ex locis & regionibus, tributa; ſic quoque Dionyſius lib. 4. erant autem tribus *γενικαὶ*; poſtea Ser. Tullius inſtituit *τοπικάς*; ut etiam Liv. refert lib. I. Nec mirari oportet hunc numerum, qui nunc eſt poſt expletas V. & XXX. tribus duplicato earum numero centuriis juniorum, & ſeniorum ad inſtitutam à Ser. Tullio rationem non convenire; quadrifariam enim urbe diviſa, &c.

Redeo igitur ad curiata. Hæc olim fuit P. R. poteſtas in comitiis curiatis, ſed poſtea retenta ſunt tantum auſpiciorum cauſa; ut Cic. contra Rullum. Nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata, & tributa, curiata auſpiciorum tantum cauſa remanſerunt.

In curiatis vero auſpicia erant ejuſmodi. Ferebatur lex curiata, auguribus quibuſdam approbantibus. Ita dabatur auſpicatum imperium, hoc eſt jus gerendi belli. Ideo Cic. contra Rullum ait: Primum lege curiata Xviros ornat. Nam cupiebat Rullus ſuis Xviris in deducenda colonia maximam dari poteſtatem, ut etiam iis, qui erant in provinciis, poſſent imperare, ac exercitum ducere, militeſque deſcribere. Ita Ciceronis locus 4. ad Att. ep. ult. intelligendus, & lib I. fam. ſi licitum eſſet legem curiatam ferre, & Liv. lib. 5. Comitia curiata, quæ rem militarem continent. Atque hactenus de curiatis. De lege curiata, qua dabatur imperium Liv. lib. 9. ubi de L. Papyrio: Atque ei legem curiatam ferenti de imperio triſte omen diem diffidit; & poſtero die repetitis auſpiciis legem pertulit, & profectus eſt cum legionibus.

Dictum eſt de comitiis curiatis, & eorum poteſtate omni. Nunc de tributis dicendum, & calatis, ſimul etiam de centuriatis; nec enim ſeparatim de illorum poteſtate diſputari poteſt; & cætera. Quæ una cum Nannii diſputatione, ne liber nimis excreſcat, omittuntur.

DIVERSORUM VERSUS

Quorum ſupra ſignificatio facta eſt.

A In Robortellum Cyclopem.

Vaſte Cyclope niſi tabificum eructare venenum
Deſinis & purum hunc æthera polluere;
Alter erit, qui te tandem ulciſcatur Ulyſſes,
Et frontem eloquii cuſpide confodiat.

Robortello Cyclopi in antro querenti reſpondet Echo.

Quis tandem in me erit iſte Mutinenſis? enſis.
Echo en teſtis inaudiit ſevera. vera.
Non ſum fractus adhuc uti vereris. eris.
B *Turbabo omnia, nil agam imperite.* rite.
Cogeturque alias adire terras. erras.
Atqui faucibus hauriam puſillum. illum?
Quid ni? corpore cuique ego antecedo. cedo.
Et vincam minimo quidem labore. ore.
Ipſa re quoque. Sed nimis loquax tu es. tu es.

De Robortello Sigonium notante, quòd dixiſſet, quam maximas.

Miſer Sigoni, cur moraris emori?
Damnatus es ſummi viri ſententia,
Quod non latinè dixeris: Quam maximas,
Rides, & unum poſſe Robortellium
C *Tantum movere ineptiarum conjicis?*
Sane ſic ille; quam lubet adhuc maxime
Ride; blatero ſuperbus, & ſuperfluens
Habet ſuperlativi, quod ad ipſas regulas
Inter ſuos ſuo arbitratu garriat.
Jam qui te haberi literatorum omnium
Quam maximum quam maxime diſrumpitur,
Quam minimus in re parvula deprehenditur.

De moribus, humanitate, & eloquentia Robortelli.

Si quis lyra canentem aſellum riſerit,
Bovem theatri in area funambulum,
D *Mulum modis navare ſaltatoriis,*
Caprum tabernæ præſidem unguentariæ;
Suem lutoſam obire opus fullonicum,
Lupum præire innoxium gregi ducem,
Idem aſſerat vidiſſe Robortellium
Artes docentem rhetorum & moralia
Præcepta, & una humaniores litteras,
Cum nemo ſit inhumanior eo, aut turpior,
Oratione nemo inelegantior.

De Robortello ubique Topica interpretante.

Hic ne etiam infelix furiis agitabor iniquis?
Et mihi nullus erit tutus in orbe locus?
E *Cum Topica toties iterantem ferre nequirem*
Corvum, Piſarum mœnia deſerui.
Utque malum procul hoc fugerem, ſuper æquora (vectus,
Adriacis latui ſemiſepultus aquis.
Verum ille Adriacas ſubito contendit ad undas,
Et pelagus Topicis perſonat omne ſuis.
Tum me inde eripiens ſacram hanc Antenoris urbem
Ipſe peto, hanc etiam mox ferus ille petit.
Nec ſat habet petiiſſe, ſtatim omnes inficit auras,
Horrendus Topicam dum crepat uſque ſuam.
Hinc ad Felſineas ſubito me confero terras,
Ad terras confert ſe quoque Felſineas.
Atque eadem Topica & verbis ibi cantat eiſdem,
Et miſera miſeras torquet in aure animas.
Huc me iterum reddo, huc iterum ſe reddit & ille,
Et ſolitum ſolita concinit arte melos.
Hei mihi quo tantas perſolvo crimine pœnas?
Cur quocunque feror me fera perſequeris?
Dii magni quæ me tellus, quæ me æquora ſervent
Ne ſemper Topicis me necet ille ſuis?
Vos, precor, ò potius Siculis fabricata caminis,
Arripite in miſerum tela repente caput.
Unicum enim exitium veſtro vos fulmine fertis,
Ille ſuis Topicis fert mihi mille neces.

In Robortellum ad urinarium angulum in ſcholis ambulantem.

Vir magne Robortelle, perii, tu ne ita,
Itane inquinatiora gymnaſii loca
Tenebricoſus, horridus perambulas?
Tu, cui ſedere puppi in alta congruit,
Es infimum ſentinæ adeptus angulum?
Plerique obire te matellas autumant,
Quòd nocte tota pergræcatus ſtrenue,
Habeas, quod ex utre evehendum ſit gravi.
Vel quoniam ibi non audeas conſiſtere,
Ubi virorum illuſtrium nitet cohors.
O ſi imperaret hodie Titi pater,
Ut te ſuis mavellet urinæ inditiis
Præeſſe vectigalibus, quàm muneris
Te quippiam tractare litterarii.

Ad Robortellum ſcriptis Sigonii voce, non ſcripto reſpondentem.

Scripta tuis ceſſas adverſa refellere ſcriptis.
Cur ita? Scribendi copia nulla tibi eſt.
Non ſunt digna, inquit, calamo hæc puerilia noſtro,
Voce tamen nunquam deſinis obſtrepere.
Voce potes, fateor, ſummi quatere aſtra Tonantis,
Cyclopum infando proximior generi.

Item.

Quouſque tandem noſtra abutere nimia
Patientia? quouſque tandem inſanies
Vir ad furorem nate, nate ad flagitia?
Poſſe ne putas fragore quodam maledico
Delere, quas Sigonius inuſſit notas
Tuis libellis nempe dignis pulvere,
Flamma, coquo, inſtitore, ſterquilinio?
Scriptis trecenta errata mandavit tua,
Multoque plura, quæ addat in dies, habet.
Nimis tibi indecorum, ea niſi reſpuas
Scriptis totidem, eumque eſſe te artificem probes
Scribendi, haberi qualis admodum ſtudes.
Quæ ineruditos inter adoleſcentulos
Evomis, adeo olent, exciuntque nauſeam,
Ut aggere obruta execrabilis luti
Æterna lethis hauriant oblivia,
Quas item docet aut non ſat illi intelligunt,
Aut quid loquaris ne quidem ipſe intelligis.
Renunciatur pleraque inſulſiſſime
Te ſede ab alta dictitaſſe, quæ putem
Nunquam tua, niſi quod ſimilima ſunt tuis.
Probari ea probatiſſimis optas viris?
Omitte pueris tradere infantiſſimis
Referendi onus; quin tutius ſententiam
Scriptis tuam committe, ſcriptis æquius
Contende. Sed ſi prodeas ſemel, hui peſſime

Gerro

Non erit melius, niſi de quo conſulimus, vocem miſiſſe.] Ego. Minationis genus eſt, quale infra. Proinde quieſſe erit melius; item. Malum militibus meis, niſi quieverint. Cum hoc genus loquendi torqueret Glareanum, nec ſe explicare ſciret, admonui videndum eſſe, ne legendum eſſet: Næ erit melius. Faërnus de Glareano nihil, qui tum octogenarius erat, de me, cui ætas aliquid eo præſertim tempore conciliare veniæ potuit, exclamat ubique; quid ait? Niſi non uſurpatur, niſi accedente negativa. Næ, niſi cum prænominibus ego, tu, ille, iſte. Utrunque verum eſt, ſi frequentiorem uſum reſpicimus; at contra etiam factitatum eſt. Columella lib. 7. c. 3. coloris unitas, niſi præcipua eſt in arietibus, id eſt, non niſi in arietibus. Terentius. Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant. Horatius: Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, næ etiam rex; item alia in commentariis linguæ Latinæ.

Ex libro XXVI.

His motus ad Turiam flumen caſtra rettulit.] Credidi ego legi debere, Sturam, & deceptus ſum. Faërnus Turiam, vel Tutiam tuetur; & tamen negat hujus fluminis apud quenquam fieri mentionem. Quare ne ego ingratus ſim, volo viciſſim docere non eum, qui de rebus his nunc non laborat, ſed Robortellum, qui Faërnum in me emiſſarium impulit, id, quod ille ſe neſcire confitetur. Etenim Silius poëta ejus meminit lib. XIII. ubi de hoc Annibalis itinere loquitur:

Caſtra locat nulla lædens ubi gramina ripa
Tutia deducit tenuem ſine nomine rivum,
Et tacite Thuſcis inglorius affluit undis.

Eſt ergo hic ignobilis amnis Tutia vocatus; ex quo apparet, verum id eſſe ſi ſcripſiſſet Faërnus, non omnia ad eam regulam directurum fuiſſe, qua Sigoniana ille ſcripta metiebatur.

Redeo ad prima; ego quid de locis aliquot apud Livium ſentirem, quondam expoſui, neque aliquem, cum meæ ſententiæ rationem in ſcholis aperuerim, decipere potui; neque eo ingenio ſum, ut me ſemper optime ſenſiſſe exiſtimem, non minus, quam qui ad hunc eundem ſcriptorem, aut declarandum, aut emendandum ſtudium ſuum ante me contulerunt; quos ego plurimis in locis eſſe deceptos oſtendi. Quantum autem profecerim, aliorum eſto judicium.

DISPUTATIO ROBORTELLI

Cujus mentio facta eſt ſupra col. 323. D.

CUm fuerit à nobis copioſe diſputatum de triplici urbis Rom. diſtributione; prima per curias num. 30. à Romulo; ſecunda per tribus num. 4. à Ser. Tullio, mox additas uſque ad 35. tertia per claſſes 6. & centurias CXCIII. ab eodem rege inſtitutas. Videndum, qualis fuerit ratio comitiorum apud veteres, & ecquæ fuerit in ſingulis poteſtas. Ac primum de primo, id eſt, de curiatis. A A curiis ſunt curiata comitia dicta; quæ quidem ante Ser. Tullium ſummam habebant poteſtatem omnium rerum. Dionyſius lib. 4. ita. Nam cum aut magiſtratibus creare tam domi, quam foris oportebat, aut leges ſancire & abrogare, bellum, pacemve decernere, curiatim ante ferebantur ſuffragia, & tantundem valebat pauperrimi, quam ditiſſimi calculus; cumque pauci eſſent divites præ pauperum multitudine vincebantur ſuffragiis. Hoc intelligens Ser. Tullius ad divites vim ſuffragiorum transtulit. Cum enim bellum indicere, magiſtratus creare, aut de lege cognoſcere volebat, centuriata comitia indicabat. Ex quibus verbis patet, quod volumus, & ſimul pa- B tet quam poteſtatem haberent centuriata comitia. Quod autem verum ſit poſtea conſiderabimus; nam nunc de curiatis loquitur; & Liv. lib. 1. Nec enim ut à Romulo traditum eſt, cæteri ſervaverunt reges viritim ut ſuffragium eadem vi, eodemque jure omnibus promiſcue daretur, ſed gradus facti ſunt, ut neque excluſus quiſquam videretur; ex quibus verbis patet, quod volumus. Et declaratur à Gell. locus lib. VI. cap. XXVII. ex lib. Scævolæ citatis verbis. Cum ex generibus omnium ſuffragium feritur, comitia curiata vocantur; cum ex cenſu & ætate centuriata, cum ex locis & regionibus, tributa; ſic quoque Dionyſius lib. 4. erant autem tribus γενικαὶ; poſtea Ser. Tullius inſti- C tuit τοπικάς; ut etiam Liv. refert lib. 1. Nec mirari oportet hunc numerum, qui nunc eſt poſt expletas V. & XXX. tribus duplicato earum numero centuriis juniorum, & ſeniorum ad inſtitutam à Ser. Tullio rationem non convenire; quadrifariam enim urbe diviſa, &c.

Redeo igitur ad curiata. Hæc olim fuit P. R. poteſtas in comitiis curiatis, ſed poſtea retenta ſunt tantum auſpiciorum cauſa; ut Cic. contra Rullum. Nunc quia prima illa comitia teneris centuriata, & tributa, curiata auſpiciorum tantum cauſa remanſerunt.

In curiatis vero auſpicia erant ejuſmodi. Ferebatur lex curiata, auguribus quibuſdam D approbantibus. Ita dabatur auſpicatum imperium, hoc eſt jus gerendi belli. Ideo Cic. contra Rullum ait: Primum lege curiata Xviros ornat. Nam cupiebat Rullus ſuis Xviris in deducenda colonia maximam dari poteſtatem, ut etiam iis, qui erant in provinciis, poſſent imperare, ac exercitum ducere, militeſque deſcribere. Ita Ciceronis locus 4. ad Att. ep. ult. intelligendus, & lib 1. fam. ſi licitum eſſet legem curiatam ferre, & Liv. lib. 5. Comitia curiata, quæ rem militarem continent. Atque hactenus de curiatis. De lege curiata, qua dabatur imperium Liv. lib. 9. ubi de L. Papyrio: Atque ei legem curiatam ferenti de imperio triſte omen diem E diffidit; & poſtero die repetitis auſpiciis legem pertulit, & profectus eſt cum legionibus.

Dictum eſt de comitiis curiatis, & eorum poteſtate omni. Nunc de tributis dicendum, & calatis, ſimul etiam de centuriatis; nec enim ſeparatim de illorum poteſtate diſputari poteſt; & cætera. Quæ una cum Nannii diſputatione, ne liber nimis excreſcat, omittuntur.

DIVERSORUM VERSUS

Quorum ſupra ſignificatio facta eſt.

A

In Robortellum Cyclopem.

VAſte Cyclope niſi tabificum eructare venenum
Deſinis & purum hunc æthera polluere;
Alter erit, qui te tandem ulciſcatur Ulyſſes,
Et frontem eloquii cuſpide confodiat.

Robortello Cyclopi in antro querenti reſpondet Echo.

Quis tandem in me erit iſte Mutinenſis? enſis.
Echo en teſtis inaudiit ſevera. vera.
Non ſum fractus adhuc uti vereris. eris.
B *Turbabo omnia, nil agam imperite.* rite.
Cogeturque alias adire terras. erras.
Atqui faucibus hauriam puſillum. illum?
Quid ni? corpore cuique ego antecedo. cedo.
Et vincam minimo quidem labore. ore.
Ipſa re quoque. Sed nimis loquax tu es. tu es.

De Robortello Sigonium notante, quòd dixiſſet, quam maximas.

Miſer Sigoni, cur moraris emori?
Damnatus es ſummi viri ſententia,
Quod non latinè dixeris: Quam maximas,
Rides, & unum poſſe Robortellium
C *Tantum movere ineptiarum conjicis?*
Sane ſic ille; quam lubet adhuc maxime
Ride; blatero ſuperbus, & ſuperfluens
Habet ſuperlativi, quod ad ipſas regulas
Inter ſuos ſuo arbitratu garriat.
Jam qui te haberi literatorum omnium
Quam maximum quam maxime diſrumpitur,
Quam minimus in re parvula deprehenditur.

De moribus, humanitate, & eloquentia Robortelli.

Si quis lyra canentem aſellum riſerit,
Bovem theatri in area funambulum,
D *Mulum modis navare ſaltatoriis,*
Caprum tabernæ præſidem unguentariæ,
Suem lutoſam obire opus fullonicum,
Lupum præire innoxium gregi ducem,
Idem aſſerat vidiſſe Robortellium
Artes docentem rhetorum & moralia
Præcepta, & una humaniores litteras,
Cum nemo ſit inhumanior eo, aut turpior,
Oratione nemo inelegantior.

De Robortello ubique Topica interpretante.

Hic ne etiam infelix furiis agitabor iniquis?
Et mihi nullus erit tutus in orbe locus?
E *Cum Topica toties iterantem ferre nequirem*
Carvum, Piſarum mœnia deſerui.
Utque malum procul hoc fugerem, ſuper æquora vectus,
Adriacis latui ſemiſepultus aquis.
Verum ille Adriacas ſubito contendit ad undas,
Et pelagus Topicis perſonat omne ſuis.
Tum me inde eripiens ſacram hanc Antenoris urbem
Ipſe peto, hanc etiam mox ferus ille petit.
Nec ſat habet petiiſſe, ſtatim omnes inficit auras,
Horrendus Topicam dum crepat uſque ſuam.
Hinc ad Felſineas ſubito me confero terras,
Ad terras confert ſe quoque Felſineas.
Atque eadem Topica & verbis ibi cantat eiſdem,
Et miſera miſeras torquet in aure animas.
Huc me iterum reddo, huc iterum ſe reddit & ille,
Et ſolitum ſolita concinit arte melos.
Hei mihi quo tantas perſolvo crimine pœnas?
Cur quocunque feror me fera perſequeris?
Dii magni quæ me tellus, quæ me æquora ſervent
Ne ſemper Topicis me necet ille ſuis?
Vos, precor, ò potius Siculis fabricata caminis,
Arripite in miſerum tela repente caput.
Unicum enim exitium veſtro vos fulmine fertis,
Ille ſuis Topicis fert mihi mille neces.

In Robortellum ad urinarium angulum in ſcholis ambulantem.

Vir magne Robortelle, perii, tu ne ita,
Itane inquinatiora gymnaſii loca
Tenebricoſus, horridus perambulas?
Tu, cui ſedere puppi in alta congruit,
Et infimum ſentinæ adeptus angulum?
Plerique obire te matellas autumant,
Quòd nocte tota pergræcatus ſtrenue,
Habeas, quod ex utre evehendum ſit gravi.
Vel quoniam ibi non audeas conſiſtere,
Ubi virorum illuſtrium nitet cohors.
O ſi imperaret hodie Titi pater,
Ut te ſuis mavellet urinæ inditiis
Præeſſe vectigalibus, quàm muneris
Te quippiam tractare litterarii.

Ad Robortellum ſcriptis Sigonii voce, non ſcripto reſpondentem.

Scripta tuis ceſſas adverſa refellere ſcriptis.
Cur ita? Scribendi copia nulla tibi eſt.
Non ſunt digna, inquis, calamo hæc puerilia noſtro,
Voce tamen nunquam deſinis obſtrepere.
Voce potes, fateor, ſummi quatere aſtra Tonantis,
Cyclopum infando proximior generi.

Item.

Quouſque tandem noſtra abutere nimia
Patientia? quouſque tandem inſanies
Vir ad furorem nate, nate ad flagitia?
Poſſe ne putas fragore quodam maledico
Delere, quas Sigonius inuſſit notas
Tuis libellis nempe dignis pulvere,
Flamma, coquo, inſtitore, ſterquilinio?
Scriptis trecenta errata mandavit tua,
Multoque plura, quæ addat in dies, habet.
Nimis tibi indecorum, ea niſi reſpuas
Scriptis totidem, eumque eſſe te artificem probes
Scribendi, haberi qualis admodum ſtudes.
Quæ ineruditos inter adoleſcentulos
Evomis, adeo olent, exciuntque nauſeam,
Ut aggere obruta execrabilis luti
Æterna lethis hauriant oblivia,
Quas item docet aut non ſat illi intelligunt,
Aut quid loquaris ne quidem ipſe intelligis.
Renunciatur pleraque inſulſiſſime
Te ſede ab alta dictitaſſe, quæ putem
Nunquam tua, niſi quod ſimilima ſunt tuis.
Probari ea probatiſſimis optas viris?
Omitte pueris tradere infantiſſimis
Referendi onus; quin tutius ſententiam
Scriptis tuam committe, ſcriptis æquius
Contende. Sed ſi prodeas ſemel, hui peſſime

Gerro

Gerro occidiſti; ita namque deprehenſaberis,
Ut unde te explicare poſſis, neſcias.

De convicio à Prætore Aloyſio Mocenico, viro omnium ſapientiſſimo, atque juſtiſſimo facto Robortello.

Jam te hauriendum trade terræ hiatibus
Caput omnium turbarum inexpiabile,
Vel penſilis cade, ut cadas ſpectatius.
Quanquam repente erat occidendum, ſi tuo
Quidquam pudoris conflagraſſes pectore,
Dum vapulaſti æquiſſimo convicio
Prætoris, & interminatus acriter
Ille eſt, daturum neutiquam diplomata,
Immo abdicaturum urbe te, ut te, diram luem,
Ni poſtmodum aliis uterere moribus.
Sed prius ineſſe felli amaror deſinet,
Fient columbis placidiores milvii,
Lepori moloſſus blandietur obvio,
Vulcania abſque vi chalybs liquabitur,
Lux, gaudiumque accedet orci ſedibus,
Quam tu vetuſtis exuare moribus.

Verſus Robortelli, quibus ſe aquilam fingit, Sigonium ciconiam.

——— Sigonius expirans balbitat.

O requies, requies. Manes audite profundi
Victus abit terris ſpiritus ille meus.
Franciſcus Carvus robur ſub pectore geſtans,
Impulit in tenebras lumina Sigonii.
Et magnas quærit dum parva Ciconia ſedes,
Grata Jovi terret, occupat, inſtat avis.

Reſponſum.

Non robur, verum rabies maleſana, nec idem
Carvus, ſed vere Carneus es tumulus.

Item.

Quo Jovis armigerum magno te nomine fingis?
Te ne parem tantæ robore credis avi?
Aut nova cur mitem volucrem in certamina poſcis?
In cœlo ut ne etiam triſtia bella feras?
Serpentem nec adhuc ò cernis te eſſe cruentam,
Quam pia avis gratis enecat Æmathiis?

Item.

Peſtifer huic Bojis pulſus ſe contulit anguis,
Æmoniæque furens inſidiatur avi.
Humana eſt facies cunctis, mortalibus hoſti
Turpi ventre tumens bellua ſerpit humi.
At magna exiguo contenta Ciconia nido,
Hunc perdet pullis pabula grata ſuis.

Item.

Pulchellam hercle aquilam te Robortelle putarem
Quam premat Idæus, dum petit aſtra, puer.
Quiddam etenim majus olim ſenſiſſe poëtas
Suſpicor, obſcœnum nec ſtatuiſſe Jovem.
Judicat illa viri munus tractantis honeſtas
Artes, cujus ope tendimus ad ſuperos.
At tu, qui . . . . . . , & ſub mole fatigas
Æquare hoc aquilæ munus inepte potes?

Item.

Ad ſte quot quot eſtis adoleſcentuli,
Audite lepidam, & perjocoſam fabulam,
A *Quidam fatuus, inter boves teterrimus*
Bos, dolio vel Cretico tumentior,
Olim ſolo ſe ſe tollere exoptaverat.
Taurum receptum audierat inter ſidera.
Nec veritus ab Jove maximo contendere
Volucris ſui formam; potitus denique
Eſt voto, ea lege, atque fœdere,
Ut bubulis omnino abeſſet moribus.
Ut vero in altum occœpit evehi novus
Ales, volatus pertimeſcit arduos,
Pennas quatit inertes, anhelus æſtuat,
Demum labore frangitur, mugitibus
Jam cuncta replet; ceteræ undique advolant
Volucres, novum mirantur id monſtri genus.
Nec degeneris ignaviam advenæ ferunt,
B *Ruunt gregatim omnes in hoſtem, vellicant,*
Populantur, urgent, donec ille priſtino
Corio patens bos, miſer ad ima truditur;
At Jupiter riſiſſe bovis amentiam
Fertur diu. Et nos hac monemur fabula,
Non eſſe veſtris appetenda viribus
Majora, ut accidiſſe Robortellio,
Sigonio dum vult præire, cernimus.

Item.

Heu concidit, dii avertite mala, concidit
Utinenſis ille rhetor utique lubricus
Carnario in fora, ante laniorum pedes.
Pra tam gravi conſultus omine Delius
C *Apollo reſpondiſſe fertur: iſte bos,*
Qui modo aquilæ mentitus eſt imaginem,
Et ſe putat dialecticorum principem,
Bos tumidus uſque, & uſque lata abdomina
Ægre trahens, plauſtra impotens, ac vomeri
Gladium videtur poſcere Macellarii.
At ſatius eſt, ut pro excitatis in bonos
Turbis, nigro mactetur Eumenidum patri.

De pugna Robortelli.

Luctantem ſtatuit deſpecta mole gigantem
Parvus Acon docti dexteritate pedis.
Ille cadens late fœdam ſignavit arenam
Sordidus, & miris polluit ora modis.
D *Collapſum ingenti nymphæ excepere cachinno,*
At cœlum exurgens territat ille minis.
Cui nymphæ; aut ſubito nigras pete vane latebras,
Aut ſubito hoc multo dedecus amne lava.
Nam neque delendo opprobrio verba aſpera proſunt,
Nilque ita te affecto turpius aſpicitur.

Item.

Unde minæ hæ tantæ? callupereſt nil, advena, victo,
Ira niſi; atque iram ſuſcitat ipſe pudor.
Quis vicit? qui me fuit ocyor arte, manuque
Non experta furens dum voco ad arma virum
Mira refers; valuere aliquid membra ardua? non eſt
Mole opus, ut vincas, eſt opus ingenio.

E

CASIMIRI ACCURSII AQUILANI AD CAROLUM SIGONIUM.

SIgoni pater eruditionis,
Atque idem Italiæ decus perenne,
Laudes qui innumeras tuas videre
Se negat, medio in die videre
Se ſolem negat; ille namque ut orbi
Toti ſplendidus uſque, & uſque fulget,
Virtus haud aliter tua eniteſcit;
Quod ſi quis numerare pergat illas,
Hic cælo numerare vult ſereno,
Quam ſint ſidera multa, cum tacet nox.

In-

Incerti ad Robortellum.

(locutas,
Quæ loqueris, Venerem, & Charites tecum eſſe
Robortelle puto, Pieridaſque puto.
Quæ ſcribis, illa eadem ſcripſiſſe Minervam
Robortelle puto, Latoidemque puto.
Hæc ego vera puto, & pariter puto vera putare,
Cum præ Sigonio, te nihil eſſe puto.

LECTORI SALUTEM.

UT omnes petulantiam Franciſci Robortelli, adverſus quem hæc ſcripta ſunt, aperte perſpiciant, placuit hic quaſi ſub oculos breviter hujus ſcriptionis cauſam ſubjicere. Fr. Robortellus Bononia Patavium revocatus, ubi, quod ſperaverat, Sigonium ſe inde depellere non poſſe vidit, quippe quem & principum Venetorum & totius Academiæ ſtudio acriter defendi, ſentiebat, laudi ejus obtrectando eo uſque progreſſus eſt, ut die VI. Martii hanc ſchedam valvis ſcholarum affixerit.

(Schæda hæc, ac reſponſum edita jam ſunt in hoc Tomo col. 226.)

Ad hæc Robortellus, qui ſe aliquo modo purgare debuit, multo quàm antè arrogantius reſpondit die X. Martii ita.

SIgonio reſpondet Robortellus, cum Senatuſconſulto tam honorifice evocatus in hanc Academiam fuerit Robortellus, ut ſchola eloquentiæ & artis dicendi, quæ Sigonio prælegente collapſa erat, in priſtinam dignitatem reſtitueretur, nihil eſſe, quod invideat homini inepto & indocto, qui hoc uno beatus eſt, quod non ſentit ſe eſſe miſerum, & indoctum. De dialogo quæ ſcripſiſti ex ipſius libris, & aliorum quorundam, à te multa fuiſſe expilata ſcimus, multa prætermiſſa; nihilque eorum dictum, quæ maxime neceſſaria erant; ad tua autem maledicta non prius reſpondebit Robortellus, quàm aut docti te recte aliquid ſcripſiſſe judicabunt, aut tu ſapere incipies, id eſt, nunquam. Vale.

Robortello ita reſponſum eſt die XI. Martii.

QUod Robortellus aliena omnia à re ſcripto reſpondens nihil de ſexcentorum defenſione erratorum dicit, quam ſaltem poſt quinquennium potuit amicorum ope tentare, cum ſilendo ſe victum apertiſſime clamet, indignum eſſe judicamus, ut cum ipſo, niſi ut cum victo, & propria confeſſione cedente agamus; dolemuſque afflictam hominis conditionem vehementius, qui ſibi invideri putat, cum ſit miſericordia dignus. Quæ ex ſuis ſumpta commentariis criminatur, ea ut ab invido homine, & plus ſibi, quàm ſatis ſit, laudis in litteris aſſumente dicta accipimus, in eoque ſolitam hominis inconſtantiam animadvertimus, qui quæ ut inepte ſcripta ſe refutaturum eſſe alio ſcripto eſt pollicitus, ea nunc quaſi magnopere probanda à ſe ſumpta eſſe inſimulet.

Quod ſe à nobis maledicto vexatum ait, ridemus; cum non perpetuo tantum ab indoctis hominibus vituperandis, quantum ille à doctis collaudandis, abſuerimus; ipſum vero ne graviter quidem laceſſiti, convicio aliquo unquam perſecuti ſimus.

Quod ſe honorifico Senatuſconſulto in alterius contumeliam Patavium evocatum pueriliter gloriatur, miramur, cum in eo, cujus meminit, ſenatuſconſulto nihil ſit, in quo aut alterius dignitas minuatur, aut ipſius auctoritas augeatur; cumque aperte Senatus idem altero Senatuſconſulto hominis plus quàm meruiſſet, petentis levitatem omnibus ſuffragiis conſtantiſſime refutarit; ipſique etiam invito alterum in omni eloquentiæ genere parem oppoſuerit.

Quamobrem rogatur rurſus Robortellus, ut aliquando reſipiſcat, ac ſine alterius contumelia petitum munus, Topicis tandem ſuis ſpoliatus, ex principum voluntate, conficiat; & ſi quid eſt, in quo ſe alteri præſtare putet, id ipſum re, non verbis præſtet.

Ad hæc cum Robortellus per biduum obmutuiſſet, XIV. die Martii ita eſt ſalutatus à quodam.

QUoniam Robortellus ſcripto publice teſtatus eſt, ſe tum demum ſexcenta illa errata defenſurum, cum reprehenſorem ſuum aliquid recte ſcripſiſſe, docti judicaverint, quod ipſe nunquam futurum interpretatur, viſum eſt faciendum, ut ſuſceptis ipſius partibus, Robortellum amice admoneremus, ut ſe ad hanc defenſionem ſubito compararet, cum apertiſſime judicium hoc, quod poſtulat, à doctis viris jamdudum factum eſſe, probare poſſimus. Hoc autem eo faciemus, ne ille perſpecta, quam adhuc diſſimulavit, veritate, juſtam ullam ſui defendendi habeat detrectationem. Nomina eorum, qui reprehenſori Robortelliano, ingenii, humanitatis, doctrinæ, & diligentiæ teſtimonium ſcriptis ſuis impertiverunt, hæc ſunt.

FRANCISCUS Hotomanus Juriſc. clariſſimus hunc ubique virum doctiſſimum, & Romanarum antiquitatum peritiſſimum vocat; in libro de legibus, maxime ubi de lege Villia; & in commentario verborum juris, in voce Luſtrum.

FRANCISCUS Balduinus item Juriſcon. inſignis eundem eruditiſſimum virum teſtatur, ejuſque opinionibus aſſentitur, præſertim, ubi de lege Papia diſputatur contra Robortellum, in commentario de juriſprudentia Muciana; pagina 288. verſu 2. & 104. 30.

ANTONIUS Auguſtinus nobiliſſimus item Juriſcon. idemque Epiſcopus Ilerdenſis, doctiſſimus ſine controverſia vir, doctiſſimum virum hunc eſſe aſſerit, in ſcholiis in Feſtum, in voce Opima.

GULIELMUS Xylander Auguſtanus antiquitatis Romanæ apprime doctus, eundem virum longè doctiſſimum, diligentiæque exactiſſimæ vocat, in annotationibus in Dionem 627. 22. & in annotationibus in Plutarchum 104. 13. 131 42. At vero 61. 50. non eum ſolum doctiſſimum, & rerum Rom. peritiſſimum vocat, ſed etiam ſe illum admirari ait, neminique in hoc ſtudiorum genere poſtponere, ſeque ipſius ſcriptis plurimum adjutum libenter, & ingenue confiteri.

FRANCISCUS Fabricius Marcoduranus

ſummæ item in his ſtudiis induſtriæ ait, ſe admirari ejus in perficiendis Faſtis diligentiam in ſcholiis in Oroſium 72. 20. itemque accerrimi illum ingenii, & ſummæ doctrinæ virum nominat 163. 2.

HENRICUS Stephanus, vir ingenio, ſtudio, ac judicio ſingulari in ea epiſtola qua hiſtoricorum veterum Cteſiæ, Agatharchidis, Memnoniſque reliquias quaſdam, & Appiani libros duos, tum primum typis commiſſos Sigonio inſcribit, hanc reddit, quia non ipſe ſolum amet hiſtoriam, ſed ab ea redametur; quippe quæ, quod ejus veritatis diligentiſſimus indagator fuerit, & à multis eam mendaciis vindicaverit, multum ei debeat, ac ſemper debitura ſit.

JOANNES Baptiſta Pigna Ferrarienſis vir doctrina ſingulari, & ſummo apud Ducem Ferrarienſium loco, hunc ſumma litterarum cognitione præditum & ſtudio patricio rum Venetorum digniſſimum teſtatur in libro de Romanciis 94. 24.

ONUPHRIUS Panvinus Veronenſis, omnis antiquitatis inveſtigator acerrimus, fatetur ſæpius, ſe Faſtorum, & librorum ſuorum de Rep. Rom. commentarios familiarium ſermonum, & eruditorum ſcriptorum ejuſdem auxilio confeciſſe.

SEBASTIANUS Corradus, in cujus demortui locum Bononiæ ſuffectus eſt Robortellus, decennio ante, hunc adoleſcentem jam magno natu Robortello præpoſuit, cum viros hujus ſæculi eruditos enumeraret; quo nomine Corrado ſemper Robortellus inimicus fuit, idque ſæpe in ſermonibus præ ſe tulit, in Brutum 60.

PAULUS Manutius, omnis elegantioris doctrinæ, & latinæ eloquentiæ princeps huic tantum in ſuis omnibus commentariis tribuit, ut hunc unum videatur admirari, præterea neminem; adeo ubique eum omnibus humanitatis, judicii, & politioris eruditionis effert laudibus. Loci ſunt in promptu; refertæ enim ſunt paginæ ferè omnes.

Quid plura? ſatis conſtat, ex iis, qui nunc vivunt, & id ætatis ſunt, nemini plura doctrinæ, & virtutis à doctis, & bonis viris adhuc eſſe tributa præconia. Quæ cum Robortello jam aliqua ex parte nota ſint, æquum eſſe videtur, ut ex pacto, quo ſe ſponte obſtrinxit, errata ſua ſexcenta prius defendat, quam aliena præter rem corrigat; ut aut inſcitiæ crimen fugiat, aut maledicentiæ; quarum rerum in ſuſpicionem videmus eum vocari à doctiſſimis, & optimis viris. Id quod non ſine ſummo animi dolore legere poſſumus. Sunt autem hi.

PETRUS Nannius Alcmarianus lib. VIII. Miſcellaneorum, Robortellum ferocioris animi, & impudentioris maledicentiæ hominem vocat; & ſiquid forte bene adverſus Eraſmum dicat, id ipſum nimia debacchandi petulantia corrumpere; cum etiam Eraſmum doctrina ſingulari virum, nequiſſimum hominem auſus ſit appellare; & tamen Robortellum Nannius in toto illo libro turpiſſime in carpendo, & lacerando Eraſmo ſæpiſſime lapſum eſſe oſtendit.

CORNELLUS Furius Coriolanus homo omni doctrina ornatus hunc in ſermonibus ſuis, communis litteraturæ perturbatorem vocare ſolet; nobilibus juvenibus Belgis teſtibus.

ANDREAS Alciatus, magnatum in jure civili, tum in omni liberali eruditione auctoritate vir, eundem in vexandis hominibus doctis audaciorem innuit; ut ipſe met teſtatur Robortellus Annotationum lib. II. cap. XXII. quo in loco referendæ gratiæ cauſſa Alciatum omnia præclara ex ſuis annotationibus furatum eſſe contendit.

Quid VINCENTIUS Madius, philoſophus eruditiſſimus de eo ſentiat in exponenda Poëtica Ariſtotelis, nemo ignorat; præſertim cum in primis tribus verſibus interpretandis quinquies eum turpiſſime lapſum eſſe coarguat.

PETRUS item Victorius eximiæ, & excellentis doctrinæ vir cum hoc ita ſæpe diſſentit, ut raro conſentiat; nominatim etiam eum aliquando reprehendat, ſed, ut modeſtum hominem decet, modeſte. Lege indicem in Poëticæ commentarium, in voce FRANCISCUS Robortellus.

FRANCISCUS Patricius eleganti vir ingenio, in ſuo de hiſtoria dialogo ſe, niſi compater ei eſſet, ſententiam ejus de hiſtoria acrius refutaturum fuiſſe ſignificat; aperteque, quid de præclara compatris ſui doctrina ſentiat, apud omnes teſtatum relinquit in extremo primo dialogo.

Audivi etiam, qui affirmarent, PAULUM Manutium, virum integerrimum, de virtute, & moribus Robortelli intellexiſſe, cùm in quarto epiſtolarum ad Muretum in prima editione ſcribit, his verbis: Cum illo, qui Galatheam amavit invitam, ſi quid adverſus me, ſuſcipe, ut ego in tuis injuriis ſoleo; & ſuſtine prœlia; nervos enim habes; ille noſtram vicem ulciſcetur, ſua malefacta; nam invidia rumpitur; & habet, quod intimis eum ſenſibus dies, nocteſque excruciet; nos laudabilia cogitemus, & ad præclara illa ſtudia incumbamus; de iſto ne meminerimus quidem, qui bonos omnes hoc eſt ſui diſſimiles odit iniquiſſime. Quibus verbis aut hic, aut certe Polyphemus alius quidam exprimitur, qui Galatheam amavit invitam.

At tamen ne his quidem vocibus movetur Robortellus, & ſe, ſi bonis omnibus allatraverit, ſatisfeciſſe gloriæ ſuæ putat. Nos igitur ſi ille audiat, quos cur amice admonentes non audiat? reſpondebit ſubito omnibus, & ſe ſe virum oſtendet; id quod à tanta virtutis indole expectatur. Quod ni faciat, reliquum eſt, ut & doctorum teſtimonio, & ſua confeſſione convictus, merito omnium, qui ſunt, quique poſthac erunt, irriſione ludatur.

Cum ob hæc Robortellus ira incenſus ad contumelias ſolitas in Sigonium jaciendas confugiſſet, Sigonium ad triduanas diſputationes ſcribendas provocavit; quas primum à prætore rogatus, intermiſit, deinde, Robortello in dies vehementius pro concione conviciante, repetiit, atque edidit; in quibus doctrinam ejus tantum modeſtè irriſit, de moribus ejus lædendis ne cogitavit quidem, adverſus quas Robortellus Ephemerides ſuas edidit, omni, ut conſtat, contumelia plenas, in iiſque ſe omnium, qui unquam ſcripſerunt, impudentiſſimè geſſit.

Duas Epiſtolas Italicâ Linguâ conſcriptas, à Conſervatoribus nempe Mutinenſibus ad Cardinalem Grimanum, ejuſque reſponſionem jam dedit Clariſſimus Muratorius in Vita Sigonii hujus editionis Tomo I. fol. III.

M. D.

TESTIMONIA ALIQUOT EORUM, QUÆ ANTE DICTA SUNT.

M. D. LII. die IV. Novembris in Rogatis.

DOvendoſi al tutto proveder d'un buon lettore per queſta noſtra Città in luogo dell'eccellente M. Franceſco Robortello, novamente condotto à legger nel ſtudio noſtro di Padoa; havutaſi buona informatione da diverſe vie fra molti altri della dottrina, & ſufficientia dell'eccellente M. Carlo Sigone, che hora legge in Modena con molta laude ſua; è à propoſito di condurlo ſenza più differire. Però l'anderà parte, che'l predetto eccellente M. Carlo ſia condotto à leggere in queſta noſtra Città la lettione d'humanità al luogo, che leggeva eſſo Robortello: & gli ſiano conſtituiti ducati cento e ſeſſanta di ſalario all'anno; il qual ſalario gli debba principiare quando egli incomincierà la lettion ſua, che ſerà ſubito gionto de quì.

M. D. LIII. Januarii in Rogatis.

L'Eccellente M. Carlo Sigone da Modena, il qual legge la lettion publica d'humanità in queſta noſtra Città, ha nell'ufficio ſuo di leggere non ſolamente riſpoſto all'eſpettatione, & opinione, che ſi haveva della dottrina ſua; ma etiamdio l'ha ſuperata, havendo letto, & tuttavia leggendo la detta lettione con molta frequentia, & ſatisfattion de Scolari, nel che egli uſa ogni diligentia, & induſtria, come ogn'uno può ſapere, & intendere: per le quali coſe è conveniente, che gli ſia conſtituito tal ſalario, che'l poſſa con l'animo più quieto continoare nelli conſueti ſtudi, & lettioni ſue à publica utilità, ſi come è ſtato ſempre ſolito di farſi nelli profeſſori di tal ſorte di lettere in queſta noſtra Città, & ultimamente nell'eccellente Robortello, in luogo del quale è ſtato eletto. E però l'andarà parte, che al preſente a eſſo M. Carlo Sigone di ducati cento ſeſſanta all'anno, ſiano aggiunti altri ducati ſeſſanta, ſi che in tutto ſiano ducati 220. all'anno; da eſſergli pagati in quel modo, che ſe gli pagano li cento ſeſſanta, che egli ha al preſente, ſi come ſi pagava ancora eſſo Robortello.

M. D. LXII. die VII. Octobris in Rogatis.

VAca nel ſtudio noſtro di Padova la lettura d'humanità greca, & latina per l'aſſentia dell'eccellente D. Franceſco Robortello, alla quale eſſendo conveniente provedere di un buono, & ſufficiente lettore: & eſſendo ad ogn'uno nota la dottrina, & valore dell'eccellente D. Carlo Sigone, il quale per otto anni continui ha letto in queſta Città la lettione d'humanità con molta laude ſua, & con grande utilità de' Scholari, quali ſono ſtati frequentiſſimi nel ſuo auditorio. L'andarà parte, che'l ſopradetto eccellente D. Carlo ſia condotto à leggere nel ſtudio noſtro di Padova la ſopradetta lettione d'humanità greca, & latina per anni cinque di fermo, & uno di reſpetto, qual ſia à beneplacito della Signoria noſtra, & habbia di ſalario fiorini trecento all'anno.

Conferat hoc Senatuſconſultum cum ſuo hic ſui venditator.

M. D. III. die X. Maji in Rogatis.

PEr la morte dell'eccellente M. Lazaro da Baſſan vaca nel ſtudio noſtro di Padova il luogo della lettione d'humanità greca & latina, alla qual dovendoſi per utile di tutti quei Scholari condur perſona, dalla quale ſi poſſi ſperare di ricever quel bon frutto, che ſi riceveva da eſſo M. Lazaro; Et havendoſi certa eſperientia della dottrina dell'eccellente M. Franceſco Robortello, il quale ha letto già molto in diverſi tempi con molta laude del nome ſuo; non ſi deve però reſtar di condurlo, eſſendo maſſimamente in quello grandiſſimo numero di nobiliſſimi Scholari. Però l'anderà parte, ch'el predetto eccellente M. Franceſco ſia condotto à leggere la lettion greca, & latina in luogo del predetto q. M. Lazaro per anni tre di fermo, & doi di riſpetto à beneplacito della S. N. Et gli ſiano conſtituiti fiorini trecento all'anno, il qual ſalario gli debba principiare al principio di Novembre proſſimo; eſſendo però obligato di continuare la ſua lettura de quì, fino che ſarà condotto un'altro in luogo ſuo.

Exemplum ex Actis almæ Univerſitatis Juriſtarum Patavini Gymnaſii ſub die 29. menſis Decembris 1562. in domo magnifici D. Rectoris.

COram magnifico D. Rectore ultra ſcripto cum præſentia D. Secundi ſubſtituti Syndici ad hunc actum convocatis infra ſcriptis Dominis Conſiliariis, per magnificum D. Rectorem, expoſitum fuit, Differentiam ortam per excellentes humaniſtas circa ſcholas, ubi legere habent, Clariſs. Præſides deſiderare ſummopere quiete & pacifice ſedari, & dirimi pro evitandis ſcandalis, quæ forſan ob eam cauſſam evenire poſſent. Quamobrem operæpretium eſſe Clariſſimis Rectoribus ſatisfacere, ac ſcholarium animos ſedare, & componere, & ſuper hac de re conſilium capere. Tandem habita ſuperinde matura conſideratione, captum fuit, ut eligerentur duo Conſiliarii, qui nomine Univerſitatis, & Mag. D. Rectoris ſe conferant ad Excellentiſs. D. Carolum Sigonium deprecandum, ut, ſolita ſua humanitate, ac benevolentia in Univerſitatem, contentus ſit legere in ſchola, in qua Excellentiſs. Decianus docet, cum etiam ibi aliàs excellentiſs. humaniſtæ legerint, & præcipuè Excellentiſs. D. Romulus Amaſeus, quod & Clariſs. Præſidibus, & Univerſitati gratiſſimum erit. Et ſtatim electi fuere infraſcripti, videlicet.

D. Antonius Forteſuedo, &
D. Ludovicus Gambara.

Nomina autem D. Conſiliariorum, qui interfuere, ſunt videlicet:

D. Carolus de Harlay.
D. Bernardinus Rabia.
D. Antonius Forteſuedo.
D. Franciſcus Coronellus.
D. Joannes Euger.
D. Ludovicus Gambara.
D. Thomaſius Cæſarius.
D. Franciſcus Palladius S.
D. Alexander Flaminius.
D. Andreas Antoninus.
D. Antonius Riccobonus S.
D. Hieronymus Rozzonus, &
D. Fabius Flavius.

PRO-

PROTESTO DI CARLO SIGONE

nell'accettar la Schola offertagli dalla magnifica Univerſità di Leggiſti, a dì 30. Decembre, 1562.

EſSendo ſtato terminato dall' Illuſtriſſ. Conſiglio de Pregadi, che l'eccellente Robortello, & io Carlo Sigone leggiamo in concorrentia la medeſima lettione d'humanità, & per queſto havendo moſſa lite il predetto Robortello circa la ſchola, pretendendo, che tocchi à lui l'elettione, la qual veramente non tocca, per eſſer apertamente nella parte di Pregadi conſtituito pare, & non in alcun modo ſuperiore: io, il quale veggio, che attendendo à queſte controverſie, non ſi è per legger in tutto queſt' anno, ſi come infino à quì non ſi è fatto per altre liti permoſſe da lui, & ultimamente terminate contra di lui dall' Illuſtriſſimo Pregadi, dichiaro

A *che eſſendo pregato dal magnifico Rettore, & da due Conſiglieri della magnifica Univerſità de Leggiſti in nome di tutta l'Univerſità, ſi come appar ne gli atti publici, mandatimi per i detti due Conſiglieri, il Sig. Antonio Forteſuedo, & il Sig. Lodovico Gambara, mi contento per il preſente di leggere nella ſchola offertami dalle ſue Signorie: & queſto parte per non ſeguir tanto le liti, le quali meritamente poſſono diſpiacere à queſto Illuſtriſſ. Dominio, parte per far coſa grata al predetto magnifico Rettor de Leggiſti, & à tutta quella Univerſità, alla quale mi ſento infinitamente per avanti obligato: non pregiudicando però in alcun modo all' honor mio, ne cedendo in parte alcuna al predetto ec-*

B *cellente Robortello; ſi come egli, ò altri per lui ſi potrebbe arrogare, che per queſto atto haveſſi fatto. Proteſtando, che ogn' hor mi parerà, che io pregiudichi al mio loco, ſia in mia libertà di domandar la predetta ſchola.*

CAROLI SIGONII
DE BINIS COMITIIS,
ET
LEGE CURIATA
POSTERIOR
CUM NICOLAO GRUCHIO
DISPUTATIO.

EDITORIS MONITUM.

Hic profectò loci eſſet, ut Nicolai Gruchii Diſputationes integras, quibus de Comitiis Romanorum *adverſus Sigonium noſtrum diſceptavit, quemadmodum in nonnullis aliis editionibus peractum eſt, nos pariter ederemus; atque procul dubio primo intuitu proſpicientibus, nonnihil commodi ac voluptatis redundare cenſendum eſſet, ſi unus atque idem Codex utrorumque clarorum Hominum ſcripta contineret; quæ facilè à Lectoribus perpendi atque in examen perduci poſſent. Id ſane æquum ac rationi conſentaneum ultro profitemur; verùm nihilominus Gruchii de Comitiis libros tres omittendos cenſuimus, primò ne pluribus aliis Sigonii Opuſculis locum in hoc poſtremo Volumine, quod multùm mole excreſcit, in iis recudendis adimeremus; ſecundò cùm plurimæ ſint hujus libri editiones ita ut facile ad manus omnium perveniant; deinde, quia præclarus J. C.* Woigt *de celebri hac controverſia, eâ, qua par eſt merito, diligentiâ ac maturitate diſſeruit in ſecunda ſua Præfatione typis edita Tomo V. hujus Collectionis, in qua compendiariâ veluti viâ omnes explanat Gruchii adversùs Sigonium opiniones, maturoque ſuo judicio medius inter utroſque litem definire conatur, ut legenti patebit. Nihilo tamen minus, Auctoris noſtri poſteriorem* de Binis Comitiis & Lege Curiata *Diſputationem prælo ſubjicimus, tum ne aliquid ab ipſo elucubratum omitteremus; tum præcipuè, quòd Carolus ipſe in Patavinis ſuis Diſputationibus de hac, quam ſuſtinuit cum Gruchio controverſia, aliquando meminerit. Conſilium hoc noſtrum te æqui bonique facturum, Lector humaniſſime, ſperamus, cùm nihil magis, quàm utilitati ac commodo tuo inſervire, à nobis appetatur. Vale.*

ILLUSTRISSIMO JUVENI
NICOLAO FIERLEJO
DE DAMBROVICZA,
JOANNIS PALATINI LUBLINENSIS F.
CASIMIRIENSI PRÆFECTO

CAROLUS SIGONIUS S.

Cum multæ ſunt in tota antiquitate Romana difficiles quæſtiones, atque obſcuræ, tum nulla meo judicio majoribus eſt tenebris, ac difficultatibus involuta, quam quæ eſt de vetere binorum comitiorum, & legis curiatæ conſuetudine. Hanc autem primus his, ut opinor, temporibus excitavit Nicolaus Gruchius Rotomagenſis, doctus vir in primis, & Græcis, Latiniſque literis eruditus. Cujus ab auctoritate cum ego non leviſſimis, ut mihi videbatur, rationibus diſceſſiſſem in iis libris, quos de antiquo jure civium Romanorum ſexennio ante confeci, ferre hoc, ut video, graviſſimus homo non potuit. Itaque librum ea de re adverſus me, neſcio quem, ſuperioribus menſibus Lutetiæ divulgavit. In quo cum cauſſam ſuam ſumma diligentia egit, tum mihi hac de re quaſi litem apud homines eruditos, quorum ille judicium interdum appellat, intendit. Quare cum priſtinæ meæ tuendæ ſententiæ gratia, tum ne veritas præſidio, patrocinioque nudata ſuccumberet, univerſam hanc quæſtionem revocata totius rei memoria retractare, eamque breviter literis mandare coactus ſum, ne fortaſſe aut inertiæ crimen ſubirem, ſi eruditum virum in me omnibus ingenii viribus irruentem perferrem, aut imprudentiæ, ſi falſam illius opinionem longiore oratione non refellerem. Quæres nunc fortaſſe, Nicolaë, juvenis clariſſime, cur hæc ego potiſſimum ad te? ſcilicet, ut præclarum judicium de te meum apud omnes homines hoc genere monumenti teſtificer. Tu enim cum majorum ſplendore, ac virtute clariſſimus es, tum propriis laudibus, ex bonarum præſertim artium tractatione collectis ita abundas, ut ad ſummam nominis tui gloriam majorum commendationem haud multum deſideraturus eſſe videaris: quanquam merito Nicolaus, proavus tuus, qui Caſtellanus Cracovienſis, id eſt, primæ vir in Senatu ſententiæ fuit, & ſummus Polonicarum copiarum imperator ingentem ex domita Prutenorum novas res molientium gente gloriam reportavit, & Petrus avus, qui Palatinus Ruſſiæ, ac Senator, virtutem ac ſapientiam ad Rempublicam adminiſtrandam incredibilem attulit, & Joannes pater, Palatinus Lublinenſis, ac ſummus regni Poloniæ Mareſcallus, plurimum te accendere aut exemplo, aut laude ſua ad omnem cupiditatem excellentiæ poſſunt. Accedit, quod tu me Bononienſi in Academia hæc ſtudia tractantem ita ſtudioſe audis, ut hujus unius rei cauſſa in Italiam ex remotiſſimis regionibus acceſſiſſe videaris. Neque vero tu ſolum hoc facis, ut me pro tua humanitate plurimum diligas, verum amore etiam tuo totius Polonicæ juventutis ingenio atque nobilitate præſtantis vetus erga me ſtudium ac benevolentiam acuis; ut niſi me tibi, niſi vobis omnibus hoc nomine plurimum debere confitear, aut omnis prorſus expers humanitatis ſim, aut certe honoris ejus, quo maximo, veſtro omnium judicio, ſum affectus, ignarus. Quare ſi te, ſi tuos omnes meo qualicunque hoc ingenii monumento, tanquam non ingrati animi teſtimonio ornari volo, non injuria, mea quidem ſententia facio. Vale.

Bononiæ Kalend. Februar. MDLXVI.

EDITORIS MONITUM.

H*Ic profectò loci eſſet, ut Nicolai Gruchii Diſputationes integras, quibus* de Comitiis Romanorum *adverſùs Sigonium noſtrum diſceptavit, quemadmodum in nonnullis aliis editionibus peractum eſt, nos pariter ederemus; atque procul dubio primo intuitu proſpicientibus, nonnihil commodi ac voluptatis redundare cenſendum eſſet, ſi unus atque idem Codex utrorumque clarorum Hominum ſcripta contineret; quæ facilè à Lectoribus perpendi atque in examen perduci poſſent. Id ſane æquum ac rationi conſentaneum ultro profitemur; verùm nihilominus Gruchii de Comitiis libros tres omittendos cenſuimus, primò ne pluribus aliis Sigonii Opuſculis locum in hoc poſtremo Volumine, quod multùm mole excreſcit, in iis recudendis adimeremus; ſecundò cùm plurimæ ſint hujus libri editiones ita ut facile ad manus omnium perveniant; deinde, quia præclarus J. C.* Woigt *de celebri hac controverſia, eâ, qua par eſt merito, diligentiâ ac maturitate diſſeruit in ſecunda ſua Præfatione typis edita Tomo V. hujus Collectionis, in qua compendiariâ veluti viâ omnes explanat Gruchii adverſùs Sigonium opiniones, maturoque ſuo judicio medius inter utroſque litem definire conatur, ut legenti patebit. Nihilo tamen minus, Auctoris noſtri poſteriorem* de Binis Comitiis & Lege Curiata *Diſputationem prælo ſubjicimus, tum ne aliquid ab ipſo elucubratum omitteremus; tum præcipuè, quòd Carolus ipſe in Patavinis ſuis Diſputationibus de hac, quam ſuſtinuit cum Gruchio controverſia, aliquando meminerit. Conſilium hoc noſtrum te æqui bonique facturum, Lector humaniſſime, ſperamus, cùm nihil magis, quàm utilitati ac commodo tuo inſervire, à nobis appetatur. Vale.*

ILLUSTRISSIMO JUVENI
NICOLAO FIERLEJO
DE DAMBROVICZA,
JOANNIS PALATINI LUBLINENSIS F.
CASIMIRIENSI PRÆFECTO

CAROLUS SIGONIUS S.

CUm multæ ſunt in tota antiquitate Romana difficiles quæſtiones, atque obſcuræ, tum nulla meo judicio majoribus eſt tenebris, ac difficultatibus involuta, quam quæ eſt de vetere binorum comitiorum, & legis curiatæ conſuetudine. Hanc autem primus his, ut opinor, temporibus excitavit Nicolaus Gruchius Rotomagenſis, doctus vir in primis, & Græcis, Latiniſque literis eruditus. Cujus ab auctoritate cum ego non leviſſimis, ut mihi videbatur, rationibus diſceſſiſſem in iis libris, quos de antiquo jure civium Romanorum ſexennio ante confeci, ferre hoc, ut video, graviſſimus homo non potuit. Itaque librum ea de re adverſus me, neſcio quem, ſuperioribus menſibus Lutetiæ divulgavit. In quo cum cauſſam ſuam ſumma diligentia egit, tum mihi hac de re quaſi litem apud homines eruditos, quorum ille judicium interdum appellat, intendit. Quare cum priſtinæ meæ tuendæ ſententiæ gratia, tum ne veritas præſidio, patrocinioque nudata ſuccumberet, univerſam hanc quæſtionem revocata totius rei memoria retractare, eamque breviter literis mandare coactus ſum, ne fortaſſe aut inertiæ crimen ſubirem, ſi eruditum virum in me omnibus ingenii viribus irruentem perferrem, aut imprudentiæ, ſi falſam illius opinionem longiore oratione non refellerem. Quæres nunc fortaſſe, Nicolaë, juvenis clariſſime, cur hæc ego potiſſimum ad te? ſcilicet, ut præclarum judicium de te meum apud omnes homines hoc genere monumenti teſtificer. Tu enim cum majorum ſplendore, ac virtute clariſſimus es, tum propriis laudibus, ex bonarum præſertim artium tractatione collectis ita abundas, ut ad ſummam nominis tui gloriam majorum commendationem haud multum deſideraturus eſſe videaris: quanquam merito Nicolaus, proavus tuus, qui Caſtellanus Cracovienſis, id eſt, primæ vir in Senatu ſententiæ fuit, & ſummus Polonicarum copiarum imperator ingentem ex domita Prutenorum novas res molientium gente gloriam reportavit, & Petrus avus, qui Palatinus Ruſſiæ, ac Senator, virtutem ac ſapientiam ad Rempublicam adminiſtrandam incredibilem attulit, & Joannes pater, Palatinus Lublinenſis, ac ſummus regni Poloniæ Mareſcallus, plurimum te accendere aut exemplo, aut laude ſua ad omnem cupiditatem excellentiæ poſſunt. Accedit, quod tu me Bononienſi in Academia hæc ſtudia tractantem ita ſtudioſe audis, ut hujus unius rei cauſſa in Italiam ex remotiſſimis regionibus acceſſiſſe videaris. Neque vero tu ſolum hoc facis, ut me pro tua humanitate plurimum diligas, verum amore etiam tuo totius Polonicæ juventutis ingenio atque nobilitate præſtantis vetus erga me ſtudium ac benevolentiam acuis; ut niſi me tibi, niſi vobis omnibus hoc nomine plurimum debere confitear, aut omnis prorſus expers humanitatis ſim, aut certe honoris ejus, quo maximo, veſtro omnium judicio, ſum affectus, ignarus. Quare ſi te, ſi tuos omnes meo qualicunque hoc ingenii monumento, tanquam non ingrati animi teſtimonio ornari volo, non injuria, mea quidem ſententia facio. Vale.

Bononiæ Kalend. Februar. MDLXVI.

CAROLI SIGONII
DISPUTATIO.

De uſu binorum Comitiorum in magiſtratibus.

A ETſi, cum ab opinione Nicolai Gruchii de vetere comitiorum conſuetudine recedebam, nunquam fore putabam, ut ipſe, quo eſt ingenio atque judicio præditus, meam, ſi noſſet, de binis comitiis, & lege curiata ſententiam improbaret; facere tamen non potui, quin magnam paulo ante ex eleganti illius, atque erudita reſponſione voluptatem animo ceperim, qua ſuam ſibi conjecturam defendendam, meam vero acrius oppugnandam ſuſcepit. Quam ob rem, quoniam ille proprio hac de re libro, & quidem adverſus me, ut ipſe B ſcripſit, inſcripto, quodammodo me ad juſtum hujus diſputationis certamen contentionemque viſus eſt provocaſſe, faciam equidem non invitus, ut ſimul & voluntati ejus obſequar, ſi ane ſcripto laceſſere cogitavit, & Romanarum literarum rationibus conſulam, ſi quid eas meæ fortaſſe opinionis expoſitione cepiſſe detrimenti exiſtimavit; id eſt, explicabo, quid ille hoc de genere, quid ego ſentiam, accuratius; ac quomodo ego illius, quomodo ille meam frangat, abjiciatque ſententiam, perſequar ſtudioſius, ut ſi non aliam honeſtis his afferre ſtudiis opem poſſim, doctiſſimi ſaltem hominis, C atque omnium ſine dubio diſertiſſimi opinione diligenter excutienda, reliquis fortaſſe rectius aliquid de re obſcuriſſima ſtatuendi cauſſam afferam. Brevi autem ac moderato in primis genere orationis utar, ne forte optimum virum, optimorumque mihi ſtudiorum ſocietate conjunctum vexare videar velle, ſi eum uberiore dicendi copia, atque adeo etiam acriore impugnem.

Hic igitur in iis libris, quos ſuperioribus annis de Comitiis luculentiſſimos divulgavit, de antiqua binorum comitiorum ratione ita cenſet: Ab exactis nempe regibus uſque ad D imperium Cæſaris per annos prope quingentos, omnes magiſtratus binis comitiis eſſe creatos; patricios quidem, centuriatis & curiatis; plebejos vero tributis & curiatis, ita ut curiata ſententiam confirmare, atque reſcindere poſſent centuriatorum ac tributorum, atque hoc factum eſſe, ſive cum juſta curiata adhibebantur, populo per triginta curias ſuffragante, ut primis temporibus, ſive cum adumbrata, lictoribus ad uſurpandam vetuſtatem, ſuffragia curiarum nomine ineuntibus, ut poſtremis. Sententiam vero ſuam Ciceronis atque Meſſalæ confirmare conatur auctoritate. E Ac Cic. quidem ex 2. agraria: „ Primum lege „ curiata decemviros ornat; jam hoc inaudi- „ tum, & plane novo more, uti curiata lege „ magiſtratus detur, cui nullis comitiis ante „ ſit datus. Ex quibus verbis elicit: ſi inuſitatum erat, ut magiſtratus daretur lege curiata, cui nullis ante comitiis eſſet datus, ſane uſitatum fuiſſe, ut lege curiata daretur, cui aliquibus ante comitiis eſſet conceſſus. Et paulo poſt: „ Atque hic perſpicuum eſt, quid juris „ à majoribus acceperitis, quid ab hoc tribu- „ nus plebis relinquatur. Majores de omnibus „ magiſtratibus bis vos ſententiam ferre vo- „ luerunt; nam centuriata lex conſulibus fe- „ rebatur, cum Curiata cæteris patriciis ma- „ giſtratibus, tum iterum de iiſdem judicaba- „ tur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi po- „ pulum beneficii ſui pœniteret; nunc, quia „ prima illa comitia tenetis centuriata & tri- „ buta, curiata auſpiciorum tantum cauſſa re- „ manſerunt, hic autem tribunus plebis quia „ videbat, poteſtatem neminem injuſſu populi, „ aut plebis poſſe habere, curiatis eam comi- „ tiis, quæ vos non initis, confirmavit; tri- „ buta, quæ veſtra erant, ſuſtulit. Ita cum „ majores binis comitiis voluerint, vos de „ ſingulis magiſtratibus judicare; hic homo „ popularis ne unam quidem populo comitio- „ rum poteſtatem reliquit. Sed videte homi- „ nis diligentiam; vidit, & perſpexit, ſine „ curiata lege decemviros habere poteſtatem „ non poſſe, quoniam per novem tribus eſ- „ ſent conſtituti, jubet ferre de his legem cu- „ riatam. Ex his autem, quoniam nihil colligere ſuæ aptum accommodatumque ſententiæ poteſt, depravata ea à librariis eſſe inſimulat, atque ita ſuo jure emendat: „ Nam centuriata „ lex conſulibus ferebatur, &, cæteris patri- „ ciis magiſtratibus, tributa plebejis, tum „ curiatæ iterum de iiſdem judicabatur. Qua lectione conſtante, Ciceronem ita argumentari contendit: Qui poteſtatem populo comitiorum adimit, non eſt popularis; adimit autem Rullus, quia majores voluerunt, vos binis comitiis de ſingulis magiſtratibus judicare. Nam patricii magiſtratus creabantur centuriatis, & curiatis, plebeji vero tributis & curiatis. Addit autem, in hac propoſitione tributorum comitiorum mentionem eſſe ſupplendam, quia eam poſt in aſſumptione ſubjungit, inquiens: „ Nunc, quia prima illa tenetis centuriata & „ tributa, curiata auſpiciorum tantum cauſſa „ remanſerunt. Meſſallæ autem verba ſunt apud Gellium lib. 13. cap. 14. „ Reliquorum „ magiſtratuum minora ſunt auſpicia. Ideo illi „ majores, hi minores appellantur. Minori- „ bus creandis magiſtratibus tributis comitiis „ magiſtratus, ſed juſtius curiata datur lege. Ex quibus in hunc ille modum concludit: Si minores magiſtratus tributis comitiis dantur, ſed juſtius curiatis, profecto binis comitiis dantur, tributis & curiatis. Quod ſi minores binis conſtituuntur, certe etiam majores.

Atque hæc quidem illi uſque adeo firma viſa ſunt, ut ea nulla auctoritate refelli, nullaque omnino ratione convinci poſſe ſibi perſuaſerit. Mea vero longe alia mens eſt. Cum multa præclara ab eo in illo comitiorum commentario ſint collecta, nihil tamen minus ad veritatem propenſum, nihil magis à ratione alienum, nihil denique tam abſonum inveniri, quam quæ de uſu binorum comitiorum & præcepit idem, & ſenſit. Cujus meæ ſententiæ rationem quanquam breviter in libris de antiquo jure civium Rom. explicavi, iterum tamen accuratius hoc loco, præſertim ab eo

coa-

coactus, exponam; atque una auctoritatibus rationibuſque ejus adverſus me proximo libello prolatis, quantum ingenio conſequi licebit occurram. Ego igitur fieri potuiſſe nego, ut omnes magiſtratus binis ita comitiis declarati ſint, ut ad patricios quidem centuriata cum curiatis adhibita ſint, ad plebejos vero tributa cum curiatis.

Primum, quia mirum mihi videtur, cum hæc à liberata republic. uſque ad oppreſſam, annorum ferme quingentorum intervallo ita ſint factitata, nullam in rerum geſtarum monumentis ejus temporis extare memoriam, quo curiata ſemel ſaltem ſententiam centuriatorum, tributorumve reſciderint: præſertim vero, cum ad id advocarentur, ut populus reprehendendi poteſtatem haberet, ſi forte ſui beneficii pœniteret. Deinde, quia ſi patricii magiſtratus omnes, ut ille cenſet, lecti eſſent centuriatis, & omnes plebeji tributis, nemo eſt tam obtuſo ingenio, qui non videat, futurum, ut qui tributis eſſent (*a*) creti, omnes eſſent plebeji. At ædiles curules & quæſtores, vel ipſo teſte Gruchio, tributis conſtituebantur; & tamen erant patricii. Quare non omnes patricii centuriatis creti ſunt, neque ſoli plebeji tributis. Præſertim vero cum patricii magiſtratus omnium confeſſione fuerint, qui prius patriciis patuerunt; plebeji vero, qui tantum pleb. Neque enim, quod ille opponit, plebejos magiſtratus accipiendos hic eſſe pro minoribus, eſt huic quæſtioni ſatis. Quis enim Latine unquam tam corrupte loquutus eſt, ut plebejum magiſtratum pro minori, id eſt, pro eo, cujus auſpicia ſunt minora, poſuerit? aut quis unquam veterum monumenta litterarum adeo perverſe correxit, ut novam antiqui verbi ſignificationem nulla priſca fultus auctoritate induxerit? ſcilicet, quod amicus meus homo acutiſſimus in eo libro, in quo omnia corrigendæ antiquitatis adjumenta collegit, cum Additionem, Ablationem, Tranſpoſitionem, Extenſionem, Contractionem. Diſtinctionem, Copulationem, Mutationemque attulerit, non vidit, id ab alio excogitatum, recipiemus? Jam vero ſi magiſtratus vere plebeji, ut tribuni, ædileſque plebis, ipſomet auctore Gruchio, ſingulis tantum comitiis ſint declarati, quæſtores autem ædileſque curules non plebeji fuerunt, ſed patricii, profecto plebeji nulli binis comitiis illis ſint conſtituti. Neque vero illud negligendum eſſe opinor, ſi curiata comitia centuriatis attexerentur, ita, ut eorum ſententiam ac judicium infirmarent, fore, ut populus non haberet reprehendendi poteſtatem, ſi ſui beneficii pœniteret; quam ob rem? nempe, quia centuriata ſemper univerſum populum ſunt complexa, curiata non ſemper; in centuriatis enim populus univerſus ex cenſu, & ordine, & ætate deſcriptus perpetuo ſuffragium tulit, in curiatis, ut quiſque triginta curias habitavit; atqui triginta curiæ in Palatio, aut certe in urbe tantum fuerunt; quomodo igitur, qui procedentibus temporibus agrum R. qui municipia, qui denique Italiam totam jam civitate donatam incoluerunt, cum eſſent curiis excluſi, ſuffragium inierunt? Verum contemnamus hoc, ac prorſus pro nihilo habeamus; num vero illud etiam vanum atque inane putabimus, quod, ſi ita eſſet, efficeretur, ut, quod alii ſciviſſent, alii reprehenderent? quid enim? nonne accidere potuit, ut quem primæ centuriæ conſulem dixiſſent, quæ locupletiſſimorum fuerunt, eundem ſexdecim curiæ abrogarint, quæ quod ex civibus ultimarum forte claſſium centuriarumque conſtabant, tenuiſſimum hominum genus continuerunt? Age vero, quam veriſimile illud videtur, qui conſul propter excellentem fortaſſe virtutis opinionem certo judicio ab univerſo populo centuriatim lectus erat, aut, qui quæſtor, & ædilis curulis ab univerſa plebe tributim, permiſſum eſſe, ut eum triginta, ſi diis placet, curiarum lictores ſuis ſuffragiis temere, atque inconſulto repudiarent? Quæro præterea, ſi curiæ centuriarum decretum tollere, irritumque facere potuerunt, cur tandem cum ſæpe alias, tum Punico bello prærogativam centuriam, quod Otacilium, virum parum bello idoneum, conſulem nominaſſet, principes civitatis revocarunt, atque eam precibus mutare ſententiam coëgerunt, cum tamen curiata centuriatis opponere liceret, & jure potius, quam precibus contendere, honeſtius, & triginta curiarum lictores de centuriarum reprehendenda ſententia admonere, facilius eſſet? Hoc loco rationes, inquiet ille, probabiles iſtas non curo, auctoritates requiro, quibus nihil eſt ad conſtituendam antiquitatem accommodatius; aſſentior. Conquiramus auctoritates; teſtimonia veterum perſcrutemur. Quid? Camillus cum dixit apud Livium: *Comitia curiata, quæ rem militarem continent, centuriata, quibus conſules, tribunoſque militum conſulari poteſtate creatis, ubi auſpicato, niſi, ubi aſſolet, fieri poſſunt?* nonne diſerte curiata rei militari, centuriata magiſtratuum creationi attribuit? Nam, ſi conſules æque curiatis creabantur, atque centuriatis, cur hæc ille jura diſtinxit, & ſeparavit? profecto, quia centuriatis magiſtratum, curiatis militare imperium mandari, ut poſtea demonſtrabimus, intellexit. Jam vero cum inquit in agraria Cicero: *Majores de omnibus magiſtratibus vos binis comitiis judicare voluerunt. Nam centuriata lex conſulibus ferebatur, cum curiata cæteris patriciis magiſtratibus. Tum iterum de iiſdem judicabatur*, nonne tacite oſtendit, majorum illud inſtitutum evanuiſſe, neque amplius obſervari? Ferebatur enim, inquit, lex centuriata apud majores, atque iterum de iiſdem judicabatur; quaſi amplius eo modo non ferretur, nec binis comitiis judicaretur, ut apud majores. At mutata eſt, inquis, ratio, quia majores triginta curias advocarunt, nunc triginta curiarum lictores adhibent. O rem puſillam, cur tanta conſtituatur ſuperiorum, & inferiorum temporum oppoſitio major certe illa, ac gravior, quam ego poſt mea conſtituenda opinione aperiam. Verum leve ſit hoc, ac prope commentitium; quid illud, quanti faciendum eſſe arbitramur? quod qui cum Gruchio ſentiet, cum Cicerone diſſentiat eſt neceſſe? Gruchius enim inquit, Rullum decemviros ſuos lege curiata ornaſſe, quia more majorum erat inſtitutum, ut omnes magiſtratus primis comitiis declarati, ſecundis curiatis confirmarentur; at Cicero inquit, Rullum id feciſſe, *quia, vidit eos poteſtatem habere non poſſe, quoniam per novem tribus erant conſtituti*, ideſt non ab univerſa plebe, ut aſſolebat. Age vero, ſi more majorum,

(*a*) *f.* creati, *&* *ita mox iterum*.

ſi ex ordine magiſtratus omnes comitiis curiatis, Gruchi, vir doctiſſime, ſancirentur, num Rullum ipſum in eam ſe neceſſitatem adducturum exiſtimas, ut ad decemviros ſuos lege curiata ornandos prætores legem curiatam ferre compelleret? at compulit; ſic enim loquitur Cicero: *Jubet, qui primus prætor factus ſit, eum legem curiatam ferre. Si is ferre non poſſit, qui poſtremus. Si lex curiata non erit, tum ii decem viri eodem jure ſint, quo qui optima lege.* Ex quibus quis eſt tam hebes, qui non intelligat, legem curiatam eum ad agrarios curatores extra ordinem adhibere? At Cicero ſcilicet, ac Meſſala id voluerunt. Videamus, an ita ſit; atque una eorum utriuſque verba liquidius (ſunt enim obſcuriora) interpretemur. Primum profers hæc: *Jam hoc inauditum, ac plane novo more, uti curiata lege magiſtratus detur, cui nullis ante comitiis ſit datus.* Atque ex his hanc concluſiunculam elicis: ſi inuſitatum eſt, uti magiſtratus detur lege curiata, cui nullis ante comitiis ſit datus, ſane uſitatum eſt, ut detur, cui aliquot comitiis ante eſt datus. Qua concluſione ut nihil poteſt eſſe feſtivius, ſic nihil ad eludendum, frangendumque facilius. Quis eſt enim in diſſerendi ratione tam rudis, qui non ſentiat, ſi inuſitatum ſit, ut magiſtratus lege curiata privato detur, non magis conſequi, uſitatum eſſe, uti magiſtratus lege curiata magiſtratui detur, quam uti magiſtratus lege curiata non detur? Quod ſi hoc etiam ſubtilitatis fortaſſe cauſſa non perſpicit, illud certe, quod cæco etiam apparet, quemnam laturum exiſtimamus, quod quam rationem ad ſuos creandos decemviros adhibet Rullus, ea in ejuſmodi poteſtate ex omni parte, ut ipſa etiam poteſtas, extraordinaria eſt, proptereaque ex hac non eſſe reliquorum magiſtratuum, qui ordine creentur, normam, exemplumque ſumendum? Quæ ſi infirma fortaſſe videntur, conſideremus porro, iis verbis oratorem infinitam illam à Rullo conceſſam decemviris poteſtatem, non eorum creationem exagitare. Nam creationem redarguerat ſupra, cum dixerat: *Jubet tribunum pl. creare decemviros per tribus decem, & ſeptem.* Deinde extraordinariam hanc poteſtatem aggreditur, cum ait: *cognoſcite nunc, quæ poteſtas, & quanta detur primum lege curiata decemviros ornat. Jam hoc inauditum, ac plane novo more, uti magiſtratus lege curiata detur, cui nullis comitiis ante ſit datus.* (b) Poſt autem veniat, quæſo, illud quoque in mentem, lege curiata decemviros ornare, non eſſe decemviros magiſtratu afficere, verum aliquot eis ornamenta adjungere. Quod oſtendit ipſe cum inquit: *Videte nunc, eos, qui à nobis nihil poteſtatis acceperint, quanto majoribus ornamentis afficiat, quam omnes nos affecti ſumus, quibus vos ampliſſimas poteſtates dediſtis;* nimirum ſignificans, ordinariam poteſtatem comitiis tributis eſſe decemviris datam, quam ipſe nullam appellat, quia non omnes ille trigintaquinque tribus adhibuit: extraordinariam vero, quam ornamenta vocat, curiatis. At Cicero dixit, lege curiata magiſtratum eis datum, non ornamentum magiſtratus. Recte admodum, & ſcite; cur? quia ordinaria poteſtas eſt magiſtratus, extraordinaria eſt & magiſtratus & ornamentum magiſtratus, quippe quædam ordinariæ poteſtatis acceſſio. Exempli cauſſa, curatores agrarii ex ordine omnes eo jure creantur, ut agros publicos pro arbitrio dividere poſſint, nunc ſi qui extra ordinem cum majori poteſtate creentur, ut Decemviri à Rullo, tum major illa poteſtas & magiſtratus dici poterit, quia ad jus pertinebit, & ornamentum magiſtratus, quia majorem eis dignitatem, & jus amplius, quam alii ante habuerint, largietur. Magiſtratum autem ibi pro ornamento magiſtratus eſſe capiendum, quis non videt? Quæro enim, quod dat lex curiata, id non ne aut eſt magiſtratus, aut ornamentum ejus? negari non poteſt; non eſt autem magiſtratus, quia ſequeretur, ut cum dictator, aut conſul ornatur lege curiata, magiſtratus ornaretur magiſtratu. Quod eſſe abſurdum, ex eo apparet, quia dictator & conſul ante legem curiatam de ſe latam dictatorio & conſulari ſemper munere functi ſunt. Quare lex curiata ornamentum dat magiſtratui, non magiſtratum magiſtratui: Quod ni ita ſit, falſa hæc propoſitio erit: Inuſitatum eſt, uti magiſtratus lege curiata detur, cui nullis ante comitiis ſit datus; quia dictator, magiſter equitum, interrex, præfectus urbis cum nullis comitiis crearentur, tamen te auctore lege curiata omnes ornabantur. Quæres fortaſſe, cur magiſtratum dixit, non magiſtratus ornamentum? nempe, quia uberiorem hæc vox, quam illa, ad inſectandam actionem Rulli erat præbitura materiam; neque enim ſi magiſtratus ornamentum dixiſſet, illa ſuggerere potuiſſet, quæ hujus vocis occaſionem nactus de magiſtratibus infert binis comitiis apud majores creatis. Quæ à Rullo neglecta prorſus eſſe ad conflandum odium criminatur; in quo ſe gerit, ut ſolet oratorie, ac prope veteratorie. At poſtea inquit, Decemviros à Rullo curiatis comitiis confirmatos, non ornatos. Ne hoc quidem plane abſurde. Nam cum lex curiata magiſtratui præcipue ferri ſoleret, factum eſt, ut cum eſt lata decemviris, magiſtratum eis, de quo ambigi poterat, confirmarit. Quare ſi certus eorum erat magiſtratus, is eſt à curiata lege ornatus, ſin autem controverſus, ſine dubio confirmatus. Hoc fundamento, quod tu cauſſæ tuæ firmiſſimum eſſe putaſti, concuſſo, jam facilius reliqua ſuperædificata labefactabuntur. Etenim quod tu ex conficta ſuppletaque illius loci lectione: *Nam centuriata lex conſulibus ferebatur, ceteriſque patriciis magiſtratibus tributa plebeiis*, elicis, curiata centuriatis & tributis fuiſſe adnexa quis eſt tam parum in hoc literarum genere exercitatus, qui, ſi non velit, non facile poſſit illudere? Scilicet tu mihi novam opinionem Romanam in antiquitatem induces, eamque ut probes, verba ex vetere nobiliſſima oratione alia de tuo adjicies, alia demes, alia trajicies; quæque ſummi tu vix beneficii loco conſervanda putabis, ea contra auctoritatem omnium Latinorum ex propria ſignificatione depelles, & quod in rebus etiam apertiſſimis periculoſum, ac lubricum eſt, id tu in obſcuriſſima quæſtione pro arbitrio facies, & me, ſi ſecus ſenſero, tacitum ferre, atque in re connivere non leviſſima coges? da hoc idem mihi, homini rudi, ut vides, ac plane hebeti, ut in ſcriptis veterum auguſtiſſimis quoties offendam, arbitratu meo addam, detraham, mutem, interpreter; nihil erit tam obſcurum,

nihil

(b) Poſtea veniat, *ſupra ſuit.*

A nihil tantis difficultatibus impeditum, quod non planum, atque explicatum me pollicear nullo negocio redditurum. At, tributorum, inquis, mentio librariorum culpa in prioribus verbis deſideratur; quis te tandem hoc docuit? verba, inquis, quæ ſequuntur: *Nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata, & tributa, curiata auſpiciorum tantum cauſſa remanſerunt*; cum enim, inquis, tributa in aſſumptione argumentationis ſint poſita, ſane perſpicuum eſt, etiam in propoſitione collocari oportuiſſe; quia inquit, centuriata & tributa prima teneri, curiata vero auſpiciorum cauſſa retineri; probe ſane ſi prima comitia ita, ut tu putas, acciperentur. Verum prima comitia dici poſſunt, ordine & dignitate; B tu de ordine intellexiſti, ego de dignitate. Olim, inquit orator, antequam tributa comitia inſtituerentur, bina erant comitia, centuriata & curiata, quæ ad creandos magiſtratus advocabantur, nunc ſunt trina, centuriata, curiata, & tributa; verum quia vos tributa pro curiatis introduxiſtis, fit, ut centuriata ac tributa prima, id eſt, præcipua ſint, & à populo ac plebe ineantur, curiata vero nullius prope momenti ſint, quippe quæ auſpiciorum cauſſa retenta per triginta lictores ad nonnullas res tantum, non autem amplius ad magiſtratus, ut ante, adhibeantur; ex quo apparet, non idcirco in propoſitione tributorum mentionem eſſe ſupplendam, quod in aſ- C ſumptione tributa poſuerit. Neque vero quod curiata obſoleviſſe inquit, propterea uſu quondam receptum fuiſſe, ut ea centuriatis adjicerentur, efficitur, ſed ut loco tributorum, cum nondum eſſent tributa, factitarentur, & ut juſta, non autem, veluti poſtremo, adumbrata celebrarentur. At Meſſalla ſcilicet idem vult. *Minoribus*, enim inquit, *magiſtratibus tributis comitiis magiſtratus, ſed juſtius curiata lege datur*. Quid? an vero minores magiſtratus binis comitiis mandari ſolitos ille inquit eadem ætate, an diverſa, priore quidem, cum curiatis mandabantur, antequam tributa inſtituta eſſent; poſteriore vero, cum tributis D mandari cœpti ſunt? At inquit, *Curiatis juſtius datur*. Concedo; dico autem Meſſallam, non quod ſuo tempore fieret, ſed quod aliquando factitatum eſſet, nec præſentem ætatis ſuæ morem, ſed vetuſtum jus ipſum comitiorum ſpectaſſe; ita ut minores magiſtratus tributis intermiſſo potius uſu curiatorum, quam prorſus abrogato declararentur. Quære alia, Gruchi, vir acutiſſime, ſi qua potes; nam nemo unquam prudens ei aſſentietur opinioni, quæ duabus tantum, iiſque obſcuris aut mendæ, ut tu cenſes, ſuſpectis auctoritatibus fulciatur; plurimis autem, iiſque non dubiis rationibus, ut aliena, ne omnino dicam falſa, redarguatur.

E Quæret hoc loco aliquis: quænam igitur tua demum eſt hac de conſuetudine conjectura? exponam paucis; recte ne opiner, an ſecus, alii judicabunt. Ego cenſeo: bina adhibita eſſe comitia primis liberatæ reipub. annis, verum non admodum multis; ut conſules quidem crearentur binis centuriatis, cæteri vero patricii magiſtratus, qui tum erant, ut quæſtores, binis curiatis; ſic enim video fore, ut iiſdem comitiis magiſtratus, & creentur, & confirmentur, idemque populus poteſtatem habeat reprehendendi, ſi beneficii ſui pœniteat: Atque hanc mihi videntur hæc verba continere ſententiam. *Majores voluerunt, vos bis de omnibus magiſtratibus judicare; nam centuriata lex conſulibus ferebatur, cum curiata cæteris patriciis magiſtratibus; tum iterum de iiſdem judicabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas ſi populum beneficii ſui pœniteret*. Etenim nullo verbo addito, nullo dempto, nullo mutato, nullo aliter, quam antiqui omnes accepiſſe videantur, accepto, ex his colligo, centuriatam legem conſulibus latam eo tempore, quo curiata cæteris patriciis magiſtratibus ferebatur; tum iterum judicatum eſſe de conſulibus quidem centuriatis, de cæteris vero, curiatis. Quo fit, ut eadem centuriata, aut eadem curiata ſuam de ſingulis magiſtratibus ſententiam aut confirmarint, aut reprehenderint. Adde præterea, aliquot poſt liberatam rempub. annos cum jam tributa pro curiatis in civitatem eſſent invecta, re priſtinam conſuetudinem eſſe mutatam, nomine vero retentam. Ex omnibus enim centuriis unam forte duxerunt, quæ prima rogaretur, ac propterea prærogativa diceretur; ejus autem ſententia pro unis comitiis habita eſt; qua pronunciata tum deinde ipſa centuriata comitia ſunt perfecta, ut aſſolebat; hoc autem factum eſt, vel propter ſuffragandi commoditatem, ne totus populus iterum in ſuffragia vocaretur, vel quæcunque alia excogitari cauſſa poſſit. In hanc autem ego ſententiam veni, duce Aſconio; cujus locum inſignem mirabar admodum à Gruchio hujus rationis univerſæ inveſtigatore accuratiſſimo, cum de prærogativa præciperet, in libris de comitiis eſſe præteritum. Verba vero ejus in Verrinas hæc eſſe reperiebam: *Prærogativæ tribus ſunt, quæ primæ ſuffragium ferunt ante jure vocatas; mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iiſdem candidatis comitia fieri; quorum tribus prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent conſules fieri, ſecundæ jurevocatæ, quod in iis ſequente populo, ut ſæpe contingit, prærogativarum voluntatem, jure omnia complerentur*. Quocirca fieri quoque videbam, ut in conſulibus creandis prærogativæ apud Livium memoria tantopere celebraretur. Ac de duplici quidem binorum comitiorum conſuetudine in hunc modum ego. Quid affert nunc contra Gruchium? Neutram illarum probat. Objicit autem primum, quo ſe priorem conſuetudinem abjecturum exiſtimat, ſi centuriata, & curiata bis ad eoſdem creandos magiſtratus eſſent allata, de ea re ſcriptores aliquid fuiſſe literis tradituros; additque quo argumento ſua à me ſententia oppugnatur, eodem meam à ſe poſſe labefactari. Quod ipſum quam diſſimile ſit, quis non videt? ego enim ab illo poſtremorum temporum memoriam requiro, ille à me primorum: ego eorum, quæ notiſſima ſunt, ille eorum, quæ obſcuriſſima: ego ab illo rationem poſco annorum amplius quingentorum, ille à me ne quinquaginta quidem: ego eorum, quibus multa evenerunt, quæ literarum monumentis conſignarentur, ac conſignata invenirentur, ille eorum, quibus pauca contigerunt, & ſi quæ contigerunt, aut propter raras iis temporibus literas haudquaquam memoriæ commendata ſunt, aut incenſa, ut inquit Livius, à Gallis urbe & ipſa perierunt. Quod autem ſecundo loco crimini dat, id uſque adeo infirmum eſt, ut prorſus ne attingendum quidem eſſe videatur. Sic enim inquit: Diſplicet Sigonii opinio, quia vulgata verba Ciceronis nulla facta mutatione conſervat.

vat. Neque enim mentionem comitiorum tributorum, & plebejorum magiſtratuum deſiderari, eamque ex ſequenti aſſumptione ſupplendam eſſe, animadvertit. *Nunc quia vos prima illa tenetis centuriata & tributa, &c.* Equidem eo me ſtupore oppreſſum eſſe confiteor, ut vitium iſtud Gruchianum non ſentiam; imo vero ea mente præditus, eaque opinione imbutus ſum, ut ſententiam illam perfectam eſſe, & ex vulgata lectione eundem erui ſenſum, atque ex ſuppleta ab illo elicitur, putem. Quis enim concluſionem unquam jure hanc reprehenderit? Qui populo ſuffragiorum poteſtatem adimit, non eſt popularis: adimit autem Rullus, cum decemviros per dimidiam plebis partem creat, eoſque lege curiata ornat, qui magiſtratum nullis comitiis habeant. Nam majores voluerunt, vos bis de omnibus magiſtratibus judicare. Quia apud eos bis centuriata lex conſulibus, & bis curiata cæteris patriciis magiſtratibus ferebatur; nunc vero vos centuriata & pro curiatis tributa in primis celebratis, curiata prope dimiſſa ſunt. Rullus autem ne una quidem comitia ad Decemviros attulit. Nam tributa, quæ frequentatis, ad creandos eos dimidiata adhibuit, curiata, quæ non initis, ad confirmandos. An vero, ſi in ſecunda ratione parum eſt firmitatis, amplius aliquid eſt in tertia? multo minus. Cicero, inquit ille, curiatam legem cæteris patriciis magiſtratibus latam dixit, tu quæſtores ſolos attuliſti, cum tamen vox cæteri ad multos referatur, non ad (*c*) unos. Feſtive ſane, quaſi vero ego ſolos quæſtores curiatis tum comitiis ſcripſerim conſtitutos. At quæſtores præter cæteros nominaſti; confiteor. Hi enim ſoli tum ordine creabantur. Triumviros coloniæ, & præfectos annonæ omiſiſti; ſane omiſi. Quid enim erat, cur afferrem, cum eſſent extraordinarii? Quod ſi hi quoque tum patricii magiſtratus fuerunt, ſatis argumenti eſt, propoſitionem illam tanto plus veritatis habere. At tribuni, ædileſque plebis uſque ad tributorum inſtitutionem creati ſunt curiatis. Quare lex curiata non niſi ſolis patriciis lata; quid? ego ne ſolis patriciis dixi, an, ut Cicero, cæteris? Nam, quod ex mea opinione trina futura comitia, ex verbis agrariæ ſecundæ contendit, quid eſt, quod plura reſpondeam? cum mea ante adhibita eorum verborum interpretatio omnem hujus rationis auferat dubitationem. Atque hæc quidem adverſus priorem binorum comitiorum à me inductam conſuetudinem ille. Quanquam non hoc omnino ordine, ſed paulo, quod in tanto præſertim viro mirari ſolitus ſum, perturbatiore. De ſecunda vero, quæ prærogativam centuriam pro unis comitiis affert, ut exultare, dii boni, quaſi victor, ac prope triumphare gaudio videtur? quanquam id mea quidem ſententia jure; nam ſi, quod ille criminatur, ego ſcripſiſſem quiſnam tanta orationis copia, aut tanta doctrinæ facultate inſtructus inveniretur, qui hunc unum locum defendere poſſet? Etenim, poſteaquam prærogativam centuriam, & comitia, quæ illi conſequentia ſunt, bina quodammodo fuiſſe comitia, eſt confeſſus, quod tamen ille, ut dixi, in ſua illa copioſiſſima diſputatione ſilentio prætererat, vitio vertit, quod ſcripſerim prærogativam inſtitutam eſſe, poſtquam trigintaquinque tribus expletæ ſunt, quæ ultra an-

A num ab urbe condita quingenteſimum ſunt expletæ. Quorum tale nihil apud me eſſe, verba mea teſtimonio erunt, quæ neſcio, cur ab eo ſignificata potius ſint, quam prolata. Primum enim doceo, bina fuiſſe de conſulibus centuriata, binaque de cæteris patriciis magiſtratibus curiata comitia. Deinde addo, eam rationem perpetuo non eſſe ſervatam, ſed effigiem tantum ejus, ac ſimilitudinem retentam. Nam, cum prærogativæ, inquam, centuriæ ſuffragationem inſtituiſſent, eam pro unis comitiis habuerunt, reliquarum autem, quæ jurevocatæ dictæ ſunt, pro alteris. Atque hoc verbis Aſconii ſupra commemoratis confirmo. *Prærogativæ tribus, &c.* Quæ verba B interpretans, quoniam ille tribuum fecerat mentionem, ſubjungo: His verbis ille ſignificat, bina quidem comitia eſſe habita, ſed non integra, verum ſpeciem tantum binorum comitiorum eſſe uſurpatam; ſorte enim tribum, & ex tribu ſorte centuriam eduxerunt, quæ prima ſuffragium iniret, &c. Poſt autem reddens quaſi rationem, cur Aſconius prærogativas tribus dixiſſet, non autem ut reliqui omnes, prærogativas centurias, oſtendo factum id eſſe, quia tribus, poſtquam ad numerum trigintaquinque perveniſſent, ad centuriata traductæ comitia eſſent, idque his verbis: Eſt autem intelligendum, tribus ex Servii inſtituto nihil ad centuriata comitia pertinuiſ- C ſe, poſt expletas autem trigintaquinque tribus, cum omnis populi honos in iis conſiſteret, mutatam eſſe Servii rationem, & tribus ad centuriarum diviſionem eſſe traductas. Ut autem ante populus in ſex claſſes, & centum tres ac nonaginta centurias diviſus vocabatur, ſic poſtea in trigintaquinque tribus diſpertitus citari cœptus eſt; ita tamen, ut ſingulæ tribus ſuas claſſes, ſuaſque centurias haberent. Quocirca ſupra diximus, ex trigintaquinque tribus unam eſſe ſorte eductam; atque ex ea, cum uniuſcujuſque tribus quinque eſſent claſſes, omnium vero claſſium multæ centuriæ, unam ex omni centuriarum numero lectam centuriam, vel juniorum vel ſeniorum, quæ pri- D ma rogaretur, & prærogativa diceretur. Quæ cum ſcripſi, noli putare, me ſenſiſſe, tum cum primum introducta prærogativa eſt, eam ex trigintaquinque tribuum aliqua eſſe eductam; verum, poſteaquam tribus ad centuriata comitia ſunt translata, prærogativam ex aliqua triginta quinque tribuum ſumtam. Verum fac me ſcripſiſſe, prærogativam ex trigintaquinque tribubus eſſe ductam, antequam trigintaquinque numerus expleretur, num ſi id me Ciceronis exemplo dixero, parum idoneam facti mei, quod à te tam valde reprehenditur, rationem attulero? non, opinor. At is in agraria dixit, quotieſcunque curatores agrarii creati fuerunt, ſemper per E trigintaquinque tribus eſſe creatos, & tamen ante trigintaquinqne tribus expletas, cum ſæpiſſime creati ſint, nemo per trigintaquinque tribus eſt conſtitutus, verum per omnes, quæ tum erant, cum creabantur. Age vero, ſi tu hoc tam grave eſſe crimen exiſtimaſti, cur rationibus potius, quæ aliqua eludi ratione poſſunt, id tibi refutandum, quam graviſſima, quæ nullo modo frangi (*d*) vitarive poteſt, Livii auctoritate, duxiſti? qui mentionem multo ante id tempus prærogativæ fecit in tribunis militum conſularibus, & conſulibus; ut lib. 5. *P. Licinium Calvum prærogativa tri-*

(*c*) *f.* unum.

(*d*) *f.* vitiari,

tribunum militum non petentem creat. Et lib. 10. *Q. Fabium & prærogativa, & primo vocatæ omnes centuriæ conſulem cum L. Volumnio dicebant*. Hoc igitur, ut dixi, quaſi de me triumpho relato, tum ille, neſcio, quo modo in hanc argumentationem erumpit. Quæſtores aut à populo primum creati ſunt anno 60. poſt reges exactos, ut vult Tacitus, aut multo ante ſub regibus, ut Junius Gracchanus. Si primum, profecto tributis creati ſunt, non curiatis, quia tum curiata non erant in uſu, ſi ſecundum, abſurdum eſt, cum *cæteris* dicat Cicero, intelligere de ſolis quæſtoribus, cum etiam duumviri, triumviri, præfecti annonæ à populo ſint creati, ut veriſimile eſt, aut ſingulis, aut binis curiatis. Hic ego primum quæro, quorſum hæc hoc loco de quæſtoribus, quæ ad priorem ſc. pertinent quæſtionem? deinde, ſi (*e*) de me, quid de his potiſſimum ſentiam, quærit, dico, me cum Junio Gracchano ſentire, quem teſtem adhibet Ulpianus, quæſtores creatos eſſe à populo & rerum potientibus regibus, & iiſdem dominatu imperioque remotis, eoque vehementius, quod Plutarchus auctor eſt, Poplicolam conſulem primum ærarium inſtituiſſe & quæſtores duos populo creandos permiſiſſe. Quorum duorum auctoritatem, neſcio, cur non anteponam Taciti teſtimonio, (*f*) qui multos poſt annos floruit, quam Junius, qui quidem cum C. Graccho vixit, atque ab ejus amicitia Gracchani cognomen invenit, & commentarios de his rebus ex inſtituto conſcripſit. Poſt autem illud ex ipſo etiam ſcire cupio, cur, poſtquam de quæſtoribus, & priore conſuetudine, multa non ſuo loco repetens inculcavit, prærogativam iterum, de qua dicere inſtituerat, novis argumentis invadat? quid, quæſo, ſpectet, quid in animo habeat? Neque enim illum differendi elegantiam odiſſe, confuſionem, perturbationemque diſputationis amare, nobilis ille comitiorum commentarius indicat, in quo omnia diſtincte atque ordinate diſpoſuit. Quid autem ait? Bina quidem ea quodammodo eſſe comitia, una prærogativæ, altera jurevocatarum, verum eam rem ad locum Ciceronis, & ad bina centuriata, quæ ante prærogativæ inſtitutionem ſunt celebrata, non pertinere. Primum, inquit, quia Aſconius ejus rei auctor Neronis tempore vixit, cum jam nulla erant comitia populi, & propterea, quæ de binis ſcribit comitiis, non refert ad vetuſtiorem morem, de quo Cicero, ſed ad poſteriorem, poſtquam in comitia prærogativa erat inducta; deinde, quia prærogativa inſtituta eſt, ut populi concordia firmaretur, poſtremo, quia prærogativa non minus ad leges, & judicia, quam ad magiſtratus adhibebatur. Quibus ego, ne me quidem bina prærogativæ, & jurevocatarum comitia ad locum Ciceronis retuliſſe, ex eo perſpici poſſe, quod priorem conſuetudinem ex Cicerone collegi, poſteriorem ex Aſconio, ac diverſam eſſe utranque oſtendi. Aſſentior autem & ipſe, Aſconium de poſteriore more locutum, non de antiquiſſimo illo, ac ſeculorum prope multitudine obſoleto. Quod vero de populi concordia opponit, neceſſario non efficit, ut non alia etiam de cauſſa excogitari prærogativa potuerit, cum Feſtus aliam longe ab Aſconiana diverſam prodiderit. Atque hoc idem etiam de judiciis, & legibus eſſe cenſeo reſpondendum, ſi modo ad leges, & judicia prærogativa pertinuit. Quæ cum ita ſint, neminem jam opinor eſſe tam hebetem, qui non intelligat, quam parum in illa de binis comitiis opinione inſit roboris, atque nervorum.

De uſu Legis Curiatæ de imperio.

Altera res eſt, de qua haudquaquam mihi cum Gruchio convenit, Lex curiata de imperio. Nam legem curiatam multis de rebus ferri conſtat. Quid vero potiſſimum feratur, cum magiſtratui lex curiata de imperio fertur, illud in controverſiam venit. Ego enim duplicem fuiſſe vim imperii dico, unam civilem quandam magiſtratus auctoritatem; alteram, militarem ac bellicam. Sic autem ſtatuo, omnes magiſtratus & urbanos & provinciales civilem poteſtatem habuiſſe, verum alios majorem, alios minorem. Quæ minor fuit, eam præcipue poteſtatem dictam, quæ major, non poteſtatem ſolum, ſed interdum etiam imperium appellatam. Idque ex eo liquere, quod de tribunis quidem plebis, atque ædilibus nunquam, niſi poteſtatem dixerunt, in conſulibus autem, ac prætoribus & poteſtatem & imperium uſurparunt. Unde in II. Verrina dixit Cicero: *Erit tum Conſul Hortenſius cum ſummo imperio ac poteſtate, ego autem ædilis, hoc eſt, paulo* (*g*) *amplius quam privatus*. Et Livius in ſecundo, tribunum pl. privatum eſſe ſine imperio, ac ſine magiſtratu prodidit. Addo autem, poteſtatem in auſpicio & judicio fuiſſe poſitam; unde ſanxit noſter ille idem in legibus: *Magiſtratus omnes judicium, & auſpicium habent*. Cum dico autem *auſpicium, poteſtatem intelligo omnibus magiſtratibus impertitam ſervandi de cœlo*. Quod oſtendit Varro in Rhetoricis, teſte Nonio: *Eo die cis Tiberim redeundum eſt, quod de cœlo auſpicari jus ſit nemini præter magiſtratus*. Et Cicero in Antoniana ſecunda: *Augures nunciationem ſolum habent, conſules & reliqui magiſtratus etiam ſpectionem*. Et Gell. lib. 13. cap. 14. *In edicto conſulum, quo edicunt, quis dies comitiis centuriatis futurus ſit, ſcriptum fuit: ne quis magiſtratus minor de cœlo ſervaſſe vellet*. Nimirum, ne minorum magiſtratuum obnunciatione centuriata comitia impedirentur. Cum dico autem *judicium*, intelligo *poteſtatem decretum interponendi, ac juris dicendi*. Et quoniam magiſtratus alii prehenſionem tantum habuerunt, alii & prehenſionem & in jus vocationem, alii neutrum, ut ex Varrone prodit idem Gellius, quorum primi viatore uſi ſunt, alteri lictore, tertii ſervo publico, propterea horum etiam hoc modo poteſtatem diſtingui poſſe exiſtimo. Neque vero dubito, quin his ita conſtitutis dictatores, conſules, prætores & urbani & provinciales, ea fuerint poteſtate inſtructi, quæ maxima eſſet, atque verius imperium, quam poteſtas diceretur. Atque hoc imperium ego dico fuiſſe ejuſmodi, ut totum jus magiſtratus amplexum ſit. Quare neminem dictatorem, conſulem, prætoremque fuiſſe, quin hanc poteſtatem, ſive potius hoc imperium obtinuerit; ſimul illud etiam adjungo, hoc imperium dictatores accepiſſe, tum, cum à conſulibus dicti ſunt, con-

(*e*) *ſ.* ex me.
(*f*) *pro*, qui pluribus poſt annis floruit, quam Junius.
(*g*) *pro*, amplior, *vel quid amplius*.

conſules; prætoreſque, cum comitiis centu- A
riatis à populo declarati ſunt. Alterum vero
imperium, nempe rei militaris attingendæ
poteſtatem neminem horum ſine Senatus con-
ſulto, ac lege adminiſtrare non ſolum in ur-
be, ſed neque in provincia potuiſſe affirmo.
Quæ lex, quia curiatis comitiis lata ſit, cu-
riata eſt appellata. Quod quidem placet in
ſingulis indicare. De Dictatore teſtis Livius
eſt lib. 9. „ Papyrio dictatori legem curiatam
„ de imperio ferenti triſte omen diem diffi-
„ dit, quod Saucia curia fuit principium dua-
„ bus inſignis cladibus, captæ urbis, & Cau-
„ dinæ, pacis. Macer tertia etiam clade, quæ
„ ad Cremeram accepta eſt, abhominandam
„ eam facit. Dictator poſtridie auſpiciis re- B
„ petitis pertulit legem. Ex his enim verbis
apparet, dictatorem ſine lege curiata magi-
ſtratum dictaturæ geſſiſſe. Quomodo enim
agere cum populo potuiſſet, ſi privatus qui-
dem fuiſſet? ergo ſi pertulit legem de impe
rio: non de civili imperio pertulit, ſed de
militari; apparet etiam legem curiatam de
imperio pertinuiſſe ad rem militarem, propter
clades bellicas, lege curiata de imperio lata,
acceptas; cujus lationis ſemper Saucia curia
principium fuerat. De conſulibus & tribunis
militum conſularibus idem locus eſſe teſtimo-
nio poteſt: quia clades ad Cremeram, & ad
furcas Caudinas conſulibus ducibus eſt ac-
cepta, captæ Romæ tribunis militum conſu- C
lari poteſtate; & alter in quinto: *Centuriatis
comitiis conſules tribunique militum conſulari
poteſtate creantur, curiata rem militarem con-
tinent*; quaſi vero velit dicere, magiſtratum
iis dari centuriatis, imperium vero militare
curiatis, & Cicero in ſecunda Agraria: *Con-
ſuli, ſi legem curiatam non habet, attingere
rem militarem non licet*. Item *Conſulibus legem
curiatam ferentibus ſæpe interceſſum eſt*; & in
epiſt. ad Lentulum: *Appius conſul dixit in Se-
natu, ſeſe, ſi licitum eſſet legem curiatam ferre,
ſortiturum eſſe cum collega provinciam*; & lib.
4. ad Attic. „ Conſules flagrant infamia, quod
„ C. Memmius candidatus pactionem in Se-
„ natu recitavit, quam ipſe, & ſuus compe- D
„ titor Domitius cum conſulibus feciſſet, uti
„ ambo ſeſtertium quadringena conſulibus da-
„ rent, ſi eſſent ipſi conſules facti, niſi tres
„ augures dediſſent, qui ſe affuiſſe dicerent,
„ cum lex curiata ferretur, quæ lata non eſ-
„ ſet, & duos conſulares, qui ſe dicerent in
„ ornandis provinciis conſularibus affuiſſe,
„ cum omnino ne Senatus quidem fuiſſet.
Ex quibus item percipitur, tum conſules an-
te legem curiatam latam conſulatum geſſiſſe,
quippe qui legem eam ad populum tulerint,
tum legem curiatam fuiſſe de imperio non
civili, ſed militari ac provinciali. Ut autem
lex curiata conſulibus in provincia militare
dedit imperium; ſic in urbe Senatuſconſultum E
illud: ut viderent ne quid detrimenti Reſp.
acciperet; de quo Saluſtius in Cat. „ Sena-
„ tus decrevit datent operam conſules, ne
„ quid Reſp. detrimenti caperet; ea poteſtas
„ per Senatum more majorum magiſtratui
„ maxima permittitur, exercitum parare,
„ bellum gerere, coërcere omnibus modis
„ cives, atque ſocios, domi, militiæque
„ ſummum imperium, ac judicium ſummum
„ habere; aliter ſine populi juſſu nullius ea-
„ rum rerum conſuli jus eſt. Quæ verba

hanc nobis lucem afferunt, ut intelligamus,
conſules jure conſulatus exercitum parare,
bellumque gerere non potuiſſe, neque domi
militiæque ſummum imperium habuiſſe, quod
certe habuiſſent, ſi imperium unum tantum
eſſet, idque centuriatis comitiis cum magi-
ſtratu ipſo delatum eſſet. At vero, cum, niſi
in atroci negocio, mandatum non ſit, ſane
intelligi poteſt, duo eorum fuiſſe imperia,
unum civile, alterum militare. Jam vero præ-
tores urbanum & peregrinum, quique publi-
cas quæſtiones exercuerunt, priore item tan-
tum imperio fuiſſe affectos affirmo, poſteriore
nego; provinciales autem omnes utrunque
habuiſſe contendo, civile quidem, nempe,
juriſdictionis lege centuriata, militare vero
ipſum ſine dubio curiata; ſic enim Cicero te-
ſtatur in oratione de ſuppliciis, de Verre Si-
ciliæ prætore loquens: „ Cum tibi prætori
„ ſorte obtigiſſet, ut jus diceres, quantum
„ negocii, quid oneris haberes, nunquam
„ cogitaſti; ſequuta provincia eſt; in qua ti-
„ bi nunquam venit in mentem, non tibi ic-
„ circo faſces, & ſecures, & tantam imperii
„ vim, tantamque ornamentorum omnium
„ dignitatem datam, ut earum rerum vi, &
„ auctoritate omnia repagula juris perfringe-
„ res; in qua te ita geſſiſti, ut cum omnibus
„ teneare rebus, ad bellum fugitivorum con-
„ fugias. Hic enim locus docet, non eſſe
idem imperium prætoris urbani, ac provin-
cialis; vocat enim curationem urbanam nego-
cium & onus, provincialem vero imperium,
quippe, quia provincialis prætor non ſolum
jus in provincia diceret, ut Romæ urbanus,
ſed etiam rem militarem adminiſtraret; & Cæ-
ſar lib. 1. belli civilis: „ In reliquas provin-
„ cias prætores mittuntur, neque expectant,
„ quod ſuperioribus annis acciderat, ut de
„ eorum imperio ad populum referatur, plau-
„ datique votis nuncupatis exeunt; quibus
verbis nonne aperte admonemur, prætores
provincias à Senatu, imperium à populo ac-
cepiſſe? Præter hos autem fuerunt alii quidam
conſulares, atque prætorii, quod provincias
quidem obtinuerunt poſt magiſtratum, verum
non continuo ex ipſo magiſtratu, ut Cic. &
Bibulus aliquot poſt conſulatum annos Cili-
ciam & Syriam, & Cato aliquot poſt prætu-
ram annos Siciliam. De his autem idem judi-
cium eſt; quanquam enim ex privatis in pro-
vincias miſſi ſunt, tamen quia jure magiſtra-
tus Romæ geſti provincias eas adepti ſunt,
eodem modo in provinciis & poteſtatem, &
imperium habuiſſe cenſeo, poteſtatem in jure
dicundo, imperium in re militari; quam ab
omnibus iis, quos nominavi, adminiſtratam
conſtat, ita ut Cicero & Bibulus de trium-
pho etiam cogitarint. Ut autem provinciam
ex S. C. & ſorte obtinuerunt, ſic eoſdem im-
perium lege curiata accepiſſe opinor. Relin-
quuntur quidam, qui neque ex magiſtratu,
neque poſt magiſtratum, ſed ex privatis non
in provincias, ſed ad bella cum imperio mit-
tebantur aut conſulari aut prætorio, unde
proconſules, aut proprætores dicebantur;
mittebantur autem aut S. C. aut lege, ut P.
Scipio procoſ. in Hiſpaniam, C. Octavius (*b*)
proprætore in Galliam. Hos igitur, atque
ejuſmodi alios magiſtratus fuiſſe nego, cum
imperio fuiſſe dico; ſed tamen non lege cu-
riata accepto. Magiſtratus non fuerunt, quia
ne-

(*b*) *f. pro prætore, ut & paulo poſt.*

neque auſpicium neque judicium habuerunt. Auſpicium non habebant, quia à populo non acceperant, ut teſtis eſt Cicero in libris de Divinatione; nam præter Scipionem reliqui omnes tributis comitiis, quæ erant inauſpicata, imperium acceperunt. Judicium autem non habebant, quia provinciam, in qua jus dicerent, non habebant; nam cum Scipio in Hiſpaniam miſſus eſt, Hiſpania nondum erat provincia, cum Octavius in Galliam, Gallia à D. Bruto procoſ. tenebatur; præterea in Senatuſconſulto, quo ille proprætore eſſe jubetur, hæc ſunt verba apud Ciceronem: *Demus imperium C. Cæſari, ſine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris adminiſtrari non poteſt*, non autem *ſine quo jus in provincia dici non poteſt*. Cum imperio ergo appello, cum poteſtate exercitus habendi, belli que gerendi; quod tum verbis his Ciceronis confirmo, tum iis quæ ſunt in oratione de ſuppliciis: „ Cum paulo ante nunciatum eſſet de „ Tempſano incommodo, atque inveniretur „ nemo, qui in illa loca cum imperio mitte„ retur; nimirum enim imperium militare ſignificat, non juriſdicendi poteſtatem; neque enim Tempſanum illud incommodum cognitione prætoris eguit, ſed exercitus auxilio. Adde quod qui civilem adeptus poteſtatem erat, quæ magiſtratum ipſum attingebat, is in urbe manebat; qui cum imperio erat, quoniam exercitus habendi poteſtatem obtinebat, idque parum civili tutum libertati putabatur, is ſtatim ex urbe egredi, & aut in provinciam, aut ad bellum delatum proficiſci, aut ad urbem cum imperio manere jubebatur; ubi vero ex provincia, belloque reverſus erat, aut ſtatim urbem privatus ingredi, aut, ſi de triumpho cogitabat, ad urbem morari ſolebat. Quod ſi triumphum impetraſſet, tum, quoniam triumphare ſine exercitu non poterat, exercitum autem haberi ſine imperio non licebat, imperium autem militare in urbe non concedebatur, propterea lex ad plebem de imperio ejus diei ferebatur. Ac de imperio quidem ipſo ad urbem multi loquuntur, ſed in primis Aſconius: *Ad urbem eſſe dici ſolet de iis, qui cum poteſtate provinciali aut nuper è provincia revertiſſent, aut nondum in provinciam profecti eſſent*. Et Cicero pro Sextio: *Erat Pompejus ad portas, erat cum imperio*; recte nam Hiſpanias procoſ. obtinebat; & Saluſt. in Catilina: *Metellus, & Marcius erant imperatores ad urbem, impediti paucorum invidia, ne triumpharent*. Et Cic. in 4. Verrina: *Verres ſimulatque ei ſorte provincia Sicilia evenit ſtatim Romæ, & ad urbem, antequam proficiſcetur, &c.* iterum Aſconius in orationem pro Scauro: *Horum magna pars per tabulas laudaverunt, quia aberant; inter quos Pompejus quoque; nam quod erat pro conſule, extra urbem morabatur*; & Dio: *Pompejus extra pomœrium populum evocavit; nam imperium proconſulare habebat, nec poterat in urbem ingredi*. De imperio vero, quod uno die triumphantes habebant in urbe, ſic Livius: *Paullo, Anicio, & Octavio decretus eſt ab Senatu triumphus; mandatumque Q. Caſſio prætori, cum tribunis plebis ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad populum ferrent, ut iis, quo die (i) autem triumphantes invehe rentur, imperium eſſet*; & alibi: *Tribuni pl. ex auctoritate patrum ad populum tulerunt, ut*

(i) ſ. urbem, ut mox.

A *M. Marcello, quo die urbem ovans iniret, imperium eſſet*.

Quibus omnibus ex locis neminem eſſe exiſtimo, (k) quin videat, duo elici poſſe, tum *imperii* nomine rei militaris adminiſtrationem præcipue notari, tum idem imperium non ſemper lege curiata mandari. Etenim & iis, qui ex privatis ad bella cum imperio proficiſcebantur, nullo modo neceſſaria lex curiata erat, iis, qui ex magiſtratu in provinciam ad jus dicendum, bellumque, ſi res tuliſſet, gerendum mittebantur, non omnino; id quod Cicero ſignificavit, cum dixit in epiſtola ad Lentulum: *Appius conſul dixit in Senatu, ſeſe, ſi licitum eſſet legem curiatam* B *ferre, ſortiturum cum collega provinciam, ſi curiata non eſſet, comparaturum cum collega, & tibi ſucceſſurum, legem curiatam conſuli ferre, opus eſſe neceſſe non eſſe; ſe, quoniam ex S. C. provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quo ad in urbem introiiſſet; ſunt qui putent, te non poſſe decedere, quod ſine lege curiata tibi ſuccedatur*; & libro tertio ad fratrem: *Appius ſine lege curiata confirmat, ſe Lentulo noſtro ſucceſſurum*; & libro 4. ad Atticum: *Appius ſine lege, ſuo ſumptu, in Ciliciam cogitat*. Quibus ex verbis colligi mihi poſſe videtur, conſulem, qui ex S. C. provinciam habeat, ſine lege curiata imperium habere potuiſſe, quia legem curiatam de imperio ferre conſuli opus fuerit, neceſſe non fue- C rit; uſque adeo, ut qui legem curiatam haberet, publico ſumptu in provinciam proficiſceretur, qui non haberet, ſuo, ut Appius facere decreverat. Atque eodem etiam pertinere verba Cn. Pompeji ad Senatum, à quo miſſus adverſus Sertorium erat, opinor, cum à Senatu ſtipendium peteret: „ Equidem fa„ teor, me ad hoc bellum majore ſtudio, „ quam conſilio profectum, qui nomine mo„ do imperii à vobis accepto diebus quadra„ ginta exercitum paravi. Quaſi vero velit dicere, ſe accepto modo à Senatu nomine imperii, quo jus adeptus eſt exercitum comparandi, & bellum gerendi, ſuo ſumptu in Hi- D ſpaniam eſſe profectum. Atque hoc quidem meum eſt de lege curiata, imperioque judicium. Gruch. autem longe aliter opinatur. Legem enim curiatam duplicem eſſe cenſet; unam, quod omnibus lata ſit magiſtratibus alteram, quæ iis præcipue, qui exierint in provincias; atque utraque idem imperium impertitum. Imperium autem ipſe appellat ſummam cujuſque magiſtratus auctoritatem; quoniam autem ad ſummam dictatorum, conſulum, prætorum, proconſulum, & proprætorum auctoritatem pertinet, ut præter juriſdictionem bellum etiam gerere poſſint, id totum fuiſſe imperium arbitratur. Hoc autem imperium conſules, & prætores accepiſſe comitiis E centuriatis, & curiatis; fuit enim jus ipſum magiſtratus, quod binis hic comitiis tranſmiſſum exiſtimat. Quod ſi iidem conſules, prætoreſque in provincias, quas ex S. C. obtinuerint, proficiſci voluerunt, eos neceſſario nova curiata de imperio lege ornari oportuiſſe exiſtimat. Eodemque modo privatos omnes idem imperium primum Senatuſconſulto, deinde lege curiata accepiſſe; eoſdem etiam quamvis ſine provincia fuerint, magiſtratus habitos eſſe, quia imperium, id eſt, magiſtratus auctoritatem obtinuerint. Ex quibus in-

(k) ſ. qui non videat.

A intelligi poteſt, quinque potiſſimum de rebus
inter nos, & quidem maximis, diſcrepare;
una, quod ille magiſtratibus omnibus in pro-
vincias profecturis neceſſariam utique fuiſſe
legem curiatam exiſtimat, nos non utique;
altera, quod poteſtatem belli gerendi privatis
conceſſam ille magiſtratum, nos imperium
appellamus; tertia, quod ille privatis etiam
ad bellum, provinciaſque tendentibus omnino
neceſſariam fuiſſe eandem curiatam de impe-
rio legem putat, nos nullo modo; quarta,
quod imperium ille juris dictionis & rei mi-
litaris unum ſtatuit, atque iiſdem comitiis de-
latum opinatur, nos alterum ab altero diſtin-
gui, atque diverſis comitiis mandari dicimus;
B quinta, quod ille duplicem curiatam facit;
unam, quæ magiſtratibus omnibus det impe-
rium cuique magiſtratui accommodatum; al-
teram, quæ potiſſimum provincialibus, nos
unam tantum ſtatuimus, quæ provincialibus.
De quibus quæſtionibus placet deinceps eo-
dem hoc qualicunque, quo ille inſtituit, or-
dine diſſerere, argumentis noſtrum utriuſque
inter ſe conferendis. Primum ergo duas ille
Livii profert auctoritates, cum mihi non in-
cognitas, tum minime omnium me lædentes;
nam, quæ ex iis eruit, ea meæ potius, quam
illius opinioni convenientia ſunt. Earum una
illa eſt è lib. 5. *Comitia curiata, quæ rem mi-
litarem continent*; altera è nono: *Dictatori le-
C gem curiatam de imperio ferenti triſte omen
diem diffidit, quod Saucia curia principium fuit*;
atque hanc quidem in me convertit, qui
ſcripſeram, mirari me, quod non curiatæ le-
gis de imperio frequentior in veteribus anna-
lium monumentis mentio inveniretur, ſi ea
magiſtratibus omnibus eſſet utique neceſſaria;
atque ex tribus cladibus ibi à Livio memo-
ratis, ad Cremeram, captæ urbis, & Caudi-
næ pacis, quas omnes decretum curiarum
præceſſerit, hoc quotannis, atque in ſingulis
magiſtratibus ſervatum eſſe contendit. Qui lo-
cus neque mihi fuerat ignotus, & ſingularis
eſt, nec meam prorſus admirationem tollit,
qui rem tantam non uno in loco, obiter, &
D obſcure, ſed in multis, ex inſtituto, atque
aperte tradi cupiebam.

His autem rebus expoſitis primam ille
quæſtionem aggreditur: An omnibus magi-
ſtratibus in provincias profecturis lex curiata
de imperio neceſſaria fuerit. Neceſſariam au-
tem omnino fuiſſe duabus adductus auctori-
tatibus putat, una Ciceronis: *Conſuli, ſi legem
curiatam non habet, rem militarem attingere
non licet*; altera Livii: *Curiata comitia rem
militarem continent*; ex quibus elicit, legem
curiatam omnino fuiſſe conſulibus neceſſariam,
quod res militaris in primis ad eos pertineret.
Ego autem dico, conſulibus, prætoribuſque
legem curiatam de imperio fuiſſe neceſſariam,
E non ut magiſtratum, quemadmodum ille in-
quit, gererent, ſed ut rem bellicam, & pro-
vincias, quæ eis ordine committebantur, ad-
miniſtrarent, verum non utique; atque hoc
ex ſententia Appii conſulis, qui dixit: *Conſu-
li legem curiatam ferre opus eſſe, neceſſe non
eſſe*; quem locum in hunc modum interpreta-
tur: Appium conſulem legem curiatam poſtu-
laſſe, ut legitime imperium obtineret, mali-
gne autem legem Corneliam interpretatum
eſſe, quæ eſſet non de obtinendo, ſed de pro-
rogando imperio; quare dixiſſe, ſe non vio-
laturum legem Corneliam, ſi, quæ ad legiti-
mum imperium obtinendum neceſſaria eſſent,
non obſervaſſet. Ego vero dico, Appium le-
gem curiatam popoſciſſe, non tam ut legiti-
mum haberet imperium, quam ut ornatam
viatico provinciam obtineret; atque hoc ſigni-
ficare verba illa ejus: *Conſuli legem curiatam
ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe*, id eſt, utilem
quidem eſſe, verum non ita neceſſariam, ut
omnino ſine illa provincia cum imperio obti-
neri non queat. Sic enim locutus eſt etiam
in libris de Oratore: *Tertium genus etiam ſi
opus eſt, tamen minus eſt neceſſarium*, cum de
genere demonſtrativo loqueretur utili potius
civitati, quam neceſſario. Non eſſe autem
utique neceſſariam, in hunc modum dico ab
Appio confirmari. Qui provinciam ex S. C.
obtinet, is imperium habet, habebitque ex
lege Cornelia, donec in urbem (*l*) revertere-
tur; atqui ego provinciam habeo ex S. C. er-
go habeo etiam ex lege Cornelia imperium
ſine lege curiata; verum non ita commode;
nam meo mihi ſumptu, ſine publico viatico
erit proficiſcendum; ſiquidem alio loco hoc
ipſum declarat, cum inquit: *Appius ſine lege,
ſuo ſumptu in Ciliciam cogitat*; atque hanc
conſuetudinem, neſcio, an Dio quoque atti-
gerit libro 52. cum de provinciarum rectori-
bus ſcripſit: *Antiquitus qui munus publicum
gerendum ſuſcipiebant, ii omnia, quæ ad impe-
rium pertinerent, de ſuo ſuppeditabant. Augu-
ſto autem imperante illi certam accipere merce-
dem cæperunt*. At Cicero, inquit Gruchius,
paullo poſt ſubjicit: *Sunt, qui putent, te non
poſſe decedere, quia ſine lege curiata tibi ſuc-
cedatur*; ex quo declaratur, legem curiatam
non utilitatis gratia neceſſariam fuiſſe, ſed ju-
ris. Quid? nonne Appius conſul quoque jus
novit? at hic & in ſermonibus, & in Senatu
dixit, Conſuli legem curiatam ferre opus eſ-
ſe, neceſſe non eſſe. Quod ſi, ut confitetur
Gruchius, imperium interdum ſine lege cu-
riata haberi extra ordinem potuit, & ſi trium-
phaturi, ut ſupra declaravimus, unius diei
imperium comitiis tributis non centuriatis ob-
tinuerunt, &, ſi lex curiata in provincias
exeuntibus utilis potius, quam utique neceſſa-
ria fuit, non tam ut haberent imperium,
quam ut ornatius, atque etiam auſpicatius
obtinerent, ſatis argumenti eſt, legem curia-
tam non ſemper fuiſſe habendo imperio ne-
ceſſariam. Altera quæſtio ſequebatur, An pri-
vati, cum imperio ornabantur, id ipſum ex
lege curiata aſſequerentur. Affirmat hoc Gru-
chius, idque duobus argumentis; uno, Si
magiſtratus eguerunt curiata, multo magis
privati; altero, cum lex curiata prætoribus
provincialibus ferebatur, æque omnibus fere-
batur; quare cum eorum multi multos ante
annos præturam geſſiſſent, privatis quoque
multis fuerit lata, neceſſe eſt. Quibus ego:
Si magiſtratus, ut probavi, non utique egue-
runt curiata, neque privati; magiſtratus au-
tem non eguerunt, quia provinciam, & in
ea imperium ex S. C. habuerunt, neque pri-
vati, quia ad bellum cum imperio, aut S. C.
aut plebiſcito miſſi ſunt. Prætorii vero illi,
quanquam privati, id eſt ſine magiſtratu
erant, tamen quia jure magiſtratus, quem in
urbe geſſerant, provincias obtinuerant, eadem
prope in cauſſa fuerunt, atque ii, qui ex præ-
tura ſtatim in provincias abierunt.

Pro-

(*l*) *f.* referretur.

Proconſules præterea, & proprætores magiſtratus eſſe negaveram. Refellit hoc ille deinceps aliquot argumentis in tertia quæſtione. Eorum autem omnium brevi hac allata diſtinctione facilis eſt diſſolutio. Proconſules, & proprætores alii in provincias ad jus dicendum, & bellum, ſi res tuliſſet, gerendum miſſi ſunt, qui magiſtratus fuerunt, ut Cn. Pompejus procos. in Aſiam, M. Cicero in Ciliciam; alii vero ad bellum tantum, & hi magiſtratus non fuerunt, ſed cum imperio fuiſſe dicti ſunt, ut P. Scipio procos. in Hiſpaniam, & C. Octavius in Galliam. Non fuiſſe autem magiſtratus, auctor non contemnendus eſt Livius; qui de P. Scipione ita loquitur: *Ob res geſtas magis eſt tentata triumphi ſpes, quam petita pertinaciter, quia neminem ad eam diem triumphaſſe, qui ſine magiſtratu res geſſiſſet, conſtabat*, de C. Octavio Cicero: *Demus imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt*; non enim dixit, *ſine quo jus dici non poteſt*. Neque enim ſola militaris juriſdictio plenum attuliſſe imperatori magiſtratum videtur, quia Livius nunquam Scipionem procos. ſine magiſtratu fuiſſe aſſeruiſſet, neque Svetonius ſcripſiſſet in Tiberio: *Nemine cum imperio, aut magiſtratu tendente quoquam, quin Rhodum diverteret*; nec Livius iterum libro 42. *Locuſtarum tantæ nubes à mari vento repente in Apuliam illatæ ſunt, ut examinibus ſuis agros late operirent; ad quam peſtem frugum tollendam Cn. Sicinius prætor deſignatus cum imperio in Apuliam miſſus, ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto aliquantum temporis abſumpſit*. Neque enim illud Sicinii imperium, magiſtratus imperium dici poteſt, cum ille magiſtratum nondum iniſſet, ſed adhuc deſignatus prætor eſſet. At proconſules, & proprætores faſces habuerunt; non repugno; illud dico, non jus faſcium ſed auſpicium & judicium magiſtratum afferre; ſiquidem multi magiſtratus fuerunt ſine faſcibus, & multi faſces habuerunt ſine magiſtratu, ſed tamen non ſine imperio. At iidem proconſules à Cicerone magiſtratus vocantur. Sit id ſane, quod nullo modo eſſe contendo; quid? nonne idem Cicero tribunum pleb. magiſtratum appellat, quem tamen Livius ac Plutarchus certis rationibus magiſtratum non eſſe convincunt? certe; quid ita? nempe, quia aliter loquimur in hiſtoria, cum artem quaſi veteris memoriæ prodimus, aliter in orationibus, cum clientis cauſſam vincendi cauſſa defendimus; ibi enim propria vocabula uſurpantur, hic tranſlata fere, ac ſæpe homonyma conquiruntur. Quod ſi tribuni plebis non ſunt magiſtratus, quia antiquitus, ut inquit libro 13. Gellius, creati ſunt non juri dicundo, neque cauſſis, querelisque de abſentibus noſcendis, ſed interceſſionibus faciendis, quibus præſentes fuiſſent; profecto neque proconſules & proprætores iſti magiſtratus erunt, quia non juri dicundo, ſed rei gerendæ delecti ſunt, quippe qui provinciam non habeant, cui jus dicant, ſed in hoſtili fere agro, aut in aliena provincia bellum gerant. At proconſules, inquit, & proprætores auſpicia habuerunt, proconſules, quia in provincias profecturi legem curiatam comitiis auſpicatis latam habuerunt, proprætores, quia cum L. Martium in caſtris (m) proprætore milites delegiſſent, graviter id tulit Senatus, quod (teſte Livio) diceret, rem

A mali exempli eſſe, imperatores legi ab exercitibus, & ſolemne auſpicatorum comitiorum in caſtra transferri. Acute hercle, atque ingenioſe, quis negat? at parum tamen ad vetuſtatis veritatem accommodate. Primum enim, cum dicimus proconſules caruiſſe auſpiciis, non loquimur de iis, qui provincias ex conſulatu obtinuerunt; ſed de iis, qui privati ad bellum cum imperio miſſi ſunt; deinde cum dicimus proconſules, & proprætores auſpicia non habuiſſe, utroſque non inauſpicato creatos eſſe, ſed rem inauſpicato geſſiſſe intelligimus; poſtremo addimus, quicunque auſpiciis uſi non ſunt, eos neque auſpicia à populo accepiſſe; quoniam autem proconſu-
B les, & proprætores auſpicia non adhibuerunt, propterea effici, ut neque ea à populo acceperint; quo poſito ſequitur, ut nemo proconſulum, ac proprætorum, qui ad bellum cum imperio miſſi ſint, curiatis comitiis, quæ auſpicata erant, imperium acceperit, ſed tributis. Atque hæc omnia, quæ dicimus, ex Ciceronis ſententia dicimus, qui in 2. de divinatione ita ſcriptum reliquit: *Dejotarus auſpiciis ſemper utebatur, nos, niſi dum à populo auſpicia habemus, quam multum iis utimur? bellicam rem adminiſtrari majores noſtri niſi auſpicato noluerunt; quam multi anni ſunt, cum bella à proprætoribus, & proconſulibus adminiſtrantur, qui auſpicia non habent? itaque nec*
C *amnes tranſeunt auſpicato, nec tripudio auſpicantur*. Ex quibus verbis quis eſt, qui non intelligat, proconſules, & proprætores, qui ad bella miſſi ſunt, auſpicia idcirco non habuiſſe, qui à populo non acceperant? At teſte, inquit, Livio, accipiebant, quia de L. Martio proprætore in caſtris lecto queſtus eſt Senatus, rem mali exempli eſſe, ſolemne auſpicatorum comitiorum in caſtra eſſe translatum. Egregie ſane. Eſt tamen intelligendum, querelam illam Senatum ad ea, quæ antea factitata eſſent, non quæ poſtea fieri cœpta ſunt, retuliſſe. Ante Martium enim, qui à populo imperium acceperant curiatis comitiis omnes acceperant, conſules, prætores, ac
D dictatores. Nam de privatis ante P. Scipionem vix quenquam invenias, quem unico etiam exemplo centuriæ procos. in Hiſpaniam eodem anno, quo in caſtris L. Martium milites, delegerunt. Quare Senatus graviter ferebat, curiatorum comitiorum auſpicia prope in caſtra eſſe translata, quibus ante prætores, non privati homines conſueſſent ornari.

Deinceps quintam de lege curiata diſputationem aggreditur, eamque ſtatim, longo de imperio, neſcio quo modo ſermone injecto, dimittit, haud ita poſt multo repetiturus. Nos autem ad omnia, quæ ab eo de lege curiata dicuntur, poſt uno loco reſponſuri, latius nunc de imperio, quæ quarta fuit
E quæſtio, differemus. Primum ergo unum ille tantummodo imperium ſtatuit ſummam cujuſque magiſtratus auctoritatem. Atque hoc modo conſules, itemque prætores duplici imperio præditos fuiſſe; uno civili, altero militari, cenſores autem civili, tribunos militum militari tantummodo aſſerit. Ego vero Conſules ipſos proprio ſui magiſtratus officio civilium tantum rerum adminiſtrationem habuiſſe ajo, nempe poteſtatem auſpicandi, juris dicendi, in jus vocandi, prehendendi, cum populo agendi, ad Senatum referendi, & ſi quid aliud fuit ejuſmodi; militare vero imperium,

(m) proprætorem, *vel* pro prætore.

id eſt, ſacramento milites adigendi, exercitum habendi, bellumque gerendi, jus in urbe quidem ſine ſummo Senatuſconſulto, extra urbem vero ſine provincia, aut lege curiata nequaquam conſequi potuiſſe. Ac de Senatuſconſulto quidem auctorem eſſe, ut ſupra dixi, Saluſtium, de cæteris vero Ciceronem, & Livium. Quod ſi eorum omiſſis auctoritatibus ad rationem res revocetur, nego militare imperium eadem, qua conſulatum, lege delatum, atque adeo cum ipſo conſulatu fuiſſe confuſum. Primum, quia ſi conſules jure magiſtratus rei militaris facultatem habuiſſent, magiſtratum autem æque curiatis comitiis, atque centuriatis adepti eſſent, efficeretur, ut imperium ipſum militare non magis curiatæ legi, quam centuriatæ deberent; at curiatæ legi imperium acceptum retulerunt, centuriatæ magiſtratum. Quis ergo dubitat, quin militare imperium à conſulari fuerit ſeparatum? deinde, quia ſi lex curiata conſulare imperium impertiret, ſequeretur, ut conſules conſulare munus nullum obire ante legem curiatam de ſuo imperio latam poſſent. At legem ipſam curiatam de ſe cum tulerunt, opus conſulare maximum peregerunt; ergo imperium lege curiata acceptum non conſulare fuit, ſed bellicum, atque ab illo longe ſejunctum. Ad hæc vero, ſi conſulatus ſolus, non provinciæ adeptio, aut legis curiatæ de imperio latio, conſules ipſos exercitu inſtruxiſſet; certe Cæſar & Bibulus tum, cum in conſulatu de repub. diſſidebant, non edictis, & obnunciationibus conſularibus, ſed exercitibus, & armis inter ſe contendiſſent; nullus autem conſul ex omni memoria, aut adverſus cives, aut contra hoſtes arma cepit, niſi aut ſummo S. C. armatus, aut provinciam, imperiumque ex conſulatu adeptus. Quare, qui poteſtatem rei militaris cum ipſo conſulatu confundit, is ſe vetera reipub. Rom. inſtituta parum cognita habere oſtendit. Prætores porro imperium civile duntaxat habuiſſe aſſero, ut in urbe alii inter cives, alii inter cives & peregrinos jus dicerent, alii publicorum criminum quæſtiones exercerent, militari vero imperio nullo fuiſſe præditos, niſi extra ordinem fortaſſe dato confirmo.

Nam quin provinciales prætores juris dictionem, reique militaris poteſtatem habuerint, verum illam centuriatis comitiis, hanc curiatis acceptam, plane non dubito. Jam vero de cenſoribus quid dicam, cum id totum ſit à me, nihil habeo. De militari vero tribunorum militum imperio reſpondeo, militare imperium duplex fuiſſe; unum ducis, qui ſuis auſpiciis rem geſſit, alterum miniſtri, qui mandato ducis obtemperavit. Non fuiſſe autem idem utrunque, quanquam utrumque rem militarem attigerit, ex eo apparere, quod bello Punico ſecundo Minucii magiſtri equitum cum ſuo dictatore Fabio nova lege æquatum imperium eſt. Quod profecto non eſſet factum, ſi par magiſtri equitum, ac dictatoris ſui fuiſſet. Quod ſi magiſter equitum non eodem militari imperio ornatus fuit, atque dictator, profecto, neque tribunus militum eodem atque imperator. Hic enim belli gerendi poteſtatem habet, illum mandatis ejus obedire oportet, ſed præfectis minoribus ac militibus imperare. Unde ſcivit Cic. in Legibus: *Militiæ quibus juſſi erunt, imperanto, eorumque tribuni ſunto*. In his autem tribunis militum idem eſt militare imperium, ac jus ipſum magiſtratus, quia remota militia nihil eis, in quo magiſtratum ſuum exerceant, relinquitur. Atque hoc ipſum jus eis non lege curiata, ſed tributa defertur. Eſſe autem imperatoris, & miniſtri ejus imperium longe diverſum, oſtendit quoque Cicero in oratione de provinciis: *Macedoniam tenui præſidio, etiam ſine imperio per legatos nomine ipſo populi Romani tuebamur*. Quomodo enim ſine imperio, ſi per legatos? nonne enim legati à prætore ſuo juriſdictionem, & rei gerendæ jus acceperunt? ſane. At aliud eſt, ſuis auſpiciis rem gerere, aliud alienis Neque enim à populo Rom. provincia mandabatur, imperiumve legato, ſed proconſuli; quare abſente proconſule provincia eſſe ſine imperio dicebatur; nam imperium belli gerendi jus eſſe, idque ſoli duci convenire, contendimus.

Age vero, non placent hæc Gruchio? Num vero probatur illud, *Cum imperio eſſe*, ſignificare, *exercitui præeſſe, cujus quis ſit imperator*? multo minus. Cur tandem? quia multi, inquit, in provincias profecti ſunt cum imperio, qui tamen exercitui non præfuerunt, quod in loca pacata proficiſcerentur. Hoc loco ex eo ſcire cupio, primum, quo modo aliquis poſſit eſſe imperator exercitus, qui non præſit exercitui? Deinde quomodo ſi, teſte Cicerone, exercitus ſine imperio haberi non potuit, imperium ſine exercitu ullum eſſe militare potuerit? at pacata, inquit, fuit provincia, ut opus exercitu, imperioque non fuerit. Quid? ſi provincia faſces ſecureſque Rom. prætoris peroſa, ut ſæpe, defeciſſet, aut à finitimis hoſtibus bello petita fuiſſet, an vero illius retinendæ atque tuendæ gratia prætori Romam redeundum ad accipiendum imperium fuit? minime vero. Ergo prætores omnes provinciales & imperium & exercitum aliquem pro ratione provinciæ aut quietæ, aut infeſtæ habuerunt. Argumento eſt, quod omnes paludati exibant, id eſt, inſigni imperii militaris ornati. Quis hoc teſtatur? omnes, ſed maxime Cæſar lib. 1. belli civilis: *In reliquas provincias prætores mittuntur, paludatique votis nuncupatis exeunt*. Quin etiam Theophylus in Inſtitutionibus docet, prætores hyemem juriſdictioni, æſtatem rei militari dicaſſe. At ſylvæ, inquis, & calles aliquando conſulibus provincia dabatur, ergo ſine imperio, id eſt, ſine exercitu. Lubricus ſane locus. Sed non deeſt, quid reſpondeam. Primum audi quæſo, quid ſcribat Tacitus lib. 4. *Erat in iiſdem regionibus Curtius Lupus, cui provincia, vetere eo more, calles evenerat; is diſpoſita claſſiariorum copia cæptantem tum maxime conjurationem disjecit*. Num vero hic caruiſſe dici poteſt imperio, quamvis calles ſortitus eſſet, qui claſſiarios conſcripſit, conjurationemque compreſſit? Quid? Cn. Sicinius adverſus locuſtas cum imperio extra ordinem miſſus eſt, conſules in calles & ſylvas provinciam ordine mittentur ſine imperio? non equidem puto. Quid eſt enim tam abſurdum, quam aut provinciam ſine imperio aut imperium ſine exercitu conſtituere? niſi vero ut ſenatori legatio aliquando ſine mandato honoris cauſſa conceſſa eſt, ſic magiſtratui militare imperium ſine militari munere ſit tranſmiſſum, & ut ſenatores quidam fuerunt, qui jus dicendæ ſententiæ non habuerunt, ſic imperatores extiterunt, qui jure imperatorio caruerunt. Habuerunt quidem, inquis, poteſtatem exercitus comparandi, ſi opus fuiſſet. ve-

rum

A cum exercitui non præfuerunt. Habeo quam volo, ſi habuerunt poteſtatem exercitus conficiendi, ſane militare imperium habuerunt, ſi exercitui juſto non præfuerunt, quod eo opus non fuit, at legatos, tribunoſque militum, & præfectos in uſum rei militaris ſecum duxerunt, at cohorti ſaltem ipſi prætoriæ præfuerunt; neque enim ſine his prætor aliquis provinciam ullam adminiſtravit. Verum hæc fortaſſe ferenda. Quid quod imperium etiam poteſtatem eſſe exercitus habendi negat? negat? imo vero argumentis refutat; quæ ſunt iſta? Unum: Si imperium eſt poteſtas exercitus, cui præſit, non omnibus accommodabitur, quia multi nullum exercitum habuerunt, quibus prorogatum imperium dicitur. Cui B ego: duos fuiſſe, quibus imperium prorogatum legamus, magiſtratus provinciales, ut conſules ac prætores, & imperatores, ut proconſules ac proprætores. Cum autem prorogatum his imperium legimus, intelligendum eſt, prorogatum id totum eſſe, quod habebant; ut provincialibus provinciæ adminiſtrationem, quæ in juris dictione & re militari conſumitur, imperatoribus rei militaris tantum.

Qui vero urbanum magiſtratum gerentes in alterum annum reficiebantur, iis non prorogatum imperium dici, ſed magiſtratum continuatum, ut ſæpius Mario conſulatum. Et ſi C imperio militari fortaſſe præditi fuiſſent, poſt etiam imperium prorogatum. Quibus vero conſulibus imperium prorogatum dicitur, iis non magiſtratum continuatum, ut conſules in inſequentem annum eſſent, ſed rei bellicæ adminiſtrationem prorogatam, ut pro conſulibus rem gererent. Quod docet his verbis Livius lib. 8. *Actum cum tribunis plebis eſt, ad populum ferrent, ut cum Publilius Philo conſulatu abiſſet, pro conſule rem gereret.* Et paulo poſt: *Duo ſingularia hæc ei viro contigere, prorogatio imperii non ante in ullo facta; & acto honore triumphus.* Neque vero impedit, quin alicui prorogari imperium, id eſt, poteſtas habendi exercitus poſſit, quamvis exercitum non ha- D beat. Nam conficere poteſt. Si modo imperium cuiquam unquam eſt prorogatum, qui exercitui omnino nulli præeſſet. Alterum argumentum ejus eſt: Si proprætoris poteſtas in juriſdictione, & reliqua provinciæ adminiſtratione verſatur, & cum imperium datur, is proprætore eſſe jubetur, profecto imperium non eſt belli facultas. Ait tandem? Proprætorum omnium poteſtas in juriſdictione, & provinciæ adminiſtratione verſata eſt? At C. Octavius in Gallia, quam tenebat Brutus, invaſerat Antonius, quam tandem juriſdictionem exercuit? Nam qui provinciæ adminiſtrationem, non rei militaris, in provincia obtinuerunt, eos juriſdictionem cum imperio aſſe- E cutos tum, cum provinciam Senatuſconſulto, vel tributa lege adepti ſunt, confitemur. De illis, qui ad bellum tantum ſine provincia miſſi ſunt, repugnamus. An vero illud conſequens eſt, habet imperium, ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt, ergo juriſdictionem? nonne enim multi cum imperio ſubſidio conſulibus miſſi ſunt, qui juriſdictione tamen caruerunt, niſi æquato cum iis fortaſſe imperio fuerint, ut Pompejus cum Metello in (*n*) Hiſpania contra Sertorium? An vero, cum inquit Cicero: *Demus imperium Cæſari, ſine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris adminiſtrari non poteſt*, inepte, ut tu arguis, repetit idem? An potius, quæ in voce Imperii incluſa tenebantur, aperit, atque dilatat, eaque ad cauſſam ſuam oratorum more accommodat, & quaſi imperii definitionem per partes affert?

Reliquum eſt, ut ultimo loco ei reſpondeam quæſtioni, quam ipſe de lege curiata appellat. Ea vero eſt, an lex curiata magiſtratui ſit neceſſaria, an imperium, quod lege curiata defertur, in ipſo magiſtratu ſit inſitum. Neceſſariam ille eſſe arbitratur ex verbis Meſſalæ ſupra recitatis. Ex quibus in hunc modum argumentatur. Majores & minores magiſtratus habuerunt auſpicia, illi majora, hi minora. Majora dicta, quæ magis rata; minora, quæ minus; ſi ergo minores habent auſpicia, profecto habent ex curiatis comitiis, nam tributa, quibus creantur, inauſpicata ſunt. Iteradum eadem iſta mihi Gruchi. Quid enim ais? Magiſtratum habere auſpicia, eſt ne comitiis auſpicatis creari, an potius poſſe in comitiis auſpicari, id eſt, de cœlo ſervare, & ſua nunciatione comitia impedire? hoc certe. Quia omnibus hoc magiſtratibus licuit. Cum tamen omnes auſpicato non crearentur. Unde edictum conſulum extitit in comitiis conſularibus: Ne quis minor magiſtratus de cœlo ſervaſſe vellet. Et majores magiſtratus majora, id eſt, magis rata auſpicia habuiſſe dicuntur, quia ratum erat magis, quod nunciabat major, quam quod minor. Quid ergo proficis aut aſſequeris, cum ita urges? Omnes magiſtratus habuerunt auſpicia, ergo comitiis auſpicatis creati ſunt. Nihil, aut parum, opinor. Cur ita? quia alio modo accipimus auſpicia, cum dicimus, *magiſtratus omnes habere auſpicia*, alio, cum dicimus, *auſpicatis eoſdem comitiis declarari*. Illo obſervationem de cœlo intelligimus, qua magiſtratus in omnibus comitiis uſi ſunt, ut Jupiter ne fulſerit, an tonuerit fulminaritve attenderint, hoc inſpectionem avium, quam augures ad bina tamen comitia curiata, & centuriata adhibuerunt. Quare dixit Cic. in epiſt. ad Att. libro 4. *Niſi tres augures dediſſent, qui ſe adfuiſſe dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non eſſet.* Ex quo fit, ut magiſtratus omnes auſpicia quidem habuerint, id eſt, obſervationem de cœlo, at auſpicatis comitiis non omnes tamen creati ſint. Quia nonnulli tributis creati ſunt. Quæ quanquam non omnino inauſpicato habita ſunt, quia obſervationem de cœlo habuerunt, unde illa de Cæſare: *Ille autem, qui comitiis tributis auſpicatus erat, centuriata habuit*; Attamen inauſpicata dicuntur, quia augurum auſpiciis caruerunt. At Cicero, inquit, in agraria dixit, magiſtratum lege curiata dari, & triumviri coloniæ deducendæ lege curiata fuerunt ornati; & tamen imperium militare non habuerunt. Quid me iſta Gruchi lædunt? qui & verba Ciceronis, quo modo eſſent accipienda, oſtendi; & triumviros lege curiata fuiſſe ornatos, nullo loco ſcripſi. Nam quod eos ſub vexillo deduxiſſe colonos in libris de jure Italiæ prodidi, id longe eſt ab eo, quo de nunc agimus, alienum.

Eos vero & lege curiata, & militari imperio caruiſſe, niſi quid extra ordinem latum ſit, ut de Decemviris ſuis tulit Rullus, affirmo.

In-

(*n*) *f.* Hiſpaniam.

Inſitum porro in ipſo magiſtratu fuiſſe imperium ille cenſet, quo lege curiata mandatur, atque id his argumentis confirmat. Primum, inquit, omni dictatori, conſuli, aut conſularem poteſtatem habenti, prætori, aut prætoriam poteſtatem habenti, ut rem militarem pro jure ſui magiſtratus attingeret, opus fuit lege curiata. At lex curiata dat imperium, id eſt, rei militaris attingendæ poteſtatem, ergo legis curiatæ imperium in ipſo magiſtratu fuit incluſum. Repeto id, quod jam ſæpe dixi, (ſic enim me facere inſtitutus ab illo hujus ordo diſputationis cogit.) Magiſtratui nemini pro jure ſuo rem militarem tractare licuiſſe; ſi tractare voluerunt, novo eis Senatuſconſulto, ac nova lege opus fuiſſe. Quare militare imperium in ipſo magiſtratu haudquaquam fuiſſe inſitum. Quod ſi lex curiata jus magiſtratus expleret, non autem potius aliquid adventitii juris adjungeret, fore, ut dictatores, conſules, prætoreſque cum populo agere, aut publicum obire munus ullum non ante poſſent, quam curiatam legem de ſuo imperio pertuliſſent.

Pergit inde, & ait: Dictatores multi fuerunt, qui nullum bellum geſſerunt, ut ſeditionis ſedandæ, clavi figendi, Senatus habendi, & alii; quibus tamen pro jure magiſtratus bellum gerere licuit, ut etiam magiſtri equitum. Ex quo intelligi poteſt, imperium militare in ipſo magiſtratu hæſiſſe. Nullius argumenti jam expedita mihi videtur, ac tam facilis explicatio. Quis enim tam parum de his ſtudiis cogitans, qui non legerit, aut certe non fando aliquando audiverit, dictatores ob id inſtitutos fuiſſe, ut eſſet, qui temporibus reipublicæ poſtulantibus rempublicam cum majori, quam qua conſules eſſent, poteſtate, nempe ſine provocatione adminiſtraret? atque hanc eos poteſtatem accepiſſe tum, cum à conſulibus dicti ſunt? Nam, ſi rem adminiſtrare bellicam voluerunt, eos præterea legem curiatam de ſuo imperio pertuliſſe, atque eandem tum poteſtatem in urbe habuiſſe, quam conſules dicebantur habere, cum Senatuſconſulto illo ſummo armati erant, ſupra ſtatuimus. Quis eſt item à veteri memoria cognoſcenda tam alienus, qui non animadverterit, magiſtri equitum jus duplex fuiſſe, unum in urbe, ut pari jure eſſet cum eo, qui eſſet juris diſceptator, idemque cum populo patribuſque jus agendi haberet, id quod in Legibus ſuis Cicero ſcriptum reliquit; alterum, & magis proprium, in bello, ut equitatui imperaret? Quare quod adjicit: „ Si quod lege curiata obtinebat imperium dictator, ad id imperium pertinuit, quod jam in urbe, quam extra urbem habebat, id vero imperium erat illud ipſum imperium, quod in ipſo magiſtratu dictatoris hærebat, & quod cum ipſo magiſtratu obtinebatur, ſane cum lex de dictatoris imperio lata eſt, de toto imperio ejus, & non de militari tantum eſt lata; hoc totum, inquam, quam leve, atque infirmum ſit, jam profecto nemo non videt. Neque enim imperium, quod per legem curiatam adipiſcebatur dictator, ad univerſum dictatorium imperium pertinebat, cum dictator ante legem curiatam perlatam dictatorio munere fungeretur, primum cum de rebus divinis in Senatu referebat, deinde cum legem ipſam curiatam de imperio, aut de equo aſcendendo rogabat, ut de M. Junio Livius: „ Dictator rebus divinis

A „ perfectis, latoque ad populum, ut equum „ aſcendere liceret, &c.

Siquidem hanc quoque legem de equo aſcendendo curiatam fuiſſe Gruchius in commentario comitiorum exiſtimat. Aliud: Cum Rullus, inquit, ornavit decemviros lege curiata, ornavit eos magiſtratu; ergo curiatæ legis imperium in ipſo incluſum eſt magiſtratu. Hic ego, Cum Rullus ornavit lege curiata decemviros, non ornavit eos magiſtratu, ſed imperio, id eſt, adventitia quadam habendi exercitus poteſtate. Portenta mihi, inquies, mera narras. Atqui hæc portenta loquitur auctor non contemnendus in Cicerone Plutarchus, cum inquit, Rullum lege ſua B Decemviris permiſiſſe pecuniam ex ærario ſumere, στρατιώτας τρέφειν καὶ καταλέγειν ὁπόσων δέοιτο; id eſt, exercitum alere, & conſcribere, quanto opus eſſet, cumque eos αὐτοκράτορας conſtitutos inquit. Eadem portenta loquitur ipſe Cicero, cum inquit: „ Dat poteſtatem verbo „ prætoriam, re vera regiam. Definit in „ quinquennium, facit ſempiternam. Tantis „ enim confirmat opibus & copiis, ut invitis „ eripi nullo modo poſſit. Si enim Rullus prætoriam poteſtatem in provinciis Romanorum tribuit decemviris, certe non poteſtatem prætorum urbanorum tribuit, ſed provincialium, quos per legem curiatam imperium militare diximus habuiſſe. Si confirmat opibus, C certe pecunia. Nam *ſumptum*, inquit, *hauris ex ærario*; ſi copiis, ergo exercitu. Urget poſtremo vehementius, ſic enim ipſe loquitur, & ait: Conſules, prætoreſque comitia centuriata in urbe habuerunt, quibus imperabatur exercitus. Cenſores item in luſtro faciendo exercitum imperarunt, neque id ſine militari imperio; quomodo ergo militare imperium ſevocabis à magiſtratu? Quo argumento nullum ego imbecillius eſſe judico. Qui enim fieri tandem poteſt, ut qui comitia centuriata habuerunt, vere militare imperium habuerint, cum neque poteſtatem belli gerendi, neque exercitus habendi, ſed populum in centurias diviſum, quaſi quendam exerci- D tum convocandi, atque cum eo agendi habuerint? id quod ex eo perſpicuum eſt, quia qui militare imperium habuit, adegit ſacramento militari exercitum, omneſque milites in ſua verba jurare coëgit. Qui vero comitia, non item. Ut omittam, ſi vera illa, non adumbrata, ſpecies quædam exercitus eſſet, ne illud quidem imperium in urbe, ut inquit ille, futurum, cum comitia centuriata non in urbe, ſed in campo extra pomœrium haberentur. Quid? an vero cenſorum imperium verum fuit, cum populum quaſi exercitum in campo luſtrarunt? multo minus. Cur? quia aliud fuit, cenſorio more populum luſtrare, aliud imperatorio exercitum. Ad cenſum con- E venerunt patresfamilias, ut familiam fortunaſque ſuas jurati profiterentur, ad delectum juniores, quorum plerique filiifamilias, ut nomina ſua in militiam profeſſi, ſe ſolemni, & quidem longe ab illo diverſo ſacramento obſtringerent. Addit, ſi triumviri, quia ſub vexillo colonos deduxerunt, imperium militare habuerunt, multo magis cenſores; quorum utrunque nego. Ut enim non vexillum, ſic neque luſtratio cauſſam attulit, ut aut triumviri, aut cenſores militari imperio fuerint inſigniti. Nam vexillum imaginarium fuit, & luſtratio illa tota non militaris fuit, verum cenſoria. Atque ex his quidem perſpicuum eſt,

eſt, nihil tam obſcurum eſſe, quam id, quod ipſe ſe perfecta inductione planum feciſſe gloriatur, omnibus magiſtratibus, ut magiſtratus ſui jus plenum haberent, opus lege curiata fuiſſe. Quas enim protulit auctoritates non magiſtratibus omnibus, ſed tantum dictatoribus, conſulibus prætoribuſque, quibus res militaris eſſet reipublicæ cauſſa tractanda, & provinciarum rectoribus neceſſariam fuiſſe convincunt. Qua de re inter nos convenit. Rationes autem, quibus, remotis auctoritatibus, utitur, reprehenſione antecedentis, aut conſequentis, aut certe brevi, & minime fucata diſtinctione franguntur omnes, & (*o*) eluduntur. Hæc habui, quæ breviter de his quæſtionibus ſcriberem. Quæ tantum abeſt, ut ad Gruchii, hominis de his literis optime meriti, imminuendam auctoritatem ediderim, ut ob id potiſſimum me ad ſcribendum adductum eſſe confitear, ne graviſſimum hominem deſpicere, præſertim acrius in me invehentem, ſi ne reſponſo dimiſiſſem, viderer.

(*o*) *ſ.* eliduntur.

De Gruchio & Sigonio.

Antiquata jacent veteris quæ culmina Romæ,
Fractaque diſjectis mœnia ruderibus:
Et linguæ accuſant & barbara prælia dextræ:
Sic ut vix ſit pes quod fuit ante caput.
At nunc doctarum linguarum mite duellum,
Et cædes hoſti non nocitura ſuo,
Inſtaurant Romam, quæ vos, Gruchi atque Sigoni,
Mavult quam pacem bella movere ſibi.

Q. Septimius Florens Chriſtianus.

CAROLI SIGONII

LIBER

DE NOMINIBUS ROMANORUM.

Digitized by Google

CAROLI SIGONII
DE
NOMINIBUS ROMANORUM.

CAP. I.

Cur Romani multis nominibus uſi ſint.

CUm multæ res in tota antiquitate Romana parum adhuc tractatæ ac cognitæ ſunt, tum illa difficilis atque obſcura quæſtio eſt, quæ eſt de ratione nominum Romanorum; nam etſi res eſt, & à veteribus explicata diligenter, & ab hujus etiam memoriæ hominibus penitus non neglecta; tamen quia illorum ſcripta vetuſtas vel conſumpſit fere vel deformavit, hi in hoc genere non ſatis accurate omnia collegerunt, plurimum adhuc lucis deſiderare videtur. Itaque, quoniam ad hos quos ſcripſimus Romanorum magiſtratuum Faſtos, ejuſmodi maxime diſputatio pertinet, quique proxime hac de re ſcripſerunt, nec ſatis plene, nec ad rei veritatem ſatis apte tantum argumentum tractarunt, faciendum eſſe nobis videtur, ut hoc loco, quid de nominibus Romanorum invenerimus, exponamus. Cum autem Romanos homines duobus primum, poſt etiam tribus nominibus uſos eſſe reperiamus, quorum unum præcipue *Nomen*, alterum *Prænomen*, tertium *Cognomen* aut *Agnomen* appellaverunt; iccirco danda opera eſt, ut in hujus quaſi veſtibulo diſputationis cauſſam hujuſce facti, quæ probabilis maxime videatur eſſe, reddamus. Qui igitur de his cauſſis diſſeruerunt, ii in duas fere partes diviſi ſunt; quorum alii hanc conſuetudinem propriam fuiſſe Romanorum, alii à vicinis populis acceptam eſſe tradiderunt. Ac priorem quidem opinionem tuetur Varro, (ut eſt apud Valerium Maximum in Epitoma de prænominibus) poſteriorem vero quidam alii. Varronem autem movit maxime illa ratio, quod in Italia ante Romam conditam quoſdam homines uno tantummodo nomine præditos fuiſſe, ut Romulum, & Remum, & Fauſtulum, animadvertit. Itaque Varronis opinionem Priſcianus forte ſequutus, cauſſas cur Romani nomina duplicaverint, exponit duas: unam, ut, qui in quaque familia eodem nomine vocarentur, præpoſito aliquo alio nomine, quod inde *Prænomen* dixerunt, diſtinguerentur: alteram, ut Sabinorum gratiam benevolentiamque colligerent, quos Romulus in civitatem ſuſcepit, aut ſuis Sabinorum nomina, aut contra ſua Sabinorum nominibus præponentes, id quod in Romulo ſcripſit etiam Eutropius. Quin etiam Appianus huc ſpectaſſe videtur, cum in proœmio hiſtoriæ ſcripſit, Romanos uno primum nomine uſos eſſe, poſt duobus, tum tribus. Sic enim ait: Καὶ τὰ ὀνόματα Ῥωμαίοις πάλαι μὲν ἦν ἓν, ὥσπερ ἀνθρώποις ἅπασιν ἑκάστῳ· μετὰ δὲ, ἐγένοντο δύο· καὶ οὐ πολὺς χρόνος ἐξ οὗ καὶ τρίτον ἤρξαντό τισιν ἐς ἐπίγνωσιν ἐκ παθῶν ἢ ἀρετῆς περιτίθεσθαι. Itemque Varro lib. de Lingua Latina, cum ait: *Cum eſſent duo Terentii aut plures, diſcernendi cauſſa, ut aliquid ſingulare haberent, notabant forſitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is Manius eſſet: qui luci, Lucius: qui poſt patris mortem*, Poſtumus. Qui vero ſecus ſenſerunt, hanc rationem ab aliis populis mutuatos eſſe Romanos dixerunt; præſertim vero, cum ipſi ante Romam conditam matrem Romuli legerent Rheam Silviam, avum Numitorem Silvium, fratrem ejus Amulium Silvium; poſterioreſque duces Metium Fufetium, Titum Tatium, Numam Pompilium, patremque ejus Pomponem Pompilium nominatos. In hac autem opinione fuerunt Arruntius Claudius, & Valerius Maximus. Nam Claudius, ut Diomedes ſcribit, à Græcis hoc ſumptum tradit, apud quos multi æque atque apud Romanos, tria nomina uſurpaverint; id quod in Alexandro Dardanio Paride, & in Achille Æacide Celeri intelligi poſſe putat. Valerius autem ab Albanis & Sabinis, à quibus potiſſimum traxerunt originem, Romanos hanc conſuetudinem accepiſſe ait. Atque huic quidem ego etiam aſſentior; quippe qui & hanc rationem apud Italos populos fuiſſe, & aliis præterea eos quibuſdam prænominibus à Romanis uſos eſſe comperiam, & Remum ac Romulum, aut quia ſpurii fuerunt, gentis nomine caruiſſe, aut certe ex Silvia gente, cujus & mater erat, extitiſſe exiſtimem. Diſtinguendorum tamen filiorum atque nepotum cauſſâ inventa prænomina eſſe, Varroni graviſſimo in primis auctori aſſentior.

CAP. II.

Quid ſit Nomen, Prænomen, & Cognomen.

CElebrata eſt igitur (quemadmodum demonſtratum eſt) à Romanis hæc tota multiplicandorum nominum ratio; neque enim nomine aut prænomine tantummodo contenti fuerunt, ſed cognomen & agnomen etiam adjunxerunt; quod etiam ſignificat Pauſanias in Achaicis cum eos tribus aut etiam pluribus nominibus uſos eſſe tradidit, ita: Ἐπεὶ καλοῦνταί γε οὐ πατρόθεν οἱ Ῥωμαῖοι μετὰ τῶν Ἑλλήνων, ἀλλὰ καὶ τρία, ὁπότε δὲ ὀλίγιστα, καὶ ἔτι πλείονα ὀνόματα ἑκάστῳ τίθενται. De quibus omnibus cùm ab aliis alia tradita ſint, quid ipſe ſentiam, non dicam; quid autem veteres ſenſerint, verbis eorum expoſitis, brevi concludam. Ac primum quidem nominabo Valerium, qui ita ait: *Omnia quæ ad unumquemque noſtrum definiendum excogitata ſunt, eandem vim ſignificandi hominis obtinent; quod per proprietatem dicitur, hoc diſtat, quia eo genus cognoſcitur; ideoque dicitur* Gentilicium; *cetera ordine variantur; nam quod præponitur*, Prænomen; *quod poſt fertur*, Cognomen; *quod ad ultimum adjicitur*, Agnomen *vocatur*. Neque vero aliter ſenſiſſe videntur Soſipater, Donatus, & Diomedes, grammatici non ſolum antiquitate, ſed etiam doctrina nobiles; quorum, ubi de propriis nominibus agunt, hæc verba ſunt: *Vocabulorum, quibus Romani capita recenſebant, quatuor genera ſunt; prænomen, nomen, cognomen,*

men, *agnomen*. Prænomen, *quod nomini gentilicio* (*differentiæ cauſſa*) *præponitur, ut Publius*; Nomen; *quod originem gentis declarat, ut Cornelius*; Cognomen, *quod nominibus gentilitiis ſubjungitur, ut Scipio*; Agnomen, *quod extrinſecus addi ſolet*, (*ex*) *aliqua ratione vel eventu quæſitum, ut Africanus*. Quod ſi quis hos fortaſſe, ut leves hujuſce rei auctores, repudiaverit, nunc animum referat ad ea quæ ſcripta ſunt apud Dionyſium, Plutarchum, Ciceronem, & Svetonium, auctores rerum Romanarum graviſſimos: à quibus hæc eadem opinio confirmatur. Dionyſius quidem nomen unum commune Romanis fuiſſe ait, alterum vero gentilicium; ſic enim de Lucumone ait: Μαθὼν ἐν Ῥωμαίων ἑκάςῳ κοινὸν ὄνομα κεῖται, καὶ μετὰ τὸ κοινὸν ἕτερον, ὃ δὴ συγγενικὸν αὐτοῖς ἐςι, καὶ * πατρωνυμικόν; ſic alibi commune nomen, appellat prænomen, ut de Attio Næo: Αὐτὸς μὲν ἐκαλεῖτο μετὰ κοινὸν ὄνομα καὶ προσηγορικὸν Νίβιος, τὸ δὲ συγγενικὸν, Ἄττιος. Eodem autem in loco Dionyſius commune nomen vocat Lucium; gentilicium vero, Tarquinium. Plutarchus vero in Coriolano ait ita: *Tertium igitur ei nomen Coriolano inditum eſt: ex quo intelligi poteſt, Cajum ei fuiſſe proprium nomen; Marcium vero, gentilicium*; id eſt: ἐκ τούτου τρίτον ἔσχεν ὄνομα τὸν Κοριολανόν, * ᾧ καὶ μάλιςα δῆλόν ἐςι τῶν ὀνομάτων ἴδιον ἦν ὁ Γάϊος· τὸ δὲ δεύτερον, οἰκίας ἢ γένους κοινόν, ὁ Μάρκιος. Idem etiam initio Marii. Ea verba, quia nimis multa viſa ſunt, atque etiam in promptu ſunt omnibus, non appoſui: quid tamen ille tradiderit, breviter mihi eſſe oſtendendum putavi. Sic igitur ille diſputat, ut varia & ipſe fuiſſe nominum genera dicat; quorum alia prima, alia ſecunda, alia tertia vocat. Ac prima quidem nomina, quæ propria; ut Cnæum, Lucium, Publium: ſecunda vero, quæ gentis cauſſa multis communia ſunt; ut Pompejos, Manlios, & Cornelios: tertia, quæ ab actione aliqua, vel à corpore, vel à moribus indita ſunt; ut Macrinum, Torquatum, & Sullam; & ſecundis quidem reſpondere apud Græcos Heraclidas ac Pelopidas; tertiis vero, Grypum & Callinicum putat. Quid, cum Cicero epiſtol. ad Attic. libro IV. ita ait: *Qui vetere prænomine, novo nomine T. erit Cæcilius*; & Svetonius in Cæſare, cum inquit: *Ut quod eo anno actum eſſet, Julio & Cæſare actum ſcriberent, bis eundem repetentes, nomine atque cognomine*; nonne ſatis oſtendunt, Titum quidem prænomen, Cæcilium vero & Julium nomina, Cæſarem vero cognomen eſſe? Hæc mihi ſatis multa, & ſatis firma viſa ſunt, quæ afferrem cum ad harum appellationum vim & naturam definiendam, tum ad eorum opinionem labefactandam, qui contra aut aliter ſenſerint aut ſcripſerint.

CAP. III.

Quot & quæ Prænomina fuerint; & unde ſingula ducta ſint.

CUm ergo multa vocabulorum genera ſint, quibus plerumque veteres Romani appellarentur, primum de prænominibus, poſt de reliquis, quid ſentiamus, dicendum eſt. Ac *prænomen* quidem * πρόνομον Græce dictum ſcribit Diomedes. Plutarchus autem modo *primum nomen*, modo *proprium nomen*; Dionyſius, ut oſtendi, *commune nomen* appellat. Vis autem Latini vocabuli ſatis perſpicua eſt; nam quod nomini præponitur, id *prænomen* dici voluerunt. Ex his autem prænominibus alia à Romanis, alia à finitimis populis frequentius uſurpata eſſe reperio. Romana autem ad triginta fuiſſe, ex Varronis ſententia tradit Valerius. Hæc autem fuiſſe videntur: Agrippa, Appius, Aulus, Cæſo, Cajus, Cnæus, Decimus, Fauſtus, Hoſtus, Lucius, Mamercus, Manius, Marcus, Numerius, Opiter, Poſtumus, Proculus, Publius, Quinctus, Servius, Sextus, Spurius, Tiberius, Titus, Tullus, Vibus, Volero, Vopiſcus. Peregrina vero, Ancus, Arruns, Lar, Lucumo, Metius, Numa, Petro, Pompo, Sertor, Tallus, Turnus, Voluſus. De quorum prænominum origine ac ſignificatione, quoniam qui de nominibus modo ſcripſerunt, nihil dixerunt, nos ſcribemus ea quæ à veteribus tradita, à nobis, quanta maxima fieri potuit diligentia, ſunt collecta.

AGRIPPA, Feſto auctore, vocatus qui cum labore matris ſit natus; exempli cauſſa, in pedes contra naturam, & non in caput; id eſt, ab ægro partu. Item Marcellus, & Quinctilianus lib. IX.

APPIUS, ex Sabinorum prænomine ACTIO venit, ut ait Valerius; idque Romæ Claudiorum fuit, quorum princeps *Actius Clauſus* dictus eſt. Livius lib. II. quo in loco multa in Scoliis diximus.

AULI dicti qui Diis alentibus naſcerentur. Valerius.

CÆSO, qui ex utero matris exſectus eſt. Feſtus, Valerius, Plinius lib. VII. cap. IX.

CAJUS, à gaudio patrum appellatus. Valerius.

CNÆUM, ob inſigne nævi, qui in corporibus gignitur.

FAUSTUM, à favore dictum ſcribit Valerius.

QUINCTUS, SEXTUS, DECIMUS, à numero dicti ſunt, teſte Varrone, ut qui quincto, ſexto, & decimo quoque loco eſſet natus, is demum primis temporibus Quinctus, Sextus, & Decimus diceretur.

HOSTUS, inquit Valerius, fuit prænomen in eo qui peregre apud hoſpitem natus eſt; fuitque prænomen Lucretii Tricipitini collegæ L. Sergii conſulis. Macrobius lib. Saturnal. primo, qui in hoſtico procreatus eſſet, eum *Hoſtum* vocatum fuiſſe ſcribit. Eſt autem mendum apud Valerium: *Hoſpes* enim legitur, non *Hoſtus*. Quod autem legendum ſit Hoſtus, ex eo intelligi poteſt, quod Livius Lucretium Tricipitinum, cujus Valerius meminit, Hoſtum vocat; & in conſulibus Capitolinis, Ann. CCCXXXVI. ſcriptum eſt, P. LUCRETIUS HOSTI F. Macrobius etiam libro I. Hoſti Hoſtilii mentionem facit.

LUCII duplex origo traditur à Valerio; aut enim à Lucumonibus Etruſcis dictus eſt, ut Lucumo Tarquinienſis, qui ſe L. Tarquinium appellavit; aut is demum Lucius appellatus eſt, qui lucis initio natus eſt. Quod ſcribit etiam Feſtus, & Varro.

MAMERCUS, prænomen gentis Æmiliæ fuit, de quo Plutarchus in Numa & Æmilio ſic: *Mamercus fuit Pythagoræ filius; à quo Numa Pompilius Rex filium Mamercum nominavit, qui auctor & princeps gentis Æmiliæ fuit.* Feſtus autem prænomen Oſcum eſſe putat; quod Oſci Martem Mamercum appellaverint.

MANIUS, dictus eſt qui mane eſt ortus: aut

aut ominis cauſſa, quaſi bonus: *Manum* enim *antiqui bonum dicebant*. Varro libro II. de Analogia, Valerius, Feſtus, Macrobius lib. I. Saturnal. Zoſimus autem Græcus hiſtoriarum auctor, libro I. tradit, Manium in gentem Valeriam profectum eſſe à quodam Valerio, qui primus ſacra Diis Manibus fecerit; ſic enim ait: Τίτον τὸν βωμὸν ὁ Οὐαλέριος ἀρών. καὶ τὴν θυσίαν καὶ τὰς παννυχίδας ἐπιτελέσας, ἐκλήθη Μάνιος Οὐαλέριος Ταραντῖνος. τούς τε γὰρ χθονίους θεοὺς, Μάνες καλοῦσι Ῥωμαῖοι, καὶ τὸ ὑγιαίνειν βαλῆρε.

MARCUS dictus eſt, qui menſe Martio natus eſt. Valerius.

DE NUMERIO ſic Feſtus: *Numerius prænomen nunquam antea fuiſſe in patricia familia dicitur, quam Q. Fabius, qui unus poſt ſex & treecentos ab Etruſcis interfectos ſuperfuit, inductus magnitudine divitiarum, uxorem duxit Otacilii Maleventani (ut tum dicebantur) filiam, ea conditione, ut qui primus natus eſſet, prænomine avi materni Numerius appellaretur*. Et Valerius ita: *Numerio ſola patricia familia uſa eſt Fabia; iccirco quod CCCVI. apud Cremeram flumen cæſis, qui unus ex ea ſtirpe exſtiterat, ducta in matrimonium uxore filia Numerii Otacilii Maleventani, ſub eo pacto, ut quem primum filium ſuſtuliſſet, ei Numerii prænomen imponeret, obtemperarit*. Hinc mendoſe apud Ciceronem lib. I. de Divinatione legitur ita: *His adjungatur etiam ſomnium Æneæ, quod innumerum Fabii Pictoris Græcis annalibus ſcriptum eſt*; cum ſit legendum: *quod in Numerii Fabii Pictoris*; fuit enim alter Fabius Pictor, prænomine Quinctus, qui de rebus Romanis Latine ſcripſit, Gellio & Nonio teſte, qui ejus ſæpe verba Latina proferunt; itemque Cicerone de legib. I. qui eum inter hiſtoricos Latinos numerat; at qui Græce iiſdem de rebus ſcripſit, is videtur fuiſſe Numerius nominatus, quem tamen I. lib. Dionyſius Quinctum nominat. Hac ratione in orat. pro Cluentio Numerios Aurios legimus: & lib. III. de orat. Numerium Furium: & lib. II. de Divin. Numerium Suffucium: & apud Pædianum, Numerium Quinctium.

OPITER dictus, cujus pater, avo vivo, mortuus eſt; quaſi qui poſt obitum patris genitus ſit; aut qui ob patrem avum habeat; quod prænomen Virginio Tricoſto conſuli fuit. Valerius, & Feſtus.

POSTUMUS, qui poſt humatum patrem eſt natus, Varro lib. II. de Analogia, & Plutarchus in Coriolano; ut Poſtumus Cominius, & Poſtumus Æbutius; de quibus Valerius. Nam Livii libri mendoſi erant, cum haberent *Poſtumius* pro *Poſtumus*; cum tamen Poſtumius, gentis nomen ſit; Poſtumus, prænomen.

PROCULUS, qui natus ſit patre peregrinante patria procul, ut ait Plutarchus in Coriolano. Valerius autem ait, qui patre ſene natus ſit, quaſi procul ætate progreſſo, cum Proculum eſſe vocatum.

PUBLII, ait Valerius, *qui prius pupilli facti erant quam prænomen haberent*: alii ominis cauſa à pube. Græci Πόπλιον cum ſcribunt, à populo derivatum innuunt.

SERVIUS is primum dictus eſt, quem ſerviens mulier peperiſſet, ut de Ser. Tullio rege ſcribit Dionyſius; at Valerius, qui mortua matre, in utero ſervatus eſſet.

SPURIUS dictus, qui ſine patre eſſet; antiqui enim iiſdem litteris S. P. *Spurium*, & *Sine Patre*, ſcripſerunt. Plutarchus in Quæſtionibus, & Valerius.

TIBERII, qui ad Tiberim naſcerentur. Valerius.

De TITO controverſia eſt. Valerius à Sabino quodam, nomine Tito, manaſſe ait: Feſtus, à *Titulo*. *Titulos* autem milites fuiſſe, quod patriam tuerentur, quaſi *Tutulos*.

TULUS, ominis cauſa dictus eſt, quaſi tollendus, *o* littera in *u* verſa. Valerius.

VOLERO, inquit Valerius, *in prænomen abiit, quia volentibus naſci liberis parentibus indebatur, quo uſus eſt Publilius Philo*. Quare in anno CCCLIII. Capitolino ita eſt, L. PUBLILIUS L. F. VOLER. N. PHILO.

VIBUM prænomen eſſe, indicat annus CCC. Capitolinus, ubi eſt ita: P. SESTIUS Q. F. VIBI N CAPITOLINUS. Itemque Livius libro XXVI. Vibus Virius.

VOPISCUS dictus, qui ex duobus conceptis, uno abortu excluſo, ad partum legitimum deduceretur: quo prænomine præcipue Julia gens uſa eſt. Valerius, Feſtus, Plutarch. in Coriolano, Plin. lib. VI. cap. IX. Sed de Romanorum prænominum vi ac ſignificatione hactenus. Peregrinorum autem multo obſcurior ratio & ſignificatio eſt.

ANCUM ſcribit Varro à Sabinis ortum. Valerius autem tradit eum Ancum eſſe appellatum, qui vitioſum habuerit cubitum, qui ἀγκὼν Græce dicitur; cui etiam Feſtus aſſentitur: *Ancus enim*, inquit ille, *vocatur qui aduncum habet brachium, ita ut regi non poſſit*. Hinc Ancus Marcius rex, & Ancus Poblicius imperator Lanuvinus contra Hoſtilium regem, Dionyſio auctore.

ARRUNTEM, & LUCUMONEM, Etruſca prænomina fuiſſe ſcribit Dionyſius. Itaque Arruntem Tarquinium Superbi regis filium, & Arruntem Tolumnium Porſenæ filium legimus.

VOLUSUS, Sabinum fuit; eoque uſus eſt pater P. Valerii Poplicolæ, Livio & Capitolinis lapidibus auctoribus: quamquam Græci Οὐόλεσον vocant.

LARTIS prænomen, ut tradit Valerius, à laribus ſumptum eſt. Tuſcum autem antecreditum eſt eſſe; fuitque conſulis Herminii. Idem fere Cariſius; & Priſcianus lib. V. *Lar, ſi familiaris eſt, facit* laris; *ſi Tolumnii Porſenæ*, Lartis. Et Servius in VI. Æneidos: *Lar Tolumnius, à Coſſo occiſus, à loco dictus eſt: flectitur autem* Lar Lartis. Et Livius libro IV. *Daturos quod Lar Tolumnius dediſſet*. Et Cicero Philippica IX. *Lar Tolumnius Vejentium Rex*. De Larte Porſena ita Dionyſius lib. V. Βασιλεὺς ὁ Κλουσιανῶν Λάρος ὄνομα, Πορσίνας ἐπίκλησιν. Quod autem hoc prænomen Herminii conſulis fuerit, ut ait Valer. id ex Dionyſii lib. IX. quoque cognoſcitur; à quo ita anno CCCIV. conſul ſcribitur: Λάρος Ἑρμίνιος: & à Diodoro Λαρῖνος Ἑρμίνιος. Ex his autem intelligi poteſt, quam vere ſcripſerint quidam in libro de Nominibus, ita: *Poſteaquam in urbem migrarunt Sabini, duplicari nomina cœperunt; ut, Numa Pompilius, Servius Tullius, Lartes Porſena; quamvis hoc nomen Etruſcum fuerit. In quo prænomine* LARTES, *ſciendum eo veluti prænomine uſos veteres. Servius interpres Vergilianus, ab oppido dictum putat. Itidem Plutarchus in Publicola exiſtimat; qui tamen* Λάρται *ſcribit, ſed male*. Hæc illi; quam autem vere, ipſi viderint; neque enim Lartes Porſena duobus tantum nominibus uſus eſt,

cum

cum ex Tolumnia gente fuerit, Servio & Priſciano (quos ante nominavi) auctoribus; A nec LARTES in recto caſu dicitur, ſed LAR, quod ſuperioribus teſtimoniis comprobatum eſt; nec Servius LARTEM ob oppido dictum ait, ſed à loco; nec item Plutarchus illo in libro, nedum in Poplicola, ab oppido dictum ait; neque item eſt apud Plutarchum Λαίρωνος, ſed Λάρος; quamquam mendoſe; inquit enim, *ἱκέτιδος Κλάρον Πορσίναν*: cum ſit legendum ex Dionyſio, *ἱκέτιδος Λάρον Πορσίναν*. Cur igitur hoc illi dixerunt? quia interpretem legerunt, qui ita vertit; *Supplex ad Laertem Porſenam confugit*. Illi vero, in Græcis libris verſati, quid in Græco codice eſſe deberet, intelligentes, illud, quod non erat, B eſſe affirmarunt.

METIUS, Albanorum prænomen fuit, ut in Metio Fufetio: & Sabinorum, ut in Metio Curtio: & Latinorum, ut in Metio Geminio, & Metio Octavio; de quibus Livius.

NUMA, Sabinorum fuit, ut in Numa Pompilio rege, & in Numa Marcio Pont. Max. de quo dixi in primum Livii librum.

POMPONIS prænomine uſus eſt Pompo Pompilius, Numæ regis pater. Dionyſius in Numa, & Livius lib. XLI. Itaque Numa etiam filium habuit nomine Pomponem, qui ex ſe gentem Pomponiam propagavit, auctore Plutarcho, quamquam quidam imperite C Pomponii filium Numam eſſe ſcripſerunt.

TALLUS, Sabinorum prænomen fuit, de quo Feſtus. Dionyſius etiam cum Tatio rege Sabinorum Romam commigraſſe ait Tallum cognomine Tyrannum.

TURNUS, Latinorum fuit; ut in Turno Herdonio Aricino.

SERTOR, auctore Valerio, dictus eſt, qui per ſationem natus eſſet; eoque prænomine Sertor Refius uſus eſt, is qui primus jus fetiale inſtituit. Feſtus autem Sertorem à prendendo dictum à quibuſdam ait, quia cum cuipiam afferat manum educendi ejus gratia ex ſervitute in libertatem, vocetur *adſertor*; cum veriſimilius ſit, dictum quod ſereret D quid; ac potius adſertorem à ſerendo accepiſſe nomen, cum aliquem ſerat, petendo in libertatem eandem qua ipſe ſit, id eſt, jungat, quia fruges, cum ſeruntur, terræ jungit.

STATIUM prænomen, à ſtabilitate dictum tradit Feſtus: ſervile autem nomen fuiſſe Gellius.

Quemadmodum Rom. prænomina ſcriberentur, & errores quidam in iis ſcribendis ſublati.

His rebus expoſitis, reliquum eſt, ut quod in ſcholiis etiam Livianis fecimus, qua ratione hæc ipſa prænomina ſcriberentur, tradamus. Id enim maxime rem, cauſſamque E continere videtur. Romanorum igitur prænominum alia ſingulis, alia binis, alia ternis literis ſcribi ſolita, cùm à veteribus traditum, tum ab antiquiſſimo quoque lapide, numoque ita retentum eſt, ut nihil ea re poſſit eſſe illuſtrius. Auctores ſunt Plutarchus in quæſtionibus, Soſipater, Donatus, & Priſcianus, quorum verba recitarem, ſi rem indigere probationis putarem. Singulis literis ſcribebantur, Aulus, Cæſo, Cajus, Quinctus, Decimus, Lucius, Marcus, Manius, Numerius, Publius, Titus, ut A. Poſtumius, C. Julius, K. Fabius, Q. Cæcilius, D. Junius, L. Licinius, M. Valerius, M'. Curius, N. Fabius; P. Cornelius, T. Manlius: Binis, Appius, Cnæus, Spurius, Tiberius, Opiter; ut Ap. Claudius, Cn. Pompejus, Sp. Veturius, Ti. Æmilius, Op. Virginius: Ternis, Mamercus, Sextus. Servius, Tullus; ut Mam. Æmilius, Sex. Julius, Ser. Cornelius, Tul. Hoſtilius. Neque vero horum omnium antiquæ notæ in libris ſunt conſervatæ, verum nonnullorum ita aut vetuſtate, aut negligentia ſunt deletæ, ut non ſolum nulla veſtigia nobis ſui reliquerint, ſed ipſa etiam in alia prænomina tranſmigrarint. Cui tamen incommodo nos & apud Livium, & in Faſtis ipſis ita occurrimus, ut & ſua cuique prænomina reddiderimus, & ea propriis cujuſque, quæ deſiderabantur, notis diſtinxerimus. Ac primum quidem, quoniam multos eſſe animadverti, qui D. Decium interpretarentur, notum quidem errorem, ſed errorem tamen tollere volui; nam præterquam quod Decius eſt gentis nomen, Græcorum etiam monumenta ſatis indicant, quoties in Libris Latinis, aut aliis ejuſmodi monumentis D. loco prænominis ſcriptum eſt, Decimum eſſe exponendum, quia Δέκιμον plerunque habent, non Δέκιον.

MANIUS ſcribebatur hoc pacto M'. Id autem ex eo argumento collegi, animadverti Curium Dentatum, quem libri Latini, Græcique plerunque Manium Curium nominant, in quarto ejus triumpho Capitolino ita deſcribi. M'. Curius, M. F. M'. N. DENTATUS, eadem ratione Valerium, qui anno CCLIX. dictator eſt, & à Dionyſio Manius Valerius dicitur, in fragmentis Capitolinis ita vocari: M'. VAL--. Præterea Conſules, qui anno CDXC. in Conſulibus Capitolinis M'. VALERIUS, & M'. OTACILIUS ſcribuntur, à Polybio Μάνιον Οὐαλέριον, & Μάνιον Ὀτακίλιον nominari. Hæc igitur ipſa cùm legiſſem, accuratior deinde factus ſum in Aciliis, & Aquilliis, Æmiliis, Sergiis, ceteriſque ejuſmodi ſuo prænomine decorandis, quos in antiquis monumentis iiſdem notis eſſe deſcriptos, apud Græcos ferè, aut Manios, aut Mallios finitimo errore vocatos eſſe reperiebam. Quibus rebus adductus tum prænomen, tum ejus antiquam notam linguæ Latinæ reſtitui, eaque ipſa re hiſtoriam ipſam Romanam, quæ magnam jacturam fecerat, ſublevavi. Puto autem veteres his notis M'. & M. diſtingui Manium à Marco voluiſſe, qui M. litera notatur. Iccirco autem dixi, & M-. Nam quæ nota in Capitolinis tabulis eſt M'. ea eſt in numis argenteis M-. ut M-. CORDIUS RUFUS. M-. ACILIUS IIIVIR VALETU. M-. SERGIUS SILUS. Quos numos cùm apud alios, tum maxime apud clariſſimum Virum Andream Lauredanum patricium Venetum repperi.

NUMERIUS N. litera ſcribebatur. Itaque ego & prænomen, & prænominis notam renovavi, quæ jam prorſus vetuſtate obſoleverat. Etenim cum hoc eſſe Fabiæ gentis prænomen ex Feſto, & Valerio didiciſſem, cumque ex Fabiis eum primum Numerium eſſe dictum, qui Q. Fabii filius eſſet, ejus, qui, CCCVI. ad Cremeram interfectis, ſuperfuit, ſcirem, eundemque in Capitolinis Conſulibus anno CCCXLVI. N. FABIUS Q. F. Q. N. VIBULANUS deſcribi animadverterem, non dubitavi, quin & in eo, & in ceteris Fabiis, qui N. Fabii ſcriberentur, Numerius eſſet interpretandum. Quod ipſum deinde ex Diomede,

de, & ex Valerii lib. IV. cap. III. apertius A etiam cognovi. Nam Diomedes Numerii prænomen N litera deſignatum fuiſſe ſcribit, & qui in Capitolinis triumphis N. FABIUS PICTOR ſcribitur, is à Valerio Numerius Fabius Pictor appellatur. Hæc autem nota eſt in L. SEXTIO SEX. F. N. N. SEXTIN. LATERANO, & in epigrammatis antiquæ urbis: N. JUNIO EPIGONO. In libris autem Latinis ita evanuerat, ut nullam prope ſui imaginem reliquiſſet, ſed in CN. & M. & C. evaſerat.

CÆSONIS etiam nota K. cùm interiiſſet, ex Terentio Scauro, & lapidibus Capitolinis reſtituta eſt. Quod tamen intellectu non admodum fuit difficile; nam cùm in Fabiorum B gente, quos Cæſonis filios, aut nepotes eſſe Livius, & Dionyſius ſcribunt, eos in marmoribus Capitolinis, K. F. K. N. deſcribi animadverterem, in eam veni ſententiam, ut pro K. Cæſonem eſſe intelligendum putarem, quam literam eos iccirco in hoc prænomine uſurpaſſe exiſtimo, ut à Cajo, qui C. litera notatur, internoſceretur, in quam literam paſſim in libris Latinis mutata erat.

TIBERIUM duabus literis notatum fuiſſe, & Probus tradit, & antiqua marmora teſtimonio ſunt, in quibus quoties TI. invenitur, ſemper Tiberius in Græcorum monumentis eſt ſcriptus, ut in Semproniis, Æmiliis, Claudiiſque Neronibus. Hæc autem ratio ſcribendi, præterquam in paucis, C hoc tempore ſervabatur. Quam certe in omnibus noſtri non neglexiſſent, ſi Plutarchi verba in quæſtionibus ſcripta attendiſſent, à quo inter ea prænomina, quæ duabus notantur literis, TIBERIUS numeratur, quanquam verba ejus mendoſa ſunt. Inquit enim alia prænomina binis fuiſſe notata literis, ὥσπερ τὸν Βίῤῥιον. ϗ' τὸν Γναῖον: cùm ſit legendum, ὥσπερ τὸν Τιβέριον; quam vocem omnes, qui hucuſque ejus loci teſtimonium protulerunt, fuerunt autem plurimi, quique eum librum Latine verterunt, ut ſupervacaneam omiſerunt. Miror autem amicum meum in libello de nominibus ita ſcribere: T. id eſt Titus, ut T. Ampius, quamvis D in Sempronio Graccho Tiberium ſignificet. in quo multi errant. Miror inquam. eum ea ſcribere, quæ neque ſcriptorum, neque lapidum, neque numorum auctoritate comprobare poſſit, cùm in omnibus ſit Ti. Sempronius, non T. Sempronius, niſi mendoſe.

MAMERCI prænomen, cùm eſſet prorſus tenebris vetuſtatis oppreſſum, in lucem produximus. Quod ipſum unà cum ejus nota debemus tum Capitolinorum marmorum, tum maxime Græcorum annalium monumentis.

TULLUS item, & OPITER eodem in numero poni poſſunt. Nam cùm ab omnibus paſſim integra ſcriberentur, ea à nobis ad antiquæ ſcripturæ formulam ex Priſciani & Probi E auctoritate redacta ſunt, ita ut ille tribus, hic duabus literis notaretur.

De SERVIO prænomine, quod nonnulli SERG. ſcribere cœperant, quaſi eſſet gentis Sergiæ nomen, non dicam: eſt enim error jam ſatis à multis exagitatus.

AGRIPPA modo omnibus literis deſcriptus eſt, modo pleriſque, ut in Capitolinis Conſulibus an. CCL. AGRIPPA MENENIUS LANATUS, & CCCXXXIV. MENENIUS AGRIP. F. Reliqua omnibus, ut anno CCCXXXVI. P. LUCRETIUS HOSTI F. & CCC. P. SESTIUS VIBI. N. & CCCXXXVIII. C. VALER. US VOLUSI. N. & CCCLIII. L. JULIUS VOPISCI N. at Volero pleriſque, ut CCCLIII. L. PUBLILIUS VOLER. N. Hactenus de notis prænominum, de quibus non ita admodum longa diſputatione opus fuiſſet, ſi amicus meus, qui de nominibus ſcripſit, in his tradendis, eadem, qua ceteris ſolet in rebus, diligentia uſus eſſet. Ille enim ſatis eſſe duxit admonuiſſe, quædam prænomina una litera notata, ut M. P. Q. L. C. D. T. quædam duabus, ut SP. AP. CN. quædam tribus, ut SER. SEX. quæ omnibus nota erant, quæ vero omnibus ignota, ea præteriit. Nihil enim de Manio, nihil de Numerio, nihil de Cæſone, nihil de Tiberio, & priſcis eorum notis, nihil de ſignificatione eorum, nihil de tota hac tam multiplici, & varia ratione, niſi quæ multis jam ſæculis ſciebamus, ſine ulla tamen auctoritate tradidit: ita ut nonniſi quatuordecim prænomina cognoviſſe videatur, aut certe, ſi plura cognovit, non, niſi ea, quæ omnibus erant in promptu, & quæ nulla ex parte depravata erant, docuiſſe, quæ autem interciderant, aut corrupta erant, pro notis præteriiſſe. Neque vero conſulto omiſiſſe poteſt, quippe cùm inter prænomina ſtatuat ea etiam, quæ prænomina non ſunt, ut LICINIUS, in Licinio Menenio Lanato apud Livium, cum Licinius ſit gentis nomen, & apud Livium legendum ſit L. Menenius Lanatus, quod ipſe in ſcholiis Livianis docui. Siquidem Diodorus eum nominat, Λεύκιον Μενένιον Λανάτον. Ergo ſi brevitati ſtuduit, cur ea, quæ prænomina non ſunt, pro prænominibus attulit? ſi nihil ex iis, quæ ab aliis, ut ipſe ſe facturum profitetur, dicta erant, prætermiſit, cur ignotiſſimum, & obſcuriſſimum quodque præteriit?

De duorum prænominum pronunciatione Caji & Cnæi.

Jam vero illa non contemnenda eſſe videntur, quæ de duorum prænominum pronunciatione à veteribus tradita ſunt Caji, & Cnæi. Quæ ipſa cum C litera notentur, G. tamen ſono pronunciari Diomedes his verbis teſtatur: „ G. nona conſonans eſt, in cujus locum „ C. ſolebat apponi, ut & hodie cum Gajum „ Cæſarem notamus, ſcribimus C. Cæſarem, „ ideoque poſt B. literam tertio loco digeſta „ eſt, ut apud Græcos Γ poſita reperitur in „ eo loco „ & alibi ;„ : N. prænominis nota „ Numerium ſignificat, & præpoſita ſibi G. „ Gnæum, quem antiqui Cnæum ſcribunt. „ Et Valerius „ : Cnæi prænomen varia ſcrip- „ tura notatum eſt: alii enim Cnæum, alii „ Gnæum, alii Næum ſcripſerunt. Qui G. „ litera in hoc prænomine uſi ſunt, antiquitatem ſequuti eſſe videntur, quæ multum ea „ litera uſa eſt, olim enim dicebant frugmentum, poſt frumentum, olim gnaturam, poſt „ naturam: itaque etiam qui in corporibus „ nævus gigni ſolet Gnævus appellatur, qui „ Cnæum dixerunt, corruptione ſyllabæ dele- „ ctati eſſe videntur, qui Næum, levitate.

Quæ prænomina pro cognominibus uſurpata ſint.

Fuiſſe præterea aliquot etiam prænomina, quæ longo poſt tempore pro cognominibus uſurpare cœperint, ex vetuſtis non ſolum grammaticis, ſed etiam annalibus intelligitur. Quod ipſum in Agrippa, Voluſo, Mamerco,

Proculo, & Tullo facile perſpici poteſt, quæ in L. Vipſanio Agrippa, L. Valerio Voluſo, M. Æmilio Mamerco, C. Plautio Proculo, L. Volcatio Tullo viris Conſularibus cognomina eſſe perſpicuum eſt. Quod etiam tradit Valerius his verbis: *Quæ olim prænomina fuerunt, nunc cognomina ſunt, ut Poſtumus, Agrippa, Proculus*. Itemque Priſcianus lib. II. his: *Inveniuntur autem multa, quæ in aliis perſonis ſunt prænomina, loco cognominum accipi*.

De prænominibus feminarum.

Sane reſtat, ut quoniam de virorum prænominibus ſatis dictum eſt, de feminarum prænominibus dicendum eſſe videatur, quod eo accuratius mihi faciendum eſſe exiſtimo,
B quod amicus meus nulla antiquorum auctoritate adductus ſuo jure feminas Romanas omnino caruiſſe prænominibus docuit. Sic enim in lib. de Nominibus loquitur „: Mulieres à „ nomine gentis vocabantur, & uno tantum „ nomine, ut Porcia, Cornelia, Julia, Tullia. Item Plutarchus in Problemat. ubi „ quærit, cur maribus nono, feminis octavo „ die nomina imponerentur, ait: Mulieres „ uno, aut duobus appellabantur nominibus. „ Ego duobus appellari nunquam obſervavi, „ ni fortaſſe prænomen illud ſignificare vo- „ luit Plutarchus, quod eſt omnibus mulie- „ ribus commune, ut dicerentur Cajæ. „ Hæc ille ſe obſervaſſe ait. Ab hac autem obſerva-
C tione omnia tum auctorum, tum lapidum etiam veterum teſtimonia maxime diſſentiunt. Scriptorum primum verba recitabo, poſt lapidum. Valerius ita „: Antiquarum mulierum „ frequenti in uſu prænomina fuerunt Rutil- „ la, Ceſella, Rodocilla, Mutrulla, Burra. „ Iſta prænomina à virilibus tracta ſunt Ca- „ ja, Lucia, Publia, Numeria. „ Feſtus vero ita „: Prænominibus feminas uſas eſſe te- „ ſtimonio ſunt Cæcilia, & Tarratia, quæ am- „ bæ Cajæ ſolitæ ſint appellari, pari modo „ Lucia & Tita. „ Varro autem ita „: In „ noſtris nominibus, qui ſumus in Latio, & „ liberi, analogia neceſſaria, itaque ibi appa-
D „ ret analogia, ac dicitur Terentius vir, Te- „ rentia femina, Terentium genus. In præno- „ minibus ideo non fit item, quod hæc inſtituta „ ad uſum ſingularia, quibus diſcernerentur „ nomina gentilitia, ut à numero, (Prima,) „ Secunda, Tertia, Quarta. In viris ut Quin- „ tus, Sextus, Decimus, ſic ab aliis rebus „ cùm eſſent duo Terentii, aut plures, diſcer- „ nendi cauſſa, ut aliquid ſingulare haberent, „ notabant forſitan ab eo, qui mane natus „ diceretur, ut is Manius eſſet, qui luci Lu- „ cius, qui poſt patris mortem Poſtumus. E „ quibus quædam item cecidiſſe in feminis, „ proportione appellata declarant prænomina „ antiqua mulierum. Mania, Lucia, Poſtu-
E „ ma. Videmus enim Maniam matrem La- „ rum dici, Luciam Volumniam Saliorum „ carminibus appellari; Poſtumam à multis „ poſt patris mortem etiam nunc appellari. Iccirco autem dixit, *quædam*; nam paulo ante dixerat, non quia *Marcus* & *Numerius* dicitur, iccirco *Marcam* & *Numeriam* dici. Poſtremo Plutarchus in Mario Poſidonium reprehendit, qui, cum primum nomen proprium eſſe diceret, nulli tamen mulieri primum nomen eſſe dicebat, ex quo efficiebatur, mulieres proprio nomine caruiſſe. Itaque idem in quæſtionibus aperte ſcribit, mulieres duobus, viros tribus nominibus eſſe uſos, ſic enim ait:

A Χρῶνται δὲ δυσὶ ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄῤῥενες. Itaque miror amicum meum, Græcarum literarum peritum, ita vertiſſe: *Mulieres uno aut duobus appellabantur nominibus*. Non enim Plutarchus inquit, *uno*, *aut duobus*, verum expreſſe *duobus*. Idem præterea auctor eſt Romulum ex Erſilia filiam unam ſuſcepiſſe, eamque ab ordine procreationis primam appellaſſe: itemque Sullæ dictatori filiam ex Valeria eſſe natam, eandemque quia poſt obitum patris nata erat, Poſtumam eſſe vocatam.

Hæc ex auctoribus, quibuſcum lapidum etiam teſtimonia conſentiunt. Extant epigrammata duo Mutinæ vetuſtiſſima, unum in
B turri D. Geminiani, alterum apud eruditiſſimum virum Ludovicum Caſtelvetrum, in quibus PRIMÆ mentio eſt. Ea verò ſunt hæc:

SALVIA C. F.
PRIMA FECIT.
&
SEX. TULLIUS SEX. F. V. SIBI ET
SUIS, ET PRIMÆ VALERIÆ SP.

Et in multis epigrammatis antiquæ urbis ſ JULIA SECUNDA, & CORNELIA SECUNDA. Item in eodem libro: TERTIÆ PRISCIÆ IONIA SALVIA. *Tertiam* item
C *Juniam* legimus apud Suetonium in Cæſare, & apud Macrobium lib. II. quam *Tertullam* vocat Cicero lib. XIII. epiſtolarum ad Atticum; & Valerius Paullo Æmilio filiam fuiſſe ait nomine TERTIAM; unde Paullus apud Ciceronem: *O mea Tertia*, inquit. De *Quarta* eſt inſcriptio vetus in prætorio Patavino ejuſmodi:

T. LIVIUS
LIVIÆ T. F.
QUARTÆ L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
D SIBI ET SUIS
OMNIBUS

Et apud Livium lib. XL. *Quarta Hoſtilia* memoratur. *Quinctæ* mentio eſt apud Livium libro XXVIII. ut *Quincta Claudia*. Item apud Ciceronem in oratione pro Cœlio, & de aruſpicum reſponſis; præterea epigrammata duo apud Horatium Malegutium clariſſimum juvenem ſunt in agro Regienſi ejuſmodi:

QUINCTÆ NONIÆ
RUFÆ. ET
NONIÆ. Q. F. QUINCTULÆ
&
E SEPTIMIUS
Ↄ. L. NICEPOR-
SEPTIMIA
SP. F. QUINTA

De *Lucia* exſtat etiam tale Mutinæ monumentum in ſepulcro marmoreo:

MEMORIÆ CLA. FEM.
L. PÆDUCEÆ JULIANÆ
MORIBUS. NATAL. AC PUD. PRISCIS
INLUSTRIBUSQ. FEMI. COMPARANDA.
QUÆ VIXIT ANNOS XIII. D. XLVII.
CUM MARITO FECIT ME. V. D. XX.
L. NONIUS VER.

De

De *Mania* tale eſt in lib. epigrammatum antiquæ urbis:

M'. ACILIÆ M'. F. JUSTINÆ
P. SIRIUS SERPICAMUS MARITUS
UXORI OPTIMÆ ET KARISSIMÆ.

Et alio loco:

POPIDDIA SP. F. A. XIIX.
JULIA PROCULA F. EJUS. V. A. X. M. III.

Eſt autem PROCULUS Juliorum prænomen, ut in Proculo Julio regnante Romulo: de quo Livius & Dionyſius. In eodem libro eſt T. FLAVIA AUG. L. multaque ejuſmodi alia. Quibus ex omnibus cum illud intelligi arbitror, de quo dicere cœperam, mulieres præter Cajam, alio aliquando prænomine eſſe uſas; tum illud etiam, quod idem ne fieri quidem umquam ſe obſervaſſe profitetur, prænomina modo præponi, modo poſtponi conſueviſſe; ſiquidem *Primam Valeriam*, & *Salviam Primam*; ac *Quartam Hoſtiliam*, & *Liviam Quartam*; ac *Quintam Noniam*, & *Noniam Quinctulam* ſcriptas eſſe, animadverti poteſt. Quod idem in viris Livius etiam fecit, qui *Attius Tullus*, *Attius Nævus*, *Manlius Cnæus*, & *Octavius Metius*; & Cicero, *Maluginenſis M. Scipio*; & Suetonius, *Claudius Appius Regillanus*, & alia ejuſmodi dixerunt. CAJAM præterea, quod commune omnibus mulieribus prænomen fuit, Ɔ inverſa notatam fuiſſe, contraque *Cajum* in viris, ſatis eſt ex Probo, aliiſque veteribus grammaticis, atque lapidibus, perſpicuum.

De prænominibus imponendis.

Nunc, quoniam ad rem pertinet, quid de prænominibus imponendis veteres ſenſerint, explicemus. Ac ſane qui de tempore tradunt, quo ea imponerentur, auctores habeo nobiles illos quidem & magnos; verum ita inter ſe diſſidentes, ut utram ſequaris ſententiam, facile ſtatuere non poſſis, niſi aliud aliis temporibus obſervatum eſſe intelligas. Quid eſt enim tam diſſimile, quam ea quæ à Valerio, & à Plutarcho, Feſtove ſcribuntur? quorum ille pueris non priuſquam togam virilem ſumerent, puellis non antequam nuberent; hi vero, maribus quidem nono, feminis autem octavo die imponi conſueviſſe prænomina tradunt. Verba Plutarchi ſunt hæc in Quæſtionibus Τῶν μὲν παίδων τοῖς μὲν ἄῤῥεσιν ἐνναταίοις τοῖς δὲ θηλείαις ὀγδοαίοις τὰ ὀνόματα τίθενται. Feſti vero hæc: *Luſtrici dies infantium appellantur, puellarum, octavus; puerorum, nonus; quia his luſtrantur, atque eis nomina imponuntur.* De ratione autem imponendi ſatis conſtat, ſuis quemque filiis ea prænomina indidiſſe, quæ ſuæ eſſent cujuſque familiæ maxime propria; ac primum quemque filium patris eſſe prænomine plerumque uſum, eandemque deinceps rationem in adoptivis filiis, & libertis, & novis civibus, eſſe ſervatam, ut, à quo quiſque adoptatus eſſet, aut per quem quiſque vel libertatem vel civitatem conſequutus eſſet, ejus maxime nomina uſurparet. At primum quidem quod dixi, ſuæ quemque familiæ propria prænomina impoſuiſſe, & non omnia omnibus familiis prænomina fuiſſe communia, ſed alia aliis fuiſſe familiaria. APPIUS enim vix in alia quam in

A Claudia gente patricia reperitur. MARCO ne quis uteretur, decreto gentis Manliæ patriciæ cautum eſſe; LUCIUM à Claudiis repudiatum; CNÆUM & LUCIUM à Domitiis Ahenobarbis tantum fuiſſe probatos Suetonius in Tiberio & in Nerone tradit. Quod autem plerumque primus quiſque filius prænomen patris tulerit, id ex familiis iis quas in Scholiis Livianis digeſſimus, animadverti poteſt. Fuiſſe autem quandam diſtinguendi rationem, ſi eodem pater & filius prænomine præditi eodem tempore floruiſſent, hinc intelligi licet, quod Cicero Q. Q. Catulos modo patre, modo filio, modo ſene, modo adoleſcente diſtinguit; quod idem de Q. Q. Fabius Liviis, de C. C. Curionibus Suetonius. Neque
B vero de adoptivorum appellatione multa mihi eſſe dicenda exiſtimo, cum à multis jam res ſit ex veterum annalium obſervatione tractata. Illud tamen dicam, Dionem libro XL. & XLVI. hujus auctorem ſententiæ eſſe; qui adoptarentur ab aliquo, eos nomina illorum omnia, à quibus adoptarentur, ferre conſueviſſe; ſuum vero gentilicium nomen retinuiſſe illud quidem, ſed aliquo tamen modo commutaſſe: ut, *C. Octavius* qui dicebatur, poſteaquam à C. Julio Cæſare eſt adoptatus, *C. Julius Cæſar* appellari cœptus eſt; ita tamen ut gentilitium Octavii nomen non deſereret, ſed id quodammodo commutaret, &
C *Octavianum* pro *Octavio* redderet. Idem in *P. Cornelio Scipione Æmiliano*, & in *L. Manlio Acidino Fulviano*, & in *P. Licinio Craſſo Muciano* factum eſt: qui omnes ab eo, à quo adoptati erant, nomina ſumpſerunt. Eodem ſpectans Cicero lib. epiſt. ad Att. III. dixit: *Cicero ſalutem Q. Cæcilio Pomponiano Attico.* Eodem etiam referuntur ea quæ ab eo ſcripta ſunt lib. VII. *Dolabellam video Liviæ teſtamento cum duobus coheredibus eſſe in triente; ſed juberi mutare nomen.* Quod autem ſcribit Dio, id etiamſi verum eſt, non ab omnibus tamen ubique retentum eſt. Neque enim Aurelius Oreſtes, qui à Cn. Aufidio; nec Calpurnius Piſo, qui à M. Pupio (ut ſcribit pro domo
D Cicero) adoptati fuerunt, aut *Aurelianus*, aut *Calpurnianus* appellati ſunt: ſed ille, Cn. Aufidius *Oreſtes*; hic, M. Pupius *Piſo* nominatus eſt. Eadem etiam ratione ne P. quidem Cornelius Scipio, qui, Dione auctore, à Q. Metello Pio; nec M. Junius Brutus, qui, teſte Plutarcho, à Q. Servilio Cæpione ſunt adoptati, aut *Cornelianus*, aut *Junianus*; ſed ille, Q. Cæcilius Metellus Pius *Scipio*; hic, Q. Servilius Cæpio *Brutus* eſt appellatus; ut Dio lib. XL. Cicero in Philippicis, nummi argentei teſtantur; in quibus nummis eſt ita:

Q. METELLUS PIUS
SCIPIO
E Q. CÆPIO BRUTUS
PRO COS.

Metellus autem hic Scipio P. Cornelii Scipionis Naſicæ filius naturalis fuerat, teſte Dione: qui ita ait lib XL. Ο Πομπήϊος Κύϊντον Σκιπίωνα, πενθερόν οἱ ὄντα, προσείλετο· ἦν γάρ γένει μὲν υἱὸς τοῦ Νασικᾶ ὤν, ἐκ δὲ τῆς κλήρου διαδοχῆς ἐς τὸ τοῦ Μετέλλου τοῦ εὐσεβοῦς γένος ποιηθείς; id eſt, *Pompejus Q. Scipionem ſocerum ſibi collegam aſcivit; qui naturalis filius fuit Naſicæ ille quidem, at adoptatus a Q. Metello Pio.* Quod cum ita ſit, neſcio quid in mentem amico meo venerit ſcribere in libro de nominibus ita: *Cicero*

lib.

lib. epiſt. ad Att. VI. *Scipionem hic Metellus, proavum ſuum, neſcit cenſorem non fuiſſe. Significat Scipionem Aſiatici illius filium, qui adoptatus fuit à Q. Metello Pio.* Cur mirer, hæc caussa eſt; nemo enim Aſiatici filium fuiſſe Scipionem hunc ſcribit; niſi, quem hic ſequitur, Dionis interpres. Neque vero omnino hic Scipio Metellus Aſiatici filius eſſe potuit, ſed Naſicæ; primum quia hic idem P. Cornelius Scipio apud Eutropium, & Eutropii Græcum interpretem Pæanium, nominatur; & P. Scipio in Epitomis, & apud Ciceronem pro domo dicitur, cum ait: *A qui C. Atinius patrum memoria bona Q. Metelli, qui eum ex ſenatu cenſor ejecerat, avi tui, Q. Metelle; & tui, P. Servili; & proavi tui, P. Scipio; Aſiatici vero, Lucii prænomen tulerunt;* deinde quod in Bruto avum hujus vocat P. Scipionem Naſicam oratorem; proavum P. Scipionem Naſicam Serapionem, oratoris patrem; abavum vero P. Scipionem Naſicam Corculum, Serapionis patrem; quæ cum in Aſiatici filium cadere nullo modo poſſint, in Naſicæ certe maxime cadunt, hoc modo:

I P. Scipio Naſica Corculum; cos. 591. 598; abavus Scipionis Metelli.

II P. Scipio Naſica Serapio; cos. 615; proavus Metelli Scipionis.

III P. Scipio Naſica orator; avus Scipionis Metelli; cos. 642. uxor Cæcilia Macedonici filia.

IV P. Scipio Naſica; pater Metelli Scipionis.

V P. Scipio Naſica; qui adoptatus à Q. Metello Pio, Q. Metellus Pius Scipio dictus eſt; cos. 701.

I C. Lælius, cos. 613; abavus Scipionis Metelli.

II Lælia filia, uxor Q. Mucii Scævolæ Aug. cos. 636; proavi Scipionis Metelli.

III Mucia filia, uxor L. Licinii Craſſi oratoris, cos. 658; avi Scipionis Metelli.

IV Licinia filia, uxor P. Scipionis Naſicæ, patris Metelli Scipionis.

V P. Scipio Naſica, qui adoptatus à Q. Metello Pio, Q. Metellus Pius Scipio dictus eſt; cos. 701.

Deſcripſi autem etiam maternos Metelli avos ex Ciceronis ſententia in Bruto, ne quis eundem de maternis, non de paternis intellexiſſe ſuſpicari poſſet, atque ita rem (quod fieri ne hoc quidem pacto poteſt) ad Aſiaticos traheret. Hæc autem commutandorum ex adoptione nominum ratio, cum in aliis, tum maxime in M. Licinio Lucullo C. Caſſii in conſulatu collega, Ciceronis interpretes decepit, qui cum in Verrem M. Terentium, C. Caſſium cos. ac *legem Terentiam & Caſſiam* nominaret, mendum eſſe in Terentio, & Licinium reponendum eſſe duxerunt; quod profecto non feciſſent, ſi adoptionem ſubeſſe intellexiſſent: quod ex fragmento illius conſulatus Capitolino colligitur, in quo ita eſt: M. TERENTIUS M. F. VARR. LUCULLUS, C. CASSIUS. Ita etiam alibi: A. TERENTIUS VARRO MURENA; neque enim *Murena* Terentiorum, ſed Liciniorum, ut *Lucullus*, cognomen fuit..

Tranſeamus ad ſervos. Non eſt autem dubium, quin, quemadmodum cum ſervitutem ſerviebant, prænomen domini ſequebantur, ita ut *Lucipores, Marcipores, Publipores, Quinctipores*, quaſi Lucii, Marci, Publii, & Quincti pueri dicerentur, ut à Plinio & Quinctiliano ſcriptum eſt: ita etiam in libertatem vindicati, patroni, à quo manumiſſi eſſent, nomina uſurpaverint; nam præterquam quod exemplo ſunt M. Tullii Ciceronis liberti duo, quorum alter *M. Tullius Tiro*, alter *M. Tullius Laurea* dictus eſt, & *Livius Andronicus* poëta, quem à M Livio Salinatore, cujus filios erudierat, libertate donatum ſcribit Euſebius in Chronicis: id etiam ex verbis Ciceronis ad Attic. lib. IV., & Artemidori lib. primo effici poteſt. Cicero enim de Eutychide ſervo Attici manumiſſo ita loquitur: *De Eutychide gratum; qui vetere prænomine, novo nomine, T. erit Cæcilius, ut ex me & ex te junctus M. Pomponius.* Artemidorus autem de ſervi cujuſdam ſomnio ita: *Cognovi*, inquit, *quendam, qui cum ſibi videretur tria pudenda habere, ex ſervitute in libertatem vindicatus, pro uno nomine tria accepit, duobus nominibus ab eo, à quo manumiſſus fuerat, ſumptis.* Jam vero eos qui in civitatem ſuſcepti eſſent, illorum potiſſimum nomina tuliſſe, quorum beneficio civitatem impetraſſent, Latinorum ſcriptorum exempla oſtendunt; nam & Cicero ad Acilium ita ſcribit: *Cum Demetrio Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt; ei Dolabella rogatu meo civitatem impetravit: qua in re ego interfui; itaque nunc P. Cornelius vocatur;* itemque in Verrem: *Q. Lutatius Diodorus, beneficio Q. Catuli à Sulla civis Romanus factus;* eademque ratione de Dione, qui beneficio Q. Metelli civis factus, *Q. Cæcilius Dio* eſt appellatus. Et Cæſar lib. primo de bello Gallico, ita: *Commodiſſimum viſum eſt, M. Valerium Procillum, C. Valerii Caburi filium, cujus pater à C. Valerio Flacco civitate donatus erat, mittere.*

CAP. IV.

Cur Gentilicia nomina in IUS *deſinant, & quid gens ſit, quidque à familia differat.*

HIs rebus expoſitis, reliquum eſt ut de nominibus gentiliciis agamus; de quibus amicus meus ſic ſcripſit: *Sciendum omnia nomina, quibus familiæ ſignificantur, proferri in* IUS; *ut Porcius, Cornelius, Julius;* recte ille quidem; ſed parum ad rem tantam. Illud enim docti hominis, & Romanæ antiquitatis peri-

A periti erat, cauſſam oſtendere, eamque vete-
rum uſu & auctoritate probare; quam ipſe, ſi
potero, exponam. Credo enim eos ita facti-
taſſe, ut gentis originem ejuſmodi derivatione
ſignificarent; ut quemadmodum in voce deri-
vatio verbi, ſic gentis etiam, quæ voce illa
exprimeretur, principium in voce appareret.
Siquidem antiquiſſimam quamque gentem aut
à viro, aut à loco, tamquam à fonte aliquo
manaſſe, & nomen accepiſſe, perſpicuum eſt:
ita quidem, ut hæc derivationis ſignificatio in
omnibus ſtudioſiſſime conſervata ſit. Hanc au-
tem conſuetudinem ſi in paucis quibuſdam
gentibus, & antequam urbs conderetur, &
poſtquam condita eſt, ſub regibus conſulibuſ-
B que diligentiſſime retentam eſſe oſtendero, tum
neminem fore puto, qui contradicat. Age
enim cur Juliam gentem credimus, aut Æmi-
liam, aut Atiam, aut Nautiam, hanc ejuſmodi
terminatinnem adeo religioſe ſervaſſe, niſi ut
appareret in voce quod in re exſiſtit, ab ali-
quo ipſas initio derivaſſe? eſt autem ita. Nam
Julia gens, Iulum, Æneæ; *Æmilia*, Æmi-
lium, Iuli filium; *Atia*, Atim; *Nautia*, Nau-
tem, Trojanos viros ſui generis auctores nun-
cupant. At vero condita urbe, nonne id etiam
obſervatum eſt? Scribit enim Plutarchus, Nu-
mam regem filios quatuor reliquiſſe, Pompo-
nem, Calpum, Pinum, & Mamercum; ab iiſ-
que *Pomponiam*, *Calpurniam*, *Pinariam*, &
C *Mamerciam* gentes Romæ propagatas. L. au-
tem Tarquinium Priſcum ſcribit Dionyſius
Damarati Corinthii fuiſſe filium; & cum Tar-
quiniis viveret, *Lucumonem* Etruſco prænomi-
ne fuiſſe vocatum; ubi vero Romam commi-
gravit, ad morem Romanum ſibi nomina
compoſuiſſe; itaque communi nomine ſe pro
Lucumone *Lucium*; gentilicio vero, à Tar-
quiniis urbe, non ſe Tarquinienſem, ſed *Tar-
quinium* appellari voluiſſe. Idem fecit Ap.
Claudius, qui ex Regillo Sabinorum oppido,
poſt reges exactos anno ſexto, ſe cum clien-
tibus Romam contulit. Etenim cum *Clauſus*
ante diceretur, non jam amplius Clauſum,
ſed *Clauſium*, poſt *Claudium* dici ſe, ubi Romæ
D domicilium collocavit, oportere exiſtimavit.
Itaque ab eo ceteri omnes Romæ Claudii no-
minati ſunt. Id autem ita eſſe, ex eo etiam
intelligi poteſt, quod ait Priſcianus lib. II.,
nomina hæc in IUS apud Romanos idem va-
lere, quod apud Græcos *patronymica*; verba
ejus ſunt hæc: „ Nominum derivatorum mul-
„ ta genera ſunt; quorum patronymicum, id
„ eſt, quod à propriis tantummodo patrum
„ nominibus derivatur ſecundum formam Græ
„ cam, quod ſignificat cum genitivo primi-
„ tivi filios vel nepotes; ut Æacides, Æaci
„ filius, vel nepos; pro quo Romani nomi-
„ nibus familiarum utuntur, ut Cornelii; om-
„ nes enim ab illo qui primus Cornelius ap-
E „ pellatus eſt, hnc nomen habuerunt, qui-
„ cumque ejuſdem familiæ ſunt; ſicut omnes
„ minores Theſei, Theſidas Græci appella-
„ runt. Hæc ille. Idem autem ſentit etiam
Dionyſius, qui in Tarquinio Priſco hæc no-
mina *συγγενικά* & *πατρωνυμικά* vocat. Neque
vero dubium eſt, quin hæc tota ratio termi-
nandi uſque ad reipublicæ interitum incorru-
pta pervenerit. Nam etſi nonnullos quaſi gen-
tilicii nominis expertes eſſe reperimus, ut *M.
Perpernam*, & *C. Norbanum* conſulares, quos
ita & in libris & in Capitolinis marmoribus
nominari videmus; id tamen contigiſſe vide-
tur, aut quod ii cognomine magis quam no-

mine delectati ſunt, ut *M. Agrippa*, cujus
gentilicium nomen in omnibus lapidibus omiſ-
ſum eſt, cum tamen ex Vipſaniorum eum
gente fuiſſe Nepos & Dio tradiderint: aut cer-
te quod ea nobis ignota ſunt. Quæcumque
autem cauſſa ſit, non eſt quod exiguus horum
numerus tam religioſam tot aliorum conſue-
tudinem impediat; præſertim vero amico meo
ſummo viro auctore, qui ita habere omnia
ſine ulla exceptione aſſeveravit. Quid autem
ſit gens, unde ipſa nomina gentilicia dicta
ſunt, ac quid à familia differat, nunc dicamus.
Inter gentem & familiam illud intereſt, quod
GENS ad nomen, FAMILIA ad cognomen
refertur. Itaque illa, tamquam totum conti-
nere videtur; hæc, quodammodo partem;
exempli gratia: Valerii omnes unius eſſe gen-
tis dicuntur, quia uno nomine continentur
omnes; at vero partes gentis hujus ſunt plu-
res, quæ ex cognominum varietate diſtinctæ
ſunt; eæque familiæ nominantur: ut in gente
Valeria Maximi, Meſſallæ, Flacci, Lævini,
Faltones: in Cornelia, Scipiones, Lentuli,
Dolabellæ, Sullæ, Cinnæ: in Æmilia, Ma-
mercini, Lepidi, Paulli, Scauri, Barbulæ;
itemque in ceteris; at vero Valerii omnes
unius ſunt gentis; itemque Cornelii atque
Æmilii. Itaque recte Feſtus gentem definit
eam, quæ ex multis familiis conficeretur.
Quod autem intereſt inter gentem & fami-
liam, idem intereſt inter *Genus* & *Stirpem*.
Quæ quidem ita eſſe, ex his veterum hiſto-
riarum verbis intelligitur; Svetonius in Galba:
„ Imagines univerſi generis exſequi, longum
„ eſt; familiæ, breviter attingam. Qui pri-
„ mus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit,
„ cur aut unde traxerit, ambigitur. Et Livius
lib. XXXVIII. „ P. Scipio Naſica orationem
„ habuit plenam veris decoribus, non com-
„ muniter Corneliæ gentis, ſed proprie fami-
„ liæ ſuæ. „ Et apud Svetonium Cæſar: „ Ab
„ Anco Marcio ſunt Marcii reges; quo nomi-
„ ne fuit mater; à Venere, Julii; cujus gen-
„ tis familia eſt noſtra; & in Auguſto: Gens
„ Octavia, à Tarquinio Priſco rege inter Ro-
„ manas gentes allecta, mox à Ser. Tullio in-
„ ter patricias tranſducta; primus ex hac ma-
„ giſtratum cepit C. Rufus; is quæſtorius
„ Cnæum & Cajum procreavit: à quibus du-
„ plex Octaviorum familia defluxit, condi-
„ tione diverſa. „ Et Cicero in Bruto: „ Fune-
„ bres orationes ipſæ familiæ quaſi ornamen-
„ ta ſervabant ad uſum, ſi quis ejuſdem ge-
„ neris occidiſſet. „ Et Livius lib. nono: „ Duo-
„ decim Potitiorum familias fuiſſe, cum gens
„ Potitia tota interiit; & lib. primo: Julia
„ gens, Iulum auctorem ſui nominis nuncu-
„ pat; & libro ſeptimo ſic loquitur Valerius
Corvus: „ Non ſi mihi novum hnc Corvi
„ cognomen diis auctoribus homines dediſtis,
„ Poplicolarum vetuſtum noſtræ familiæ co-
„ gnomen memoria exceſſit; & lib. XL. Inde
„ cognomen familiæ inditum, ut Annales ap-
„ pellarentur. Et Catullus, *non decet tam ve-
tus ſine liberis nomen eſſe*, id eſt, tam veterem
gentem, qualis erat Manlia. Hæc de gente,
familia & genere; nunc de ſtirpe dicam. Cic.
pro Rabirio: „ Qua in familia laus aliqua
„ forte floruerit, hanc fere, qui ſunt ejus ſtir-
„ pis, cupidiſſime perſequuntur; „ & primo de
legibus: „ Hic orti ſtirpe antiquiſſima ſumus;
& in Lælio: „ Qui aliquandiu propter igno-
„ rantiam ſtirpis & generis, in famulatu fue-
„ runt; & lib. primo de oratore: „ Quid? qua

„ de re inter Marcellos & Claudios patricios „ centumviri judicarunt, cum Marcelli à liberti filio ſtirpe, Claudii patricii, ejuſdem „ hominis hereditatem gente ad ſe rediſſe dicerent; nonne in ea cauſſa fuit de toto ſtirpis & gentilitatis jure dicendum? Et Svetonius in Claudio: „ Claudius Cn. Pompejo „ antiquiſſimæ ſtirpis Magni cognomen ademit. Quæ autem ratio eſt inter gentem & familiam, eadem eſt inter gentiles & agnatos; ut enim familia aut ſtirps nos propius attingit quam gens aut genus, ſic agnati, quam gentiles; ſiquidem *Gentilis* auctore Feſto dicitur, *qui eodem ex genere natus, & is qui ſimili nomine appellatur*; recte; quatenus enim ait, *ex eodem genere*, eos intelligit, qui ejuſdem gentis eundem principem habent; quatenus, *ſimili nomine*, eos qui, quamquam uno gentis nomine omnes utuntur, tamen alium atque alium auctorem ſui generis nuncupant; quomodo Cicero in prima Tuſculana, ſe gentilem eſſe ait Ser. Tullii regis, quod uterque ſimili gentilicio nomine uteretur, cum tamen è diverſo uterque fonte manaret. Cum autem ad Herennium ſcriptum ſit: *Si furioſus exſiſtat, agnatorum gentiliumque in eo, pecuniaque ejus, jus eſto*; item: *Si paterfamilias inteſtato moritur, familia pecuniaque ejus, agnatorum gentiliumque eſto. Agnati* profecto videntur eſſe, qui ex eadem familia ſint, quibus deficientibus, gentiles ſubeant. Nam Cicero dixit primo de oratore: *Jura gentilitatum & agnationum*; item: *Jus gentilitatis & ſtirpis*; & de legibus primo: *Homines, Deorum agnatione & gente tenentur*: cum utramque conjunctionem complecti vellet. Amicus autem meus in ſuo libro de nominibus, gentem & familiam, gentiles & agnatos, idem eſſe cenſet, cum ait: „ Agnomen, familiæ eſt appellatio, & gentis: „ unde Agnati & Gentiles dicebantur, qui ex „ eadem erant familia; ut Cicero in Topicis „ ait; & idem in Bruto Ser. Tullium regem „ gentilem ſuum ea de cauſſa nominat. Meâ autem ſententiâ, Ciceronis ſententiam percepiſſe non videtur, qui in Topicis gentiles eos definit, qui inter ſe eodem nomine ſunt; id eſt, ex eadem gente; ut infra alio loco oſtendam: familiæ vero aut agnatorum non meminit. Eſt præterea intelligendum, Plinium gentiles novo quodam modo appellare; ſiquidem ſervos gentiles eſſe dominorum ait; quia eodem prænomine appellarentur quo dominus; ut Marcipor, Quinctipor, id eſt, Marci & Quincti puer.

De Romanarum gentium origine.

Duos autem populos ſeminarium gentium Romanarum fuiſſe reperio, Aborigines, & Trojanos, qui ambo ab Ænea (ut Livius, & Dionyſius tradunt) communi nomine *Latini* ſunt appellati. *Aborigines* autem, qui ante adventum Æneæ Latium, regnante Latino, tenebant, docet Dionyſius ex Græcis in Italiam venientibus eſſe conflatos, Græcos autem hos nominat, Oenotrum ex Arcadia, Pelaſgos ex Theſſalia, Evandrum item ex Arcadia, Herculem ex Peloponneſo profectum. Atque etiam iidem ſcribunt, Romulum, ſuperante Latinorum, Albanorumque multitudine, urbem in Palatino condidiſſe. Quæ cum ita ſint, jam id dubium eſſe non poteſt, quin ad hos populos alii etiam plurimi acceſſerint, qui Romanam urbem gentibus repleverint. Siquidem accepimus Romulum Cæninenſes, Antemnates, Camerinos, Vejentes, Fidenates, quos bello devicerat, Sabinos vero etiam, quibuſcum æquo marte pugnaverat, in ſocietatem novæ urbis vocaſſe. Quin etiam multas Etruſcorum urbes ſe ad eum recepiſſe initio à Medullia facto, traditum eſt. Hoc autem Romuli inſtitutum reliqui deinceps reges ſtudioſiſſime ſibi conſervandum eſſe duxerunt, ut finitimas civitates aut vi, aut benevolentia ſibi adjungerent, Romamque transferrent. Itaque Tullus Hoſtilius everſa Alba familias ejus urbis Romam traduxit. Ancus Lucumonem Etruſcum in Senatum aſcivit. Priſcus Ser. Tullium Corniculanum ſibi etiam generum adjunxit. Idem poſt quoque factum eſt, liberata regio dominatu Republica; neque enim unquam deſitum eſt, civitatem victis populis, & gentibus dari, Italiamque ipſam municipiis devinciri, quouſq; bello Marſico univerſa ferè Italia civitate donata eſt. Quo tempore multi etiam ne Italicæ quidem gentis virtutis ergo in civitatem ſuſcipi cœpti ſunt. Quoniam autem difficile, immo vero difficillimum eſt, omnium gentium originem invenire, paucarum tantum quarundam fontes, & initia indicabo, ex quibus intelligi poterit, idem etiam in reliquis factum eſſe: neque enim ullam aliam hiſtoriæ Rom. partem tam & à veteribus, & ab iis, qui nunc ſunt, neglectam eſſe comperi, quàm quæ hanc quæſtionem continet.

Hujus autem tractationis hos quaſi fontes conſtituo, ut alias gentes à nominibus Aboriginum, vel Trojanorum, vel aliorum ejuſmodi populorum, alias à prænominibus, nominibus, & cognominibus, alias à locis, urbibus, & populis, alias à quadrupedibus, alias à re alia dictas eſſe affirmem.

Gentes ab Aboriginibus, & Trojanis ortæ.

Ac VITELLIOS quidem Fauno Aboriginum rege, & Vitellia, quæ multis locis pro numine colebatur, ortos tradit Suetonius in Vitellio.

FABII à Fabio Herculis filio orti. Plutarchus in Fabio. Unde Juvenalis: *Natus in Herculeo Fabius lare.*

ANTONII ab Antone Herculis filio. Plutarchus in Antonio.

POTITIAM gentem antiquiorem origine urbis nominat Livius, à Potitio illo ſene, qui ad tempus affuit epulis. Servius.

MAMILII à Mamilia Telegoni filia. Livius, Dionyſius, Feſtus.

Multas præterea gentes Romanas à Trojanis fluxiſſe credidit antiquitas. Itaque Servius in V. Æneidos ſcribit Varronem librum reliquiſſe de familiis Trojanis, id eſt quæ genus trahebant à Trojanis, & Juvenalem iccirco *Trojugenas* appellare nobiles Romanos, quaſi è Trojanis genitos. Inter cæteras autem hæ fuerunt:

Julia à Julo Æneæ filio. Livius, Dionyſius, Suetonius, Virgilius. Itaque Proculum Julium Romuli tempore JULI Aſcanii progeniem vocat Dionyſius, & ipſi JULII cognomen etiam tulerunt JULI. Albana fuit.

AIMILIA ab Æmilio Aſcanii Trojani filio, ut ait Feſtus, cui rei forte alluſit Virgilius, cum dixit:

Progeniem ſed enim Trojano à ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces,

Hinc

Hinc populum late regem, belloque ſuperbum
Venturum excidio Lybiæ.

Etenim progeniem Æneæ, & Juli vocare videtur Scipionem Paulli Æmilii filium, qui Imp. Carthaginem excidit. Populum autem legiones Romanas, quæ ab iiſdem etiam genus trahebant, alioquin ſi progeniem, & populum idem dicat, ſupervacanea iteratio videatur. Nihil tamen contra veteres affirmo, alii judicabunt. Plutarchus autem Æmilios à filio quodam Pythagoræ Mamerco dictos ait, qui ſummo lepore præditus fuit, quæ græce *αἱμύλιος* dicitur, itidemque etiam Feſtus.

ATII ab Ati. Vergilius. *Atis, genus unde Atii duxere Latini*. Quod Auguſti cauſſa dictum ſcribit Servius, qui ex Atia matre natus eſt.

NAUTII à Naute Æneæ comite. Dionyſius, Vergil. & Servius in II. Æneid. Cum Diomedes raptum Palladium ſibi non eſſe aptum intelligeret, illud Æneæ tranſeunti obtulit. Sed cum ſe ille capite velato ſacrificans convertiſſet, Nantes quidam ſimulacrum accepit. Quare Minervæ ſacra non Julia gens habuit, ſed Nautia. Idem ſcribit Varro in lib. de familiis Trojanis.

CLOELII à comite Æneæ ejus nominis. Dionyſius.

JUNII à comite Æneæ ejus nominis. Dionyſius.

SERGII à Sergeſto comite Æneæ. Vergilius lib. V.: *Domus à quo Sergia nomen*.

MEMMII à Mneſtheo comite Æneæ. Vergilius in V. *Genus, à quo nomine Memmi*.

CLUENTII à Cloantho comite Æneæ. Vergil. in V. *Genus unde tibi Romane Cluenti*.

GEGANII à Gia comite Æneæ, ut ait Servius in V. Æneidos.

CAECILII à Cæcade comite Æneæ, alii à Cæculo, quod condidit Præneſte. Feſtus.

Ab Italis.

COELII à Cœle Vibenna Etruſco, qui ſe Romam, regnante Romulo, contulit. Dionyſius, Feſtus, Tacitus, Varro.

POMPONII à Pompone, Numæ Regis filio. Plutarchus.

CALPURNII à Calpo Numæ F. Plutarchus, Feſtus.

PINARII à Pino Numæ F. Plutarchus, Servius à quodam ſene, qui, quia ad tempus ad dapes non venit, PINARIUS dictus ἀπὸ τῆς πείνης, ideſt à fame. Fortaſſe Pinaria gens duplex fuit.

CLAUDII à Clauſo Sabino. Livius.

VALERII à Valeſo Sabino. Dionyſius. Itaque *Valeſii* primùm, poſt *Valerii* dicti. Feſtus. Boni autem ominis cauſſa in delectu cenſuve primi nominabantur Valerius, Salvius, Statorius.

A prænominibus, nominibus, & cognominibus.

Quæ adhuc expoſita ſunt, ea locupletiſſimorum monumentorum auctoritate probata ſunt, quæ vero infra dicentur, veriſimilibus potius, quam veris argumentis nituntur. Vera autem eſſe nego, quæ veterum annalium fide carent. A prænominibus autem, & nominibus, & cognominibus gentes multæ manaſſe videntur.

Ut autem prætermittam ea prænomina, quæ integra pro nomine gentilitio uſurpata videntur, ut Metius, Numerius. Appius, Statius, ut P. Metius in epiſtola ad Marium, & L. Mettius, & Q. Mettius, & P. Mettius, quæ ſe in veteribus lapidibus Romæ legiſſe Pierius ſcripta profitetur, quanquam duobus TT. ut Cn. Numerius in lapide vetuſto, qui eſt Venetiis in turri Divi Vitalis, M. Appius, cujus lapidem citat in Brutum Sebaſtianus Corradus. T. Statius apud Livium tribunus plebis, & P. Statius in antiquis lapidibus urbis antiq. ut hæc inquam, omittam, quæ aliquam fortaſſe quæſtionem habere poſſint. At AULII certe ab AULO deſcendiſſe videntur. Unde Q. Aulius Cerretanus, Livius, lapides Capitolini.

CAESONII à Cæſone.

CNAEII à Cnæo, ut de petit. conſul. Ex equeſtri ordine Pompilios, & Cnæjos.

DECIMII à Decimo.

HOSTII ab Hoſto. Unde epigramma antiq. urbis. P. HOSTIO. P. F. SEVERO, & Plutarchus in Romulo. L. Hoſtius.

LUCILII à Lucio, ſeu dimin. Lucillo.

MANILII à Manio.

MARCII à Marco, vel à Mamerco, ut ait Plutarchus in Numa. Etenim ubi ait, à Mamerco Mamercios Reges: lego ipſe, Marcios Reges.

LARTII à Larte, quanquam græce *Λάρκιοι* ſcribitur.

POSTUMII à Poſtumo.

PROCULEII a Proculo.

PUBLILII à Publio.

SPURILII à Spurio.

SERVILII à Servio.

SEXTII à Sexto.

QUINCTII à Quincto.

TITII à Tito.

VIBII à Vibo. Unde C. Vibius Panſa.

VOLUSII à Voluſo.

TULLII à Tullo.

ANCII ab Anco Unde Sp. Ancius legatus Fidenis interfectus, & Sp. Ancius Briſo, de quo in Bruto Cicero.

PETRONII à Petrone.

METILII à Metio.

ARRUNTII ab Arrunte.

NUMITORII à Numitore.

SERTORII à Sertore.

STATILII à Statio.

Hæ à prænominibus, à nominibus vero hæ:

SEXTILII à Sextiis.

QUINCTILII à Quinctiis.

ATILII ab Atiis.

PORCILII à Porciis.

HOSTILII ab Hoſtiis.

A cognominibus vero hæ:

RUTILII à Rutilo.

VARII à Varo.

PLAUTII à Plauto.

FULVII à Fulvo.

VENNONII à Vennone.

ALBII ab Albo, Varro.

ALBINII ab Albino.

LICINII à Licino.

SILII à Silo.

GEMINII à Gemino.

GALLII à Gallo.

FLAVII à Flavo.

PLANCII à Planco.

CATII à Cato.

FICTORII à Fictore. Unde Q. Fictorius, de quo Livius.

COR-

CORDII à Cordo. Unde M. Cordius, A in numis argenteis.

PAPII à Papo. Unde lex Papia à Papio lata, ut Cicero de offic. ait (Papia autem gens fuit, quæ Mutili cognomen tulit, Appiano, & lap. Capi. auctoribus) non à Q. Æmilio Papo, ut amicus meus tradit in lib. de nominibus, neque enim leges à cognomine appellantur, ut in IUS deſinant, ſed, ſi id forte fiat, in ANUS, ut Gracchanæ leges, at non Gracchiæ, & Cæſarianæ fortaſſe, non Cæſariæ, à nomine vero ſemper, ut Semproniæ, & Juliæ. Unde Cicero in Philip. prima. Quære acta Gracchi, Semproniæ leges proferentur. Quære Sullæ, Corneliæ. Idem etiam improbat lectionem illam in Lælio. Videmus B Papum Æmilium C. Luſcinio familiarem fuiſſe. Improbat autem, quod cognomen nomini nunquam præponatur; quaſi vero Livius non ſæpe dixerit Macer Licinius, Antias Valerius, Curſor Papirius: & Cicero, Verus Antiſtius: & Cœlius, Balbus Cornelius: & alii, Paullus Æmilius, & Criſpus Saluſtius.

FURII, qui ante Fuſii, à Fuſo, quod etiam cognomen tulerunt.

VALERII, qui olim VALESII, à Veleſo gentis auctore. Itaque cognomen etiam tulerunt Voluſi.

Ab urbibus, & populis.

TARQUINII à Tarquinis urbe Etruriæ. C Dionyſius.

GABINII à Gabinis item dicti videntur.

COMINII ab Cominis Italiæ populis, de quibus Plinius.

VOLSCII à Volſcis. Unde M. VOLSCIUS Fictor, de quo Livius.

VATINII à Vatinis priſcis Latinorum populis, quorum oppidum Vatia.

A quadrupedibus.

A quadrupedibus etiam multas gentes nuncupatas eſſe, idoneos teſtes habemus Plutarchum, & Varronem. Plutarchus in Poplicola ita: *Quia pecudibus omnia bona conſtabant,* D *iccirco filiis ſuis ejuſmodi nomina impoſuerunt, ut Porcios*, & Varro lib. II. de re ruſt. Nomina multa habemus ab utroque pecore, à minore PORCIUS, OVINIUS, CAPRILIUS, à majore EQUITIUS. Eadem etiam ratione nos, & ASINIOS, & SUILLIOS adjungere poſſumus.

A miniſterio aliquo.

FLAMINII dicti, quòd flamini Diali miniſtrarent. Feſtus.

PONTIFICII forte dicti, quòd Pontificibus miniſtrarent, ex quibus fuit Ti. Pontificius tribunus plebis, de quo Dionyſius, & E Livius.

A voce aliqua.

TERENTII à tereno, voce Sabina dicti, quæ molle ſignificat: Varrone teſte, ut ait Macrobius, quod ſi ita eſt, ergo & multi alii eodem modo, ut

AURELII, qui ante AUSELII, quòd iis publice locus datus ſit, ubi ſoli ſacrificium facerent. Feſtus.

ATRICII ab Atro. Varro.

PUBLICII à publico.

POPILLII à popillo.

HIRTII ab hirto.

JUVENTII à juventa.

SALVII à ſalvo, unde boni ominis cauſſa primus Salvius in cenſu, & delectu nominabatur. Feſtus.

SEPTII à numero ſeptem.

SEPTIMII à ſeptimo.

OCTAVII ab octavo.

NOVII à novem.

NONII à nono.

DECII à decem.

DECIMII à decimo.

CAP. V.

Quemadmodum uſus Cognominum & Agnominum ſit inventus.

CUr autem duobus nominibus Romani homines, non contenti prænomine & nomine, tertium etiam & quartum adjunxerint, quod cognomen vocarint, magna exſiſtere quæſtio poteſt. Ac mihi quidem videtur, eos primum, ut qui idem prænomen nomenque terebant, nota aliqua internoſcerent, hanc tertii nominis rationem excogitaſſe; poſt autem, cum cognominum uſus increbuiſſet, eoſdem etiam ſine ejuſmodi cauſa cognomina indidiſſe. Hac ratione L. Tarquinium Priſcum, & L. Tarquinium Superbum, cum & prænomine & nomine convenirent, inquit Dionyſius, Priſcum illum, quod natu major; hunc Superbum, quod contumacior eſſet, eſſe vocatum. Valuit autem in primis hic cognominum uſus ad confuſam ipſarum (ut oſtendi) gentium turbam diſtinguendam. Quod exempli cauſa in gente Cornelia perſpici poteſt, quæ cognominum varietate in multas familias diffuſa eſt; Maluginenſes, atque inde Coſſos, Scipiones, Lentulos, Merulas, Cinnas, Sullas, Dolabellas. Iterumque cum familia Maluginenſium creviſſet, quartis nominibus eſt in alias etiam familias diſtributa: ita ut alii Maluginenſes Coſcii, alii Maluginenſes Scipiones, alii Maluginenſes Lentuli; itemque Scipiones, alii Africani, alii Aſiatici, alii Naſicæ dicerentur; neque enim probo amici emendationem ab eo traditam lib. 2. Annotationum, cap. XIII. his verbis: *Verba Ciceronis ſunt in lib. ſecundo de orat. ubi agitur de ſalibus: Eſt autem ex hoc genere vetus illud, quod ajunt Maluginenſem illum M. Scipionem, cum ex centuria ſua renuntiaret Acidinum conſulem, præcoque dixiſſet, &c. Sed multum etiam me torquet quiddam in his nominibus*, M. SCIPIONEM MALUGIN. *Nam nuſquam invenio Scipionem tamquam familiæ nomen poni, ſed pro cognomine. Scio equidem per librariorum errorem ſæpe* SCIPIONEM *legi pro* CÆPIONEM; *quare crediderim hoc etiam loco non Scipionem, ſed Cæpionem legi debere. Ratio qua impellor, eſt hæc. Scio Q. Servilium Maluginenſem ſæpe à Livio nominari in libris primæ decados, quo tempore Romæ creabantur tribuni militares. Scio quoque Servilios cognomen habuiſſe Cæpionum, ut facile poſſim affirmare hic eſſe legendum* M. CÆPIONEM MALUGINENSEM. Hanc ergo amici emendationem ipſe non probo. Nam quod ait, Livium ſæpe Q. Servilium Maluginenſem nominare, non eſt ita. Semel enim tantum lib. V. ann. CCCLXXII. nominat P. Servilium Maluginen-

A nenſem; mendoſe, pro Ser. Cornelium Maluginenſem; ut in Scholiis Livianis oſtendi cum aliis teſtimoniis, tum quod eo anno Diodorus pro eo tribunum mil. cos. pot. edit Σέρβιον Κορνήλιον Μαλύγινα. *Maluginenſem* autem fuiſſe cognomen non Serviliorum, ſed Corneliorum, perinde atque Scipionem, apparet ex L. M. P. & SER. Corneliis Maluginenſibus, qui aut conſules, aut tribuni mil. aut cenſores fuiſſe à Livio ſæpe traduntur. Quod cognomen aliquot etiam ex Corneliis retinuiſſe, poſtquam alia cognomina inveniſſent, cum hic locus indicat, in quo eſt, M. Scipio Maluginenſis, qui auctore Livio anno DLXXIV. prætor fuit; tum an. DCLXXII. B in Capitolinis tabulis, ubi eſt, SER. CORNELIUS CN. F. CN. N. LENTULUS MALUGINENSIS; ut omnino SCIPIONEM, non CÆPIONEM legendum eſſe, contra quam ille cenſet, exiſtimem. Neque enim intelligo, qui illud ſit, quod ajunt ſe numquam SCIPIONEM familiæ nomen inveniſſe, ſed pro cognomine. Siquidem eandem rationem eſſe judico, cum dico M. Cæpio Maluginenſis, atque cum dico M. Scipio Maluginenſis, & P. Scipio Naſica, & P. Scipio Africanus, & alia ejuſmodi multa. Sed ad propoſitum revertamur. Ergo neceſſitas primum cognomina excogitavit, poſt uſus & commoditas cuſtodivit & propagavit. C Qui vero *Agnomen* aliud eſſe à cognomine tradiderunt, ii mihi ſatis quod ſentiunt non probant. Ex eorum vero numero grammatici veteres exſiſtunt, qui, ut ſupra dixi, cognomina appellant ea quæ tertio loco; quæ vero præter ea adjiciuntur, ea omnia agnomina nuncupant, ut Africanum & Aſiaticum. Ejuſmodi vero opinio facile locupletiſſimi auctoris Ciceronis verbis refellitur; apud quem animadvertere poſſumus, ea omnia cognomina dici, quæ etiam quarto loco ponuntur. Sic enim ille ait pro Murena: *Quam laudem ille Africa oppreſſa cognomine ipſo præ ſe ferebat, eandem hic ſibi ex Aſia cognomen aſſumpſit.* Et in Somnio: *Eritque cognomen id tibi per te* D *partum, quod nunc habes à me hereditarium.* Idem Sapientem & Divitem cognomina vocat; quæ tamen quarto loco erant in M. Porcio Catone, & in M. Licinio Craſſo. Inquit enim in Catone: *Cato quaſi cognomen habebat in ſenectute Sapientis*; & in ſecundo de offic. *P. Craſſus tum cognomine Dives, tum copiis.* Hac cauſa nos omnia, præter priora duo, cognomina appellabimus. Nam quod amicus meus in libro de nominibus agnomen pro nomine gentilicio ſumit, atque inde agnatos ducit, multo mihi minus ex iis quæ dixi, & iis quæ dicam, probatur.

Unde cognomina tracta ſint.

Deinceps ſequitur, ut unde cognomina tracta ſint, dicam ea quæ vel veteres prodiderunt, vel ipſe aut ratione, aut opinione, ſequutus eorum regulas ac præcepta, conſequi potui. Ac Plutarchus quidem in Coriolano multos nobis hujus quæſtionis quaſi fontes oſtendit, cum ait, cognomina apud Romanos imponi conſueviſſe aut ab actione aliqua, aut à forma, aut à fortuna, aut à virtute, perinde atque Græci Σωτῆρα & Καλλίνικον ab actione, Φύσκωνα & Γρυπὸν à forma, Εὐεργέτην & Φιλάδελφον à virtute, Εὐδαίμονα à fortuna dixerunt; aut à ſalibus & dicacitate, quo pacto Græci Antigonum Δώσονα, Ptolemæum Λαμυρὸν appellarunt: Romani vero etiam Metellum unum *Diadematum*, quod frontem ex ulcere diademate diu obligaſſet; alterum vero *Celerem*, quod celeritatem ejus in apparandis funebribus patri ludis ſunt admirati, vocarunt: aut à caſu naſcendi, ut Proculum, Poſtumum, Vopiſcum: aut demum etiam à corporis vitiis, ut Syllas, Nigros, Rufos, Cæcos, Clodios; quibus nec cæcitas, nec ullum aliud corporis vitium contumeliæ fuit; verum ipſa vitia pro nominibus propriis æquiſſimo animo audita ſunt. Hæc Plutarchus, ut dixi, in Coriolano. Mendum autem ſuſpicor eſſe in exemplis ejus; ſcribit enim Σύλλας dictos eſſe à corporis vitio; cum alia longe ſit ejus nominis origo, ut tradit Macrobius. Itaque legendum puto Σίλλας, id eſt, *Silos*. Sili autem ſunt, qui naſo ſunt ſurſum verſus repando; quod vitium eſt corporis. Neque etiam placet, eundem de cognominibus agentem, Clodiorum feciſſe mentionem; quod nomen eſt gentis, quæ ne à vitio quidem corporis nominata eſt, ut ante dixi, niſi forte Clodios pro Claudis acceperit. *Claudus* enim Quinctiorum eſt cognomen. Quæ autem ſcribit in Coriolano, eadem fere tradita ſunt ab eo etiam in Mario. Quin etiam Macrobius lib. 1. alios à virtute, alios ab honore vel injuria, alios à caſu cognomina ait inveniſſe; libro autem tertio, aliquot etiam à ſtudio piſcium cognominatos eſſe oſtendit, præterea Plin. lib. decimo octavo cap. tertio, à ruſticis operibus; libro autem undecimo cap. trigeſimo ſeptimo, à vitioſis corporis partibus nonnullos cognomen traxiſſe ait. Poſtremo etiam Varro à majore & minore pecore cognomina indita eſſe tradit lib. ſecundo de re ruſt. cujus verba aſcribam, quia depravata ſunt & manca: „ Nomina, *inquit*, multa habemus „ ab utroque pecore, à majore, & à mino- „ re; à minore Porcius, Ovinius, Caprilius; „ ſic à majore Equitius, Taurus cognomina „ adſignificari; quod dicuntur Anni Capræ, „ Statili Tauri, Pomponii Vituli; ſic à pe- „ cudibus multi alii. Hæc Varro. Nemo eſt autem qui non intelligat, hic confundi exempla nominum & cognominum, & nullum ſenſum bonum elici. Itaque, ſi ita legamus, erit ſententia aptior: „ Nomina multa habe- „ mus ab utroque pecore, à majore, & à „ minore; à minore, Porcius, Ovinius, Ca- „ prilius; ſic à majore Equitius, Aſinius; eſt „ autem intelligendum, cum dicimus Capram, „ Taurum, Vitulum, cognomina adſignifica- „ ri; quod dicuntur Annii Capræ, Statilii „ Tauri, Pomponii Vituli: ſic à pecudibus „ alii multi. Quinctilianus eadem ferme docet libro primo. Verba ejus hæc ſunt: „ Scrutabitur præceptor acer origines nomi- E „ num, quæ ex habitu corporis; ut Rufos „ Longoſque fecerunt; ubi erit aliud ſecre- „ tius, Syllæ, Burri, Galbæ, Plauti, Panſæ, „ Scauri, taliaque; & ex caſu naſcentium; „ hinc Agrippa, & Opiter, & Cordus, & „ Poſtumus erunt; & iis quæ poſt natos eve- „ niunt; unde Vopiſcus; jam Cottæ, Scipio- „ nes, Lænates, Serrani ſunt; & ex variis „ cauſis gentes quoque, & loca, & alia mul- „ ta reperias inter nominum cauſas. Hæc Quinctilianus; apud quem item credo eſſe mendoſe *Syllas*, pro *Silos*, ob eam quam dixi cauſam. Longum eſſet hoc loco Livii, Dionyſii, Dionis, Suetonii, Ciceronis, aliorum-

A que multorum, quo loco de hac re agunt, in hanc ſententiam verba proferre. Cum igitur res ita habeat, jam quo modo hoc in ſingulis factum ſit, videamus. Quibus in exponendis hanc diviſionem tuebimur, ut alia ab animo, alia à corpore, alia à fortuna tracta eſſe dicamus. Ad animum autem pertinent virtutes, mores, oratio, artes, ſtudia, res geſtæ; ad corpus, partes corporis, color, habitus, veſtitus, ſimilitudo alterius, locus, & quæ ſunt ejuſmodi. His autem rebus diligenter animadverſis, omnis (ut puto) impoſitorum cognominum ratio erit perfecta. Qui autem cognominum terminationes perſequuti ſunt, ii fruſtra laboraſſe mihi videntur; cum omnes B terminationes cognominibus, ſi ita tempus & eventus tulerit, convenire poſſint, præter eam quæ gentem notet. Itaque cum apud Livium nomina gentilicia multa pro cognominibus mendoſe legerentur, ea ad ſuam integritatem ex antiquorum monumentis à me paulo redacta ſunt; ut Fabius Licinus, Marcius Rutilus, Quinctius Flamininus, Furius Pacilus, & alia ejuſmodi; non Licinius, Rutilius, Flaminius, Pacilius, ut vulgo legebatur.

Cognomina à ſapientia ducta, aut contra.

Sapientiam autem atque ſtultitiam dediſſe multa cognomina Romanis, cum ex Plinii C verbis percipitur, tum exempla, quæ ſubjiciam, indicant; ſcribit enim Plin. lib. tertio: „ Reliquis animi bonis præſtitere cæteros „ mortales ſapientia; ob id Cati, Corculi „ apud Romanos cognominati.

SOPHUS, qui eſt Græce Sapiens, Semproniorum cognomen; quod primus tulit P. Sempronius juris civilis peritiſſimus.

CATO, auctore Plutarcho in Catone majore, vir dicitur multarum rerum peritus, eaque de re M. Porcius *Cato* vocatus eſt; fuit autem etiam cognomen Hoſtiliorum. De CATO inquit Varro lib. VI. de ling. Lat. „ Cata acuta Sabini dicunt: quare Catus „ Ælius Sextus, non, ut ajunt, ſapiens, ſed D „ acutus. Quare dixit Ennius: Egregie cor- „ datus homo Catus Ælius Sextus.

SAPIENTIS cognomen invenit C. Lælius, ut ait Plutarchus in Gracchis; quia, cum Tiberii partes adverſus optimates tueri cœpiſſet, diſcordiam civitatis metuens, ab incœpto deſtitit.

CORCULUM, auctore Feſto, antiqui à corde ſollertem & acutum dixerunt; eoque cognomine uſus eſt P. Cornelius Scipio Naſica, optimi viri filius; ut ait Cicero in Bruto.

BRUTUS ſtultum ſignificat, ut ait Dionyſius. Itaque L. Junius, qui reges ejecit, factus ad imitationem ſtultitiæ, Bruti quoque haud abnuit cognomen. Livius, Dionyſius.

E BELLUTUS eſt belluæ ſimilis, ut ait Feſtus; quod cognomen tulit L. Sicinius primus tribunus plebis. Dionyſius, & Pædianus.

A virtute, & moribus.

NERO Sabinorum lingua ſtrenuum ſignificat. Itaque Ti. Claudius Ap. Cæci F. id primus tulit; quod poſt in ejus familia manſit. Svetonius in Tiberio.

MARCELLUS, ut Plutarchus tradit, eſt Bellicoſus, id eſt, Ἀρήϊος, hoc eſt, *Martius*; puto autem Marcellum dictum eſſe quaſi Martellum, id eſt, parvum Martem. Eo plebeja gens Claudia uſa eſt.

A L. SICINIUS Dentatus, ob fortitudinem ACHILLES dictus. Gellius lib II. cap. XI.

SUPERBI cognomen tulit L. Tarquinius rex; quia ſocerum gener ſepultura prohibuit, aliaque multa ſuperbe egit. Dionyſius, & alii.

FRUGI, L. Calpurnius Piſo appellatus ob mores, ut ait Pædianus in Piſonianam, & Cicero in Verrem.

OVICULA dictus Q. Fabius Maximus; quia moribus fuit humilibus. Plutarchus in Fabio, & qui ſcribit de viris illuſtribus.

CAPRARII cognomen C. Metellus ex contumelia traxit. Cicero lib. III. de orat. Itaque Scipio de eo dixit, matrem ejus, ſi quintum pareret, aſinum fuiſſe parituram.

B GURGES vocatus Q Fabius Rulliani F. à devorato patrimonio. Macrobius. Plutarchus Ἀδηφάγον nominat.

NEPOS aliquando cognomen contumeliæ fuit à prodigalitate, ut de Q. Metello collega P. Lentuli cos. ſcribit Valerius; unde luſit Cicero ad Att. *Sumptu jam nepos evaſit Scaptius.* Patrem tamen Metelli, eum qui cum T. Didio conſul fuit, Q. Metellum Nepotem vocant etiam Capitolini ſcriptores. Nepotem autem eum dictum, quaſi Q. Metelli Macedonici Nepotem, ſignificat in Cornelianam Pædianus.

ASPER, C. Trebonius ab inſectandis patribus nominatus Livius lib. tertio.

C LURCONES, auctore Feſto, dicti, qui cum aviditate cibum ſumerent. Fuit autem Aufidiorum cognomen.

CAMILLUS, quo cognomine Furii uſi ſunt, eſt puer ingenuus. Feſtus, Plutarchus in Numa, Macrobius lib. tertio, Servius in Virgil. ubi de Camilla.

CICURINUS, cognomen Veturiæ gentis, à morum ſimplicitate dictus. Varro de Lingua Lat.

VIR optimus, P. Scipio Naſica à Senatu judicatus & appellatus eſt. Livius.

Ab oratione, & dicto aliquo.

D LEPIDI Æmilii dicti ſunt à lepore orationis, quia Mamercus Numæ F. princeps ejus generis ſummo lepore præditus fuit, quem Græci αἱμυλίαν dicunt. Plutarchus in Paullo.

EUTRAPELUS fuit cognomen Volumniorum, unde Cicero ad Volumnium: εὐτραπελίᾳ. inquit, tuarum literarum. Eſt autem εὐτράπελος idem, quod Lepidus.

ATTICI cognomen invenit T. Pomponius, quòd attice optime loqueretur. Cicero in Catone. Nepos in ejus vita.

FIGULI cognomen adeptus eſt Nigidius, quòd inconſtantiam rerum humanarum rotæ figulinæ comparavit. Auguſtinus de civitate Dei.

E SURA dictus P. Lentulus, qui cum Sulla rationem ab eo pecuniæ publicæ repeteret, quam quæſtor tractaverat, dixit ſe non poſſe rationem reddere, ſed præbiturum ſuram, ut pueri ſolent, qui in ſphæræ ludo peccaverint. Plutarchus in Cicerone.

SCROFA Tremellius appellatus auctore Macrobio, quòd quærentibus quibuſdam ſcrofam ruri, verba jurationis concepit, nullam eſſe in villa ſua ſcrofam, niſi quæ in centonibus jaceret, lectulum monſtrans, ut autem ait Varro lib. II. de re ruſt. quòd apud exercitum dixerit, hoſtes celeriter ſe, ut ſcrofa porcos, disjecturum, idque fecerit.

Ab

Ab arte, & ſtudio aliquo.

PICTOR Q. Fabius dictus, quòd primus Romæ ædem Salutis pinxit. Plin. libro XXXV. cap. IV. Cicero in Tuſculana prima.

METELLI in re militari ſunt, quaſi mercenarii, unde genti Cæciliæ fuit cognomen. Feſtus.

PRAECONINUS L. Ælius Stilo, quòd præco fuerit. Plin. lib. XXXIII. cap. 1.

Eadem ratione videtur FICTOR M. Volſcii cognomen. Livius.

CORNICEN Oppiorum, Livius. Unde & Cornicinus apud Ciceronem in epiſt. ad Attic.

FULLO Apuſtiorum, Livius. Lapis Capitol. unde jocus apud Macrobium: Miror ſororem meam habere Maculam, cum Fullonem habeat.

Porrò autem à ſtudio rerum ruſticarum multa tracta fuiſſe cognomina, auctor eſt Plinius lib. XVIII. cap. III. Ex eorum numero ſunt.

BUBULCUS Juniorum cognomen, qui optime bubus uteretur.

PILUMNUS, qui pilum piſtrinis invenit.

CICERONES, LENTULI, ut quiſque optime cicerem, aut lentem ferebat. Illud Claudiorum, & Tulliorum: hoc Corneliorum cognomen, eademque forte ratione PISO Calpurniorum.

SERRANUS Atilius, quòd eum ſerentem invenerunt dati honores.

LACTUCINUS Valeriorum cognomen à lactuca. Plin. lib. XIX. cap. III. Quare qui Cos. an. CCXLVII. M. Valerius Maxumus dicitur in Cap. tabulis: is à Diodoro lib. XI. Μάρκος Οὐαλέριος Λακτύκας appellatur. Idem Plinius lib. XVII. cap. primo ſcribit ita: *Fuere & ab arboribus cognomina antiquis,* FRONDITIO *militi illi, qui præclara facinora Vulturnum tranſnatans fronde capiti impoſita adverſus Annibalem edidit.*

STOLO Liciniæ genti (ita enim appellatur in ipſis arboribus fructicatio inutilis) unde & pampinatio inventa primo Stoloni dedit nomen.

Jam à ſtudio piſcium dicti ſunt Licinius MURENA, Sergius ORATA, qui ejuſmodi piſcibus delectati ſunt, ut ait Macrob. lib. III. Varro lib. III. de re ruſtica, quamquam Feſt. Sergium Oratam dictum ſcribit, quod duobus annulis aureis, & grandibus uteretur.

Eadem ratione à majore, & à minore pecore cognomina multa ducta ſunt, auctore Varrone lib. ſecundo, hinc Statilii TAURI, Annii CAPRÆ, Pomponii, & Mamilii VITULI. Quod etiam in Poplicola ſcribit Plutarchus: Ἐπίθετον δὲ τοῖς παισὶν αὐτοῦ οὐίλλες καὶ βυβύλκες καὶ καπραρίες ὀνόματα.

Quin etiam à ſtudio avium multa ſumpta eſſe placet Varroni. Hinc Cornelium MERULAM, Fircellium PAVONEM, Minucium PICAM, Petronium PASSEREM eſſe dictum.

Ab urbe, vel regione devicta.

Jam vero ab urbe, vel regione devicta, hæc quæ ſequuntur.

CORIOLANUS à Coriolis oppido captis dictus eſt C. Marcius. Livius lib. II.

A FIDENAS à Fidenis L. Sergius, & poſteri ejus. Livius.

MESSALLA Valerius à Meſſana primo Punico bello capta. Macrobius, lap. Capitolini.

PRIVERNAS L. Æmilius Mamercinus à Privernate bello. Livius.

NUMANTINUS P. Scipio à Numantia deleta. Appianus, Vellejus.

ISAURICUS P. Servilius ab Iſauris urbe Ciliciæ captis. Lap. Capit. Vellejus.

Idem fecerunt, qui regiones in poteſtatem P. R. redegerunt, quorum primus, ut ait Livius lib. XXX. P. Scipio fuit, qui à devicta Africa cognomen AFRICANI tulit. Itemque B L. Scipio frater ejus, ASIATICI ab Aſia. Q. Metellus MACEDONICI, à Macedonia. L. Mummius ACHAICI ab Achaja. Q. Metellus alter BALEARICI à Balearibus, & L. Metellus DALMATICI à Dalmatia. Q. Fabius ALLOBROGICI ab Allobrogibus. Q. Metellus CRETICI à Creta. D. Junius Brutus CALLAECUS à Callæcia. Q. Metellus NUMIDICI à Numidia. Quorum apud omnes teſtata cognomina ſunt. Hoc autem loco verba quædam amici mei non poſſum tacitus prætterire, quæ ab eo in libro de nominibus poſita ſunt ejuſmodi: Iſauricus ab urbe dictus. Ideo conqueritur Cicero lib. epiſt. ad Att. V. cum eſſet in Cilicia Procoſ. & expugnaſſet op- C pidum Pindeniſſum, non eſſe aptum ad cognomen parandum. Qui (malum) Pindentiſſæ: nam Servilius ante ab Iſauro Urbe præclara fuerat appellatus. Non poſſum autem prætterire, quia hic ſenſum germanum Ciceronis non videtur aſſequutus, neque enim Cicero queritur, Pindeniſſum non eſſe aptum ad cognomen parandum, ſed ad gloriam ex ejus expugnatione propter oppidi obſcuritatem comparandam. Sic enim ait: *Saturnalibus mane ſe mihi Pindentiſſæ dediderunt, qui (malum) iſti Pindentiſſæ? qui ſunt? inquies, nomen audivi nunquam, quid ego faciam? non potui Ciliciam, Ætoliam, aut Macedoniam reddere.* Quibus verbis de obſcuritate, ut dixi, oppidi D queritur, non de cognomine inepto, neque enim quiſquam unquam Imperator Romanus aut Cilix, aut Ætolus eſt ex victoria nominatus, ut iis in cognomine invidere poſſet. Verum aliquot ex iis provinciis clariſſimos triumphos egerunt. Hoc idem ſentit etiam Cicero, cum ſcribit ad Cœlium. Oppugnabam oppidum Pindeniſſum tantis opibus, tantoque negotio, ut mihi ad ſummam gloriam nihil deſit, niſi nomen oppidi id eſt, quod obſcuriſſimo nomine cum ſit, ne mea quidem ſatis glorioſa eſſe victoria, & expugnatio poſſit, qualis eorum fuit, qui Ciliciam, Ætoliam, & Macedoniam ſubegerunt. Nam quod ait amicus meus, ineptum ad cognomen eſſe, non vi- E deo cur non Cicero Pindentiſſa facile potuiſſet, ut quondam Valerius Meſſalla à Meſſana victa, ſi ſplendidum oppidi nomen fuiſſet.

A loco, ubi bene, maleve pugnatum eſt.

REGILLENSIS A. Poſtumius Dictator dictus, quòd ad lacum Regillum cum Latinis bene pugnaverit, quod cognomen poſteri etiam ejus tulerunt.

AESERNINUS M. Marcellus appellatus, quòd Aſerniæ captus eſt. Epitomæ.

CRETICUS M. Antonius Triumviri pater dictus, quòd Cretæ mortuus eſt. Pædianus,

nus, Plutarchus in Antonio. Hunc tamen quidam Antonium CICEREJUM vitioſe nominant.

GERMANICUS Cæſar dictus, quòd in Germania obiit.

BITHYNICUS Pompejus dictus, quòd ex Bithynia ſuppellectilem Regis Nicomedis deportarit. Feſtus.

CAUDINUS L. Lentulus, quòd ad furcas Caudinas obſeſſus cum Coſ. fœdus turpe ſuaſerit, ut ex Livio elici poteſt.

Ab aliis eventibus.

COLLATINUS Tarquinius dictus, quòd diu Collatiæ præfectus fuerit. Dionyſius.

POPLICOLA Valerius, quòd populum coluerit. Dionyſius, Livius.

TORQUATUS Manlius, quòd torquem in pugna Gallo detraxerit. Livius, Gellius.

PIUS Q. Metellus, quòd pietatem in reditu patris lacrymis deprecando adhibuerit. Cicero.

PIETAS L. Antonius, quòd eo animo rempublicam tractarit una cum Fulvia, quaſi pro Marco Triumviro fratre laboraret. Unde à Dione dicitur *Λεύκιος Ἀντώνιος Πίετας*, id eſt *εὐσέβεια*, quanquam à Glareano mendoſe Pœtus nominatur.

DRUSUS Livius vocatus, quod Drauſum regem hoſtium interfecerit. Suetonius in Tiberio.

CUNCTATOR Fabius, quòd cunctando Annibalem fregit. Plutarchus.

VENOX Plautius, quia cenſor aquæ Claudiæ venas indagaverit. Livius, Frontinus.

SCIPIO Cornelius, quòd patrem luminibus carentem pro Scipione rexerit. Macrobius.

CURSOR L. Papirius à velocitate curſus. Livius.

SALINATOR M. Livius dictus, quòd vectigal novum ex ſalaria annona commentus eſt. Livius.

AMBUSTUS Fabiorum fuit, ut puto, quòd à fulmine ambuſtus fuerit. Sic enim Feſtus: *Pullus Jovis dicebatur Q. Fabius, cui Eburno cognomen erat propter candorem, quod ejus natis fulmine icta erat. Antiqui puerum, quem quis amabat, pullum ejus dicebant.* Hinc etiam quidam RULLUM Fabii Maximi cognomen profectum exiſtimant.

IMPERIOSSUS Manlius, quia ſeverius delectum habuit. Livius. Plutarchus [illegible] appellat.

GRACCHANUS dictus eſt Junius hiſtoricus ab amicitia C. Gracchi Tribuni pl. ut ſcribit Plin. lib. XXX.

MAXIMUS Valerius, quòd plebem patribus conciliavit. Cicero in Bruto.

MAXIMUS Fabius, quòd libertinos in quatuor Tribus ſecrevit. Livius lib. IX.

MAGNUS Pompejus, quòd res magnas ante ætatem geſſit, Appianus, Plutarchus.

ASINA Cornelius Scipio, quia cum ſponſores ab eo poſcerentur, aſinam produxit in forum cum pecuniæ onere, quaſi pro ſponſoribus præſens pignus. Macrobius.

VESPILLO Lucretius dictus, quòd ædilis cadaver Ti. Gracchi tanquam veſpillo in Tiberim projecit. De viris illuſtribus in Graccho. Idem etiam fuit Veſpa, unde in II. de orat. Veſpa Terentius.

ANNALIS Villius, quòd legem annalem tulit. Liv. lib. XL.

DIADEMATUS Metellus, quòd frontem ex ulcere diu ligaverit faſcia, quæ *διάδημα* græce dicitur. Plutarchus in Coriolano.

PRAETEXTATUS Papirius, quòd in ætate prætextata ſummam prudentiam oſtenderit. Macrobius.

LAENAS Popillius, quòd cum flamen ſacrificium faceret, cum læna in publicum exierit, & ſeditionem ſedarit. Cicero in Bruto.

CORVUS Valerius, quòd ei cum Gallo pugnanti corvus omen victoriæ fuit. Livius, Gellius.

BUTEO Fabius, quia inſidens in navi buteo avis bono auſpicio duci ei fuit. Plin. lib. X. cap. VIII.

CAUDEX Ap. Claudius dictus, quòd primus caudicem, id eſt navem, belli gerendi cauſſa primo Punico bello conſcenderit. Seneca.

CAESAR Juliorum cognomen fuit, de quo alii aliter tradiderunt. Amicus autem meus in libro de nominibus ita: *Illud non prætermittam, Cæſarem non ab utero cæſo dictum, quod multis video placere, ſed quod ait Servius, & Spartianus, ab elephanto primum cæſo. Nam lingua Punica Cæſar elephas dicebatur. Quare in quibuſdam argenteis numis apud me videre eſt, ab altera parte elephantem cum hac inſcriptione* CAESAR, *ab altera autem inſtrumenta, quibus elephantos Romani perimebant.* Hæc ille.





Nummum illum, cujus ipſe meminit, ego accurate effingendum curavi, ut omnes homines ejus induſtriam in Romana antiquitate illuſtranda cognoſcerent; ſunt enim ejuſmodi nummi multi cum apud alios, tum apud clariſſimum & humaniſſimum virum Andream Lauredanum patricium Venetum; quamquam quæ ille ad hunc nummum interpretandum attulit, ea à multis hujus artis peritis reprehendi ſæpe animadverti; qui, quæ ille inſtrumenta elephantorum interimendorum eſſe tradidit, ea pontificalia, ac religionis potius inſignia eſſe contenderent; albogalerum, vel tutulum; ſeceſpitam, aſperſorium, & vas ſacrificale. Albogalerum enim ita deſcribit Feſtus: „ Albogalerus à galea nominatus eſt; „ eſt enim pileum capitis quo diales flamines, id eſt, ſacerdotes Jovis, utebantur: „ fiebat enim ex hoſtia alba Jovi cæſa; cui „ affigebatur apex virga oleagina. *Tutulum* „ *autem ita*: Tutulum vocari ajunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta „ pur-

„ purpurea innexa crinibus, & exſtructum „ in altitudinem. Ennius:

Libaque fictores, argeos, & tutulatos.

Itaque Varro lib. de lingua Lat. exponens hunc eundem Ennii verſum, ait: „ Tutulati „ dicti ii qui in ſacris capitibus habere ſolent „ ut metam; id tutulus appellatur, ab eo „ quod matres familias crines convolutos ad „ verticem capitis, quos habent uti velatos, „ dicunt tutulos: ſive ab eo quod tuendi „ cauſſa capilli fiebant; ſive ab eo, quod al- „ tiſſimum in urbe quod eſt (arx,) ea res „ tutiſſima tutulus vocatur. *De ſeceſpita ſic* „ *Feſtus*: Seceſpitam alii ſecurim, alii dola- „ bram æneam, alii cultellum putant. *Item*: „ Seceſpita, cultrum ferreum oblongum, „ manubrio eburneo, rotundo, ſolido, juncto „ ad capulum auro argentoque, fixum, clavis „ æneis ære Cyprio quo flamines, flaminicæ „ virgines, pontificeſque ad ſacrificia uteban- „ tur; dicta autem eſt ſeceſpita à ſecando. *Aſperſorium* quidam vocant, quo aquam luſtralem aſpergebant; unde Virgilius:

—— ter pura ſocios circumluit unda,
Spargens rore levi. ——

Et alibi:

—— corpuſque recenti
Spargit aqua.

Vas ſacrificale eſt vel capedo, vel ſimpuvium. De *capedine* Cic. in Paradoxis: *Quid autem Numa Pompilius? minuſne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles urnulas, quam filicatas aliorum pateras fuiſſe arbitramur?* & lib. III. de Nat. *Docebo, meliora me didiciſſe de colendis diis immortalibus jure pontificio, & more majorum, quam capedunculis, quas Numa nobis reliquit.* De Simpulo Feſtus: *Simpulum, vas parvum non diſſimile cyatho; quo vinum in ſacrificiis libabatur*, à ſumendo dictum, Varrone auctore, ut fortaſſe à capiendo *capedo* dicta eſt; & Juvenal. Satyra ſexta:

aut qui Simpuvium ridere
Numæ, nigrumque catinum.

& Plin. lib. XXXV. „ In ſacris quidem etiam „ inter has opes non murrhinis cryſtalliniſve, „ ſed fictilibus prolibatur ſimpulis. His igitur rationibus adducti multi, inſtrumenta hæc quibus elephantes interficerentur, eſſe jure negant; pontificalia autem (ut dixi) inſignia eſſe aſſerunt; quæ divo Julio Cæſari conſecrato & in deos relato tributa ſint ab Auguſto, qui in patris pont. max. mortui honorem hunc nummum percuſſerit; itaque ab altera parte eſſe elephantem, conſecrationis ſymbolum; unde Sueton. in Claudio ſcripſerit: „ Claudius aviæ Liviæ divinos hono- „ res, & circenſi pompa currum elephantorum „ Auguſteo ſimilem decernendum curavit; eadem etiam de cauſſa anguem elephanti ipſi eſſe ſubjectum: qui auctore Plutarcho in Cleomene heroibus ſacer eſſet; unde Virgilius in v. de angue ad tumulum Anchiſæ mortui dixerit:

Incertus geniumne loci, famulumve parentis:

A cum apotheoſim ejus ſignificare vellet: ut ait Servius. Sed ſive hæc, ſive alia ſunt, profecto nihil hic nummus ad eum qui primum elephantem occidit, neque ad ipſa demum elephantorum interimendorum inſtrumenta pertinet, quod amicus meus ingenioſe potius quam vere confinxit: præſertim vero cum fabrile ſcalprum cum malleo ad ejuſmodi belluas interimendas adhibitum ſit, auctore Livio.

CENSORINUS, Marcius vocatus fuit: quod bis cenſor factus eſt. Valerius, Capitolinæ cenſuræ.

FLAMINIUS, Quinctorum & Claudiorum: AUGURINUS. Minervorum eadem

B ratione cognomen fuit, ab inſigni fortaſſe aliqua re vel in flaminio vel in auguratu geſta.

SACERDOTIS cognomen tulerunt Licinii.

AUGUR, Q. Scævola. PONT. MAX. alter Q. Scævola, ab ipſo ſacerdotio quo fungebantur, vocati ſunt.

CURIO, Scriboniorum cognomen fuit: quod qui primus id tulit, curio maximus fuerit: ut ex Livio intelligi poteſt; qua ex familia C. Curio conſul, qui de Macedonia triumphavit, & C. Curio filius tribunus pl. auctor civilis belli fuit, ad quem ſunt epiſtolæ Ciceronis in ſecundo libro; de quibus epi-

C ſtolis ſic ſcribit amicus meus in lib. de nominibus: „ Ambiguitas eſt in nomine Curionis „ lib. II. epiſt. fam. In qua re multi decepti „ ſunt, non diſtinguentes patrem Curionem „ à filio. Nam illæ epiſtolæ, NON dum erat „ auditum; &. SERA gratulatio, ſcribuntur „ ad patrem. Hæc ille. Hanc tamen opinionem intelligo à ſcholis omnibus eſſe repudiatam; neque enim videre ſe eruditi homines ajunt, quemadmodum, cum in extrema epiſtola de tribunatu C. Curionis filii agatur, ea epiſtola ad patrem transferri poſſit, qui multis ante annis conſul triumphaverat; in priore vero, cum de reditu Curionis ex Aſia agatur, cur non idem ſit Romam revertens,

D qui fuerat abſens: id eſt, cur non ad eundem redeuntem hanc ſcripſerit, ad quem abſentem ſuperiores ſcripſerat: præſertim vero, cum in ſuperioribus de patris clariſſimi viri obitu mentionem fecerit.

THURINUS, cognomen Octavio puero fuit: quod in regione Thurina natus ſit. Suetonius in Auguſto.

SYLLA, P Cornelius dictus, quod decemvir, aut prætor, ex libris Sibyllinis ludos Apollinares inſtituit; ſiquidem Sylla, quaſi Sibylla appellatus eſt. Macrobius; quod cognomen poſt in familia manſit.

AUGUSTUS Cæſar Octavianus dictus eſt, honoris & amplitudinis cauſſa. Suetonius.

E *A corporis partibus.*

A corporis autem partibus tot cognomina tracta ſunt, ut vix comprehendi oratione poſſe videantur. Nam à capite CAPITONES, CILONES, & TUDITANI ſunt. *Cilones* enim dicti ſunt, quorum capita oblonga & compreſſa ſunt: ut ait Cariſius. Feſtus autem eos eſſe ait, quorum frons eſt eminentior, ita ut dextra ſiniſtraque velut reciſa videatur. Fuit vero cognomen Flaminiorum: unde in nummis argenteis, L. FLAMINI. CILO. *Tuditani*, qui caput ſimile malleo habeant.

Tudites enim, mallei ſunt: à tudendo dicti. Jam CINCINNATI, CALVI, CRISPI, in Quinctiis, Liciniis, Salluſtio, à capillis ſunt: ut CRISPINUS Quinctiorum. Quare Suetonius Caligulam Cincinnato crinem ademiſſe ſcribit, veteris familiæ inſigne. FRONTONES, à fronte: NASONES, SILI, SIMI, à naſo ſunt. *Sili* ſunt, qui naſo ſunt ſurſum verſus repando, Feſtus. Silus, Sergiorum cognomen fuit; unde in nummis, M. SERGIUS SILUS. De Simis Plinius lib. XI. cap. XXXVIII. *A naribus cognomina Simorum & Silonum*. Videndum tamen ne legendum ſit, Simonum & Silorum. Ita STRABO, PÆTUS, COCLES, LUSCUS, LUSCINUS, RAVILIA, OCELLA, CÆCUS, ab oculis: Plin. XI. cap. XXXVII. *Strabo*, qui perverſis & detortis oculis eſt: Porphyrio, Plinius. Talem autem fuiſſe Cn. Pompejum Magni patrem, cognomine Strabonem, ſcribit idem. PÆTUS, auctore Porphyrione, eſt qui oculis eſt leviter declinatis; vel cujus oculi huc & illuc celeriter moventur, ut ait Acro. Horatius Satyra tertia.

Strabonem appellat Pætum pater.

COCLITEM, luſcum dixerunt; unde Cyclopas coclitas appellarunt. Servius. At Plinius lib. XI. *Qui orbi altero lumine naſcerentur, Coclites dicti*; item Varro de ling. Lat. LUSCUS, Anniorum; LUSCINUS, Fabriciorum cognomen fuit: auctoribus Cap. lap. RAVILIA, à ravis oculis: Feſtus; unde Caſſius Longinus Ravilia. OCELLÆ, qui parvis utriſque oculis eſſent. Plin. lib. XI. unde Ser. Ocella apud Cœlium in VIII. epiſtolarum. Ap. Claudius CÆCUS appellatus, poſtquam aſpectum oculorum amiſit. A ſuperciliis SILONES, id eſt, qui eminentibus ſunt ſuperciliis; à Sileno, qui hirſutis ſuperciliis pingebatur. Nonius ex Varrone. A lingua BALBI, & BLÆSI: quorum illud Aciliorum, hoc Semproniorum cognomen eſt. Sunt autem, qui R. litteram pronuntiare non poſſunt: quo vitio laboravit Demoſthenes. Unde eſt in I. de Orat. Demoſthenes ita balbus fuit, ut ejus artis cui ſtudebat, primam litteram dicere non poſſet, & in Priapo:

Cum loquor, una mihi peccatur littera ſemper.

Nam PRÆ PÆ *dico, blæſaque lingua mea eſt*. Eademque forte ratione BLASIO Corneliorum & Helviorum fuit: *Aures*, inquit Plinius, *homini tantum immobiles, ab iis* FLACCORUM *cognomen*. LABEONES, & CHILONES, à labiis. Plinius, Feſtus, & Cariſius. VERUCOSSUS, à verruca in labiis, Fabii Maximi fuit. Plutarchus, DENTATI, qui cum dentibus nati ſunt. Plin. lib. VII. cap. XVI. Curii & Sicinii cognomen. BARBATUS, Horatiorum, & Scipionum: BARBULA, Æmiliorum, AHENOBARBUS, id eſt, qui ænea barba eſſet, Domitiorum fuit, à barba. Plutarchus in Paullo. A colore RUTILUS, EBURNUS, AQUILINUS; ut ait Feſtus; eademque ratione ALBUS, NIGER, RUFUS, FLAVUS. Jam SCÆVA, & SCÆVOLA, & LÆVINUS; quod læva manu pro dextra uterentur, dicti ſunt: quæ Brutorum, Muciorum, & Valeriorum ſunt cognomina. De Scævola ſcribit Zonaras. MENTO, Juliorum; DORSO, Fabiorum, SCAPUNA, Corneliorum; AXILLA, & AHALA, Serviliorum. A cruribus autem hæc ſunt; VARUS, VATIA, ATTA. *Vari*, qui crura incurva habent; & ſunt contrarii valgis. *Vatiæ*, quibus in exteriorem partem crura flectuntur. *Attæ*, qui propter vitium crurum aut pedum plantis inſiſtunt, & attingunt magis terram quam ambulant; quorum primum, Liciniorum; ſecundum, Serviliorum; tertium, Quinctii poëtæ fuit. Feſtus, Nonius, Plinius. Jam PLAUTI, PANSÆ, PLANCI, SCAURI, quæ pedum vitia ſunt, cognomina Romanis fuerunt. *Plautus* eſt, qui planis eſt pedibus, & nullam habet in medio curvitatem: *Panſa*, cui pedes lati ac panſi: *Plancus*, cui plani pedes: *Scaurus*, qui talos pedum tumentes & porrectos habet. Plinius lib. XI. Feſtus.

A corporis habitu.

A corporis autem habitu ſunt CRASSUS, MACER; utrumque Liciniorum: LONGUS, Semproniorum: GALBA, Sulpiciorum: GRACCHUS, item Semproniorum: PULCHER, Claudiorum: GLABRIO, Aciliorum: COSSUS, & ARVINA, Corneliorum: PAULLUS, Æmiliorum. De *Galba* ſcribit Suetonius in Nerone, atque, an craſſum an macrum ſignificet ambigit. *Gracchum* à gracilitate corporis dictum ſcribit Cariſius: Varro autem à gerendo; quia mater ejus qui primus Gracchus dictus ſit, duodecim menſes uterum geſſerit; ac propterea ſine aſpiratione ſcribendum, ut ait Scaurus. *Glabri*, ſunt duplices. *Coſſi*, rugoſi corporis, à ſimilitudine vermium ligno editorum, qui coſſi dicuntur. Feſtus. *Arvina*, durum eſt pingue, quod eſt inter cutem & viſcus. Servius. *Paullus* (ut puto) parvus eſt, unde Terentius *Paullo ſumptu* dixit; cognomen eſt Æmiliorum, ut PAULLULUS, & MAGNUS Poſtumiorum Albinorum.

Ab ortu.

Jam vero ab ortu dicta ſunt GEMINUS, cognomen Serviliorum, quod primum tulerunt P. & Q. Servilii fratres; quorum Publius hic conſul fuit cum C. Cotta, an. DI. & DV. auctor Cicero in Lucullo. TERGEMINUS, Horatiorum, & Curatiorum. Livius. CORDUS, C. Mucii. Dionyſius. Eſt autem *Cordus*, ſero natus. Quinctilianus. Quare Plutarc. C. Mucium Cordum ὀψίγονον vocat. Priſcus, Tarquinii; quod major natu eſſet. Dionyſius. Idem Priſcus fuit etiam cognomen Serviliorum: ac neſcio an eadem ratione CASCA: quem pro ſene Latini veteres dixerunt, Varrone auctore de lingua Latina. De AGRIPPA & PROCULO Vipſaniorum & Plautiorum cognominibus, dictum eſt in prænominibus.

A loco, unde commigraverint, aut ubi nati ſint, aut ubi habitaverint.

A locis porro, unde quiſque Romam commigraverit, hæc ſumpta ſunt.

SABINUS REGILLENSIS, vel REGILLANUS, ut eſt apud Svetonium; Ap. Claudius dictus; quia ex Regillo Sabinorum oppido venit. Livius.

ANTIAS, Valerius; Plinius in præfatione;

ne; quod Antias eſſet, & diceretur.

AMERINUS, Sex. Roſcius, ex Ameria. Cicero pro Roſcio.

Eadem ratione dicti videntur Furii MEDULLINI, Fuſii CALENI, Sulpicii CAMERINI, Appuleji SATURNINI, Manlii VULSONES, Publii VULSCI, Aulii CERRETANI, Plautii VENNONES, Ælii LIGURES, Cominii AURUNCI. UFENAS certe, & CARRINAS, & MÆCENAS, à loco tracta ſunt; teſte Varrone lib. II. de analogia.

CAPITOLINI, Manlii dicti ſunt etiam, antequam M. Manlius Gallos à Capitolio depelleret, quod in Capitolio habitarent: quod ne quis patricius faceret, damnato M. Manlio, decreto cautum eſt. Livius. Eadem fortaſſe ratione & Quinctii & Seſtii *Capitolini* vocati ſunt; & Genucii AVENTINENSES, quod Aventinum; & Verginii COELIMONTANI, quod Cœlium montem incolerent; & P. Terentius TUSCEIVICALUS apud Livium lib. XLV. quod vicum Tuſcum habitaret.

A principe generis.

Ælius LAMIA, à Lamo Formiarum conditore dictus. Horat. lib. III. Odarum. FUSUS, Futiorum qui ante *Fuſii*, à Fuſo. VOLUSUS, Valeriorum; qui ante *Valeſii* à Valeſo. JULUS, Juliorum, à Julo generis auctore. Marciorum cognomen fuit REX; fortaſſe ab Anco Marcio rege; ſiquidem in nummis quibuſdam eſt ab una parte caput hominis, cum hoc nomine ANCUS; ab altera vero, aquæ ductus, cum his vocibus, AQUA MAR. in ora vero nummi, PHILIPPUS. Nam & *aqua Marcia*, à Marcio rege deducta eſt; & *Philippus* Marciorum cognomen eſt; cujus gentis auctor Ancus Marcius rex.

A ſimilitudine alterius.

Tantam præterea vim habuit ſimilitudo alterius, ut inde cognomina etiam ſæpe inventa ſint; ut de Cn. Pompejo Magno ſcribit Valerius lib. IX. qui MENOGENES à multis dictus ſit quod Menogeni coquo ſuo ſimilis eſſet: & de P. Scipione, qui SERAPIO, à victimario ejus nominis ſibi ſimili: & P. Lentulo, qui SPINTHERIS, ab hiſtrione Spinthere, adeptus ſit cognomen: ſicut alter Scipio SALUTIONIS à Salutione mimo cognomen invenit. Plinius libro VII. cap. XII.

A fortuna.

A fortuna poſtremo hæc ducta: FELIX, FAUSTUS, in Sulla: DIVES, in Craſſis: EGERIUS, ab egeſtate, in Tarquinio, poſt patris avique mortem egeno nato. Dionyſius, Livius.

Cognomina ex cognominibus orta.

Multa etiam cognomina ita immutata ſunt, ut per diminutionem in INUS à ſuo primitivo deflexa ſint. ALBUS enim, quod fuit cognomen primum Poſtumiorum, poſt ALBINUS evaſit: ita RUFUS in Corneliis RUFINUS, MAMERCUS in Æmiliis MAMERCINUS, MESSALLA in Valeriis MESSALINUS: inde iiſdem *Corvus* CORVINUS; in aliis etiam eadem fortaſſe ratione A LONGINUS, CRASSINUS, CALVINUS, LÆVINUS, PAULLINUS, CRISPINUS, CÆSONINUS, PAITINUS, BALBINUS, NIGRINUS; quæ omnia derivata ſunt; item MARCELLINUS, ut in Cn. Cornelio Lentulo Marcellino: quod tamen cognomen in eo adoptionis ſignum fuiſſe arbitror. Hic enim P. Lentuli filius fuit; qui fuit M. Marcelli filius, Cicerone auctore in Bruto.

Cognomina an hereditaria fuerint.

His rebus expoſitis, æquum eſt etiam cognoſcere, quemadmodum ex cognominibus alia ad poſteros quam longiſſime propagarentur, B alia ne ad filios quidem pervenirent: itemque ſuccreſcentibus in eadem gente cognominibus, quemadmodum vetuſtiſſimum quodque aboleretur, recentia vero omnia plerumque retinerentur. Ac primum quidem, qui cognomen patris avive & majorum tulerunt, id ipſum feciſſe videntur præſtanti illius qui primus id cognomen invenit, virtute & gloria adducti; ita tamen ut aut mutare aut relinquere illud cognomen pro arbitratu potuerint; cujus rei eſſe documento poſſunt ea quæ de Cicerone ſcribit Plutarchus: „ Qui primus, „ *inquit*, Ciceronis cognomen tulit, is maxi„ ma laude floruiſſe videtur; quod id cogno„ men à poſteris non ſolum non neglectum C „ ſit, verum etiam ſtudioſe retentum. Et paulo poſt: „ Cum autem M. Cicero, poſtea„ quam magiſtratus cepit, crederetur cogno„ men illud aut vitaturus, aut certe mutatu„ rus, reſpondit, operam ſe daturum ut id „ eſſet & Scauris & Catulis illuſtrius. Præterea vero idem Cicero cognomina hereditaria fuiſſe oſtendit, cum loquentem inducit Africanum cum nepote hoc modo: „ Erit id „ tibi cognomen per te partum, quod nunc „ habes ex me hereditarium. Itaque videmus hac de cauſſa *Album* & *Albinum* per quingentos amplius annos in gente Poſtumia cuſtoditum; *Maximum*que in Valeria, & fere etiam in Fabia; & item in Mucia *Scævolam*. Hoc D tamen non in omnibus ſervatum eſſe inde apparere poteſt, quod *Strabonis* cognomen, quod fuit patris Pompeji Magni, ne filius quidem uſurpavit; neque filii Q. Maximi Oviculæ Verrucoſſi, ea quæ fuerant patris. Novis autem aſcitis familiæ cognominibus vetera eſſe deleta, agnoſci poteſt ex Manlia gente: cujus primum cognomen fuit *Vulſo*, poſt *Vulſo Capitolinus*, tum *Capitolinus Imperioſus*, poſt *Imperioſus Torquatus*; ad extremum autem tantum *Torquatus* retentus eſt.

An æque omnium cognomina fuerunt.

Ex iis quæ dicta ſunt, illud ſatis intelli- E gi poteſt, æque omnes Romanos cives uti inventis cognominibus potuiſſe, neque ipſum cognominum uſum plebi magis interdictum quam optimatibus fuiſſe. Factum eſt tamen, ut, quoniam reſpublica primum in patriciorum poteſtate fuit, eorum etiam ante cognomina celebrata quam plebis ſint. Ubi vero plebs ad rempublicam acceſſit, tum plebejorum etiam ad diſtinguendas familias cognomina audiri, perinde atque imagines ad poſteritatem prodendam poni, ſint cœptæ. Quamobrem amicum meum in lib. de nominibus, in hoc præcepto tradendo ita loquutum eſſe miror: „ Tribus nominibus ſenatores fuiſſe ap-

„ pel-

„ pellatos olim, obſervavi; equites autem & „ plebejos, majori ex parte duobus. Livius „ ubi de tribunis militaribus loquitur, hos „ plebejos nominat, ſic; C. Sextilius, M. Albinus, P. Titinius, L. Antiſtius. Senatores „ autem ita vocabantur; C. Ælius Pœtus, M. „ Licinius Craſſus, M. Porcius Cato.„ Hæc ille. Igitur, quia Livius quatuor tribnnos militum è plebe duobus nominibus afficit, ipſe in univerſum præcipit, equites & plebejos duobus, ſenatores tribus nominibus eſſe uſos, neque, quot incommoda hanc rationem conſequantur, animadvertit. Quid enim ait? an qui ex equeſtri & plebejo ordine in ſenatum legebantur, tum cum legebantur, cognomen inveniſſe, ante lectionem cognomine caruiſſe, atque à lectione ipſa, non ab eventu, cognomen ſumpſiſſe? an vero P. Valerium inquit, eum qui primus conſul ſenatum ex equeſtri ordine ſupplevit, antequam tertium Poplicolæ nomen ferre cœpit, ſenatorem non fuiſſe? an vero aut C. Mænium, aut Ti. Coruncanium, aut C. Duilium, aut Q. Cædicium, aut M'. Manlium, aut Q. Opimium, aut T. Didium, aut Marios, aut Antonios, qui conſulatus, cenſuras, dictaturas geſſerunt, & clariſſimos triumphos egerunt, ſenatores, quia tertio nomine, veteribus & ſcriptoribus & lapidibus teſtibus, caruerunt, non fuiſſe? quid? nonne Cn. Pompejus Magni cognomen tulit, tum cum ex Africa, & ex Hiſpania eques Rom. triumphavit? ſiquidem vivente Sulla id cognomen inveniſſe idem ipſe ſcribit. M. vero Tullius nonne, antequam in ſenatum lectus eſſet, Ciceronis cognomine uſus eſt? At Livius, inquit, quatuor tribunos plebejos ſine tertio nomine ptotulit; ergo plebeji tertio nomine caruerunt. Quis affirmare poſſit eorum cognomina non eſſe à Livio conſulto omiſſa? quod in aliis etiam, eodem ipſo auctore, fecit. Sic enim ait: „ Livius ſæpe duo profert nomina, „ neque caret reprehenſione, quia hiſtorici „ eſt omnia explicare, & debet ſane ſcriptor „ poſteritatis habere rationem magis, quam „ ſuorum temporum. An vero credibile eſt C. Sextilio, & collegis ejus tribunis militum conſulari poteſtate rempublicam domi, foriſque à populo Romano commiſſam eſſe, ſenatum, in quem ſæpe homines nullo uſi honore pro arbitratu cenſorum legebantur, eis lectione cenſoria non patuiſſe? Neque vero ſenatores pro patriciis eum ſumpſiſſe, atque patricios tribus, plebejos duobus uſos eſſe cognominibus, intellexiſſe puto; præſertim vero cum C. Ælius Pætus, M. Licinius Craſſus, M. Porcius Cato, quos ille ſenatores appellat, plebeji fuerint; quod ne illum quidem latere exiſtimo. Quid quod Pauſanias, ut ante oſtendi, Romanos minimum tribus, plerumque pluribus nominibus eſſe uſos tradidit? Mihi quidem hæc ejuſmodi præceptio non ſatis in univerſum probari, niſi exceptione, aut interpretatione aliqua illuſtretur, poteſt.

CAP. VI.

De patriciis familiis, & plebejis, nobilibus, & novis.

HActenus de gentium & familiarum Romanarum origine, nunc de familiarum conditione dicamus: quas, ſi genus ſpectabimus, alias patricias, alias plebejas; ſi honores, partim nobiles, partim novas eſſe conſtituemus. De quibus omnibus ſigillatim mihi videtur eſſe dicendum, ut hæc tota de nominibus Romanis ſuſcepta diſputatio perficiatur; ac primum de patriciis & plebejis.

Romulum ſcribit Dionyſius urbe condita totum populum in duas partes diſtribuiſſe; unam, eorum qui inter ceteros aut genere, aut virtute, aut divitiis excellebant; alteram eorum qui his omnibus rebus inferiores erant: atque illos quidem, patres; hos vero, plebejos nominaſſe: *Patres* autem, vel ab ætate, quaſi ſenes; (unde *Senatores*) vel quod filios, vel quod patres haberent; plebeji non haberent; vel denique Athenienſium exemplo, qui ſummo loco natos, εὐπατρίδας; obſcuro, ἀγροίκους vocarunt, appellaſſe; ut autem patriciis ſacra, judicia, magiſtratus, ſenatum & totius reipublicæ adminiſtrationem commiſiſſe; ſic plebejos, his omnibus muneribus vacuos, quæſtuoſis artibus operam dare voluiſſe. Itaque in hanc ſententiam apud Livium lib. x. P. Decins plebejus, apud patres loquutus eſt ita: „ Semper iſta audita ſunt eadem; penes vos „ auſpicia eſſe, vos ſolos gentem habere, vos „ ſolos juſtum imperium domi militiæque. Et lib. vi. Ap. Claudius patricius, ſic: „ Penes quos ſunt auſpicia more majorum? nempe penes patres; nam plebejus quidem magiſtratus nullus auſpicato creatur; nobis adeo „ propria ſunt auſpicia, ut non ſolum quos „ populus creat patricios magiſtratus, aliter „ quam auſpicato creet; ſed nos quoque ipſi „ ſine ſuffragio populi auſpicato interregem „ prodamus, & privatim auſpicia habeamus; „ quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent. „ Quid igitur aliud quam tollit ex civitate „ auſpicia, qui plebejos conſules creando, à „ patribus, qui ſoli ea habere poſſunt, aufert? Et lib. iv. Livius: „ Interroganti tribuno, „ cur plebejum conſulem fieri non oporteret, „ reſpondit, quod nemo plebejus auſpicia haberet; ideoque decemviros connubium diremiſſe, ne incerta prole auſpicia turbarentur. „ Plebs ad id maxime indignatione exarſit; „ quod auſpicari, tamquam inviſi Diis immortalibus, negarentur poſſe. Et alibi: „ Connubia communicata ſunt; quibus ſacra „ confuſa ſunt, & auſpicia. Atque hæc eadem etiam ratione adductus Scævola, in Topicis apud Cic. *Gentiles* definit, qui inter ſe eodem nomine ſunt, & qui ab ingeuuis oriundi ſunt, quorum nemo ſervitutem ſervivir, nec capite diminutus eſt. Hæc autem definitio apte in patricios Romuli cadit; de quibus P. Decius ſic apud Livium loquitur: „ En Romæ umquam fando audiſtis, patricios primum eſſe factos, non de cœlo demiſſos, „ ſed qui patrem ciere poſſent; id eſt, nihil „ ultra quam ingenuos? At Ap. Claudius: „ An hoc, ſi Claudiæ familiæ non ſim, nec „ ex patricio ſanguine ortus, ſed unus Quiritium quilibet, qui, modo me duobus ingenuis ortum, & vivere in libera civitate „ ſciam, reticere poſſim? Quibus ex rebus intelligi poteſt, *gentem* primum de patriciis dictam, quod ſoli ipſi eam haberent; (unde etiam *majorum & minorum gentium patricii* dicti ſunt) poſt ad plebejos etiam eſſe tranſlatam, qui duobus, ut patricii, eſſent ingenuis orti; qui iidem poſtea non ſolum gentem adepti ſunt, ſed procedente tempore patricios magiſtratus omnes, ſacerdotia, auſpicia, ordines, imperia, & triumphos ſunt aſſequuti. Eſt præterea intelligendum, *qui civitate*

tate Romana donabatur, eum plebejum fuiſſe; A
patricium autem neminem, niſi nominatim vel à regibus, vel à populo, vel denique ab imperatore factus eſſet, fuiſſe. De Romulo Dionyſius ita libro tertio: πατρικίους ἐποίησε, καὶ κατέλεξεν εἰς τὸν τῆς βουλῆς ἀριθμόν. Albanas porro familias, Juliam, Geganiam, Metiliam, Quinctiliam, à Tullo Hoſtilio in patricias eſſe translatas, Livius & Dionyſius auctores ſunt; Octaviam à Ser. Tullio, Svetonius. Poſt reges autem exactos Ap. Claudium à populo patricium factum. Dionyſius lib. v. his verbis: ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος εἰς τοὺς πατρικίους αὐτὸν ἐνέγραψεν; & Livius lib. IV. in oratione Canuleji trib. pleb. „Quid? hoc ſi polluit nobilitatem „iſtam veſtram; quam plerique oriundi ex B
„Albinis & Sabinis, non genere nec ſangui„ne, ſed cooptatione in patres habetis, aut „à regibus lecti, aut poſt reges exactos, „juſſu populi, &c. De Cæſare autem ita Svetonius: *Senatum ſupplevit, patricios allegit*; quod interpretatur Dio, ita: ἐς τὴν γερουσίαν ἀνέγραψεν, καὶ ἐς τοὺς εὐπατρίδας ἐγκατέλεξεν. De Auguſto item Svetonius: *Senatum legit, patriciorum numerum explevit*; quod Dio ita expreſſit: ἐπίρει δὲ τινὰς βουλῶν ἐποίησε, ὡς τὸ τῶν εὐπατριδῶν γένος συμπληρῶσαι. De Claudio Tacitus lib. XI. „In numerum patriciorum ve„tuſtiſſimum quemque è ſenatu aſcivit, pau„cis jam reliquis familiarum, quas Romulus „majorum, & L. Brutus minorum gentium C
„appellaverunt; exhauſtis etiam quas Dicta„tor Cæſar lege Caſſia, & princeps Auguſtus „lege Senia ſublegere. Fuiſſe enim hanc patriciorum diſſimilitudinem, quod *alii majorum, alii minorum gentium* eſſent, Livius & ceteri auctores ſunt; quamquam non eodem modo omnes. Livius enim quos Romulus primum legit, eos majorum gentium; quos Tarquinius Priſcus, minorum; quos liberata civitate L. Brutus, *patres conſcriptos* appellat: quos ipſos Tacitus minorum gentium vocat. Hinc Cicero ad Papirium, aliquot patricios Papirios, quamquam minorum gentium, nominat. An vero minorum gentium omnes, præter eos quos Romulus primum fecerat, dicerentur, D
facile vocari in quæſtionem poſſit. Cur autem unius gentis ac nominis familiæ altera patricia, altera plebeja fuerit, quales pleraſque fuiſſe reperimus, nemo adhuc tradidit; nos cauſſas has potiſſimum reddi poſſe putamus: Unam, quod non ab eodem ambæ fonte fluerent; ut ſi quis familiam M'. Tullii Longi, qui patricius anno poſt reges exactos decimo conſul cum Ser. Sulpicio fuit, quæ à Ser. Tullio rege duceretur, diverſam eſſe à M. Tullii Ciceronis oratoris familia dixerit, qui plebejus fuit; quam à Tullo Attio Volſcorum rege, qui multo poſt Ser. Tullium regem vixit, manaſſe, quibuſdam, auctore Plutarcho, placuit. Alteram, quod ex patricia aliqua gente E
alii ad plebem ſe contulerint, alii in patriciatu remanſerint; ex plebeja vero alii à plebe ad patres tranſierint, alii non tranſierint; ſiquidem ſcribit Svetonius gentem Octaviam in patricias tranſductam procedente tempore ad plebem ſe contuliſſe, ac rurſus per divum Julium in patriciatum rediiſſe; & Cicero in Bruto: „Tranſitiones, *inquit*, à plebe ſunt „cum homines humiliores in alienum ejuſ„dem nominis infunduntur genus, ut ſi ego „me à M'. Tullio eſſe dicerem, qui patri„cius cum Ser. Sulpicio conſul fuit. L. etiam Minucium Augurinum patricium ad plebem tranſiſſe, & tribunum plebis undecimum factum eſſe tradit Plinius; tertiam, ab adoptione, ut cum plebejus à patricio, aut contra patricius à plebejo adoptaretur; neceſſe enim erat eum conditionem ſequi adoptantis; ita M. Brutus plebejus à Q. Cæpione patricio adoptatus, & Q. Cæpio Brutus dictus, & P. Scipio patricius à Q. Metello plebejo adoptatus, & Q. Metellus Scipio dictus, patriciam Brutorum, & plebejam Scipionum familiam reddiderunt. Quartam à libertate; liberti enim aſſequuntur illi quidem nomen domini gentilicium, at conditionem, ſi patricius ſit, non aſſequuntur. Unde Horatius Flaccus plebejus, cum & Horatii patricii ſint; quanquam nec qui adoptione, nec qui manumiſſione in alienam gentem migrabant, gentiles cum iis fuiſſe ex Scævolæ definitione videntur, vel à quibus, vel ad quos tranſibant: illi quod capite diminuti eſſent, hi quod ſervitutem ſerviſſent; ut in Topicis exponit Boëtius. Quintam, à civitate; nam qui civitatem beneficio alicujus patricii impetrabant, ii nomen ejus tantum adipiſcebantur, in plebe autem remanebant; & ſi quæ aliæ ſunt ejuſmodi. Hæc de patriciis & plebejis. *Nobiles* autem, primum patricii dicti ſunt, quippe quibus primum honores ii ex quibus nobilitas comparatur, in republica patuerunt: poſt autem plebeji etiam, ubi primum ad curules honores pervenerunt, nobiles dici cœpti ſunt; neque enim ex genere nobilitas, ſed ex imaginibus paratur; ſiquidem ii nobiles dicti, qui majorum ſuorum imagines haberent. *Imaginem* autem *ſui ponere*, ac poſteris tradere non poterant, niſi qui curulem magiſtratum geſſiſſent; quorum poſt aliquot tempora primus eſſe cœpit ædilitas curulis; qui magiſtratus ante patriciis patuit quam plebejis; eſt autem *Imago*, ut ait Polybius libro v., ſimulachrum oris ſimilitudinem affabre miroque artificio effictam, coloribus pigmentiſque adumbratam referens: quam in inſigniori & celebriori domus parte collocabant. De jure autem ponendarum imaginum ſic Cicero in Verrem: „Ego me ob ædilita„tem mihi delatam adeptum eſſe intelligo an„tiquiorem in ſenatu ſententiæ dicendæ lo„cum, togam prætextam, ſellam curulem, „jus imaginis ad memoriam poſteritatemque „prodendam; „ſic enim legit Nonius; & contra Rullum: „Eſt hoc in more poſitum, „Quirites, ut ii qui beneficio veſtro imagi„nes familiæ ſuæ conſequuti ſunt, eam pri„mam habeant concionem, qua gratiam be„neficii veſtri cum ſuorum laude conjungant. Eſt autem conſequi imagines familiæ, magiſtratus curules à majoribus ſuis item geſtos capere. *Novi* autem dicti ſunt, qui nulla majorum commendatione, ipſi primi ad magiſtratus curules pervenerunt; quod intellexit etiam Plutarchus, cum in Catone majore ita ſcripſit: Εἰώθεσαν δὲ οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς ἀπὸ γένους δόξαν οὐκ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὑτῶν, καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους, ὥσπερ καὶ τὸν Κάτωνα προσηγόρευον: & App. lib. II. Καλοῦσι δὲ καινοὺς, τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους. Itaque Cicero in Rullum ait: „Me hominem novum, „conſulem feciſtis. *Item*: Mihi apud vos de „meis majoribus dicendi facultas non datur: „non quod non tales fuerint, quales nos il„lorum ſanguine creatos, diſciplinisque in„ſtitutos videtis: ſed quod laude populari, „atque honoris veſtri luce caruerunt. *Item*: „Quemadmodum cum petebam, nulli me

„ vobis auctores generis mei commendarunt: ſic, ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines quæ me à vobis deprecentur. „ Et in Piſonem: „ Obrepſiſti ad honores commendatione fumoſarum imaginum. „ Et Livius lib. I. „ Ancus Marcius nobilis una imagine Numæ; „ & lib. III. „ Ap. Claudium, virum honoratiſſimæ imaginis futurum ad poſteros, legum latorem, conditoremque Romani juris. „ Et Svetonius in Veſpaſiano: „ Flavia gens obſcura illa quidem, ac ſine ullis majorum imaginibus, ſed reipublicæ non pœnitenda. „ Et Pædianus in orationem in toga candida: „ Cicero competitores quatuor plebejos habuit: ex quibus duo nobiles, duo qui tantum non primi ex familiis ſuis magiſtratum adepti erant. „ Et Livius lib. XXII. „ Nec finem ante belli habituros quam conſulem vere plebejum, id eſt hominem novum, feciſſent: nam plebejos nobiles, jam iiſdem initiatos eſſe ſacris, & contemnere plebem, ex quo contemni deſierint à patribus. „ Et Plin. lib. XXXV. cap. II. „ Exſtat Meſſallæ oratoris indignatio, qua prohibuit inſeri genti ſuæ Lævinorum alienam imaginem; ſimilis cauſſa Meſſallæ ſeni expreſſit volumina illa quæ de familiis condidit, cum Scipionis Africani tranſiſſet atrium, vidiſſetque adoptione teſtamentaria Salutionis (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore, notam irrepentem Scipionum nomini.

C A P. VII.

De alia nominandi ratione.

HÆc igitur omnia cum illi haberent quaſi inſtrumenta quædam nominandi, prænomen, nomen, atque cognomina: non his tamen contenti, alia etiam ad ſingulos ſignificandos, exempli cauſſa patris aut avi prænomen, tribuſque nomen, adhibuerunt; quod cum ex vetuſtis illorum monumentis, tum maxime ex Pædiano cognoſcitur, qui in II. in Verrem ſic ait: „ Moris fuit, cum aliquis civis Rom. oſtendendus eſſet, ſignificaretur aut à prænomine ſuo, aut à nomine, aut à cognatione, aut à cognomine: aut à tribu, in qua cenſeretur: aut à curia: aut à cenſu, ut, ſi eſſet ſenator equeſve Romanus. Quod autem à cognatione ſignificatos eſſe ſcribit, à patris, vel avi, vel proavi prænomine, puto intelligi eum voluiſſe. Nam quod à patris prænomine nominandi conſuetudo fuerit, pleni ſunt omnes libri; ut, Q. Cæcilius L. F. A patris autem & avi, Capitolina marmora ſatis oſtendunt: à proavi vero, epigramma quod eſt in lib. Vet. inſcriptionem ejuſmodi:

L. MUNATIUS L. F. L. N. L. PRON.
PLANCUS. COS. CENS. IMP. ITER.
VII. VIR EPUL. TRIUMPH. EX RHETIS.
ÆDEM SATURNI F. DE MANUBIIS.

A AGROS DIVISIT IN ITALIA BENEVENTI.
IN GALLIA COLONIAS DEDUXIT LUGDUNUM ET RAURICAM.

Invenio etiam ſignificatos eſſe à cognomine patris multos: ut Q. Fabius Maximi filius: T. Quinctius Capitolini filius; & in adoptivis; ut, Metellus Naſicæ F. & in vetere lapide Romæ:

P. CORNELIUS PAULLI F. SCIPIO
ÆMILIANUS COS. II. CENSOR.
AUGUR TRIUMPHAVIT.

& in nummis aliquot argenteis apud clariſſi-
B mum virum Andream Lauredanum:

A. POSTUMIUS COS.
BRUTI F. ALBINUS.

Porro autem, quod à tribu ait, id tale eſt; cum tribus omnes Romæ XXXV. numerarentur, atque ex iis aliquam neceſſe eſſet, cujuſque ordinis eſſet, civis Romanus obtineret, iccirco factum eſt ut à tribu, in qua cenſeretur, ſignificaretur; tribus autem nomen in auferendi caſu poneretur. Ita legimus in II. Verr. *C. Verres Romilia*: & alibi; *L. Claudius Palatina*; & in IX. Philip. *Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus*. Nam Romilia, Palati-
C na, & Lemonia, tribuum nomina ſunt. Tribus autem ipſa prioribus fere tantum litteris ſignificabatur. Quod videmus adhuc in epiſtola Cœlii eſſe retentum; hoc modo; C. Lucejus C. F. Pup. Hirrus: C. Scribonius C. F. Pop. Curio; id eſt, Pupinia, & Popilia; quo in loco multa in hanc rem à Paulo Manutio diligentiſſime atque ingenioſiſſime ſunt collecta.

C A P. VIII.

Quæ de nominibus Romanorum tradita ſunt, ea ſtante rep. obſervata eſſe intelligi.

D HÆc habui quæ de nominibus Romanorum dicerem, quæ certa verum auctoritate confirmarentur; quorum veſtigiis inſiſtentem, haud difficile unumquemque ea quæ à me prætermiſſa ſunt, indagaturum eſſe opinor. Eſt igitur intelligendum, hanc, de qua diximus, nominum rationem, ſtante potiſſimum rep. conſervatam eſſe; poſt autem cum libertate hanc etiam religioſam deſcriptionem labi ex omni parte cœpiſſe; ſiquidem aliquot quæ ante cognomina fuerant, pro prænominibus cœpta ſunt uſurpari. Nam Julum Antonium Africanum, Paullum Fabium Maximum, Potitum Valerium Voluſum, Coſſum Cornelium Lentulum, ſane animadvertere
E licet, imperante Auguſto iis prænomibus eſſe præditos, quæ ante cognomina fuerant; quod ipſum Valerius quoque & Priſcianus docuerunt.

F I N I S.

CAROLI SIGONII DE DIALOGO *LIBER*,

IN QUO

De perſonis, de locis, ac tempore ſcribendi Dialogi vocatis ad examen antiquorum Philoſophorum auctoritatibus, elegantiſſimè diſſerit.

REVERENDISSIMO DOMINO
JOANNI MORONO
S. R. E. CARDINALI

CAROLUS SIGONIUS S. P. D.

ANtiquum morem dialogorum, Joannes Morone Card. ſi quis hoc tempore præceptis litterarum includere, atque ad aliquam artis rationem revocare velit, rem ille meo judicio aggredietur difficilem, ac multis partibus impeditam. Etenim ſi conſiderare attentè, & contemplari diligenter voluerit, profectò paucas eſſe artes, ac diſciplinas inveniet, quæ tam multis ad tractandum ſint obſtructæ difficultatibus, quàm quæ in fingendis ſermonibus, quemadmodum dialogus, occupantur. Quippe quæ decoro in primis, & veriſimilitudini ſerviant, quibus tuendis officiis nihil in omnibus artibus fuit unquam vel doctiſſimorum hominum judicio difficilius. Accedit, quòd cum cætera, quæ arte, & doctrina aliqua continentur, veteris aliquod induſtriæ, ac diligentiæ lumen habeant, quod in tantis ille horum ſtudiorum prope tenebris procul intuens ad laudem ingrediatur, hoc genus omni priſcarum litterarum ſubſidio, atque inſtrumento nudatum ita eſſe reperiet, ut quo, aut unde ſe referat, tanquam ſine filo, ut ajunt, labyrinthum ingreſſus, vix longa conſultatione ſtatuere queat. Quo mihi vehementius hoc tempore laborandum eſt, ut ſuſceptum hujus renovandæ, atque à ſilentio, & oblivione hominum vindicandæ doctrinæ munus, quantum conſequi ſtudio, atque induſtriâ poſſum, commodiſſimè tuear. In quo ea me præter cæteras jam nunc urgeri difficultate cerno. Qui ſi propriis ingenii, atque induſtriæ meæ viribus, quæ quàm exiguæ atque imbecillæ ſint, non ignoro, univerſum me hujus diſputationis onus ſublaturum eſſe profitear, vereor, ne jure aliis imprudens, nonnullis verò fortaſſe etiam impudens videar: ſin autem nihil me dicam, quod ab antiquorum conſuetudine diſciplinæ abhorreat, allaturum, ſed ex præclaris eorum monumentis, tanquam ex uberrimis quibuſdam fontibus omnes hujus quæſtionis rivulos deducturum, ne verò mecum ipſe pugnare exiſtimer, pertimeſco. Qui quod genus apud veteres neglectum, deſertumque eſſe affirmem, id ipſum pulcherrimis veteris illius doctrinæ pigmentis me pollicear expreſſurum. Eſt tamen quo me in his poſitus anguſtiis, ac difficultatibus tuear. Ego enim ita ſtatuo, primùm antiquorum eam fuiſſe ingenii, atque doctrinæ facultatem, & copiam, nihil ut ſit in rerum ratione tam reconditum, atque ab hominum oculis, mentibuſque remotum, quod non aliqua ratione præceptis, & inſtitutis eorum variis perſequendis è tenebris educi, atque in lucem, conſpectumque proferri poſſit, ſi quis ſtudium, ac diligentiam adhibuerit. Deinde verò, cum artem omnem conſtet, aſſiduâ illorum, qui in aliquo ſtudio cum laude verſentur, obſervatione conſtitui, nihil eſſe debere impedimento puto, quin quam illi cæteris in rebus rationem, eandem nos quoque eorum imitatione adducti ad dialogi doctrinam, atque artem conficiendam adhibeamus. Adeo ut ſi quid Plato, quid Xenophon, quid Cicero ſpectaverint, quos in hoc ſcribendi genere præter cæteros excelluiſſe, omnes fatentur, attulerimus, ſatis officio noſtro feciſſe, ac quid in tanto munere præſtari, & caveri oporteat, cumulatè docuiſſe videamur. Sed hæc quidem poſt facilius, cum de re diſputabitur, apparebunt. Nunc autem te intuens, Joannes Cardinalis, cujus hæc mihi ſcribenti venerabilis ſpecies, & eximia virtus aſſiduè ante oculos obverſatur, vehementius quoque conturbor, cum hominis, quem mihi appellandum hujus inſcriptione libelli ſuſcepi, ſummam dignitatem, inſtitutumque vitæ conſidero. Vix enim mihi perſuadere poſſum, te tum majoribus eccleſiæ Dei muneribus impeditum, tum gravioribus aliis Chriſtianæ pietatis ſtudiis occupatum ad hæc ipſa, qualiacunque ſint, ne oculis quidem perluſtranda ſpatii aliquid habiturum. Quin etiam venit in mentem aliquando ſubvereri, ne judices ſubtiliorem hanc omnem

de dialogo quæſtionem à philoſophis quondam otio abundantibus, atque doctrinâ in ſcholis excultam, otioſis potius nonnullis hominibus, ac de unius humanæ doctrinæ laude nimis anxiè laborantibus convenire, quàm tibi, cujus omnis eſt ad rectiſſimas pro Chriſtiana republica actiones, & ad ſanctiſſimam divinarum rerum contemplationem cogitatio, & cura converſa. Atque hæc quidem etſi ego eſſe veriſſima ſentio, fit tamen neſcio quo modo, ut cum ex altera parte humanitatis, quæ in te præcipuè elucet, magnitudinem mihi propono, prorſus non deſperem, eorum tibi ſtudiorum memoriam non omnino injucundam futuram, unde & excellentium quondam virorum omnium ferè laus eſt conformata, & tu inprimis ad tantam, & ſapientiæ, & virtutis præſtantiam perveniſti. De qua quotieſcumque cogito (ut autem ſæpius id faciam, præcipua quædam, qua te puer olim in patria mea ſummum ſacrorum antiſtitem venerari, ac colere inſtitui, animi erga te mei propenſio cogit) toties honeſtiſſimo tuo excitatus exemplo ad verum pietatis, & fidei cultum, & ad ſolidam laudis rationem non ambitioſâ aliqua veteris philoſophiæ doctrinâ, ſed ſolâ vitæ innocentiâ, ac Chriſtianæ religionis diſciplinâ perſequendam accendor. Sed de præclaris tuis quidem laudibus, alias commodiore loco pluribus.

SUM-

SUMMA QUÆSTIONUM,

QUÆ PRÆCIPUE

IN HOC LIBRO TRACTANTUR.

QUæ cauſſæ philoſophos impulerint ad doctrinam in dialogo tradendam. 435. A.
Quis primus dialogum in philoſophiam induxerit: & qui eum celebrarint. 438. C. 441. A.
Quarum artium ſubſidiis dialogus ſuſtineatur. 441. E.
Quæ ſit dialogi definitio; ubi de genere, & differentiis dialogi agitur. 443. B.
De partibus dialogi, præparatione, & contentione. 451. A.
De decoro, & veriſimili ſervando in dialogis. ib. C.
De genere perſonarum, quæ inducuntur. 453. D.
De officio perſonarum, quæ inducuntur. 456. A.
De loco & tempore colloquiis idoneo eligendo. 458. D.
Quibus ex locis dialogi præparatio deducatur. 461. D.
De duabus partibus contentionis, propoſitione, & probatione. 466. D.
Quot modis propoſitio in dialogo conſtituatur. 467. A.
Contentionem contineri imitatione decertationis, ſententiæ, & morum. 468. D.
Quæ ſit ſententiæ imitatio. ib.
Sua cuique rei apta argumenta eſſe adhibenda. 469. D.
De ſingulis generibus dialogorum Platonis, & quomodo ſcripti ſint. 472. B.
De ſingulis generibus dialogorum Xenophontis. 481. B.
De ſingulis generibus dialogorum Ciceronis. ib. D.
De moribus in dialogo ſervandis. 483. E.
De riſu facetiis in dialogis quærendo. 487. B.

CAROLI SIGONII DE DIALOGO LIBER.

NUnc verò de dialogo ſic agemus, ut omnem diſputationem ab ejus definitione explicanda ducamus; quod in primis divinum hominem facere ſolitum Ariſtotelem intelligimus. Verum antequam quid ſit dialogus, aut qualis inveſtigetur, tres nobis quæſtiones videntur eſſe attingendæ utiles in primis, ac neceſſariæ; primum, quæ cauſſa philoſophos impulerit ad doctrinam in dialogo, & diſputatione tradendam, deinde quis hoc ſcribendi genus in philoſophiam primus induxerit, poſtremo quarum artium adminiculis egregia hujus ratio diſciplinæ innixa ſit. Dicamus autem primum de prima. Mihi quidem horum de ſtudiorum laude diligentius cogitanti cum multæ aliæ rationes, cur dialogus à philoſophis ſit inventus, occurrunt, tum hæ præcipue duæ, quas in doctiſſimis duorum philoſophorum commentariis, Ammonii, Simpliciique reperio, quarum una eſt ab imitandi conſuetudine tracta, ab ratiocinandi altera. Imitandi vero dixi, quia ſi quis omnia circumſpiciat, facile intelliget quæcunque apud veteres prodita literis, & conſignata monumentis ſunt, omnino aut ſimplici expoſitione, aut adhibito aliquo imitandi ſtudio memoriæ commendata. Hæc autem ſunt, quæ iidem illi αὐτοπρόσωπα, καὶ διαλογικὰ συγγράμματα nominarunt, quorum eam fuiſſe vim Ammonio placet, ut in iis officium omne diſputationis auctor ipſi doctrinæ ſubiret, in his aliena inducenda perſona ſibi ſubſidium compararet. Id quod quia aſſequi ſine aliqua alieni ſermonis ſimulatione non poſſet, propterea ad imitationem, quaſi quidam poeta confugeret. Imitari autem hoc loco dico, quemadmodum in tertio de republica optimus totius hujus diſciplinæ auctor definivit Plato, ſimilem ſe ei, quem imiteris aut voce aut figura præſtare. Cujus definitionis non eſt ea ſententia, quam ſignificavit in 2. de orat. Cicero, cum de ea exercitatione, qua imitando laus patitur eloquentiæ, diſputaret, ut imitari ſit, quem probes, in eo, quæ maxime excellant, diligentiſſime perſequi. Etenim ſi quis diligenter attenderit, facile inveniet, poſſe nos duobus modis aliquem ſive oratorem, ſive poetam imitando effingere, uno, ſi tota mente, atque omni animo eum intuentes, quàm maxime poſſimus, verborum gravitate, & elegantia, & copia figuræ ejus, formæque dicendi ſimilitudinem aſſequamur; altero, ſi ejus perſona ſumpta, orationem ejuſdem ita ſimulemus, ut qui audiunt, non nos loqui putent, ſed illum ipſum, quem nobis delegimus imitandum præclare, neque enim idem eſt omnino ſtudium, ſi quis divinam illam dicendi copiam, in qua unus præ ceteris excellit Cicero, conſectetur imitando, atque ſi ipſum loquentem faciens, in ejus oratione mores, ac motus animi ejus effingat; neque eadem artificii laus debetur, ſi quis Tiziani pictoris hoc tempore nobiliſſimi in exprimenda viri alicujus effigie ſolertiam imitabitur, atque ſi ipſum agentem, aut meditantem aliquid ea elegantia ſimulabit, ut illum ipſum, non ejus imaginem videre, & ex ea mores, ac perturbationem animi perſpicere videaris, quorum quantum inter utrunque genus interſit, quis eſt tam ignarus rerum, qui non videat? ſiquidem in eo ſtudio ad noſtram utilitatem, in hoc ad alienam delectationem elaboramus, atque imitatorum eorum diligentiam ratione, horum virtutem ipſo omnium acerrimo judice ſenſu judicare ſolemus. Ergo, qui, ut ad rem redeam, in dicendo ita verſabitur, ut præclare alterius, quem loquentem exprimat, orationem effingat, is optime eſſe imitatus altero genere imitationis exiſtimabitur, cujus ea in ſcriptis laus non eluceſcet, is ſive verſum, ſive orationem attulerit, longe erit ab omni imitationis ſtudio, ſi Platoni credimus, amovendus; cujus hæc aperte in eo loco ſententia eſt, ſi ſe poeta non occultaverit, id eſt, ſi perpetuam narrationem nullo inducto ſermone attulerit, ipſum omni prorſus imitationis laude vacaturum. Ita fit, ut Ariſtotelem, ceteroſque qui præcepta rerum graviſſimarum pedeſtri oratione complexi ſunt, ab omni prorſus imitatione excludere oporteat, quia ſermones hominum imitando non perſequantur, eademque ratione Empedoclem, & Lucretium, qui res phyſicas verſibus perſtrinxerunt. Unde eos merito in philoſophorum potius numerum referendos Ariſtoteles putavit, quam poetarum. Atque hoc quidem de oratoribus eſt judicium quoque faciendum; non enim aliorum illi ſermones inducunt, ex quibus eorum mores, & motus animorum diſpiciamus, niſi raro, & fortuito. Nam neque in omni cauſa, neque in omni parte orationis hanc vel ſermocinationem, vel conformationem adhibent, nec cum faciunt, id habent ante oculos, ut quemadmodum poetæ, imitando voluptatem efficiant, ſed ut facilius ea ratione fidem faciant iis, à quibus audiuntur, cujus rei ſignum illud eſſe certiſſimum poteſt, quòd facile ſine ejuſmodi ſtudio etiam quod cupiunt, aſſequuntur; niſi verò T. Milonem Cicero aliter in civitate retinere non potuit, ni tales Clodianorum ſermones aſſimilaſſet: Heus ubi Ruſcio, ubi Caſca? Clodius inſidias fecit Miloni? fecit, certa crux, nullas fecit, ſperata libertas; aut M. Cœlium veneni Clodiæ dati crimine liberaturus non fuit, niſi Ap. Cæcum ab inferis excitaſſet, qui ita cum Clodia loqueretur: mulier quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuiſti, ut aurum commodares, aut tam inimica, ut venenum timeres? non patrem tuum videras, non patruum, non avum, proavum, atavum audieras conſules fuiſſe? & reliqua, quæ ſequuntur; quibus Cæci ſenis priſcos mores, & antiquam illam ſeveritatem, ac triſtitiam ſimulavit egregie, non voluptatis gratia, ſed uti-

utilitatis, id eſt ad incitandos in Clodiam, cujus opibus Cœlius oppugnabatur, judicum animos. Eademque ratione ne ipſarum quidem ſcriptores hiſtoriarum omnino operam dare imitationi putandum eſt, tum cum monumentis ſuis ſermones hominum mandant, neque enim artis ejus modum voluptate terminant, ſejungi ab imitatione non poteſt, ſed utilitate, quam ultimum eſſe finem hiſtoriæ, certum eſt. Plato tamen, quem potiſſimum in hac quæſtione ſequimur, ut auctorem, qui fingendis in hiſtoria ſermonibus delectantur, eos imitatorum in numerum videtur referre, cum Homerum imitaturum fuiſſe negat, ſi in principio Iliad. ejuſmodi narrationem adhibuiſſet, ut Chryſis, aut Agamemnonis potius ſententiam, quam verba ipſa perſecutus eſſet, hoc modo. Cum Chryſes ſacerdos in caſtra veniſſet, precatus eſt Deos, ut Græcis incolumibus poteſtatem Trojæ potiendæ concederent, ipſi vero mercedem accipientes, & Deum venerantes ſibi filiam reſtituerent. Quæ cum dixiſſet, alii quidem Deum reveriti aſſenſerunt. Agamemnon autem ira incenſus, cum extemplo abire, neque poſthac redire juſſit, fore enim, ut cum nec ſceptrum, nec Dei coronæ protegerent. Quod idem ex ejus ſententia proditum eſſe à Proculo homine erudito inprimis, & admirando in expoſitione Politiæ video, cum ait, dictionis à Platone tria genera tradi, unum, quod actionem contineat, & imitationem, cujuſmodi comœdiæ ſunt, & tragœdiæ, alterum, quod narrationem ſine imitatione, quale eorum eſt, qui dithyrambos ſcribunt, atque res geſtas nullo inducto ſermone litteris produnt, tertium, quod ex utriſque confuſum eſt, qualis eſt Homeri poeſis, quæ tum rerum narrationibus, tum perſonarum imitationibus interpuncta eſt. Atque hæc quidem eſt de hiſtoriis noſtra ſententia. Nam de epiſtolis dubitandum non eſt, quin, ſi artium præcepta contineant, idem atque de commentariis philoſophorum exiſtimemus; ſi adhortationem, aut conſolationem, aut aliud ejuſmodi officium generis, quod de oratorum, ſi negotia, reſque geſtas, quod de hiſtoricorum. Ut ergo genus eſt quoddam monumentorum omnis prorſus expers imitationis ab antiquis excogitatum, ſic contra repertum eſt alterum, in quo nihil ſine imitatione conficeretur. Nam primum epici poetæ res geſtas heroum litteris mandare imitando cœpere, ut Homerus reditum Ulyſſis in Ithacam, Virgilius adventum Æneæ in Italiam, Silius bellum Annibalis, Lucanus Cæſaris. Neque enim aſſentior iis, qui Ariſtotelis veſtigiis inſiſtentes, Lucanum, & Silium è numero ejiciunt poetarum, quia res factas verſibus perſequuntur; neque enim video, ſi Homerum poetæ nomine decoramus, qui hiſtoriam de Achillis ira ad Ilium verſibus eſt complexus, cur Silium, & Lucanum ſpoliemus, qui bellum Punicum, & civile tractarunt; præſertim verò cum ſatis notum illud extet Ariſtotelis præceptum, poetæ licere aut res geſtas, aut quæ geri potuerint, amplexari, hoc eſt aut veras, aut quæ veriſimilitudinem conſequantur, actiones litteris, ac memoriæ commendare. Silius verò, ac Lucanus bella hæc non hiſtoricorum, ſed poetarum more deſcripſerint. Id quod epiſodiis pro arbitratu fingendis, & Deûm, Dearumque conſiliis, & hominum concionibus intexendis, atque feſtivis rerum narrationibus, & jucundis locorum deſcriptionibus aliunde petendis con-

A ſequuti ſunt; quibus ornamentis ejuſmodi eos fere carere, qui hiſtoriam ſcribunt, nemo eſt, qui ignoret; neque verò ſatis mirari poſſum, cur, ſi Pompejus, aut Annibal idoneum ſuppeditare tragicis poetis argumentum potuerunt, non item epicis potuerint, ſi modo quæ poemati utrique debentur, imitationis præcepta ſint diligentiſſimè cuſtodita. Quod ſi quis eos contra leges à ſummo doctore traditas integri belli hiſtoriam eſſe perſequutos dicat, in quo plures actiones, non una unius hominis continetur, fabulamque, quam imitemur, unam eſſe oportere contendat, næ ille malos potius fuiſſe poetas eos, quam omnino non fuiſſe poetas vincet. Ut enim ex imitatione
B poeta, ſic non bonus poeta ex prava imitatione evadat neceſſe eſt. Quod autem in hiſtoria, rebuſque geſtis contigit, idem quoque, ſi quis diligenter animadvertat, in oratoribus, & epiſtolis ſentiet eveniſſe, ut ad eos imitatio quoque traducta ſit. Nam & apologia Socratis à Platone ſcripta, in qua Socrates in judicio cauſſam dicit, & Ovidii epiſtolæ, & Luciani, quas alieno nomine poetica licentia confinxerunt, imitatione non vacant. Quæ igitur ratio doctiſſimos homines, ut de ceteris rebus & remota, & adjuncta imitatione ſcriberent, movit, eadem ut ad eas etiam, quæ in philoſophia differerentur, utrunque hoc adhiberent inſtrumentum, adduxit; quam verò cum imi-
C tatione conjunctam eſſe voluerunt, dialogum appellarunt; in quem haud ſecus, ac in poeſim imitationis nomen convenire, poſt planius indicabo. Itaque de diis, de natura, de virtute, de republica, de re familiari tractanda duo extiterunt genera ſcriptorum, quorum alterum præcipue ab Ariſtotele celebratum eſt, alterum à Platone. Atque hæc quidem eſt ex imitatione ducta dialogi cauſſa, quam verò noſtra ratiocinandi vis, ac conſuetudo peperit, ea eſt ejuſmodi. Illud ſane inter omnes conſtare video, ad cauſſas rerum conſilio, & ratione perveſtigandas, duplicem nobis à natura viam fuiſſe munitam, unam, ut ſecum quiſque, quid veri eſſet in rebus, exquireret,
D alteram, ut cum altero, quorum illud tacita quadam animi agitatione ſuſciperetur, hoc aperta ejus, quo cum diſputaremus, percontatione, atque reſponſione. Neque verò quantus in tacita illa rerum, ac quieta contemplatione fructus poſitus ſit, eſt declarandum. De ea verò, quæ cum altero palam inſtitui rerum diſquiſitione ſolet, præclarum habemus Socratis apud Platonem teſtimonium, qui cum Protagoram ſecum congredi recuſantem ad diſputationem omni ratione tentaret elicere, eo altercando pervenit, ut commodius omnia, & melius adminiſtrari, & exquiri à duobus, quàm ab uno demum aſſereret. Noli enim, inquit, Protagora, exiſtimare, me tecum
E diſputationem ob aliam rem inſtituere, quàm ut ea diſcutiam, quæ mihi dubitationem afferunt. Etenim ſcire illud Homerum dixiſſe arbitror, ſi duo ſimul eant, commodius res agetur. Plus enim nobis omnibus ſuppetit facultatis, & copiæ ad res omnes conficiendas, dicendas, atque intelligendas, ſoli vero ſi cui quid in mentem venerit, ſtatim ille concurſans, cui id indicet, quærit. Neque verò, dum veritatem rerum quocunque modo ratione venamur, quenquam negaturum eſſe arbitror, niſi plane omnis ſit liberalis eruditionis ignarus, quin id duabus rationibus aſſequamur, aut à ſingulis rebus ad univerſas aſcendentes,

qui

qui rationis progreſſus inductio appellatur, aut A ab univerſis ad ſingulas delabente, qui ſyllogiſmus communi vocabulo nominatur. Omnino autem ſive hanc, ſive illam officii, & muneris hujus partem ſpectemus, duas illas, de quibus diximus, doctrinæ tradendæ vias inducamus neceſſe eſt, quarum illam Græci, ut ſupra dixi, *αὐτοπρόσωπον*, hanc *διαλογικὸν* appellarunt. Etenim ſi quis ſyllogiſmum ad eam diſputandi conſuetudinem, quæ nobiſcum inſtituitur, accommodaverit, inductionem ei, quæ cum altero ſuſcipitur, relinquat neceſſe eſt, quæ dialogus appellatur; ſin autem ſyllogiſmum non in eam potius, quam in hanc doctrinam cadere, ac convenire contenderit, hoc ſaltem ille det oportet, cum ſyllogiſmi B alii ex veris, & propriis hauriantur, unde ſcientia, alii ex opinabilibus, & communibus, unde opinio patitur: quoniam illi diſputationi ei congruunt, in qua una tantum pars, quæ ſit vera, defenditur, hos ei, in qua in contrarias partes dialecticorum more diſſeritur, convenire, unde ductum quoque nomen dialogus habet. Atque hoc ipſum etiam non obſcure demonſtratum eſſe ab Ariſtotele video, qui cum in Topicis dialecticam ad congreſſus valere, & diſputationes dixit, quid aliud, quam ad dialogos doctorum hominum, intellexit mutuis percontationibus de vi, ac natura rerum omnium diſquirentium, non neceſſariis, ſed probabilibus argumentis, quorum illa, ut ipſe C admonuit in priore eorum librorum, quos de demonſtratione compoſuit, eam habent vim, ut ad internam orationem admoveantur, atque hominum etiam voce repugnantium tacita judicia labefactent; hæc verò, ut ad exteriorem, nec niſi ex aperta eorum, quibus cum diſſerunt, confeſſione, victoriam referant. Itaque cum multa alia Ammonius egregie, tum hoc inprimis; Ariſtotelem in utroque ſcribendi genere illum quidem evigilaſſe, verum non eodem modo, nam in iis ſcriptis, in quibus ipſe ſolus loquitur, quaſi cum veris ac legitimis diſciplinæ ſuæ cultoribus agat, quæ ſibi quaque de re placeant, ea argumentis firmiſſimis, ac ſubtiliſſimis, & quæ vix ab imperita D multitudine intelligantur, confirmare. In dialogis vero, ut qui popularem utilitatem intueantur, eaſdem res illas rationibus ſimplicioribus quibuſdam, & imbecillioribus, & quibus vulgus aſſentiatur imperitorum, probare. Quibus verbis eam ſcriptorum Ariſtotelicorum inferre diviſionem videtur, quam alii aliis nominibus ediderunt, cum eorum partim *ἀκροαματικὰ*, partim *ἐξωτερικὰ* nominarunt, id quod à M Cicerone libro de finib quinto eſt mandatum, cum ſcripſit, duo genera librorum fuiſſe Ariſtotelis, unum populariter ſcriptum, quod *ἐξωτερικὸν* appellavit, alterum limatius, quod in commentariis reliquit poſt autem à Plutarcho, Gellio, ac denique ab optimo quoque E Ariſtotelicæ diſciplinæ explanatore eſt repetitum, quanquam non ab omnibus uno modo. Plutarchus enim in Alexandro, & Gellius libro XX. exotericis civilem, & moralem, & oratoriam rationem, acroamaticis rerum, quæ de natura, ac de Deo diſſeruntur, atque omnino ſubtiliorem omnem philoſophiam aſcribunt. Cicero verò, & Alexander, & Euſtratius, & reliqua Ariſtotelicorum interpretum ſchola differentiam hanc non ex rerum, quæ diſputentur, varietate, ſed ex ipſa tractationis diſſimilitudine trahunt. De iiſdem enim rebus bis ab Ariſtotele diſputatum eſſe ſignificant, in acroamaticis quidem ſubtilius, atque ad limandam veritatem aptius, in exotericis verò probabilius, atque ad efficiendam opinionem accommodatius. Itaque Alexander, qui princeps hujus eſſe diſciplinæ, & quaſi coryphæus putatur, in ea expoſitione, quam ad primum edidit Topicorum, aperte in exotericis plurima probabiliter ab eo de moribus, & natura diſputata eſſe aſſeruit. Atque hanc quidem conſuetudinem non in ſcribendo ſolum, ſed etiam in docendo ipſum retinuiſſe Gellius, & Euſtratius, & Plutarchus declarant, cum juſtis, ac germanis auditoribus & quorum ipſe ſpectatum haberet ingenium, acroamaticam, & quidem matutinis horis in Lyceo tradidiſſe diſciplinam ajunt, aliis vero extra Lyceum exotericam veſpertinis. Quamobrem ſatis conſtituere non poſſum, quid multis hoc tempore, & quidem doctis viris, & in bonarum artium tractatione non mediocriter verſatis venerit in mentem, tantum veterum conſenſum, & tam conſtantem ſummorum hominum auctoritatem contemnentes, exotericos apud Ariſtotelem commentarios, qui extra rem propoſitam ſcripti ſint, interpretari; ut ſi exempli gratia in Nicomachiis de variis ſe facultatibus animi dixiſſe teſtetur in exotericis, libros potius de animo tres ab eo ſignificari putent, quàm Eudemum dialogum, in quo idem argumentum ab eo tractatum eſſe, quod in illis tribus nobiliſſimis, Philoponi ſatis locupleti teſtimonio cognitum eſt; præſertim vero cum Cicero, qui eos libros ſtudioſe legiſſe videtur, ſe in ſuis dialogis uti procemio ſcribat ad Atticum, ut Ariſtoteles ſolet in exotericis. Quæ quidem exoterica alio nomine *ἐγκύκλια* vocitata, teſtis eſt ſcriptor non contemnendus Simplicius, qui, ſcribente in primo de cælo Ariſtotele, ſe de rebus divinis locutum eſſe *ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις φιλοσοφήμασιν*, interpretantur *ἐγκύκλια φιλοσοφήματα* ab eo dici, quæ ex ordine à principio multitudini imperitæ erant tradita, quæ idem ille exoterica quoque nominare ſolitus ſit, ut *ἀκροαματικὰ*, & *συνταγματικὰ*, in quibus plus ſtudii, atque operæ poſuiſſet. De iis autem rebus in libris de Philoſophia egiſſe, libros intelligentem, non qui metaphyſici, ſed qui tres de philoſophia præcipuo indice erant inſcripti, quorum Cicero, & Laertius meminerunt, & ipſemet in primo de animo; quo loco Simplicius ait intelligi commentarios, quos ille de bono ex Platonis ſermonibus deſcripſerat, & in quibus Pythagoricas, & Platonicas de iis, quæ ſunt, ſententias litteris, memoriæque prodiderat, quos fortaſſe libros quoque intellexit, cum in Nicomachus felicitate in honore poſitum eſſe abnuens, addidit. de iis ſatis eſſe *ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις* diſputatum. in quæ verba quædam prope portenta Euſtratius de certo carminum genere ab Ariſtotele ſcripto confingit, cui neſcio cur eruditus quiſquam aſſentiatur. Quibus ex rebus, ut ad rem redeamus, illud conſtituendum videtur, cum dialogos ab Ariſtotele ſcriptos, inter exoterica ejuſdem monumenta eſſe referendos, tum eos ipſos ad probabiles inducendas diſputationes ab eo celebratos fuiſſe. Quamobrem præclare Lucianus auctor in primis bonus, qui dialogum philoſophiæ filium vulgari ſermone hominum uſurpari ſolitum ſcripſit; quanquam neſcio, an rectius omnis cum honeſtæ doctrinæ parentem poſſimus dicere; quippe qui viam nobis oſtendat, qua in-

ingreſſi ab iis, quæ opinione ad ea, quæ mente percipiuntur, & omnino ab iis, quæ veriſimilitudine ad ea, quæ veritate nitantur, facilius pervenire poſſimus.

Hujus igitur moris (jam enim ad alteram quæſtionem oratio mea delabitur) haud obſcura, ut video, fertur origo. Habeo enim auctorem Laertium, qui in commentario, quem de vita Platonis ſcripſit, famam quondam increbuiſſe prodidit, dialogum à Zenone Eleate primum eſſe confictum, Ariſtotelem tamen, teſte Favorino, in primo eorum librorum, quos de poetis reliquit, ejus primordia Alexameno Tejo detuliſſe, ſibi vero videri, dialogi laudem Platonis induſtria eſſe perfectam, ac propterea jure ipſum primas ejuſmodi inventionis tuliſſe. Hic autem locus idem ferè ab Athenæo libro eſt undecimo pertractatus. Is enim Platonem negat, dialogorum fuiſſe auctorem, ante ipſum enim Alexamenum Tejum ei ſtudio inſerviſſe; idque Niciæ Nicæenſis, & Soterionis, & Ariſtotelis non obſcuro teſtimonio comprobat; Ariſtotelis autem etiam ex libro de poetis hæc verba profert: Igitur Sophronis mimos, qui dicuntur, ſermones non metricos, & imitationes eſſe negemus, aut Alexameni Teji dialogos, quod ante Socraticos ſcripti ſunt? Ex quibus verbis colligit, aperte placuiſſe Ariſtoteli, ante ab Alexameno, quam à Platone dialogos eſſe conſcriptos. Quæ cum ita ſint, ſane dubitari de origine, & primis quaſi incunabulis dialogorum non licet. Proque certo habendum eſt, hanc doctrinæ laudem excellenti aut Zenonis Eleatis, aut Alexameni Teji eſſe ingenio inchoatam. quam uno prope tempore quicunq; à Socratica diſciplina ſunt profecti, ut video, perſequuti ſunt; quorum clariſſimi Plato, Xenophon, Æſchines, & Antiſthenes, paullo vero obſcuriores Ariſtippus, Phædo, Euclides, Stilpo, Crito, Simo, Glauco, Simmias, & Cebes fuerunt; ex quibus primus Simo, ut proditum eſt à Laërtio, Socratem diſputantem induxit; hic enim cum artem cerdonicam factitaret, Socratem officinam ſuam frequentantem, ac nonnulla differentem diligenter dicitur attendiſſe, atque earum diſputationum commentarios in xxx. dialogos contuliſſe, qui σκυτικοὶ, id eſt cerdonici dicti ſunt. Horum tamen omnium laudes unus propè obſcuravit ſplendoris ſui magnitudine Plato; cujus deinde gloriam Ariſtoteles æmulatus, Ariſtotelis vero Theophraſtus, & Heraclides, incredibile eſt, quantum huic generi amplitudinis, ac dignitatis attulerint, quanquam non eodem judicio omnes, ut poſt dicam, in hoc ſtudio ſint verſati, Neque vero hac laude Romani carere in primis gloriæ appetens natio voluit, immo ut multa alia à Græcis ſumpta, ſic hoc ſtudium ab iis acceptum melius aliquanto, atque illuſtrius reddidit; inter quos unus ita Cicero gravitate, prudentia & copia præſtitit, ut cum ſuperioribus magnam laudis partem eripuerit, poſteris ſpem etiam ademerit imitandi. Sed de Tullianis laudibus alias; nunc, quod inſtat, agamus.

Illud autem ſequitur, ut cujus quaſi magiſtri præceptis, atque artificio ſit dialogus inſtruendus, indagemus; id quod in tertio loco quærendum poſueramus. Quod dum faciemus, ne minimum quidem à præclaris veſtigiis Ariſtotelis recedemus, qui cum in principio librorum de ſtudio dicendi aperuiſſet, quid in eorum arte, qui præcepta de-

A dicendo reliquerant, deſideraret, undenam præſidia tanto demum ſtudio eſſent petenda, expoſuit, idque dixit, partim dialecticæ artis, partim civilis prudentiæ ſubſidiis ſuſtineri. Itaque ſi ipſe hoc loco præſtantem dialogi formam non unius expleri artis officio dixero, alienum nihil ab ejus me natura protuliſſe arbitrabor. Tres enim ſunt artes, quarum præceptis, ac inſtitutis dialogus informatur, nempe poëtarum, oratorum, & dialecticorum; poëtarum, quia eadem, quæ in poëſim, in dialogum imitatio cadit: oratorum, quia ſoluta, non numeris vincta oratione ſcribitur. Quocirca neque in poëticis præceptis hæſitantem, neque in oratoriis inſtitu- B tis rudem prorſus eum eſſe oportet, qui egregie, & cum laude ſit in hoc ſcribendi genere verſaturus. Idem de hiſtoria judico. Neque enim M. Tullium laudo, qui in ſecundo de oratore hiſtoriam ex omni parte oratori ſubjecit; cur non laudem, hæc cauſſa eſt; quia neque oratoris definitio, nec finis poteſt in hiſtoricum convenire; quis enim, quæſo, unquam hiſtoricum eum eſſe, qui facultatem teneat videndi, quid in quaque re valeat ad perſuadendum, aut eundem, ut perſuadeat, propoſitum habere, probabit? Itaque qui narrationem hiſtoricam rhetoricis inſtrui præceptis dixerit, ille mea quidem ſententia vehementer errabit; non enim eodem modo C narrat hiſtoricus, atque orator; ille enim ut vere, quæ evenerint, poſteritati prodat, hic ut ex ipſa narratione veriſimilia ad fidem faciendam argumenta depromat. Itaque ſimpliciter ille, & aperte, callide hic, & aſtute ſe gerit; niſi forte necem Clodio à Milone illatam, eodem artis apparatu expoſuiſſe Livium ducimus, atque à Tullio factum videmus. Quod ſi quis dictionis hiſtoricæ ornamenta ab ea Rhetoricæ parte eſſe promenda dicat, quæ de ornatu tractat orationis, ne ſic quidem, opinor, ſe probe ſenſiſſe inveniet; cum aliam longe oratoris præſertim, qui in civitate verſatur, (talem enim nobis adhuc rhetorici artifices deſcripſerunt) atque hiſto- D rici dictionem eſſe cognoverit. Non nego tamen, quin ut poëtis in ſermonibus ſimulandis, maxima ab artificibus dicendi adjumenta ſubminiſtrentur, quippe quorum inſtitutis omnis ſive vera, ſive ficta civilis oratio conformetur; at partem eſſe rhetoricæ poëticam, aut hiſtoricam facultatem qui propterea concludere voluerit, is mehercule parum, quæ ſint ſingularum harum officia artium, intellexerit. Quorſum hæc? dicet aliquis; ut illud intelligatur, quemadmodum hiſtoria, partim rhetorum, partim ſive philoſophi, ſive hiſtorici cujuſdam doctoris, atque magiſtri monitis exornatur, ſic perfectam dialogi ſpeciem tum poëticis, tum oratoriis inſtitutis abſolvi, E poëticis ad imitationem cum perſonarum decore ſuſcipiendam, oratoriis ad orationem eloquentiæ luminibus illuſtrandam. Quanquam ne hoc quidem eſt ſatis; dialectica ſuppellex adjungatur neceſſe eſt, ſine qua nec acutum, ac difficile diſputationis munus præclari ſcriptor dialogi ſuſtinere, nec idoneam poſcendæ, aut ponendæ quæſtionis conſuetudinem aut, probabilia quæ ſint, ex rebus eliciendi, aut adverſarii urgendi, aut ex ejus forte inſidiis, tanquam ex laqueis elabendi, quæ omnia ut dialecticæ, ſic dialogorum ſunt inſtrumenta, rationem cognoſcere poterit. Ex quibus rebus apparet, cujus & quan-

A quanti hominis ſit, dialogum ſcribere, cujus laudem non unius, ſed multarum, earumque ſummarum artium liberalitas ac beneficentia tueatur. His rebus ita conſtitutis, deinceps ſequitur, ut dialogi definitionem afferamus, quæ maxime vim, & naturam ejus explanet, quam ſi prope poterimus indagare, nihil erit negotii, reliqua, quæ tradenda ſunt de antiquo dialogi more præcepta, Ariſtotele ipſo auctore, ſubtexere; quem ipſum animadverto tum in iis libris, quos de moribus, tum in iis, quos de arte dicendi ſcriptos reliquit, initio diſputationis, felicitatis, & rhetoricæ definitionem ita conſtituiſſe, ut ab eis quaſi exordiis longam nobiliſſimarum, quas deinceps aliam ex alia nectit, quæſtionum ſeriem B aptiſſime contexuerit. Primum autem qui veterum, deinde qui meus hac de quæſtione ſit ſenſus, exponam, ut ſi non omnino decretis illorum aſſentiar, ea ſaltem ad veritatem certioribus veſtigiis indagandam adhibeam. Invenio apud Laertium in vita, de qua dixi, Platonis, dialogum definiri, qui ex percontatione, & reſponſione conflatus ſit de aliqua rerum earum, quæ in philoſophia verſentur, & civilium, ſervato perſonarum, quæ inducuntur, decore, neque neglectis prorſus ornamentis orationis. Cui ego deſcriptioni ut multa ad naturam dialogi exprimendam deeſſe puto, ſic neque prorſus nobis acquieſcendum, neque penitus repugnandum exiſtimo; C quæ enim poſita ſunt, non omnino incommode dicta ſunt illa quidem, verum ad rem tantam non ſatis; neque enim imitationis genus expreſſum eſt, nec differentiæ omnes, quibus dialogus à reliquis imitationibus ſecernatur. Mihi vero in hanc rem diligentius intuenti ea ad dialogi inveſtigandam definitionem præclara via eſt viſa, quam in libro de arte poëtarum Ariſtoteles indicavit, ut ab imitatione, tanquam à vero, ut poëſeos, ſic dialogi genere profecti, ad ultimas ejus, & maxime proprias differentias tranſeamus. Ille enim cum ad ſingulas poëſeos partes definitione aperiendas fundamenta jaceret, univerſum earum genus imitationum, generis autem ejus differentias tripartitas eſſe conſtituit, D à rebus, ab inſtrumentis, à modis. Res, quas poëtæ imitando ſimularent, aut graviorum, aut leviorum hominum, aut qui his interjecti eſſent, actiones eſſe invenit: inſtrumenta, quæ ad imitandum afferrent, orationem eſſe, concentum & rhythmum; modos ineundæ imitationis, cum iidem aut perpetua uterentur narratione, aut quaſi agentes inducerent, aut utrunque. Itaque cum deinceps ad tractationem tragœdiæ deſcendiſſet, ex his principiis tragœdiam imitationem eſſe concluſit earum actionum, quæ à gravibus ſuſciperentur hominibus; verſu, concentu, rhythmoque, ac ſola perſonarum inductione initam. Cujus definitionis quid E eſt, cur nos non veſtigia perſequentes, ſi genus dialogi quæritur, genus ejus univerſum imitationem eſſe ſtatuamus? An vero quenquam adeo rudem eſſe arbitramur, ut dialogum imitationis expertem eſſe contendat, cum in his non aliter, atque in tragœdia, comœdia, & epopœja ſermones confingi moribus refertos animadvertat? Quod ſi quis tam obtuſo, tardove futurus ingenio eſt, qui hæc, quæ per ſe luce clariora ſunt non diſpiciat, jam quid ſummis viris, atque omni quidem ingenii, & doctrinæ laude cumulatis placuerit, audiant; qui ſunt hi? quæret aliquis quem putamus, niſi eum, quem ducem in omni genere litterarum libenter ſequimur, Ariſtotelem? is igitur duobus in locis dialogum poëticæ imitationi ſubjecit; alter eſt in eo libro, quem de poëtis, alter in eo, quem de arte poëtarum ſcriptum reliquit. Utriuſque loci verba libenter referam, quia de iis propter obſcuritatem, atque ambiguitatem, non omnes ſentiunt uno modo; ſic enim ſcribit in libro de poëtis primo: „ Ergo Sophronis mimos, qui dicuntur, ſermones non metricos & imitationes eſſe negemus, aut Alexameni Teji dialogos, qui ante Socraticos ſcripti ſunt? in arte autem hoc modo: „ Epopœja ſola nudis ſermonibus, aut metris utitur; neque enim commune nomen haberemus, quo Sophronis, & Xenarchi mimos, & Socraticos ſermones appellaremus. Quis eſt igitur, qui, ſi animum attendat, non eadem utroque in loco voluiſſe Ariſtotelem cenſeat? Erant, qui quantum perſpici conjectura poteſt, imitationem poëticam niſi verſibus ſuſcipi poſſe exiſtimarent; adverſus hos in libro de poëtis invehitur Ariſtoteles, eoſque labi turpiter, atque errare, duobus prolatis exemplis affirmat, Sophronis nimirum, & Alexameni, quorum, ille mimos ſoluta oratione, teſte etiam Suida, ſcripſit, hic dialogos. Socraticos autem dialogos pro Platonicis eſſe acceptos aperte docet Athenæus libro XI. unde hæc verba accepimus, eodem in loco Platonem ille reprehendit, qui dialogos imitationis in modum ſcripſerit, ipſe tamen Homerum, quia imitetur, è republica ſua extrudit. Atque hoc quidem loco ita. An vero ſi dialogum in libro de poëtis imitationem eſſe cenſuit Ariſtoteles, ſecus in libro de poëtarum artificio exiſtimavit? non, arbitror. Itaque cum de formis poëſeos, earumque inter ſe differentiis ageret, oratione, concentu, & rhythmo, atque poëſes alias concentu, & rhythmo, ut cytariſticam, alias rhythmo ſolo, ut orcheſticam, imitari dixiſſet, tum demum intulit: Epopœja vero ſola nudis ſermonibus utitur; nudos autem ſermones appellavit, qui eſſent concentus, & rhythmi ſocietate nudati; quam vocem & ſolutæ orationi, & non ſolutæ communem eſſe voluit; cujus novitate ne cujus fortaſſe aures offenderentur, atque ea verſus excipi arbitraretur, addidit, aut metris. Hujus deinceps facti, conſiliique ſui, cur epopœjam & pedeſtri oratione, & verſibus ſcribi poſſe ſignificaſſet, rationem reddens, ſe ob eam rem id feciſſe ſubjicit, ne mimi Sophronis, è Xenarchi, & Socratici ſermones excuderentur, quos omnes imitationis in modum ſolutis tamen verbis conſtaret eſſe conſcriptos. An vero aliter exiſtimarit Ariſtotel. qui ſecus ſentiunt, viderint; me quidem ejus eſſe ſententiæ nunquam pœnitebit, quam Athenæus, bonus auctor in primis ex verbis ipſis Ariſtotelis, ut ſupra dixi, collegit, & graviſſimi, atque eruditiſſimi homines, Proculus, & Plutarchus confirmarunt; quorum ille in commentario, quem ſcripſit in Cratylum, cujus mihi juvenis omni humanitatis, & litterarum laude præſtantiſſimus Joannes Vincentius Pinellus copiam fecit, Platonem ipſum omnium μιμητικώτατον appellavit, quòd ſingulis, quas induxiſſet, perſonis, mores aptiſſimos affinxiſſet, hic vero libro ſeptimo ſympoſiacorum dialogos Platonis, in quibus res agitur, non narratur, à pueris quondam memoriter, tanquam in ſcena fuiſſe recitatos ait. An vero

M. Tullii contemnenda auctoritas eſt, qui in A inducendis dialogis ita loquitur, ut tanquam poëta ſermones illos confinxiſſe videatur? quid enim aliud, quæſo, volunt ea verba, quæ ſunt in Catone majore? „ Omnem ſermonem tribuimus non Tithono, ut Ariſto Chius, ſed „ M. Catoni ſeni, quo majorem auctoritatem „ haberet oratio; apud quem Scipionem, & „ Lælium facimus admirantes, & quæ ſunt in „ Lælio? Ejus diſputationis ſententias in hoc „ libro expoſui meo arbitratu, quaſi enim „ ipſos induxi loquentes; aut quæ ſunt in epiſtola ad Varronem? „ Feci ſermonem inter nos habitum in Cumano, cum eſſet una „ Pomponius. Quo eodem in loco morem fingendorum dialogorum aperit, qui nun- B quam habiti ſunt. „ Puto, inquit, fore ut „ cum legeris, mirere, id nos locutos eſſe „ inter nos, quod nunquam locuti ſumus; „ ſed noſti morem dialogorum. Neque vero „ aliter de Platonis dialogis judicandum eſt, „ quàm omnes ſermones illos arbitratu Platonis eſſe digeſtos; declarant multa, ſed „ maxime Euclidis verba in Theæteto. Hic liber, inquit, non eſt ita ſcriptus, quaſi mihi Socrates narret, ut revera narravit; ſed quaſi cum illis præſens diſputet, quibuſcum diſputaſſe mihi narravit; ne igitur moleſtum eſſet, ſi inquam, & inquit, affirmavit, & negavit, ſæpius interponeretur, his remotis, Socratem ipſum cum illis diſputantem induxi; quid, C quod multa ne ab iis quidem ſunt cogitata, quæ conſulto & meditato dicta narrantur? argumento eſt, quod de Socrate, & Gorgia prodidit Athenæus. Scribit autem Socratem, cum audiſſet Platonem dialogum recitantem, quem de amicitia ſcripſerat, ac Lyſim inſcripſerat, cum admiratione dixiſſe: Ut multa de me mentitus eſt hic adoleſcens. Gorgiam autem lecto Platonis libro à ſe inſcripto, ad familiares converſum affirmaſſe, nihil eorum ſe, neque protuliſſe, neque audiſſe à Platone, vel, ut alii memoriæ prodiderunt, egregie Platonem male dicendi rationem tenere. Ne multa, ſic ſtatuo, nihil tam certum videri, quàm imitationem in dialogum convenire. D Itaque ſi quis ut tragœdiam, ſic dialogum imitationem dixerit, is dialogi genus ipſum attulerit; quod cum ſit latum nimis, & amplum, videtur differentiarum multitudine coarctandum, atque in anguſtum adducendum. Imitationis autem differentiæ, quæ dialogi formam conſtituere poſſunt, tres ſunt: Homines, quorum exprimit orationem, dictio, qua effingit, & modus vel narrationis plenus, vel actionis. Quæ quoniam dicta ſunt obſcurius, propterea danda opera eſt, ut unumquodque ſigillatim aperiatur, & quod facere inſtituimus, excellens in primis ipſa forma dialogi demonſtretur.

Primum autem, quoniam imitatio, ut in- E quit Plato, eorum eſt præcipue, qui loquuntur, quorum potiſſimum ſermones imitando effingant ii, qui operam ſuam ad ſcribendum dialogum conferunt, exquiramus; neque vero, quin eorum maxime colloquia ſimulent, qui inter ſe diſputant, ambigendum eſt. Itaque quoniam diſputatio, quædam eſt diſquiſitio rationis, quæ inter eruditos homines percontando, & reſpondendo verſatur, quod Græce διαλέγεσθαι dicitur, ea de re dialogum antiqui tradiderunt ex interrogatione, & reſponſione compoſitum, dialecticæ nimirum ipſius ſpectantes poteſtatem, quam conſtat inveniendorum eſſe facultatem argumentorum, quibus confirmemus, vel refellamus quid, adverſario ita interrogationibus impellendo, ut ei optionem relinquamus, utram velit repugnantium partem, accipiendi; qua qui arte inſtructus eſt, is de omnibus eſt rebus in contrarias partes probabiliter diſſerendi facultate armatus. Ex quo apparet, germanam dialogi perſonam vere nullam aliam dici poſſe, niſi quæ optimis imbuta litteris de quacunque propoſitare poſſit dialecticorum more diſſerere; quam conſuetudinem à Platone, & Xenophonte, ceteriſque Socraticæ doctrinæ æmulatoribus traditam, neque à poſteris, quantum ego intelligere poſſum, neglectam, poſtremo à Luciano ad deos, ad mortuos, ad meretrices, riſus, ut ipſe confeſſus eſt, captandi gratia temere translatam eſſe, animadvertimus. Nam in eo dialogo, qui inſcribitur Prometheus es in ſermone, ipſe ſe purgat, quòd comœdiam cum dialogo ſociarit, ac res valde disjunctas, & quæ coire nequeant, copularit; in eo verò, qui Judicia nominatur, ſe dialogum ait excepiſſe, qui imperitæ multitudini triſtis videbatur, ac continentibus percontationibus aridus, & ſpinoſus, nec vulgo gratus, & jucundus, & primum humi incedere in humanam vitæ conſuetudinem aſſuefeciſſe, & ad riſum compuliſſe, & ſuaviorem iis reddidiſſe, qui ſpectarent, quod cum eo comœdiam commiſcuerit.

Quæ cum ita ſint, jam ne illud quidem vocari in dubium poteſt, quas res dialogo tanquam materiam, quam tractet, ſubjiciamus, ſi dialogum diſputationem quandam eſſe dialecticam ponimus; omnino enim ſi propriam, & à veteribus nobiliſſimis auctoribus celebratam vim dialogorum exquirimus, eadem ſit dialogo, quæ dialecticæ ſubjecta materia, neceſſe eſt; pertinent autem ad dialecticam, ea, quæ, ut ait Ariſtoteles, ratione & diſquiſitione egent, id eſt, quæ non per ſe perſpicua ſunt, ſed doctorum hominum diſputationem deſiderant, ut ad oratorem proprie, quæ conſultationem requirunt. Quæ quoniam nimis lare patet oratio, antiquos ſummos homines imitemur, qui cum, Laërtio teſte, dialogum dixiſſent, ex interrogatione, & reſponſione conflatum, addiderunt præterea, de aliqua rerum earum, quæ tractantur in philoſophia, & civilium; quibus verbis partes utraſque mihi videntur eſſe philoſophiæ complexi, & quæ cognitionis ſunt, & quæ actionis. Cui orationi conſentit quoque Lucianus in Judiciis, cum dialogum colloquia philoſophorum de natura, & virtute quondam eſſe perſequutum ſcripſit. Neque verò aliter opinabitur, qui ſingulos Platonis, Xenophontis, & Ciceronis dialogos, quæque, & quàm variæ in iis tractentur quæſtiones, animadvertit; quis eſt enim locus de Deo, de natura, de animis noſtris, de virtutibus, de republica, de re domeſtica, de ratione, de ſcientia, de oratorum, poëtarumque induſtria, de quo quæri, & diſputari inter doctos, & eruditos homines poſſit, qui in his ſit dialogis non dico prætermiſſus, ſed non copioſe, & eleganter tractatus, ac perpurgatus? Itaque probe, qui Platonicცs dialogos ita diſtribuunt, ut in aliis cognitionem informari dicant, in aliis actionem, in nonnullis verò etiam rationem; nam ad cognitionem contemplatio Dei, rerumque naturalium pertinet, actionem morum, civitatumque doctrina conſtituit; rationem reliqua

com-

complectuntur. Hanc ergo conſuetudinem ab omnibus ante ſancte cuſtoditam, primus etiam, ut dixi, Lucianus depravavit, atque corrupit, cum de rebus ridiculis, de amoribus, ac fallaciis meretriciis dialogum loqui coëgerit; ſic enim apud eum in Judiciis injuriam ab eo acceptam ipſe expoſtulat; ut ſe dicat, gravem adhuc, ac de diis, & natura, & univerſitatis ambitu commentantem, & ſupra nubes ingredientem ab eo de cœlo devocatum, atque in ſocietatem imperitæ multitudinis introductum, tragica illa perſona ſpoliatum comicam aliam, & ſatyricam ſibi ab eo impoſitam accepiſſe; neque verò acerbius quicquam ſe perpeti potuiſſe, quam ut propria exutus figura comœdorum in modum, riſum aucuparetur, atque B aliena argumenta tractaret; atque quod eſt omnium maxime abſurdum, neque in terris, neque in cœlo incederet; cui ipſe joci cauſſa reſpondet, ſe quidem maximum ei dediſſe beneficium arbitrari, quod eum de cœlo in hominum conſuetudinem deduxerit, atque leviſſimis eum quæſtionibus relaxarit, an immortales animi ſint, & quàm multas cotylas immiſtæ, & permanentis naturæ, cum mundum Deus fabricatus eſt, in eam pateram infuderit, in qua omnia miſcebantur, itemque an rhetorica civilis particulæ ſimulachrum ſit, & quarta pars aſſentationis. Quo conſilio quantum de vetere illa dialogi dignitate detraxerit, cum flagitioſiſſimum, ac turpiſſimum C quenque ſermonem in dialogum introduxerit, nemo non videt. Verum non Luciani parum laudata conſuetudine prætermiſſa, ad præclaram illam Platonis, ac Ciceronis, quam unam hoc loco exquirimus, animum, diſputationemque referamus.

Sequitur enim, ut de reliquis differentiis propoſitæ agamus imitationis; quarum quæ proxima eſt, ab inſtrumento ducitur imitandi, inſtrumentum autem eſt oratio ſoluta, non numeris poëtico more devincta, eademque quia quotidianam quandam refert ſermonis conſuetudinem, ita verbis conformata, atque compoſita, ut ad tenue ac ſubtile propius, quàm ad mediocre, & temperatum dicendi D genus accedat. Scite enim admodum Artemôn, qui epiſtolas digeſſit Ariſtotelis, illud uſurpavit, eadem ratione epiſtolas, ac dialogum ſcribi oportere, quòd epiſtola pars altera dialogi ſit. Cujus tamen orationem ita probat in libro de interpretatione Demetrius, ut aliquid eum quidem dicere putet, ſed non omnia; plus enim operæ ſtudiique, in epiſtola, quàm in dialogo poni, quippe cum dialogus eos imitetur, qui ſubito loquuntur, epiſtola vero ſcribatur, ac muneris loco mittatur. Atque huc eodem, credo, mentem intendit Simplicius doctus homo imprimis, & gravis, cum in expoſitione Categoriarum, E de obſcuritate diſputans Ariſtotelis, dixit, Ariſtotelem, ſi voluiſſet, dilucide, atque aperte loqui potuiſſe: idque ex forma epiſtolarum ejus perſpici poſſe, quæ familiaris dialogi rationem, quæ epiſtolis convenit, decore, & eleganter effingat. Quanquam autem dialogus quædam eſt dialecticæ diſputationis imago, ornamentorum tamen, ac luminum plus, quàm ipſa dialecticorum pugna, atque altercatio, poſcit. Nam apud eos nudis pugnatur argumentis, apud hos argumenta verborum copia, & elegantia veſtiuntur, atque ornantur. Ornatus autem non eſt idem omnium, non enim iiſdem luminibus, & figuris orationis illuſtrari interrupta diſputatio, atque perpetua poteſt. Quo fit, ut altius ſeſe efferre, ac magnificentius quodammodo diſputare Cicero videatur Platone; hunc enim perpetuitas, & amplitudo delectat orationis, illum plerumque brevitas, & anguſtiæ. Itaque Cicero temperatum dicendi genus eſt perſecutus, Plato fere ſummiſſum, ac preſſa oratione limatum. In quo poliendo, ac quaſi faciendo tantum ſtudii, atque operæ collocavit, ut, quod à Dionyſio in libro de nominum compoſitione eſt proditum, dialogos pectere, ac calamiſtris inurere, ac quotidie polire annos jam natus octoginta non deſtiterit; quin etiam eo mortuo principium dialogi de republica varie commutatum inventum ſit; quod ſe habet hoc modo: Deſcendi heri in Piræeum cum Glaucone Ariſtonis. Qua in eadem ſententia fuiſſe videtur Ariſtoteles, cum in ſecundo Politicorum, de rep. à Socrate inſtituta diſputans, dixit, omnes Socraticos ſermones nimis elaboratos eſſe, & comptos, ac tum rerum novarum, tum inquiſitionis ſtudium redolere. Neque tamen ita ſubtile genus Plato eſt amplexus, ut magnificum, & grande reliquerit; immo illud ipſum ſæpe tentavit, ſed, ut Dionyſio placet, parum feliciter; cujus ut grave, ſeverumque de Platone judicium ab omnibus cognoſcatur, verba ejus ex epiſtola, quam miſit ad Cn. Pompejum, apponam: „ Plato, inquit, utrumque dicendi genus ſequutus eſt, amplum, inquam, ac tenue; non tamen pari in utroque cum laude eſt verſatus; nam ubi humili, ac ſummiſſæ ſtudet orationi, mirifica quadam ſuavitate, ac feſtivitate conditus eſt. Etenim cum dilucidam affert orationem, atque illuſtrem, tum preſſam valde, ac tenuem; quin & communia verba perſequitur, & perſpicuitati ſerviens adventitium omnem contemnit ornatum; ubi vero copiam, & amplitudinem, ut ſæpe, aucupatur, multo ſe ipſo eſt inferior; videtur enim minus ſuavitatis habere, & græce deterius, ac pinguius loqui; ſiquidem obſcurat, quæ clara ſunt, atque in longum hominum mentem, cogitationemque producit; cumque in aliquot nominibus brevitate uti oporteat, in indecoras verborum circuitiones effunditur, divitias orationis inanes oſtentans, ac propria, & quæ in communi conſuetudine ſunt poſita, reſpuens, novata, & peregrina, & antiqua conquirit; maxime autem in verbis modificatis fluctuat; nimium enim amat adjuncta; cognominibus alieno tempore utitur, allegorias adhibet longas, eaſque multas, neque in iis aut modum, aut tempus ſervat; figuris autem poëticis nulla ſuavitate præditis, & maxime Gorgianis, intempeſtive puerorum more effertur; atque harum rerum apud eum magnifica nimis eſt, & lauta ſupellex; quod Demetrius quoque Phalereus, aliique multi memoriæ prodiderunt. Neque verò me quiſquam, inquit, in hac verſari oratione putet, ut omnem apparatum, ac commutationem orationis ejus vituperem; neque enim adeo demens ſum, ut de tanto viro ejuſmodi judicium facerem; quem ſcio multis de rebus, magnifice, ac mirabiliter, & ſummo cum artificio ſcripſiſſe, ſed ut oſtendam, quo modo ille in facienda oratione labatur, ac ſe ipſo deterior ſit, cum magnificentiam, ac

„ co-

,, copiam quærit orationis ; præſtantior vero A
,, multo, cum preſſam, ac tenuem dictionem,
,, & quæ non facta videtur, ſed eſt tamen
,, ſubtiliter apparata, perſequitur; aut enim
,, nullum concipit vitium, aut quod non ma-
,, gnopere ſit reprehendendum ; ego autem
,, tantum virum omni prorſus crimine cupe-
,, rem eſſe vacuum . Nam & æquales ejus
,, omnes, quorum nomina commemorare non
,, eſt neceſſe, hoc ei vitio vertunt , & ipſe
,, ſibi ; non enim proprias ignoravit ineptias;
,, ſed eis nomen dithyrambum impoſuit .
,, Quod ego, quamvis ita ſit, tamen veritus
,, eſſem dicere. Hoc autem ei videtur , ut
,, mea fert ſuſpicio, contigiſſe, quòd in So
,, craticis ſermonibus tenuiſſimis, & ſubtiliſ B
,, ſimis educatus, in eis non perſtiterit , ſed
,, Gorgiæ, ac Thucydidis dicendi genus ſe
,, quutus, quædam eorum etiam vitia cum
,, virtutibus hauſerit, quibus illorum abun-
,, dat oratio. Exemplum autem ſublimis affe-
,, ro dictionis ex libro uno eorum, qui ma-
,, jores clamores excitarunt; in quo Socrates
,, amatorios cum familiari ſuo Phædro ſermo-
,, nes inſtituit, à quo liber ipſe nomen inve-
,, nit. Hic ergo liber multa feſtivitate prædi-
,, tus eſt, principium vero mirifico quodam
,, etiam eſt lepore, ac ſale refertum : Amice
,, Phædre, quo tandem, & unde? Ph. A Ly-
,, ſia Cephali ò Socrates; eo vero extra mœ
,, nia deambulatum ; diu enim ibi ſedens à
,, matutino tempore ſum commoratus; uſque C
,, ad Lyſiacæ orationis lectionem, & ab ea
,, uſque ad quendam locum, ubi quaſi ex ſe-
,, reno, & quieto aëre magnus nimbus erum-
,, pens elegantiam omnem perturbat oratio-
,, nis, ad poëticas delatus ineptias, hinc ini-
,, tio ſumpto . Agete ò Muſæ ſive propter
,, cantus ſpeciem, ſive propter genus muſi-
,, cum λιγύαι λίγειαι appellatæ, meum ſuble-
,, vate ſermonem . Hæc autem ſtrepitum , &
,, dithyrambos continere, ac magnum verbo-
,, rum ſonitum, ſententiæ vero parum , ipſe
,, ait. Nam cauſſam, cur amori ἔρως nomen
,, impoſitum ſit, docens, hæc etiam dixit :
,, Etenim cupiditas rationis expers, opinionis D
,, ad recta tendentis victrix, ad delectatio-
,, nem formæ adducta, & à cognatis cupidi-
,, tatibus ad corporum pulchritudinem vehe-
,, menter corroborata victrix vitæ conſuetudo
,, ἀπ' αὐτῆς τῆς ῥώμης, id eſt à robore ἔρως ap-
,, pellatus eſt. Num tibi amice Phædre , ut
,, mihi, videor divinum aliquid paſſus eſſe ?
,, Philip. Prorſus ò Socrates; contra conſue-
,, tudinem profluens te quædam amplitudo
,, cepit. Soc. Silentio igitur audi; nam reve-
,, ra divinus hic mihi videtur locus , quare
,, ſi ſæpius progreſſu orationis lymphatus tibi
,, videar, cave, ne mireris; hæc enim non
,, multum à dithyrambis abhorrentia loquor.
,, In his induſtriam hominis haudquaquam E
,, improbo, ſed dictionis formulam , quæ in
,, tropicam, & dithyrambicam evadit , in
,, quibus modum ſuperat; culpo autem non
,, ut unum è multis, ſed ut magnum virum,
,, ac divino prope ingenio præditum , quòd
,, amplitudinem ornatus poëtici, & ſermones
,, philoſophorum attulerit, Gorgiam æmula-
,, tus ita, ut quædam etiam dithyrambis ſimi-
,, lia fuderit, neque hoc vitium diſſimulave-
,, rit. Hæc Dionyſius. Idem autem prodidit
,, in commentario Alcibiadis Olympiodorus ,
,, Platonem in Phædro quem primum ab eo
,, dialogum ſcriptum eſſe multi putent, gran-
,, diloquam dithyramborum formam ſpirare;
,, quanquam quid aut Dionyſii, aut Olympio-
,, dori profero teſtimonium? non ne idem
,, ſenſit Ariſtoteles? Hic enim, ut eſt apud
,, Laërtium, de Platonis oratione ita judica-
,, vit, ut poëmati, & ſolutæ orationi interje-
,, ctam eam eſſe affirmarit. Quod idem poſtea
probaſſe Ciceronem video in Oratore. ,, Pla-
,, tonica inquit, locutio, etſi abſit à verſu ,
,, tamen quòd incitatius feratur, & clariſſi-
,, mis verborum luminibus utatur, potius
,, poëma putandum eſt, quàm comicorum
,, poëtarum. Atque hoc quidem fuit de Pla-
tone judicium antiquorum; quid hos de Ci-
cerone ſentimus? quid aliud, niſi ſublimio-
rem ipſum elatioremque quandam dicendi
ſpeciem perſequutum, quàm dialogi ratio, &
natura pateretur . Hunc tamen, quantum
ego poſſum exiſtimare, hominum, quos in-
duxit, amplitudo, ac dignitas culpâ liberat ;
neque enim apud eum ferè loquitur quiſquam,
niſi aut conſularis, aut ſenator, aut certe in
luce reipublicæ vivens; ſæpe etiam qui me-
moria patrum, majorumque floruerunt, digni-
tate principes civitatis, & gloria colloquen-
tes facit, ut ſummæ eorum auctoritati, atque
amplitudini par propè dictionis, verborumque
magnificentia, ac majeſtas jure attribuenda
fuerit. Ac de genere quidem orationis , quo
ſcribendus dialogus eſt, hactenus; ſi quis au-
tem quo modo aut elatum, aut humile paran-
dum ſit genus orationis ſcire cupit, is ex rhe-
toricis hauriet monumentis; hic enim in par-
te dialogus oratoriæ artis maxime præſidium,
opemque cogitur implorare.

Jam vero tertia, quam propoſui , diffe-
rentia hanc facultatem habet , ut tres imita-
tionis inferat modos, quorum unus eſt , cum
ita res exponitur, quaſi agatur in ſcena, non
narretur; alter, cum narratur ita, ut aliorum
etiam aſſimulata extet oratio ; quorum ille
apud poëtas tragœdiæ , & comœdiæ reſpon-
det, hic epopœjæ, tertius ex utriſque confu-
ſus eſt . Hoc cum ita perſpicuum eſt, ut te-
ſtimonia non deſideret , tum vero etiam M.
Ciceronis auctoritate graviſſima comprobatur,
cujus hæc ſunt verba in Tuſculanis : Sed quo
commodius diſputationes noſtræ explicentur ,
ſic eas exponam, quaſi agatur res, non quaſi
narretur; & in Lælio: Quaſi ipſos induxi lo-
quentes, ne inquam , & inquit, ſæpius inter-
poneretur; atque id eò feci , ut tanquam à
præſentibus coram haberi ſermo videretur ;
quem locum ſatis conſtat è Thææteto Plato-
nis eſſe expreſſum. Prioris generis eſt apud
Platonem Gorgias, & Phædrus, apud Cicero-
nem Cato, & Lælius. Poſterioris apud Cice-
ronem dialogus de oratore. Tertii ſunt apud
Platonem Phædo , & Protagoras . Secundi
apud hunc, tertii apud illum exempla deſi-
derantur. Neque enim probare Laërtium poſ-
ſum, qui tria hæc genera reperiri in Platonis
dialogis prodit, numerans in ſecundo, ut opi-
nor, genere, Lyſim, & Politiam, & quæ ſunt
generis ejuſmodi; quòd in iis inquam, & in-
quit, quæ in eam maxime conveniunt for-
mam, ſæpius inſerantur; ut autem non pro-
bem, hæc me ratio impellit, quòd univerſa
ea Socratis narratio ſit, non Platonis; neque
enim dialogus numerari ullus poteſt, in quo
Plato ipſe narrationem ullam inſtituat , niſi
forte Socratem pro Platone velimus accipere.

Conſtituta definitione dialogi , & univer-
ſo ejus quaſi corpore nudato, ac patefacto ,
ſe-

ſequitur, ut videamus cujuſmodi partes ejus ſingulæ ſint, & quo nobis artificio, ac diligentia componendæ. Partes autem ſunt duæ; earum unam præparationem, contentionem alteram nominamus. Præparatio, quam Græci κατασκευὴν vocant, eſt, ſermo ille univerſus, qui in principio dialogi ad communiendum propoſitæ contentioni aditum adhibetur; ut in Politia Platonis, omnis ea oratio, qua ad Cephalum ſenem ſe veniſſe narrat Socrates, ibique præſentibus Polemarcho, & Thraſymacho, & Glaucone, & Adimanto primum de ſenectutis incommodis, poſt de divitiarum uſu, tum de juſtitia, quæ ibi ſumma quæſtio eſt, ſermonem inſtituiſſe; atque hæc pars idem valet in dialogo, quod in tragœdia, atque comœdia prologus. Contentio, qui ἀγὼν græce dicitur, eſt, quidquid verborum de re ad diſputandum propoſita vel confirmandi vel refellendi gratia fit; ut quæ à Socrate cum Polemarcho, & Thraſymacho de juſtitia, cum omnibus autem de optima forma civitatis inſtituenda habetur diſputatio, quæ ut poëmatis fabula ab Ariſtotele, ſic dialogi nobis anima jure poteſt appellari. De his igitur partibus res admonet, ut pluribus diſputemus, ſi perfectum, qualis antiquus ille fuit, informare dialogum volumus; quod à principio inſtituimus.

Verum antequam hoc laboris aggrediar, quoniam imitatio omnis veriſimilitudinis, & decori officio tuendo perficitur, eaque in toto dialogi corpore fuſa laus eſt, videtur eſſe faciendum, ut ante de veriſimilis, & decoro ea dicam, quæ maxime rem, cauſſamque continere videantur, ne dum de ſingulis partibus agemus, decori, & veriſimilis expoſitione continens ipſa ſeries diſputationis interrumpatur. Quid igitur hoc de genere præcipiendum eſt aliud, niſi utrunque in perſonarum, temporum, locorum, & cauſſarum conſideratione, atque animadverſione eſſe poſitum? Hoc autem libro nihil difficilius, aut magis lubricum fingi poteſt; nec ſine cauſſa; quid enim majoris eſſe ſapientiæ poteſt, quàm, ut inquit non inſulſe Macrobius, locis, & temporibus accommodare ſermones ita, ut perſonarum dignitas conſervetur? Veriſimilis autem, quod Græci εἰκὸς vocant, duo genera ſunt, unum, de quo in oratoriis præceptis traditur, alterum, de quo in poëticis. Ejus generis ea ſunt, quæ plerunque ita eveniunt, ſed eam tamen vim habent, ut ſecus accidere poſſint; quale eſt, ſenes pecuniarum cupidos eſſe, adoleſcentes gloriæ, quæ ipſa ad eas adhiberi controverſias ſolent, quæ conjecturis nituntur. Hoc autem poëticum ejus eſt poteſtatis, atque naturæ, ut cum adeſt, efficiat, ne res, ut eſt ficta, ſic videatur; ficta autem videbitur, quæ à vero longe abhorrebit, nec veritatis ullam ſimilitudinem conſequetur, id eſt, quæ cum perſonis, temporibus, & locis diſcrepabit, & cauſſas nullas, cur ita factum ſit, aut certe non probabiles continebit. Ut enim non quicunque homo quancunque rem agit, ſic non eſt veriſimile, quencunque hominem in quocunque ſermone verſari; & quoniam actio nulla eſt niſi in tempore, & loco, propterea quod in re eſt, id etiam oratione exprimatur neceſſe eſt. Sed ea quam maxime ad veritatis ſimilitudinem propenſa exiſtimatur actio, cujus cauſſæ probabiles, & quæ perſonis conveniant, extant; quas ad res ſingularis induſtria eſt, ac ſumma diligentia conferenda.

Decori autem triplex eſt ratio; unum eſt enim decorum, quod in vita quenque, alterum, quod oratores in dicendo, tertium, quod in imitando poëtas oportet intueri, & cujus, ut inquit Proculus, conſervatio totam propè continet imitationem. Hujus autem laus diviſionis Ciceroni debetur, apud quem ita eſt in eo libro, qui inſcribitur Orator: Ut in vita, ſic in oratione nihil difficilius eſt, quàm quod deceat, πρέπον appellant Græci, nos appellemus ſane decorum; hujus ignoratione non modo in vita ſæpiſſime, ſed in poëmatis, & in oratione peccatur. Eſt autem decorum, quod ex nobili illa diſputatione, quam in primo de Officiis idem de temperantia habuit, intelligi poteſt, nihil aliud, quàm actio ei perſonæ conveniens, quam nobis vel natura vel judicium impoſuerit; quod idem demonſtravit etiam Ariſtoteles in tertio Eudemiorum extremo, cum decorum dignitati dixit congruere; neque enim decere, quod eſſet alienum à dignitate. Itaque bene Callicratidas, ut eſt apud Plutarchum, qui, cum à Lyſandri amicis rogatus, ut ſe quendam ex hoſtibus interficere, accepta grandi pecunia, pateretur, non conceſſiſſet, atque ei Cleander dixiſſet, cepiſſem ego pecuniam, ſi Callicratidas fuiſſem, & ego, inquit, ſi Cleander. Apertius autem etiam Ariſtoteles vim ipſam decori in tertio Nicomachiorum expreſſit, cum in omnibus rebus tuendi decori cauſſa perſonæ, & temporis, & rerum ipſarum rationem haberi oportere præcepit. Cui qui deſit officio, eum à Latinis ineptum dici, tradit apud Ciceronem Craſſus. Qui enim aut tempus quid poſtulet, inquit, non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum, quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus dicitur. Quoniam autem ut vita, ſic oratio quædam eſt actio, poëſis autem imitatio eſt actionis, idcirco fit, ut cum oratorum oratio, tum poëtarum ad hujus ſit decori diſciplinam, & regulam dirigenda. Hoc autem apud oratores maxime locutionis, & dictionis ſpeciem continet, nempe ut cuique generi apta, & conveniens dicendi forma attribuatur, de qua hæc ſcripta ſunt apud Ariſtotelem in oratorio tertio: Dictio neque humilis, neque ſupra dignitatem, ſed decora ſit, oportet; decebit autem, quæ perturbationes animorum exprimet, & mores, ac rebus, de quibus agetur, reſpondebit; reſpondebit porro, ſi neque de ampliſſimis rebus breviter dicetur, neque de humilibus graviter; perturbationes autem effinget, quæ, ſi de contumelia agatur, ira accenſa ſit, ſi de impiis, & flagitioſis rebus, indignatione commoveatur; morata vero erit, quæ unicuique generi, & habitui congruet, generi ex ætate, ut puero, viro, ſeni, habitui ex ſexu, ut viro, & mulieri. Atque hoc ipſum vidiſſe M. Tullium in orationibus, docuiſſe in præceptis oratoriis, perſpicuum eſt. Nam de priore genere loquutus eſt in oratore, his verbis: Quam indecorum eſt, de ſtillicidiis, cum apud unum judicem agas, ampliſſimis verbis, & locis uti communibus, de majeſtate populi Romani ſummiſſe, & ſubtiliter dicere? & alibi: Eſt quid deceat, oratori videndum, non in ſententiis ſolum, ſed etiam in verbis; non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec

A vero locus, aut tempus, aut auditor eodem aut verborum genere tractandus eſt, aut ſententiarum; de poſteriore, cum M. Calidium reprehendit, qui, cum ſibi venenum paratum ab adverſario diceret, idque à ſe eſſe deprehenſum, rem tantam ſolute, leniter, oſcitanter egiſſet. Unde reſpondens, tu, inquit, M. Calidi niſi fingeres, ſic ageres? præſertim cum iſta eloquentia alienorum hominum pericula defendere ſoleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces, & querelas ſolet; nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percuſſa, non femur, pedis, quod minimum eſt, nulla ſupploſio. Itaque tantum B abſuit, ut inflammares animos noſtros, ſomnum iſto loco vix tenebamus. Unde idem ille clamat in Sextiana: Scio, quid gravitas veſtra, quid hæc advocatio, quid ille conventus, quid dignitas populi Romani, quid periculi magnitudo, quid ætas, quid honos meus poſtulet. Jam verò decorum poëticum cum in imitandis moribus hominum, tum in convenienti affingenda oratione verſatur. In moribus hæc quatuor ſpectari oportere cenſet Ariſtoteles in libro de arte poëtarum, ut ſint boni, convenientes, ſimiles, & æquabiles; boni quidem, quia virtutum nos decet eſſe imitatores, non vitiorum; congruentes autem ſunt, qui cuique ætati, ſexui, nationi, & C conditioni conveniunt, ut fortitudo viro, mulieri mollities, non contra; atque ita in ceteris; ſimiles autem effinget, ſi cum aliis poëtis in virtute alicujus exprimenda non diſcrepabit, in quod vitium incurret, qui exempli gratia Ulyſſem imprudentem, Achillem vecordem inducet, cum prudentiæ illum, hunc fortitudinis laude excellentem Homerus expreſſerit. Æquabiles autem, ſi ipſe à ſemet non diſſentiet, ita ut eundem modo pium, modo deorum contemptorem faciat. Poſtremo oratio conveniens affingetur, ſi præcepta, quæ diximus, ex libris oratoriis repetentur, in quibus perturbationes, & mores hominum maxime ab Ariſtotele pertractantur, quæ in D hunc locum inde transferre, prope alienum, atque ineptum videtur.

His ergo ante de veriſimili, & decoro præceptis cognitis, ſequitur, ut, quod facere inſtituimus, de ſingulis dialogi partibus, ac primum de præparatione, qualem eſſe oporteat, exponamus. Mea igitur ſententia, qui ad ſcribendum dialogum aggredietur, is huc in primis aciem mentis, & rationis intendet, ut in ipſo quaſi veſtibulo qui, & quales ſint, quos induxerit, & quo tempore, & quo in loco, & qua ratione ad eam diſputationem pervenerint, planum faciat, id eſt dabit operam, ut quod ante monuimus, in aditu dialogi aperiendo perſonarum, temporis, loci, E rerumque habeat rationem, ne veriſimilis, & decori laudem aut non quæſiſſe, aut non aſſequutus eſſe videatur, quorum alterum imprudentiæ eſt, alterum inſcitiæ ſingularis. Harum autem rerum omnium variam invenio, & multiplicem tradi poſſe doctrinam. Primum enim virorum videtur intuendum genus, quos ejuſmodi illigaturi ſermone ſumus, mortui ne ſint, an adhuc vivant; deinde verò ad officia, quæ unicuique eorum in colloquio tribuemus, pro decoro diſtribuenda omnis noſter animus eſt, & cogitatio conferenda. Plurimum autem intereſt, mortuoſne, an viventes homines inducamus: in iis illuſtris quædam auctoritas, in his earum rerum, de quibus diſputent, teſtata eruditio, & ſcientia poſtulatur. De auctoritate teſtis eſt Cicero, cum ſic in Lælio loquitur: Genus ſermonum poſitum in hominum veterum auctoritate, & eorum illuſtrium plus neſcio quo pacto videtur habere gravitatis; & in Catone: Omnem ſermonem tribuimus non Tithono, ut Ariſto Chius, ne parum eſſet auctoritatis in fabula, ſed M. Catoni ſeni, quo majorem auctoritatem haberet oratio; & in epiſtolis ad Q. fratrem, cum loqueretur de dialogo, de republica: Sane texebatur, inquit, opus diligenter, hominumque dignitas aliquantulum orationi ponderis afferebat. Erant autem P. Africanus, C. Lælius, & L. Furius ii, quibus, ut in libris ait de oratore, Romana civitas non tulit ullos aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores. Ut autem veriſimilitudo teneatur, non eſt prætermittendum, quin unde ille ad nos tam antiquus ſermo pervenerit, exponamus; quod obſervatum diligenter à M. Tullio eſt, qui veterem illum Lælii ſermonem de amicitia ſe accepiſſe à Q. Scævola, Craſſi, Antoniique de oratore à C. Cotta denunciavit; idcirco autem à Platone præteritum, quia nullus ab eo congreſſus exprimitur, cui non interſit magiſter ejus, & auctor Socrates, à quo ea ſe propter intimam familiaritatem audiſſe, cupit exiſtimari. Neque verò laudaverim, ut eos quis inducat, qui non ſint æquales, id eſt quos propter ætatum intervalla in congreſſum, conſpectumque veniſſe, parum conſentaneum ſit. Etenim Platoni, ut eſt apud Athenæum, vitio aliquando eſt tributum, quòd Socratem cum Parmenide congredientem fecerit, longe ab ejus ætate remotum. Paralum autem, & Xantippum Periclis filios cum Protagora colloquutos induxerit, quo tempore iterum ille Athenas divertit, cum multo illos antea acerba vis peſtilentiæ ſuſtuliſſet; tantum tamen auctoritas valuit Platonis, ut quod abſurdum eſt maxime, quæ in eo inſignia, & vitioſa ſint, multi ſumere non dubitarint; inter quos Macrobium licet numerare, cujus hæc ſunt verba in Saturnalibus: Nec mihi fraudi ſit, ſi uni, aut alteri ex iis, quos cœtu coëgit matura ætas, poſteri ſeculo prætextati ſint; quod licito fieri Platonis dialogi teſtimonio ſunt; quippe Socrate Parmenides antiquior, ut hujus pueritia vix illius apprehendat ſenectutem, & tamen inter illos de rebus arduis diſputatur; inclytum dialogum Socrates habita cum Timæo diſputatione conſumit; quos conſtat, eodem ſeculo non fuiſſe. Paralus verò, & Xantippus, quibus Pericles pater fuit, cum Protagora apud Platonem diſſerunt, ſecundo adventu Athenis morante; quos multo ante infamis illa peſtilentia Athenis abſumpſerat; annos ergo coëuntium exemplo Platonis nobis ſuffragante in digitos mitti, non convenit. Quod ſi eos, qui hac luce fruantur, induxerimus, tum, ut dixi, videndum erit diligenter, ne ad earum eos artium diſputationem vocemus, quarum conſtet ignaros illos eſſe, & jejunos, ne jure noſtra, ut quondam Ciceronis, illudatur induſtria; qui Lucullum, & Catulum homines ab iis ſtudiis abhorrentes, quæ in interiorum litterarum tractatione verſantur, de Academicæ diſciplinæ conſuetudine diſceptantes fecit; quam deinde ad M. Varronem anxius inprimis, ut qui ſe à decoro diſceſſiſſe ſentiret,

vel

vel Attico ipſo auctore, traduxit, ad quem hæc ſunt in tertiodecimo: Ergo illam ἀκαδημαϊκὴν, in qua homines nobiles illi quidem, ſed nullo modo philologi minus acute loquuntur, ad Varronem transferamus: ſunt enim ἀπόχρησα, quæ iſte valde probat, & poſt: Illam Academicen σύνταξιν totam ad Varronem traduximus; modo fuit Catuli, Luculli, Hortenſii; deinde, quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, quod erat hominibus non ignota illa quidem ἀπαιδευσία, ſed in iis rebus ἀτριψία; & poſt: Hæc Academica cum Catulo, Lucullo, Hortenſio contuleram; ſane in perſonas non cadebant; erant enim λογικώτερα, quam ut de illis ſomniaſſe unquam viderentur. Itaque hanc eandem cavens culpam in Catone, quòd Catonem eruditius diſputantem faceret, quàm in ſuis libris ſoleret, excuſat ſe, & id Græcis litteris attribuendum admonet, quarum eum conſtet perſtudioſum fuiſſe in ſenectute, probe; vidit enim Catonis in diſputando ſubtilitatem, qualis fuiſſet, ex monumentis ejus, non ſecus, atque ſi viveret, perſpici poſſe. Itaque Xenophontis inprimis in hoc ſoleo conſilium admirari, qui cum Socratem de re familiari diſputantem cum Critobulo homine locupletiſſimo induxiſſet, quod vidit, Socratem hominem in litterarum, non in rei familiaris augendæ ſtudio exercitatum, parum decore de officio diligentis patrisfamilias diſputaturum, ubi ille univerſa quædam peroravit, tum quæ ab Iſchomacho notæ induſtriæ, & frugalitatis homine de uxoris, patrisfamilias, villici, & ſervorum muneribus deque agri colendi ratione audiſſet, narrantem induxit. Adeo verò diligentes eſſe in eorum ingeniis, quos inducimus, exprimendis debemus, ut quo genere orationis eos delectatos ſciamus, id ipſum in eorum quoque diſputatione adumbrare conemur. Quod ſe feciſſe in Craſſo, & Antonio Cicero profitetur. Quamobrem mirari deſinamus, cur Plato, imitator, ut dixi, ſummus in Phædone Cebetem Thebanum ἴττω Ζεὺς patria, ut ait, lingua dicentem fecit, aut Gorgiæ voces Siculis inuſitatas, Atticis inauditas κύρσειν, & χειρούργημα, quod erudite prodit Olympiodorus, tribuerit. Neque vero, quanquam neminem in ea arte, & ſcientia, de qua loquitur, eruditum puto eſſe ſumendum, graviſſimum quenque virum de omni, quam complexus ſit arte, diſputantem recte induci arbitror poſſe; in quo cum eſſet Cicero reprehenſus, ſic in Lucullo reſpondit: Reſtat, ut reſpondeam iis, qui ſermonibus ejuſmodi nolint perſonas tam graves illigari; quaſi verò clarorum virorum aut tacitos congreſſus eſſe oporteat, aut rerum colloquia leviorum. Itaque Africanum, Lælium, Furiumque, viros ſine controverſia nobilitate, opibus, & auctoritate reliquis omnibus in civitate præſtantes, de ea, quam tractabant, & in cujus luce vivebant, republica inter ſe per triduum colloquutos, nemo unquam accuſavit, Craſſum vero, & Antonium conſulares, ac triumphales, ac ſumma dignitate præditos homines, de præceptis, quæ in arte, ſtudioque dicendi tractantur, tanquam in ſchola ad eorum ſimilitudinem, qui hæc apud Græcos profitebantur, ſermones habuiſſe per biduum, quoniam non videbatur decorum, propterea ambos partim ad eam diſputationem non ſua voluntate adductos, atque ea, quæ pervulgata putabantur, præcepta dicendi deludentes fecit, partim verò, ſi quid argutius, ac ſubtilius afferebant, ad eos philoſophos, quos, cum in provincias reipub. cauſſa proficiſcerentur, in Græcia aliud cogitantes audiſſent, deferentes. Id quod Platoni non fuit providendum, quippe qui neminem, niſi optimis doctrinis imbutum, atque in earum, quas profiteretur, diſputatione litterarum ſtudioſe verſantem, nec ullo alio reipub. munere, atque officio occupatum in ſermonibus intexuerit ſuis.

Ac de genere quidem perſonarum dijudicando hæc dicta ſint. In officiis autem diſtribuendis in primis animadvertere debemus, ut cum aliis confirmandi, & quaſi docendi partes damus, aliis refutandi, aliis demum etiam tantum audiendi, quæ cujuſque maxime ætati, auctoritati, & opinioni conveniant, ea cum ſingulis conferamus. De ætate, & auctoritate, quo locupletiore utar teſte, quàm Cicerone? qui ſe ob id Q. Scævolam removiſſe è ſecundo oratorio ſermone Attico cauſſam quærenti reſcripſit: Quod in iis, inquit, libris, quos laudas, perſonam deſideras Scævolæ, non eam temere dimovi, ſed feci idem, quod in πολιτείᾳ Deus ille noſter Plato; cum in Piræum Socrates veniſſet ad Cephalum locupletem, & feſtivum ſenem, quoad primus ille ſermo haberetur, adeſt in diſputando ſenex; deinde cum ipſe quoque commodiſſime loquutus eſſet, ad rem divinam dicit ſe velle diſcedere; neque poſtea revertitur. Credo Platonem vix putaſſe ſatis conſonum fore, ſi hominem id ætatis in tam longo ſermone diutius detinuiſſet; multo ergo ſatius hoc mihi cavendum putavi in Scævola, qui & ætate, & valetudine erat ea, qua meminiſti, & iis honoribus, ut vix ſatis decorum videretur, eum plures dies eſſe in Tuſculano; & erat primi libri ſermo non alienus à Scævolæ ſtudiis; reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut ſcis; huic joculatoriæ diſputationi ſenem illum, ut noras, intereſſe nolui. Opinionis autem cum Cicero, tum Plato inprimis habuit rationem; Plato enim Hippiam, Prodicum, Gorgiam, Thraſymachum, ceteroſque ſophiſtas, ut erant, arrogantes, ac leves, nec de jure ſuo quidquam alteri concedentes facit, Socratem autem humanum, comem, nihil ſibi, plurimum aliis in ipſa ſcientiæ, & doctrinæ laude tribuentem, ac ſophiſtarum ubique confidentiam, atque inſcitiam inſectantem; atque eundem quidem Socratem ad diſputationem de virtute, ac repub. quam ille partem philoſophiæ tractatam, ac cognitam habuit, ad eam verò, quam de naturæ, & mundi procreatione prodidit, Timæum Locrum, quòd eo inprimis ſcientiæ ſtudio teneretur, aſſumpſit. Cicero autem cum Craſſum, & Antonium de eloquentiæ ſtudio diſputantes faceret, eas potiſſimum Craſſo partes dedit, in quibus orator omni cumulatus laude defenditur, Antonio verò, quibus mediocris quidam, & ad forenſes tantum, & populares cauſſas tractandas paratus inſtituitur; præterea ut Antonio diſputationem de inveniendis, collocandis, ac memoria cuſtodiendis rebus attribuit, Craſſo de ornandis, ac cum venuſtate pronunciandis, ſic Cæſari ſermonem de jocis, & facetiis: nimirum, quod his eorum unumquenque præcipuis florere ſive ingenii laudibus, ſive doctrinæ compertum haberet; quod ille perſpicue in Bruto demonſtravit, ubi de ſingulis Romanorum oratorum virtutibus ad veri-

veritatis rationem diſputavit. Atque hoc idem etiam in dialogo de finibus obſervavit, ut Epicurea Torquato, Piſoni Academica, Catoni Stoica, ut cuique maxime probabantur, tribueret. Et quoniam quibus partes docendi damus, penes eos principatum eſſe ſermonis volumus, magna cura ac diligentia providere oportet, quos potiſſimum ad tanti muneris dignitatem vocemus. Nam fere qui princeps eſt ſermonis ejuſmodi, is noſtram de rebus putatur aperire ſententiam; quod ſignificavit Cicero in Catone, cum dixit: Ipſius Catonis ſermo explicabit noſtram omnem de ſenectute ſententiam. Talem autem principatum apud Platonem tulerunt Socrates, Timæus, & hoſpites duo Athenienſis, & Eleates, ut ſcripſit Laërtius; & Craſſus in prima illa concertatione, atque acuminis plena de oratore diſputatione; in reliquis autem non tam Craſſus, quàm Julius, & Antonius, in dialogo verò illo nobiliſſimo de republica P. Africanus. Quod ſi in eum ſermonem viventes homines incluſerimus, cavebimus diligenter, ne committamus, ut perpetuo præſentibus nobis obmuteſcendum ſit; neque enim hoc laudabile putat Cicero, qui cum Attico cauſam dialogi ſui de Academia conferens, hoc etiam addidit: Si Cottam, & Varronem feciſſem diſputantes, meum κωφὸν πρόσωπον eſſet; hoc in antiquis perſonis ſuaviter fit, ut & Heraclides in multis, & nos ſex de repub. libris fecimus; ſunt etiam de Oratore noſtri vehementer probati; in eis quoque eæ perſonæ ſunt, ut mihi tacendum fuerit; me puero ſermo hic inducitur, ut nullæ eſſent partes meæ. Invenio tamen eum in dialogo, cui intereſt, de natura deorum, perpetuo elinguem, & mutum eſſe. Sin autem loquemur, tum auctoritatem ejuſdem ſequuti Ciceronis primas nobis ſermonis partes aſſumemus; in quo ille Ariſtotelem ducem ipſius veſtigiis ſe perſecutum videtur ſignificare in epiſtolis ad Attic. Quæ his, inquit, temporibus ſcripſi, ἀριστοτέλειον morem habent; in quo ſermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipſum ſit principatus; & ad Q. fratrem: Ariſtoteles, quæ de præſtanti viro ſcribit, ipſe loquitur. In hoc autem genus referri poſſunt dialogi ejus de finibus, & divinatione, de legibus, & de claris oratoribus: nam apud Platonem nullum tale extat exemplum, quòd in omnibus fere, ut dixi, Socrates exprimitur. Neque verò quos nobis adverſantes, & repugnantes faciemus, eis temere, aut ſine ſumma ratione partes eas affingemus, ut eos, aut falſa defendentes, aut à nobis victos fœde è concilio decedentes inducamus; ſed aut, quæ probabilia ſunt, dabimus tuenda, aut quibus eos delectari potiſſimum acceperimus, aut certe non ex ſententia, ſed vel diſputandi cauſſa defendi, vel ab aliis audita referri fingemus. Primi conſilii acute nos admonuit Cicero, ubi in epiſtolis cum Pomponio de dandis Varroni Antiochi partibus in concertatione Academica ſtatuit: Ut legi tuas, inquit, litteras de Varrone, tanquam ἕρμαιον arripui, aptius eſſe nihil potuit ad id philoſophiæ genus, quo ille maxime mihi delectari videtur, meaſque partes; ut non ſim conſequutus, ut ſuperior mea cauſſa videretur; ſunt enim vehementer πιθανὰ ἀντιόχεια, quæ diligenter à me expreſſa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis noſtrum. Alterum præceptum accurate cuſtodivit Plato, cum ea defendi à ſophiſtis fe-

A cit, quæ de induſtria à Socrate acriter ubique oppugnata compertum habemus; quod docuit etiam Baſilius, cum ad Diodorum ita in quadam epiſtola ſcripſit: Plato partim ſententiis pugnat, partim perſonas comice tractat, Thraſymachi audaciam, Hippiæ levitatem, Protagoræ confidentiam criminans; aliquando etiam rerum diſtinguendarum gratia perſonis utens incertis, nihil aliud attexit argumentis, id quod fecit in Legibus. Jam verò tertii unde, niſi ex eodem Platone, petamus exemplum? apud quem in Politia Glauco ſe contra juſtitiam dicere, non ſuæ ſententiæ teſtificandæ, ſed Socratis ad ejus defenſionem eliciendi gratia profitetur. Poſtremo autem conſilio uſus eſt

B Cicero in L. Furio, quem cum Glauconis exemplo juſtitiam oppugnantem feciſſet, quod parum decorum, immo in tali viro, & cive prope impium videbatur, juſtam reprehenſionem vitare cupiens, eum quæ à Carneade philoſopho contra juſtitiam Romæ forte diſputata audiſſet, referentem induxit. Jam verò reliquorum, quos non ad diſputandum, ſed ad ea potius percipienda, quæ diſputantur, accerſimus, officium, parteſque diligenter conſiderare debemus; eſt autem videndum, ne illi aut omnino rudes ſint omnium doctrinarum, & omnis prorſus humanitatis expertes, aut iis, quibus partes diſputandi dedimus, uſu, aut doctrina ſuperiores; neque

C enim eos iis ſermonibus intereſſe par eſt, ex quibus fructum nullum ſint propter earum diſputationum inſcitiam, ac inſolentiam percepturi; neque decorum ullo modo, aut conſonum, eum audire, cui ſit docendum, præcipere verò, cui diſcendum; quid enim perverſius fingi poteſt, quàm ſpectante, ut ajunt, Roſcio geſtum agere? Omnino autem quales eos eſſe conveniret, paucis demonſtravit Socrates in Protagora, cum eos admonuit, oportere ſe ambobus iis, qui diſſerunt, communes præbere, non æquos; nimirum ſignificans ſilentio utriuſque orationem eſſe probandam, alterius autem, nempe melioris aſſenſione animi comprobandam. Idonea verò erit eorum

D perſona, qui natu minores ſint iis, quorum in diſputatione conſumitur.

Hactenus ſit de perſonis expoſitum. Neque vero minus de tempore, aut loco eſt laborandum, ut quo anno, quo menſe, &, ſi fieri poſſit, quo die, & quo in loco ea ſit diſputatio inſtituta, in ipſo dialogi veſtibulo pateſaciamus. Hujus enim prætermiſſio officii incredibile eſt, quantum ei ſermoni adimat auctoritatis, & fidei, ut cum ea legas, quæ nec temporis, nec loci habeant commemorationem, prorſus ut ſunt, falſa, & ficta eſſe exiſtimes; ſin autem rem cum perſonis, locis, temporibus conſentire intelligas, mirabiliter omnibus iis, quæ dicantur, quæque agantur,

E aſſentiaris. Atque hoc quidem prope religioſe video eſſe à M. Tullio conſervatum. Etenim præſtantiſſimum illum de Oratore dialogum ab hoc principio eſt exorſus: Cum in cauſſam principum inveheretur conſul Philippus, Druſique tribunatus pro ſenatus auctoritate ſuſceptus infringi jam, ac debilitari videretur, tum memini ludorum Romanorum diebus, Craſſum colligendi ſui cauſſa, ſe in Tuſculanum contuliſſe; veniſſe eòdem ſocer ejus, qui fuerat Q. Mucius, dicebatur, & M. Antonius, homo & conſiliorum in repub. & ſumma cum Craſſo familiaritate conjunctus; exierant autem cum ipſo Craſſo adoleſcentes, &

& Druſi maxime familiares, & in quibus magnam tum ſpem majores natu dignitatis ſuæ collocaverant, C. Cotta, qui tum tribunatum petebat, & P. Sulpicius, qui deinceps eum magiſtratum petiturus putabatur. Quibus verbis animadvertere poſſumus, & annum, & menſem, & diem, & locum ejus congreſſus eſſe deſcriptum; annum ex conſulatu Philippi, & tribunatu Druſi, menſem & diem ex ludis Romanis, qui XVII. Kal. Octob. edebantur, locum ex memoria Tuſculani; quin etiam & hominum nomina, & gradus honorum cujuſque, & qua cauſſa in congreſſum illum colloquiumque venerint, indicavit. Craſſus enim animi cauſſa ludis Romanis veniſſe dicitur in Tuſculanum, cumque eo adoleſcentes duo, qui ſe totos Craſſo dediderant, Cotta, & Sulpicius; veniſſe eodem etiam ſocer Craſſi Q. Mucius narratur, & cum Mucio M. Antonius, & conſiliorum de repub. ſocius, & ſumma cum Craſſo familiaritate conjunctus; quæ omnia ita inter ſe apta, & conſentanea ſunt, ut ea vix aliter, quam ipſe narrat, eveniſſe ſuſpiceris. Idem obſervavit quoque diligenter in ceteris. Eſt autem magnopere providendum, ne dies, locuſque congreſſus ab ipſa eorum, quos in colloquium adducimus, diſcrepet dignitate; neque enim ſatis decorum, aut conſonum foret, principes reipub. viros, & in maximis ejus curis, & negociis occupatos, aut quocunque die, aut quencunque in locum ventitare, ut de iis ſubtilius rebus diſputando exquirerent, quæ in arte, & ſcientia aliqua verſarentur. Itaque noſter ille, qui neminem fere, niſi ſenatorem, & ſummis in repub. perfunctum honoribus in dialogos conjecit ſuos, nunquam niſi feriis, ludiſque ejuſmodi eos dediſſe diſputationibus operam, finxit, quibus nec ſenatus haberetur, nec ullæ omnino in foro quæſtiones exercerentur. Quibus potiſſimum diebus gravioribus requieſcere à reipub. muneribus præſtantiſſimo civi cuique licuit, & ſe ad manſuetiores muſas referre, atque aliquid de litterarum, ac ſtudiorum laude ocioſum ac pene ſolum, vel commentari, vel ſcribere; unde illuſtria illa ſunt, quibus tantopere ille idem gloriari videtur, in Planciana: Quas tu commemoras Craſſi legere te ſolere orationes, cum ocioſus ſis, has ego ſcripſi ludis, & feriis, ne omnino unquam eſſem ocioſus. Locos autem ad hos ſermones idoneos in primis ruſtica ipſa prædia eſt arbitratus: primum, quòd negociis publicis, & forenſibus relaxari cives Romani eò fere ex urbe tanquam ex aliquo carcere reficiendi animi cauſſa ſoliti erant evolare; deinde, quòd ea ita ædificare inſtituerant, ut ibi nec gymnaſia deſiderarentur, nec palæſtræ, nec ambulationes, nec xyſti, neque exedræ, nec denique reliqua corporum, ingeniorumque curricula, in quibus nobilia illa etiam Græcorum colloquia philoſophorum Athenis dicuntur eſſe verſata, ut quæ loca exercitationis, aut delectationis cauſſa conſtruxiſſent, ea ad graves etiam, quæ de philoſophia haberentur, diſputationes, haud gravate traducerent; quibus in locis de artibus, & doctrinis inter claros, ſed eruditos homines diebus feſtis diſceptari, nemo unquam indecorum putaret, niſi omnis plane decori ignarus, ac prorſus ineptus eſſet. Id quod in primis voluiſſe apud Ciceronem videtur Catulus, cum ita cum Craſſo eſt loquutus: Ac ſi tibi videntur qui temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent, inepti, ſicut debent videri, num tandem aut locus hic non idoneus videtur, in quo porticus hæc ipſa, ubi inambulamus, & palæſtra, & tot locis ſeſſiones, gymnaſiorum, & græcarum diſputationum memoriam quodammodo commovent, ac importunum tempus, in tanto ocio, quod & raro datur, & nunc peroptato nobis datum eſt, aut homines ab hoc genere diſputationis alieni, qui omnes ii ſumus, ut ſine his ſtudiis nullam vitam eſſe ducamus? Quamobrem, quid eſt, quod miremur, omnes prope dialogos à Cicerone modo in Tuſculano, modo in Cumano, modo in Arpinati, nunc in xyſto, nunc in palæſtra, nunc in ambulatione fuiſſe inſtitutos; ita tamen, ut aliquot etiam in urbe habitos finxerit, unum etiam in Academia extra Athenas; quemadmodum Plato ſermonem de legibus in Creta inſtituit. Quem quidem Platonem, cur tam parum de tempore, aut loco ad colloquia ſua idoneo laboraverit, ſunt qui mirantur; ſiquidem ex verbis ejus plerunque nec quo die, nec quo in loco Socrates diſputet, cognoſcitur; aut ſi qua ejus rei extent veſtigia, nullum tamen ab eo dierum, locorumque diſcrimen eſſe factum ſentias, quin quocunque die, & quocunque in loco Socratem faciat de rebus graviſſimis diſputantem. Etenim in Gorgia, cum Socrates è foro profectus Calliclis oratoris domum veniret, ut Gorgiam Leontinum, virum tum Rhetoricæ artis laude florentem, qui apud Calliclem hoſpitem diverſabatur, conveniret, forte in via incidit in Calliclem, atque edita itineris ſui cauſſa, quantopere Gorgiam audire averet, exponit. Tum Callicles, ſe daturum operam pollicetur, ut audiat; atque interim quàm magna ille polliceatur, edocet; juſſiſſe enim modo eum, ut qui domi erant, ſi quid eſſet, de quo audire vellent, quærerent; ſe enim ad omnia reſpondere paratum. Deinde mandat, ei qui ſecum erat, Chærephonti Socrates, ut de Gorgia ipſo ſciſcitetur, quis ipſe ſit. Tum Chærephon: age quæſo, dic mihi Gorgia, inquit, vera ne narrat Callicles, te profiteri ad omnia, quæcunque de te quæſita erunt, reſponſurum? cui Gorgias aſſentitur; atque inde ſermo inter Socratem, & Gorgiam, & Polum, & Calliclem inſtituitur; ex quibus verbis apparet, ſermonem primum in via publica ſuſcipi, reliquum in veſtibulo ædium Calliclis; nam poſt multa inquit Socrates: Fortaſſe aliquis eorum, qui intus ſunt, de te quærere verecundabitur. Verum hoc ita obſcure exprimitur, ut non conſtet, Gorgias ne domi, an foris ſit conventus à Socrate, nec quo in loco ſermo ille potiſſimum habeatur, multo vero minus, quo tempore. Idem fit in Cratylo; ejus enim exordium eſt tale. Hermogenes: Vis ne igitur, hunc Socratem hujus ſermonis faciamus participem? Cratylus. Ut lubet. Inde Hermogenes, expoſita, quæ de re erat inter ſe nata controverſia, quid ſuæ ſententiæ ſit, è Socrate percontatur, eamque deinceps Socrates patefacit. Item in multis. Fit tamen ſæpe etiam loci commemoratio, ſed ita, ut facile videas, non valde eum in eo deligendo ſemper elaboraſſe; nam ſermo de republica habitus eſt in ædibus Cephali in Piræo, cum eà forte, die quodam feſto, prætergrederetur Socrates, de ſapientia cum Theage in porticu Jovis liberatoris, de pulchritudine cum Phædro extra Athenas ad flu-

men illuſum, de ſanctitate cum Eutyphrone in portico regis, in qua judicia tractabantur, de amicitia in palæſtra cum Lyſide. Cur autem hoc neglexerit Plato, id decori ignoratione factum ſuſpicatus eſt Cicero, quod nemo Græcorum viderit; ſic enim apud eum agit Craſſus: Nam qui aut tempus quid poſtulet, non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum, quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus dicitur; hoc vitio cumulata eſt eruditiſſima illa Græcorum natio. Itaque quod vim hujus mali Græci non vident, ne nomen quidem ei vitio impoſuerunt; ut enim quæras omnia, quomodo Græci ineptum appellent, non reperies; omnium autem ineptiarum, quæ ſunt innumerabiles, haud ſcio an ulla ſit major, quàm, ut illi ſolent, quocunque in loco, quoſcunque inter homines viſum eſt, de rebus aut difficillimis, aut non neceſſariis argutiſſime diſputare. Mea vero longe diverſa eſt ſententia, nihil actum eſſe à Platone, niſi decore. Cum enim Socratem magiſtrum ſuum ſumpſiſſet exprimendum, eum, qui non in reipublicæ adminiſtratione, à qua ille longe refugit, ſed in doctrinæ, & virtutis profeſſione, cui ſe totum dedidit, inter omnes gloria longe præſtaret, quique eam vitæ conſuetudinem inſtituiſſet, ad virtutem inferendam, & vitia ex animis hominum evellenda nullum tempus importunum, nullum locum alienum exiſtimaret, quid ei fuit de loci, temporiſque ratione, retinendi decori cauſſa, laborandum, cum omnia tempora, omneſque loci inſcitiæ juvenum depellendæ, & ſophiſtarum arrogantiæ contundendæ viderentur aptiſſimi. Quanquam ne ita quidem eos delegiſſe locos Plato videtur, ut non probabilis aliqua ejus conſilii cauſſa reddi, ac nonnulla locorum cum rebus, quæ ibi diſſeruntur, cognatio demonſtrari poſſit, ſi quis eo ingenii, ſtudiique ſui nervos intenderit. Nobis tamen, quibus Socrates non eſt exprimendus, dandam eſſe putaverim operam diligenter, ut quàm maxime poſſimus, hanc ex loco, & tempore veriſimilitudinis, & decori laudem aſſequamur; quod Ciceronem inprimis feciſſe animadvertimus, cum homines in maximis potius reipublicæ rebus, quàm in ſtudiis litterarum exercitatos induceret.

His rebus ita conſtitutis, reliquum eſt, ut de ratione ſermonis inſtituendi dicam; nam ſi quod aliud præceptum præparationem dialogi continet, tum illud inprimis, quo à quibus ſermonibus, & quibuſdam quaſi levis armaturæ excurſionibus ad legitimam ipſam contentionem, pugnamque deſcendere oporteat, demonſtratur. Quæ pars quia mirificum quendam ingenii leporem, & quandam quaſi morum feſtivitatem deſiderat, propterea ab Ariſtotele, & Theophraſto in ſuis dialogis repudiata eſt; quod ſcriptum invenio apud Baſilium in epiſtola, quam miſit ad Diodorum, his verbis: Ex iis, qui dialogos, inquit, ſcripſerunt, Ariſtoteles, & Theophraſtus rem ſubito aggrediuntur, quia ſibi conſcii ſunt, ſe eſſe Platonicæ ſuavitatis, ac feſtivitatis expertes. Neque verò in omnibus dialogis hanc ex hac parte laudem urbanitatis Plato quæſivit. Nam in Minoe, & Cratylo, & Menone ab ipſa re ſubito eſt exorſus. In Minoe ita. Socrates: Lex quid eſt nobis? Minos: Qualis lex ſit, rogas? in Cratylo autem ita: Hermogenes: Viſne hunc ſermonem cum Socrate conferamus? Cratylus: Ut tibi videtur. Hermog.: Cratylus iſte Socrates rectam nominum rationem ſingulis, quæ ſunt, rebus natura adeſſe ait; qua de re quid ſentias, ſi tibi libuerit, ſcire velim; in Menone verò hoc modo. Meno: Habeſne aliquid mihi dicere Socrates, virtus ne doctrina, an exercitatione, an omnino neque exercitatione, neque doctrina paretur, ſed à natura in hominibus inſeratur, an alio quodam modo? Quod ſe Socrates ſcire negat, quia omnino, ne quid virtus quidem ſit, intelligat; quæ cum admirationem Menoni res commoviſſet, quaſi verò, quid virtus eſſet, nihil eſſet negocii dicere, à Socrate inde quid aut ipſe, aut magiſter ejus Gorgias, virtutem cenſeat eſſe, rogatur; quo pacto ipſa diſputationis pugna committitur. Atque horum quidem ſimilitudinem principiorum conſectatus eſt Cicero tantum in Tuſculanis, in quibus ita eſt. Auditor: Malum mihi videtur mors. Marcus: Iiſne, qui mortui ſunt, an iis, quibus moriendum eſt? Nam exiguum illum ejus dialogi apparatum, in quo partitiones perſequitur oratorias, totum de principio Theagis Platonici duxit; ſic enim uterque. Cicero filius: Studeo mi pater Latine ex te audire ea, quæ mihi tu de ratione dicendi Græce tradidiſti, ſi modo tibi eſt ocium, & ſi vis. Cicero pater: An eſt mi Cicero, quod ego malim, quam te quam doctiſſimum eſſe? Ocium autem primum & ſummum eſt, quoniam aliquando Roma exeundi poteſtas data eſt, deinde iſta tua ſtudia vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter; at Theages: Studeo Socrates quædam privatim communicare tecum, ſi tibi eſt ocium; & ſi negocium, modo ne magnum, tamen te mea cauſſa ocium agere. Soc. Atqui ego cum ocioſus ſum, tum verò tua cauſſa ocium agere paratus ſum. Quamobrem quod cupis, exponas licet. Idem fecit quoque Xenophon in pulcherrimo illo de re familiari tuenda dialogo, ut ſine ulla quaſi armorum oſtentatione, in ipſam diſputationis, ut ita dicam, palæſtram Socratem, Critobulumque deduceret. Sic enim orditur: Audivi ipſum de rei familiaris prudentia hoc pacto diſſerentem. Age dic mihi, inquit, Critobule, an œconomia ſcientiæ cujuſdam nomen eſt, ut medicina, æraria, fabrilis? mihi ſane videtur, inquit Critobulus. At ſi hic ſit nobilium quaſi gladiatorum congreſſus explicandus, tum magnam ſuppeditabit nobis eorum inſtituendæ pugnæ antiquorum conſuetudo facultatem, & copiam; ſiquidem aut ab ipſa re, aut à ſimili, aut ab aliena longe exordia repetere concedetur. Ab ipſa re initium duxit in oratorio dialogo Cicero. Ibi ut ex priſtino, inquit, ſermone relaxarentur animi omnium, ſolebat Cotta narrare, Craſſum ſermonem quendam de ſtudio dicendi intuliſſe. Qui cum eſſet ita exorſus, non ſibi cohortandum Sulpicium, & Cottam, ſed magis utrunque collaudandum videri, quòd tantam jam eſſent facultatem adepti, ut non æqualibus ſuis ſolum anteponerentur, ſed cum majoribus natu compararentur. Neque verò mihi quidquam, inquit, præſtabilius videtur, quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit, unde autem velit, deducere, & quæ ſequuntur. Huic enim libro cum diſputationem de eloquentiæ ſtudio inter Craſſum, & Antonium inſti-

A inſtitutam velit mandare, initium hujus quæ-
ſtionis à Craſſo ait eſſe introductum, qui cum
ſermonem de eloquentia quendam intuliſſet,
quo ſummis eam laudibus efferebat, ac Cot-
tam, & Sulpitium ad ejus complectendum
ſtudium accendebat, Scævolam, & Antonium,
qui audierant, ad eam vel oppugnandam, vel
certè extenuandam, ac conterendam quodam-
modo invitavit; quibus cum ipſe commodiſſi-
me reſpondiſſet, tum Sulpicius, & Cotta
magnopere ab eo petere inſtituerunt, ut quid
ille de tota dicendi ratione ſentiret, in tanto,
ac tam optato ocio perſequi vellet; quorum
ille ſe ſtudiis reſpondit obſequuturum; & in
Catone, cum Scipio, & Lælius admiraren
B tur, quòd Cato tam facile ſenectutem ferret,
iiſque ille, quæ viderentur, reſpondiſſet, tum
rogatus eſt ab utroque, ut exponeret, quibus
ipſi facillime rationibus ingraveſcentem ferre
ætatem poſſint; quorum ille paruit voluntati.
Apud Platonem autem cum longam de legi-
bus civitatibus dandis diſputationem inſtitue-
ret hoſpes Athenienſis, Clinias Cretenſis, &
Megillus Lacedæmonius, in vita ita diſputant,
ut ab ipſa re ſermonem ſine locupletiore ap-
paratu ducant aut rerum, aut orationis; ſic
enim orditur hoſpes: Deuſne an homo aliquis
hoſpites legum ferendarum attulit cauſſam?
Clinias: Deus o hoſpes, Deus, ut confiteri
decet, apud nos quidem Jupiter, apud Lace-
C dæmonios verò, unde hic eſt, Apollinem di
cturos iſtos exiſtimo; nonne? Megillus: Ad
modum; & cetera uſque ad eum locum, qui
non longe abeſt; ubi ita Athenienſis: Verum
quia in hujuſmodi inſtitutis, ac legibus ambo
educati eſtis, confido non injucundum nobis
fore, ſi in itinere de conſtituendis civitatibus
diſſeramus. A ſimili verò principium traxit in
Lælio Cicero. Nam cum poſt mortem Africa
ni C. Fannius, & Q. Mutius ad ſocerum Læ-
lium veniſſent, atque Africani, quem unice
dilexerat Lælius, mentionem intuliſſent, ac
nonnulla præclare de laudibus Africani, &
de morte amicorum moderate ferenda dixiſſet
Lælius, tum rogatur ab utroque, ut quo-
D niam memoriam commovit amicitiæ, de ami-
citia exponat quid ſentiat; quorum ille ſtu-
dio nihil abnuit. In Bruto autem cum eſſet
commemoratio facta à Cicerone ejus libri,
quem ad ſe Atticus de rebus Romanis ſcrip
ſerat, ſeque aliquid ejus remunerandi cauſſa
paraturum Attico dignum polliceretur Cice-
ro, tum Atticus, qui præſens ſermoni inte
rerat, flagitat, ut ſibi perſolveret tum, quod
Bruto promiſerat, & inchoaverat, id eſt ut
de claris diſſereret oratoribus. In Academicis
autem, cum in Cumano eſſet unà cum Var-
rone Cicero, quærit de eo, cur cum tam
multa ſcribat, nihil tamen de philoſophia
litteris mandet, cujus rei cum probabiles mul-
E tas Varro cauſſas collegiſſet; eaſque Cicero
familiariter refutaſſet, rogavit eum poſtremo,
ut omne eo ſtudium, & operam ſuam con-
ferret. Tum Varro, iſtuc quidem conſidera-
bo, inquit, nec verò ſine te, ſed de te ipſo,
quid eſt, quod audio; quanam, inquit Cice-
ro, de re? relictam à te veterem jam, inquit
Varro, Academiam, tractari autem novam;
ex quo deinde loco longus diſputationis de
Academia quaſi contextus nectitur. Socrates
autem cum eſſet una cum Eutyphrone in
porticu regis, ubi judicia exercebantur, roga-
tus ab eo, quamobrem in eo loco verſaretur,
reſpondit, diem ſibi dictam eſſe à Melito,
quòd juventutem corrumperet Athenienſium;
inde cum ab eo contra audiſſet, ſe ibidem
eſſe, ut patrem de cæde poſtularet, cum eo
ſermonem eum de ſanctitate inſtituit, quo
adoleſcentem à tam nefario conatu dicitur
avocaſſe; in Phædro autem, cum de pulchri-
tudine, unde excitatur amor, eſſet loquutu-
rus, initia divini illius ſermonis duxit ab ora-
tione quadam amatoria Lyſiæ, quam Phæ-
drus miris in cœlum laudibus efferebat; eam-
que contra ipſe non ita magni æſtimandam
eſſe, alia meliore prolata, confirmabat. Jam
ab aliena re exordium cepit in Politia; cum
enim in Piræum ad Cephalum ſenem, & lo-
cupletem Socrates veniſſet; ibi primum de
ferenda facile ſenectute diſputari eſt cœptum;
quem ſermonem alter ille excepit, de uſu di-
vitiarum, cum ſeni diviti tolerabiliorem eſſe
ingraveſcentem ætatem Cephalus ſignificaſſet.
Qui cum deinde addidiſſet, non omnibus
magnas, amplaſque fortunas magni eſſe fa-
ciendas, ſed bonis in primis, & juſtis viris,
prope Socratem ad alterum illum ſermonem
adduxiſſe eſt viſus, qui eſt in eo libro propo-
ſitus de juſtitia. Nam quid Timæum adjiciam?
cujus ejuſmodi feruntur exordia, ut cum in
convivio Socrates, quæ à ſe pridie de repu-
blica, & civitate formanda breviter eſſent di-
ſputata, peroraſſet, ſubjunxerit Critias, eun-
dem eo die laborem Timæum eſſe ſuſceptu-
rum, ut de natura rerum, & mundi procrea-
tione diſſereret; quid Cicero in legibus, quàm
longe eam diſputationem, & quàm alte repe-
tiit? ſiquidem Arpinatem obiens agrum, à quer-
cus cujuſdam aſpectu ad fabularum comme-
morationem, inde ad hiſtoriæ ſcribendæ con-
ſilium, tum ad jus civile profitendum, poſtre-
mo ad leges reipublicæ à ſe inſtitutæ traden-
das deſcendit. Præclare; eſt enim hæc ratio,
ac natura ſermonis noſtri, præſertim familia-
ris, & quotidiani, cujus ſimilitudinem hæc
pars maxime dialogi conſectatur imitando, ut
ſe quaſi vinculo quodam, aliud ex alio, lon-
ga rerum, ac verborum ſerie trahat. Itaque
magnum in ea ſtudium, non mediocris opera
collocanda eſt, ut quæ in ſermone noſtro fieri
inſignia ſolent, ea in hoc appareant omnia;
in primis autem meminerimus, ut decorum,
& veriſimile teneamus. Etenim ſi cui hæc in
principio de manibus elabentur, quid eſt,
quod de illius ingenio præclarum, aut medio-
cre, ubi paullum progreſſus ſit diſputando,
expectare poſſimus? Eſt autem res multi la-
boris, ac plena difficultatis; neque enim quid-
quam tam prope ad perfectam ſapientiæ lau-
dem accedit, quàm elegans imitatio, & eru-
dita, à qua tamen non longe aberrabimus, ſi
probe, quæ ſit cujuſque, quem inducamus,
dignitas, quæ perſona, cognitum habuerimus.
Quod præclare mihi ſervaſſe videtur Cicero
in tribus ſenatoribus illis exprimendis, qui
apud eum de ſtudio diſputant eloquentiæ. Hi
primo die, de temporibus, inquit, illis, de-
que univerſa republica quam ob cauſſam ve-
nerant, multum inter ſe uſque ad extremum
tempus diei colloquuti ſunt; quo quidem in
ſermone multa divinitus à tribus illis conſula-
ribus Cotta & commemorata, & deplorata
narrabat, ut nihil incidiſſet poſtea civitati
mali, quod non impendere illi tanto ante vi-
diſſent; eo autem ſermone confecto, tantam
in Craſſo humanitatem fuiſſe, ut cum lauti
accubuiſſent, tolleretur omnis illa ſuperioris
triſtitia ſermonis; eaque eſſet in homine ju-
cun-

cunditas, & tantus in jocando lepos, ut dies A inter eos curiæ fuiſſe videretur convivium Tuſculani; poſtero autem die, cum illi majores natu ſatis quieſſent, in ambulationem ventum eſſe dicebat; tum Scævolam duobus tribusve ſpatiis factis dixiſſe, cur non imitemur Craſſe Socratem illum, qui eſt in Phœdro Platonis? nam hæc me tua platanus admonuit, quæ non minus ad opacandum hunc locum patulis eſt diffuſa ramis, quam illa, cujus umbram ſequutus eſt Socrates; quæ mihi videtur non tam ipſa aquula, quæ deſcribitur, quàm Platonis oratione creviſſe; & quod ille duriſſimus pedibus fecit, ut ſe abjiceret in herba, atque ita illa, quæ philoſophi divinitus ferunt eſſe dicta, loqueretur, id meis pedibus concedi B certe eſt æquius. Tum Craſſum, immo vero, commodius etiam, pulvinoſque popoſciſſe, & omnes in iis ſedibus, quæ erant in platano, conſediſſe dicebat. Hic illud primum animo intueri, ac contemplari oportet, quanta cura, ac diligentia eorum tueatur dignitatem, quòd cum in republica honorum rerumque geſtarum gloria florerent, eos non ſubito ad diſputationem illam oratoriam, quæ infra dignitatem videbatur, deducit, ſed primum diem de temporibus illis ait, deque univerſa republica quam ob cauſſam venerant, uſque ad extremum tempus diei eſſe colloquutos; atque in eo ſermone calamitates omnes reipublicæ impendentes tum divinitus proſpexiſſe, ut prudentes, C tum ut optimos cives, atque in primis ſtudioſos reipublicæ deploraſſe; deinde vero conſiderandum etiam, atque etiam, quanta præditum humanitate depingat Craſſum, qui ſplendido parato convivio, ac feſtivis ſermonibus injectis ſuperioris triſtitiam ſermonis omnem tollere ſit conatus; quod ejus eſſe munus exiſtimatur, qui tempeſtivo alterum convivio excipit; tum vero quàm proxime ad rei veriſimilitudinem narret, poſtero die, poſtquam majores illi natu ſatis quieverunt, in ambulationem ventum eſſe, ac Scævolam paucis ſpatiis factis, quòd erat infirmiſſimis pedibus, conſidere voluiſſe exemplo Socratis, ut ait, cujus memoriam platanus renovarit, D quæ eſt in Phœdro Platonis. Craſſum autem, ut erat humanus, ſtatim pulvinos afferri juſſiſſe, atque omnes in iis ſedibus, quæ erant ſub platano, conſediſſe. Hoc quidem pacto Cicero magnifico in primis, ac ſplendido apparatu clariſſimos illos viros, quaſi hiſtriones quoſdam ad colloquium, tanquam in ſcenam, perduxit; num eodem Socratem, & Phœdrum, quorum paulo ante eſt mentio facta, Plato? multo mea quidem ſententia, humiliore; occurrit enim Phœdro Socrates, deque eo, quo & unde, quærit; reſpondet Phœdrus à Lyſia; apud quem à matutino tempore fuerit; ſe autem ire extra mœnia deambulatum; quærit inde quæ cauſſa cum Lyſia colloquendi fuerit; E reſpondet Phœdrus, ut orationem quandam amatoriam audiret, à Lyſia ſcriptam; cujus orationis deſiderio captus Socrates, Phædrum extra urbem proſequitur, eumque, ut eam ſibi recitet, tandem exorat. Quod Phædrus facturus ita eum de loco ad eam rem idoneo ſumendo percontatur. Ubi vis conſidentes huic lectioni operam demus? Soc. Huc ad Iliſſum pedes convertamus, tum, ubi videbitur, requieſcentes ſedeamus. Ph. In tempore nudis pedibus ſum; nam tu quidem ſemper; nihil igitur erit negocii pedibus per aquam madidis incedere, neque hoc præſertim anni tempore, ac diei injucundum. Socr. Perge igitur, & ſimul vide, ubi nam ſedeamus. Ph. Vides ne altiſſimam platanum illam? Soc. Video. Ph. Ibi & umbra, & ventus modicus, & mollis herba, ſive ſedere voluerimus, ſive decumbere. Soc. Perge igitur. Inde in ſermonem de Orithyæ raptu, & mendaciis poëtarum ingreſſi ad locum delabuntur. Tum Socrates. Heus inter loquendum, non ne hæc eſt arbor illa, ad quam nos deduxiſti? hæc enim platanus patulis diffuſa ramis, ac procera eſt, & viticis altitudo, & amœna opacitas in flore eſt conſtituta ætatis, ut locum etiam circum ſuaviſſimo odore poſſit explere; fons etiam gratiſſimus ſub platano aquam frigidam fundit, quemadmodum pede tentari licet, nymphiſque & Acheloo ſacer videtur, quantum ex puppis, & imaginibus intelligi poteſt. Hæc ego non nego, quin mirifica quadam ſint ſuavitate condita omnia, ſed ratio perſonarum fecit, quæ non generis, ſed vitæ, non rerum geſtarum, ſed doctrinæ nobilitate ſunt commendatæ, ut quanto plus habent jucunditatis, tanto magnificentiæ minus; primum enim extra urbem cum adoleſcente ſenex, & quidem ſine arbitris, deinde temere ad locum alienum perveniunt, amœnum illum quidem, quis negat? & amatorio futuro ſermoni convenientem, at Romano ſenatori ſine dubio indecorum. Itaque cum eundem locum tractaret Cicero in Legibus, quanto omnia magnificentius, nec minori, ſi fas eſt dicere, verborum cum jucunditate expreſſit. Sed ventum eſt in inſulam, inquit, hac vero nihil eſt amœnius; ut enim hoc quaſi roſtro finditur Fibrenus, & diviſus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapidoque dilapſus, cito in unum confluit, & tantum complectitur, quantum ſatis ſit modicæ palæſtræ loci; quo effecto, quaſi id habuerit operis, & muneris, ut hanc nobis efficeret ſedem ad diſputandum, ſtatim præcipitat in Lirem, & quaſi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obſcurius, Liremque multo gelidiorem facit; nec enim ullum hoc frigidius flumen tetigi, cum ad multa acceſſerim, ut vix pede tentare id poſſim, quod in Phædro Platonis facit Socrates. Atque hoc quidem meum eſt de Ciceronis, ac Platonis aditu ad cauſſam, diſputationemque judicium.

His rebus de præparatione ſermonis expoſitis, ſequitur deinceps, ut qualis ſit contentio, demonſtremus; qua in parte digerenda, & explicanda omnes noſtri erunt nervi ingenii, atque induſtriæ contendendi; eſt enim locus, qui dialogum vi, ac poteſtate ſua totum amplectitur. Hæc autem pars ut tota in rei contemplatione eſt poſita, ita in duo quaſi membra diſcerpitur, rei propoſitionem, & probationem; dicamus primum de propoſitione, quæ inſtitutum, propoſitumque ſcriptoris oſtendit. Eſt igitur ita hæc quaſi dialogi fabula conſtituenda, ut aut in primis verbis, quod ſæpe factum oſtendi, aut non ita multo poſt, extet, atque appareat, quid ſit id, de quo inter eos, quos induximus, diſputatur, & quæritur, ne diu lectoris animus in argumento percipiendo aberret, atque uſque ad extremum ſuſpenſus, & parum propoſitæ ſententiæ compos deferatur; quod ſumme eſt à M.Tullio frequentatum; ſed id multis modis; nam aut eò rem deducit, ut qui princeps futurus eſt ſermonis, alicujus eorum, qui adſunt, precibus fatigatus, ad diſputationem ejuſmodi

com-

compellatur, aut de inchoata ſtudii laude perficienda admoneatur, aut novo aliquo interveniente, qua de re eſſet inſtituta diſputatio, oſtendatur. Primum genus apud eum inprimis eſt factitatum, ut modeſte rogentur; veluti de divinatione: Ego vero philoſophiæ, inquam, ſemper vaco, hoc autem tempore cum ſit nihil aliud, quod libenter agere poſſimus, multo magis aveo audire, de divinatione quid ſentias; & in Legibus: Atqui ſi quæris, ego quid expectem, quoniam ſcriptum eſt à te ſatis de optimo reipublicæ ſtatu, conſequens eſſe videtur, ut ſcribas tu idem de Legibus; & in Academicis: Immo vero & iſtam, & totam veterem Academiam renovari abs te, niſi moleſtum eſt, velim; & ſimul aſſidamus, inquam, ſi videtur; & in Lælio: Sed quoniam amicitiæ mentionem feciſti, & ſumus ocioſi, pergratum mihi feceris, ſpero item Scævolæ, ſi quemadmodum ſoles de ceteris rebus, cum ex te quæritur, ſic de amicitia diſputaris, quid ſentias, qualem exiſtimes, quæ præcepta des; & in primo de oratore: Nunc quoniam uterque veſtrum patefecit earum ipſarum rerum aditum, quas quærimus, & quoniam princeps Craſſus ejus ſermonis ordiendi fuit, date nobis hanc veniam, ut ea, quæ ſentitis de omni genere dicendi, ſubtiliter perſequamini; item quoque in œconomico Xenophon. Alterum genus uſurpavit ille in Bruto; ſic enim ibi loquitur Atticus: Itaque quoniam hic, quod mihi deberetur, ſe exacturum profeſſus eſt, quod huic debes, ego à te peto. Quid nam? inquam. Ut ſcribas, inquit, aliquid; jampridem enim conticuerunt tuæ litteræ; nam ut illos de republica libros ediđiſti, nihil à te ſane poſtea accepimus; eiſque noſmetipſi ad rerum naturalium memoriam comprehendendam impulſi, atque incenſi ſumus; ſed illa cum poteris, &, ut poſſis, rogo; nunc vero, inquit, ſi es animo vacuo, expone, quod quærimus, quidnam eſt id, inquam; quod mihi nuper in Tuſculano inchoaſti de oratoribus, quando eſſe cœpiſſent, qui, & quales fuiſſent, quem ego ſermonem cum ad Brutum tuum, vel noſtrum potius, detuliſſem, magnopere hic audire ſe velle dixit. Itaque hunc elegimus diem, cum te ſciremus eſſe vacuum. Tertii exemplum ſumi poteſt ex primo de natura deorum: Sed ut hic, inquit, qui intervenit, me intuens, ne ignoret, qua de re agatur, de natura agebamus deorum; quæ cum mihi videtur perobſcura, Epicuri ex Vellejo ſciſcitabar ſententiam. Apud Platonem autem nullam ſæpe ejuſmodi reperias propoſitionem, ſed diu ſententiæ, & controverſiæ, quæ inter eos verſetur, qui loquuntur, incertus, mente vageris & fluctues, nec certum, cui hæreas, locum invenias; ubi vero proponitur, ſæpius obſcure id ita fit, ut vix ſentias, quanquam in eo omnem animum, mentemque defigas. Nam etſi Phædro rogatur ab Echecrate, ut ea ſibi narrare velit, quæ Socrates ante mortem in carcere diſſeruit, non tamen apparet ex eo, Socratem eſſe de animorum immortalitate diſputaturum; in Phædro autem multo minus ex verbis aut Socratis, aut Phædri declaratur, ibi verba de pulchritudine factum iri; namquid de Gorgia dicam? in quo qui fuerit Platonis ſenſus, adeo eſt obſcurum, ut, quod eſt apud Olympiodorum, alii de rhetorica, quæ pars eſt exigua, alii de juſtitia, alii, quorum ipſe probat opinionem, de principiis morali-

A bus ad beatam vitam pertinentibus ibi agi exiſtimarint. Idem dici de Politia poteſt; in qua de juſtitia diſputatio inſtituitur, ita ut ubi Polemarchi, & Glauconis ſententiam Socrates refutarit, nec ſuam tamen ipſe protulerit, tum addat, melius juſtitiam in civitate, quàm in privato cognoſci, atque ita de ſua illa republica inſtituenda ſermonem exordiatur, quem per novem libros uſque ad extremum perducit. Itaque quod deſiderari ſæpe in Platonicis poſſe dialogis Cicero animadvertit, illud ipſe ſibi nequaquam prætermittendum putavit; ſcite admodum, & probe. Eſt enim propoſitio nihil aliud, quàm concluſio probationis, quæ debet exponi, ad quam omnis acies in- B genii ab iis eſt intendenda, quibus onus hoc diſputationis impoſuerimus; ut qui fontes illis argumentorum patere in diſputando debeant, eoſdem nobis in ea doctrina accipienda cognitos, ac perſpectos eſſe conveniat. Hanc autem partem non tam ſententiis diſtinctam, quàm moribus interpunctam eſſe oportet. Nam & qui rogat, & qui admonet, & qui omnino alteri laborem ullum imponit, videat caveatve neceſſe eſt, ne in eo modeſtiæ, atque humanitatis fines tranſeat, ſed tempori, & commoditati ejus, cui id mandat, conſulat, unde nota illa, ſi ocium eſt, quoniam ocioſi ſumus, niſi moleſtum eſt, & cetera, quæ tuendæ inventa ſunt inſtrumenta mode- C ſtiæ, dimanarunt; cujus virtutis præcepta tum ab agendi, tum à dicendi magiſtris multa ſunt tradita, ex quorum, ſi res feret, erunt commentariis huc transferenda.

Cum ergo quod ſummum ſit propoſitæ caput quæſtionis, & controverſiæ, conſtituerimus; tum eadem argumentis confirmandane, an refellenda ſit, cogitabimus; quæ ratio, quia vix ſine morata ac feſtiva quadam oratione optatum perduci ad exitum poterit, diligentia præterea erit adhibenda, ut inter probandum varia morati ſermonis quaſi ſemina diſpergamus; præclare enim Hermogenes, qui dialogum ex ſubtilibus, moratiſque ſermonibus dixit eſſe confuſum, nec minus recte Ari- D ſtoteles, qui cum de rebus iis ageret, quas poëtæ ſimulando exprimerent, eò diſputando delapſus eſt, ut tria eſſe dixerit, quæ imitatione ſimularentur, actionem, ſententiam, & mores; cujus præcepti vis quid prohibet, quin ad hanc dialogi quoque doctrinam traducatur? ut in eo hæc etiam tria exprimi ſtatuamus, actionem in ipſa eorum, qui colloquuntur, ſermonis communicatione, ſententiam in eorundem argumentatione, mores in inſtituto, & electione; quarum rerum quoniam de una diximus, proximum eſt, ut de altera, poſt de tertia diſputemus. Placet igitur Ariſtoteli, ſententiam, quam ille διάνοιαν vocat, genus ipſum argumentationis amplecti; ſic E enim ait: Sententia eſt, poſſe dicendo exprimere, quæ in re inſident, & quæ conveniunt; quod in orationibus civilis artis, & oratoriæ munus eſt; antiqui enim civiliter loquentes faciebant, qui nunc ſunt, oratorie; & paullo poſt: Sententia continet ea, ex quibus homines probant aliquid eſſe, aut non eſſe, aut in univerſum aliquid pronunciant; & infra: Ac quæ quidem ad ſententiam pertinent, in libris oratoriis tractata ſunt; hoc enim magis eſt proprium artis munus; ad ſententiam autem ea pertinent, quæ orationis ope parare oportet, quorum partes ſunt, confirmare, & refutare, & motus animorum ciere, ut miſeri-

ordiam, aut timorem, aut iram, & quæ ſunt generis ejuſmodi; præterea amplificare, ac diminuere. Quorum verborum ſatis manifeſta vis eſt, ac perſpicua: nempe ſententia illum demum ſatis eſſe inſtructum, qui facultatem habeat confirmandæ rei, tum ex iis, quæ vere in re inſunt, quod eſt ſenatoriæ laudis, tum ex iis, quæ aliunde eo trahi poſſunt, quod eſt oratoriæ artis. Itaque priſcis temporibus, cum nondum artificii aſtutia percrebuerat, ſimplicius egiſſe, atque apertius, cum quæ ineſſent, tantummodo adhiberent; poſtremis vero verſutius, cum etiam, quæ eo transferri poſſent. Hoc autem idem neſcio an planius poſtea iteret, cum ait, ſententiæ præceptis includi, cum homines vel confirmant aliquid, vel refellunt, vel in univerſum pronunciant; ut non confirmatio, ac refutatio ſolum, ſententia ſit, ſed rei quædam etiam in univerſum enunciatio, quam proprio nomine in ſecundo de arte rhetorica libro γνώμην appellavit, eamque aut principium, aut exitum eſſe enthymematis voluit; deinde vero aliquanto etiam clarius partibus ejus omnibus exponendis, quæ vis ſit ſententiæ, tradit; partes autem vocat, confirmare argumentis, aut rejicere, motus permiſcere animorum, aut ſedare, rem augere, aut minuere; quorum in primo quemadmodum elaborandum ſit, docuit in libris dialecticorum, & primo oratorio, de reliquis in ſecundo. Quando ergo ſententia confirmationem potiſſimum, ac refutationem amplectitur, ſane dubium non eſt, quin ſi eorum, qui ſermones conferunt, ſententiam exprimere imitando velimus, eos aut ratione confirmantes quid, aut labefactantes inducere debeamus. Quam landem quibus potiſſimum inſtrumentis aſſequeremur, Ariſtoteles in dialecticis indicavit, cujus induſtria ſtudium illud univerſum prope videtur eſſe perfectum; inſtrumenta autem in promptu ſunt omnibus; quis enim eſt tam in bonis artibus hoſpes, & peregrinus, qui non aliquid fando de ſyllogiſmo, & inductione, aut de iis, quæ ad hæc referuntur, enthymemate, & exemplo, audierit?

His ergo inſtrumentorum generibus ſancientur omnia aut revellentur, argumentis ex iis ſedibus eruendis, quæ nobis ars dialecticorum oſtendit; quamquam non iiſdem, neque eodem modo omnia; alia enim ſyllogiſmo, alia inductione, alia ratione commodius concluduntur. Quo quidem vix, quale ſit, intelligi poteſt, niſi quam quæque res probandi rationem poſtulet, cognoſcatur. Quæ doctrina quanquam multis eſt veterum litterarum teſtata, ac tradita monumentis, digna tamen videtur, quæ hoc quoque loco à me breviſſime demonſtretur. Poſitum ſit igitur illud nôbis, ac conſtitutum, qui notitia, ac cognitione comprehenſum aliquid habent, eos illius rei aut ſcientia, aut opinione, aut errore quodam imbutas mentes habere. Hoc enim cum ſummorum virorum, & prope in philoſophia principum auctoritas perſuadet, tum vel ipſa maxime ratio docet; qua noſtram omnem cognitionem his potiſſimum diſtinctam eſſe diſcriminibus declaratur, ut neque rerum ſit earundem, neque ex iiſdem initiis deducatur, neque ab eadem artis facultate, neque eodem inſtrumento tradatur; ſiquidem ſcientia res eas complectimur, quæ aliter eſſe nequeunt, opinione vero eas, quæ evenire, ac non evenire poſſunt; in utroque autem genere labi errore propter inſcitiam poſſumus. Ex

A quo concluditur, conſtantem, ac perpetuam quandam notitiam eſſe, quæ ſcientia comparatur; caducam vero, atque inſtabilem, quæ opinione. Atque hoc idem ex principiorum etiam varietate, unde hæc omnia fluunt, colligi poteſt. Etenim cum ex iis argumentamur, quæ vera ſint, ac firmam, æternamque concluſionem inducant, ſcire; cum autem ex probabilibus, & quæ nos aſſentiri cogant illa quidem, verum ita, ut quæ concluſa ſint, aliter quoque accidere poſſe ducamus, opinari putamus: at vero ſi vel in principiis titubemus, ut ea certa eſſe conſtituamus, quæ ſint ambigua, aut ex falſis, aut ex iis certe, quæ probabilitatis imagine fallant, aliquid efficiamus, B neque id tamen vitii, malique ſentiamus, tum in magnas erroris, inſcitiæque tenebras incidamus, neceſſe eſt. Tanta autem vis eſt principiorum, ac ſumptionum, ſi bene poſita, ac recte conſtituta ſint, ut rerum etiam quæ aliter evadere poſſunt, quas paulo ante ſola opinione percipi poſſe ſignificavimus, tum demum eſſe ſcientia videatur, cum ex neceſſariis, veriſque propoſitionibus apte concluſa ſint. Ex quo intelligi licet, eaſdem res ab aliis opinione percipi poſſe; nam eumdem eodem tempore eandem rem & ſcientia, & opinione cognitam habere, abſurdum, ac plane abſonum eſt. Ad eandem etiam varietatem augendam accedit, quod non eodem hæc omnia C ratiocinationis genere comparantur; ſiquidem ſcientia demonſtratione, opinio epicheremate, error ſophiſmate procreatur; quorum primum eſt hominis, qui certam conſtituat diſciplinam; alterum ejus, qui de quacunque re dubitet, atque ipſam prope ſcientiam labefactet; tertium decipientis cujuſdam, atque ex profeſſione quæſtum, & gloriam ex victoria diſputationis aſtute nimium, argutéque captantis; quorum illum philoſophum, hos dialecticum, ſophiſtamque, veteres appellarunt. Itaque hoc potiſſimum philoſophus à dialectico differre putatur, quòd ille perpetuam, æternamque materiam, quam tractet, propoſitam habeat, hic quancunque, ille rationibus neceſſariis, hic probabilibus, ille à ſola rei D natura, aut iis, quæ illam neceſſario conſequuntur, hic & hinc, & undecunque argumenta, & quidem non ad conſtituendam ſcientiam, ſed ad inferendam opinionem eliciat. Opinio autem duplex eſt, una, quæ dialectici opera paritur, altera, quæ oratoris, quæ quidem peculiari, ac præcipuo nomine fides appellatur. Neque vero quæ ſit inter utranque differentia, cognoſcere alienum eſt, immo vero cum ad alia, tum ad res pro cujuſque natura tractandas commodiſſimum; ea vero ex ipſa aſſenſionis diſſimilitudine oritur. Etenim cum mens noſtra ad approbandum aut proprio, aut alieno motu ducatur, ſi proprio, & E quidem ſine alterius partis dubitatione aſſentiatur, ſcientia dicitur, ſi cum dubitatione, opinio, ſi alieno, fides. Proprium autem motum mentis appello, cum res intelligit eo modo, quo in ſe ſunt. Itaque quoniam nullo eas alio, quàm in univerſum continet, univerſarum quoque rerum ſcientia, & opinio ſit, confitendum eſt; alienum autem dico, qui ab appetitu proficiſcitur; ut enim mens ab appetitione impellitur, rerum eſt ſingularum; ex quo ſequitur, fidem aſſenſum eſſe, qui rebus ſingularibus adhibetur, non quidem omnibus, ſed in quibus appetitus dominari rationi poteſt, quanquam reapſe non dominetur,

A tur. Quæ cauſſa fecit, ut oratores ad argumentationem, quam eandem cum dialectico habent communem, duo alia fidei faciendæ inſtrumenta aſſumpſerint, animorum motus, & mores; neque enim in ea diſputatione, quæ de univerſo rerum genere habeatur, eadem excitari ſive fides, ſive ſuſpicio poteſt, quæ de ſingulis, quas perſonis, locis, & temporibus circumſcriptas multiplicem ad ſe tractandas aditum patefacere cernimus. Non eſſe etiam eandem opinionis, ac fidei rationem, illud eſt argumento, quod non ex iiſdem fontibus ambæ dimanant. Etenim ex opinabilibus opinio, ex perſuaſibilibus (ſic enim πιθανὰ cum Quinctiliano dicamus) fides ducitur; quæ B eodem modo inter ſe differunt, quo opinio à fide disjungitur; ut enim fides omnis opinio eſt, non contra, ſic quæ ad perſuadendum valent, ad probabilitatem apta omnia ſunt, non viciſſim; nam probabilia ſunt, quæ aut omnium, aut plurimorum, aut certe ſapientum opinione probantur, perſuaſibilia, quibus rudis, & imperita multitudo plerunque aſſentitur. Nam injuriam accipere, quam facere præſtantius eſſe, quod multis philoſophis placuit, in dialectica diſputatione, ut probabile concedetur, in concione, ut parum perſuaſibile, totius fortaſſe populi judicio explodetur. Neque vero eodem ambæ inſtrumentorum genere colliguntur; nam opinio ex ratiocinatione, C fides ex enthymemate manat, quæ imperfecta eſſe ratiocinatio exiſtimatur, in qua ſumma propoſitio, quæ ſit univerſa, prætermittatur. Sed hæc quidem diſputatio non eſt inſtituti ſermonis, huc enim digreſſi ſumus, cum non omnes res eodem modo nobis in dialogo tractandas, verum prout cauſſa poſtularet, ſua cuique rei, ac materiæ argumenta eſſe accommodanda, ac congruenti quæque argumentatione concludenda eſſe, oſtendere cuperemus; neque enim in omnibus rebus eadem ſubtilitas veritatis exquiritur, verum in pleriſque ſatis habetur, ſi probabilia proferantur. Quod ſæpe in libris de moribus Ariſtoteles, in Timæo Plato clariſſimè tradidit; apud quem Ti- D mæus, cum eſſet de deorum natura, & mundi origine verba facturus, ſic dixit: Si forte de deorum natura, ortuque mundi differentes, minus id, quod habemus animo conſequimur, ut tota dilucide, & plane oratio exornata ſibi conſtet, & ex omni parte ſecum ipſa conſentiat, haud ſane erit mirum, contentique eſſe debebitis, ſi probabilia dicentur. Atque hoc idem Galenus quoque diligens inprimis ſcriptor, & doctus, ei commentario tradidit, in quo Hippocratis decreta, & Platonis examinavit; multo enim ſubtilius, certiuſque deorum nos eſſe providentia genitos ibi ab eo demonſtratum, quàm conditoris ipſius, atque animæ noſtræ vim, & naturam eſſe inveſti- E gatam ait. Quanquam ſi dialogus vere eſt, ut diximus, dialecticæ diſputationis effigies, ne neceſſariis quidem admodum ad ſcientiam rationibus, verum fere ad opinionem probabilibus eſt tractandus. Neque enim ejus eſt, qui veri aliquid reperiri ait, in contrarias partes de rebus diſputare, ſed ejus, qui de omnibus ſe profitetur ambigere; quam ſententiam Academici quondam defenderunt, qui ab Arceſilæ, & Cleantis diſciplina manarunt; quippe qui cum ſe nihil ſcire, de omnibus opinari dicerent, contra omnium ſententias probabiliter diſputarent. Galenus tamen in eo libro, qui eſt ab eo de optimo docendi genere ſcriptus, ex Favorini ſententia tradit, Academicos in utranque partem diſſeruiſſe illos quidem, ſed iis tamen, quos in diſciplinam ſuſceperant, quod ad veritatem videretur eſſe propenſius, oſtendiſſe. Cicero autem, quod ſcriptum extat in libris D. Auguſtini contra Academicos, morem Academicis fuiſſe ſcripſit occultandæ ſententiæ ſuæ, nec eam cuiquam, niſi qui ſecum uſque ad ſenectutem vixiſſet, aperire conſueviſſe. Ergo cum in dialogo ſermo inſtituitur, videndum eſt, quæ argumenta, & unde petita adhibeamus; ab hoc enim fere neceſſaria repelluntur, ex quibus aliter rem eſſe non poſſe efficitur. Itaque definitiones quidem, & cauſſas, & effecta, ut dialecticorum ſic dialogorum afferet conſuetudo, ſed non quæ reciprocentur omnino ac neceſſitatem ſcientiæ, ſed quandam opinionis probabilitatem inducant. Sed hæc quidem multo apertius extabunt omnia, ſi aliquanto latius de dialogorum generibus, quæ vel Plato, vel Xenophon, vel Cicero factitant, quod ad præſentem locum attinet, diſputabimus; ordiamur ergo, ut quidem hominis dignitas poſtulat, à Platone.

Hic eam fere dialogorum ſpeciem adamavit, ut cui principatum ſermonis tribueret, eidem tradendæ doctrinæ, & quaſi condendæ diſciplinæ rationem triplicem aſſignaret, unam expoſitionis, alteram inquiſitionis, miſtam tertiam, & ex duabus quaſi prioribus temperatam. Expoſitionem appello, cum qui præcipiendi partes habet, ut fere apud eum Socrates, alieno, ut fit, rogatu, aperte quid de propoſita ſentiat quæſtione, demonſtrat; Inquiſitionem verò, cum idem ille, interrogandis aliis, aliquanto obſcurius intimum animi ſui ſenſum patefacit. Atque hæc eadem tum ſignificaſſe videtur Socrates in Apologia, cum ſe nemini unquam diſciplinam inquit tradidiſſe, ſed ſi quis ſe diſputantem, aut ſua tractantem audire voluerit, nullius unquam ſtudio defuiſſe; neque enim ſe eum eſſe, qui accepta pecunia loquatur, taceat, non accepta; ſed pariter divitibus, ac pauperibus copiam interrogandi ſui facere, atque etiam ſi quis reſpondendo audire cupiat, quæ dicit. Itaque priori generi illam fere argumentandi formam congruere, licet attendere, quæ ſyllogiſmus vocatur, poſteriori, quæ inductio; atque illud quidem perpetua oratione, hoc plerunque interpellata tractari, illud quieto fere ſermone, atque remiſſo, hoc acri, ac perpugnaci contineri. Id quod in ſingula dialogorum ejus genera intuenti facile patebit. Nam in Timæo de natura, & tota univerſitatis ratione Timæus, Socrates in Phædro de pulchritudine, & in Phædone de animorum immortalitate, in legum libris de civitatis diſciplina legibus adſtringenda hoſpes Athenienſis continenti fere oratione, & ad inſtituendam doctrinam accommodata ita diſputant, ut primum genus exprimant dialogorum, quod expoſitione diximus contineri; quam laudem frequentibus illi ſyllogiſmis adhibendis, quod quiſque vel mediocriter in dialecticis verſatus poteſt intelligere, dant operam, ut conſequantur, veluti ne longius abeam, de univerſitate Timæus. Quod ad nos, inquir, attinet, poſtulandum eſt, ut & vos facile aſſequamini, & ego ex ſententia rem, de qua agitur, peragam. Sunt igitur hæc primum meo judicio diſtinguenda, quid eſt, quod ſemper ſit, nec ullum habet ortum,

&

A & quod gignatur, nec unquam ſit; quorum alterum intelligentia, & ratione comprehenditur, quod unum ſemper atque idem eſt; alterum, quod affert opinionem per ſenſus, rationis expers, quod totum opinabile eſt, id gignitur, & interit, nec unquam eſſe vere poteſt; omne autem quod gignitur, ex aliqua cauſſa gigni neceſſe eſt; nullius enim rei cauſſa remota reperiri origo poteſt; quocirca ſi is, qui aliquod munus efficere molitur, eam ſpeciem, quæ ſemper eſt eadem, intuebitur, atque eam ſibi proponet exemplar, præclarum opus efficiat, neceſſe eſt; ſin autem illam, quæ gignitur, nunquam illam, quam expetet, pulchritudinem conſequetur. Omne B igitur cœlum, ſive mundus, ſive quovis alio vocabulo gaudet, hoc à nobis nuncupatus ſit, de quo id primum conſideremus; quod principio eſt in omni quæſtione conſiderandum, ſemper ne fuerit, nullo generatus ortu, an ortus ſit. At ab aliquo temporis principio ortus eſt, quandoquidem cernitur, & tangitur, & eſt undique corporatus; omnia autem talia ſenſum movent, ſenſuſque moventia quæ ſunt, eadem in opinatione conſidunt, quæ ortum habere, gignique diximus, nihil autem gigni poſſe ſine cauſſis. Atque illum quidem quaſi parentem hujus univerſitatis invenire difficile, & cum jam inveneris, indicare in vulgus nefas; rurſus igitur videndum, ille fabricator tanti operis utrum ſit imitatus C exemplum id ne, quod ſemper unum, & idem, & ſui ſimile, an id, quod generatum, ortumque dicimus. Atqui ſi pulcher eſt hic mundus, ſi probus ejus artifex, profectò ſpeciem æternitatis imitari maluit. Sin ſecus, quod ne dictu quidem ſas eſt, generatum exemplum eſt pro æterno ſequutus; non igitur dubium, quin æternitatem maluerit exequi; quandoquidem neque mundo quidquam pulchrius, neque ejus ædificatore præſtantius; ſi ergo generatus, ad id eſt effectus, quod ratione ſapientiaque comprehenditur, atque immutabili æternitate continetur; ex quo efficitur, ut ſit neceſſarium, hunc, quem cernimus, mundum, ſimulachrum æternum eſſe D alicujus æterni. Et quæ deinceps ſequuntur; in quibus Timæus omnem ſuam de mundi procreatione ita aperit ſententiam, ut partim propoſitam quanque rem argumentis confirmet, partim cum magna eorum, qui audiunt, approbatione perpetuitate utatur orationis; argumenta verò fere à definitione, à cauſſis, ab effectis, ceteriſque locis ducit, unde rerum, quæ in natura verſantur, & inter philoſophos differuntur, non neceſſaria, ſed probabilis erui confirmatio poteſt. Cujus doctrinæ præcepta aliunde ſunt, quàm ex brevi hoc commentario, (neque enim id nunc agimus) depromenda.

Jam verò inquiſitione duplici delectatus E eſt Socrates, una, cum adoleſcentes ignaros illos quidem, & in rerum notitia fluctuantes, ſed diſciplinæ cupidos, & cognitionis, erudivit, ac præceptis, inſtitutiſque rudes eorum mentes ad humanitatem, & officium informavit; altera, cum ſophiſtarum ignorantiam, ſuperbiamque reprimere, ac frangere diſputando voluit; quarum in ea officio functus eſt obſtetricis, in hac tentatoris. Quæ duo maxime propria dialectici munera eſſe, ſignificaſſe videtur Galenus in commentario de decretis Hippocratis, & Platonis, cum neceſſarias propoſitiones à probabilibus, & oratoriis diſtinguens ſic ſcripſit in ſecundo: Quæ ſcientiam efficiunt ſumptiones, in rei vi, & natura inſitæ ſunt, reliquæ verò omnes, quæ extrinſecus aſſumuntur, quaſcunque dialecticus affert ad excitationes, & ſophiſtarum reprehenſiones, & juvenum inſtitutionem, & obſtetricationem, ut eos ad alicujus rei inventionem adducat, & dubitare cogat, ſive dialecticæ, ſive gymnaſticæ, ſive topicæ vocentur, ab iis ſecernendæ ſunt, quæ ſcientiam pariunt. Jam verò, quæ ab his longius receſſerunt, & maximè exemplis probabilibus & civilibus, & inductionibus quibuſdam, aut teſtibus probant, ſive perſuaſibiles, ſive oratorias libet appellare, earum quoque cognitam habere vim, & naturam oportet. Quibus ex verbis tentativi, & obſtetricii dialogi vis tacite quoque eſſe videtur expreſſa. Obſtetricium enim dialogum, ſive, ut Græco verbo utar, μαιευτικὸν Græci appellant, in quo Socrates ita diſputat, ut ad obſtetricum ſimilitudinem, quarum ex parturientium alvo fœtus educere munus eſt, idoneis, & appoſitis quibuſdam percontationibus inſitam, ſed occultam ex eorum, quos interrogat, mente rerum notionem, & ſcientiam eliciat; ut non ipſe novi aliquid parere, & procreare, ſed ut id, quod ſit, neque appareat, in lucem emittere videatur, id quod ipſe non diſſimulanter tradit in Theæteto, cum ait: Hoc potiſſimum artis meæ eſt, poſſe diligenter expendere, falſum ne ſit, an verum, quod intima juvenis cogitatio pariat; quin etiam quod obſtetricibus, idem mihi quoque accidit; ſterilis ſum, & ſapientia vacuus; & quod mihi objecerunt multi, me percontari ſingulos, reſpondere nemini, quia nihil habeam, quod ſapienter reſpondere poſſim, vere nimium objiciunt; cujus rei cauſſa eſt, quia me Deus parturientibus ſuccurrere cogit, generare prohibuit. Quocirca non ſum ipſe quidem ulla in re admodum ſapiens; neque extat aliquod mentis meæ ex me editum monumentum. Qui vero me utuntur familiariter, principio quidem rudes apparent, ſed mea deinde conſuetudine ii, quibus Deus ipſe adeſt, mirifice proficiunt, ut & ſibi ipſis, & aliis videantur; hoc tamen certum eſt, eos nihil unquam ex me diſcere, ſed ipſos ſe egregia multa poſſidentes invenire. Atque hoc idem interrogationis munus, credo, idem Socrates intellexit, cum apud Xenophontem in Oeconomicis interrogationem eſſe præceptionem dixit; ſic enim ibi cum Iſchomacho agit: Poſtquam me de quacunque re percontari cœpiſti, tibi ita, ut dicis, reſpondeo, quippe qui perfectus colonus hæc teneas; eſt enim interrogatio præceptio; jam enim diſco, quatenus me ſciſcitatus es ſigillatim; tu enim me ducens per ea, quæ his ſimilia eſſe novi, plane quæ me neſcire putabam, oſtendis itaque perſuaſus & hæc, opinor, ſcio. Cur autem hoc ille diſputationis genus tantopere coluerit, cauſſas apud Plutarchum, magnum hominem in primis, & in philoſophia admirabilem, invenio duas in eo libro, in quo Platonis decreta quædam expendit; unam, ut corruptas juvenum inani ſophiſtarum doctrina, ac ſapientia mentes ea refutatione corrigeret, quæ purgantis cujuſdam vim medicamenti obtineret. Quo in loco adjicit, auctoritatem propterea ejus orationi tributam eſſe, quòd nihil affirmaret; veritatem autem ipſum facilius attigiſſe, quod eam una cum

aliis

A

aliis quærere, nec ſuæ opinioni alicui ſuffragari magnopere videretur. Neque enim, inquit, qui procreat, de re procreata verum ferre judicium poteſt, & qui amat, in ea re, cujus amore flagrat, quodammodo cæcus eſt; nihil autem ſuum tam quiſque diligit, quàm opinionem animo comprehenſam; qui vero proprios generant fœtus, deteriores ſunt alienorum æſtimatores; quo morbo nemo philoſophorum liber fuit, niſi Socrates, aut qui Socratis exemplo nihil ſe procreare putarunt poſſe; quòd ſi veri ſcientia habetur, unaque tantum veritas eſt, eam ſane non minus tenet is, qui ab eo accepit, qui invenit, quàm ipſe inventor; qui vero non credit, ſe tenere, is

B

facilius arripit, quod eſt optimum, perinde atque qui non procreat, filium adoptat, qui eſt optimus. Altera cauſſa eſt, ut accommodate ad eam opinionem philoſophiæ præcepta tractaret, quam ipſe de noſtræ ratione ſcientiæ mente conceperat; cum enim ſcientiam noſtram quandam eſſe recordationem, ac memoriæ renovationem arbitraretur earum rerum, quarum cognitione animus noſter, antequam ſe corporis ſocietate, & contagione contaminaſſet, fuiſſet imbutus, nihil fingi poſſe ad eam philoſophiam tradendam commodius cenſuit, quàm ſi percontando eorum ipſorum, qui ſe nihil ſcire putarent, memoriam ad earum rerum cogitationem, quas obliti quodam

C

modo videbantur, excitaret; quà de re ſic ſcriptum eſt apud Plutarchum. Videndum eſt, inquit, etiam atque etiam, ne irridenda alia, ac pro nihilo habenda ſint, poëmata, diſciplinæ, oratorum orationes, & ſophiſtarum decreta, quæ Socratem generare Deus vetuit; quam vero Socrates ſolam putabat ſapientiam, nempe rerum divinarum, & ſub intelligentiam cadentium, ab eo amatoriam appellatam, hujus neque procreatio eſt hominibus ulla, neque inventio, ſed recordatio. Quare nihil docebat Socrates, ſed cum quæſtionum, quaſi parturientium dolorum initia quædam adoleſcentibus injeciſſet, inſitas notiones exſuſcitabat & educebat; atque hanc

D

ille obſtetriciam artem vocabat, quæ non extrinſecus intelligentiam iis, quibus cum loquebatur, adjungeret, ſed eos, qui in ſe haberent, inchoatam, & confuſam alere demonſtraret. Ac de hujus quidem natura, & more dialogi hactenus; pergamus ad reliqua. Eſt autem ad hoc genus maxime appoſita inductio, non quidem omnis, ſed ea præcipue, quæ oratoria, teſte Laërtio, dicitur, qua ex eo, quod eſt in parte id, quod eſt in parte concluditur. Hujus autem inductionis vim, & uſum diſerte explicuit in Rhetoricis Cicero, cujus ut hic ſit locus illuſtrior, verba non gravabor afferre. Inductio, inquit, eſt oratio, quæ rebus non dubiis captat aſſenſionem ejus, qui

E

cum inſtituta eſt; quibus aſſenſionibus facit, ut illi dubia quædam res, propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſenſit, probetur, velut apud Socraticum Æſchinem demonſtrat Socrates cum Xenophontis uxore, & cum ipſo Xenophonte Aſpaſiam loquutam. Dic mihi, inquit, quæſo, Xenophontis uxor, ſi vicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, virum illius, an tuum malis? illius, inquit; quòd ſi veſtem, & ceterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quàm tu habes, tuum, an illius malis? illius verò reſpondit, age, inquit, ſi virum illa meliorem habeat, quàm tu habes, utrum ne tuum, an illius malis? hic mulier erubuit. Aſpaſia autem cum ipſo Xenophonte ſermonem inſtituit. Quæſo, inquit, Xenophon, ſi vicinus tuus meliorem equum habeat, quàm tuus eſt, tuum ne equum malis, an illius? illius inquit, quòd ſi fundum meliorem habeat, quàm tu habes, utrum tandem fundum habere malis? illum, inquit, meliorem ſcilicet, quòd ſi uxorem meliorem habeat, quàm tu habes, utrum illius malis? atque hic Xenophon quoque ipſe tacuit; poſt Aſpaſia, quoniam uterque veſtrum, inquit, id mihi ſolum non reſpondit, quod ego ſolum audire volueram, egomet dicam, quid uterque cogitet; nam & tu mulier optimum virum mavis habere, & tu Xenophon uxorem habere lectiſſimam maxime vis. Quare niſi hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque fœmina lectior in terris ſit, profecto id ſemper, quod optimum putabitis eſſe multo maxime requiretis, & tu ut maritus ſis quàm optimæ mulieris, & hæc ut quàm optimo viro nupta ſit. Hic cum rebus dubiis eſſet aſſenſum, factum eſt propter ſimilitudinem, ut etiam illud, quod dubium videbatur, ſi quis ſeparatim quæreret, id pro certo propter rationem rogandi, concederetur. Hoc modo ſermonis plurimum Socrates uſus eſt, propterea quod nihil ipſe afferre ad perſuadendum volebat, ſed ex eo, quod ſibi ille dederat, qui cum diſputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam conceſſiſſet, neceſſario approbare deberet. Hoc in genere præcipiendum nobis videtur, primum, ne illud, quod inducemus, per ſimilitudinem ejuſmodi ſit, ut ſit neceſſe concedi; nam ex quo poſtulabimus nobis illud, quod dubium ſit, concedi, dubium eſſe id ipſum non oportebit; deinde illud, cujus confirmandi cauſſa fiet inductio, videndum eſt, ut ſimile iis rebus ſit, quas res quaſi non dubias ante induxerimus. Nam ante aliquid nobis conceſſum eſſe, nihil proderit, ſi ei diſſimile erit id, cujus cauſſa illud concedi primum voluerimus; deinde non intelligat, quo ſpectent primæ illæ inductiones, & ad quem ſint exitum perventuræ; nam qui videt, ſi ei rei, quæ primo rogetur, recte aſſenſerit, illam quoque rem, quæ ſibi diſpliceat, eſſe neceſſario concedendam, plerumque aut non reſpondendo, aut male reſpondendo longius procedere rogationem non ſinit. Quare ratione rogationis imprudens ab eo, quod conceſſit, ad id, quod non vult concedere, deducendus eſt. Extremum autem aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur. Si negabitur, aut oſtendenda eſt ſimilitudo earum rerum, quæ ante conceſſæ ſunt, aut alia utendum inductione; ſi concedetur, concludenda eſt argumentatio; ſi tacebitur, aut elicienda eſt reſponſio, aut, quoniam taciturnitas imitatur confeſſionem, pro eo ac ſi conceſſum ſit, concludere oportebit argumentationem. Ita fit ut genus argumentandi tripartitum; prima pars conſtat ex ſimilitudine una, pluribuſve; altera ex eo, quod concedi volumus, cujus cauſſa ſimilitudines adhibitæ ſunt; tertia ex concluſione, quæ aut confirmat conceſſionem, aut quod ex ea conficiatur, oſtendit. Hæc Cicero. Quæ etſi ſatis valere poſſunt ad id, quod volumus, oſtendendum, fit tamen, ut præcipuo etiam è Platone ſumpto loco eadem mihi confirmanda eſſe exiſtimem. Hanc enim diſputandi formam uſurpavit ille cum alibi ſæpe, tum maxime in Lyſide,

A Theage, & Alcibiade; in quo extremo Alcibiadem argutis interrogationibus cogit hominem nihil aliud, quàm animum eſſe, fateri, & ipſum ſui quodammodo magiſtrum eſſe; procedit autem in hunc modum ille congreſſus. Soc. Utrum facile eſt, ſe ipſum cognoſcere, an difficile? Alcib. Mihi quidem aliquando viſum eſt facile, nonnunquam vero omnium difficillimum. Soc. Sed ſive facile ſit, ſive difficile, nobis quidem ſic res ſe habet, ut hoc intelligentes, etiam qua ratione curandi ſimus, intelligamus, ignorantes vero, contra. Eſt, ut dicis: Age vero, quo modo illud ipſum inveniemus? ſic enim fortaſſe, quid ſimus, ipſi reperire poterimus; at hoc B ignorato, nunquam. Recte loqueris. Attende ergo; cum alio ne, quàm mecum diſputas? Tecum. Et ego, non ne tecum? Et tu mecum. Socrates igitur eſt, qui diſputat. Eſt. Alcibiades vero, qui audit. Ita ſane. Non ne oratione Socrates diſputat? Prorſus. Diſputare autem, & oratione uti idem quodammodo vocas? Idem. Utens autem, & id, quo utimur non ne aliud, atque aliud? Quomodo dicis? Quemadmodum credo incidit quidem cultro. Eſt, ut dicis. Non ne aliud quiddam eſt, qui dividit, & quo dividitur quidquam? Admodum. Item aliud citharœdus, aliud, quo citharam pulſat? Omnino aliud. Hoc paulo ante quærebam, an utens, & quo utiC tur, ſemper aliud eſſe videatur. Videtur. Cerdonem incidere dicimus inſtrumentis tantum, an etiam manibus? Et manibus. Et iis ergo utitur? Utitur. An non & oculis utens coria incidit? Quid ni? Utentem vero aliud quiddam ab iis, quibus utitur, eſſe conceſſimus. Cerdo igitur, & citharœdus aliud quiddam ſunt, quàm oculi, & manus, quibus utuntur? Apparet. Non ne toto corpore homo utitur? Maxime. Aliud ergo utens, & quo utitur. Prorſus aliud. Homo ergo à ſuo corpore aliud eſt. Videtur. Quid eſt igitur homo? Ignoro. Scis eſſe, quod corpore utitur? Scio. Aliud ne utitur ipſo, quàm anima? Nihil aliud. An non imperans? ImpeD rans. Quin etiam neminem aliter exiſtimaturum puto. Quidnam? Quin ex tribus unum aliquid ſit homo. Ex quibus? Aut anima, aut corpus, aut totum ipſum ex utriſque conjunctum. Quid ni? Verumtamen id, quod imperat corpori, hominem eſſe conſeſſi ſumus. Sanè. Quid igitur homo? num ſibi ipſi corpus imperat? Nullo modo. Subjici enim illud diximus? Certe. Non eſt igitur hoc, quod quærimus. Non, ut videtur. At utrunque ſimul forſitan corpori dominatur; atque id homo eſt? Fortaſſe. Immo minime omnium; nam altero illorum non dominante, nulla conjectura eſt, ſimul utrunque dominari. Recte loqueris. Cum vero nec corpus, nec E utrunque ſimul ſit homo, reliquum eſt, ut arbitror, aut nihil omnino hominem eſſe, aut ſi quid eſt, nihil aliud, quàm animum eſſe. Prorſus. Potuit ne adhuc oſtendi apertius, animum eſſe hominem? Certe, non; hæc enim ſatis eſſe mihi videntur. Hic locus, ſatis, ut opinor declarare poteſt, quam multis percontationibus opus ſit, ut eo tandem perveniamus, quo intendimus, id eſt, ut ille, quem doctrina imbuendum ſuſcepimus, nobis ea aſſentire cogatur, cujus illa ſenſum ante notionemque fugiebant; neque enim Alcibiade quiſquam minus fuit bonis artibus expolitus, atque ab ipſa demum philoſophia minus inſtructus; ut ea ſolum attigiſſet, quæ tum vulgo puerili tradi ætati erant ſolita, grammatica, palæſtra, & muſica; ex eo tamen hanc animo incluſam, abditamque ſententiam Socrates, quaſi ex alicujus non indocti philoſophi ore elicit, hominem nihil aliud eſſe, quàm animum; id quod ille obſtetricum veſtigia imitando, ut ad hujus doctrinæ principia redeamus, eſt conſequutus.

Sed de obſtetriciis dialogis hactenus. Deinceps ſequuntur tentativi; ſic enim libet vertere, quos Græci πειραστικοὺς appellarunt. Hi ſunt, in quibus Socrates nimiam, ut dixi, ſophiſtarum arrogantiam, atque intolerantiam oppugnavit. Neque enim illud obſcurum eſt, florente illo, genus quoddam hominum in Græcia emerſiſſe, qui opiniones undequaque de rebus ſine delectu collectas divitibus præſertim traderent adoleſcentibus, in eoque tum quæſtum, tum inanem quandam gloriam ſequuti nihil de juvenum doctrina, nihil de civitatum moribus cogitarent; cum hos igitur ejuſmodi ſimulatæ magiſtros ſapientiæ, tales enim ſophiſtæ dicti ſunt, inſectari oratione, atque exagitare cuperet Plato, nullam magis idoneam rationem eſſe cenſuit, quam dialogum, in quo arrogantia, & inſcitia illorum expreſſa, atque ante oculos poſita, in odium Athenienſis eos civitatis adduceret; neque enim in eos ſcripta invehi oratione, æquum putavit, ne invidia torqueri fortaſſe aliqua videtur, cujus tamen ſuſpicionem in Gorgia rhetore exagitando, ad quem ex univerſa civitate concurſus fieret, ipſum omnino vitare non potuiſſe, accepimus, ſed occulte de illorum auctoritate detrahere cogitavit; id quod per Socratis infeſtiſſimi eis hominis perſonam perbelle eſt conſequutus. Atque hic quidem non alios eos apparatu, quàm interrogationum argutiis adortus eſt. Cujus cauſſam conſuetudinis reddidit Ariſtoteles in extremo eorum librorum, quos de ſophiſtarum ſcripſit reprehenſionibus, cum dixit, propterea Socratem interrogare ſolitum fuiſſe non reſpondere, quod ipſe nihil ſcire confiteretur. Quæ verba ob eam cauſſam ab Ariſtotele uſurpata eſſe, addit Græcus interpres, (Alexandrum hunc ſunt, qui nominant) quia dialecticus ſe ignorare aſſerat ea, quæ rogat, ſophiſta verò nihil ſibi eſſe incognitum putet; id quod apud Platonem Gorgias declaraverit, his verbis: Vere ô Cherephon loqueris; eadem enim me profiteri nuper dicebam; atque etiam nihil novi mihi à quoquam jam multis annis propoſitum eſſe confirmo; ſed revertamur ad Socratem. Ille verò acutis, & crebris ſophiſtas quæſtionibus impellere, atque eo deducere conabatur, ut inter ſe pugnantia loquerentur; eſt enim hæc ratio tentandi, ex iis, quæ ei probantur, quo cum differimus, aliquid ad ejus opinionem abjiciendam, frangendamque concludere. Cujus moris meminit quoque Cicero in 2. de finibus cum ait: Gorgiam, & ceteros ſophiſtas, ut è Platone intelligi poteſt, luſos videmus à Socrate; is enim percontando, atque interrogando elicere ſolebat eorum opiniones, quibus cum diſſerebat, ut ad ea, quæ ii reſpondiſſent, ſi quid videretur, diceret; probe verò; quis eſt enim, cui pervagata illa inter Socratem, & ſophiſtas ſit ignota contentio, cum ille brevem interrogationem requireret, ſophiſtæ continentem orationem? unde illud eſt in Protagora ab Hippia commode dictum. Non debes, in-

quit, ô Socrates exquiſitam poſtulare dialo-
gorum formam, quæ brevitate nimia contine-
tur, ſi Protagoræ non probatur, ſed laxare
paulisper ſermonibus habenas, ut magnificen-
tiores, & ſplendidiores ſint; nec tu Protagora
tentis rudibus, veliſque panſis in altum ſer-
monum mare procul à terræ conſpectu abripi
velle debes, ſed mediocritatem uterque tue-
ri; & illud in Theæteto à Socrate. Illud no-
bis in primis declara, utrum per te ipſe per-
petua oratione, quod concludere velis, expo
nere conſueris, an potius interrogando, ut ſo-
lebat Parmenides. Quibus ex rebus apparet,
Socratem in hoc genere longam, & continen-
tem dictionem non approbaſſe. Itaque cum in
Gorgia dicendi ſtudium aſſentationis eſſe par-
tem dixiſſet, idque pluribus verbis, & perpe-
tua oratione contra ſuam conſuetudinem do-
cuiſſet excuſavit ſe tandem, ac dixit, tum
demum prolixe loquendum eſſe, cum res, ſi
brevi dicatur, parum intelligatur. Ut autem
quodque diſputandi genus eſt maxime ſophi-
ſtarum altercationibus interruptum, ſic indu-
ctione à Socrate eſt maxime pertractatum,
non ea ſolum, quæ ex eo, quod eſt in parte
id, quod eſt in parte, concludit, ſed etiam,
quæ univerſum quid ex ſingulis multis efficit;
quin ejus etiam laudem concluſionis in hoc
præſertim genere eſt perſequutus, quæ ex
contrariis colligitur, quod eſt, cum is, qui
reſpondet, in omnibus rebus contraria dicere
cogitur, atque utrinque maximis incommodis
urgetur. Hujus autem doctrinæ univerſæ no-
bile ponamus exemplum è Gorgia, quem in
hunc modum impellit Socrates. Age, quæſo,
inquit, quem te vocas Gorgia? Rhetorem.
An alios ad dicendum te inſtruere profiteris?
ſanè profiteor. In quibus verſatur rhetorica?
in ſermonibus. Qualibus? non enim in omni-
bus. Haud prorſus. An qui poſſunt ad dicen-
dum idoneos reddere? Omnino. An de qui-
bus dicit, de iis etiam ſentit? Nempe. Ergo
medicina in ſermonibus verſatur. Verſatur.
Qui ſunt de morbis? Sanè. Sic aliæ? Nempe.
Cur alias non vocas rhetoricas? Quia aliarum
ſcientia omnis eſt in actione, non in verbis;
rhetorica ſolum eſt in verbis. Anne cum aliæ
artes brevi oratione perficiantur, aliæ nulla,
ut pictura, & ſculptura, aliæ in ſermonibus
vertantur, & actionem nullam attingant, ut
arithmetica, & logiſtica, & geometria, ha-
rum aliquam vocas rhetoricam? Certe, non.
Quarum in rerum ſermonibus rhetorica verti-
tur? Maximarum. Quarum? valetudinis, pul-
chritudinis, divitiarum? Non, ſed ut liberta-
tis tibi auctor ſis, & aliis imperes in civita-
te. Quid? Perſuadere in judicio, & in con-
cione. Viſne dicere, rhetoricam eſſe opificem
ſuadelæ? Volo. Anne quicunque docet rem
perſuadet? Non. Nonne arithmetica docet de
numeris? Docet. Ergo nonne perſuadet? Ma-
xime. Ergo opifex eſt ſuadelæ. Prorſus. Er-
go non ſola rhetorica; at cujus ſuadelæ opifex
eſt rhetorica? In judiciis, & conventibus &
de juſtis, & injuſtis rebus. Aiſne te didiciſſe
aliquid? Ajo. Et aliquid credidiſſe? Ita. An
idem eſt didiciſſe, & credidiſſe, & diſcipli-
na, ac fides? Aliud. Ergo ſuadela duplex;
quæ facit fidem, & quæ ſcientiam. Ita eſt.
Utram ſuadelam efficit rhetorica? In judiciis,
& conventibus, de juſtis, & injuſtis rebus
eam, quæ fidem facit. Ergo rhetorica eſt opi-
fex ſuadelæ, quæ fidem, non quæ doctrinam
gignit, de juſtis rebus, & contrariis. Prorſus

A ita. Non ergo docet orator, ſed fidem inge-
nerat. Aſſentior. Cum conſilium habetur de
navigiis, de muris, adhibetur earum rerum
peritus, cum de re militari, imperator, cum
de morbis, medicus, non orator; de quibus
ergo dabit conſilium? Illi muri conſilio The-
miſtoclis, non opificis facti ſunt; ego etiam
ægrotis ſæpe perſuaſi, ut quod frater meus
medicus aſſequi non potuiſſet, in animum in-
ducerent, ut pharmacum ſumerent; perſuaſi
vero hac arte, qua ad bonum utendum eſt,
non ad malum; quod ſi quis ea injuſte erit
uſus, non iccirco magiſtrum artis ejicere è
civitate oportet, ſed eum, qui arte abutitur.
Nonne ſentis, te pugnantia dicere? ais enim
B te efficere poſſe rhetoricum, id eſt, qui in
multitudine ſuadere poſſit non docendo, ſed
fidem faciendo. Ajo. Dixiſti etiam de valetu-
dine aptiorem eſſe ad fidem faciendam orato-
rem medico. Dixi, in multitudine. At in
multitudine nihil aliud eſt, quàm inter impe-
ritos. Vere. Ergo ſi erit aptior medico, erit
aptior ſciente. Aptior. Cum non ſit medicus.
Prorſus. Qui verò non eſt medicus, eſt im-
peritus, medicus autem peritus. Aſſentior.
Qui ergo neſcit, eſt aptior ſciente inter im-
peritos, cum orator ſit aptior medico. Admo-
dum. Ergo alias artes non oportet ſcire, ſed
artem tenere ſuadendi, ut videantur neſcien-
tes plus ſcire ſcientibus. Certè. An in juſtis,
C & injuſtis rebus, turpibus, & honeſtis, bo-
nis, & malis ita verſatur orator, ut in ſalu-
bribus, & in aliis aliæ artes; ut qui neſcit,
quid ſit bonum, malum, turpe, honeſtum,
juſtum, injuſtum ſuadelam paret, ut qui ne-
ſciunt, inter ignaros, plus videantur ſcire,
quàm qui ſcientiam habeant; an neceſſe eſt
ſcire, & hoc à te diſcere? Si neſciverit, di-
ſcet. Si oratorem inſtituis, neceſſe eſt, ut aut
ante juſta, & injuſta norit, aut poſt ex te
cognoſcat. Prorſus ita. Nonne qui fabrilia
diſcit, eſt faber? Eſt. Qui muſica, muſicus?
Item. Qui medica, medicus, & ita in ceteris?
Quid ni? Ergo & qui juſta didicit, eſt juſtus.
Profecto. Age verò juſtus nonne juſta facit?
D Facit. Ergo orator juſtus eſt: & juſtus juſta
vult facere. Videtur. Ergo juſtus nunquam
adducetur, ut injuſta faciat. Nunquam. Ora-
tor autem eſt juſtus, ex tuo ſermone. Eſt.
Ergo orator nolet injuſte agere. Non videtur.
At ante dixiſti, non eſſe doctori artis vitio
vertendum, ſi ea orator injuſte utatur, ſed
oratori, qui injuſte agat. Dixi. Jam verò ora-
tor nunquam videtur injuſte facturus. Vide-
tur. Et ante dictum eſt, Rhetoricam verſari
in ſermonibus juſti, & injuſti. Dictum eſt.
Ego igitur putabam, te ita dicente, nunquam
injuſtam rem poſſe eſſe rhetoricam, quæ ſem-
per de juſtitia verba faciat; at poſteaquam ad-
didiſti, & ſi orator injuſte utitur rhetorica,
E valde miratus, ut ea inter ſe conſentirent,
cœpi te redarguere; rurſus vis, fieri non
poſſe, ut orator injuſte utatur rhetorica, &
velit injuriam facere; hæc igitur qualiacun-
que ſint, diligenter conſiderare oportet. His
interrogationibus, quod quiſque per ſe intel-
ligere poteſt, eò prope præcipitem impulit
Gorgiam Socrates, ut quod à principio inten-
derat, ipſum ſibi in ſermone cogeret adver-
ſari, ac ſe prope victum confiteri. Quod per-
petuo deinde ille ſilentio docuit, cum Polus
Agrigentinus ejus patrocinium nova diſputa-
tione cum Socrate inſtituta ſuſcepiſſet. Eo-
demque modo Thraſymachum in 1. de repub.
de

de juſtitia parum apte, vereque ſentientem, laqueis interrogationum, atque inductionum irretivit, ac juſtum id eſſe, non quod potentiori conduceret, ut ille dixerat, ſed quod eis, qui in potentioris eſſent poteſtate, oſtendit. Atque hac quidem ratione adeo moleſtus Sophiſtis Socrates, & gravis fuit, ut ſæpe irati, ac parum mentis compotes è cœtu abire, & diſputationem illam, congreſſumque relinquere conati ſint; interdum etiam non reſpondere, ſed quærere, quaſi verò melior ejus eſſet cauſſa, qui rogaret, quàm qui reſponderet, voluerint; cujus doctrinam officii cum nullam arte, ſcientiaque comprehenſam tenerent, pariter à Socrate ſunt illuſi.

B Atque ita quidem Plato. Xenophon autem, qui illius æqualis, ejuſdemque æmulus laudis fuit, omnes has formas in dialogum unum de re familiari tuenda incluſit; primum enim perbellis quæſtionibus, atque inductionibus Socrates ex Critobulo elicit, ut aliarum rerum, ſic rei domeſticæ conſtituendæ quandam eſſe prudentiam, eamque, in augenda domo eſſe poſitam; domum autem quidquid poſſideatur, appellari; poſſeſſionem verò quæcunque ad victum utilitatem afferant, utilia porro ea regula dirigi, quatenus quis eis uti ſciat. Poſt autem cum Critobulus eam tueri ſententiam neſciret, qua ſe divitem, & locupletem eſſe, diſſentiente maxime Socrate, aſſeruerat, ſciſcitatur ex eo, quæ ſit hæc tandem parandarum opum, cuſtodiendarumque doctrina. Quam cum ſibi incognitam, obſcuramque eſſe Socrates affirmaſſet, tamen ut ejus ſtudio morem gerat, quæ ab Iſchomacho prudenti patre familias, & attento de ſingulis rei domeſticæ tuendæ officiis acceperit, cum magna Critobuli aſſenſione exponit. Iſchomachi autem ſermo cum Socrate inſtitutus, & ipſe duas habet formas; nam tum perpetua oratione docet, tum luculentis interrogationibus obſtetricis in morem multa è Socratis pectore de familia regenda, & bono patre familias exprimit; quorum ille ſe rudem, & quodammodo jejunum eſſe putaverat.

D Sic ergo Græci omni ingenii, & doctrinæ laude præſtantes; quid noſter Cicero? Hic vero Græcorum, quos admirabatur, ſtudia imitatus ad eorum ſimilitudinem, & ipſe dialogos direxit ſuos, ut in aliis apertius docuerit, in aliis obſcurius. Apertam enim adhibuiſſe expoſitionem in partitionibus oratoriis videtur; in quibus tanquam perfectus quidam dicendi artifex, atque magiſter ab auditore filio interrogatus de ſingulis facultatis oratoriæ partibus, paucis verbis voluntati ejus rectiſſimæ obtemperat, hoc modo: Cicero filius: Quot in partes diſtribuenda eſt omnis doctrina dicendi? Cicero pater: in tres. C. F. Cedo, quas? C. P. Primum in ipſam vim oratoris, deinde in orationem, tum in quæſtionem. C. F. In quo eſt ipſa vis, in rebus, & verbis; ſed & rebus, & verba invenienda ſunt, & collocanda, proprie autem in rebus invenire, in verbis eloqui dicitur. Quæ doctrina deinceps ſine ulla concertatione traditur. Etenim patris, ejuſdemque magiſtri Ciceronis auctoritas, & res ipſa, quæ diviſionem quandam continet præceptorum, longiorem, aut obſcuriorem adhiberi orationem non patitur. In ſecundo autem, & tertio de oratore perpetua Antonius, Cæſar, & Craſſus oratione eandem diſputationem lectiſſimorum adoleſcentum voluntate commoti, conficiunt,

A ſine ullo argumentorum, & rationum quibus ea confirmetur, inſtructu, aut enim quæ dicunt, Græcorum rhetorum, unde ea mutuati ſunt, auctoritate defendunt, aut novam aliquam conſuetudinem in dicendo ſuam exponunt, aut certe ſi qua in parte à Græcorum nobili diſciplina recedant, cur id faciant, rationes probabiles reddunt. Itaque omnis illa actio contentionis, & altercationis eſt expers; cum nemo ſit ex iis, quibus ea traduntur, qui aut ab eorum auctoritate velit diſcedere, aut ea, quæ præcipiuntur, audeat improbare. Eadem vero ratione legum in libris uſus eſt; in quibus primum legem à natura profectam eſſe oſtendit, tum leges ſcribit ad eam, quam inſtituerat, rempublicam accommodatas, eaſque deinceps Attico, & Quincto fratre aſſentientibus ſuadet; in Bruto autem rogatus, ut quando oratores eſſe cœpiſſent, & qui & quales fuiſſent, exponeret, ſic in eo munere, officioque verſatur, ut longa, & raro interpellata narratione, ſervatis, notatiſque temporibus, de ſingulis oratoribus, & eorum virtutibus egerit; quæ obſcura videbantur, conjecturis aliquot illuſtrandis, reliquis hiſtorici more narrandis. Conjecturæ ſit illud exemplum. Quis putet aut celeritatem ingenii L. Bruto illi nobilitatis veſtræ principi defuiſſe? qui de matre ſuavianda ex oraculo Apollinis tam acute, arguteque conjecerit? qui ſummam prudentiam ſimulatione ſtultitiæ texerit? qui potentiſſimum regem clariſſimi regis filium expulerit, civitatemque perpetuo dominatu liberatam, magiſtratibus annuis, legibus, judiciiſque devinxerit? qui collegæ ſuo imperium abrogaverit, ut è civitate regalis nominis memoriam tolleret? quod certe effici non potuiſſet, niſi eſſet oratione perſuaſum. In dialogo autem, qui eſt ſcriptus de ſenectute, rogatus Cato à Scipione, & Lælio, ut dicat, quemadmodum ſenectus facilime ferri poſſit, ſenectutem ab omnibus criminibus liberat, quæ quatuor hoc modo proponit. Etenim cum complector animo, quatuor cauſſas reperio, cur ſenectus miſera videatur, unam, quòd avocet à rebus gerendis, alteram, quòd corpus faciat infirmum, tertiam, quòd privet omnibus fere voluptatibus, quartam, quòd procul abſit à morte. Earum, ſi placet, cauſſarum quantum quæque valeat, quantumque juſta ſit unaquæque, videamus. Inde à prima refutanda exorſus ita addit? A rebus gerendis ſenectus abſtrahit? quibus? an iis, quæ juventute geruntur, & viribus? Quibus verbis concludit, ſeni, licet non ea gerere poſſit, quæ juvenis, multa tamen alia agenda relinqui; alia enim ſuſcipi corporis viribus, alia animi; corporis vires ſenibus imminutas, animi auctas; quanta autem ſenum conſilio gerantur in republica, oſtendit exemplo Maximi, Paulli, Fabricii, Curii, Coruncanii, Cæi probat etiam ſimilitudine. Ut enim, inquit, qui in navi clavum tenet, nihil agere dici poteſt, quanquam per foros non curſet, nec malos ſcandat, nec ſentinam exhauriat, ſic de ſene dicendum eſſe; confirmat item ſui exemplo, qui ætate confectus, ſenatui quæ ſint agenda præſcribat, & conſilio, non manu rempublicam juvet. Ita in ceteris. Neque vero aliter ſcriptus eſt ſermo de amicitia, niſi ut quanque de ea quæſtionem argumentis Lælius, ac rationibus comprobet. Quod autem faciunt oratores, ut remotiſſimo quoque à rei natura argumentorum loco maxime delectentur, idem in hoc genere dia-

dialogorum obſervat Cicero; ut enim in quo-
que minimum eſt virium, ita eo libentiſſime
utitur, ab adjunctis, à ſimilibus, à diſſimili-
bus, à repugnantibus, à majori, minori, &
pari; præterea à teſtimoniis, & auctoritate.
Atque hæc quidem expoſitionem continent.
Illa vero prope ad inquiſitionis ſimilitudinem
videntur accedere, quæ ad Academicorum di-
ſputandi, de qua ſupra dixi, conſuetudinem
ſcripta ſunt. Cum propoſita quæſtione in utran-
que partem, quanquam perpetua oratione, diſ-
ſeritur, atque omni argumentorum apparatu
utrinque acerrime decertatur, ut in Horten-
ſio, in quo philoſophia oppugnata ab Horten-
ſio defenditur à Cicerone in Academicis, in
libris de finibus, de natura deorum, de divi-
natione, de fato, in primo de oratore; in qui-
bus omnibus, qui ſecundo loco dicit, quæ ab
altero ante allata ſunt, argumentis probabili-
bus, infirmare contendit; ita tamen, ut quæ
ad veritatem propenſior ſit oratio, non appa-
reat; cujus rationis exemplis, ut notiſſimis,
ſuperſedeo. Tuſculanæ autem diſputationes
ſunt miſtæ; nam partim interpellata oratione
res agitur, partim continenti, quarum illa ad
refellendam auditoris ſententiam, hæc ad ſuam
conſtituendam utitur; atque ea quidem inqui-
ſitionis habet vim, hæc expoſitionis, illa con-
cluſione, quæ pugnantia infert, urget, hæc
ſyllogiſmo ex probabilibus, quod vult, con-
cludit. Prioris hoc ſit exemplum. Fiebat, in-
quit, ita, ut cum is, qui audire vellet, di-
xiſſet, quid ſibi videretur, tum ego contra di-
cerem; hæc eſt enim, ut ſcis, vetus, & So-
cratica ratio contra alterius opinionem diſſe-
rendi; nam ita facillime, quod veriſimillimum
eſſet, inveniri poſſe, Socrates arbitrabatur.
Sed quo commodius diſputationes explicentur,
ſic eas exponam, quaſi agatur res, non quaſi
narretur; ergo ita naſcetur exordium. Audi-
tor. Malum mihi videtur mors. Marcus. Iis
ne, qui mortui ſunt, an iis, quibus morien-
dum eſt? A. Utriſque. M. eſt igitur miſerum,
quoniam malum. A. Certe; uſque ad eum lo-
cum, quo illum pugnantia loqui convincit.
Poſterioris autem documenta ſunt, quæ ſe-
quuntur. Cum enim auditor continentem ora-
tionem ſe audire velle dixiſſet, Geram tibi mo-
rem, inquit Marcus, & ea, quæ vis, ut po-
tero, explicabo; qua oratione mortem malum
non eſſe argumentis, & exemplis multis docet,
quæ in hunc commentarium transferre ſuper-
vacaneum viſum eſt. Atque hoc quidem modo,
ſi in Platonem, & Xenophontem, & Tullium
intuebimur, ſententiam eorum, qui in dialogis
colloquuntur, ac differunt, imitabimur; quod
erat alterum ex iis, quæ nos exprimere imi-
tando diximus oportere. Quod ſi quis fortaſſe
erit, qui me parum multa ad eorum officium,
qui in ejuſmodi diſputationibus quæſtionem
ſive poſcant, ſive ponant, explicandum attu-
liſſe putaverit, is ſic habeat, me, cum ejuſ-
modi diſciplinam multis libris ab Ariſtotele
accuratiſſime traditam, omnibus in promptu
eſſe viderem, inanem, atque alienam operam
ſuſcepturum judicaſſe, ſi quæ ille plurima ea-
demque pulcherrima de diſſerendo præcepta
reliquit, omnia ad hanc dialogorum doctrinam
inſtituendam accommodarem; præſertim vero
cum ab initio admonuerim, perfectam dialo-
gorum laudem egregia ipſa dialecticorum in
diſputando conſuetudine contineri. Jam vero
mores (nam hi ſequuntur) non minori effin-
gere cura conabimur, quam ſententiam ex-

A preſſerimus. Mores autem definit Ariſtoteles
in libro de Arte Poët. neſcio quod, ex quo
quale cujuſque ſit conſilium, & electio extat,
in iis præſertim, in quibus non eſt perſpicuum,
appetant ne, an fugiant; ex quo effici addi-
dit, moribus vacuas eſſe orationes illas, in
quibus quodnam ſequatur ille, quæ loquitur,
aut abhorreat, non elucet. Itaque in tertio
oratorio dixit, mathematicorum ſermones mo-
ribus eſſe nudos, quia conſilium, inſtitutum-
que, non exprimant; nam eoſdem & finis quo-
que, unde conſilii ratio declaratur, eſſe ina-
nes, Socraticos vero non item. Quæret for-
taſſe quiſpiam, cur in eorum tandem oratione,
qui de graviſſimis rebus ſumma inter ſe con-
B tentione decertent, ſuavitas iſta morum deſi-
deretur; occurrit huic loco acute, ut mihi
quidem videtur, eximius dicendi magiſter Her-
mogenes: Ut defeſſi, inquit, jam labore, at-
que itinere diſputationis pauliſper in hoc mo-
rato, ac feſtivo ſermone, tanquam in oppor-
tuno aliquo diverſorio requieſcant, ac novum
poſtea quæſtionis, atque altercationis laborem
excipere prope integri poſſint. Ut enim co-
mœdia ex ridiculis, & amaris, tragœdia ex
miſerabilibus, & admirandis, ſympoſia ex fe-
riis, jocoſiſque rebus confuſa ſunt, ſic dialo-
gum concertatorio, ac morato eſſe orationis
genere temperandum, quo ubi curam aliquan-
tum ab ipſa diſputationis contentione laxarint,
C ad cetera perſequenda erectiore, atque ala-
criore animo aggrediantur; probe vero. Ete-
nim ſi vita noſtra univerſa, ut ſummi quoque
philoſophi prodiderunt, ſomni, & vigiliæ, bel-
li, & pacis, ocii, atque negocii viciſſitudine
variatur; ſi item corpora plenitudine, ac va-
cuitate, animi labore, ac requie ſervantur,
cur non eandem quoque varietatem in hoc
graviſſimo diſputandi munere tueamur? Mora-
tam autem hanc orationem maxime inſerunt
ii, inter quos eſt ipſa diſputatio inſtituta.
Quod ipſum illuſtri maxime è Gorgia loco
perſpici poteſt, in quo poſt multas quæſtiones
Socrates demonſtraturus, ut inter ſe Gorgias
contraria diceret, lenius cum eo ita egit:
D Non mihi videris nunc conſentanea dicere iis,
quæ ante de rhetorica expoſuiſti; vereor ta-
men te redarguere, ne me arbitreris, non tam
rei declarandæ, quam refellendi tui gratia de-
certare; quòd ſi ex eorum numero es, quorum
ego ſum, libenter ex te, quæ inſtitui, quæ-
ram; ſin minus, dimittam. Verum, ſi quorum
ego ex numero ſim, quæras, reſpondebo, ex
iis, qui ſe facile redargui patiuntur, ſi quid
falſi, ineptive dicant; ſummo etiam coarguen-
di ſtudio detinentur, cum quid ab alio parum
ad veritatem apte dici audiunt, quibuſque
non minus reprehendi, quàm reprehendere
gratum eſt; tanto enim id melius eſſe exiſtimo,
quanto præſtantius eſt, maximo quodam libe-
E rari malo, quàm alios liberaſſe; nihil enim
tam exitioſum eſſe hominibus arbitror, quàm
opinionem falſam, in iis præſertim rebus, de
quibus præſens eſt à nobis oratio inſtituta.
Itaque ſi & te talem eſſe affirmas, age diſpu-
temus; ſi vero dimittendum cenſes, dimitta-
mus jam, cœtumque ſolvamus. Hoc modo
Socrates acrem illam, & moleſtam inſtitutæ
diſputationis contentionem morata hac, atque
humanitatis plena oratione relaxavit. Cui Gor-
gias item apte: Dico, inquit, o Socrates, me
quoque talem eſſe; ſed fortaſſe aliorum, qui
adſunt, ratio eſt habenda; jamdudum enim
antequam vos huc veniretis, his multa tradi-

deram; & nunc fortaſſe, ſi diſputare pergamus, longior mora trahetur. Quare videndum eſt, ne his aliud quippiam facere cupientibus ſimus impedimento. Atque hoc quidem loco notandi quoque illorum mores ſunt, qui diſputationi ei intererant, quos præ ſe tulit Chæremon, & Callicles, cum dixerunt, Chæremon quidem ita: Clamorem Gorgia, & Socrates eorum, qui huic diſputationi dare operam cupiunt, auditis; mihi certe nullum negocium fit tanti, ut huic à vobis inſtituto ſermoni quidquam aliud anteponam. Callicles vero: Per Jovem o Chæremon, ego quoque cum multis diſputationibus interfuerim, neſcio an unquam æque, ac nunc fuerim delectatus; ideoque etiam ſi diem totum differendo conſumpſerint, rem mihi gratiſſimam fecerint. Tum Socrates. Atqui o Callicles, quod ad me attinet, nihil, modo velit Gorgias, obſtiterit. Cui Gorgias: Turpe quidem o Socrates poſthac mihi fuerit, ſi diſputationis onus recuſem, præſertim cum ab initio, de quo quiſque vellet, quærere juſſerim. Quibus ſermonibus ex omni parte perfectis, ac relaxatis paullulum omnium animis, tum iterum ad contentionem, pugnamque deſcenditur. Atque hunc quidem eundem locum prope incredibile eſt, quanto lepore, ac quanta venuſtate adumbraverit in dialogo illo de oratore clariſſimo Tullius, cum principum, quorum ſermones exprimebat, virtus, ac dignitas nullum genus humanitatis, urbanitatiſque reſpueret. Nam cum Craſſus, & Scævola, & Antonius diu de definitione oratoris optime diſputaſſent. Hoc loco Sulpicius: Inſperanti mihi, inquit, & Cottæ, ſed valde optanti utrique noſtrum cecidit, ut in iſtum ſermonem Craſſe delaberemini; nobis enim huc venientibus jucundum ſatis fore videbatur, ſi cum vos de aliis rebus loqueremini, tamen nos ex ſermone veſtro aliquid memoria dignum excipere poſſemus: ut vero penitus in eam ipſam totius hujus vel ſtudii, vel artificii, vel facultatis diſputationem pene intimam perveniretis, vix optandum nobis videbatur. Ego enim qui ab ineunte ætate incenſus eſſem ſtudio utriuſque veſtrum, Craſſi verò etiam amore, cum ab eo nuſquam diſcederem, verbum ex eo nunquam elicere potui de vi, ac ratione dicendi, cum & per me ipſum egiſſem, & per Druſum ſæpe tentaſſem; quo in genere tu Antoni (vere loquar) nunquam mihi percunctanti, aut quærenti aliquid defuiſti, & perſæpe me quæ ſoleres in dicendo obſervare, docuiſti. Nunc, quoniam uterque veſtrum patefecit earum rerum ipſarum aditum, quas quærimus: & quoniam princeps Craſſus ejus ſermonis ordiendi fuit, date nobis hanc veniam, ut ea, quæ ſentitis de omni genere dicendi ſubtiliter perſequamini; quod quidem ſi erit à vobis impetratum, magnam habebo Craſſe huic palæſtræ, & Tuſculano tuo gratiam, & longe Academiæ illi, ac Lycio tuum hoc ſuburbanum gymnaſium anteponam. Tum ille, immo vero, inquit, Sulpici rogemus Antonium, qui & poteſt facere id, quod requiris, & conſuevit, ut te audio dicere; nam me quidem fateor ſemper à genere hoc toto ſermonis refugiſſe, & tibi cupienti, atque inſtanti ſæpiſſime negaſſe, ut tute paullo ante dixiſti; quod ego non ſuperbia, neque inhumanitate faciebam, neque quo ſtudio rectiſſimo, atque optimo non obſequi vellem; præſertim cum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum, aptumque co-

A gnoſſem, ſed mehercule iſtius diſputationis inſolentia, atque earum rerum, quæ quaſi traduntur in arte, inſcitia. Tum Cotta, quoniam id, quod difficillimum nobis videbatur, ut omnino de his rebus Craſſe loquerere, aſſequuti ſumus, de reliquo jam noſtra culpa fuerit, ſi te, niſi omnia, quæ percunctati erimus, explicaris, dimiſerimus. De his, credo, rebus, inquit Craſſus, ut in cretionibus ſcribi ſolet, quibus ſciam, poteroque. Tu ille; nanque quod tu non poteris aut neſcies, quis noſtrum tam impudens eſt, qui ſe ſcire, aut poſſe poſtulet? Jam vero iſta conditione, dum mihi liceat negare poſſe, quod non potero, & fateri neſcire, quod neſciam, licet inquit Craſſus, B veſtro arbitratu percontemini. In his autem attendere licet, quanto primum Craſſi audiendi ſtudio Sulpicius ſit incenſus, & tamen maxime, ne ei moleſtus ſit, ſi quid ab eo quæſiverit, vereatur; quanta humanitate Craſſus à ſe onus hoc diſputationis amoveat, quod ſe parum ad ejuſmodi contentionis genus aptum hujus artis inſolentia dicat; quanta deinde comitate Cotta ſe Sulpicio ſocium petitionis, ac voluntatis adjungat, ac Craſſum ipſum tandem, ut ſtudio ſuo obſequatur, impellat; quanta demum in omnibus manſuetudo, quanta ſuavitas morum, atque ſermonum elucelcat. Neque vero ſolum, qui diſputant, ſed etiam qui diſputationi ipſi dant operam, moratæ huic C orationi patefacere aditum poſſunt, vel aſſentiendo, vel petendo, vel laudando, vel omnino eorum memoriam ſublevando. Quarum rerum exempla aliquot proferentur, ne expers antiquæ auctoritatis ſit iſta præceptio. Aſſentitur enim Socrates Timæo his verbis: Scite loqueris o Timæe. Quare nos, ut jubes, agendum putamus; exordium quidem hoc orationis mirifice approbavimus. Sed age deinceps diſputationem perage. Petit autem Scævola pro Sulpicio in primo de oratore. Quid eſt, inquit, Cotta, quid racetis? nihil ne vobis in mentem venit, quod præterea à Craſſo requiratis? immo id mehercule, inquit, ipſum attendo; tantus enim curſus verborum fuit, & D ſic evolavit oratio, ut ejus vim, & incitationem aſpexerim, veſtigia, ingreſſumque non viderim; & poſt: Quin tu igitur facis idem, inquit Scævola, quod faceres, ſi in aliquam domum plenam ornamentorum illam veniſſes, ſi ea ſepoſita, ut dicis, eſſent, tuque valde ſpectandi cupidus eſſes, non dubitares rogare dominum, ut proferri juberet, præſertim ſi eſſet familiaris; ſimiliter nunc peres à Craſſo, ut eam copiam ornamentorum ſuorum, quam uno in loco quaſi per tranſennam prætereuntes aſpeximus, in lucem proferat, & ſuo quidque loco collocet. Ego vero, inquit Cotta, à te peto Scævola; me enim, & hunc Sulpicium impedit pudor ab homine omnium gra- E viſſimo, qui genus hujuſmodi diſputationis ſemper contempſerit, hæc quæ iſtis forſitan puerorum elementa videantur, exquirere. Sic tu hoc nobis da Scævola, & perfice, ut Craſſus hæc, quæ coartavit, & peranguſte referſit in oratione ſua, dilatet, atque explicet: Ego mehercule, inquit Mucius, antea veſtra hoc magis cauſſa volebam, quàm mea; neque enim tantopere hanc à Craſſo diſputationem deſiderabam, quantopere ejus in cauſſis oratione delector; nunc vero Craſſe mea quoque etiam cauſſa rogo, ut, quoniam tantum habemus ocii, quantum jamdiu nobis non contigit, ne gravere exædificare id opus, quod inſtituiſti;

tuiſti; formam enim totius negocii opinione majorem, melioremque video, quam vehementer probo; quibus verbis ſuaviſſimorum, jucundiſſimorumque ſermonum ad reficiendos animos quædam prope tela contexitur. Laudat autem elegantiam doctrinæ, & humanitatis in Craſſo eodem in libro Sulpicius. O diem, inquit, Cotta nobis optatum, ut quid Craſſus ageret meditandi, aut dicendi cauſſa, non modo videre mihi, ſed ex ejus ſcriptore, & lectore Diphilo ſuſpicari liceret, id ſpero nos eſſe adeptos, omniaque jam ex ipſo, quæ diu cupimus, cognituros. Tum Craſſus. Atqui arbitror Sulpici, cum audieris, non tam te hæc admiraturum, quæ dixero, quàm exiſtimaturum, tum cum ea audire cupiebas, cauſſam, cur cuperes, non fuiſſe; nihil enim dicam reconditum, nihil expectatione veſtra dignum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum. Quo loco erit proſpiciendum ei, qui moratum hoc genus orationis laudando intulerit, ne immodicis eum, quem ornet, laudibus efferat, ne dum humanitatis laudem quærit, in aſſentatoris vitium delabatur; quo nullum turpius in homine ingenue, ac liberaliter educato reperiri poteſt. Poſtremo ſublevandæ memoriæ inſigne illud ſit monumentum, quod ineſt in Legibus Ciceronis; ſic enim Atticus interpellat. Habeo iſta; tamen nunc de ſacris perpetuis, & de manium jure reſtat. M. O miram memoriam Pomponi tuam; at mihi iſta exciderant. Hic eſt autem locus, quem unum mirabiliter facetiæ condiunt, & joci liberali, atque erudito homine digni; quibus tamen parce tanquam ſale, Socrate auctore, utemur, ne ſtudium, operamque in captando riſu ponere videamur. Id quod vitabimus, ſi aliquo verbo laceſſiti, ac provocati, in eo tanquam in tranſlatione, ac ſimilitudine aliqua conſiſtentes perurbane jocabimur. Quale illud eſt in ſecundo de oratore: Quamobrem, inquit

A Antonius, ſi vos quoque idem exiſtimatis, non erit, ut opinor, iniqua partitio, ſi cum ego hunc oratorem, quem nunc fingo, ut inſtitui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Craſſo & veſtiendum & ornandum. Tum Craſſus: Tu vero, inquit, Antoni perge, ut inſtituiſti; neque enim boni eſt, neque liberalis parentis, quem procrearit, & eduxerit, eum non & veſtire, & ornare, præſertim cum te locupletem eſſe negare non poſſis; & illud: Et Antonius, perpauca quidem mihi reſtant, inquit; ſed tamen defeſſus jam labore, atque itinere diſputationis meæ requieſcam in Cæſaris ſermone, quaſi in aliquo peropportuno di-

B verſorio. Atqui, inquit Julius, non nimium liberale hoſpitium meum dices; nam te in viam, ſimul ac perpaullum guſtaris, extrudam, atque ejiciam; & illud Socratis, & Glauconis in quinto de republica, quo nihil poteſt eſſe feſtivius: Hæc ſunt o Glauco, & alia hujus generis multa, quæ ego jamdiu proſpiciens, timide ad legem de mulieribus, & filiis parandis, & educandis accedebam. Non hercle, inquit; non enim facilis eſt hic locus. Nonne dixi? at ita res habet, ſi quis ſive in tenuem piſcinam, ſive in altum pelagus inciderit, nihilominus tamen natat: Sanè, igitur natemus, atque ex hoc ſermone demus operam,

C ut emergamus, aut delphinem aliquem nos ſublaturum, aut occultam aliam affore ſalutis viam ſperemus; & ejuſmodi alia quæ plurima incredibilis illa ad omnia tum Platonici, tum Tulliani ingenii facultas, & copia ſuppeditare quærenti nullo negotio poteſt. Quæ quidem facile quiſque notare per ſe poterit, qui ſtudium ſuum ad eorum dialogorum obſervationem, notationemque contulerit; mihi quidem, quamquam gravioribus publici in Academia Patavina muneris curis impedito, hæc pauca occurrerunt, quæ breviter litteris, ac memoriæ proderentur. Patavii, M. D. LXI.

FINIS.

Digitized by Google

CAROLI
SIGONII
ORATIONES

Partim editæ, partim nunc primùm in lucem productæ.

CAROLI SIGONII PRO ELOQUENTIA

ORATIO PRIMA.

[A] CUm multa magna, atque præclara, Auditores, nobis à diis immortalibus tributa atque conceſſa ſint, nihil tamen, ſapientiſſimorum hominum ſententia, præſtantius, aut illuſtrius, quàm, ut nos bene de unaquaque re ſentire, ac judicare, & ornatè, quæ ſentiremus, eloqui, atque exprimere dicendo poſſemus; quarum rerum tanta vis eſt ad animos hominum ad humanitatem informandos, ut, cum multæ aliæ nobis cum ceteris animantibus communes impertitæ ſint, his tamen duabus duntaxat, feris, & immanibus belluis excellamus, cum in quibuſdam, ut corporis [B] velocitate, & robore multo illis humiliores, infirmioreſque ſimus; tanta porro illarum inter ſe ſocietas, atque cognatio eſt, ut, diſjunctæ forte, ſeparatæque ſi fuerint, vix, quid prodeſſe hominum vitæ poſſint, intelligatur; ſiquidem ne ab indiſertis quidem prudentibus magna admodum expectari præſidia, & adjumenta queunt: & ſtulti ſæpe loquaces ſumma incommoda, ac detrimenta hominibus intulerunt. Ex quo intelligi poteſt, ad optimam, rectiſſimamque vitæ rationem inſtituendam utriuſque muneris conjunctionem eſſe maxime neceſſariam, eamque qui ſit adeptus, [C] maximum illum quiddam, atque ampliſſimum eſſe conſecutum. Sed, quoniam factum eſt, ut ex his duabus eloquentiam homines, vel nonnullorum, qui ea perverſe abuſi ſunt, odio, vel eorum, qui ejuſmodi gloria floruerunt, invidia permoti omni tempore vehementius improbarint: viſa res eſt haud prorſus à munere, & propoſito noſtro aliena, qui in hanc urbem ad antiquam Latini ſermonis conſuetudinem demonſtrandam acciti venimus, ſi paucis eam ex hoc loco, in quem nunc primum publica auctoritate conſcendimus, atque in hoc ampliſſimo hujus diei, [D] frequentiſſimoque conſeſſu injuſtè vituperari à multis oſtenderemus; hoc enim ſi dicendo conſequi poterimus, non dubitamus, quin ad mentes veſtras, id quod in primis optamus, optimarum artium cupiditate accendendas valere plurimum debeat. Quanquam autem diſſimulare non poſſum, Auditores, ſummo me cum pudore ad hanc orationem accedere; quòd & in ea civitate loquor, in qua una antiquæ dicendi facultatis, & copiæ non leviter impreſſa veſtigia cernuntur; & præſentibus viris illis dico, qui in hac ipſa civitate ſummorum oratorum obtinent principatum: [E] me tamen audaciorem neſcio quo modo, quàm meus patiatur pudor, ad hanc diſputationem ſuſcipiendam rei, de qua dicturus ſum, magnitudo reddit: quam quidem eſſe ſi utilitas quæratur, opportuniſſimam; ſi animi oblectatio, jucundiſſimam; ſi dignitas, ampliſſimam, facile cuivis licebit intelligere, qui antiquiſſimos oratoris ipſius gradus, ac quaſi proceſſus paulo mecum diligentius jam inde à primis ejus incunabulis indagarit. Nam primum quidem, (ne longius faciam) quid erat, unde procreati, & in lucem editi homines, atque illo admirabili, & divino munere mentis, & cogitationis ornati, aut majorem utilitatem ferre, aut uberiorem voluptatem percipere poſſent, quàm ut ipſi colloqui inter ſe, & ſua ipſorum cogitata communicare, & ea, quæ ſuæ eſſent vitæ neceſſaria, viciſſim tum rogare, tum rogati ſuppeditare poſſent? aut, cum genus humanum, in terris diſſipatum, libere vagaretur, atque ut nullius loci ambitu, ſic nec ullius legis, aut juris timore coërceretur, ſed cæca ſenſuum cupiditate omnia adminiſtraret, & gereret: quid ei vel opportunius, ſi tutæ, vel, ſi jucundæ, ſuavius, vel magnificentius, ſi nobilioris vitæ genus expeteret, accidere potuit, quàm ut in unum locum congregatum, (quod incredibili quadam dicendi facultate perfectum eſt) juris, legum, urbium denique ſocietate devinctum ab illa fera, agreſtique vita ad hunc humanum cultum, civilemque traduceretur? Declarant antiqui poëtæ, qui deſertos quondam viros, quòd homines ad unam incolendam urbem ex agris, tectiſque ſilveſtribus majore fortaſſe, quàm tum tempora ferebant illa, dicendi copia, & gravitate deduxerant, eoſdem cantu, fidibuſque lapides moviſſe, feroces immanium beſtiarum impetus fregiſſe, ac perennium fluminum curſus retardaſſe finxerunt. At vero, conſtitutis deſcriptiſque civitatibus, quid aut ad utilitatem fructuoſius, aut ad dignitatem amplius, aut ad famam ſplendidius eſſe potuit, quàm in foro copioſa atque ornata oratione poſſe hominum fraudem ad perniciem, innocentiam ad ſalutem vocare, in ſenatu de republica deque ceteris rebus ſuam cum dignitate ſententiam explicare, poſtremo in ocio unum inter ceteros in omni genere ſermonis, atque humanitatis excellere? Etenim, ſi verum quærimus, quo tandem modo aut laudandi, aut gratulandi, aut monendi, aut gratias agendi, aut omnino ullo humanitatis officio fungendi, quæ omnia quàm ſint gravia, quàm neceſſaria, quàm ſuavia, facile communis vitæ conſuetudo demonſtrat, facultatem nos ullam unquam fuiſſe conſequuturos putamus, niſi nobis data hæc vis, & ratio dicendi fuiſſet? Ex qua cum multiplices alii fructus ſunt conſecuti, tum hic ſine dubio & ampliſſimus eſt ſemper, & uberrimus habitus, quòd eadem effecit, ut, quæ ignoraremus, diſcere, & ea, quæ ſciremus, aliis tradere poſſemus, atque poſteris etiam in perpetuum cognoſcenda relinquere. Nam quæ, per deos immortales, præclariſſimarum artium, & nobiliſſimarum diſciplinarum, quæ ſunt partim ad vitæ uſum, partim ad oblectationem animi neceſſariæ, quæ philoſophiæ, qua nihil vel melius, vel admirabilius à Deo hominibus datum eſt, quæ illius ipſius miniſtræ,

ſtræ, ac quaſi famulæ dialecticæ, quæ legum, quæ juris, quæ denique Dei ipſius, quæ religionis, juſtitiæ, pietatis cognitio, atque ſcientia nobis eſſet, niſi in omni genere homines extitiſſent, qui, eximia inſtructi facultate dicendi, ea nobis, unde diſceremus, tractata divinitus prodidiſſent? Hiſtoria vero quàm eſt admirabilis, quàm jucunda, quàm fructuoſa? Hæc res geſtas, veteremque memoriam omnem continet; hæc bellicoſarum gentium, imperioſorum populorum, potentium regum, fortiſſimorum virorum glorioſa, & illuſtria facta commemorat; hæc continentiæ, gravitatis, juſtitiæ, fidei, fortitudinis, atque omnis denique virtutis exempla quàm plurima, & quàm pulcherrima ante oculos ponit, quæ ipſi non modo magna cum voluptate, & admiratione legentes intueamur, ſed maximo etiam noſtro cum fructu imitemur; hæc eadem denique ſola, mea ſententia, indicat, non ſolum quantum ceteris animantibus, ſed quantum ceteris etiam hominibus homo præſtet, cum ea, quæ, ante quàm natus ſit, acciderint, non aliter, atque ſi ipſe interfuiſſet, cognoſcere antiquitatis ſtudioſiſſimus quiſque poſſit. Sed hæc tamen omnia, quod nemini dubium eſt, jacuiſſent in tenebris, niſi ornatæ, & illuſtris cujuſdam eloquentiæ lumen acceſſiſſet. Multa prætereo conſultò: ſunt enim quæ in hoc genere dici poſſunt innumerabilia: meque brevem hac in parte futurum, paulo ante pollicitum eſſe memoria teneo. Illud ſatis ex iis, quæ adhuc dicta ſunt, intelligi poteſt, nullam nobis tum rerum earum rationem, quibus vita melior facta eſt, tum etiam litterarum, quibus aut corpus tuemur, aut animum recreamus, affuturam fuiſſe, niſi una nobis tributa oratio hæc omnia miniſtraſſet. Ex quo efficitur, cum hæc eadem tam præſtantia, tam utilia, tam jucunda nobis incredibili deorum beneficio data ſint, non alio illos, à quibus improbantur, odio eſſe dignos, quàm eos ipſos, qui auguſtiſſima illorum templa, ſicut maximus eloquentiæ pater inquit Iſocrates, inexpiabili ſcelere, flagitioque polluerint: contra verò, qui naturalem hanc, quæ omnibus contingit, ad dicendum commoditatem cura, atque induſtria auxerint, atque univerſam demum eloquentiæ laudem, ſine qua ne ſapientia quidem ipſa, quod eſt alterum nobis à Deo traditum munus, expetenda videbatur, ſummo perſecuti ſtudio fuerint, in primis extollendos eſſe, atque pleniſſimo ore laudandos. Quod ſi qui populi, aut ſi quæ gentes aliquando hujus tantæ laudis ſtudio præſtiterunt, ii mihi fuiſſe potiſſimum videntur, qui in libera, maximeque pacata, & tranquilla civitate vixerunt: ſive quòd ipſi, ut rerum geſtarum amplitudine, & libertatis majeſtate, ſic & orationis elegantia, & ſententiarum gravitate ſe ceteris antecellere oportere arbitrati ſint: ſive quòd, ut ad bellum gerendum gladium, ſic ad rempublicam adminiſtrandam orationem afferendam eſſe ſtatuerint: ſive denique, quòd apud liberos populos iis, qui ſe dicendi exercitationi dediderint, multo, quàm apud ceteros, ampliora, atque uberiora ſemper fuerint præmia conſtituta: qualia cum in aliis præclaris quondam civitatibus, tum Athenis potiſſimum, & Romæ fuiſſe accepimus; quibus in urbibus, quòd diſertiſſimo cuique ad gratiam, ad opes, ad honores ampliſſimus patuit ſemper aditus, plurimum quondam eloquentiam eſſe dominatam videmus; id quod ex ſummis utriuſque civitatis oratoribus perſpici poteſt; qui quidem, cum nec eximius eos generis ſplendor, nec opum amplitudo, ſed divina ſolum dicendi ratio commendaret, ad rempublicam cum acceſſiſſent, in ea diutius glorioſiſſime floruerunt. Id autem ita eſſe, quo certius argumento colligitur, quàm, quòd cum eorum populorum libertate non ſolum illius gloriæ ſtudium ſubito univerſum concidit, ſed priſtini etiam ſermonis præclaræ illæ rationes, & formulæ ita corruerunt, ut ne veſtigia quidem ulla antiquæ conſuetudinis appareant? ſiquidem non, ut res, & animi ſenſa apud omnes homines eadem per omnia tempora permanent, ſic & voces, & verba eadem ab omnibus gentibus in omni ſeculo celebrantur; immo vero, ut imperia, ſic communis loquendi forma, & conſuetudo ſuo quaſi confecta ſenio contabeſcit; atque, ut ex corporibus placent potius, quæ vigentis florem ætatis præ ſe ferunt, quàm quæ caducam quandam maturitatem adepta ſunt: ſic in quotidiana loquendi conſuetudine, quæ poſtremo quoque loco verba ſucceſſerunt, ea plurimum apud homines honoris obtinent, ac dignitatis. Quod cum ita ſit, ergo duplex nobis relinquitur hoc tempore, in quo noſtra excurrere induſtria, & virtus poſſit, honeſtiſſimus, atque in ſuo uterque genere ampliſſimus eloquentiæ campus; unus, qui recentem, alter, qui antiquam loquendi rationem amplectitur. Quarum illam ad familiaria negotia, & omnino ad publicum, & forenſem uſum, advocare, ex hac vero rerum præſtantiſſimarum, & nobiliſſimarum artium cognitionem derivare conſuevimus. Ac prior quidem illa pars eloquentiæ in hac civitate, quam fere unam in terris hoc tempore liberam eſſe voluiſſe dii videntur, tanto ſtudio colitur, ut ne Græci quidem, & Latini divino ipſorum ſermone aut de rebus privatis ſubtilius, aut de publicis magnificentius, aut de forenſibus peritius, & copioſius diſſeruerint; neque injuria. Nam quæ ceteris in urbibus hoc tempore penitus intercluſa eſt ad dicendi gloriam via, ea latiſſime in hac civitate unicuique patet; non enim hic roſtra deſiderantur, non curia, non ſenatus, non forum, non ſubſellia judicum, in quibus eloquentium virorum aut eluceſcat induſtria, aut ſperatis, propoſitiſque honoribus ſtudium excitetur; manent, manent, &, ut video, in perpetuum manebunt diſertiſſimorum hominum ingeniis ſua in hac pacatiſſima civitate curricula, & ex hoc ſtudio fructus ampliſſimi, ſumma gloria. De altera vero, omnium fere eruditorum ea videtur eſſe conſenſio; ut, quoniam tum Græci, tum Latini homines (harum enim duarum gentium laudata in primis ſemper oratio fuit) poëtas nobis, & oratores non ignobiles reliquerunt; & præſtantiſſima fere, ac optima cujuſque diſciplinæ præcepta quamplurima, & quam ornatiſſima prodiderunt, demus operam, ut, verborum, quibus divina contexta ipſorum ſcripta ſunt, ratione percepta, tot excellentium poëtarum, nobilium oratorum, præſtantiſſimarum artium cognitionem nobis, atque ſcientiam comparemus; aut, ſi quid forte de noſtris rebus vel dicendum, vel ſcribendum hoc tempore ſit, id verbis quidem noſtris explicemus, ſententiarum autem luminibus, quæ plurima ex ſplendidiſſimis eorum ſcriptis ſumi poſſunt, illuſtremus; aut denique, ſi noſmet

ipſos

ipſos ad veterem illam forte dicendi conſuetudinem transferamus, id vero nec indiſerte, nec impolite agamus. Sed, cum hoc tamen totum, quidquid illud ſit, quod nos in hoc genere ſuſceperimus, niſi cognitis eorum linguæ formulis expleri non poſſit; relinquitur profecto, ut primus nobis labor in ipſorum cognoſcenda lingua ſit collocandus; quam cum neque ex domeſtico, neque ex forenſi, ut quondam, uſu, ſed ex tacita duntaxat mutorum doctorum conſuetudine percipi poſſe, pleræque Italiæ civitates animadverterent, propterea ſumma ope contenderunt, ut apud ſe haberent qui illorum libros publice diligenter explicarent. Verum in hoc genere toto, Auditores, neſcio quo modo majorum veſtrorum conſilium, & factum in primis elucet; hi enim non modo artium, & diſciplinarum, quæ nunc in pretio ſunt, omnium clariſſimum univerſo terrarum orbi domicilium in antiquiſſima imperii ſui Patavina urbe ſtatuerunt, idque ipſum nobiliſſimis accitis ex omni terrarum parte magiſtris exornarunt; ſed etiam in hac urbe, quæ clariſſimi hujus imperii ſedes eſt, ſemper eſſe voluerunt, qui obſcura, & nunquam ſatis patefacta veterum illorum ſcripta dicendo illuſtraret, & præclaram hanc juventutem optimis litteris publico munere erudiret, & recte; ſtatuerunt enim, id quod aliter eſſe non poteſt, civilis initia, ac fundamenta prudentiæ optimarum doctrinarum cognitione, ac ſcientia contineri, nec quenquam unquam ſatis ſe moderate in libera civitate geſturum, niſi qui ab ineunte ætate liberalibus primum diſciplinis excultus, deinde ſe tractandæ & adminiſtrandæ reipublicæ tradidiſſet; itaque, ut in ipſa republica gubernanda, ſic in tota ejus etiam ratione ſuſcipienda, admirabile eſt, quantum ipſi cum ceteros homines, tum maxime prudentiſſimos illos etiam veteres Romanos ſapientia ſuperaverint; illi enim philoſophos, ac rhetores omnes, Catone potiſſimum, & Craſſo auctoribus, edicto excedere aliquando ex urbe juſſerunt: hi eoſdem in hanc urbem ſuffragiis etiam ſuis advocandos eſſe duxerunt; illi nobiliſſimos artium magiſtros aliquando etiam contumelia affecerunt: hi eoſdem ſummis præmiis dignos eſſe perpetuo arbitrati ſunt; illi rectiſſimas artes ad optimam adminiſtrandæ reipublicæ rationem informandam nihil valere, hi ad id potiſſimum maxime pertinere exiſtimarunt. Quo fit, ut hæc civitas, quemadmodum rerum geſtarum magnitudine imperii diuturnitate, maritimi, & terreſtris apparatus magnificentia, ſic artium quoque optimarum ſtudiis, ac moderatiſſimorum hominum copia præſtantiſſimum quenque populum antecedat. In hanc igitur urbem, atque ad ejuſmodi munus obeundum publica adductus auctoritate venio equidem perlibenter hoc tempore, Auditores, ſed, ſi vere dicendum eſt, maximo cum timore. Metum autem affert non tam ſuſcepti magnitudo muneris, cui me jam non nulla exercitatione aliquantum aſſueſeci, ſed quòd intelligo, me in eum locum ſuccedere oportere, quo in loco cum alii quondam ſummi viri, tum proxime Valla, Sabellicus, Egnatius magna cum ingenii, atque doctrinæ laude floruerunt. Præterea vero, corona iſta veſtrum, & frequentia incredibilis adeo me commovet, & perturbat, ut nunc demum intelligam, quàm incaute, ne dicam ſtulte fecerim, qui acerrimo hujus eruditiſſimæ civitatis judicio in hoc genere aliquando ſatisfacere me poſſe crediderim. Sed tamen, qui me frequens veſter conſpectus terret, idem quodam modo etiam confirmat, & recreat. Sentio enim, atque ex ſingulis uniuſcujuſque veſtrum vultibus perſpicio, humanitatem in hac civitate eſſe tantam, quantam in principe terrarum populo eſſe conveniat. Itaque ut amavi antea mea ſponte maxime pulcherrimam iſtam urbem veſtram unam in terris optime conſtitutæ civitatis veriſſimam imaginem: ut Senatus iſtius gravitatem, imperii majeſtatem, cæli clementiam, terræ halitum, maris afflatum, atque omnino felicem iſtum, ac plane divinum Venetiarum genium ſemper colui: ſic nunc multo vehementius, veſtro tanto incenſus ergà me ſtudio, & vos omnes, & hæc omnia diligo, atque colo: fateorque pulcherrimum mihi omnium, quos in vita vidi, hunc diem illuxiſſe, quo tam egregiam veſtram erga me voluntatem, ac tam honorificum de me judicium licuit experiri; cujus diei memoria, dabo operam, ne aut oblivione aliqua deleatur, aut ullius diuturnitate temporis obſcuretur. Expoſui breviter, Auditores, quæ ad eloquentiæ laudem, atque omnino ad hujuſce diei quaſi proludium mihi viſa ſunt pertinere: lætorque, attente, atque benigne me, ſicut optabam, atque ſperabam, ab omnibus auditum eſſe. Reliquum eſt, primum ut vobis omne meum ſtudium, officium, laborem, diligentiam, quantum denique ingenio, atque induſtria efficere in hoc munere poſſim, pollicear, ac deferam: quod quidem cum mea ſponte, tum veſtro etiam tanto de me judicio incitatus, vel Muſis prope ipſis, quarum auguſtiſſimo quaſi quodam in templo ſumus, approbantibus, facio: deinde, ut vos orem, atque obſecrem, ut quod ad me audiendum hodierno die ſtudium attuliſtis, id in perpetuum conſervetis. Quod equidem cum aliis de cauſſis vobis cenſeo eſſe faciendum, tum ne aut eorum, qui me huc advocarunt, aut ejus, qui acceſſitus eſt, animus veſtra ulla tarditate debilitetur; aut ipſi maximam, & excellentiſſimam humanitatis partem reſpuere, aut denique ne hac abuti pulcherrima, atque optatiſſima pace, videamini, qua ſola hæc civitas, reliquo fere terrarum orbe perniencioſiſſimo bello flagrante, ſingulari iſtius ſapientiſſimi Senatus conſilio, maxima hominum approbatione, ſummaque, utinam in perpetuum, felicitate perfruitur. Venetiis habita, MDLII.

PRO ELOQUENTIA
ORATIO SECUNDA.

A ETſi, poſt intermiſſa noſtra ſtudia, Auditores, nihil mihi longius unquam viſum eſt eo die, quo iterum omnes in hunc locum conveniremus, ac dimiſſam eorum conſuetudinem longo intervallo repeteremus: tamen hodiernus dies, qui cum per ſe optatiſſimus, tum frequentiſſimo iſto conſpectu veſtro omnium mihi jucundiſſimus eſſe merito debet, integram me, quam ante finxeram animo, percipere voluptatem non patitur; renovat enim memoriam perniciosiſſimæ cujuſdam opinionis, quam omnino inveteraſſe, atque in animis omnium fere hominum jam penitus inſediſſe intelligo; nam cum alii aliis de B cauſſis ſe à ſtudiis optimarum artium, ac præſertim eloquentiæ, recedere hoc tempore profitentur: tum hæc trita, & jam omnium fere pervulgata ſermonibus afferri excuſatio ſolet, quod ſe diffidant ad veterum illorum poſſe, quos imitati fuerint, laudem, & gloriam pervenire. Quæ oratio quanquam ſatis eſt iſtius civitatis auctoritate, atque judicio confutata; quòd tanto ſtudio, ac tanta animorum contentione ad omnium diſciplinarum genera complectenda exarſit, ut eam omnino antiquitatis non æquaturam modo gloriam, verum longe multumque ſuperaturam eſſe ſperandum ſit: me tamen & ſuſcepti muneris ratio, & C mea quædam erga vos præcipua caritas hortatur, ut, quo alacrius omnes ad priſtina ſtudia redeatis, ejuſmodi ſententiam probem cum ut falſam, tum ut perniciosam ab omnibus prorſus hominibus eſſe repudiandam. Etenim ſi diligenter attenderitis, Auditores, nihil profecto invenietis, quo tam omnium hominum animos frangere, aut tam eorum retardare conatus poſſit, quàm ſi in iis artibus, ad quas ſe contulerint, omnis ſit eis ſpes principatus, ad quem unuſquiſque natura ducitur, intercluſa; quam certe ſpem omnino præcidunt illi, qui in tantam antiquorum admirationem D adducuntur, ac tantam illis in omni artium genere laudem tribuendam eſſe cenſent, ut nullum poſteris ad famam, atque ad gloriam relictum eſſe locum arbitrentur. Equidem ut illud ſemper veriſſimum eſſe duxi; maximas res, ſummaſque artes & inventas acutiſſime, & tractatas ornatiſſime ad nos à veteribus eſſe translatas: ſic hoc nulla ratione probandum puto, non eorum nos veſtigiis inſiſtentes vel parem nobis laudem poſſe ex eodem illo antiquorum ſtudiorum curriculo vindicare. Nam omnino, ſi cauſſa ulla eſt, Auditores, quæ noſtros conatus queat impedire; eam profecto vel ab ingeniorum noſtrorum E imbecillitate, vel certe ab rerum cognoſcendarum multitudine proficiſci exiſtimandum eſt. Quibus tamen ex rebus, tantum abeſt, ut ulla nobis impedimenta poſſint parari, ut omnino nulla ineptior oratio ſit, quàm eorum, qui hac ratione utantur. Nam, ut de ingeniis primum dicam, quorum hebetatam aciem eſſe ab ipſa quaſi defatigata natura quidam queruntur; quid eſt tandem cauſſæ, cur natura hoc tempore tardiora, quàm olim, humana ferat ingenia, quæ in omnibus ſuis rebus obeundis admirabilem conſtantiam, & incredibilem quandam æquabilitatem immutabili prorſus æternitate tueri ſolita ſit? Equidem, cum nunc & cœlum pariter naturali ſe converſione contorqueat; & terra, ſuis librata ponderibus, immota natura jaceat; cum ſol, & aſtra nunc etiam terras clariſſima, ut ante, luce colluſtrent; cumque item cetera, quæ longe maxima ſunt, eodem, quo ante, modo à natura gignantur: ſatis intelligere non poſſum, cur homines aut ad inveniendum hebetiores, aut ad intelligendum tardiores natura hoc tempore, quàm antea, procrearit; fallitur enim, ſi quis & ingeniorum, & agrorum eandem eſſe rationem putat; agrorum virtus aut cœli temperatione commutatur, aut temporis diuturnitate minuitur; ingeniorum vires nulla prorſus ratione, niſi forte ſocordia franguntur. Teſtis ipſa Græcia eſſe poteſt; in qua cum olim ita omnium bonarum artium ſtudia floruerint, ut hæc una in terris gens omnis humanitatis, atque doctrinæ jure ſibi gloriam aſciverit, ita nunc demum, funeſto quodam illius quaſi provinciæ fato, jacent, ut eadem nulla antiquæ monumenta laudis, & veteris inſignia dignitatis agnoſcat, quid ita? profecto, non quòd apud illos ingenium, ſed quod in ingeniis induſtria conſenuerit; ut enim fœcundiſſimus ager, niſi quotidiana exerceatur cultione, ſilveſcit: ſic optima ingenia, niſi perpetua exercitatione excolantur, exareſcant penitus, neceſſe eſt. Quòd ſi eiſdem viribus eorum, qui nunc ſunt, atque illorum, qui ante vixerunt, ingenia ſuſtinentur: jam nunc intelligere poſſumus, quantum nobis momentum ad gloriæ commendationem acceſſerit ex iis, quæ ſunt excellentiſſimis ſuperiorum hominum ingeniis innumerabilium jam prope ſeculorum memoria comparata; quæ ſunt ejuſmodi, ut non optimam modo confirmare, ſed deterrimam quoque plane excitare naturam poſſint. Neque enim, ut aliarum rerum omnium, ſic ingeniorum quoque gravem obrepere ſenectutem exiſtimandum eſt, quippe quæ firmiſſimo ac prope immortali quodam quaſi naturæ robore ſepiantur. Nam, ni ita eſſet, quis eſt, qui non intelligat, aut primis, aut ſecundis ipſa confici ſeculis debuiſſe? nunc verò, cum ea vi prædita ſint, ut, quo diutius vivant, eo vehementius vigeant, &, quod de fama dixit poëta ſummus, progrediendo quaſi vires acquirant: quid eſt, quòd de eorum imbecillitate dubitandum magis hoc tempore ſit, quàm poſt Platonis, & Ariſtotelis, & eorum æqualium tempora dubitatum ſit? quorum tanta extitiſſe in omni diſciplinarum genere laus creditur, ut non priores ſolum omnes ſuperaſſe, ſed poſteris etiam omnibus ſpem aut melioris ſententiæ, aut ornatioris orationis viſi ſint prope in perpetuum ademiſſe? itaque, ut ipſi plurimos, qui proxime ad eadem ſe ſtudia contulerunt, incredibili ſua laude nequaquam retardare potuerunt: item hoc tempore aut illorum, aut horum ingenii magnitudo permovere neminem

nem debet, quo minus, ſi ita ferat animus, ea ſtudia perſequatur, in quibus illi maxima cum laude, & ſumma omnium ſeculorum cum aſſenſione verſati ſint. Neque enim, mihi credite, rerum ipſarum aut evoluta ſatis, aut prompta veritas eſt, ſed obſcuro, & inexplicabili quodam quaſi involucro implicata, &, ut nobiles quidam philoſophi tradiderunt, in profundo ita demerſa, ut nec unius labore, neque unius ætate, ſed plurimorum hominum induſtria, & multorum ſeculorum ſpatio videatur eruenda. Quàm multa enim ſunt, quæ non dico Ariſtotelem, aut Platonem, aut qui ambos ætate anteceſſit, Socratem, ſed eos quoque omnes, qui aut proximo, aut longo ſubſequuti ſunt intervallo, etiam quærentes latuerunt, ultro autem ſeſe noſtris aut patribus, aut majoribus prodiderunt? Nam & cœleſtium orbium numerus, & ſtellarum errantium motus multo profectò certius ab his, quàm ab illis, eſt & inveſtigatus, & traditus: & terræ ipſius remotiſſimæ, ac penitus abditæ partes, quò non ſolum non penetravit antiquitas, ſed ne adiri quidem poſſe, natura ipſa repugnante, exiſtimavit, & maximo conſilio ſunt, & præſtanti animi magnitudine peragratæ. Jam verò & ad alieniſſimas, ac maxime longinquas nationes vel uſus, vel victoriæ cauſſa non modo comparata eſt navigatio melior, ſed & res ipſa militaris, ac bellica novo quodam, & ante inaudito tormentorum genere reddita eſt inſtructior. Rempublicam vero, & populi libertatem, quam cum alii ante multi, tum maxime Romani ſummo conſilio tractaſſe, ac defendiſſe ſemper videntur, nunc multo certe prudentius patres veſtri & gerunt, & tuentur; itaque ut illi bellicis fortaſſe artibus, ſic hi domeſticis, ut illi imperii magnitudine, ſic hi diuturnitate jure gloriantur; ſiquidem inde vel cum hoſtibus, vel inter cives perpetuo dimicatum, hinc optatiſſimæ pacis fructus domi, foriſque partæ quotidie percipiuntur uberrimi; inde pauca quædam gravioris dominatus luſtra, hinc juſtioris imperii infinita jam prope ſecula numerantur; omitto ſitus urbis hujus inauditam ante oportunitatem: quam eſſe tantam conſtat, ut hæc una in terris civitas ad imperium, ad decus, ad æternitatem condita videatur; præterea admirabilem tot magiſtratuum rationem, incredibilem in judiciis æquitatem, maximam omnium rerum inter cives æquabilitatem, ceteraſque omnes hujus præſtantiſſimæ reipub. partes non ſolum inter ſe, ſed etiam cum optimo, ac perfectiſſimo civitatis genere pulcherrime congruentes. Nimirum hanc urbis ſpeciem, hanc civitatis præſtantiam veteres illi optimi viri, atque omnium ſine dubio prudentiſſimi animo finxerunt potius; quam aut viderunt unquam, aut audiverunt, aut omnino futuram ullam aliquando in tam corruptis hominum moribus ſperare ulla ratione potuerunt. Quæ ſi perſpicua ſunt, ſimul illud perſpicuum eſſe quis non videt, non ſolum eandem nobis, quæ veteribus, aciem ingeniorum manere, ſed, ſi exercitatione acuatur, multo etiam præſtantiorem futuram. Nam, quòd rerum, ſcriptorumque, quibus in dies magis obruantur, multitudine perterreri ſe quidam dicunt; id eſt ejuſmodi, ut nimia potius eorum penuria deploranda, quàm non neceſſaria copia exagitanda ſit. Etenim qua re alia, dii immortales, in tantas his temporibus optimarum ar-

A tium redacti ſumus anguſtias, quàm, quòd ad eas cognoſcendas prope innumerabilibus ſumus præſidiis, quibus ſuperiora abundarunt ſecula, deſtituti? Ubi enim philoſophi ſunt illi, qui & ante, & poſt Platonis tempora cum naturæ, tum morum rationem diligentiſſime inveſtigarunt? quorum tam magnus extitiſſe numerus traditur, ut, quemadmodum milites in cohortes, ſic illi in diverſarum ſectarum quaſi quaſdam acies ſecernerentur? Ubi tot oratores, tot poëtæ, tot juris, legumque conſulti? Ubi tot rerum geſtarum, atque annalium, & hiſtoriarum ſcriptores ornatiſſimi, qui clariſſimorum regum & potentiſſimorum populorum facta Græcis, & Lati- B nis litteris conſignarunt? Ubi denique reliquarum artium inventores prope infiniti. O C. Plini: majorem appello; tu, qui nobis monumentum illud unum induſtriæ tuæ pro tot illis antiquorum millibus tradidiſti, doce quanta tu, patreſque tui veterum teſtimoniorum copia abundaveris, quanta nos, æqualeſque noſtri eorundem inopia urgeamur; idemque hunc illis errorem eripe, qui nimis magna ſe eorum ubertate diffluere arbitrantur, non intelligentes, quàm fœde omnia aut inimicæ vetuſtatis injuria labefecerit, aut imperitorum ſeculorum incuria deformarit. Quæ cum ita ſint, ſane efficitur, ut, quemadmodum nonnullarum recentium rerum, quæ ſcientia com- C prehendendæ ſunt, parvo neſcio quo labore torquemur, ſic contra plurimarum veterum, quarum obſoletam jam nimia antiquitate cognitionem prope in perpetuum deploravimus, graviſſima cura levati ſimus, ita ut, quæ antiquiſſimis hominibus olim prope nova videbantur, ea nobis pro vetuſtiſſimis hoc tempore habeantur. Nam, quòd duabus linguis, iiſque alienis, intolerabili prope cum labore percipiendis commoveri ſe alii dicunt; ſtultiſſimum illud dare documentum videntur, ut, qui nobis, poſt tot acceptas à barbaris clades, incredibili deorum benignitate amiſſarum quaſi quidam theſauri artium commonſtrati ſint, eos aut negligamus, aut, quo nihil eſſe D fœdius poteſt, ab alienis hominibus occupari, ac poſſideri, æquo animo patiamur; quaſi vero hoc & novum, & nunquam antea factitatum ſit, ut, quæ domi noſtræ non haberemus, ea, ſi uſus ferret, aliunde ſumeremus; niſi forte Græcos ipſos, maximarum diſciplinarum gloria celeberrimos, aut Indorum, aut Ægyptiorum, aut Phœnicum præclara quondam decreta approbaſſe; voces autem, quibus ea tradebantur, odiſſe, aut ſibi notas eſſe noluiſſe arbitramur. Equidem cum in antiqua monumenta intueor, alienis linguis adeo veteres ſtuduiſſe video, ut non ſolum bellicoſiſſimus, & potentiſſimus rex Ponti Mithridates duorum & viginti populorum, quibus jura da- E bat, linguas perdidicerit, ſed Romani etiam aliquot hoſtilem Pœnorum linguam, quòd ea neſcio quid ſcriptum forte non inſulſe erat, haud prorſus ſibi eſſe contemnendam putarint. Quæ ſi vobis argumenta hominum imperitorum, atque ignavorum probantur, aſſentimini, Auditores, & præclara diſciplinarum genera veterum linguarum deſperatione deſerite; ſin autem verè optimarum artium ſtudiis nihil eſſe præſtantius ducitis: quid eſt, cur alienarum cognitionem linguarum, quas nulla unquam repudiavit antiquitas, omnis ſemper eſt amplexa humanitas, detrectetis? aut cur vel Græcorum magis hoc tempore, quàm

quàm illi quondam Ægyptiorum, vel Latinorum potius, quàm illi Græcorum, voces negligatis? Itáne verò? M. Cato, homo Romanus, Græcas literas, quas ante perpetuo faſtidierat, ultima jam ſenectute avidiſſime devoravit: vos, patrum veſtrorum tanta auctoritate neglecta, eas ætate florentiſſima reſpuetis? multi Græci, non pauci Barbari Romanarum quondam litterarum cauſſa maria etiam tranſmiſerunt: vos, germana Romanorum progenies, Romana monumenta domi veſtræ rejicietis? omnes civitates, omnes populi, omnes denique omnium terrarum gentes, modo aliqua ſint humanitate imbutæ, non modo ſcholas, ſed etiam fora, templa, cœtus, congreſſus Græcis aut Latinis circumſonare vocibus, honeſtiſſimum, atque graviſſimum eſſe cenſent: vos, in ea civitate nati, quæ ampliſſimum omnis ſemper humanitatis, atque doctrinæ domicilium fuit, aures veſtras, ne eas audiant, ullo labore, aut ulla deſperatione claudetis? O fallaces & inanes eorum cogitationes, qui hanc urbem in eam ſpem condiderunt, ut Romanam rempub. quæ tum funditus erat everſa, ſi non amplitudine imperii, at certe liberalitate artium ſtudiis, quæ tum toto terrarum orbe pulſæ jacebant, vel æquaret, vel etiam vinceret; eo ne conſilio hanc juventutem tot in ſecula propagarunt, quæ ingeniis prædita ſingularibus, artes eas, quas majores ſui etiam civitate donaſſent, ſpretas excedere civitate, ingeniorum diffidentia, ſineret? ſiquidem aut rectiſſimam quamque artem tollatis, Auditores, oportet; aut linguas, quibus illæ proditæ ſunt, omnino conſervetis. Quòd ſi ſine illis nec ſatis communis vita conſtare, nec moderatio in civitate manere, nec omnino ulla haberi ratio humanitatis poteſt: profecto & hæc, quæ tantorum bonorum ampliſſima quaſi quædam ſeminaria ſunt, fovere diligentiſſimè opus eſt. Nam ſi ea loca, in quibus aut aurum, aut æs, aut argentum effodiuntur, quibus humana libido turpiſſimè plerunque abutitur, tanta diligentia obvallantur: quanto nobis ſtudioſius ſecreta nobiliſſimum artium quaſi latibula retinenda ſunt, quibus ampliſſimis præmiis accendimur ad memoriam gloriæ ſempiternam? Neque enim audiendi ſunt illi, qui exigua nimirum ſe mercede ad tantos labores prædicant invitari; ſunt enim iis, qui in libera civitate vixerint, ſatis ampla, qui liberam civitatem adminiſtraverint, ampliſſima propoſita præmia, quæ partim maximorum in honorum adeptione, partim in egregia & præſentium, & futurorum hominum opinione, partim moderata fortunarum in amplificatione, qui quanquam leviſſimus fructus eſt, vulgari tamen æſtimatione longe omnium graviſſimus habetur, ſita eſſe ducuntur. Quamobrem cum & res, quæ cognoſcendæ ſunt, paucæ, & vires ingeniorum validiſſimæ, & præmia ad excitandos animos ampliſſima ſint; nolite diffidere, Auditores, veterum etiam laudem eorum, quos tantopere admiramur, quamcunque ad artem animum adjunxeritis, aut facile æquaturos, aut, quæ finitima gloria eſt, ad eam proximè acceſſuros. Quod ipſum etſi futurum nullo unquam tempore deſperavi: tamen auget nunc multo etiam magis ſpem meam perſpecta mihi virtus, & induſtria veſtra ſingularis. Me certe cum mea perpetua erga iſtum ordinem ſingularis voluntas, tum hodiernus iſte veſter in hunc locum, quaſi ad priſtinam eloquentiæ poſſeſſionem recuperandam, incredibilis concurſus ita ad hanc cauſſam inflammat, ut me dies, noctesque nihil aliud, quam de veſtris commodis, cogitaturum eſſe profitear. Ecquæ enim cauſſa eſt, cur non perpetuo pro iſtius utilitate conſeſſus laborem? cum & ipſe ab hoc fonte ad nonnullam hominum famam profluxerim, & meus quotidianus hic labor ad aliquam hominum exiſtimationem, iſtorum commendatione ſubſelliorum paulo latius dimanaverit? Quamobrem vigilabo quidem mea ſponte (ut dixi) pro vobis libenter, ac multo certè etiam libentius, quòd intelligo me à vobis ita audiri, ut maxima pars veſtræ in audiendo laudis ad aliquam mei etiam nominis celebritatem attineat: ut, quantum in vos utilitatis ex meo labore, tantundem in me laudis ex attentione veſtra redundet.

Venetiis habita, MDLIII.

PRO

PRO ELOQUENTIA

ORATIO TERTIA.

SI, quantum animi in quibuſdam hominibus eſt hoc tempore, Auditores, ad præclara juventutis ingenia retardanda, atque omnino ad honeſtiſſima linguarum ſtudia reprobanda, tantum in me ingenii ad eadem excitanda, atque ornanda reperiretur: profecto & ipſe jampridem ſatis veſtras mentes ad ampliſſima litterarum præmia inflammaſſem, & hæc ſtudia ab indigna illorum criminatione me non incommode hodierno die eſſe defenſurum confiderem. Etenim cum duo ſint hominum genera, à quibus potiſſimum honeſtiſſimus iſte veſter ad laudem curſus impediatur, unum eorum, qui univerſo literarum generi, alterum, qui rectiſſimæ huic linguarum rationi præcipue ſe inimicos eſſe præ ſe ferant; cumque priore anno vehementius eorum opinionem increbuiſſe animadverterem, qui dicerent, non eſſe cur hoc tempore doctrinæ ſtudia tractaremus, quòd ad veterum illorum, quos imitaremur, gloriam aſpirare non liceret; tum toto eo de genere illa dixi, quæ ſententiam eorum, ni pertinacius, quàm ſapientius agerent, facile poſſe frangere viderentur; nunc vero, cum præclarum hoc linguarum ſtudium ab alteris intelligam tum ut parum neceſſarium, tum ut nimis leve contemni, ac deriderí: tanto mihi alacrius ejuſmodi defenſionem ſuſcipiendam exiſtimo, quanto nos propius horum, quam illorum, accuſatio petit. Neque vero, ſi in nos à rudibus quibuſdam, atque indoctis hominibus impetus fieret, ſummopere mihi de conatibus eorum repellendis, ac vindicandis eſſe contendendum putarem; verum, cum intelligam, ut quiſque vehementiſſime in rerum cognoſcendarum ſtudio elaborat, ita maxime noſtram hanc quaſi verborum, ut illi vocant, diſciplinam illudere, ſuaque auctoritate, quæ magna eſt, imbecillos multorum animos à rectiſſima ſtudiorum ratione deducere: facere non poſſum, quin, ſollemni præſertim hoc die, quem unum ex omnibus pulcherrimum incredibilis veſtra frequentia mihi reddit, atque in tanto litteratiſſimorum hominum concurſu paucis injuſtæ illorum accuſationi reſpondeam. Quos tamen ita ſentientes homines ut gratulor in hac ampliſſima urbe reperiri nullos: ſic, quando jam reliquam Italiam hæc opinio pervagatur, ea ne, tanquam peſtilentia continenti vulgata tabe, hanc demum etiam puriſſimam civitatem invadat, mihi inprimis, cui publice tuendæ eloquentiæ negotium datum eſt, exiſtimo providendum. Sed quoniam, ut dixi, acrius illi, ac vehementius agunt, quam ut nos ornate, ac copioſe, pro tantæ rei magnitudine, reſpondere poſſimus: veſtræ erit humanitatis, atque prudentiæ, quæ pro vobis in officio retinendis veriſſime diſputabimus, ea benigno, atque attento animo audientes, falſis illorum rejectis criminibus, ſingulari veſtro potiſſimum ſtudio comprobare. Magna igitur, ac moleſta admodum mihi cauſa ſuſcepta eſt, Auditores, quippe quæ non majorem ingenii facultatem requirat, quam animi dolorem acriorem eliciat. Neque enim facere poſſum, cum vehementius in hanc totam linguarum quæſtionem intueor, quin funeſtum earum, ac miſerabile quoddam quaſi fatum deplorem, quibus internecinum video bellum ab indiſertis hominibus prope in perpetuum eſſe indictum. Taceo cladem illam, quam ipſæ ingentem majorum noſtrorum memoria ab indoctis, & rudibus illis ſæculis acceperunt: quam iccirco levius quodam modo ferendam illis eſſe cenſeo, quòd ea ab reliquarum omnium artium pernicie incredibili nulla ratione ſejungi potuit. Verum illud queror, cum reliquæ diſciplinæ omnes hoc tempore, ſingulari quodam deorum munere, ex diuturna quaſi jactatione conquieſcant, hoc unum linguarum ſtudium quorundam hominum pertinacia, ne priſtinum dignitatis ſplendorem recuperet, impediri. Quod eo mihi eſſe videtur indignius, quòd & per eos ſtetit, quo minus eximia reliquarum artium monumenta, paulo ante pernicioſo barbarorum impetu labefactata, conciderent, & ab iis oppugnantur, à quibus merito præſidii aliquid expectare debebant. Nam, ſi qui huic ſtudio iniqui ſunt hoc tempore, atque infeſti, ex eorum ſunt potiſſimum numero, qui ſe philoſophiæ ſtudio dediderunt; quorum eam fere rationem eſſe, poſſis animadvertere, ut nobiliſſima, puriſſimaque veterum philoſophorum decreta aut deformato, inquinatoque Latino ſermone explicent, aut, ſi qui paulo, quam ipſi, emendatius, atque ornatius ea tractent, eos leves homines, & parum, quid majeſtate philoſophiæ conveniat, attendentes appellent. Qua in re illud primum mihi pergrave videtur, quòd orbem ipſum doctrinarum, quas mirifico quodam inter ſe vinculo junctas eſſe accepimus, diſſolvere, ac revellere, linguarum vituperatione, conantur; deinde, quòd ea deſpiciunt, quæ omnium hominum conſenſu firmiſſima ſunt quaſi omnium diſciplinarum, atque artium fundamenta; quaſi vero aut ars ulla ſine ope alterius probe intelligi, aut doctrina aliqua poſſit ſine linguarum potiſſimum notitia comprehendi. Ac apud veteres quidem quanta diligentia, ac prope religione hæc ipſa bonarum artium ſocietas, atque cognatio culta ſit, hinc intelligi poteſt, quòd neminem in una excellere arte, qui non omnes attigiſſet, poſſe opinati ſunt: adeo ut non philoſophis ſolum cognita eſſe oportere omnia, ſed ne artifices quidem humiliores ſine philoſophia, id eſt ſine univerſa quadam omnium diſciplinarum ſcientia, recte in ſuo munere verſari poſſe exiſtimarent. Quæ concordia ſi cui tuenda eſt, eis in primis merito videtur tuenda eſſe, qui ſe omnium ſtudioſiſſimos eſſe ſapientiæ profitentur; quod quemadmodum aſſequi ſine ſingulari quadam linguarum intelligentia poſſint, profecto ne ipſi quidem credo facile demonſtrabunt. Nam ſi, quod quiſque ſentit, id ipſum quale ſit, niſi verbis enuncietur, apparere non poteſt; & ſi omnino noſtræ mentis eſt interpres oratio: jam illud perſpici aperte poteſt, ſi, quæ quiſque acute invenit, ea

ea aliis tradere, vel alienæ utilitatis, vel ſuæ oſtentationis gratia, velit, ne hæc quidem eſſe, quibus illa quaſi contineri videntur, ornandæ, ac quodam modo faciendæ orationis ſtudia negligenda; ut enim nobiles architecti in conſtruenda præclara domo non parietum magis, aut culminis rationem habent, quàm fundamenti: ſic nec egregiis philoſophis eximia potius ſapientiæ præcepta nota eſſe oportere, quàm verborum, quibus illa quodam modo ſuſtinentur, ſubſidia, ſtatuendum eſt. Quam rationem veteres certe philoſophi, qui ſoli hoc graviſſimo nomine digni fuiſſe videntur, ſtudioſiſſime obſervarunt. Nam Theophraſtum quidem, & Ariſtotelem adeo floruiſſe dicendo accepimus; ut ille divinitate loquendi nomen invenerit, hic etiam aureum flumen orationis fudiſſe ſit exiſtimatus. Nam quid de Xenophonte dicam, atque Platone? quorum alterius voce Muſas quaſi locutas ferunt, alterius, Jovem ipſum, ſi græce locutus eſſet, locuturum fuiſſe? Complectar uno verbo. Nemo fere ex veteribus illis philoſophis, à quibus, tanquam ab uberrimis quibuſdam fontibus, omnis ad nos philoſophiæ cognitio emanavit, bonus intelligendi magiſter fuit, qui non idem etiam dicendi graviſſimus auctor extiterit. Cur autem non ſit? quia verborum, inquiunt, leviſſimum ſtudium eſt; acute: an vero cuiquam unquam leve videri illud demum ſtudium debet, in quo ſummi philoſophorum principes, Plato, & Ariſtoteles, tantopere vigilarunt? Duæ ſunt enim hujus quaſi doctrinæ partes, una, quæ poëtam, altera, quæ oratorem informat; has ambas adeo accurate, atque eleganter ii, quos paulo ante commemoravi, commentariis etiam editis pertractarunt, ut, quod his artibus præſidii adſit, ac dignitatis, id omne jure acceptum duobus illis maximis referatur auctoribus; quodque præſtans illorum de gravitate horum ſtudiorum apertius demonſtrare judicium poteſt, Ariſtoteles ipſe ad ea, quæ tam præclare de dicendi artificio ſcripſit, non pulcherrimi ſui ſtudii contentus gloria, Iſocratis rhetoris laude incenſus acceſſit; immo vero, cum florere eum nobilitate diſcipulorum videret, & ipſe rhetoricam docere, & ludum habere voluit, cum diceret, indecorum eſſe ſe tacere, Iſocratem loqui. Quanquam quid aut oratorum artem potiſſimum nominem, aut poëtarum? quam, vel uſus, vel doctrinæ ratione optabilem, nemo unquam, in Græcia præſertim, harum omnium diſciplinarum parente, atque altrice, contempſit? Quid? Romæ, ubi quondam, propter perpetua militiæ ſtudia, nulla ex græcis artibus in pretio fuit, quippe qua ex urbe philoſophi, ac rhetores omnes acerbiſſimo etiam decreto aliquando ſint exacti, non ne ejus etiam artis præcepta; quæ non ornate, ſed emendate loquendi principia continet, Varro, & Cæſar ſummo ſtudio tradiderunt? at qui viri? ii, quorum alter ſummarum diſciplinarum cognitione Romanos ante ſe omnes, alter rerum geſtarum magnitudine omnes ex omni memoria homines ſine controverſia vicit. Ergo veteres illi non ſolum de philoſophia ornate ſcripſerunt, ſed rationem etiam ornate dicendi aliis tradiderunt: nos non ſolum impure de noſtris ipſorum ſtudiis diſputabimus, ſed, ſi qui paulo caſtius loqui ſtuduerint, eos leves, & contemnendos homines eſſe ducemus? illi in maxima aut ſcientiæ, aut imperii gloria ne grammaticæ

A quidem artis tractationem ſibi indecoram eſſe duxerunt: nos neminem, niſi qui præcepta prorſus omnia grammaticorum contempſerit, repudiabimus? Hæc igitur quondam principum philoſophorum, atque ſummorum virorum ratio fuit; quam neſcio cur noſtri non hoc tempore imitentur; ut ipſi ſecum, quantum profiterentur, quotidie cogitarent; cumque ſe rationem intelligendi profiteri animadverterent, ne loquendi quidem artem à ſua cognitione alienam eſſe arbitrarentur. Quamobrem, non tam quid ſentirent, aut agerent, quàm quemadmodum ea dicerent, quærebant: neque rerum ſolum, ſed etiam verborum à ſe exempla peti oportere cenſebant: neque in
B hoc ſtudio tantum, quia neceſſarium, verum etiam quia grave, & honeſtum ducebant, diligentiſſime verſabantur. Oſtendi, hanc quaſi verborum ſcientiam, quam ſolam orationibus, atque poëtis propoſitam eſſe iſti putant, plurimum in ſe habere & neceſſitatis, & dignitatis; quid, ſi, eodem illos non verborum magis eſſe, quàm rerum indagatores, atque artifices, probem? Etenim poteſt ne aut res exprimi ſine verbis, aut oratione quidquam, niſi res aliqua, demonſtrari? Quid autem vel oratores oratione, vel poëtæ verſibus ſuis aliud complectuntur, quàm quæ præſtantiſſimis philoſophorum libris continentur, atque præceptis? Dicam primum de poëtis, quorum qui-
C buſdam difficilior fortaſſe ratio eſſe videatur. Poëtarum igitur dico reconditam quandam eſſe doctrinam, eandemque ex ipſius philoſophiæ penetralibus eſſe depromptam. Atque hoc quidem unuſquiſque, qui nobilium præſertim poëtarum ſcripta paulo accuratius legerit, facile comprobabit. Etenim quis eſt in philoſophia locus, ſive de naturæ primordiis quæras, ſive de rerum cæleſtium cauſſis, iiſque, quæ fiunt in aëre, perturbationibus, ſive de natura animorum, ſive de rebus expetendis, & fugiendis, ſive de ratione rerum publicarum, quis eſt, inquam, locus in philoſophia ejuſmodi à bonis poëtis unquam prætermiſſus? Quod vero multo majorem habet ad-
D mirationem, hi, non quid unus, aut alter ejuſmodi de rebus ſenſerit, tenent, ſed omnes omnium ſententias habent notas, neque perpetuo, ut illi, opinionem unam, ſed modo hanc, modo illam pro libertate artis tuentur; putant enim eo admirabiliorem ſuam ſcriptionem fore, quo pluribus eam, iiſque inter ſe diſſimilioribus, ſapientum ſententiis, quaſi diſſimilium quorundam pigmentorum varietate, diſtinxerint. Jam vero, quanti illud faciendum videtur, quod in ſcribendo poëtæ non veterum magis decreta philoſoohorum ſequi ſolent, quàm ipſi ratione uti philoſophorum? quid eſt enim tam philoſophi, quam eximiam quandam virtutis ſpeciem, quàm ipſi ideam
E appellant, poſſe exprimere? at poëtas non ſemper animadvertas res tales, quales ſint, fuerintve, effingere, ſed plerunque, à rei veritate recedentes, aut famam ſecutos hominum, eas ejuſmodi ſimulare, quales popularis oratio celebrarit; aut certe, perfectionem quandam virtutis exquirentes, quales oporteat, oportueriive, confingere; eoſdemque non in ſingulorum virtutibus exponendis, ſed fere in univerſo virtutis genere, & natura deſcribenda, philoſophorum more, verſari. Quamobrem jure Ariſtoteles poëtas omnino philoſophis eſſe ſimiles affirmavit. Puderet me in re maxime ſeria id, quod dicturus ſum,

di-

dicere, niſi hujus dicti, graviſſimum omnium philoſophorum, Platonem auctorem haberem. Tanta, ac tam admirabilis poëtarum doctrina eſt, ut eam non ex humano, ſed ex divino emitti pectore antiquitas arbitrata ſit; ſiquidem, poëtas Apollinis, Muſarumque afflatu verſus fundere, & à Muſarum etiam hortis quibuſdam, ac ſilvis carmina ad nos afferre, traditum eſt: neque vero ante efficere quidquam poëtam poſſe, quàm divino quodam inſtinctu concitatus ſit, & è ſua ſede mens pulſa, atque dimota: Deum autem, eorum mente elata, iis miniſtris propterea uti, & vatibus, ut nos, qui audimus, intelligamus, non eos eſſe, qui illa tam præclara dicant, qui mente careant, ſed Deum eſſe, qui loquatur. Dixi de poëtis, nunc de oratoribus eſt dicendum; quorum ſcripta ſi quis propius inſpexerit, ea non magis ex rhetorum, aut grammaticorum ſcholis, quàm ex eruditiſſimis dialecticorum, & philoſophorum ſpatiis prodiiſſe fatebitur; quippe quorum præceptis informatos, atque imbutos eos ad dicendum venire oportere, Ariſtoteles etiam prudentiſſime, veriſſimeque cenſuerit. Atque hoc quidem ſtudium cum in communi vitæ uſu, tum maxime in gerenda republica, & humana ſocietate concilianda quantum valeat, illud eſſe argumento poteſt, quòd, quæ homines vi ſæpe facere recuſarunt, ea prudentis oratione viri deliniti facile, ac libenter fecerunt; præclare: eloquentiam enim quoddam quaſi regendæ civitatis inſtrumentum eſſe, veteres, prudentiſſimi homines, crediderunt: ut, quemadmodum navis non à gubernatore ſolum, ſed etiam à clavo, & equus non ab equite tantum, ſed etiam à fræno regeretur: ſic nec reſpublica prudentia magis, quam eloquentia magiſtratuum adminiſtraretur; itaque ſcite Homerus magnos illos reges, &, ut ipſe inquit, Jovis ſatu genitos, non magis imperio, quo plurimum valebant, quàm oratione populos ſibi dicto audientes reddidiſſe, nec ſtudioſius Jovem, conſilii parentem, quàm Muſas, eloquentiæ matres, veneratos eſſe inducit. Quòd ſi hoc à regibus factum eſt, quibus æterna prope conceſſa eſt ad imperandum, & cogendum poteſtas: quanto à magiſtratu ipſo, qui paulo poſt privatus futurus eſt, obſervari diligentius debet, ne multitudinis animos, quò velit, aliqua imperii vi, ſed ſolis blanditiis orationis adducat? Eſt autem ita comparatum, ut, quemadmodum homo conſtat ex animo, & corpore, atque is quidem imperat, hoc vero paret; ſic & mentem, & linguam ad civitatem adminiſtrandam adhibeamus: atque, ut gubernatoribus navium imperantibus præſto ſunt, qui mandata excipiant, atque aliis tradant; ſic reipublicæ procurator mentem quidem, quæ imperet, habeat; linguam autem, quæ imperata accipiat, atque ad alios deferat. Quamobrem, ſi menti lingua obtemperat, & ad occulta ejus ſenſa promenda, quod ei munus natura tribuit, parata ſedet: quid intereſſe inter eorum, qui mentem, & qui linguam excolunt, ſtudium poteſt? aut quis eſt tam ignarus rerum, qui non intelligat, materiam utrique eſſe ſubjectam re eandem, ratione diſſimilem? quod cum ſapientiſſimus olim poëta quidam intelligeret, propterea recte, quòd tres linguas teneret, tria ſe corda habere gloriabatur; ut enim palatus ſine corde ſapere non poteſt: ſic nec lingua, niſi quod in intimis cordis ſedibus ſit, poteſt efferre. Quæ cum ita ſint; quis eſt, qui hæc ſtudia aut ſupervacanea, aut levia aut plena verborum, inania prudentiæ ducat, niſi qui, quod ipſe aſſequi, vel propter ingenii tarditatem, vel ob laboris magnitudinem poſſe diffidit, id in alio damnandum eſſe exiſtimet? neque vero hoc mihi videor, Auditores, temere ſentire. Novi enim eorum, qui hæc jactant, induſtriam, atque doctrinam. Etenim, cum & ipſe ab ineunte ætate publicis in gymnaſiis aſſidue philoſophiæ cauſſa verſarer, fiebat, ut cum ejuſmodi hominibus una eſſem quotidie; me autem domeſticus uſus, & communis vitæ conjunctio docuit, eorum, quibus in primis hæc ſtudia ſorderent, doctrinam eſſe exiguam, infantiam ſingularem: pauca enim eos quædam Peripateticorum decreta tenere, eaque tanquam religioſiſſima, atque ſanctiſſima cuſtodire: tribus, aut ſummum quatuor jam pervagatis reſponſionum generibus omnibus, quæ in naturæ cognitione propoſitæ eſſent, quæſtionibus occurrere ſolere: has autem non Græco ſermone explicare, de quo nihil niſi fama accepiſſent, non Latino, quem irriderent, ſed novo quodam, & ante inaudito loquendi genere; de quo ne inter omnes quidem eos conveniret, cum ſuorum ſibi quiſque non verborum, ſed portentorum faber, atque opifex eſſet, exponere: reliquarum artium omnium, quæ ad humanitatem pertinent, eos plane expertes, ac rudes eſſe: hac illos ratione ſibi philoſophi nomen arrogare, & ſe, tanquam Peripateticos, venditare, ex diuturna, ut dixi, eorum conſuetudine jampridem animadverti. Quos quidem ſi non judicio, ſed deſperatione ad hanc ſententiam, tanquam ad ſcopulum ab æſtu, & tempeſtate, adductos eſſe dicam, quòd duarum linguarum cognitionem, & magnitudinem exhorruerint, quòd maximos orationis illuſtrandæ labores pertimuerint: quis eſt, qui me jure poſſit reprehendere? præſertim vero cum ea ſtudia, quæ à ſe aucta, & ornata magiſter eorum voluit Ariſtoteles, ipſi ſibi vituperanda, atque damnanda ſuſceperint? O corruptos hujus noſtri ſæculi mores, & penitus depravatam veterem diſciplinam; philoſophi quondam etiam nobiliſſimi magiſtros dicendi ſtudioſe audiebant: (ſiquidem Hermogeni Muſonium diligentiſſime operam dediſſe proditum eſt) nunc rhetores à philoſophis vel infantiſſimis irridentur: illi ſibi dedecori eſſe ducebant, niſi ornate, quæ ſentirent, eloquerentur: hi ſibi vitio tribuunt, niſi omnia impure, & depravate eloquantur; illi ſuo exemplo juventutem ad mentem, & linguam excolendam, & quodam modo ſubigendam, quoad poterant, impellebant: hi perpetua linguarum exagitatione à ſumma gloria civitatum ſtudia deterrere conantur; quanquam, ut dixi, gratulor, tam pernicioſa opinione nondum hujus civitatis animos eſſe imbutos; viget enim, &, ut ſpero, in perpetuum vigebit in hac civitate antiquæ diſciplinæ ratio: &, quem in optima quaque hactenus ſemper habuit, eundem in hac republica habebit locum eloquentia. Sed, ne in aperta undique urbe ejuſmodi opinioni aditus eſſe poſſet, volui à quibus vobis cavendum eſſet, ante denuntiare, ac potius nimis vobis cautus in re fortaſſe non admodum neceſſaria judicari, quàm parum veſtræ utilitatis, & laudis ſtudioſus exiſtimari; tantum enim abeſt, ut eos, qui non verbo tenus, ſed re ipſa, & veritate doctrinæ philoſophi ſunt, ulla ratione contemnam, ut ipſe

co-

eorum, qui illos non admirantur, ſed prope venerantur, appetam principatum. Itaque, quod ab his ſtudiis mihi conceditur temporis, id omne libenter in eorum præceptis cognoſcendis conſumere ſoleo; ac tum denique ornate mihi dixiſſe videor, ſi quid aliquando ſapienter me dixiſſe intelligo. Quamobrem, ne in hac arte tractanda omnino à nobiliſſimis philoſophorum inſtitutis, & maxime Ariſtotelicis recederem, ſtatui vobis hoc anno libros Ariſtotelis de arte rhetorica, atque poëtica interpretari; partim ut intelligerent omnes, hæc etiam ſtudia à philoſophis eſſe profecta; partim ut iidem ſcirent, quanquam natura in utroque genere maximum habet momentum, tamen artem ipſam, ab optimo auctore traditam, imbecillam etiam naturam poſſe quàm maxime confirmare. Nolite enim iis aſſentiri, Auditores, qui poëtam ingenii magis viribus excitari, quàm doctrina perfici putent, eumque à Muſis potius, quàm ab hujus artis doctoribus, erudiri; ſunt enim hæc quondam à philoſophis, & à poëtis ad ſtudii hujus dignitatem, & amplitudinem comparata: quæ revera aut nulla unquam fuerunt, aut certe nunc nulla ſunt; ubi enim ſunt iſtæ Muſæ, Auditores, quærite: peragrate Thraciam, ubi Libethra: perluſtrate Phocidem, ubi Parnaſus: circuite Bœotiam, ubi Helico ſacrum eis eſſe domicilium dicebatur: nuſquam eas, mihi credite, reperietis; habitant enim nunc Muſæ, habitant in pulcherrimis, eruditiſſimiſque veterum poëtarum, & antiquorum ejus artis magiſtrorum ſcriptis, atque ibi ſacrarium ſuum auguſtiſſimum collocarunt. Quare, qui ſe ad eorum lectionem ſtudioſe contulerit, quique ſingularem illam dicendi vim, quantum poterit, ſuerit imitatus; hunc demum & Muſis amicum eſſe, & ex earum præſcripto verſus facere, prædicabimus; hunc amabimus; hunc admirabimur; hunc denique in cœlum laudibus efferemus. Quamobrem, ſi res ulla tanta poteſt eſſe, quæ veſtras mentes ad laborem poſſit quaſi quibuſdam facibus inflammare; hæc ſtudia illa ſint, in quibus merito quodam quaſi ardore gloriæ conflagretis. Etenim, ſi athletæ, cæterique, qui viribus freti corporis, ad depugnandum deſcendunt, omni nervorum conatu, diuturnæ prope laudis gratia, in aliquo populari conſeſſu contendunt: quanto vos acrius niti viribus ingenii decet, quibus in maximo prope orbis terrarum theatro poſitis, perpetua, æternaque laus eſt conſtituta? nam ut corpus mortale, atque caducum eſt, animus immortalis, atque æternus: ſic ea, quæ corporis robore pariuntur, fragilia, quæ vero animi viribus, perennia, & ſempiterna putanda ſunt; quæ eò etiam præſtantiora exiſtunt, quod omnia ſunt in veſtra virtute, ac diligentia ſita, cum cetera plerunque fortunæ fallacis arbitrio gubernentur. Urgete igitur hanc tam præſtantem occaſionem, juvenes, atque repudiatis malis ſuaſoribus, in hæc ſtudia incumbite, quibus nulla aut ad uſum uberiora, aut ad delectationem ſuaviora, aut ad laudem illuſtriora reperiuntur. Habetis ætatem oportuniſſimam ad diſcendum, ſcriptores ornatiſſimos ad imitandum, interpretem verò cum ante alias, tum hoc maxime tempore veſtrarum utilitatum ſtudio vehementer incenſum; alios fortaſſe populos contemnere eloquentiam decet: vos, ad tantam gloriam, & amplitudinem imperii, atque reipublicæ natos, ei comparandæ profecto indormire non decet.

Venetiis habita MDLIV.

PRO

PRO ELOQUENTIA

ORATIO QUARTA.

SI quis eſt, qui miretur, Auditores, cur aliarum omnium artium plures hoc tempore, quàm litterarum in ſtudio, elaborent; is tum denique, meo judicio, mirari deſierit, cum veram hujuſce facti cauſſam mente, ac cogitatione comprehenderit. Mihi quidem in hoc acrius intuenti cum multæ aliæ probabiles hujus rei rationes, tum hæc una inprimis poſſe reddi videtur; quòd reliquæ artes, vel propter uſum, vel propter oblectationem, magno nunc apud homines in pretio ſint; litterarum ſtudia, vel rerum obſcuritate, vel diſcendi labore, prope ab omnibus deſerta jamdiu obſoleſcant; quanquam non omnium literarum eadem videtur eſſe conditio; ut enim earum quodque ſtudium maxime vendibile eſt, ita vehementiſſime à nobis hoc tempore celebratur. Age enim, legum, ac juris cognitio ſummas afferre opes juriſpeiito in civitate exiſtimatur: morborum curandorum ratio magna item habere ad tuendam vitam adjumenta creditur: ergo omnino non improbantur; at verò philoſophiam, & eloquentiam, id eſt, bene de omni propoſita re ſentiendi, dicendique rationem, pauci admodum amplectuntur. Sed de philoſophia alio loco: nunc, quod ad nos attinet, de eloquentia diſputemus; quæ quidem in hac civitate eo indignius oppugnatur, quo, aliunde pulſa, ab hac republica humanius excepta, ac jam per multos annos liberalius culta eſt; ut verendum magnopere videatur, ſi, quod alii alia ratione moliuntur, effecerint, ne ex nobiliſſimo hoc libertatis, & gloriæ domicilio, in quo jampridem honeſtiſſime commoratur, exacta, vix regionem ullam inveniat, in qua libera conquieſcat. Quamobrem præſtantiam hominis alii merito hoc loco verbis extollant: de virtute alii, atque de optima republica diſputent: ego verò, cui in hac civitate patrocinium eloquentiæ publice commendatum eſt, eloquentiæ ſtudia, ut ſoleo, publice ex hoc loco defendam; à quo autem defendam? non ab alienorum quorundam ab his ſtudiis hominum impetu, quod priore anno ſuſcepi, ſed ab eorum, qui dicendi in primis gravitatem, & copiam admirantur; quo fit, ut hæc, quàm illa, quemadmodum juſtior, ſic acrior defenſio futura ſit; ſiquidem tum à barbaris, apertiſſimis hoſtibus, nunc à diſertiſſimis inimicis, & hujus potiſſimum gloriæ cupidis, id eſt, à ſuis clam præclara hæc dicendi ratio oppugnatur. Eſt enim non leve genus quoddam hominum, qui eloquentiæ ſtudio tenentur illi quidem, verum eam non eruditorum hominum arte contineri, ſed in quodam ingenii genere verſari ſtatuunt: atque naturam ipſam, qua non repugnante magna ſe atque præclara omnia aſſecuturos eſſe in dicendo confidunt, ita amplexantur, ut locum prope nullum in hac facultate doctrinæ relinquant; unde autem, aut quibus potiſſimum rationibus, ut ita ſentiant, adducuntur? Primum ſupervacaneum laborem ſuſcipi cenſent, ſi, cum ſine ſtudio ad ſummam pervenire eloquentiæ gloriam poſſint, fruſtra doctrinæ adjumenta, at-

A que præſidia quærant; deinde, cum multo fa-
ciliorem eſſe naturæ viam opinentur, artis ob-
ſcuritatem, ac præceptorum varietatem, &
multitudinem reformidant; poſtremo, moven-
tur etiam nonnullorum exemplo; qui quan-
quam nec præcepta ulla didicerunt, nec ea
ſcire curarunt, non minimam tamen in dicen-
do laudem ſunt adepti. Quæ omnia quàm le-
via, atque inania ſint, decrevi vobis, Audi-
tores, hodierno die, quo frequentes, ut ſole-
tis, in hunc locum ad intermiſſa hæc littera-
rum ſtudia revocanda conveniſtis, oſtendere;
nimirum, ut, in hoc genere non ſolum quid
ſequamini, ſed etiam quid declinetis, me po-
B tiſſimum auctore, quod ita voluiſtis, habea-
tis. Ego enim ſic ſtatuo, atque hoc quidem,
maximis etiam ac ſapientiſſimis viris auctori-
bus, confirmo, neminem non modo ſine di-
cendi doctrina, ſed ne omni quidem ſine ſa-
pientia excellere laude ulla eloquentiæ poſſe.
Illud autem ſatis mirari non poſſum: tam ru-
di, atque hebeti quenquam ingenio reperiri,
qui, cum totum hoc genus animo complecta-
tur, artem aliquo modo à natura ſejungat,
atque ſola vel natura, vel ratione duce ſe
proficere quidquam ad nominis celebritatem
poſſe in hoc ſtudii genere putet; neque idem
intelligat, ſe, dum naturam exornat, artem
C ipſam, quæ à natura tota profecta eſt, exor-
nare. Etenim, quid eſt aliud hæc ſive ars,
ſive ſtudium, ſive exercitatio dicendi, quàm
collectio quædam, & coacervatio rerum ea-
rum, quas oratores, naturam intuentes, in
dicendo ſuſcipiunt? aut, qui demum alii exi-
miam hanc vim eloquentiæ pepererunt, quàm
cum ab initio alii temere, alii conſuetudine
dicerent, qui, quid eſſet, quare hi aptius,
quàm illi, dicerent, obſervarunt? ſiquidem
hæc antiquiſſima præceptorum omnium ratio
fuit, non ut ea ſecuti homines eloquentiæ
laudem aſſecuti ſint, ſed ut, quæ ſua ſponte
oratores facerent, ea judicio delegerint, ora-
D tione deſcripſerint, generibus illuſtrarint, par-
tibus diſtribuerint; ita non eloquentia ex ar-
tificio, ſed artificium ex eloquentia fluxit;
atque initium quidem dicendi natura, princi-
pium artis naturæ obſervatio introduxit. Hoc
tam præclaro fundamento jacto, in eodem,
ut dixi, rerum genere artem verſari, atque
naturam; nunc, quæ deinceps innumerabilia
conſequantur, quibus mirabiliter augeri, at-
que ornari ars ipſa poſſit, attendite. Hoc
enim dico, non eundem ſolum artis effectum
eſſe, atque naturæ, ſed multo etiam nobilio-
rem, & præſtantiorem eſſe, quam naturæ;
E quamobrem? quia natura, niſi expoliatur, ac
perficiatur ab arte, per ſe rudis eſt, & imper-
fecta; neque enim ea nos tales genuit, ut, eam
ſolam ſpectantes, curſum vitæ præclare confi-
cere ſine ratione, atque doctrina poſſimus;
parvulos tantum in nobis ſcientiæ excitavit
igniculos, atque exiguas quaſdam rerum no-
titias informavit; itaque ars adhibenda fuit,
ut ad ea, quæ vix inchoata acceperamus, con-
ſequentia exquireret, quoad eſſet id, quod cu-
piebamus, effectum. Etenim (ut ad ſingula
veniamus) quid in paranda domo aut rudius

fingi natura potuit, aut arte ſolertius? illa
uſum tantum, hæc etiam dignitatem quæſivit:
illa tectum ſolum, hæc atria quoque, & ve-
ſtibula fabricavit: illa denique, ut ſolis, &
imbris injurias arceremus, hæc, ut ibi etiam
aliqua cum honeſtate, ac delectatione com-
moraremur, oſtendit. Referte nunc animum
ad militarem, & oratoriam laudem: profecto
reperietis, ut nos, naturam ſecuti, omnem
vim, quacunque ope poſſumus, à corpore, à
capite, à vita noſtra propulſamus, diuturna
autem obſervatione diligentem quandam ra-
tionem armorum, telorum, copiarum, atque
inſidiarum comparavimus; ſic, quanquam ita
facti à natura ſumus, ut & blandiri iis, apud
quos dicimus, & rem geſtam narrare, & no-
ſtra confirmare, contraria refutare, & ad ex-
tremum deprecari, & conqueri ſponte poſſi-
mus, tamen nos hæc multo acutius, ornatius,
ac diligentius, quadam accedente doctrina,
eſſe facturos, Adde, quòd tardius opus ſuum
natura prodit, ſubſidiis autem rationis inſtru-
cta maturius; quid enim? non ne valetudinem
per ſe quiſque, etiam ſine medicamentis, vel
tueri, vel recuperare poteſt? cur autem adhi-
bentur? nempe, ut id fiat celerius. Terra
item, vario leguminum genere fœta, fruges
ſua ſponte fundit: at quanto citius, ſi aliqua
colendi quaſi diſciplina acceſſerit? Quòd ſi in
iis, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, natu-
ram ipſam, per ſe forte lentam, induſtria in-
citamus, atque acuimus: profecto multo fa-
cilius id faciemus in iis, quæ noſtro prorſus
ingenio comparantur. Quid, quòd multa, ar-
te duce, adepti bona ſumus, quibus omnino
nobis à natura fuerat interdictum? Etenim
maris, atque navigationis uſum natura im-
menſo fretorum intervallo nobis intercluſe-
rat, ars aperuit: immanium beſtiarum com-
moda ſuſtulerat, ars reſtituit: aliarum occul-
tarat, ars indicavit: ſiquidem & naves, &
navigandi rationem reperit; & equos boveſ-
que manſuefecit, atque ad uſum hominum
tranſtulit; & oves, quarum villis confectis at-
que confertis veſtimur, quemadmodum ale-
rentur, ut ex iis fructus cultu, atque cura-
tione noſtra perciperemus, edocuit. Ergo, ut
apparet, ars neceſſaria eſt ita, ut ne admira-
bilia quidem naturæ bona nobis ſuppetere
ſine quadam ratione, atque induſtria poſſint;
hoc autem vel maxime hinc intelligi in di-
cendi ſtudio poteſt. Quis enim ſine philoſo-
phia, ſine dialectica, ſine legum, morum,
juris ſcientia hanc laudem ſatis callide tueri,
atque acute poterit? at hæc non ingenio ma-
gis, quàm induſtria, nec natura potius, quàm
doctrina, percepimus. Quid, quòd vitioſam,
& mancam ſæpe naturam ars, neceſſariis re-
bus adjiciendis, redundantibus amputandis,
emendat? ut enim ſegetes fœcundæ, & ube-
res natura, non ſolum fruges, verum etiam
herbas edunt infeſtiſſimas frugibus: ſic fera-
ciſſima ingenia multa parere, atque invenire,
ad dicendum aut levia, aut parum utilia, &
apta, poſſunt, quorum, arte magiſtra, dili-
gens ab oratore delectus habebitur. Neque
vero, ſi quis obtuſo forte, ac pravo erit in-
genio, id ars non aliquo modo acuet, & cor-
riget; ſi arido, atque jejuno, non alet, atque
augebit; indicat nobiliſſimi hujus artis docto-
ris Iſocratis pervagata illa ſententia: qui cùm
Ephorum frænis, Theopompum calcaribus
egere dixit, quid aliud, quàm, in illo præci-
puum concitationem, in hoc lentam tardita-

A tem corrigendam, ac parum rectum eorum
ingenium doctrinæ cujuſdam quaſi regula di-
rigendum, intelligi voluit? Cum ergo ratio
eundem, quem natura, finem intueatur; eun-
demque ſæpe præſtantius etiam, quàm ipſa
natura, attingat; cumque multa bona, qui-
bus nos natura quodam modo ſpoliarat, ipſa
ſuppeditaret, atque omnino naturam adjuvet,
& emendet: profecto, quantum in homines
detrimenti inferant, qui tam multa commoda
deſpiciunt, irrident, reprehendunt, plane
conſtat. Etenim, quid eſt aliud, cur nobis
hoc tempore, id eſt tam ſero, natos eſſe læ-
tandum ſit, niſi, ut multa, ab æqualibus no-
ſtris prudenter, & acute in omni doctrinæ
B genere excogitata, cognoſceremus, quibus
eos, qui ſuperiore memoria vixerunt, indi-
guiſſe non ignoramus? quorum ea vis eſt, is
uſus, ut iis, demum cognitis, vix carere vita
hominum poſſe videatur. An vero ceteris in
rebus egregia veterum hominum inſtituta, &
præcepta retinebimus, in hac una tam varia,
& tam multiplici dicendi facultate repudiabi-
mus? cur ergo Ariſtoteles, cur Cicero, cur
alii ſummi viri tam multa dicendi præcepta
litteris, & memoriæ conſignarunt, ſiquidem
habitus ipſe naturæ per ſe ſatis ad dicendum
valebat? an, ut onus nobis minime neceſſa-
rium imponerent? non opinor: ſed ut excel-
lentes ingenio viros ſublevarent, hebetes acue-
C rent, inertes excitarent; poſtremo, ut omnes
homines, unde veram, & ſolidam gloriam
quærerent, haberent; non enim omnes eodem
præditi ingenio eadem præſtare natura duce
poſſunt, quæ arte magiſtra poſſunt; neque
enim ingenium omnium eſt idem, at ratio
omnibus eſt eadem, quæ doceat, quæ inſtruat,
quæ corrigat, quæ in viam deducat; quam-
obrem habet hoc ars, ut omnibus aditum ad
eximiam laudem patefaciat: ſolis verò naturæ
copiis inſtructi aſpirare ad eandem non omnes
facile poſſunt. Ego porro ita cenſeo, aut hoc
totum orationis illuſtrandæ, & cumulandæ
ſtudium eloquentiæ ab omnibus repudiandum
eſſe, aut prorſus ab omnibus amplexandum;
D cur? ne, ſi qui nulla ad dicendum parati do-
ctrina veniant, ab iis, qui parati ſint, ſi vel
in ſenatu, vel in foro de republica vel de re
clientis inter ſe forte contenderint, inertia
ſua de nobiliſſimæ gradu victoriæ depellantur;
quamobrem? quia nemo fere non in ſe habet
naturalia quædam ingenii ſemina; at artifi-
cium, non niſi qui diuturno ſtudio quæſive-
runt, adepti ſunt. Quo fit, ut, qui artem aſ-
ſumpſerint, naturæ bono ne careant; qui na-
turam afferant, doctrinam, quam contempſe-
rint, afferre nullam poſſint. Sed hoc fortaſſe
leve; quid illud? quàm contemnendum eſt?
neque enim dubium eſſe poteſt, quin, ſi ars
una corruet, reliquæ, eodem concuſſæ motu,
E ſubito concidant; ſunt enim omnes, præſer-
tim quæ liberales appellantur, adeo arcto in-
ter ſe vinculo conſtrictæ, ut, quemadmodum
altera vix ſine alterius adminiculo conſtare,
ita nec tolli ſine alterius interitu poſſit; an
vero extingui oratoria laus poteſt, niſi guber-
nandi, & diſſerendi ratio ſimul obſcuretur,
ac prope obruatur? quarum unius hæc quaſi
propago eſſe, alteri quaſi ex altera parte reſ-
pondere exiſtimatur; aut omnino oratoris
quiſquam ſtudium delere, poëtæ relinquere,
aut has omnes artes removere, reliquas con-
ſtituere poterit? quibus ſublatis, profecto in-
credibiles ingeniorum acies obtundantur ne-
ceſſe

ceſſe eſt. Etenim ubi induſtria, qua artes continentur, atque augentur, obtorpeſcit, ibi nec ingenium, quod ab ea acuitur, valere ſatis poteſt; cujus ſi lumen extinguatur; videte, quem tandem in locum omne hominum genus perventurum putetis; ſiquidem humana vita ferro ſimilis eſt; ut enim ferrum, ſi exerceas, conteritur, ſi non exerceas, tamen rubigine pereditur: ſic homines exercendo conteruntur, ſi non exerceantur, inertia, atque torpedine plus detrimenti accipiunt, quàm exercitatione; ut autem ſocordia naturæ vires infirmat: ſic ſocordiam tollit induſtria, quæ diuturna conſuetudine confirmatur. Eſt etiam illud diligentiſſime providendum, ne quid ab hominibus committatur ejuſmodi, quo humana natura peccare poſſit; nam ſi vel paululum lapſa fuerit, facile, pro ſua infirmitate, præcipiti ruina corruet. Hoc autem aptiſſime conſequemur, ſi noſtro quiſque ingenio non habenas effuderimus, ſed frænum injecerimus, nec ſuis fretum viribus inani efferri inſolentia patiemur, verum honeſtiſſimis induſtriæ carceribus, veterum ſummorum virorum exemplo continebimus. Quos equidem cum multis aliis de rebus ſumme laudandos eſſe cenſeo, tum quòd, cum de ſe forte glorioſius prædicarent, ingenio nihil, induſtriæ plurimum tribuebant; illud extenuabant, hanc augebant; illud diſſimulabant, hanc præ ſe ferebant. Quàm multa naturæ incommoda Demoſthenes ſuperaſſe traditur ſtudio linguæ, vocis, ſpiritus, motus? quàm multa Cicero? quàm multa alii? quæ præcepta collegiſſe dicuntur? num, quia ingenio nullo eſſent? minime vero; eo enim excelluerunt; an quia ſe ſolis naturæ opibus admirabiles in dicendo futuros deſperarent? ne hoc quidem: cum naturæ habitum prope divinum ad dicendum attulerint; cur tandem? quia, tardum ac pingue ingenium quàm valde excitari, atque excoli præceptis, doctrinaque poſſet intellexerunt; & quia tam lautam, ac tam magnificam oratoris ſupellectilem multo tum maturius, tum etiam facilius ſe paraturos eſſe ratione, & via, quàm ingenio, & natura, crediderunt. Etenim quis eſt, vel acerrimo ad dicendum ingenio præditus, qui plane ſine lumine aliquo præceptorum rationem poſſet cauſſæ cognoſcendæ videre, partes ejus, ac ſtatus omnes animo comprehendere, argumentandi vim variam, atque reconditam intelligere? præterea quis, initio captandas eorum, qui audiunt, voluntates, deinde rem exponendam, poſtea controverſiam conſtituendam, tum id, quod intendimus, confirmandum, quæ contra dicuntur, refellenda, extrema autem oratione, quæ pro nobis ſunt, augenda, quæ pro adverſario, abjicienda ſine præceptorum doctrina cognoverit? Quæ omnia etſi pariter ab indoctis, & rudibus temere, & ſine ulla ratione fortaſſe fiunt, aptius tamen certe, & callidius à peritis; argumento ſunt ea, quæ de actione, & memoria tradita ſunt: quæ licet maxime propria naturæ ſint, in his tamen excolendis ars, & moderatio quædam etiam adhibetur; nam lingua, vox, latera, vires, animus denique ad memoriam firmus, quæ nobis à natura donantur, præceptis ita & ſtudio conformantur, ut æque multa de his imbuendis, & fingendis, atque de rebus inveniendis, collocandis, & ornandis, veteres dicendi artifices ſibi præcipienda eſſe ſtatuerint. Quæ cum ita ſint; reliquum eſt, ut, quod ſecundo loco poſitum erat, de difficultate dicamus. Illud enim crebrioribus, quàm vellem, vocibus audio celebrari, difficile eſſe, oratorem, tam multis, ac tam variis, quæ didicerit, præceptis occupatum, facile, atque expeditè, quod ſentiat, explicare, ac tam multas in partes animum, mentemque diſtrahere: præſertim verò, cum oratio conformanda ſit non ſolum electione, ſed etiam conſtructione verborum; cum omnis ratio, unde ad probandum elici aliquid poſſit, aperienda; omnis vis dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut incitandis, aut reflectendis exprimenda; omnia denique hæc, ut res, ut tempus, ut locus poſtulet, diſpenſanda, atque tractanda ſint. Ego verò hoc non difficile ſolum eſſe, ſed ne omnino quidem fieri poſſe puto, ſi quis tum plane oratoriè loqui velit, cum præceptis oratoriis eſt inſtruendus · aut ſi quis tum denique, cum dicir, præcepta artis mente pervolvat. Nam, ſicut in legendo, ſi quis litteras, voceſque ſingulas ſecum perpendat, cum legit, is ne ſyllabam quidem ſcite pronunciare poſſit; ſin autem ante in ſingulis litteris cognoſcendis elaborarit, deinde conjungendis litteris, ſyllabas compararit; primo quidem tardius leget, deinde conſuetudine paulatim expeditam quandam, ac profluentem legendi celeritatem adipiſcetur: ſic in hoc ſtudio, ſi quis eodem tempore, quo præcepta perdiſcit, ſe præclare, ac ſcienter eſſe dicturum exiſtimet, vehementer errat: ſin autem ea, quæ multo ante ſtudio, atque doctrina perceperit, diuturno poſt uſu, atque exercitatione tractarit, eam facultatem profecto conſequetur, ut quacunque de re facile dicere, nulla prope artis habita ratione, ſed non ſine ſummo tamen artificio poſſit; ſi autem grammaticum non miramur, quòd facile recte loquatur, nec genera, & caſus in dicendo intueatur, quòd exercitatione effecit, ut facile non congruenti ſolum, ſed interdum etiam ornata locutione utatur; nec cytharœdum, quod, cum manum movet, ad numeros proportionum, & fidium animum non intendat, quia, ex habitu jam longa tractatione corroborato, omnes digitos ita profert, ut nunquam, cum velit neten pulſare, hypaten pulſet: nunc quid miremur oratores, ubi diu, multumque verſati in dicendi ſtudio fuerint, apte & diſertò non magno negotio poſſe dicere? Cur igitur homines pravam hanc opinionem mentibus imbiberunt? Quia pauci ab ineunte adoleſcentia dicendi copiæ ſtudent; ubi verò jam ætate corroborata fuerint, & ad honores petendos, aut ad cauſas agendas animum applicuerint; tum, cum intelligunt, quantum ad gratiam, quantum ad opes, quantum ad gloriam eloquentia valeat, ad hæc ſtudia vel inviti ſe conferunt; & eodem die geſtum diſcere, atque in ſcenam prodire volunt; ſin autem magiſtrum dicendi forte quempiam audiant; tum ab eo, quæ ne multis quidem annis penitus cognoſci poſſunt, uno ſtatim die haurire omnia cupiunt. Quod ubi minus ex ſententia ceſſit; tum, tota dicendi arte in perpetuum deplorata, ſuo cuique ingenio laborandum, ſuis nitendum viribus eſſe, forum, non ludum, frequentari oportere contendunt. Summo labore eloquentia paritur? merito; ut enim quidque præſtantiſſimum, ita maximis vigiliis comparatur. Non longius abeam, quid eſt virtute, & gloria præſtabilius? atqui, virtutem per labores iter facere, ſummi quon-

dam

dam poëtæ fictis fabulis prodiderunt; iidemque etiam laborem gloriæ parentem appellarunt. Neque vero imperite alii quidam, qui bona hominibus omnia à diis immortalibus nullo alio, niſi laborum noſtrorum, pretio vendi affirmarunt; nos tamen, his contemptis præceptis, difficultatis patrocinio ſegnitiem præteximus; neque enim ſapientiam ipſam per ſe, nec quia res honeſta, atque omnium pulcherrima ſit, ſed ad vilem uſum, & ſordidum quæſtum expetimus; contra veteres omni laude cumulatiſſimi. Demoſthenem enim tanto ſtudio doctrinæ flagraſſe ferunt, ut etiam doleret, ſi quando opificum antelucana forte victus eſſet induſtria; ſcilicet vir ille ſummus ægre ferebat, ſe, qui opus immortale tractaret, ſomnum capere, fabris ipſis ad rem viliſſimam excitatis. Plato etiam, qui vir dii immortales! ſomnum nimium & animis, & corporibus obeſſe, vigiliam ei, qui & vitæ, & ſapientiæ cupidus eſſet, aptiſſimam eſſe cenſebat; atque eundem etiam Platonem accepimus tanta induſtria in diſcendo fuiſſe, ut diſciplinis, quas eruditiſſimæ Athenæ præſtare poterant, non contentus, ad Pythagoram magiſtrum, tum in Italia ingenii, doctrinæ, ſapientiæ gloria florentiſſimum, navigarit, ac Ægyptiorum ſacerdotes adierit, & eorum arcana perdidicerit. Pythagoras autem ipſe non Ægyptiorum ſolum, ſed etiam Perſarum regionem perluſtrarat, & Cretam, ac Lacedæmona, ac ſicubi quid eſſe, quod diſci poſſet, eo penetrarat. Quos viros omnes potius, quàm eos, qui nunc iſta proferunt, cenſeo eſſe audiendos, neque laborem ullum, in tam amplius præſertim præmiis, quæ eloquenti viro in libera civitate propoſita ſunt, recuſandum, verum tanto alacrius optimo cuique adoleſcenti ad tantæ ſpem gloriæ ſuſcipiendum eſſe. Neque vero me paucorum quorundam, quos iſti ſine ſtudio, ac ſine doctrina admirabiles oratores extitiſſe commemorant, exempla movent. Ego enim ſic exiſtimo, Auditores, aut eos ipſos, ſi quid modo in dicendo potuerint, ne artis quidem penitus expertes fuiſſe, verum eam, ut nimis fortaſſe in hac civitate ſuſpectam, callide occultaſſe; (fuit enim hæc quondam magnorum etiam oratorum ratio, ut eo probabiliorem fore orationem putarent ſuam, quo minora artis adjumenta quæſiſſe exiſtimarentur) aut certe, ſi ad divinum eorum ingenium doctrinæ conformatio aliqua, & præceptorum acceſſiſſet, multo ipſos fuiſſe admirabiliores, & præſtantiores futuros. Quanquam ne ſi unus quidem, aut alter eo fuit ingenio, ut ſine aliquo ſtudio, naturæ ipſius habitu prope divino per ſe ipſi eloquentes extiterint; propterea veſtigiis illorum potius inſiſtendum eſſe cenſeo, quàm eorum, qui innumerabiles, ſubſidiis artis fulti, incredibili dicendi gloria excelluerunt. Quamobrem hoc quidem conſilii omnibus, qui eloquentiæ laude ducuntur, adoleſcentibus dederim, quorum incredibilem prope numerum in hac glorioſiſſima civitate eſſe intelligo: ne ſuo nimium ingenio freti, artem, quæ naturam, ut dixi, partim imitando, partim adjuvando, partim corrigendo, partim graviores artes aſſumendo, locupletat, aſpernentur, ac reſpuant, quæ cum in veterum ſummorum oratorum imitatione, tum in præſtantium rhetorum aſſidua lectione verſatur, neque difficultate, quæ huic ſtudio propoſita eſſe dicatur, ulla deterreantur.

Hæc mea hoc toto de genere ſententia eſt, Auditores, quam hodierno die, ut vos ad hanc laudem ſtudioſe perſequendam pro meo officio cohortarer, tanquam perpetuæ meæ erga vos voluntatis indicem, teſtemque expoſui quàm planiſſime, & quam breviſſime potui. Equidem fateor, me exigui hujus laboris mei fructum maximum percepiſſe, quòd me, hæc ſtudia jam per annos quatuor acerrime defendentem, diligenter audiſtis. Etenim primum eloquentiæ vim, atque uſum veriſſimis, atque ornatiſſimis laudibus extuli: deinde eos, qui, ingenii, & rerum deſperatione debilitati, ad laudem veterum pervenire cum in omni, tum in hoc maxime ſtudio ſe poſſe diffiderent, confirmavi, atque ad ſpem ſummæ gloriæ incitavi: tum, qui, rerum ſtudio delectati, barbariem orationis affectarent, elegantiam dicendi vituperarent, fregi, atque abjeci: nunc autem demum inteſtinas etiam noſtrorum inſidias patefeci, atque occultam quaſi quandam contra eloquentiam conjurationem indicavi. Hoc idem, dum licuerit, in perpetuum faciam: neque reprehenſionem ullam verebor, dum in his ſtudiis non tam interpretatione mea illuſtrandis, quàm ab iniquorum obtrectatione defendendis elaborabo; me enim cum veritatis, tum veſtræ etiam gloriæ ſtudium incitat; quos omnes cum aliis veræ laudis inſignibus, tum eloquentia maxime ornatos eſſe valde cupio. Magnum enim ſemper fuit, atque erit omni liberæ civitati eloquentia decus: maximum autem huic reipublicæ, quòd in hac ſola prope apud homines his temporibus veræ, & germanæ veſtigia libertatis appareant. Eſt autem æquum, qui Romanæ in Italia libertatis honeſtiſſimam hereditatem creverunt, eoſdem etiam ejus comitis, & ſociæ eloquentiæ creviſſe, atque utriuſque rei patrocinium pari ſtudio, ac diligentia cuſtodire; libertatis autem, & eloquentiæ ſummus fructus eſt gloria: quam quidem vos aut nullo modo, aut certe perpetuo ſtudio, atque labore veſtro magnam in hac republica conſequemini; quod utinam aliquando, pro ſingulari mea erga vos, atque iſtam civitatem caritate, aut me hanc ſcholam obtinente, aut certe vivente, contingat.

Habita Venetiis MDLV.

DE

DE LATINÆ LINGUÆ USU RETINENDO

ORATIO QUINTA.

Quemadmodum antea, quàm diu à vobis abſui, Auditores, nihil me triſtius, nihil miſerius, extitiſſe confiteor, quòd, quàm incommoda valetudine laborantem, quàm de ſua ſalute ſolicitam optime de me meritam civitatem reliquiſſem, mecum ſæpiſſime cogitabam: ſic hodierno die, cum vos eoſdem, id quod ego perpetuis interea votis, ac precibus à Deo abſens poſtulaveram, ſummo periculo prorſus emerſiſſe video; cum tanta animi voluptate afficior, quanta percipi ab homine poteſt maxima; tum verò Deo ipſi immortales gratias ago, qui hanc Rempub. ad ſalutem, & dignitatem totius Italiæ, vos ad hujus reipublicæ decus atque præſidium, me ipſum veſtris, quibus ſemper conſului, commodis incolumem conſervarit. Etenim hæc omnium hominum conſtans opinio eſt, eas Venetæ civitatis opes, eam Veneti imperii magnitudinem eſſe, ut hujus demum unius urbis ſtatu univerſæ Italiæ incolumitas, atque amplitudo nitatur: neque vero poſſit ullum hæc reſp. detrimentum accipere, quo non eodem omnes penitus civitates Italiæ conflictentur; veſtra autem virtus, vel è præſtanti majorum hauſta nobilitate, vel liberali parentum confirmata inſtitutione, tanta eſt, ut hæc civitas magnam præſidii, dignitatiſque ſuæ ſpem in vobis collocare, ſi diu vita ſuppeditaverit, jure poſſit. Nam de me ipſo hoc poſſum confirmare, me, ut ante ad triſtiſſimum quemque de hac civitate nuncium ingemuerim, atque imminentem ejus ſæpe calamitatem abſens defleverim, ita ut me ipſum demens ſæpe reprehenderem, qui non in quemcunque caſum vobiſcum remanſiſſem, ſic nunc meum conſilium vehementer probare, qui me veſtris omnium commodis, ac publicæ hujus urbis utilitati reſervarim, ac mihi ipſi, quando ceteris tum non poſſem, quacunque ratione proſpexerim. Quamobrem ſi præcipuo Dei munere ſuam aliquando huic civitati ſalubritatem, egregia magiſtratuum diligentia priſtinam urbi faciem, admirabili ſenatus conſtantia omnibus Italiæ populis antiquam ſpem ſalutis, & incolumitatis reſtitutam videmus: & nos etiam, quantum eſt ſitum in nobis, huic urbi vetera dignitatis inſignia, intermiſſa hæc litterarum ſtudia revocantes, prompto animo reddamus. Quod ipſum haud difficile factu opinor, ſi vos & priſtinæ veſtræ virtutis, atque harum, quas nos profitemur, litterarum, & fructus, & dignitatis memineritis. Quibus de rebus cum ſæpe aliàs diſſeruerim, nullum certe hoc tempore verbum facerem, niſi me novorum quorundam hominum ratio, quos jam nimium multos eſſe ſentio, ad hanc orationem adduceret. Sunt enim, qui, vel ingenio ſuo diffiſi, vel laboris magnitudine fortaſſe deterriti, hoc tempore in noſtro hoc litterarum curriculo ita verſantur, ut novam hanc vulgarem, quam vocamus, linguam unam amplectantur, Latinam illam veterem

A penitus aſpernentur; quos ego, quia perniciosa, & falſa duci opinione cenſeo; ac, ſua illi non mediocri auctoritate egregia veſtra ne remorentur ſtudia, valde, ut debeo, pertimeſco; nihil alienum me facturum eſſe arbitratus ſum, ſi hodierno die, quo mihi languentes veſtri ex ſuperiore ſtudiorum intermiſſione animi ſolemni cohortatione ſunt excitandi, quid hac tota de ratione ſentiam, vobis breviter aperirem, atque, illorum refutata ſententia, vos ad linguæ Latinæ uſum non retinendum ſolum, ſed parandum etiam inflammarem. Primum igitur illud ſatis B conſtat, omnibus antiquo naturæ conceſſu datum eſſe hominibus, ut ſenſa animi ſui verbis eloqui, atque oratione exprimere poſſent, ſed factum eſt tamen neſcio quo modo, ut mens omnibus tributa ſit eadem, oratio vero non eadem. Etenim ut non eodem modo nunc Itali loquuntur, atque Galli, nec Hiſpani, atque Germani, nec hi omnes, atque reliqui Europæ populi: ſic nec eaſdem voces quondam Phœnices uſurparunt, atque Ægyptii, Chaldæi, Græci, atque Latini. Neque vero hæc linguarum tanta varietas, ac diſſimilitudo univerſas ſolum inter provincias, ſed partes etiam ipſas provinciarum invaſit: ut quemad- C modum nonnulla hoc tempore eſt in Italicis etiam vocibus differentia, ſic tum eadem eſſet in Græcis; unde tanta eſt vel ad vitæ uſum, vel ad ſcientiæ fructum exorta difficultas, ut, qui in rebus vel agendis, vel intelligendis excellere velit, vix una, aut duabus linguis eſſe contentus poſſit; ſi qui autem aliqua loquendi unquam gloria floruerunt, ii profecto Græci, ac Latini fuerunt; hoc cum annalium veterum monumenta teſtantur, tum ex orationibus etiam, & ſcriptis eorum ornatiſſimis intelligi poteſt. Ac Græci quidem, ut otio, ſtudioque, ſic doctrina, & eloquentia abundarunt. Latinos autem rei familiaris pri- D mum, deinde dicendi, atque intelligendi ſtudium occupavit; ſed tamen, ut ex fonte rivus, ſic ex Græcorum oratione Latina fluxit oratio; non tam apparata illa quidem, ac dives, ſed grandis tamen, & ornata, & ad quidquid velles, ſignificandum aptiſſima; atque hæc quidem ſtante Republica, & vigente Imperio ita floruit, ut non Romæ ſolum, ſed in tota Italia Latine omnes vulgo ita loquerentur, ut eos ſono vocis fortaſſe, verbis quidem certe vix internoſceres; itaque, cum Græcorum exemplo Romani homines oratio- E ni ſuæ locupletandæ, atque excolendæ animum adjeciſſent; incredibile eſt, quàm brevi, quantam illi ubertatem, quantum nitoris attulerint, quàm bonos oratores, nobiles poëtas, egregios rerum geſtarum ſcriptores nobis imitandos reliquerint. Poſtea, Romano jam labente Imperio, atque oppreſſa ſæpius impetu Barbarorum Italia, Latino ſermoni vulgaris hic noſter ſucceſſit: qui corruptus pronunciatione, atque admiſtis fortaſſe aliquot etiam barbarorum vocibus, totus primum, aut ma-

gna ex parte Latinus fuit; deinde, ut ab vetere tot ſeculorum uſu magis, magiſque receſſit, ſic paulatim propriæ venuſtatis, & gratiæ plus adeptus, inops tamen verborum ita crevit, ut, quantum Romani homines à Græcis, tantum nos, ac multo etiam magis à veteribus Latinis divitiis orationis, & verborum non copia ſolum, verum etiam ſplendore vincamur. Tum vero cum noſtri etiam orationis ſuæ apparandæ, ac quaſi faciendæ non mediocri ſtudio flagrare cœpiſſent, huic linguæ ornatum illum omnem, & eam auctoritatem, qua nunc quidem eſt prædita, pepererunt. Nam & ipſi ſcripta aliquot reliquerunt, quæ tum ingenii, tum doctrinæ elegantiam non exiguam præ ſe ferant, & poſſint etiam (ſuum enim cuique libenter tribuo) cum aliquot ex veteribus, vel eruditionis, vel acuminis gloria comparari. Ac neſcio, an unquam alias vehementius hoc ſtudium, quàm hac ætate, cultum, & celebratum ſit; ſed ita multos in eo videas elaborare, non, ut, quemadmodum priores illi, quorum nunc etiam ingenium & induſtriam admiramur, ex Latinæ linguæ copiis ad hanc ditandam aliquid aſſumant, ſed, illa contempta, nullam aliunde, quàm à ſe ipſis, petendam opem exiſtiment. Quorum quam irridendum, explodendamque conſilium ſit, facile unicuique liceat intueri, qui modo, quibus illi rationibus in hanc ſententiam adduci poſſint, cognoverit; quid enim? utilitatene hujus linguæ trahimur, an dignitate? his enim potiſſimum rebus omnes actiones noſtras metimur, atque dirigimus. Quis eſt autem tam ignarus rerum, qui ſe fructus uberiores ex hujus orationis ſtudio, quàm ex illius, percipere poſſe confidat? Etenim quàm multa ſunt Latinis conſignata litteris, quæ non ſunt noſtris? aut quæ noſtris his prodita ſunt, quæ non eadem multo meliora ſint Latinis? poëtas habemus aliquot non inelegantes, annalium ſcriptores fortaſſe tolerabiles; fateor: at oratores, philoſophos, & reliquarum artium magiſtros pene nullos. Ergo qui hujus unius linguæ ſtudio delectabitur, carebit cognitione oratorum, carebit philoſophorum, carebit hiſtoricorum, carebit omnium ferme rerum, quibus humanæ vitæ ratio continetur; nec illa ſolum incommoda ſubibit, in quæ, qui quondam apud Romanos, Græcis neglectis litteris, totos ſe Latinis abdiderunt, inciderunt, ſed eo etiam graviora, atque majora, quo minora ad vivendum, & intelligendum ex his, quàm ex illis, ſuppeditari nobis adjumenta poſſunt. Quanquam quis unquam Romanus tam Græcas deſpexit litteras, quam hi noſtri Latinas? rempublicam illi quidem litteris, rem militarem forenſi, actionem eruditioni, bellum paci præferebant; at, ſi ad regendam civitatem doctrina dirigenda, ſi ad rempub. tractandam præcepta diſciplinæ paranda eſſent, ex Græcorum ea fontibus, è quibus emanaſſent, ſine dubio haurienda eſſe confitebantur. Itaque, poſtquam Romæ ab externis bellis quies eſſe cœpit, nec inteſtinis reſpubl. ſeditionibus laboravit, Græcorum artes coli ab omnibus, & non negligi ſtudia litterarum cœpta ſunt; adeo ut M. ille Cato, ille inquam, qui Græcas ab ineunte ætate litteras perpetuo exagitaverat, atque oderat, eaſdem ſenex laudaverit etiam, ſtudioſeque didicerit; quid fecerint deinde ceteri, cum exempla in medio ſint pene innumerabilia, dictu ſupervacaneum

A puto; diſcebant enim tum vulgo homines Græcas litteras ita fere, ut nos nunc Latinas, quòd, quantum cum ad dicendum, tum ad agendum valerent, non ignorarent; quid nunc noſtri? tantum vel ingenio, vel fortunæ tribuunt ſuæ, ut antiquiores omnes artes, tanquam peregrinas, & nihil ad ſe pertinentes, contemnant; contemnant? immo verò pro nihilo habendas putent; quaſi verò, ſi otium ad hæc alenda ſtudia poſtulandum ſit, non tanta pax huic civitati adſit, quanta à diis immortalibus optari poſſit, tanta quies, quanta ne fortaſſe quidem unquam in libera, opibuſque firma civitate extiterit. Sed videte quæſo, quid inter nos, & ſapientiſſimos illos,
B veteres Græcos interſit, ac quantum hujus ſeculi mores à priſca illa induſtria, & probitate defecerint. Illi, cum in ea terra orti eſſent, quæ bonas omnes artes procreaſſet, aluiſſet, ornaſſet; tamen, ut occultiora quædam ſcientiæ ſibi ignota myſteria diſcerent, alienas etiam linguas, & nihil ad ſe attinentes, ſibi cognoſcendas putarunt: nos Latinam linguam, hujus noſtræ non parentem ſolum, ſed nutricem etiam, dii immortales, atque magiſtram, ingrati averſamur, & fugimus; illi vias omnes ſcientiæ, quas potuerunt, indagarunt, atque inventas nobis accurate demonſtrarunt: nos, omni ad cognitionem aditu obſtructo, quæcunque poſſumus deſidiæ, atque inertiæ patrocinia comparamus. Sed
C contemnamus Græcos, irrideamus Romanos: illorum auctoritatem cum libertate evanuiſſe, horum gravitatem cum imperio obſoleviſſe dicamus: quid? patrum, majorumque veſtrorum inſtitutum, eorum, qui hæc ex minimis tanti fecerunt, num cui tandem pro nihilo habendum videtur? illi verò cum univerſis prope terrarum gentibus nobiliſſimam bonarum omnium artium, & linguarum quaſi officinam in ſuo imperio aperuiſſent, nullos certe hujus recentioris linguæ Doctores accerſiverunt, cum aliarum omnium magiſtros non minimis etiam præmiis quamplurimos advocarent; cur ita? quia graviſſimos viros, atque
D omnium ſine dubio prudentiſſimos non fugiebat, fruſtra in ea re, quæ nullum ad vitam inſtituendam momentum haberet, operam collocari. Vulgaria autem hæc, quæ nos tanti facimus, monumenta ejuſmodi eſſe illi judicabant, ut aut ad depravandas potius, quàm conformandas juvenum mentes valerent, aut certe, ſi quid oportunitatis afferrent, facile ab omnibus percipi, vel mediocri ſtudio, poſſent. Hic eſt igitur fructus unus uberrimus, poſſe, quæ plurima Latinis litteris præcepta diſciplinæ traduntur, cognoſcere, ad vitam, ad rempub., ad familiam, ad Dei & naturæ cognitionem, ad omnem denique humanitatem pertinentia, quæ vulgaribus his no-
E ſtris vel nulla continentur, vel certe cum Latinis nullo pacto conferenda. Sequitur alter ille, qui non in intelligendo, ſed in ſcribendo poſitus eſt; nam qui ſuam ad Latine ſcribendum induſtriam conferunt, ii ea lingua ſenſus expromunt ſuos, quæ, cum & bonorum verborum abundantia præſtet, & pluribus nationibus nota ſit, majora etiam hominum generi afferre adjumenta poteſt. Nam noſtra quidem lingua, ſi vere judicandum eſt, multis in locis hæret, & nimia quadam ſæpe paupertate verborum laborat; contra Latinæ hæſitantiam fere nullam, immo luxurioſam, & redundantem ſupellectilem, ſi cum

hac

hac conferatur, animadvertas. Atque hæc etiam Italiæ tantum exiguis ſane finibus terminatur, illa in omnibus prope gentibus intelligitur; quod quanti faciendum ſit, declarant apud Romanos, qui quondam res Romanas Græcis litteris, ut pluribus eſſent cognitæ hominibus, tradiderunt; egregie; eſt enim inſita naturalis quædam in hominibus gloriæ cupiditas, ac ſitis, ne in ſapiente quidem, ut ego arbitror, reprehendenda; cujus gratia quàm multos, dii immortales, & quàm graves labores in omni difficillimarum artium genere ſuſtinemus? ut nomen noſtrum, quod per ſe obſcurum eſſet, honeſta multorum prædicatione illuſtretur, quæque laudes noſtræ, quantæque fuerint, pateat quamplurimis. Neque vero nos ſolum, qui ſcribendi ſtudio detinemur, noſtra ad omnes pervenire ingenii monumenta cupimus, ſed etiam ii, quorum à nobis facta memoriæ litterarum produntur, quæ ipſi ſapienter, fortiter, clementerque fecerunt, longinquas ad regiones, &, ſi fieri poſſit, in ultimas terras tranſportari, & ab omnibus cognoſci volunt; quod idem in levioribus etiam ſtudiis accidit, ut nemo vehementius illi arti ſtudere velit, quæ patriis contenta finibus incolas tantum utilitate afficiat, ſed quæ cum artificis laude ad alienos translata, omnibus eſſe gentibus admirationi, adjumentoque poſſit. Ergo illi, quorum virtus, quia conſecrata litteris à nobis eſt, in æternum permanebit, omnium gentium prædicationem, laudemque deſiderant: nos, qui eorum facta ſcriptis in perpetuum propagamus, hac exigua Italorum hominum voce contenti, nobilia Gallorum, Hiſpanorum, Germanorumque, quibus linguæ noſtræ ratio obſcura eſt, præconia reſpuemus? manuum hi, & corporis fragilia opera omnibus nationibus patere cupiunt: nos præclara hæc animi, atque ingenii monumenta noſtris tantum hominibus nota eſſe patiemur? videte, ne, ut illis magnum honeſtatis incitamentum eſt, hoc ſperare, ſic nobis, idem non optare, flagitium ſit. Neque enim audiendæ ſunt quorundam hominum voces, qui ſe Romanorum perſequi veſtigia dicunt, qui Græcis litteris ideo ſtuduerunt, ut inde præcepta ſcientiæ elicerent, Latinis vero, ut, quæ à Græcis accepiſſent, memoriæ, ac poſteritati mandarent; cur autem non audiendæ? quia non horum temporum eadem, quæ illorum, ratio eſt. Romani enim cum longe, lateque dominarentur, ea ſpe duci ad ſcribendum Latine poterant, fore aliquando, ut, propter imperii amplitudinem, ac reipub. majeſtatem, ab omnibus iis, quos in fide plurimos haberent, ſcripta ſua cognoſcerentur, atque ut antea extra Italiam arma, ſic etiam orationem efferrent, eamque trans alpes, atque trans maria in omnes omnium ſociorum provincias, id eſt ad ſola terrarum ultima deferrent. Italis autem hoc tempore, tantum abeſt, ut ſpes ulla ejuſmodi ſit oblata, ut illud potius extimeſcendum ſit, ne, cum magna pars Italiæ ab exteris gentibus teneatur, & quotidie novi alienigenarum in hanc regionem impetus timeantur, noſtra hæc demum loquendi formula vel funditus deleatur, vel certe, peregrinis acceptis vocibus, aliqua ex parte corrumpatur; id quod quàm facile poſſit evenire, niſi hæc reſp. in qua una hoc tempore expreſſa antiquæ majeſtatis imago cernitur, ipſam una cum Italiæ libertate pro ſua conſuetudine

A tueatur, nemo non intelligit; peperit enim eloquentiam libertas, aluit, cuſtodivit: quam eandem ſervitus extinxit, conſumpſit, ac diſſipavit. Teſtes ſunt Græciæ civitates, teſtis eſt ipſa Roma, in quibus dicendi ſtudium, quod cum libertate floruerat, cum ſervitute exaruit. Quid ergo? dicet aliquis: an hæc lingua relinquenda, quæ noſtra eſt, quam non ex libris accepimus, ſed à natura arripuimus, non à magiſtro didicimus, ſed à nutrice hauſimus, non in ſcholis percepimus, ſed in cunis cum lacte ebibimus: illa ſola retinenda, quæ aliena eſt, quæ ſexcentis è chartis, & commentariis, & præceptionibus petenda eſt? Non ego id ſtatuo, neque vero id pugno, ut

B hanc linguam radicitus ex communi uſu evellam; præſertim vero qui & ipſe non nihil in hoc genere aliquando ſtudii poſuerim, atque aliis multis, ut idem facerent, auctor fuerim: verum illud contendo, ne Latinam linguam, quàm tot ſecula foverunt, nos de ſinu ejiciamus, hanc vero unam vulgarem, tanquam filiolam, in deliciis habentes ornandam, & colendam perpetuo quodam ſtudio judicemus; detur utrique, quod utrique debetur. Placet ſermonem noſtrum ab inopia vindicari? recte placet; non enim ego voluntatem reprehendo, ſed judicium in voluntate deſidero. Confugiat hæc lingua recentior ad illam veterem, quaſi parentem ſuam. Vult locupletari? inde

C opes accipiat; ſapere? inde prudentiam hauriat; exornari? inde pigmenta colligat, & artem diſcat illuſtrandi; denique, ſi fructum quærit, præſtantiores ab ea fructus, quàm à ſe ipſa, expectet. Neque enim hoc tempore adeo Latinæ linguæ ſtudium intermiſſum eſt, ut penitus interciderit; immo retinetur, & celebratur adhuc à multis: quique in ſcribendo aliqua cum ingenii laude verſantur, non ſolum non vulgo deſpiciuntur, ſed præmiis quoque non mediocribus invitantur. Neque vero, dum hic rerum ſtatus extiterit, dum hic mos, atque hæc conſuetudo permanſerit, deſperandum eſt, quin ampliora ſemper illis, quàm his, ſint præmia conſtituta; ut ingenio-

D ſo, & ſolerti adoleſcenti aut utraque ſtudiorum via ſit ineunda; quod & fieri poteſt, & me non improbante fiet: aut, ſi alterutra, eam ingredi certe præſtantius ſit, quæ ſibi, & ceteris plus dignitatis allatura videatur. Nam quòd rei difficultatem prætendunt quidam, primum miror, difficile videri quidquam poſſe, quod cum alii hac ætate, tum in hac potiſſimum civitate multi fecerunt, ut in utroque ſcribendi genere ita excellerent, ut in altero cum veteribus jam facile compararentur, in altero etiam contendere viderentur; deinde, ſi difficile eſt, quod concedi tamen poteſt; non ad hominum ingenia retardanda, ſed ad eadem incitanda valere debet

E iſta difficultas: cum illud ſatis conſtet, ut quidque non facillimum eſt, ſic idem, quia rariſſimum ſit, maxima æſtimatione digniſſimum eſſe, atque omnino eximiam laudem paucis ſemper in omni ſtudii genere patuiſſe; qui autem in utraque ſcribendi ratione elaborarit, haud parem, meo judicio propoſitam habet apud homines nominis, & gloriæ commendationem. Nam qui Latine ſcripſerit, ſi ad laudem antiquorum, non dico, pervenerit, ſed uſque eò acceſſerit, ut longiſſime non diſtet, is, quia cum paucis id fecerit, ſatis magnum ex labore ſuo fructum ad memoriam immortalitatis adeptus erit; qui au-

tem

tem in patrio ſermone ſe exercuerit, idem, quia nemo eſt, qui, quæ velit, patria oratione non exprimat, ac, ſi mediocre ſtudium afferat, facile non recte ſolum, ſed etiam ornate dicendi facultatem conſequi poſſit; quæ propria, maximeque ſolida laus eſſet, eam cum multis aliis communicatam extenuabit, ac tanquam in fruſta concidet. Neque enim, ſi dignitatis demum utriuſque linguæ ſit contentio facienda, quenquam tam aut alienæ gloriæ invidum, aut ſtudioſum ſuæ futurum arbitror, qui non illam huic longe amplitudine, & gravitate anteponat, præſertim cum idem intelligat, illam per multa ſecula imperaſſe, fere jam per plurima paruiſſe; illam leges, ac jura bellicoſiſſimo, ac potentiſſimo populo Romano, atque omnibus fere terrarum gentibus dediſſe, hanc nihil dum niſi quotidiana quædam colloquendi, & contrahendi vocabula inveniſſe: ut hæc quidem deſpicienda minime ſit, quia noſtræ, quæcunque eſt, conditionis eſt ſocia, illa vero, quia tanti parens imperii fuerit, etiam veneranda videatur. Tenete igitur antiquam Latinæ linguæ poſſeſſionem nobiliſſimi adoleſcentes, atque in hoc ſtudium toto pectore, ut inſtituiſtis, incumbite: ne ad exteros, ut jam imperii, ſic linguæ Romanorum gloria transferatur. Neque enim ulla alia vel priſtinæ libertatis, vel antiqui decoris, vel veteris dignitatis Italiæ extant veſtigia, quàm honeſtiſſimum ejus linguæ, qua quondam univerſo terrarum orbi jura præſcripta ſunt, patrimonium; quod ipſum non diligenter cuſtodire, inertiæ culpa, cuſtoditum diſſipare, profligatæ cujuſdam ſocordiæ vitium eſſet. Hoc cum omnibus Italiæ populis merito faciendum eſt, tum maximè huic civitati, cujus unius opes Italia dubiis in rebus intuetur, & patere ſibi quaſi portum in adverſa tempeſtate tutiſſimum exiſtimat. Res autem in eum adducta locum eſt, ut, qui Latinæ linguæ ſtudium retinuerit, is univerſum nomen Latinum, quod jam nimis anguſto ſpatio contractum eſt, atque antiquam ejus imperii gloriam conſervaſſe, propterea que ſummis litterarum præconiis exornandus eſſe videatur. Hoc tempore præclara urbs Roma, atque aurea quondam illa Roſtra, qui fuit ornatiſſimus olim oſtentandæ eloquentiæ locus, ſe huic civitati commendant, ac tradunt; veſtrum eſt efficere, ut, quemadmodum urbs ipſa, grauiſſimis ſæpe bellis oppreſſa, ſalutis opem à majoribus veſtris imploravit, ſic eadem linguæ ſuæ, quæ amiſit, ornamenta, veſtra diligentia, curaque recuperet; quam quidem ad rem etſi meæ quàm tenues, quàm infirmæ ſint opes, intelligo: tamen pro perpetua mea, & conſtanti erga vos fide, ac benevolentia, quidquid in hoc munere præſtare poſſum, libenter id polliceor totum, ac defero. Me vobis & mea voluntas, & vero etiam beneficia veſtra ita obſtrinxerunt, ut, qui velit, eodem me in hoc ſtudii genere vel duce, vel ſocio facile uti pro arbitrio poſſit.

Habita Venetiis, MDLVI.

DE LAUDIBUS HISTORIÆ
ORATIO SEXTA.

CUm aliæ res, Auditores, majorum veſtrorum ſingularem ſapientiam declarant, tum hoc inprimis, quod hæc vobis præclara literarum ſtudia quotannis intermittenda cenſuerunt, nimirum intelligebant prudentiſſimi viri, vel corporis, vel animi vires ut perpetua contentione debilitari, ac frangi, ſic, conceſſa quiete, refici vehementer, & confirmari. Quod cum ita eſſe & multorum exemplo ſæpe cognoverim, & in me ipſo aliquando ſenſerim: gauderem equidem veſtra cauſſa, quorum ſtudiis mirifice faveo, atque etiam, quoad poſſum, conſulo, ſi modo, quantum ad ingenia veſtra, tantundem acceſſiſſe ad voluntatem exiſtimarem; ſed quoniam, ut ſæpe voluntas ab ingenio, ſic ingenium à voluntate deſtituitur, conjuncta verò aditum ad æternam gloriam patefaciunt: propterea quod à me vel à perſona, quam ſuſcepi, vel ætas veſtra poſtulare videtur, id faciam, ut cum horum artium, quas colitis, aliqua laude graviſſimam cohortationem ad vos excitandos, & ad hæc honeſtiſſima ſubſellia celebranda conjungam. Quanquam me perverſa imperitorum quorundam hominum conſuetudo valde perturbat, quos ad optima quæque nullo diſcrimine vituperanda paratos, ubi nos de vobis ad literas, id eſt ad ſummum decus, incitandis verba eſſe facturos exaudiunt, animadvertere facile poſſis, univerſam hanc noſtram induſtriam continuo faſtidire, atque omnia potius, quàm id, quo de agimus, approbare. Quibus quidem quoniam à me ſatisfieri omnibus nec poſſe video, neque neceſſe admodum eſſe intelligo; quò me inſtituti, atque officii mei ratio trahit, eò me dabo, ſcilicet, ut in hoc munere gerendo non ad aliorum opinionem, neque ad meam ambitionem, ſed ad veſtram utilitatem omnia referam; neque ab iis literis, quas me hoc loco, atque in hoc ornatiſſimo juventutis conſeſſu profiteri Senatus voluit, vel tuendis, vel ornandis ulla ratione diſcedam, id quod cum faciam, jure quodam meo me facere arbitrabor. Etenim, ſi cuique artifici, excitandæ opinionis cauſſa, præclara quædam licet de ſuo artificio profiteri: quanto id nobis concedi juſtius eſt, à quibus etiam ars ipſa expectationis commovendæ, & quaſi audientiæ faciendæ petenda eſt? Quamobrem cum hoc ſtudium in tres potiſſimum partes, veterum omnium conſenſione, diſtributum ſit, quorum una oratorum, altera poetarum, tertia hiſtoricorum explicationem continet; cumque duæ ſuperiores à me hoc quinquennio tractatæ ſatis, ac perpurgatæ videantur: tertiam hoc anno, quam nondum attigi, ad eas adjungendam, ejuſque ſtudii præſtantiam, ut veſtras aliqua cupiditate mentes incenderem, oſtendendam putavi. Magnum profecto illud eſt, quod profiteor, Auditores, ac neſcio an dicam maximum, tantæ artis, quanta eſt veterum temporum, antiquitatiſque cognitio, magnitudinem verbis conſequi, atque oratione complecti, quæ ne animo quidem ſatis, ac mente comprehendi univerſa videtur poſſe.

A Hæc enim cum ſuis per ſe inſtrumentis, ac ſua ſupellectili inſtructiſſima atque ampliſſima eſt, tum vero reliquis diſciplinis omnibus tanta adjumenta, atque ornamenta ſuppeditat, ut, qui hujus notitiæ ſit expers, is plane nihil ſcire, nihil ex iis, quæ aut ad vitæ uſum, aut ad humanitatis cultum attinent, intelligere videatur. Itaque Ægyptius ille ſacerdos apud Platonem Græcos carpit, eoſque, quod nulla vetuſtatis cognitione, nulla antiquorum temporum notitia, nulla denique quaſi ſenili & cana ſcientia eorum animi eſſent imbuti, ſemper pueros appellat, recte, & ſapienter. Ut enim pueros videmus, ob judicii, ac mentis imbecillitatem, hominem ab B homine, rem à re diſtinguere non poſſe: ſic ille eos, qui nullam geſtarum rerum, nullam præteritorum ſæculorum animo comprehenſam notionem tenerent, jure viros negabat eſſe, quos præſtare pueris intelligentia deceret. Quod ſi commodi putantur in civitate grammatici, quod eorum aſſidua cura antiquarum nobis linguarum ratio patefiat: ſi fructuoſi poetæ, quod liberali quadam cum animi voluptate pulcherrimis ipſorum verſibus præcepta communis vitæ utiliſſima noſtris quaſi auribus inſtillentur: ſi oratores in ore ſunt omnium, quod eorum ingenio multæ reipublicæ partes conſtituantur: ſi publici conſilii auctores ſuſpiciuntur, quod eorum C incredibili ſapientia univerſa reſpublica fulciatur: ſi denique philoſophi divinis prope laudibus efferuntur, quod ſanctiſſimis illorum præceptis vita noſtra ad omnem felicitatem tum privatim, tum publice conformetur: quantum antiquitatis notitiæ tribuendum putemus, à qua grammatici, poetæ, oratores, ſenatores, ipſi denique philoſophi pariter adjuvantur? Non vereor, Auditores, ne cupidius, quàm verius, dixiſſe vobis videar, cum ex vetuſtate cognoſcenda tantos nobis ſuppetere fructus expoſui, ſed, ſi recte, ac diligenter omnia, quæ in hac re ſunt attendenda, conſiderabitis, non dubito, quin ſententiæ meæ veſtra facile voluntas acquieſcat. Etenim D ſi omnem noſtram ſcientiam, tum demum vere ſcientiam eſſe dicimus, cum cauſſas in univerſum, cur aliquid ita ſit, videmur poſſe reddere; univerſa autem omnia non niſi ſingulis rebus ante perceptis, ac diuturno ſtudio collectis continentur: quis ſcientiam hanc, ſine veterum notatione temporum, ac ſine priſcorum obſervatione hominum, aut ſibi, aut aliis videbitur eſſe adeptus? Niſi vero artem unam unius hominis vel ætate, vel quamlibet accurata induſtria perfici, explerique poſſe exiſtimamus: cum ea rerum omnium natura ſit, ut à parvis ortæ principiis, paulatim perpetuis hominum ſtudiis, & ingeniis auctæ, ad ſuam quaſi maturitatem denique E perveniant. Quamobrem quis non merito artem illam omnibus artibus anteponet, cujus adjumento excitatæ reliquæ floruerunt? Age enim, quid grammatica profitetur? nimirum ut verborum vim, ſignificationem, uſumque doceat; ut, quid à tranſlato proprium differat, oſtendat. Atqui, cum maximam partem

earum vocum antiqua morum, atque inſtitutorum conſuetudine contineri conſtet, utpote, cum ſingulæ fere aut in ſenatu, aut in comitiis, aut in foro, aut in caſtris natæ ſint: qui poterit grammaticus rectum earum uſum conſequi, niſi hiſtoricus fontem ipſum, unde illæ fluxerint, indicaverit, atque inſtituti originem, ac moris initium patefecerit? Habet enim unaquæque ratio propria vocabula, ut auguralis, ut imperatoria, ut forenſis, ut ſenatoria, quæ neque præter eos ipſos, qui illas tractabant, quiſquam olim tenebat, &, ſi quis noſſe vellet, ad eoſdem adire cogebatur. Quin etiam, ut quotidie in civitate jura, leges, magiſtratuſque novos conſtitui cernimus: ſic nomina etiam multa novari, quibus rerum illarum vis exprimatur, exiſtimare debemus, ad quæ imponenda ut non verborum explanatores, ſed ipſi civitatis principes adhibentur: ſic earum explicatio non à vocum, ſed à rerum geſtarum interpretibus requirenda. Cujus rei maximum illud habemus argumentum, quòd, quàm diu priſcarum linguarum ratio à grammaticis duntaxat petebatur, tam diu à nobis ignorata, ubi veterum annalium lumen acceſſit, tum illuſtrari cœpta, tum nobis omnia patuerunt. Quid dicam de arte ipſa poetarum? nonne tota fictis fabulis veritatem hiſtoriæ tamen imitatur? Nam primum quidem pars ea, quam qui tractant epici nominantur, nihil aliud eſſe, quàm quidam hiſtoriæ contextus videtur; proponit enim pariter & hiſtoricus, & poeta, pariter narrat, mores, ac perturbationes hominum exprimit, prœlia, cladeſque ante oculos ponit; adeo ut multi fallaci quadam ratione decepti, ſummorum imperatorum bellica facta verſibus heroicis perſecuti, poetarum ſe nomine dignos exiſtimarint. Mitto argumenta, quæ ab illuſtri actione aliqua, id eſt ab hiſtoria ſumpta eſſe, negari vix, aut ne vix quidem poteſt. Quid? egreſſiones ſuas iidem illi explere, aut ornare qui poſſent, niſi ex ipſa vetuſtate vel eas actiones derivaſſent, vel earùm certe ſimillimas confinxiſſent? Quanquam quid dico egreſſiones? fabulam ipſam ſuam tragici poetæ unde, niſi ex variis excellentium virorum caſibus, quos hiſtoriæ narrant, conſtituere didicerunt? Habet enim hoc propoſitum, hoc in primis poeta ſpectat, ut delectatione animos hominum afficiat; ad delectandum autem quæ valent maxime? nimirum temporum mutationes, fortunæ viciſſitudines, inconſtantes rerum eventus. Quòd ſi, quæ finguntur, inſperatum in comœdia gaudium, nec opinata in tragœdia triſtitia vehementer animos hominum retinent: qua voluptate perfundimur, cum ancipites veræ contentionis exitus legendo cognoſcimus, &, quos ſæpe ſpoliantes, atque exultantes vidimus, eoſdem repente omnibus uno prœlio fortunis everſos intuemur? Jam, oratoria laus quàm non facile ſine rerum, antiquitatiſque cognitione conſiſtat, declarant priſci illi artifices dicendi, ac doctores eximii, qui bonum oratorem eſſe negant poſſe, qui non ejus modo civitatis, in qua verſetur, ſed univerſæ antiquitatis inſtituta cognoverit. Cujus præcepti ratio difficilis ad explicandum valde non eſt. Nam cum oratorum ſit, ut id, quod fieri cupiunt, ex eo, quod aliquando factum eſt, confirment, exempla colligere, credo, quòd imperitæ multitudini, cujus illi potiſſimum auribus, & judicio ſerviunt, nihil exemplis, quæ facillime intelligantur, poſſit

A eſſe jucundius: hoc certe non aſſequentur, niſi ſuperiora tempora, unde ubertas illa vel ad oblectandum, vel ad probandum hauritur, perfecte calluerint. An vero, qui alterum in judicio publico defendere voluerit, attingere cauſſam illam poterit, niſi antiquiora judicia, vel ſimilia, ut utatur, vel contraria, ut aliquid declinet, egregie noverit; niſi graviora etiam, ſi ita res poſtulaverit, eventa propoſuerit; niſi privatam cauſſam cum publica, proprium periculum cum communi conjunxerit? aut ad laudandum accedet quiſquam, qui populi ejus, quem ornandum ſuſceperit, res domi, foriſque geſtas, unde ſumma laudationis elicietur, ignorabit? aut qui non B multo ante exterarum gentium maxime illuſtres actiones, unde ſæpe, quæ in laude plurimum dominatur, comparatio ſumitur, mente, atque animo perluſtraverit? Niſi forte Athenienſium civitatem ſe ornare aliquis poſſe exiſtimat, qui res cum Dario, & Xerſe acerrime geſtas, qui Marathonem, & Salamina, clariſſima inſignis eorum victoriæ monumenta, qui Miltiadem & Themiſtoclem, fortiſſimos, ac ſapientiſſimos illorum imperatores, contemſerit. Quòd ſi quiſquam hoc, nulla tinctus antiquitate, fortaſſe præſtabit: at conſilium certe de futuris rebus, quæ ex præteritarum ſimilitudine gubernantur, dare nullum poterit; immo vero & ſuam, & alienam C rempublicam notam habeat; bella, paces, fœdera, leges, mores, jura teneat atque omnes rerum ſuperiorum eventus, unde futurarum imaginem colligat, neceſſe eſt. Verum hos tandem in civitate grammaticos contemnamus: irrideamus poetas: pro nihilo habeamus oratores, ut cum eorum artibus etiam ſtudium omne antiquitatis inane prorſus eſſe concludamus: num ita injuſti, ita dementes erimus, ut moralem ipſam, civilemque ſcientiam minimæ frugis, exiguæ laudis eſſe contendamus? Atqui nihil eſt aliud hiſtoria, niſi virtutum, vitiorumque, quod argumentum moralis ſcientia complectitur, diligens, & perſpicua demonſtratio. An vero fortitudo gravius laudari, D temperantia celebrari, juſtitia extolli, atque his contraria deprimi vehementius à philoſopho, quàm ab hiſtorico, poſſunt? aut quiſquam, cum ad fortitudinem, moderationem, juſtitiam hortabitur, Socratica potius ratione, quàm clariſſimis Deciorum, Fabii, & Camilli documentis utetur? non exiſtimo. Etenim philoſophi, quid agere homines debeant, hiſtorici quid præclarè egerint, docent; itaque, niſi nobilia philoſophorum præcepta egregia hiſtoricorum oratio comprobaret, inanes illæ chartæ, ridiculæ ſententiæ, commenticia, futiliſque doctrina videretur. Intelligunt enim homines, aliud eſſe, agere de virtute, aliud, agere cum virtute: illud prope cujuſvis ho- E minis eſſe, hoc nonniſi natura, & habitu prope divino ad virtutis exercitationem exculti. Fidem illi, & religionem ſanctiſſime ſervandam, proque iis dolores, & cruciatus omnes corporis perpetiendos eſſe præcipiunt: quotuſque noſtrum eſt, qui, hac præſertim imbecillitate naturæ, illis aſſentiretur, niſi, quemdam fuiſſe quondam hominem incredibili animi robore præditum, accepiſſet, qui ſe ab hoſtibus per exquiſita ſupplicia excruciatum necari, quàm datam fidem frangere, maluiſſet? Abſtinentiam illi in extrema etiam paupertate colendam eſſe magnopere prædicant, & hanc, credo, orationem nos his moribus pro-

probaremus, niſi homines olim extitiſſe in ſummis etiam rei familiaris anguſtiis conſtitutos audiiſſemus, qui non magnifica ſolum clientium ſuorum munera, quæ dabantur, ſed regnorum etiam partem conſtanti animo reſpuiſſent. Non perſequar hoc loco ſingula, quæ in hoc genere colligi poſſunt innumerabilia: hoc tantum dicam, magnas à nobis gratias rerum geſtarum ſcriptoribus eſſe habendas, qui ſuo ſtudio effecerunt, ut, rebus præteritis cognoſcendis, facilius, quid nobis in vita expetendum, quid declinandum eſſet, expediremus. Prudentes multos fuiſſe homines legimus, & admirabili prope quadam in agendis rebus ſapientia præditos, quam non natura, ſed uſu rerum multarum non ſine magnis vitæ periculis ſibi, ut de Ulyſſe traditum eſt, compararunt; at nobis hiſtorici hoc afferunt commodi, ut adverſis aliorum caſibus edocti, ac omnibus, quibus illi perculſi ſunt, tuti fortunæ telis, cautius, ac ſapientius actiones noſtras dirigamus. Matura ſeniorum conſilia juvenes admirantur: cur? nempe, quia eos longa ætas, ac diuturna vita cautiores, & prudentiores efficit; at eo pluris æſtimanda hiſtoria eſt, quo plura in omni genere exempla diuturnitas temporis, quàm exigua unius hominis ætas colligit. Præclara philoſophorum decreta ſtupenti prope animo imperita multitudo perſequitur: quamobrem? quòd illorum præcepta ad exercendam virtutem noſtros animos erudiunt; quanto hoc excellentius hiſtorici præſtant, quorum in libris non animi ſolum, ſed corporis etiam expreſſas actiones intuemur? Quòd ſi hiſtoriarum lectio virum bonum informare poteſt, ergo non eadem poterit præclarum etiam civem, ac ſenatorem inſtruere? Etenim quis eſt, qui ſuam egregie capeſſere rem poſſit, cum genus ipſius reipublicæ, cum cauſſas ſalutis, atque interitus ejus ignoret? aut quis eſt, qui optime civitati ſuæ poſſit conſulere, ſi neque majorum leges, neque mores, aut inſtituta percalleat? quis denique utilem, ac ſalutarem de pace, aut bello ſententiam dixerit, niſi ſuæ civitatis opes, niſi vectigalia, niſi pedeſtrem, navalemque apparatum, niſi bellicas ſociorum, atque hoſtium facultates ante cognoverit? Quid porro aliud continent ſcripti à philoſophis de republica libri, niſi, multa eſſe rerum publicarum genera, eaque inter ſe facile commiſceri; cauſſas eſſe quaſdam, quibus illæ conſerventur, hæ pervertantur; conſilia vero alia ad libertatis, alia ad tyrannidis diuturnitatem accommodata? Quæ ſi ita ſunt, ea certe non ex arcana magis iſta philoſophorum ſcientia, quàm ex aperta diverſarum obſervatione rerum publicarum, unde fere illa etiam admirabilia philoſophorum præcepta ſumpta ſunt, eruere poterit, qui vetera annalium monumenta animo perluſtraverit. Age vero, ſenator, niſi cognitis majorum ſuorum rebus, niſi notatis ſuperiorum bellorum eventibus, conſilium patriæ fructuoſum afferre nullum poteſt: num imperator, antiquitatis ignarus, rempublicam recte adminiſtrare in militia poteſt? multo minus. An vero melius inſtrui poſſe libris, qui militarem ſcientiam titulo polliceantur, quàm hiſtoriis, belli gerendi ducem exiſtimamus? ne hoc quidem. Quid eſt enim, quod ad faciendas inſidias, aut evitandas pertineat, quid, quod ad explorandа hoſtium conſilia, quod ad ducendum exercitum, ad ordinandam aciem, ad compeſcendam ſeditionem, ad diſſolvendum metum, ad omnem denique rei bellicæ rationem, cujus non plurima, eaque nobiliſſima veteres annalium ſcriptores nobis exempla reliquerint? Quæritis terreſtres oppugnationes, aut navales? quæritis pedeſtres acies, aut equeſtres? imperatorum fortitudinem, aut militum? incredibilem exercitus in rebus adverſis conſtantiam, in proſperis moderationem? harum illi rerum omnium partim ad cavendum, partim ad imitandum inſignia documenta ſuppeditant. Quamobrem, qui philoſophiæ præſtantiam admirantur, ſapienter illi mehercule faciunt; eſt enim ratio, & ſcientia una, quæ viam felicitatis oſtendit, quæ cauſſas rerum aperit, quæ virtutis pulchritudinem, vitii deformitatem patefacit. Quid autem aliud agit hiſtoria? profecto nihil, niſi, quòd illa univerſa perſequitur, hæc ſingularia, quam viam ipſi etiam philoſophi multo intelligentiæ noſtræ planiorem, aptioremque eſſe conſentiunt; ut à ſingulis potius ad univerſa aſcendamus, quàm, quod illi factitarunt, ab univerſis ad ſingula delabamur. Eſt ergo, ut propoſui, antiquitatis cognitio utiliſſima, quippe quæ philoſophos aliquando inſtruat, minores omnes artes adornet, juvenes prudentia cum ſenioribus æquet, ſeniores eorum, quos experti ſunt, caſuum comprobatione confirmet, ſenatorem ad rempublicam imperatorem ad rem bellicam complectendam impellat, &, quod caput eſt, omnes homines ad virtutem colendam incredibili quodam gloriæ ſtudio, atque eximio immortalitatis amore accendat; ſiquidem hiſtoria ut turpiter factorum index eſt, ſic earum rerum, quæ cum virtute actæ ſint, teſtis eadem ſempiterna. Itaque quam multos fuiſſe putatis, qui, illuſtri hoc litterarum, atque ingeniorum præconio concitati, civitates conſtituerint, leges ſcripſerint, novas artes excogitarint, morti denique fortiſſimo animo ſe ſe objecerint? Niſi forte ea, quæ de inferis ab antiquis poetis fabuloſe tradita ſunt, multum ad juſtitiam & pietatem putatis valuiſſe: hiſtoriam ipſam, veritatis lucem, ac prope totius philoſophiæ parentem, ad virtutem amplectendam, famamque nominis noſtri propagandam momentum nullum allaturam exiſtimatis: cum Herculem, ceteroſque quorum virtus, & labor hominum generi beneficia peperit eximia, nihil aliud, quàm æterna annalium monumenta ab interitu vindicaſſe perſpicuum ſit. Etenim cetera omnia vel vi extingui, vel vetuſtate conſumi poſſunt: hiſtoria una per univerſum terrarum orbem diſſipata, perpetuam ſui cuſtodem æternitatem eſt conſecuta. Quamobrem, ſi fragilem ſtatuam, fabrili manu factam, quæ corporis effigiem repræſentet, ſibi quiſque poni cupit: quanto magis actiones inſignes excellentis ſcriptoris ingenio commendari debemus optare, quæ vix ulla poſterorum hominum oblivio obſcurare, ulla venientium ſæculorum delere diuturnitas poſſit? Hoc igitur tantum, ac tam præclarum ſtudium hoc anno cum dicendi ſtudio conjungemus; rati ſcilicet, multo vehementius nos, ſi hiſtoriam, quàm ſi poema aliquod explicaremus, reipublicæ profuturos. At quam hiſtoriam, & quarum gentium? dicet aliquis; quam, niſi Romanam, ac Romanorum? Etenim, ſi utilitatem quærimus, hæc reſpublica ut ceteris armorum gloria, atque imperii amplitudine, quibus univerſum fere terrarum orbem com-

plexa

A plexa eſt, devicit, ſic iiſdem omni genere exemplorum, quæ quiſque ſecutus, egregie cùm ſibi, tum reipublicæ conſulat, antecelluit. Cujus ſi prima præcipue tempora ſpectes, eam prope non ab hominibus, ſed ab heroibus quibuſdam eſſe adminiſtratam exiſtimes; tantum juſtitiæ, ac moderationis amorem, tantum paupertatis, ac parſimoniæ cultum, tantum luxuriæ, & avaritiæ odium, tantum divitiarum, atque opulentiæ contemptum poſſis animadvertere. Itaque, ſi exempla virtutis quærimus, undenam uberiora capi poſſunt aut fortitudinis ad mortem pro
B republica oppetendam, aut prudentiæ ad perniciem præcavendam, aut induſtriæ ad propulſandam? ſi lectionis dignitatem, quod imperium, aut quam libertatem, aut quam aliam populi, vel regis amplitudinem cum populi Romani imperio, libertate, majeſtateve conferemus? profer Aſſyriorum, profer Perſarum, profer Græcorum imperium; ficta illa nimirum, & commenticia quædam, ingenio eorum, qui illa memoriæ commendarunt, quàm re ipſa ornatiora videbuntur. Sin autem quandam in legendo voluptatem ſequimur: quid eſſe jucundius poteſt, quàm,
C tantam rem, à tam parvis initiis profectam, intelligere, tot reipublicæ converſiones, tot bella, tot clades, toties afflictam domi, foriſque rempublicam unam terrarum omnium dominam, toties recreatam, cogitatione, atque animo comprehendere? Quod ſi non hic tantus fructus, aut dignitas, aut delectatio petitur; &, ſi ex hujus hiſtoriæ ſtudio ſolam pietatis laudem expetimus; quam aliam huic lectionem debemus anteferre? hic enim populus nos quondam ex barbaris Italicos, ex hoſtibus ſocios, ex peregrinis cives ſuos fecit: hic nobis habitum, hic linguam, hic vo-
D cis ſonum impertivit: hic leges, mores, jura ſua conceſſit: hic libertatis, atque imperii partem dedit: hic induſtriam, hic fortitudinem: hic ceteras, quibus ipſe quaſi quibuſdam gloriæ gradibus in cœlum aſcendit, virtutes communicavit. Excitanda eſt igitur vetuſta quaſi parentis noſtri memoria, ac gratis animis antiqua illius tempora recolenda;

A à quibus quo longius abſumus, eo vehementius ab illa vetere Italicæ virtutis indole abhorremus; excitanda eſt, inquam tum omnibus Italis, tum huic potiſſimum civitati, cui imperium, cui libertatem, cui pacis cuſtodiam, cui præſidium Italiæ, id eſt ampliſſimum laudis, ac gloriæ ſuæ patrimonium, moriens uni reliquiſſe populus Romanus videtur. Itaque, ſi eadem Italia trepidis in rebus à patribus veſtris, adoleſcentes, tanquam à legitimis tutoribus opem implorat, ſi horum potentiam, ac quaſi numen intuetur, ac ſpectat, ſeque unis ipſorum auſpiciis dignita-
B tem ſuam vel retenturam, vel recuperaturam eſſe confidit: æquum eſt, ut, dum illi majoribus diſtinentur curis, vos, vetera tempora, atque antiqua illius ornamenta animo repetentes, ad ſimiles actiones veſtram induſtriam, veſtra maxime ſtudia conferatis. Etenim nolite exiſtimare mœſtiſſimis vel priſcæ Italiæ, vel antiquæ urbis Romanæ Manibus minus gratum futurum, antiquam ſuam gloriam orationis veſtræ magnificentia celebrari, quam eandem patrum veſtrorum ſapientia, conſilioque renovari; ſatis earum nomen in tenebris, atque in hominum ignoratione latuit: nunc in
C lucem, atque in omnium conſpectum eſt proferendum; per quos autem? an per Barbaros à quibus oppreſſum eſt? an per alienos, quos hæc cura minime tangit? à quibus igitur? à ſuis, ſuis, inquam, vel cognatis, ſi Trojanam originem ſpectes; vel nepotibus, ſi Romanam; defenſoribus quidem certe perpetuis, & acerrimis, ſi Venetæ reipublicæ propriam in protegenda Italica libertate caritatem, & fidem animadvertas. Quamobrem vos mecum ſimul in hoc præclaro communis induſtriæ curriculo ita Romanam hiſtoriam, ac priſca illa tempora retractabitis; itaque leges, & jura
D populi bello, paceque præſtantiſſimi, me auctore, celebrabitis; ut quam antea curam de dicendi facultate ſatis gravem ſuſcepiſtis, eam vobis nequaquam eſſe deponendam exiſtimetis; id enim & hujus reipublicæ dignitas, ad quam referre decet omnes curas, & veſtra quoque gloria, ac utilitas poſtulat.

Habita Venetiis.

DE-

DE LAUDIBUS STUDIORUM HUMANITATIS

ORATIO SEPTIMA.

QUod precatus ſum à Deo Opt. Max. A Auditores, illo tempore, quo me primum ad hæc litterarum honeſtiſſima ſtudia contuli, ut, ſi nullam unquam neque corporis, neque animi contentionem devitaſſem, unde aliquid ad communem hominum fructum afferre poſſem, hæc eadem mihi aliquando in nobiliſſimo aliquo auditorum conſeſſu auctoritate publica profiteri liceret; id ipſum jampridem, ſingulari Dei beneficio, ampliſſimo ſenatus Veneti munere, incredibili denique veſtro, ac prope divino ſtudio ſum cumulatiſſime conſecutus; annum B enim jam octavum ingredior, quo mihi publico eſt decreto permiſſum, non ſolum ut in Veneta civitate, id eſt in ipſo prope imperii, ac gloriæ Italicæ domicilio doceam, quod ipſum per ſe magnificum, atque amplum exiſtimatur; ſed ita etiam eſt permiſſum, ut multo plus amplitudinis, atque ornamentorum egregia hujus delatio muneris ſecum attulerit, quàm res ipſa utilitatis, & commodorum; cum in me uno, multis poſthabitis, eligendo veſtram quaſi prærogativam facile Senatus ſuffragia conſecuta ſint, atque illius ſtudia præclara quodam modo cum veſtra ſingulari C voluntate contenderint. Ex quo deinde mirificum hunc cepi voluptatis fructum, quòd inauditam iſtam veſtrorum animorum in me depoſcendo alacritatem admirabili mei per annos ſeptem audiendi conſtantia comprobaſtis, quam eandem ſi vos in poſterum adhibebitis, nullo pacto vereri debeo, quin facile graviſſimo eorum hominum judicio ſatisfaciam, qui me aut antea teſtimonio aut poſtea ſuffragio ſuo honeſtiſſimo decorarunt; id quod vos ſine dubio facturos, & frequens hic hodiernus in hunc locum veſter concurſus, & ea, quam vultibus præfertis, humanitas, & D hæc inuſitata ad audiendum attentio facile pollicentur. Quæ cum ſperarem, atque omnino ejuſmodi multo ante mea cogitatione finxiſſem; eo animo ad hoc munus hodierno die reverti, quo me in hanc civitatem jam inde ab initio contuli, ut in eo gerendo vel minimas veſtras rationes meis etiam graviſſimis perpetuo anteferrem, atque omnem meam curam, ac diligentiam ad veſtram potiſſimum voluntatem, & utilitatem accommodarem. Neque vero optatius quidquam mihi contingere poterit, quàm aut veſtro univerſo ordini, cui ab ineunte ætate mearum omnium genus vi- E giliarum dedicavi, ſi qua in parte potuero, induſtriam meam probaſſe, aut iis, qui ſingularibus ſuis in me ſtudiis in hanc me ſedem ſuis quaſi manibus impoſuerunt, gratiam aliquam retuliſſe. Quanquam me, ſi vere dicam, de tota hujus muneris, atque officii mei ratione diligentius cogitantem, multa incidunt, quæ in medio prope curſu impediunt, atque perturbant. Verſatur autem ante oculos, ac prope in mente infixa hæret, litterarum, quas ego profitendas ſuſcepi, magnitudo, ac varietas, & clariſſimæ hujus civitatis amplitudo, atque celebritas: quibus in maxima ingenii mei imbecillitate reſpondere pro dignitate poſſe, ſperare imprudentis, optare vix hominis ejus eſſe exiſtimo, qui gravia ſapientum hominum judicia pertimeſcat. Nam, ut ſtudiorum dignitatem audacius fortaſſe, quàm ſapientius, quotidianis laboribus, atque aſſiduis vigiliis meis tueri poſſe mihi perſuadeam; qui tamen tantæ civitatis gravitatem ſuſtinebo, aut veſtræ demum, Auditores, expectationi, veſtriſque de me judiciis reſpondebo, quos ex univerſa civitate, atque ex cuncta nobilitate adoleſcentes lectiſſimos, atque excellentiſſimis ingeniis præditos in hunc locum litterarum cauſſa convenire intelligo? Etenim quanquam ceteris, qui, hunc locum adeundo, & veſtram concionem frequentando, gloriam aucupantur, magnæ, ac difficiles omnibus ad decus, & ad gloriam ſalebræ opponuntur: tamen ſic exiſtimare debetis, nullis aliis, quàm nobis, aut ad laudem anguſtiorem, aut ad famam impeditiorem viam eſſe propoſitam. Hujus autem difficultatis multæ cauſſæ, ſed una illa mihi præ ceteris, diutius in hanc quæſtionem intuenti afferri videtur poſſe, harum ut dixi, magnitudo, atque varietas litterarum: Nolite enim exiſtimare, quod quidam liberius jampridem in vulgus jactare ſoliti ſunt, inane quiddam hoc ſtudium eſſe, ac nugatorium, verborum plenum, ſapientia vacuum, puerilibus rudimentis, non virili ſcientiæ accommodatum; ſed tanta gravitate, ac magnificentia præditum, tanta rerum, atque artium pulcherrimarum cognitione inſtructum, ut, qui hoc negligat, is non diſciplinam aliquam deſpicere, verum univerſum humanitatis genus contemnere videatur; id quod ego eò libentius vos, pro officii mei ratione, ac mea perpetua erga vos caritate, admoneo, quòd hæc ſtudia non ab imperita ſolum multitudine improbari, ſed jam ab eruditis hominibus etiam multis oppugnari animadverto. Movet autem, ac prope ſtupidum vulgus detinet, non elegantia diſciplinæ, nec ipſius ſcientiæ ſplendor, ſed privati commodi ratio, & plauſus quidam illis ab hominibus imperitus, quos in aliarum potius artium ſtudio occupatos attendit; itaque duo potiſſimum artium genera vulgares, & imperiti homines hoc tempore admirantur, duo colunt, ac ſtudio perſequuntur, litigandi prudentiam, ac medendi: quòd in his non tam cognitionis dignitatem, quam uſum rerum quotidianum, nec tam ſcientiæ nobilitatem, quàm artis neceſſitatem, nec tam decoris, atque honeſtatis, quàm opum, & divitiarum adjumenta multa poſita eſſe perſpiciant: philoſophiam vero, optimam omnium diſciplinarum parentem, niſi quatenus ad eas artes dux eſſe certior creditur, omnino ne attingendam quidem exiſtimant. At eruditorum longe alia ratio eſt. Hi enim cum ſanctiſſimum, ac præſtantiſſimum unum ſapientiæ ſtudium probent; hoc unum amplexantur, ac fovent: quorum ingenium, atque induſtria paululum ab eo declinarit, atque à

recte ſentiendi prudentia ad bene dicendi rationem ſe converterit, eos, ut leviſſimæ cujuſdam diſciplinæ magiſtros, nullo pacto audire poſſunt; in quo quàm vehementer errent, quis eſt adeo rudis, qui non perſpiciat? metiuntur enim noſtra tempora ex antiquis: cum tamen, eorum quàm converſa ratio ſit, facile intelligi poſſit. Antea unum erat omnium ſapientiæ ſtudium, ex cujus quaſi latiſſimo ſinu reliquæ artes quodam modo effundi, atque omnibus diſtribui putabantur: ut, quanquam alii alias philoſophiæ partes ſtudioſius colerent, unum tamen eſſet omnium commune conſilium, ut ſapientiæ operam darent. Neque enim, cum alii ſe naturæ rebus inveſtigandis traderent; alii mores, & vitam hominum inſtituerent; alii regendarum civitatum prudentiam demonſtrarent; non eodem tamen omnes ſua inſtituta, atque conſilia referebant; artes vero philoſophiæ miniſtras, ut differendi, & dicendi facultatem, iidem ita non contemnebant, ut cum, earum adjumento remoto, ne philoſophiam quidem ipſam commode tractari, aut cognoſci poſſe attenderent, qui de philoſophia præciperent, iidem etiam dialecticam, & rhetoricam præceptis, ac inſtitutis ornarent; quo fiebat, ut nec alii tum eſſent intelligendi artifices, quàm dicendi, nec alia rerum ſcientia, quàm verborum; recte; tantam enim cordis, & linguæ ſocietatem, ac cognationem eſſe arbitrabantur, nihil eſſe in lingua poſſe, quod non ante inſediſſet in corde, nec omnino orationem ullam eſſe, niſi res eſſent, nec res apparere, niſi oratione indicarentur, exiſtimarent. Nunc autem eam artium diſſenſionem hi mores hominum intulerunt, ut alii ſe in rerum, atque artium pulcherrimarum cognitione verſari, alii in verborum ſingulorum vi concipienda, quaſi deteriore quodam in opere, detineri velint. Neque illud intelligunt, quod maxime fuit intelligendum, tum, cum unus erat fere omnium ſermo, nihil fuiſſe, cur magnopere aut lumen interpretum quærerent, aut magiſtrorum explanationem deſiderarent; ſed unum tantum omnes propoſitum habuiſſe, ut ſubtilius rerum cauſſas exquirerent, quæque inveniſſent, ea litteris, & poſteritati mandarent; de ſplendore vero, ac copia orationis, cum omnes, quam quiſque à natura adeptus eſſet, dicendi facultatem afferrent, minimum laboraſſe: hoc autem tempore, cum vetus eorum linguæ conſuetudo interciderit, præclara ingenii monumenta ſervata ſint, unde omnis nobis ſapientiæ, unde humanitatis, unde eloquentiæ ratio haurienda ſit, neceſſario alios eſſe conſtitutos, qui obſcurum antiquorum verborum uſum oſtendant, alios, qui intima ſapientiæ penetralia patefaciant. In qua partitione facienda homines non naturam rerum, ſed temporis neceſſitatem ſecuti, nec rem libidine, ſed ratione metiti ſunt. Etenim quæ natura ſua disjungi vix poterant, neceſſitate, & conſilio ſepararunt, non ita tamen, ut aut philoſophorum decreta verbis non cognitis, aut oratorum verba rebus non ante animo comprehenſis, intelligi poſſe ſtatuerint. Quin etiam res illa ad mentes hominum falſa opinione imbuendas acceſſit, quòd, quantum eorum arti ſit commiſſum, quibus veterum linguarum explicatio commendata ſit, non intellexerunt; illi enim ſimplex quoddam, & rude munus eorum putarunt, in verborum ſcilicet priſcorum ſignificatione, & uſu docendo tan-

A tummodo occupatum: cum, ſi verum quærimus, non id ſolum, quod antea grammaticorum, ſed illud quoque, quod fuerat philoſophorum, ut poëtas, ut oratores, ut hiſtoricos informarent, ut eorum artificium admirabile aperirent, ut ornate, & copioſe dicendi rationem demonſtrarent, linguarum interpretibus traditum eſſe poſſimus animadvertere. Quibus in rebus, cum, quantum momenti ad ingenii, & induſtriæ laudem poſitum ſit, plerique hominum aut videre nolint, aut certe non poſſint; factum eſt, ut ſe in philoſophiæ, quàm aut in poëtarum, aut oratorum, aut hiſtoricorum ſtudio vigilare videri malint, quaſi vero illud præſtantioris cujuſdam naturæ, aut acrioris ingenii opus ſit, hoc illius hominis, B cujus animus altius ad gloriam multis naturæ difficultatibus impeditus evolare non poſſit. In quo quanto errore ducantur, ſatis apparere poteſt iis, qui vel poëtarum, vel oratorum, vel hiſtoricorum ortus, atque ornamenta conſideraverint. Etenim quis eſt adeo rerum ignarus, quis adeo à litteris alienus, qui fando aliquando non audierit, multo etiam ante, quàm homines in terris diſperſi mœnibus ſe, ac vallo ſepirent, atque ex agris, locisque ſilveſtribus ſe in unum locum incolendi cauſſa referrent, hominum genus quoddam in terris extitiſſe, qui voce blanda, & fidibus canoris C homines ad vitam inter ſe conſociandam, & certo quodam jure, certiſque legibus devinciendam incitaverint, eoſdemque ad virtutem, ad decus, & honeſtatem amplectendam impulerint? aut quis eſt, qui neſciat, deſcriptis jam civitatibus, poſitis legibus, judiciis conſtitutis, cum ſæpe de juſto, & æquo controverſia incideret, ac lex cum æquitate, jus cum juſtitia ſæpe contenderet, genus alterum hominum eſſe exortum, qui juris civilis non ignari, faciendæ orationis, ac tractandorum animorum non imperiti, quos illi oratores, quia maxime oratione, quod volebant, aſſequebantur, nominabant, hominum ſecum diſſentientium animos, quocunque vellent, adducerent? poſtremo vero, cum & inter cives D diſcordiæ, & inter finitimos populos bella ſæpe pro jure ſuo retinendo excitarentur; & antiquarum rerum memoria plurimum poſteris vel utilitatis ad prudentiam, vel voluntatis ad cognitionem afferret: quis eſt, quem fugiat, tertium genus hominum eluxiſſe, qui civitatum origines, ac inſtituta, qui inteſtinos motus, ac bellorum incendia, qui conſilia, cauſſas, atque eventus omnium civilium actionum ſibi ad poſteritatis memoriam litteris conſignanda, atque ab oblivione hominum vindicanda putaverint? Quod ſi ita eſt; qui fieri tandem poteſt, ut aut poëtam, aut oratorem, aut hiſtoricum philoſopho ætate eſſe inferiorem dicamus? præſertim vero cum, ſi, quod E illi voluerunt, oratione obtinuerunt, non omnino inſipientes, ſi conſilio, non indiſertos prorſus fuiſſe veriſimile ſit. Ergo, cum ab iiſdem prope incunabulis poëtæ, oratoreſque profecti ſint, quibus philoſophi ſunt educti: quid eſt, quam ob rem de eorum dignitate, atque amplitudine dubitemus? niſi forte hos vanitatis, illos prudentiæ, hos temeritatis, illos ſapientiæ auctores, & magiſtros eſſe cenſeamus. An vero, cum graviſſima ſua decreta philoſophos crebris nobilium poëtarum teſtimoniis confirmare, poëtas graviſſimam quanque quæſtionem ſive de iis rebus, quæ à natura proficiſcun-

ciſcuntur, ſive de iis, quæ ab hominibus aguntur, attingere videamus; de eorum ſapientia ambigemus? aut, cum oratores adeo ſe in adminiſtranda civitate jactare ſentiamus, ut earum etiam ſe gubernatores eſſe profiteantur, aut cum eos jura, leges, inſtituta civitatum tenere, animorum motus, quòd in iis plurimum vis eloquentiæ dominetur, pro arbitratu tractare intelligamus; num quid gravius, quàm quæ de dicendi ratione traduntur, dixerint in dubium adducemus? Nam hiſtorias quis tandem negare poterit ſimulacra quædam ejus eſſe philoſophiæ, quæ in actione conſiſtit? ut, ſive virtutum ad imitandum, ſive vitiorum ad declinandum exempla cupiamus, ſive morem majorum ad cognoſcendum, ſive res geſtas ad providendum quæramus; non à philoſopho aliquo facilius, quàm ab egregio ſcriptore hiſtoriarum aliquo petere nobis liceat. Ergo, quoniam, aut quid, aut quantum huic arti commiſſum ſit, plerique hominum ignorant, facile adducuntur, ut graviſſimum, ac nobiliſſimum diſciplinæ genus, atque ſcientiæ negligant. Auxit deinde horum etiam ſtudiorum apud imperitam multitudinem contemptum naturalis, atque inſita quædam artium inter ſe æmulatio, ac ſolicita de principatu, & dignitate contentio; cum, qui in una re pares, aut ſuperiores ſunt, in omnibus ſe aut pari, aut meliori conditione eſſe, atque alii quidem ſe artis utilitate, alii dignitate, alii voluptate præire oportere contendant: præterea alii omnia dicendi ornamenta, quaſi inania eorum, qui audiant, oblectamenta, contemnant, alii ne ſanctiſſima quidem philoſophiæ præcepta impuro, ac ſordido expreſſa ſermone audire poſſint; &, ſi quid in altero criminis, ac vitii ſit, id, ut ſit, in majus augeant, ſi quid recti, ac virtutis, id, quoquo modo poſſint, obſcurent; itaque græcæ, ac latinæ eloquentiæ ſtudium, quod primum à philoſophis excitatum, poſt ab eorum ſcholis, atque umbraculis in aciem, atque in ſolem proceſſerat, & concionem, ſenatum, ac forum diu maxima cum dignitate luſtraverat, & omnem denique liberæ civitatis majeſtatem jampridem ſuſtinuerat, pulſum roſtris, ejectum curia, excluſum concione, à ſubſelliis amandatum, à philoſophis demum contemptum, ineptis interea, & rudibus quibuſdam litteratoribus commendatum, aliquandiu prope omnibus ludibrio, ac deſpectui fuit. Nunc videte, quantum hi mores ab antiqua illa diſciplina deſciverint, atque una cum reliqua communis vitæ conſuetudine prope ire præcipites cœperint. Philoſophi quondam, graviſſimæ cujuſque doctrinæ magiſtri, tantum his artibus tribuerunt, ut eas non præceptis ſolum, & commentariis locupletarint, ſed ipſi etiam cœtum habere juvenum, quibus eas communicarent, philoſophiæ gloria non contenti, voluerint: nos hæc leviſſima ſtudia ducimus, & ab his, ſi diis placet, quaſi à turpitudine quadam refugimus. Illi incredibilem poëtarum ſapientiam adeo admirati ſunt, ut ejus auctorem non hominem aliquem, ſed Deum ipſum eſſe judicarint: nos ea ita contemnimus, ut ne erudito quidem, aut certe gravi homine dignam exiſtimemus. Illi oratores non niſi philoſophorum in ſcholis perfici, & eorum præceptis inſtrui ſtatuerunt: nos oratorem à philoſopho, vel antiquis philoſophis repugnantibus, ſeparamus, Illi denique has artes tanti fecerunt, ut eas omnis liberalis educationis, omnis ingenuæ diſciplinæ, poſtremo omnis humanitatis, unde etiam nomen invenerunt, fontem eſſe uberrimum duxerint: nos tenuiſſimas grammaticæ tantum rationis quiſquilias, & verborum inanem ſtrepitum quendam continere jactamus. Sed cur ego ſic ago? aut in re omnibus notiſſima contendo? non ut vos id doceam, Auditores, quod ipſi vel ingenii bonitate, vel recta educatione, vel judicii gravitate mihi de harum artium dignitate profecto aſſentimini; ſed ut jure me perturbatiore animo ad anniverſariam hanc ſtudiorum conſuetudinem repetendam hodierno die accedere oſtendam, qui, nullis prope ingenii, vel doctrinæ præſidiis fultus, veſtræ potius utilitati, quam meæ laudi deditus, maximæ, ac prope infinitæ artis vobis tradendæ onus ſuſcipiam. Nam profecto, ſi cogitare diligenter, ſi vere exiſtimare volueritis, invenietis, qui aliis in artibus elaborant, ſi in uno genere mediocriter excellant, omnium prope laudibus cumulari; nos autem niſi univerſum prope liberalium doctrinarum orbem expleverimus, vix poſſe tolerari. Age enim: medicum quærimus nobilem: ſatis eſſe, ſi editos de illa arte commentarios cognoverit, arbitramur: jureconſultum poſcimus egregium: quid aliud in eo, quàm univerſam juris civilis notitiam, & aſſiduam juris interpretum lectionem, deſideramus? philoſophi vero hoc tempore ſe jure hoc nomen uſurpare exiſtimant, ſi unius Ariſtotelis ſcripta pervolutarint, ac ſolemnes, & tritas quaſdam diſtinctionum, ac quæſtionum formulas, eaſque non admodum infinitas mente, ac memoria comprehenderint; id quod quanquam difficile eſt, tamen, quia in unum ſtudium ſe mens eorum, & induſtria tota intendit, labore, ac ſtudio comparari videtur aliquando poſſe. Contra vero, ex noſtris eſt aliquis, qui græcæ, aut latinæ linguæ rationem tenet: illuditur; dicendi rationem cum poëticæ facultate conjunxit: ridetur; antiquitatem habet ſcientia, & memoria comprehenſam: parum eſt; dialecticæ notitiam addidit: ne hoc quidem ſatis; omnes philoſophiæ partes deguſtavit: aliquid etiam poſtulatur; ſe ipſum enim ita ad veterum imitationem ſcribendo, & loquendo effinxerit, eſt neceſſe, ut ipſe, ſi opus ſit, contendere cum eorum laude pulcherrima poſſit. Jam, quæ tanta ingenii facultas, quæ tam ſingularis induſtria, quod tam acre ſtudium, quæ tam accurata eſſe diligentia poteſt, quæ non præſtare, ſed polliceri, non ſperare, ſed optare, non dico hæc omnia, ſed minimam horum particulam, non dico poſſit, ſed etiam audeat? Hanc ergo vel ingenii, vel doctrinæ varietatem, atque præſtantiam ſi quis à me requirit, fateor à me longe abeſſe; ſi in me eſſe debere contendit, dii immortales, quid me miſerius, aut laborioſius, aut afflictius fingi poteſt? qui oneri, quod humeri ſuſtinere mei non poſſint, imprudens ſubierim, neque jam per tot ante annos mearum virium imbecillitatem expertus ſim. Quòd ſi neque harum artium ea eſſet varietas, neque horum ſtudiorum ea difficultas; & ego vel ingenio eſſem acutiore, vel certe ſtudio acriore; angerer tamen mirum in modum, ac cruciarer, cum de hujus amplitudine civitatis mecum animo cogitarem, ac, quantum, quàm reſonans hujus conſeſſus theatrum quotidie mihi frequentandum eſſet, conſiderarem. Ecquem enim, quæſo, ſanum hominem

minem non perterreat, quem prudentem prope non obſtupefaciat, cum illum hæc cogitatio ſubeat? Venetiis hodie eloquentiæ præcepta traditurus ſum, in quibus unis hoc tempore priſcæ extant veſtigia eloquentiæ. Venetis audientibus, de antiquarum ſuum artium præſtantia locuturus, quorum ea doctrina eſt, ut ab iis ad exteras etiam gentes permanarit. Venetis judicantibus, ſum de imperiorum, & rerumpub. genere, ſi ita res tulerit, verba facturus; quorum ea in conſtituenda, & gubernanda civitate ſapientia eſt, ut merito ipſis ſolis hodierno die in terris juſti imperii, & non fucatæ libertatis gloria debeatur. Vere dicam, Auditores: ne nunc quidem, cum, in unum argumentum tota mente defixus, loquor, ſatis conſtitutum mecum habeo, majore ne cum animi voluptate, an moleſtia loquar; voluptatem enim mihi certe affert frequens hic veſter conſpectus incredibilem, quòd in eo ſpem omnem ſummi honoris, atque eximiæ cujuſdam apud homines commendationis collocavi: at veſtrorum animorum tacitæ cogitationes timorem injiciunt incredibilem; quorum graviſſima judicia non intimis etiam ſenſibus exhorreſcere, hominis eſſe puterem longe à pudore, atque à modeſtia remotiſſimi. Quamobrem in tanta hujus obeundi muneris cogitatione frangerer profecto, Auditores, ac plane conciderem, ni me veſtra humanitas incredibilis, qua fretus tantum negotium jam diu fortunatius multo, quàm ſapientius tueor, recrearet prorſus, atque reficeret; ſpero enim vos, quod & adhuc feciſtis, & facturos in poſterum ſpondet veſtra hæc attentio ſingularis, ſi meam voluntatem, atque induſtriam omnem ad veſtras utilitates referri cognoveritis, nihil à me amplius quidquam, quàm quod ingenii mei mediocritas ferre poſſit, deſideraturos. Qua ego ſpe ſublevatus, atque erectus nunc, tanquam veſtrorum commodorum, veſtræque laudis auctor graviſſimus, &, quod caput eſt, veſtro ſæpe judicio jam, ac teſtimonio comprobatus, vel tuendi officii mei, vel referendæ vobis alicujus gratiæ cauſſa audebo vos brevi, quanquam non neceſſaria cohortatione, de harum litterarum aut retinendo, aut amplectendo ſtudio admonere. Unde autem initium ſumam, Auditores, aut quid potiſſimum ex tanta rerum infinitate afferam, aut quid denique vobis novum, aut inauditum proponam? Quis eſt enim tam averſus à muſis, quis tam omnis expers humanitatis, quem fugiat, atque prætereat, omnium artium, quæ majorum induſtria inventæ, & nobis proditæ ſunt, nullam eſſe, ſi voluptatem quærimus, ad oblectandum animum aptiorem, ſi uſum, ad vitam hominum tuendam commodiorem, ſi decus, ad gloriam conſequendam oportuniorem his literis, quæ genere prope infinitæ, fructu uberrimæ, jucunditate ſuaviſſimæ, ratione honeſtiſſimæ ſint? Qui rem pub. qui privatam,

A qui domeſticam, qui forenſem, qui urbanam, qui ruſticam tractare cupiunt, quo modo id aſſequi ſine præceptorum, quæ his litteris continentur, lautiſſima ſupellectile unquam poſſint? Qui belli, qui pacis ſtudium perſequuntur, quemadmodum in alterutro egregie ſine harum litterarum præſidio verſabuntur? Poſtremo non labor, non quies, non otium, non negotium, non adoleſcentia, non ſenectus, carere diutius harum litterarum fructu uberrimo, & copioſiſſimo poſſunt. Quamobrem efficite, ut, quod hactenus cumulatiſſime præſtitiſtis, quàm leves vulgi, à quo hæc
B contemnuntur, ineptias, quàm gravem patrum veſtrorum, à quibus hæc honorantur, auctoritatem ducatis, vel hoc maxime tempore declaretis; hoc, inquam, tempore, quo cum aliarum artium omnium, quæ quondam in pretio fuerunt, tum maxime priſcæ, ac germanæ illius eloquentiæ nobilis quaſi quædam officina hæc civitas facta eſt. Cui enim obſcura ſunt præclara Academiæ Venetæ inſtituta? cui inauditi admirabiles ejus nobiliſſimi cœtus ad omnium litterarum laudem cœpti progreſſus? admiretur hercle, qui ſingularem audiat veterum diſciplinarum in eo gymnaſio
C inſtitutam deſcriptionem: vix credat, qui excellentem attendat in diſputandis, & tractandis rerum obſcuriſſimarum quæſtionibus ordinem: prope obſtupefiat, qui incredibile perſpiciat totius illius præſtantiſſimi conventus ad omne doctrinæ genus illuſtrandum ſtudium, atque ardorem. Quamobrem Lyceo quidem, & porticu, & hortis illis ſuis delectentur Athenæ, atque eadem, fama, & ſermone hominum majora, quàm re, in cœlum laudibus efferant: tantam tamen doctrinarum, ac ſtudiorum varietatem, ſive eas quærimus, quæ ad veritatem indagandam, ſive eas, quæ
D ad rempublicam capeſſendam, ſive eas, quæ ad eloquentiam excolendam pertinent, quod nuper divino prope conſilio Venetiis eſt inſtitutum, non complectentur, aut certe tantam in omnium antiquarum laudum æmulatione gloriam, ſi bene cœpta proceſſerint, non aſſequentur. Vos autem, Auditores, cum in omnia alia ſtudia vehementer incumbite, tum in ea vehementiſſime, quæ veſtris potiſſimum rationibus apta ſunt: id eſt eloquentiam colite, quæ pacis, & togæ ſocia, imperii, & libertatis miniſtra, alienis jampridem pulſa civitatibus, externis ejecta regionibus, nobiliſſimum in hac urbe, in qua leges, & jura vi-
E gent, in qua priſcæ libertatis, & antiquæ optimæ reipublicæ imago expreſſa eſt, domicilium collocavit. Quam libertatem utinam cum maxima Veneti, & nominis, & imperii propagatione in perpetuum vobis liceat retinere; ut, quod univerſa & optat, & ſperat Italia, veſtra prudentia, & veſtris opibus in priſtinum dignitatis, ac libertatis ſtatum aliquando vindicetur. Venetiis habita MDLIX.

DE

ORATIO
IN GYMNASIO PATAVINO
HABITA VIII. IDUS NOVEMBRIS ANNO MDLX.

SI quis mihi dies unquam, Nobiliſſimi Auditores, optatus, atque jucundus in magnis hujus vitæ perturbationibus, ac prope turbidis tempeſtatibus accidit, hodiernum hunc fateor, omnium, quos ego in vita viderim, pulcherrimum, & clariſſimum illuxiſſe. Etenim qui frequentem concionem veſtram, atque hujus auctoritatem loci gradum quaſi quendam eſſe, aditumque vigilantiſſimo cuique ad omnem laudem patere mihi multo ante perſuaſiſſem, vix jam pridem ejus temporis perferre deſiderium poteram, quo diuturnis laboribus, vigiliiſque perfunctus, auctoritate publica, ornatiſſimum hunc in locum aſcendere, veſtrumque in conſpectum mihi ſemper optatiſſimum prodire poſſem. Quod quidem hodierno primum die, ſingulari Senatus Veneti beneficio, admirabilique veſtra, ut intelligo, omnium approbatione adeptus, equidem tanta animi voluptate afficior, quantam nunquam antea percepiſſe me arbitror. Quamobrem ſi ex laboribus meis diurnæ ſolum gloriæ fructum peterem, nihil deſiderarem amplius, graviſſimo nimirum uno Senatus, & veſtro teſtimonio, atque auctoritate contentus; Senatus, quod maximo me conſenſu ſuis prope manibus in hanc Sedem impoſuit; veſtro, quod novo iſto, atque ante inaudito concurſu ad comprobandum illius de me ſingulare judicium confluxiſtis; verum incredibile meæ vobis probandæ diligentiæ ſtudium, & mirifica quædam ejus, quæ de me ſuſcepta videtur, opinionis ſuſtinendæ cupiditas, longius multo cogitationes provehunt meas, meque de tota officii mei ratione diligenter, atque aſſidue meditantem nullum horæ momentum quieſcere patiuntur. Verſantur autem in animo, ac menti ſe meæ ſimul oſtendunt, incredibilis hujus diſciplinæ varietas, Urbis amplitudo, Gymnaſii dignitas, atque omnino eruditæ iſtius veſtræ concionis exquiſita nobilitas, quæ me non modo integra hujus diei lætitia frui non ſinunt, verum adeo perturbant, & commovent, ut ne ad hodierni quidem hujus proludii munus, ne dum ad juſtam poſteri temporis contentionem aliquam ſatis mihi nervorum, aut virium relinquatur. Etenim quæ per Deum Immortalem, tanta ingenii facultas, quæ tam admirabilis exiſtere doctrinæ copia poteſt, quæ aut excellentem hanc humanitatis profeſſionem æquare, aut litteratiſſimæ Civitatis judicio reſpondere, aut accademiæ clariſſimæ amplitudinem ſuſtinere, aut tritas denique, & eruditas aures veſtras prorſus poſſit implere, qui non ex univerſa ſolum Italia, ſed ex omnibus ferme terrarum partibus, ingeniis præditi nobiliſſimis conveniſtis. Atque ut de hujus magnitudine artis primum dicam; equidem ſic ſentio, omnium doctrinarum cognitionem, quibus noſtra, vel communis vita ad commoditatem inſtruitur, vel ad humanitatem informantur ingenia, in magna varietate conſtitutam, ac multis difficultatibus eſſe

A obſtructam, neque hoc ſine cauſa; quid enim tam diverſum, ac lubricum fingi poteſt, quam quod in omnibus artibus adhiberi neceſſe eſt, infinitæ prope materiæ partes ſingulas animo comprehendere, verbis diſtinguere, ratione concludere? Sic tamen addo, his noſtris ſtudiis, atque hoc univerſo munere diſciplinæ nullam eſſe artem, quæ majorem ad diſcendum, aut rerum vim, aut præceptorum diſſimilitudinem afferat; nimirum, quia reliquæ omnes uno, eoque ſimplici argumento contentæ, nihil ſibi præterea requirendum exiſtimant: hæc autem doctrina ex multis quaſi doctrinis conflata, Oratorum, Poëtarum, Hiſtoricorum, quo majore litterarum in varietate verſatur, eo minus expeditos ad ſui notionem, B atque intelligentiam aditus habet: præſertim vero cum non univerſum ejus ſolum corpus multitudine partium, ac quaſi membrorum numero admirabili conſtet, ſed ne partes quidem ipſæ ſine varia multarum rerum ſuppellectile, ac multiplici magnarum doctrinarum Inſtrumento ſatis ornatæ ſint. Niſi forte aut Oratores, quorum facultati res omnes ſubjectas eſſe clariſſimi Philoſophi voluerunt, aut Poëtas, quos iidem innumerabilium prope artium cognitione ornarunt, aut Hiſtoricos, quibus omnem ſummi Senatoris, & Imperatoris prudentiam tribuerunt, earum artium nudare præſidiis velimus, quibus remotis, nulla prorſus hujus diſciplinæ laus, nulla omnino C gloria extet. Opponent, credo, hoc loco, alii philoſophiæ magnitudinem, atque præſtantiam, merito; hinc enim uberrimos earum artium fontes emanaſſe conſtat, quibus cognoſcendis adumbratam aliquam veræ beatitudinis ſpeciem in hac mortalitate percepimus; hinc omnium doctrinarum ornamenta deducta ſunt, quarum nos copiis, & facultatibus uſi, vitam noſtram ad omnem, & corporis, & animi cultum locupletiorem reddidimus; noſtræ tamen hujus diſciplinæ conſuetudinem, atque vim, quis eſt aut tam à muſis averſus, aut tam ab omni elegantia doctrinæ remotus, qui non jure miretur? quæ proprium nullum rerum, in quibus verſetur, adepta campum in D aliena ſpatia ita excurrit, ut in iis quaſi proprio in curriculo liberius audeat exultare; nullis autem domeſticæ doctrinæ inſtructa copiis, alienæ divitias ſcientiæ ita eleganter aſcivit, ut nullam omnino prudentiæ partem in apparanda oratione prætereat, quam ipſa præcipuis quibuſdam dicendi laudibus & quaſi luminibus figurarum illuſtrat. Quod ſi ne Poëtarum quidem interpretes, & explanatores furoris ejus expertes eſſe, ſine quo præſtantem poëtam aliquem eſſe negant poſſe, doctiſſimi homines cenſuerunt: quid de iis, qui ſe ad Oratorum, Hiſtoricorum, & Poëtarum eruditiſſima ſcripta declaranda contulerint, judicabimus? an tenuioribus doctrinæ præditos opibus in tanto munere verſaturos, quam qui hæc nobis tam præclara ingenii monumenta, atque induſtriæ prodiderunt? Quo fit ut quo

meciim, quantum hoc tempore oneris ſuſceperim, attentius cogito, eo vehementius de eventu ſollicitus, tota mente atque omnibus prope artubus contremiſcam. Auget porro timorem meum, quod in ea me Civitate has artes intelligo profeſſurum, ex qua ii viri quondam evaſerunt, qui ingenio, atque labore ſuo quidquid hoc tempore, hæc doctrina ſplendoris, ac dignitatis habet, attulerunt. Occurrit enim mihi, ac perpetuo quaſi lucet augusta illa T. Livii elegantiſſimi, atque graviſſimi Romanarum hiſtoriarum ſcriptoris imago, cujus ingenii facultatem, & copiam ita quondam admiratas eſſe barbaras nationes accepimus, ut ejus unius viſendi ſtudio ſe ab ultimis Oceani partibus Romam multi contulerint, ut quorum mentes clariſſimi in terris Imperii magnitudo nulla unquam ratione af fecerat, eas excellens unius Patavini hominis doctrinæ atque eloquentiæ gloria vehementer commoverit. Hæret in mente Q. Aſconius Tullianarum Orationum interpres eruditus, & in primis ornatus; qui quanto me propius muneris ſimilitudine attingit, tanto videtur acrius, quæ & quantæ ſint meæ partes, admonere; verſantur præterea ante oculos alii multi, quos hæc Civitas perpetua virtutis, atque humanitatis alumna, & priſcis, & recentibus temporibus tulit in omni litterarum genere præſtantiſſimos; qui ſimul omnes, quoniam plurimum neſcio, quo modo excellens nos illuſtrium ad laudem virorum excitare memoria ſolet, qui aut in eo loco verſati ſunt, ubi nos degimus, aut eaſdem, quibus ipſi dediti ſunt, artes coluerunt, in hoc à me ſuſcepto munere parem doctrinæ, nec diſſimilem eloquentiæ facultatem taciti quodammodo repetere mihi videntur. Jam vero Patavini Gymnaſii amplitudinem quantam vim habere ad meos etiam intimos ſenſus concutiendos, atque inuſitato quodam horrore perfundendos putatis. Equidem qui litteris proditum memoria teneam, Academiam hanc olim ab Imperatore Frederico II. eo conſilio conſtitutam, ut antiquæ Bononienſis Academiæ gloriæ officeret, & ejus quaſi luminibus altius elata obſtrueret. Sic afficior animo, ut mihi tamquam legitimo imperatoriæ voluntatis hæredi in mei numeris parte tuenda, quaſi in mea ſtatione cuſtodienda, in primis vigilandum exiſtimem, ne quando Bononienſibus dicendi magiſtris, ullis ſtudio ceſſiſſe, voluntate certe ut videar præſtitiſſe. Nam quid dicam, quam valde me ſingularis eorum etiam Doctorum fama commoveat, qui aliquot ante annos in his ſedibus magna ingenii, doctrinæque celebritate verſati ſunt? quos omnes videor mihi longo videre ordine, cum in eorum, qui nunc vivunt, laudem intueor. Quod ſi eorum qui jampridem vita exceſſerunt, memoria & cogitatio tantum mihi timoris affert, quo me tandem animo putatis eſſe, cum in hoc eruditiſſimo theatro, ideſt inſpectantibus vobis geſtum eſſe me acturum intelligo? Etenim hæc pervagata, & conſtans omnium hominum fama eſt: Academiam hanc tum multis aliis laudibus longe omnibus Academiis antecellere, tum maxime eorum, qui audire cupiunt, frequentia, nobilitate, ingenio, atque eruditione præſtare; nec vero ab hac omnium gentium communi opinione res ipſa diſcrepat, quid enim aliud de ipſo Italicæ Tranſalpinæ, ac Tranſmarinæ juventutis, quæ huc plurima confluxit, flore, atque ornamento ſentire oportet? cujus ut acerrimo judicio ſatisfaciam, ut graviſſimæ expectationi reſpondeam, qui mihi licet in tanta opum mearum imbecillitate ſperare. Quamobrem in tantis anguſtiis, ac difficultatibus conſtitutus vix equidem conquieſcerem, Auditores ornatiſſimi, niſi plane confiderem, vos id quod veſtra ora vultuſque, & hæc ſingularis ad audiendum attentio pollicetur, ſi meum omne ſtudium, atque induſtriam ad veſtra commoda, veſtramque laudem augendam intenta eſſe videritis, nihil à me niſi quantum mei hæc ingenii ferre mediocritas poterit, poſtulaturos. Qua ego ſpe confirmatus, quid ſeguitur aliud? niſi ut mutato dicendi genere, jam non tanquam novus, & hoſpes, ſed ut ex veteribus, & gravioribus hujus Academiæ doctoribus unus, ne omnino videar ingratus, brevi vos, quanquam, ut intelligo, non neceſſaria cohortatione ad omnem virtutem, atque humanitatem in hac Urbe percipiendam impellam. Quod cum faciam, cavebo diligenter, ne quod multos in hoc publici muneris ingreſſu facere animadverti, litterarum, quæ plurimæ ſunt, laudes ullas attingam: non quod ardentiſſimam illam veſtris mentibus inflammandis admoveri facem non exoptem, cum in ſtudio omnium rectiſſimo veſtras cogitationes eſſe defixas intelligatis, ſed ne in rebus omnium ſermone pervulgatiſſimis paulo fortaſſe ambitioſius mea videatur Oratio commorari. Ecquem enim veſtrûm putem eſſe, qui neſciat, ex iis bonis, quæ plurima, & maxima nobis divino munere tributa ſunt, nullum eſſe vel ad uſum uberius, vel ad voluptatem jucundius, vel ad gloriam illuſtrius, quam variam rerum multarum, quæ litterarum præceptis continentur, cognitionem, & ſcientiam? an ego tantum hunc præſtantiſſimorum juvenum cætum exiſtimem ex omni fere terrarum parte, relictis patriis ſedibus in hanc ſtudiorum cauſa Urbem acceſſiſſe, tantorum, quæ ſignificavi, commodorum inſcium, & ignarum? Quod ſi hæc tenetis, ne illa quidem, credo, quantum apud vos ponderis, & gravitatis habere debeant, ignoratis, Principum Venetorum, quorum hæc omnia conſilio adminiſtrantur, humanitas erga vos incredibilis, & in veſtris alendis ſtudiis ſapientia ſingularis. Etenim cum multa in Europa ejuſmodi quaſi litterarum deſcripta domicilia ſint, in quibus facile decoris, atque honeſtatis ſtudioſiſſimus quiſque verſari tandiu poſſit; quoad ejus, quam adamaverit, artis diuturnam cupiditatis ſitim expleverit: ſi quiſquam in hoc unquam genere alienis maxime rationibus, vere, & ex animo ſtuduit: ſi quis prudentia in ejuſmodi virtutis conſtituendo curriculo excelluit, ſapientiſsimus Venetæ Reipublicæ Senatus ſuperiorum omnium laudes longe mortalium omnium ſententia ſuperavit, ac vicit, qui hoc in hac Urbe gymnaſium multis jam ante annis inſtitutum, ſed difficillimis Urbis temporibus labefactatum non reſtituit ſolum, ſed legibus etiam, & inſtitutis ita ex omni parte ornavit, ut merito nullum aliud in terris hodie numeretur, in quo tanta Doctorum ſit in ſuo obeundo munere diligentia, tanta auditorum attentio, tanta demum quies, tantum ocii ad hæc liberaliſſima ſtudia ſuppetat excolenda. Neque enim externi belli incommodum, aut labes aliqua in hac Urbe, atque adeo in hoc toto extimeſcenda videtur Imperio: quippe non ſolum conſilio, ſed etiam manu, terra, mari-

marique ita munita, ita ſepta omnia hujus imperii clauſtra ſunt, ut aliis ipſum potius, quam ipſi quidquam formidabile poſſit eſſe. Neque vero tumultus ullos domeſticos ſuſpicari debemus, cum tantam Reipublicæ moderationem, tam multas, tamque præclaras leges, tantam magiſtratuum vigilantiam, ſapientiamque cernamus, quæ nobis non ſolum hæc omnia, quibus fruimur, diuturna, ſed ſi de re mortali aſſerere aliquid audacius licet, una cum hoc firmiſſimo imperio æterna futura eſſe pollicentur, ac ſpondent. Et quoniam plurimum in Urbis etiam commoditate ad veſtra commovenda ſtudia conſtitutum eſt, ne illud quidem tacitus præteribo, hanc Urbem eam eſſe, quæ ſitus ipſius opportunitate allicere, rerum omnium copia omnes retinere plane queat. Nam ut omittam annonæ, atque alimentorum omnium ſummam non modo varietatem, ſed in quovis genere abundantiam, quid eſt, cur non in hanc Urbem omnes undique libentiſſime convolent? quæ ita poſita eſt, ut non ſolum in nobiliſſima Italiæ parte ſit, ſed etiam terra, marique commodiſſimum finitimis, & remotiſſimis gentibus aditum, reditumque promittat; campis, præterea, collibus, ac fluminibus ita ornata eſt, ut incolis non mirificam ſolum voluptatem, ſed commoditatem etiam incredibilem præſeferat: ea vero cœli temperatione, & aquarum ſalubritate eſt prædita, ut non modo bene valentes commode tueri, ſed gravius quoque ægrotantes ad meliorem vitæ ſpem traducere facile poſſit, ut jam ſupervacaneum videatur, id, quod fieri ſæpe ſolet, cauſam acuratius indagare, cur omnium Urbs antiquiſſima (ſiquidem multis ante Romam ſæculis conditam eſſe conſtat) plurimis Italiæ bellis afflicta, infeſtiſſimis ſæpe incurſionibus barbarorum everſa, ac crudelibus multorum tyrannorum imperiis prope convulſa, nunc tamen reliquis Italiæ Civitatibus nulla re cedere, artium vero liberalium ſtudio, & gloria etiam antecellere videatur. Jam de iis, qui vobis diſciplinam tradituri ſunt, quid plura dicam? aut cur eorum vobis laudes ad veſtras mentes accendendas commemorem, quorum excellens ingenium, & exquiſita doctrina totius Europæ ſermone celebratiſſima vos adduxit, ut veſtris relictis penatibus, reliquis poſthabitis orbis terrarum gymnaſiis huc veniretis? an vero meum judicium anteponam veſtro, quod ipſi graviſſimum pulcherrimumque feciſtis, cum magno veſtro ſumptu, ac labore ad hos potiſſimum magiſtros, tanquam ad locupletiſſimos quoſdam omnium bonarum artium mercatores ex regionibus remotiſſimis contendiſtis? hoc tamen dicam, quod vos ſine dubio approbaturos eſſe confido, aut nullos eſſe hoc tempore in univerſa Italia homines eruditos, quod ipſi falſum eſſe intelligitis, aut id, quod omnes perſpicue cernunt, hos demum inter omnes ingenii atque eruditionis eſſe gloria florentiſſimos. Neque vero nominabo quemquam, ne ſi cujus mentionem fecero, reliquis, quos for-

A taſſe præteriero, feciſſe injuriam videar, & ſimul quod omnium virtus, atque doctrina ita omnibus, ut dixi, ſpectata, & cognita ſit, ut neque mea, neque cujuſquam prædicatione fieri poſſit illuſtrior. Verum ego pro mea ſumma erga vos benevolentia, quanto graviore oratione potero, veſtra fretus humanitate, vos hortabor, ut quam ſemel laudis viam iniviſtis, eam ut rectiſſimam conſtantiſſimo animo perſequamini. Neque vero cum ampliſſimum judicium de his nobiliſſimis artibus, de clariſſimo hoc imperio, de commodiſſima hac Urbe, de ſpectatiſſimis Doctoribus, ac ſtudiorum veſtrorum ducibus ſemel feceritis, nunc mutare ſententiam vobis integrum eſt. B Quanquam cum amicos, cum propinquos, cum parentes, dulciſſimos penates veſtros, patriam denique ipſam omnium jucundiſſimam reliqueritis, Voſque ipſos ſponte in hæc caſtiſſima quaſi muſarum templa ſtudiorum cauſa relegaveritis, non dubito quin eandem ad extremum vobis retinendam eſſe voluntatem putetis; ut quæ de vobis apud cives, aut parentes veſtros eſt expectatio ſuſcitata, eam maxima veſtra cum laude, incredibili cum illorum voluptate tueri, & laborum veſtrorum fructum ferre optatiſſimum, ſuaviſſimumque poſſitis. Me quidem cum & veſtra ſingularis humanitas in horum Doctorum numerum expetiverit, & ampliſſimum C Senatus Veneti judicium cooptaverit, qui poſſum aut veſtræ voluntatis, aut illius teſtimonii memor, non quotidie de veſtris commodis, & de illius amplitudine cogitare: præſertim vero cum quidquid ſim, ſi modo aliquid ſum, id totum honeſtiſſimæ veſtrorum ſubſelliorum commendationi, ac perhonorifico Senatorum ipſorum de me judicio debeam? Habeo grave illud veſtrum de me Teſtimonium cum me hoc ipſo triennio perpetuis prope vocibus, atque allegationibus à Principibus Venetis in hanc Academiam popoſciſtis; habeo Senatus multo plura multoque graviora. Itaque vix me ſatis gratum futurum arbitror, ſi veſtris omnium rationibus D dies noctesque omni mea cogitatione ſerviero. Nam Patribus ipſis, à quibus & hæc, & reliqua mea omnia ornamenta accepi, quid me oſtentem? qui ſi ſanguinem, ac ſpiritum ipſum pro illorum dignitate profudero, vix minimam eorum erga me meritorum partem videar aſſecutus. Cujus meæ vocis, atque confeſſionis lætor, me eundem præſentem habere teſtem, quem omnium meorum ornamentorum, & commodorum auctorem & principem ſemper habui, Bernardum Naugerium, hujus Urbis Prætorem præſtantiſſimum, cujus viri manibus ſit, ut quodam modo in hanc ſedem mihi ſublatus videar, cum ille, antequam magiſtratu abierit, me in hac ipſa ſede E conſpexit, ut qui omnibus, qui ſunt, hominibus dicendi facultate, & eloquentiæ gloria præſtat, eo potiſſimum Prætore antiqua laus eloquentiæ hujus Academiæ propria, meo ſtudio, ac labore aliqua fortaſſe ex parte renovaretur.

DE INGENIO EXCOLENDO, ET DE LAUDIBUS BONONIÆ

ORATIO

HABITA IN ACADEMIA BONONIENSI

VIII. IDUS NOVEMBRIS MDLXIII.

Nunc primùm prodit.

PRæclare admodum ac ſapienter in primis ille mihi apud veteres ſenſiſſe videtur, ornatiſſimi Auditores, qui quanam in re homines prope ad Dei conditionem accederent, rogatus, Veritatis potiſſimum, & Beneficentiæ commendatione, reſpondit. Etenim cum alia omnia in Deo præſtantiſſima, atque optima ſunt; tum nihil præſtantius, ac melius, quam certa Veri notitia, & excellens de hominibus benemerendi voluntas & copia cernitur: unde ille merito à nobis non ſapientiſſimus ſolum, ſed optimus etiam, ac maximus appellatur. Quæ cauſa fecit, ut eruditi homines multi, hominem tum denique beatum, id eſt Dei, quoad humana pateretur natura, ſimillimum judicarint: cum in Veritate perſpicienda, & Virtute paranda ſtudium ſuum totum atque operam collocaſſet. Quamobrem, quoniam ita nobiſcum actum eſt, ut rerum Veritatem vix ſatis, dum hac infirma corporum compage, & his terrenis membrorum vinculis detinemur, videre, nedum abditam aſſequi, atque in profundo demerſam poſſimus, alterum certe, cujus parem prope cum Deo adepti facultatem ſumus, quoad vires noſtræ ſuppetunt, teneamus, ut alteri alteris conſulentes mutuis inter nos ſtudiis, atque officiorum viciſſitudine decertemus. Ac me quidem maxima, & prope immortalia hujus erga me Civitatis Beneficia mecum animo reputantem ea jamdiu cura dies, noctesque, & cogitatio ſtimulat, ut quantum poſſim, me tantorum meritorum memorem, gratumque omnibus præbeam. Etenim qui ita ab ineunte ætate mihi perſuaſeram, hanc unam in terris urbem eſſe, in quam omnia bona, quæ à diis donari hominibus maxima, & plurima poſſunt, abunde eſſent congeſta. Academiam vero eam exiſtere, quæ antiquitate, dignitateque reliquis, quas fama accepimus, nedum vidimus, antecederet; ſic jampridem mihi finxeram animo, me tum demum bene, beateque victurum, ſi mihi contingeret, ut aut in hac celebritate Civium degerem, aut meam in hoc nobiliſſimo gymnaſio operam quantamluncunque navarem. In quo cum ſingulari, ac prope divino ſenatus hujus beneficio, atque incredibili pene omnium, ut ſentio, voluntate principem veteris tradendæ eloquentiæ locum ſim hoc tempore conſequutus, maxime ſcilicet eniti debeo, ut tantis erga me ſtudiis, ſi non re poſſim, at certe non obſcura propenſæ meæ erga omnes voluntatis ſignificatione reſpondeam. Utinam autem, quemadmodum ego quidem vehementer cupio, ea ipſe ingenii eſſem, atque doctrinæ facultate inſtructus, ut litterarum omnium, quarum vos ſtudio præter ceteros flagrantes eſſe intelligo, patefacere, ac demonſtrare veritatem poſſem, neque enim veſtra cauſa, aut corporis laborem, aut animi contentionem ullam unquam defugerem. Nunc, quoniam id triſti meo, veſtroque fato non licet, non recuſabo certe, quin, quas me in hoc clariſſimo orbis terrarum gymnaſio hujus Civitatis principes tractare priſcæ eloquentiæ rationes voluerunt, ad earum laudem conſequendam quam maxime certas vobis ſemper vias oſtendam, atque in obſcuriſſimo quaſi tramite lumen vobis quoddam mea quæcumque ſit induſtria præferam. Hodierno autem die, quem pulcherrimum ac jucundiſſimum omnium veſtra mihi frequentia, atque admirabilis iſte in hunc locum concurſus reddit, ſummatim, qui meus hoc de toto genere verſus ſit, ſolemnis ſaltem gratia proluſionis aperiam. Ego enim ad ceteros dolores, quos ex liberalium artium incommodis multis graviſſimos capio, acerbiſſimum illum omnium haurire ſolitus ſum, cum animadverto, veterem illum eloquentiæ honorem, qui plurimis ante annis, prava barbarie invadente, & tamquam turpi pellice genialem pudicæ uxoris lectulum occupante, Italia pulſus aliquando tandem reſtitui ceptus erat; noſtra iterum negligentia turpiore deleri, & quod bonum nobis vel infinita Deorum benignitas, vel naturalis cœli converſio eadem ſæpe doctrinarum ſtudia revocantis reddiderat, id ipſum noſtra rurſus intempeſtiva nimis arrogantia extorqueri. Primum igitur, quod ſummi homines, atque doctiſſimi tradunt, ut qui animum ad eximiam hanc oratoriam laudem incendat, ea ingenii magnitudine ſit à natura ornatus, ut facile vim illam ad dicendum in animis hominum ab ea impreſſam, ſi res poſcat, expromere, atque in actum producere poſſit: vere illud quidem, atque prudenter tradunt. Sed intelligendum eſt tamen, non in eo poſita eſſe omnia. Nam ut terram ipſam videmus ſua ſponte fruges ferre ad victum hominum neceſſarias, ac multo tamen plures, & meliores, ſi diligens eo agricolarum manus, ac induſtria ſe adjunxerit; ſic noſtros animos noſtraſque mentes, in quibus omnium diſciplinarum ſemina ab initio naſcenda ſevit, multo præſtantiores, uberioreſque ad omnem dictionem futuras intelligere debemus, ſi ſtudii aſſiduitas, atque adeo ſolers ingeniorum ſubactio quædam acceſſerit. Adde quod ut equus, & bos fruſtra ad uſus humanos à natura procreati fuiſſent, niſi induſtria hominis extitiſſet, quæ donandis atque inſtruendis illis occultam illam utilitatem elicuiſſet, ſic facultas hæc, commoditaſque dicendi obſcura lateret in nobis,

niſi ſtudii eam alicujus, ac diligentiæ lumen accenderet. Quamobrem laudo equidem inprimis ſapientiſſimum oratorem illum, quem dicere accepimus ſolitum, homini bonam fortunam primum, poſt bonum conſilium eſſe expetendum. Quo remoto ne in ſecunda quidem fortuna ſatis ad beatitudinem virium reſideret; ſiquidem eadem etiam regula inſignem hujus ſpeciem laudis metiri facile mihi videri poſſe: ad quam perſequendam ingenio in primis acri, atque acuto præditi ſimus, neceſſe eſt, ac ſi abſit ſtudium, & induſtria, exigua profecto ſpes decoris ex ea nobis & gloriæ relinquatur. Neque tamen ego improbaverim, quoniam ut corporum ſic animorum noſtrorum figuræ variæ ſunt, ut cum unuſquiſque ſtudiorum ineat viam, ad quam ab ipſo potiſſimum tacito naturæ ſenſu feratur. Scio enim, quantum ad laudem proficiat propria ingenii bona apta, & congruenti conſuetudine doctrinæ fovere; ſolerteſque in eo agricolas imitari, qui non in omni terra vites, aut arbores ſerunt, ſed ſummo conſilio ad quaſcunque aptam fruges cognoverint, ad eas illam exercent. Quamquam, ſi meæ ille auctoritati obtemperarit, quoniam nihil eſt tam arduum, atque difficile, quod diligentia, & ſedulitate non ſuperetur, non propterea animum à tanta ſpe gloriæ revocabit; verum experiendi cauſa omnia ad reluctantem fortaſſe naturam ſuam quaſi domandam, atque vincendam inſtrumenta contulerit. Quæ cum varia, ac multiplicia ſint, tum unum laudabile maxime, ac frugiferum eſt imitatio. Hæc autem hunc affert fructum, ut quæ nobis præſtantiſſima à veteribus ingenii monumenta relicta ſunt, ſtudioſiſſime perſequentes, atque eorum quoad poſſumus virtutem incredibilem æmulantes, quo natura nequimus, induſtria perducamur. Neque vero hoc ipſum veſtrum alicui novum, aut mirabile admodum futurum arbitror. Etenim ſi Pythiam illam quondam, cum tripodem aſcendiſſet, ex ipſa terræ aſpiratione ita afflatam eſſe traditum eſt, ut Dei more futura prædiceret; cur nos non item ex attenta optimorum lectione, & obſervatione oratorum tamquam furore quodam incenſi eaſdem voces edamus, & cum iis prope gravitate orationis, & magnificentia contendamus? Neque vero ſuadeo, ut ad laudem hanc in dicendo quærendam ſtudioſe alienas ipſi ſententias ſuffurandi cauſa venemur. Quid enim hoc conſilio poſſet eſſe perverſius? verum ut quæ in quoque maxime præſtent, penicillo quidem noſtro, & coloribus, & artificio veterum exequamur, ideſt ut in iiſdem prope veſtigiis inſiſtentes, eodem quo illi, ductum tamen, auſpiciaque eorum ſequuti, deferamur. At aſſequi non poterimus? quid? an vero nos picis, pſitaciſque rudiores ſumus, quos voces, verbaque humana omnia proferre nulla alia vi, quam imitationis, videmus? aut ad mugitus bovum, belatumque ovium exprimendum valebimus, ad humanæ orationis vim effingendam haud ſatis nervorum, & virium afferemus? Non dubito, quin lepidam neſcio quam de quodam ruſtico fabellam fando aliquando audiveritis. Hic cum ore eſſet perverſo in primis, atque diſtorto, veritus ne turpium liberorum pater evaderet, rationem, qua pulchram prolem generaret, inivit, egregias ſcilicet imagines, & ad vivum expreſſas uxori quotidie ſpectandas, intuendaſque propoſuit, deinde cum ea concubuit. Quid quæritis? factum eſt, ut mulier liberos non marito homini, ut dixi, turpiſſimo, ſed conceptis illis imaginibus ſimiles, quibus nihil fingi poterat pulchrius, procrearit. Quorſum hæc? ut intelligatis, ſi pulcherrima nos item eloquentiæ ſimulacra veterum ſcriptis expreſſa intento animo intueamur, fieri poſſe, ut & nos aliquid pariter illis ſimile pariamus. Dicet aliquis: an vero laude illius, cujus eſſe ſimiles volumus, ita contenti ſimus, ut longius non conemur? utinam quidem eum adipiſci poſſemus, ſi eſt optimus. At, illum tamen ut ſuperemus, ſummo ſtudio perficere debemus. Quod ipſum niſi eorum etiam multi tentaſſent, quos admiramur, nihil eſſet, cur nunc in eos illorum capti pulchritudine ſpectaremus. Summa appetat, neceſſe eſt, qui ſumma quærit, & cum iis contendat potius, quos æmulatur, quam eos ſequatur. Nam qui conatur, ut prior ſit, forſitan etiamſi tranſibit, gradum ejus æquabit, eum vero nunquam adipiſceris, cujus utique veſtigiis tibi ingrediendum exiſtimaris. Quid autem illud erit tandem, quo alteri imitando anteire poterimus? quid aliud quàm ratio quædam, conformatioque doctrinæ? Hæc igitur etiam aſſumenda eſt, quæque de ea à nobiliſſimis dicendi Magiſtris nobis tradita ſunt, ſtudioſius complectenda. Sic enim multa naturæ bona, aut luxuriantia coërcebuntur, aut manca ſupplebuntur, aut depravata corrigentur. Siquidem natura tum demum eximia judicatur, cum occultam artem in ſe concludit, ars vero tum denique illuſtris exiſtimatur, cum naturæ ſimilitudinem imitatur. Atque iſta duo arctis adeo inter ſe conſtricta vinculis ſunt, ut argutiſſime ille dicere putetur, qui inſtitutionem omnem contemnere, ac proprium quoddam, & ſuum in dicendo judicium ſequi videatur. Neque vero munera naturæ ſolum doctrina, præceptiſque illuſtriora reddemus, ſed ipſam etiam, de qua dicebam, imitationem vacillantem per ſe, ac titubantem certiore judicii regula confirmabimus, cum ab arte, quid ſit perſequendum, quid fugiendum, quid laudandum, quid vituperandum, atque omnino quid ſit id, quod optimum à nobis effingi volumus, cognoverimus. Hoc loco quærere poterit quiſpiam, ſummam ne laudis excellentiam, an mediocritatem dicendi potius quandam expetere debeamus. Cum illius perſequutio glorioſior ſit, hujus tutior, laborioſior illa ratio, hæc facilior. Atqui, ſi rerum conditionem humanarum reſpiciamus, quæ plerumque ex deteriore parte nobis cognitæ ſunt, ita ut vitiorum æternam memoriam conſervemus, virtutum repentinam oblivionem ſuſpiciamus, ſecuram potius mediocritatem, quam periculoſam illam præſtantiam conſectabimur; ſin autem mentem, cogitationemque noſtram alio referentes, conſideremus, nos à natura iſta eſſe formatos, nihil ut humile, nihil ut abjectum animo tractaremus, ſed ut in vitam hanc, tanquam in mercatum aliquem frequentem perducti, nobilium ſuorum operum ſpectatores, & imitatores eſſemus, ſi præterea quarum quantarumque rerum ſtudium, cupiditatemque in nobis illa accenderit, attendemus; profecto, utrum nobis horum ſit expetendum, perſequendumque, non dubitabimus. Referamus per Deos animum ad vitam humanam, ejuſque, ſi vacat, partes ſingulas circumſpiciamus, quæque nobis in terris mi-

ra-

rabilia videantur, cogitemus: continuo quas
ad res nati ſimus, intelligemus. Non enim,
credo parva flumina quamquam natura fluen-
tia, verum maximum quodque ut Nilum, ut
Iſtrum, ut Rhenum, & multo magis etiam
Oceanum, ceteraque ejuſmodi, quæ ampla
atque magnifica ſunt, obſtupeſcimus merito.
Nam aliarum quidem rerum contemplatio
nos homines eſſe oſtendit; rerum maximarum
appetitio prope Deos eſſe, aut divino ſemine
natos, aut certe Deo affine aliquid ha-
bere coarguit; ac vitii quidem vacuitas nos cul-
pa, atque reprehenſione tantummodo liberat;
virtutis vero magnitudo nos honeſtiſſimos
efficit, atque omnibus admirandos. Res autem
ita habet, ut quemadmodum in ſtatuis huma-
nis ſimilitudinem, ſic in ipſo homine eam,
quod una ſenſus omnes exprimuntur, & ex-
tolluntur humani, dicendi præſtantiam admi-
remur. Ergo non ſolum ut mediocritatem
hanc vitio carentem, ſed ut præcellentem, at
lubricam magnitudinem illam conſequamur,
priſca artis, & doctrinæ hujus præcepta ex
vetere hujus Academiæ inſtituto ſunt conſe-
ctanda, neque ea magna ducenda, quæ qui
contemnunt, magni atque excelſi putantur,
ſed ea demum, quæ qui deſpiciunt, omnino
deſpiciuntur. An vero divitias nos, aut prin-
cipatus mirari poterimus, quibus in contem-
nendis ſummam gloriam, in appetendis ma-
gnum dedecus eſſe poſitum ſentiamus, non opi-
nor; ſed diſciplinam, doctrinam, & ſcientiam,
unde vera laus, unde virtus ipſa, per quam
in primis in hac vita beati evadimus, confir-
matur. Cujus tanta vis eſt, ut ex tribus bo-
nis, quibus longe hominibus præſtat Deus,
immortalitate, potentia, & virtute ipſa ſola
divinæ propria naturæ veterum ſententia phi-
loſophorum, ducatur; qui cum inani pariter,
& elementis æternitatem, fulminibus, ac pro-
cellis vim impetumque attribuiſſent, virtutis
tamen perfectæ compotem neminem eſſe, niſi
eum in quo perfecta eſſet ratio, Deum exiſti-
marunt. Ex quo noſtræ evidentius ſtultitiæ
vis eluceſcit, qui cum Divinam illam immor-
talitatem inanibus ſæpe noſtris cogitationibus
emulemur; de potentia vero Dei ita cogite-
mus, ut eam maximopere vereamur; honore
antem cultuque præcipuo excellentem ejus ju-
ſtitiæ, virtutiſque ſpeciem proſequamur; im-
mortalitatem tamen, quam natura noſtra non
patitur, & potentiam, quæ tota in fortuna
poſita eſt, ſæpius inſolenter appetimus, quam
virtutem, cujus ex divinis bonis propter ra-
tionis communicationem ſimulacrum in nobis
aliquod non obſcuriſſimum continemus. Hæc
ego de ea, quam ad tradendam accitus ſum,
diſciplina breviter in primo hujus meæ pro-
feſſionis quaſi veſtibulo attingere volui, ut
quod neceſſe erat, hoc clariſſimo die nonnulla
reliquarum mearum fundamenta jacerem actio-
num ſimulque officii, ſtudiique erga vos mei
aliquam, quoad poſſem, redderem rationem.
Quid eſt enim, quod huic ego Civitati non
debeam? cujus ea in me expetendo, & alienis
è terris accerſendo alacritas, & conſtantia
fuit, ut multo plus dignitatis, & ornamenti
ex noviſſimo hoc præſtantiſſimi de me Senatus
judicio, ac teſtimonio hauſerim, quam ex om-
nibus meis ante laboribus, vigiliiſque fructus
acceperim. Neque enim id ſolum adeptus ſum,
ut in Academia Bononienſi optima conditione
præclara dicendi ſtudia profiterer, quod pau-
cis noſtra memoria hominibus contigit; ſed,

A ut ibi profiterer, ubi ea cognoveram, atque
ingraveſcente jam ætate, eam docendi cauſſa
ſedem aſcenderem, cujus ſubſellia prope puer
viginti ante annos diſcendi incenſus deſiderio
frequentaram, ut quantum aut vetus puerilis
inſtitutionis memoria repetita, aut dulcis ve-
tuſtorum amicorum, atque æqualium conſue-
tudo longo intervallo revocata afferre dele-
ctationis, & voluptatis poteſt, tantum ego
illo die perceperim, quo primum de me in
hanc Urbem evocando decretum eſſe cognovi.
Jam quanti me illud facere exiſtimatis, quod
in hanc Urbem accitus quodammodo patriæ
ipſi, à qua per multos annos abſui, mihi vi-
deor reſtitutus? quæ ita vicina eſt, ut facile
B omnia, ſi opus ſit, quæ vel ad animi ſolatium,
vel ad corporis levationem pertineant, mihi
ſuppeditare, ipſaque à me, vel voluptatis cauſ-
ſa, tempeſtive interviſi, vel neceſſitatis, com-
mode adiri brevi horæ momento poſſit. Quam-
quam quid de propinquæ reſtitutione patriæ
argumentor? ego, quod omnibus voluptati-
bus, & commodis præferendum exiſtimo, ad
eam Urbem incolendam magno me cum ho-
nore vocatum eſſe intelligo, quæ omni genere
laudis omnibus Italiæ Civitatibus, communi
omnium hominum judicio, anteponitur. Ete-
nim ſi prima hujus Civitatis decora, & vetera
dignitatis inſignia quærimus, hanc ita anti-
quam eſſe reperiemus, ut originis vetuſtate
C ne ipſi quidem gentium principi Romæ con-
cedat, & quod ad laudem amplius ac ſplen-
didius eſt, iis quidem temporibus armis, co-
piiſque ita potentem fuiſſe, ut quemadmodum
auctoritate erat Etruriæ princeps, ſic dignita-
tis, ac ſalutis ſociorum adverſus Gallos hoſtes
jam tum in Italiam irrumpentes virtute, &
opibus defendendæ ipſa ſibi principatum depo-
ſceret: poſt autem populi Romani Orbis Ter-
rarum victoris late vagantibus armis ita ceſſiſ-
ſe, ut coloniæ ab eo nomine, & jure acce-
pto, tamquam arx, & propugnaculum adver-
ſus eoſdem rebellantes Gallos ſit conſtituta.
Sin autem novas laudes, & citeriora requiri-
mus ornamenta; libertatis diuturna poſſeſſio,
D qua ſe ab impotenti Germanorum Imperato-
rum dominatu jampridem vindicavit, & ferti-
lis, opimique agri ſui adverſus finitimorum
impetum perpetua defenſio, magnaque multis
bene geſtis bellis fortitudinis parta gloria
æternam huic Civitati apud omnes homines
excellentis cujuſdam virtutis opinionem, &
famam concitarunt. Mitto Urbis ipſius pul-
chritudinem, viarum latitudinem, ædium ele-
gantiam, camporum, colliumque amœnitatem
ſummam, atque omnium rerum quæ ad vi-
ctum, cultumque hominum neceſſariæ ſunt,
celebratam illam ubertatem, & copiam: qui-
bus rebus juſto judicio hæc Urbs cum omni-
bus Italicis certare Urbibus poteſt. Quid de
E ſplendore Civium, ac magnificentia, quid de
humanitate, & elegantia dicam? quibus ſe
hæc Civitas ad Cœlum extuliſſe magnitudine
gloriæ, & laudis videtur; uſque adeo ut ea
gentium populorumque jamdudum animi,
menteſque imbutæ opinione ſint; ſi Beneficen-
tia, ſi liberalitas, ſi hoſpitalitas denique ullum
in terris hoc tempore habeant domicilium,
eas nimirum Bononiæ, & in veſtris ſingulo-
rum tectis, & penatibus habitare; quique à
veſtra conſuetudine alienus, atque à veſtra
familiaritate remotus ſit, is omnem humani-
tatis ſenſum reſpuere, & virtutis ſpeciem uni-
verſam prorſus aſpernari judicetur. Quæ ſi
quid

quid ad hominum voluntates alliciendas, & conciliandos animos valent; quid de eximio hoc omnium ingenuarum artium ſtudio dicemus? quæ publice in hac Urbe mille ante annos ita coluntur, ut ex perpetuo ſtudioſæ juventutis ex omnibus Europæ regionibus, aſſiduoque concurſu clariſſima jampridem hæc Urbs omnis doctrinæ officina, ac celeberrimus diſciplinarum omnium mercatus effectus ſit: ne illud dicam, quod tamen in ſumma felicitate exiſtimo numerandum: quod eam hæc Civitas eruditorum hominum copiam, ac nativo quodammodo ſemine ſegetem fert, ut quod nulla alia ſine externis ferme profeſſorum ſubſidiis, & adjumentis veterem, ac pervagatam egregie, ac præcellentis Academiæ facile tueatur auctoritatem. Quibus rebus omnibus merito effectum eſt, ut qui in hac Urbe vivunt, ii prope ſoli in conſpectu Italiæ, in oculis gentium, in luce hominum, atque omnino in ipſo domicilio dignitatis, & gloriæ, propter Urbis hujus, tanquam theatri cujuſdam in omnes terras longe, lateque reſonantis, amplitudinem, vivere videantur. Me quidem cum hæc omnia mecum ante tacite contemplantem ſingularis quidam amor veſtri complexus erat; tum hæc nova erga me declarata voluntas adeo inflammavit, ut omnis meæ reliquæ jam matureſcentis ætatis ſolatium in veſtræ conſuetudinis jucundiſſimæ, & in hujus pulcherrimæ Urbis fructu ſuaviſſimo repoſuerim. Cujus mei ſenſus non obſcuriſſimum illud argumentum me dediſſe conſtat, cum Principum Venetorum me ſummo ſtudio retinentium voluntatem vocantis hujus Senatus voluntati poſthabui; & novos patronos veteribus illis potentiſſimis, ac de me divinitus meritis antepoſui. Quamobrem eo me ad vos animo contuli, ut quemadmodum initio dicere cœperam, maximo veſtro provocatus Beneficio, nullo me à vobis humanitatis, atque officii genere paterer ſuperari; ſed quoad ingenio conſequi, atque induſtria poſſem, perpetuam erga hanc Civitatem animi mei propenſionem veſtris dies, nocteſque inſerviendo commodis declararem; quod quidem enixe me præſtiturum eſſe palam in hac frequentiſſima hodierni diei, & maxima concione cum clara Muſarum, omniumque quæ his humaniſſimis præſident ſtudiis, numinum conteſtatione polliceor. Nunc vero poſteaquam præclaram jam in hujus poſſeſſionem ſedis veſtra maxima, qui me benigne atque attente audiſtis, approbatione ingreſſus ſum, omnibus iis, quorum in me advocando ſtudium, aut opera enituit, ut debeo, gratias agam, inter quos Principem appellem neceſſe eſt, eum qui non ſolum dignitate reliquis præſtat, ſed omnes etiam ſtudio erga me, atque officio ſuperavit, Reverendiſſimum virum Petrum Donatum Cæſium prolegatum, qui me cum ne de facie quidem noſſet, ita ſibi complectendum putavit, ut clariſſimum humanitatis ſuæ ſingularis monumentum prodere poſteris, me fovendo, ac Senatui commendando, voluiſſe videatur. Equidem multa ante de præſtanti iſtius viri gravitate, prudentia, & juſtitia audiveram; de ejuſdem admirabili item in hac Civitate adminiſtranda ſapientia, & mirifico erga Academiam hanc ſtudio non pauca cognoveram: at tantæ in ignoto, eoque humili homine exornando, & ſua auctoritate extollendo humanitatis, quantam in me ipſo modo expertus ſum, prorſus ſenſum nullum habueram. Quo magis homini me beneficentiſſimo omnia, quæ à gratiſſimo proficiſci animo poſſint, obſequia debere confiteor. Deinceps univerſus mihi Illuſtrium XLVirum Senatus eſt nominandus, cujus auctoritate omnis hujus dignitas Reipublicæ continetur; hic enim ſemel atque iterum maximo ſuffragiorum, ſententiarumque conſenſu me accerſendum decrevit, in qua ea re cum ipſo Reverendiſſimo prolegato amore erga me & benevolentia decertavit. Extant egregiæ eorum erga Academiam hanc voluntatis teſtimonia plurima, quorum illuſtre illud in primis, ac memorabile, quod eruditis hominibus ad has celeberrimas, & prope auguſtiſſimas ſedes extrinſecus accerſendis, ſemper mirifice ſtuduerunt, quorum è numero quando me unum eſſe hoc tempore voluerunt, unus etiam ex iis ſim, neceſſe eſt, quibus dignitas eorum, & gloria commendata ſit, cujus officii poſthac ſemper ita appetam principatum, ut quantum voce, quantum lingua, quantum aliqua, ſi qua eſt in me, dicendi facultate poſſim, tantum me ad eorum ampliſſimi nominis, & memoriæ prædicationem perpetuam pollicear collaturum. Reliquis autem qui mihi aut judicii, aut amoris ſui teſtimonium apud Senatores tribuerunt, ita ſatisfaciam, ut ſi re eorum explere merita non potero, ſaltem grata animi benevolentia aſſequar: qua una vel graviſſima quoque atque immortalia beneficia compenſantur. Et quoniam eorum laudi, commodiſque præcipue ſtudeo, qui propriis relictis penatibus, ex remotiſſimis regionibus ad nos ſe, quaſi ad locupletes quoſdam virtutis, & bonarum artium mercatores, contulerunt; dabo operam, ut iis omnibus perpetuo non hic ſolum locus, ſed domus etiam mea intima diſcere cupientibus ita pateat, ut inde nullo aut meo tempore excludantur aut incommodo, negocioque prohibeantur, in quo potiſſimum me Senatus voluntati gratificaturum intelligo: cujus mihi in omni actione auctoritatem tamquam graviſſimum numen aliquod, inpoſterum prope intentis oculis intuendam exiſtimo, atque eo etiam alacriore animo huic laudi, atque officio ſerviam, ſi tu Petre Donate Cæſi, vir præſtantiſſime, quem unum ad hujus Academiæ commodum, dignitatemque tuendam, atque augendam natum libenter, & confitemur omnes, & prædicamus, & me, & lectiſſimos adoleſcentes hos, qui à te pendemus, univerſos, in poſterum tua maxima, ut cepiſti, humanitate, & conſuetudine complectere.

CUM

C U M

D. RODERICUS DE PAZOS FIGUEROA

A PONTEVEDRA HISPANUS

INSIGNIA SCHOLÆ RECTORATUS ACCIPERET,

ORATIO

HABITA BONONIÆ V. NONAS OCTOBRIS MDLXXV.

Ac nunc primùm in lucem emiſſa.

SÆpe ſum ad hoc officium advocatus, A ut oratione mea felicia ineuntis iſtius magiſtratus auſpicia conſecrarem, Roderice de Pazos, juvenis clariſſime. Vere hoc poſſum affirmare, nunquam me neque ſtudioſius, neque alacrius ad hoc munus, quam hoc tempore, acceſſiſſe; neque id injuria; veni enim ad exornandum eum, qui cum me aſſidue audiendo ſingulari honore affecerit, digniſſimus eſſe videtur, ut omnem à me conſequatur honorem, qui maximus ab ingenio meo proficiſci poſſit. Verum in magna, quam ex hoc officio capio, voluptate, illud me vehementer perturbat, B quod neque locus hic, neque tempus ea me tibi digna perſolvere patiuntur, quæ plurima mihi in hoc genere, & quidem graviſſima omnia ſuppetunt. Nam ſive gratulari, ſive laudare, ſive adhortari velim, quibus in rebus præcipue ipſa elucere vis eloquentiæ ſolet, maximam mihi copiam ampliſſimus tuus honos iſte ſuppeditat. Etenim ſi gratulationi dandam eſſe operam putem, non ſolum tibi gratulari poſſum, quod excellenti Academiæ præfuturus ſis, ſed ipſi etiam Academiæ, quod præſtantem in primis moderatorem adepta ſit; ſi laudationem attingere libeat, profecto non pauciora mihi de præclaris moribus, & natalibus tuis memorare, C quam de antiquitate, & nobilitate Bononienſis ipſius repetere gymnaſii liceat; ſi denique ſuaſoris ſuſcipere partes voluero, non minus eris tu mihi ad hujus Scholæ complectenda commoda incitandus, atque Scholares ipſi ad magiſtratum iſtum, qui per multos annos jacuit, excitandum, atque evehendum hortandi. Sed hæc tot, ac tanta, his ut dixi, & loci & temporis circumſcriptus anguſtiis, quoniam perficere pro dignitate non queo, ne inchoare quidem oportere exiſtimo. Quod vero plurimum excellentem animum tuum ad eximiæ cujuſdam gloriæ cupiditatem inflammaturum eſſe honeſtis quaſi quibuſdam facibus veteris recordationis opinor, D illud ſilentio omnino non præteribo. Sic enim ſe res habet, ut tu ſive dignitatem iſtam, ſive nationem, ſive collegium, ſive genus tuum ſcruteris, vehementius ab his ſingulis impellaris ad ſingularem quandam adhibendam in hoc gerendo munere diligentiam. Etenim ut à primo exordiar, cum principatum adeptus es, cujus omnes homines naturali quadam cupiditate trahuntur, tum quod rarius, atque excellentius eſt, principatum inter eos, quorum plerique juſtiſſimis de cauſis maximo inter ceteros ipſi ſunt digniſſimi principatu. Neque enim, quod te latere non arbitror, aut iſtius magiſtratus, aut hujus Scholæ tenuis eſt quædam, aut obſcura conditio; magiſtratus enim ea eſt vetuſtate, ut Juſtiniano etiam imperante, licet Italia Gothorum armis, ac ditione oppreſſa, floruerit, ea dignitate, ut ſimul etiam Imperialis quondam Palatii, ac totius Aulæ Regiæ moderandæ procurationem habuerit, ea denique poteſtate, ut non ſolum turbulentos inſolentium Scholarum motus moderatione ſua compreſſerit, ſed graviſſimis etiam de rebus multis jus graviſſime dixerit. Gymnaſium autem eſt hujuſmodi, ut non ſolum antiquitate originis, ſed etiam ſplendore profeſſionis excellat; ſiquidem qui primi jus civile Romanum poſt Lotharium Imperatorem, ideſt poſt leges Longobardas & Salicas in Italia celebrari deſitas, aut voce, & lingua publice docuerunt, aut ſcriptis, & monumentis ingenii privato in ocio declararunt, omnes ex hac Schola quaſi ex luculenta aliqua officina Juriſprudentiæ prodierunt. Uſque adeo, ut qui Bononienſibus profeſſoribus præſit, is majore quadam videatur dignitate ceteris antecellere. Sed hæc quidem laudis ratio tibi eſt communis cum multis; quæ vero tui propria ſunt, quanto majora, atque illuſtriora ſunt? Tu enim genus ex regno ipſo Galleciæ omnium terræ Hiſpaniæ antiquiſſimo ducis, cujus ut clariſſimas reliquas ſileam ingenii, prudentiæ, religionis, ac fortitudinis laudes, maximus modo Rex Carolus V. tantum huic Civitati honoris adhibuit, ut Coronam Imperii, & cognomen Auguſti, quod ſuperioribus ſeculis Romæ ſuſcipi conſueverat, novo exemplo in hac accipere Urbe voluerit. Gymnaſium vero hoc uſque adeo coluit, ut ordinem juriſperitorum privilegiis veteribus confirmandis, ac novis, iiſque ampliſſimis indulgendis, ſupra reliquos omnes magnitudine auctoritatis extulerit. Ex eo porro ſodalitio prodis, cujus qui auctor fuit, Albornotius Cardinalis, idem maximorum etiam huic Civitati commodorum, quibus in hunc uſque diem lætiſſima fruitur, auctor fuit. Etenim quod diſſimulandum non eſt, ſed omnium linguarum, ac ſcriptorum prædicatione concelebrandum. Albornotius fuit, qui cum ceteras ditionis Pontificiæ Civitates, tum maxime Bononienſem teterrimo per abſentiam Pontificis imperio Tyrannorum afflictas, admirabili conſilio, ac fortitudine ſua indignæ ſervitutis jugo eripuit, atque in priſtinam libertatem redactas ve-

veteri Eccleſiæ juri, poteſtatique reſtituit. **A** Albornotius fuit, qui ingenti Rheno amni mole objecta curſum ipſum fluminis alio derivavit, ac novo effecto alveo aquam ejus intra muros Urbis hujus induxit, qua nihil vel ad aſpectum amœnius, vel ad multorum operum artificium opportunius, vel ad navigationem, & mercaturæ rationem utilius fingi potuit. Albornotius denique fuit, qui Gymnaſium hoc Collegio veſtro nobiliſſimo inſtituto cohoneſtavit. Quo cum ſatis inter omnes conſtat nullum aliud eſſe dignitate, copiis, diſciplina, & eorum, qui hinc exierunt in omni laudis genere, virtutiſque præſtantia comparandum. Poſtremo tu in ea familia natus es, ex qua cum multos viros nominare poſſum **B** non vulgari, & juris, & militiæ tractatione præſtantes, tum unum præcipue volo, cujus incredibilis mihi virtus aſſidue ante oculos obverſatur. Hic eſt autem Antonius Rodericus de Pazos patruus tuus, qui proximis annis in Sanctæ Inquiſitionis conſilio in Regno Hiſpalenſi, ac Toletano conſtitutus à Rege fuit, deinde Romam miſſus difficile judicium Antiſtitis Toletani per ſeptem annos exercuit. Inde Epiſcopus Patenſis creatus, atque Sanctæ in Sicilia Inquiſitioni Præfectus, tribunalia omnia, ut cum ſumma poteſtate, ſic cum maxima moderatione, ac ſapientia viſitavit. Verum ceteras laudes ejus ſive ſolidioris doctrinæ, ſive ſanctioris religionis ommitto, **C** unam vero, quæ maxime cauſam noſtram attingit, nulla ratione prætermittere queo, quod idem cum eſſet hac ætate, qua nunc tu, non modo aſſiduus in hoc Gymnaſio fuit auditor, ſed in eodem etiam Collegio, atque Gymnaſio Rector, eumdem, quem nunc tu, maxima cum ſui laude magiſtratum adminiſtravit. Quibus ex rebus fit, ut tu (redeundum eſt enim ad id, de quo dicere ceperam) ſive Regem, ſive conditorem, ſive gentilem tuum intuearis, nihil ab iis aliud docearis, niſi ut temet in hac Civitate, atque Gymnaſio excolendo ſequaris. Quod ipſum ut majore quadam etiam diligentia facias, te ſimul & nobilis hæc auguſtiſſimorum procerum, ut inuſi- **D** tata, ſic auſpicata præſentia cohortatur. Neque enim inter omnia, quæ virtute illorum, & ſapientia recreantur, licet fortaſſe alia ſint magnitudine, atque utilitate præſtantiora, quidquam admirabilius, atque divinius eſt hac humanitate, quam qui hodierno die fovendis honorandiſque litterarum ſtudiis tribuerunt. Sentiunt hoc idem nobiliſſimi juvenes, quorum frequentem circumfuſam multitudinem vides, qui cum me tanto de te dicentem ſilentio audiant, nimirum nihil aliud, quam ſe meritiſſimis tuis laudibus aſſentiri, atque favore ſignificant. Sic autem cuncti exiſtimant, te unum ex omnibus eſſe, qui clariſſimo loco natus, optimis artibus eruditus, omnibus naturæ ac fortunæ ornamentis inſtructus, facile poſſis cum conſilii magnitudine, tum vitæ ſplendore veterem hujus honoris magnitudinem ſuſtinere. Quin etiam ſi diligenter attendimus, & templum hoc, in quo conſiſtimus, & locus hic, ubi veſtigia figimus, in quibus non caſu aliquo, ſed divino, ut ſentio, conſilio ſumus, idem te tacite admonere videntur. Templum eſt enim, in quo Divi Dominici oſſa ſacratiſſima ſita ſunt, qui te quodammodo ex auguſtiſſimo illo, quod ex hoc loco conſpicimus, ſepulcro, tanquam Hiſpanus Hiſpanum videtur alloqui, atque præcipere, ut quemadmodum ipſe Civitatem hanc corpote ſuo ſanctiſſimo decoravit, ſic tu corde, ideſt conſilio tuo partem Civitatis, nempe Academiam ipſam exornes. Locus autem hic, licet mutus, vocem tamen videtur emittere, & te iterum ad præſtantiſſimam Caroli V. memoriam, atque imitationem vocare, ut quemadmodum ille ſacro diademate redimitus in hoc ſolo, atque adeo in his ipſis veſtigiis equeſtria prima ad donandam nobilitatem inſignia impertivit, ſic tu in eodem conſtitutus, ipſe Rectoratus inſignia ad parem, licet in re impari, domeſticæ cumulandæ laudis æmulationem accipias. Nos autem qui ſummum tuum jampridem ingenium, prudentiam, virtutem, nobilitatemque ſuſpicimus, teque propterea exquiſitiſſimis quibuſque honoribus digniſſimum judicamus, libenter in hoc etiam famæ, gloriæque tuæ ad prodendam poſteritati memoriam inſeruimus, ut hæc inſignia non doctoris, ſed gubernatoris, non amici, ſed domini manu accipias, ut illud ſimul intelligas, quanta in te præter ceteros honoris acceſſio facta eſt, tantum tibi oneris impoſitum eſſe, ut veterem hujus magiſtratus amplitudinem officio, ac magnificentia repræſentes.

FINIS.

ARISTOTELIS
DE ARTE RHETORICA
LIBRI TRES,
CAROLO SIGONIO
INTERPRETE,

In hac editione à pluribus mendis expurgati.

Digitized by Google

ORNATISSIMO VIRO
HORATIO MALEGUTIO
PATRICIO REGIENSI,

CAROLUS SIGONIUS S.

Quantum ingenium Ariſtoteles, quantamque ad res omnes, quæ aliqua doctrinæ laude continerentur, inveſtigandas, tradendaſque ſolertiam, atque elegantiam adhibuerit, quanquam nemo eſt, qui primoribus modo labris divinos illius artium omnium commentarios deguſtarit, ſe non optime noſſe profiteatur, vere tamen pauci ſunt, qui rectum de re tanta ferre judicium queunt. Plerique enim eorum, qui ejuſmodi in ſtudio his temporibus elaborant, quòd aut græca non intelligant, aut commodius certe latina percipiant, græcos Ariſtotelis libros haudquaquam attingunt, iis unis delectantur, qui de græcis quoquo modo converſi ſunt; quibus quidem ſatis conſtat, ad doctrinam, venuſtatemque Ariſtotelicam cognoſcendam ſingi nihil poſſe perverſius; ſiquidem qui ſcripta Ariſtotelis latinis adhuc litteris expreſſerunt, ii fere ſententiam quidem vix, nitorem vero, acumenque, ac brevitatem illam hujus philoſophi propriam nequaquam conſequi potuerunt; nimirum quòd eorum alii ſolis verbis, alii ſolis ſententiis exprimendis intenti non magnopere de utroque conjungendo officio laborarunt. Etenim qui ea ſe obſtrinxerunt religione, ut ſingulas voces eodem, quo græce ſunt, ordine referrent, atque quodammodo numerarent, ii ſe potiſſimum in illos difficultatum laqueos induxere, ut non dicendi ſolum formulas latinis hominibus inauditas, ac voces plane barbaras adhibere ſæpe coacti ſint, verum ut ineptum quendam etiam, atque obſcurum, ac prope ferreum ſcriptorem ubique repræſentarint; contra vero qui ſuperſtitioſum illud verborum aucupium averſati, totos ſe concipiendæ, atque explicandæ quoquo modo ſententiæ dediderunt, ii in eo peccarunt, quòd verborum copia omnia dilatare, atque oratorio numero comprehendere voluerunt; quod ut ipſi aſſequerentur (neque enim ejuſmodi Ariſtotelis tenuitas ornamenta requirit,) multa interdum omiſerunt, nonnulla etiam ad perficiendum, ac prope rotundandum ambitum addiderunt; ex quo factum eſt, ut ex illorum interpretatione propter nimiam jejunitatem ſæpe nullum, ex horum autem propter luxuriantem ubertatem raro commodum ſenſum eliciamus. Atque his quidem vitiis cum omnes ferme Ariſtotelis interpretes ſunt affecti, tum maxime, qui adhuc libros illius rhetoricos attigerunt. Etenim neminem paullo elegantiorem invenias, quin gratiam ſcribendi Ariſtotelicam inani verborum varietate, & elatiore quodam ſpiritu perſequatur; neminem item paullo prudentiorem, quin, ut ſingula verba reddat, nova aliquot dicendi genera, immo potius fœda quædam Latinæ linguæ portenta in Ariſtotelicam diſciplinam inducat; quaſi vero aut elegans illa Ariſtotelis, ut ita dicam, ſiccitas niſi corruptis priſcis latinæ orationis formulis apte exprimi, aut exquiſita hæc præceptorum gravitas, niſi addendo, demendoque atque grandiorem ſine ratione numerum aucupando, commode repræſentari non poſſit. Neque vero inficias ibo, quin cum omnis interpretandi ratio lubrica, ac difficilis ſit, tum hæc ipſa, quam ego in pleriſque deſidero, omnium maximis difficultatibus impedita ſit; quippe quæ mediam quandam viam ingreſſa, extrema illa, de quibus dixi, vitioſa, atque corrupta defugiat; quam laudem nemo unquam niſi magnis inſtructus ad intelligendum, agendumque præſidiis præclare eſt mea quidem ſententia conſequutus. Veruntamen, quoniam res eſt præclara, atque doctorum omnium ſtudio, & exercitatione digniſſima, experietur, ſi me audiet, unuſquiſque, quoad licuerit, quantum in hoc genere aut ingenio conſequi, aut diligentia poſſit. Ac me quidem ut hoc ipſum in tribus præſertim oratoriis ejus tentarem hoc tempore, animus impulit; tum ut multorum hoc à me in Patavino, Bononienſique gymnaſio petentium ſummis ſtudiis, honeſtiſſimiſque obſequerer, tum vero, ut conſilii, judiciique hujus de recta interpretandi ratione mei effigiem, ſi poſſem, aliquam adumbrarem; ſic enim eos verti, ut neque diligentiam priorum in ſingulis verbis,

quoad res pateretur, reddendis, neque ſpiritum poſteriorum in ſententia eo, qui à verbis dabatur, numero concludenda neglexerim, verum ut multum de ridicula illorum ſuperſtitione, ſic non minimum de periculoſa horum in convertendo libertate detraxerim, ac vetere demum latinorum in dicendo, quoad ejus fieri potuit, conſuetudine conſervata, non ſenſa ſolum, ſed verba etiam ſummi rhetoris referre cum aliqua brevitatis, & cujuſdam quaſi in diſputando ſobrietatis ejus æmulatione conatus ſim. Fecit autem cum ſummum meum erga te ſtudium, præſtantiſſime Vir Horati, tum præcipuum quoddam de te judicium, ut meæ hujus, quæcunque ſit, lucubrationis opus voluerim in tuo potiſſimum nomine divulgari. Etenim ſi tribuendum amori in ejuſmodi re fuit aliquid, quem potius hoc munere ornarem, quàm te ipſum, quo neminem jampridem habeo, aut amicitiæ vetuſtate conjunctiorem, aut animi erga me propenſione ſuperiorem? ſi virtuti, ea primum nobilitas tua eſt, ut maximo quoque honore digniſſimus videaris, ea porro doctrina, ut de toto hoc genere unus præter ceteros poſſis optime judicare; cum præſertim ſatis conſtet, te cum domi tuæ familiæ vetuſtate, ac majorum dignitate florere, tum ab ineunte ætate non in tota ſolum philoſophia magna cum ingenii laude verſatum eſſe, verum, quod raro contingere ſolet, ſingularem quandam etiam interiorum harum litterarum notitiam adjunxiſſe. Vale.

Bononiæ Idibus Septembris MDLXV.

ARI-

ARISTOTELIS ARTIS RHETORICÆ, CAROLO SIGONIO INTERPRETE, LIBER PRIMUS.

Rhetoricam Artem eſſe.

RHetorica reſpondet dialecticæ; ambæ enim de ejuſmodi quibuſdam rebus ſunt, quæ communes, quodammodo, ſunt omnium ad cognoſcendum, nec ullius ſcientiæ definitæ; itaque omnes utriuſque quodammodo participes ſunt; ſiquidem omnes quadam tenus & exquirere, ac quæſtionem tueri, & defendere, atque accuſare conantur. Ac ex vulgari quidem multitudine alii temere hæc faciunt, alii propter conſuetudinem ab habitu; quoniam autem utroque modo contingit, profecto eadem etiam conficere ratione, & via licebit; quamobrem enim conſequuntur, quod volunt tum qui conſuetudine dicunt, tum qui caſu, cauſſam perſcrutari licet; id quod demum omnes artis munus eſſe conceſſerint.

Artem Rhetoricam ab aliis imperfecte traditam eſſe.

AC qui artem quidem hoc tempore orationum componunt, exiguam ejus particulam tradiderunt; quia ſolæ fides artificioſæ, reliqua vero additamenta ſunt; at hi de enthymematibus, quod corpus eſt fidei, nihil dicunt, de iis vero, quæ ſunt extra rem, plurima tradunt; ſiquidem criminatio, & miſericordia, & ira, & ejuſmodi affectus animi non de re ſunt, verum ad judicem referuntur. Quare ſi in omnibus eſſet judiciis, perinde ac in nonnulliſque nunc eſt civitatibus, & præſertim bene conſtitutis, nihil haberent, quod dicerent; omnes enim partim cenſent, ita leges oportere jubere, partim vero etiam obſervant, & prohibent, extra rem dicere; quemadmodum etiam in Areopago: recte ita ſtatuentes, neque enim judicem diſtorquere oportet, ad iram impellendo, aut invidiam, aut miſericordiam; quia perinde eſt, ac ſiquis regulam, qua uſurus eſt, torqueat; præterea vero perſpicuum eſt, controverſantis nihil eſſe, præterquam oſtendere, rem eſſe, aut factam aut non factam eſſe; magna vero, an parva, aut juſta, an injuſta ſit, quæ legiſlator non enodavit, ipſum nimirum judicem oportere cognoſcere, neque à controverſantibus diſcere. Ac maxime quidem convenit, recte conditas leges omnia, quæcunque poſſunt, ipſas decidere, & quàm pauciſſima iis, qui judicant, permittere; primùm, quia unum nanciſci, & paucos facilius eſt, quàm multos, qui recte ſentiant, & poſſint leges condere, & jus conſtituere; deinde legum lationes longa proviſione animi fiunt, judicia vero derepente, ut difficile ſit, eos, qui judicant, juſtum, ac utile recte reddere; quod autem

A omnium maximum eſt, quia legiſlatoris judicium non de parte, neque de præſentibus, ſed de futuris, & de toto eſt; concio vero, & judex de præſentibus jam, ac certis judicant; quibus cum & amor demum, & odium, & proprium commodum conjunctum eſt ſæpenumero, ut veritatem perſpicere amplius nequeant, ſed judicio propria voluptas, aut dolor officiat. Ac aliarum quidem rerum, quemadmodum dicimus, quàm pauciſſimarum conſtituere dominum judicatorem oportet; factum vero ſit, an non factum, futurum, an non futurum, ſit, an non ſit, judicatoribus
B permittere neceſſe eſt: neque enim, ut ea Legiſlator provideat, fieri poteſt. Quæ ſi ita habent, ſane perſpicuum eſt, quæ ſunt extra rem, eos tradere, qui cetera perſequuntur, ut quid oporteat proœmium, aut narrationem habere, atque unamquamque partium aliarum; quia nihil in iis præcipiunt aliud, quàm quo pacto cujuſdam modi judicatorem efficiant, artificioſas vero fides haudquaquam attingunt, hoc eſt, unde aliquis enthymematicus erit. Ob hanc enim cauſſam cum eadem ratio, ac via concionum, judiciorumque ſit, cumque pulchrior, & civilior concionum tractatio ſit,
C quàm contractuum, de illa quidem nihil loquuntur, de litigando vero præcipere omnes conantur; quia minus ſuppetit, quæ extra rem ſunt, in concionibus dicere, & minus malitioſa juris diſputatione concio eſt, ſed communior; hic enim judicator propriis de rebus judicat, ita ut nihil aliud opus ſit, quàm demonſtrare, ita ſe habere, ut ait ille, qui conſulit; in judiciis vero non eſt hoc ſatis, ſed præſtat, auditorem arripere, quia de alienis rebus judicium eſt; quo fit, ut ad ſe referentes, & ad gratiam audientes controverſantibus largiantur, non autem judicent;
D itaque multis in locis, ut modo dixi, lex extra rem dicere prohibet, ibi vero judicatores ipſi hoc cuſtodiunt ſatis. Quoniam autem artificioſam methodum circa fides verſari perſpicuum eſt, fides vero demonſtratio quædam eſt (tum enim fidem habemus maxime, cum demonſtratum eſſe opinamur) eſt autem oratoria demonſtratio enthymema, atque hoc, ut ſimpliciter dicam, fides eſt nulla potentior, enthymema vero ſyllogiſmus eſt quidam, de ſyllogiſmo vero æque omni videre, dialecticæ eſt, aut ipſius totius, aut partis alicujus: profecto qui maxime poteſt videre, ex qui-
E bus, & quo modo fiat ſyllogiſmus, hic etiam enthymematicus erit maxime, cum aſſumpſerit, in quibuſque verſentur enthymemata, & quemadmodum à logicis differant ſyllogiſmis; etenim verum, & ſimile vero, ejuſdem eſt facultatis videre; quin & homines ad verum à natura facti ſunt ſatis, & plerunque veritatem aſſequuntur; itaque ad probabilia conjicien-

cienda aptum eſſe ejus eſt, qui ad conjiciendam etiam veritatem eſt aptus. Ac quemadmodum quidem ceteri, & quæ ſunt extra rem, ad artem revocent, & quare potius ad juris diſputationem deflexerint, patet.

Rhetoricam utilem eſſe.

UTilis autem eſt rhetorica, quòd vera, & juſta, natura meliora ſunt, quàm contraria, uſque adeo ut niſi, prout convenit, judicia fiant, ex ipſis ſuperari neceſſe ſit; id quod reprehenſione dignum eſt; deinde vero cum nonnullis, neque ſi exquiſitiſſimam habeamus ſcientiam, facile eſt ab illa perſuadere loquendo; eſt enim doctrinæ ea, quæ refertur ad ſcientiam, ratio; hoc autem effici non poteſt; immo ex communibus fides, rationeſque ducere neceſſe eſt, perinde ut in Topicis de colloquiis cum vulgari multitudine diximus; præterea vero contrarias res poſſe perſuadere, non aliter, atque in ſyllogiſmis, oportet; non ut faciamus utrunque, (neque enim pravas perſuadere debemus) ſed ne lateat, quo modo ſe habeat, & ut alium rationibus his injuſte utentem refutare poſſimus; ac aliarum quidem artium nulla contrarias res ſyllogiſmo concludit, ſed dialectica, & rhetorica ſolæ hoc faciunt; quia peræque ſunt ambæ contrariorum; ſubjectæ tamen res non eodem modo ſe habent, ſed ſemper veræ, & meliores natura facilius ſyllogiſmo concludi, meliuſque perſuaderi poſſunt, ut ſimpliciter dicam; ad hæc abſurdum eſt, ſi turpe ſit, non poſſe ſibi corpore ſubvenire, oratione vero non ſit turpe, quæ magis hominis propria eſt, quàm corporis uſus. Quòd ſi quia valde nocuerit, qui ejuſmodi rationum facultate injuſte utatur: & hoc commune eſt adverſus omnia bona præter virtutem, & maxime adverſus ea, quæ utiliſſima ſunt, ut robur, valetudinem, divitias, rei militaris ſcientiam; hac enim aliquis proderit plurimum, ſi utatur juſte, & nocuerit, ſi injuſte. Ac non eſſe quidem unius cujuſdam generis definiti rhetoricam, ſed perinde ac dialecticam, eamque utilem eſſe, perſpicuum eſt: neque fidem facere munus ejus eſſe, ſed videre, quæ in quaque re ad fidem idonea, ſive perſuaſibilia inſint, quemadmodum & in aliis artibus omnibus; neque enim medicinæ eſt, ſanum facere, ſed quatenus fieri poteſt, eatenus perducere; quippe cum & qui non poſſunt ſanitatem conſequi, liceat tamen curare recte: ad hæc vero ejuſdem eſſe, videre & perſuaſibile, & quod videtur perſuaſibile, perinde ac in dialectica ſyllogiſmum, & qui videtur ſyllogiſmus; neque enim ſophiſticus eſt in facultate, ſed in præelectione; verum hic quidem unus erit ex ſcientia, alter vero ex præelectione, orator; ibi vero ſophiſta quidem ex præelectione, dialecticus autem non ex præelectione, verum ex facultate.

Rhetoricam eſſe facultatem videndi quod idoneum ſit ad fidem.

NUnc vero de hac methodo demus operam, ut & quo modo, & ex quibus propoſita conſequi poterimus, exponamus. Tanquam igitur de integro ordientes reliqua, definito, quid ipſa ſit, exequamur. Sit ergo rhetorica facultas videndi, quod in quaque re ad fidem idoneum eſſe contingit; hoc enim nullius alterius eſt artis munus, quia aliarum unaquæque circa id, quod ipſi ſubjectum eſt, docendi vim, ac perſuadendi exercet; ut medicina circa ſanabile, & morboſum, & geometria circa affectus, qui accidunt magnitudinibus, & arithmetica circa numerum, ſimiliterque reliquæ etiam artes, ac ſcientiæ; rhetorica vero de re data, ut ita dicam, exiſtimatur poſſe perſuaſibile commentari; quo fit, ut eam circa aliquod genus proprium definitam vim artis exercere negemus.

Fidem unam eſſe artificioſam, alteram expertem artis.

FIdes autem aliæ carentes arte ſunt, aliæ artificioſæ; carentia vero arte voco, quæ nos non peperimus, ſed ante erant, ut teſtes, quæſtiones, ſyngraphæ, & quæ ſunt generis ejuſmodi; artificioſa vero dico, quæ per artem, & per nos parere poſſumus; quo fit, ut illis quidem uti, hæc vero invenire debeamus, quod autem bonum eſt, aut malum.

Fides artificioſas eſſe demonſtrationem, affectus, & mores.

FIdes autem, quæ ratione pariuntur, in tres ſpecies dividuntur; nam aliæ ſunt in moribus ejus, qui dicit, aliæ in eo, ut aliquo modo afficiatur ille, qui audit, aliæ in ipſa ratione, propterea quia demonſtrant, aut demonſtrare videntur. Ac propter mores quidem: quoties ita dicta fuerit oratio, ut fide dignum reddat eum, qui dicit; probis enim aſſentimur vehementius, ac citius, cum in omnibus quidem rebus ſimpliciter, tum vero in quibus certi nihil eſt, verum ambigitur, etiam utique; verum oportet, hoc etiam ope orationis uſuvenire, non autem, quia anticipatum opinione ſit, cujuſdam modi eum eſſe, qui dicit; neque enim: perinde ac nonnulli dicendi artifices dicentis probitatem in Arte poſuerunt, quaſi mores ad fidei vim nihil proficiant, ſed potentiſſimam propemodum, ut ita dicam, fidem obtinent; propter auditores autem: quando ad affectum ab oratione compulſi ſint; neque enim eodem modo judicia facimus dolentes, ac gaudentes, aut amantes, ac odio inflammati; qua de re vel ſola conari tradere, qui de dicendi arte nunc ſcribunt, aſſerimus; atque hæc quidem ſigillatim explanabuntur, tum cum de affectibus diſputabimus; propter rationes autem aſſentiuntur, cum verum, aut quod videtur, oſtenderimus ex iis, quæ in quaque re ſint, ad fidem accommodatis. Quoniam igitur fides per hæc fiunt, perſpicuum eſt, tria hæc conſequi ejus eſſe, qui concludere ſyllogiſmo poſſit, & qui perſcrutari mores, ac virtutes, & tertio loco qui, affectus, quidque ſinguli ſint, & quales nam, & ex quibus excitentur, & quo pacto. Ex quo efficitur, rhetoricam quaſi agnatum quiddam eſſe dialectices, & particulam ejus, quæ de moribus eſt, diſputationis, quam par eſt appellare politicam; itaque ſuſcipit perſonam politicæ & rhetorica, & ii, qui ſibi hanc vindicant, partim propter inſcitiam, partim propter arrogantiam, partim propter alias etiam cauſſas humanas; eſt enim particula quædam dialectices, & ſimilitudo, quemadmodum initio diximus; neutra enim earum de aliqua re definita ſcientia eſt, quo pacto ſe habeat, ſed parandarum rationum quædam facul-

A cultates. Ac de vi quidem earum, & quo modo inter ſe affectæ ſint, ferme diſputatum eſt ſatis.

Demonſtrationem oratoriam enthymemate, & exemplo fieri: & quid eorum utrunque ſit.

QUæ vero fides aut demonſtrando, aut ſpeciem demonſtrationis afferendo fiunt, ut in dialecticis una eſt inductio, altera ſyllogiſmus, alia, is qui ſpeciem præ ſe fert ſyllogiſmi, item hic eodem modo; eſt enim exemplum inductio, enthymema vero ſyllogiſmus; voco autem enthymema oratorium ſyllogiſmum, exemplum vero B inductionem oratoriam; omnes autem demonſtrando fidem faciunt, aut exempla, aut enthymemata proferentes, & præter ea quodammodo nihil. Quare ſi omnino neceſſe eſt, ut ſyllogiſmo, aut inductione quodcunque, aut quencunque demonſtremus (quod nobis liquet ex Analyticis) utrunque eorum cum utroque horum idem eſſe neceſſe eſt. Quid vero inter exemplum, & enthymema interſit, declaratur ex Topicis; ibi enim de ſyllogiſmo, & inductione ante dictum eſt, nempe, cum in multis, & ſimilibus ita ſe habere oſtenditur, ibi quidem inductionem eſſe, hic vero exemplum; at vero quibuſdam exiſtentibus, ex iis effici C aliud quid præter ea, quia ea ſint, aut in totum, aut plerunque, ibi quidem ſyllogiſmum, hic vero enthymema vocari. Neque vero dubium eſt, quin utrunque bonum ſpecies quoque rhetoricæ habeat. Siquidem perinde in his ſe res habet, ac in Methodicis dictum eſt; ſunt enim oratoriæ dictiones aliæ exemplares, aliæ enthymematicæ; itemque oratores alii exemplares, alii enthymematici; nec vero minus ad fidem appoſitæ ſunt orationes, quæ exemplis, ſed vehementius perturbant enthymematicæ; cauſſam vero eorum, & quo modo utroque utendum ſit, poſt dicemus; nunc de his ipſis apertius explicemus.

D *Quæ ſit materia, & forma enthymematis.*

QUoniam enim perſuaſibile eſt alicui perſuaſibile, atque unum quidem ſtatim eſt ex ſe perſuaſibile, & credibile, alterum vero, quia ex talibus demonſtratum videtur eſſe; nulla vero ars intendit ſingulare, ut medicina, quod Socrati ſalubre ſit, aut Calliæ, ſed quod tali, aut talibus, (hoc enim eſt artificioſum, ſingulare autem infinitum eſt, & ſcientia comprehendi non poteſt:) ſane nec rhetorica ſingulare probabile contemplabitur, ut quod Socrati, aut Hippiæ, ſed quod talibus, perinde ac dialectica; etenim illa ſyllogiſmum colligit non ex quibuslibet; E (videntur enim quædam etiam delirantibus,) ſed illa quidem ex iis, quæ rationem deſiderant, rhetorica vero ex iis, quæ in conſultationem cadere ſolent. Eſt autem munus ejus & de rebus ejuſmodi, de quibus conſultamus, & artes non habemus, & inter ejuſmodi auditores, qui non permulta contueri, neque altius perſpicere poſſint; conſultamus autem de iis, quæ in utrunque modum ſe videntur habere; nam de iis, quæ nequeunt aliter aut facta, aut futura eſſe, aut ſe habere, conſultat nemo, cum ita opinatur; neque enim aliter, quàm ita, poteſt ſuadere. Licet autem ſyllogiſmo concludere, & colligere alia quidem ex iis, quæ ſyllogiſmo ante concluſa ſunt, alia vero ex iis, quæ ſyllogiſmo non ſunt concluſa, illa quidem verum ſyllogiſmum deſiderant, quia non ſunt probabilia; neceſſe eſt autem ex his illud nos commode aſſequi non poſſe propter longitudinem (judicator enim ponitur eſſe rudis) hæc vero non eſſe perſuaſibilia, quia non ex confeſſis, neque probabilibus ſunt. Quare neceſſe eſt, & enthymema, & exemplum de iis eſſe, quæ evenire poſſunt, ita ut ſæpe etiam ſe habeant aliter; & ex paucis, & ſæpenumero paucioribus, quàm ex quibus primus ſyllogiſmus exiſtit. Si quid enim horum fuerit notum, non eſt opus exponere; ipſe enim id adjungit auditor; exempli gratia, quòd Dorieus ludis coronariis vicerit, ſatis eſt dicere, quia vicit Olympia; coronarios autem ludos eſſe Olympia, adjungere nihil attinet, quia notum eſt omnibus.

Enthymema ex veriſimilibus, & ſignis conſtare, & quid eorum utrunque ſit.

QUoniam autem pauca ſunt neceſſaria, ex quibus oratorii ſyllogiſmi exiſtunt; pleraque enim, de quibus judicia, & deliberationes ſunt, poſſunt etiam aliter ſe habere; quæ enim agunt, de iis etiam conſultant, & commentantur; quæ vero aguntur, omnia ejuſmodi ſunt, & nihil horum, prope dixerim, eſt ex neceſſitate; quæ vero plerunque accidunt, & eveniunt, ex ejuſmodi aliis concludantur, neceſſe eſt; neceſſaria vero ex neceſſariis, quod nobis liquet ex Analyticis: ſane dubium non eſt, quin ex quibus enthymemata ducuntur, alia neceſſaria futura ſint, plurima vero plerunque; ducuntur enim enthymemata ex veriſimilibus, & ſignis, adeo ut utrunque eorum idem eſſe cum horum utroque, neceſſe ſit. Veriſimile enim eſt, quod plerunque fit, non ſimpliciter tamen, ut definiunt quidam, ſed quod in iis rebus, quæ aliter ſe habere poſſunt, ita ſe habet ad id, cui eſt veriſimile, ut quod eſt in toto ad id, quod eſt in parte. Signorum autem unum ita ſe habet, ut ſingularium aliquod ad univerſale, alterum vero ut univerſale aliquod ad particulare; horum vero quod neceſſarium eſt, tecmerium, quod non neceſſarium, caret nomine, quo diſtinguatur. Ac neceſſaria quidem dico, ex quibus conficitur ſyllogiſmus; itaque tecmerium ſignum ejuſmodi eſt; quia cum ſolvi non poſſe, quod dictum eſt, arbitrantur, tum allatum eſſe tecmerium arbitrantur, quaſi demonſtratum, ac terminatum ſit; tecmar enim, & terminus priſca lingua idem valent; ſignorum autem unum eſt, ut ſingulare ad univerſale, perinde ut ſi quis diceret, ſignum eſſe, quòd ſapientes juſti ſint, quia Socrates ſapiens fuit, & juſtus; atque hoc quidem ſignum eſt; ſolvi autem poteſt, quanvis quod dicitur verum ſit, quia ſyllogiſmo concludi non poteſt. Alterum vero, ut ſi quis diceret, ſignum eſſe, quòd ægrotet, quia febri laborat, aut quòd peperit, quia lac habet, neceſſarium eſt; atque ex ſignis ſolum tecmerium eſt; ſolum enim, ſi verum ſit, inſolubile eſt. Tertium vero, ut univerſale ad particulare ſe habet; ut ſi quis dicat, quòd febri laboret, ſignum eſſe, quia frequenter anhelet; ſolvi autem & hoc poteſt, quanvis ſit verum; fit enim, ut & qui febri non laborat,

A rat, anhelet. Ac quid quidem veriſimile ſit, & quid ſignum, & tecmerium, & quid inter ea interſit, nunc quoque expoſitum eſt; dilucidius autem & de his, & propter quam cauſſam alia ſyllogiſmo concludi nequeant, alia vero concludantur, in Analyticis diſputatum eſt.

Quæ ſit materia, & forma exempli.

EXemplum autem inductionem eſſe, & cujuſmodi in rebus inductio, diximus; eſt autem neque ut pars ad totum, neque ut totum ad totum, ſed ut pars ad partem, ſimile ad ſimile, quoties
B utrunque fuerit ſub eodem genere, alterum vero altero notius ſit; veluti, quòd Dionyſius affectabat tyrannidem, cum poſtulabat cuſtodes, quia & Piſiſtratus antea affectans poſtulavit cuſtodes, eoſque adeptus tyrannidem occupavit, & Theagenes Megaris, & alii, quoſcunque ſciunt, exemplum omnes fiunt Dionyſii, de quo nondum ſciunt, propterea ne poſtulet; hæc autem omnia huic univerſali ſubjiciuntur: qui affectet tyrannidem cuſtodes poſtulare. Ac ex quibus quidem ducantur quæ ad demonſtrandum appoſitæ fides videntur, expoſitum eſt.

C

Veriſimilia, & ſigna duci tum ex propriis propoſitionibus, tum ex locis communibus.

ENthymematum autem magna differentia eſt, eaque omnes ferme maxime latet, quæ in dialectica quoque ratione ſyllogiſmorum verſatur; alia enim eorum in rhetorica, perinde atque in dialectica quoque ratione ſyllogiſmorum, exiſtunt, alia vero in aliis artibus, & facultatibus, partim quidem extantibus, partim vero nondum compertis; quocirca latent auditores, & qui commodius illa attingunt, à ſe ipſis recedunt. Erit autem apertius quod dicitur, ſi pluribus exponetur; dico autem dialecticos, & oratorios ſyllogiſmos eſſe, de quibus locos dicimus; hi vero
D ſunt, qui communiter de juſtis, & naturalibus, & de civilibus, & de multis ſpecie differentibus ſunt, ut majoris, & minoris locus; neque enim ex hoc licebit ſyllogiſmum colligere, aut enthymema proferre de juſtis potius, quàm de naturalibus, aut quacunque de re; atqui hæc ſpecie differunt. Propria vero quæ ex propoſitionibus exiſtunt, quæ in unaquaque ſpecie, genereque verſantur; ut, de naturalibus ſunt propoſitiones, ex quibus neque enthymema, neque ſyllogiſmus eſt de moralibus; itemque de his aliæ, ex quibus non erit de naturalibus; eodemque modo hoc ſe habet in omnibus. Et illa quidem nullo
E in genere prudentem efficient, quia in nulla re ſubjecta verſantur, hæc vero quo quis in propoſitiones meliora ſelegerit, clam aliam ſcientiam à dialectica, & rhetorica fecerit; etenim ſi in principia inciderit, non amplius dialectica, & rhetorica, ſed illa demum erit, cujus principia tenet; maxima vero pars enthymematum ex his formis elicitur, quæ in parte ſunt, & propriæ, minor vero ex communibus. Ut ergo in Topicis, item hic diſtinguendæ ſunt enthymematum formæ, locique, ex quibus eſt aſſumendum; dico autem formas, proprias in unoquoque genere propoſitiones, locos vero, æque omnium communes. Ac prius quidem de formis doceamus, verum genera rhetoricæ primum arripiamus, ut poſteaquam quàm multa ipſa ſint, tradiderimus, de his ſeparatim elementa, ac propoſitiones arripiamus.

Proprias propoſitiones duci ex finibus trium generum rhetoricæ, deliberativo, judiciali, demonſtrativo, & quid eorum ſingula ſint.

CEterum formæ rhetoricæ tres ſunt, quia tot etiam ſunt auditores orationum. Conſtat enim ex tribus oratio, ex eo, qui dicit, & re, de qua dicit, & eo, ad quem; finiſque ad hunc, auditorem inquam, refertur. Neceſſe eſt autem, ut auditor aut ſpectator ſit, aut judicator: judicator vero aut rerum præteritarum, aut futurarum; eſt autem qui de rebus futuris judicat, ut concio; qui vero de præteritis, ut judex; qui vero de facultate, ſpectator; quare ex neceſſitate tria ſunt genera orationum rhetoricarum, deliberativum, judiciale, demonſtrativum; deliberationis vero unum eſt adhortatio, alterum dehortatio, quia ſemper & qui privatim ſuadent, & qui publice cum populo agunt, alterum horum efficiunt; judicii vero unum accuſatio, alterum defenſio, quia horum alterum facere neceſſe eſt eos, qui controverſantur; demonſtrativi vero unum laus, alterum vituperatio. At vero tempora cujuſque horum ſunt, ſuaſori quidem futurum, quia de futuris ſuadet, qui aut hortatur, aut dehortatur; litiganti vero præteritum, quia de factis ſemper alter accuſat, alter defendit; demonſtrativo vero præſens aptiſſimum eſt illud quidem; quoniam ex iis, quæ inſunt, laudant, aut vituperant omnes, aſſumunt tamen ſæpe etiam præterita, recordantes, & futura augurantes. Finis autem horum unicuique diverſus eſt, & tribus quidem triplex; ſuaſori utile, & inutile, quia ſuaſor tanquam melius ſuadet, dehortator tanquam deterius dehortatur, reliqua vero ad hoc ſimul aſſumit, aut juſtum, aut injuſtum, aut honeſtum, aut turpe; litigantibus juſtum, & injuſtum, reliqua vero ad hæc & iſti ſimul aſſumunt; laudantibus, ac vituperantibus, honeſtum, ac turpe, alia vero & iſti ad hæc referunt. Eſſe autem unicuique eum, quem diximus, finem, ſignum eſt, quòd ceteris de rebus aliquando non diſceptabunt; ut litigator, non eſſe factum, aut non nocuiſſe; at injuſte feciſſe, nunquam confitebitur; neque enim judicio opus eſſet; ſimiliter vero qui ſuadent, cetera ſæpenumero abjiciunt, ſe vero inutilia ſuadere, aut ab utilibus deterrere haudquaquam concederent; utrum autem injuſtum ſit, vicinos in ſervitutem adducere etiam nullam injuriam inferentes, ſæpenumero non conſiderant. Similiter vero & qui laudant, & qui vituperant, utiles ne res, an inutiles fecerit, non attendunt, verum in laude ſæpe etiam ponunt, quòd, proprio neglecto commodo, honeſti aliquid geſſerit; veluti Achillem laudant, quòd Patroclo ſodali opitulatus ſit, cum ſibi moriendum eſſe intelligeret, ac vivere liceret; at ejuſmodi mors illi honeſtior, vita vero utilis fuit. Ex his autem, quæ dicta ſunt, apparet, primum de his rebus propoſitiones neceſſario eſſe habendas; quia tecmeria, & veriſimilia, & ſigna, propoſitiones ſunt oratoriæ; nam omnino ſyllogiſmus ex propoſitionibus conſtat, enthymema

A vero ſyllogiſmus eſt, ex iis, quas diximus, propoſitionibus conſtitutus.

Præter propoſitiones proprias etiam communes eſſe tenendas.

QUoniam autem impoſſibilia geſta eſſe, aut geſtum iri non poſſunt, ſed poſſibilia, & quæ geſta non ſunt, aut non erunt, ea aut geſta eſſe, aut geſtum iri non poſſunt, neceſſe eſt, ut & ſuaſor, & litigator propoſitiones habeant de poſſibili, & impoſſibili, & an factum ſit, nec ne, & an erit, nec ne. Jam vero quoniam omnes & qui laudant, atque vituperant, & qui adhortantur, atque dehortantur, & qui accuſant, atque
B defendunt, non ſolum quæ dicta ſunt, demonſtrare conantur, ſed etiam magnum eſſe, aut parvum quod bonum eſt, aut malum, aut honeſtum, aut turpe, aut juſtum, aut injuſtum, aut per ſe proferentes, aut contra inter ſe comparantes: ſane dubium non eſt, quin & de magnitudine, ac parvitate, & majori, ac minori, & in univerſum, & de unoquoque propoſitiones habere oportuerit, ut quodnam majus bonum ſit, aut minus, aut injuria, aut jus; ſimiliterque de ceteris. Ac de iis quidem, quorum neceſſario ſunt comparandæ propoſitiones, diximus; deinceps vero de unoquoque horum ſeparatim eſt diſſe-
C rendum, nempe de quibus ſuaſio, & de quibus demonſtrativæ orationes, tertio vero loco de quibus judicia ſint.

Quinque potiſſimum de rebus in genere deliberativo conſilium agitari.

AC primum quidem ſumendum eſt, quibus de bonis, aut malis ſuaſor ſuadeat; ſiquidem non de omnibus, ſed de iis, quæ & fuiſſe, & non fuiſſe contingit: quæ vero ex neceſſitate aut ſunt, aut erunt, aut eſſe non poteſt, quin ſint, aut fuerint, de his ſuaſio nulla eſt; neque vero de contingentibus omnibus, (ſunt enim quædam bona, quæ & natura, & à fortuna ſunt, ex iis, quæ contin-
D git, ut ſint, & non, de quibus non eſt proclive conſilium) verum de iis nimirum, de quibus eſt conſultatio; ejuſmodi vero ſunt, quæ naturam habent, ut ad nos referantur, & quorum principium originis eſt in nobis; eatenus enim conſideramus, quoad inveniamus, adminiſtrari ne à nobis poſſint, an non poſſint. Ac ſingula quidem diligenter enumerare, & in formas ea digerere, de quibus ſoliti ſunt agere, itemque quoad fieri poteſt, de iis ad veritatem diſſerere, in præſenti conari non attinet, quia rhetoricæ non eſt artis, ſed prudentioris, & verioris, & quia multo plura ei nunc etiam ſunt tributa, quàm pro-
E pria contemplatio ferat; quod enim ſupra etiam diximus, verum eſt, rhetoricam conſtare tum ex Analytica ſcientia, tum ex politica, quæ de moribus eſt; ſimilem autem eſſe partim dialecticæ, partim ſophiſticis rationibus; quòd ſi quis aut dialecticam, aut hanc, non ut facultates, ſed ut ſcientias ornare conetur, clam naturam earum evertet, dum afferendis ornamentis tranſibit ad ſcientias ſubjectarum quarundam rerum, non autem duntaxat rationum. Veruntamen quæcunque prompta ſunt ad explicandum, ac locum præterea meditandi ſcientiæ civili relinquunt, nunc etiam exponamus. Etenim ea, de quibus omnes deliberant, & de quibus ſuaſores loquuntur, quæ maxima, ferme quinque numero ſunt, hoc eſt de parandis pecuniis, & bello, ac pace, item de cuſtodia regionis, & iis rebus, quæ invehuntur, & evehuntur, legibuſque inſtituendis. Ergo qui de parandis pecuniis conſilium daturus eſt, vectigalia civitatis noſſe debebit, quæ, & quanta ſint; ut ſi quod deſit, adjungatur, & ſi quod minus ſit, augeatur; item ſumptus civitatis omnes; ut ſi quis ſit ſupervacaneus, tollatur, & ſi quis major, imminuatur; quia non ſolum iis, quæ adſunt, addendo, locupletiores evadunt, ſed etiam de ſumptibus detrahendo; hæc autem non ſolum ex privatorum negociorum uſu intelligere poſſumus, verum eorum etiam, quæ apud alios inventa ſunt, hiſtoricum eſſe ad horum conſilium eſt neceſſe. De bello autem, & pace, copias noſſe civitatis, & quantæ jam adſint, & quantæ poſſint adeſſe, & quales ſint, quæ adſint, & ſi quæ poſſint accedere; itemque bella quomodo, & quæ bellarit; neque vero ſuæ ſolum civitatis, ſed etiam finitimorum has res noſſe neceſſe eſt; aut etiam quibuſcum glorioſum ſit, bellum gerere; ut cum potentioribus pax habeatur, cum inferioribus bellum gerere in ſua poteſtare poſitum ſit; & copias, utrum ſimiles, an diſſimiles; quia fieri poteſt, ut ea quoque ex parte ſuperiore, aut inferiore conditione ſimus; eſt autem neceſſe, earum etiam rerum cauſſa non domeſtica ſolum bella, ſed etiam aliena noraſſe, quem eventum habuerint; quia natura comparatum eſt, ut ſimilia ex ſimilibus oriantur. Jam vero de cuſtodia regionis, non ignorare, quo pacto cuſtodiatur, ſed & multitudinem noſſe cuſtodum, & formam, & loca præſidiorum; quod facere non poteſt, niſi qui peritus eſt regionis; ut &, ſi minor cuſtodia ſit, augeatur, & ſi qua ſupervacanea, minuatur, & opportuna loca potius tueantur. Præterea vero de annona, quanta in ſumptum ſatis ſit civitati, & qualis ſit, quæ ibi naſcitur, & quæ invehitur, & quarum rerum exportationis, & quarum importationis indigeant; ut cum his & fœdera, & pactiones fiant; duorum enim ne in offenſionem incurrant cives, providere neceſſe eſt, & qui potentiores, & qui ad hæc utiles ſint. Ad incolumiratem autem cum hæc omnia perſpicere poſſe neceſſe eſt, tum non minimum eſt, de legum inſtitutione cognoſcere; eſt enim ſita civitatis ſalus in legibus; quare neceſſarium eſt, ſcire, quæ ſint formæ rerum publicarum, & quales unicuique proſint, & à quibus everti natura ſua queant, tum reipublicæ propriis, tum contrariis; dico autem everti à propriis, quia præter optimam rempublicam aliæ omnes & remittendo, & intendendo labefactantur; ut populi dominatus non remittendo ſolum imbecillior evadit, ut ad extremum ad paucorum imperium perventurus ſit, ſed etiam nimium intendendo; ut etiam grypitas, & ſimitas non ſolum, dum remittuntur, ad medium tendunt, ſed etiam, cum nimium grypa, aut ſima fiunt, ita naſum afficiunt, ut ne nares quidem eſſe videantur. Proficit autem ad leges inſtituendas, non ſolum, quæ reſpublica utilis ſit, in præteritas intuendo, cognoſcere, ſed etiam alienas, quales qualibus conveniant, non ignorare; ex quo perſpicuum eſt, ad legum lationem ambitus terræ valere, quia hinc gentium leges conſequi licet, ad civilia vero conſilia eorum,

qui

Qui res geſtas ſcriptis prodiderunt, hiſtorias; quæ omnia politicæ, non rhetoricæ opus ſunt. Ac quæ quidem tenere, qui ſuaſurus eſt, debet, quæ maxima, tam multa.

Proprias propoſitiones in deliberando duci ex beatitudine, & partibus ejus.

EX quibus vero & de his, & de aliis adhortari, aut dehortari debet, deinde dicamus. Eſt autem tum privatim ſingulis, tum communiter omnibus propoſitum quiddam, in quod intuentes & perſequuntur, & fugiunt, atque hoc eſt, ut ſummatim dicam, tum beatitudo, tum partes ejus. Quamobrem exempli gratia ſumamus, quid ſit, ut ſimpliciter dicam, beatitudo, & ex quibus partes ejus; de hac enim, & iis, quæ ad eam referuntur, & contrariis ei & adhortationes, & dehortationes omnes exiſtunt; quia quæ hanc pariunt, oportet agere, quæ vero evertunt, aut impediunt, aut contra efficiunt, non agere.

De beatitudine, & partibus ejus, bonis animi, corporis, & fortunæ.

SIt ergo beatitudo bona actio cum virtute; aut vita ſe ipſa contenta; aut vita cum incolumitate jucundiſſima; aut firma poſſeſſionum, & corporum conſtitutio cum facultate rerum harum conſervatrice, atque effectrice; quia fermè unum horum, aut plura omnes eſſe beatitudinem fatentur. Si ergo beatitudo eſt ejuſmodi, neceſſe eſt, partes ejus eſſe nobilitatem, amicorum copiam, bonorum amicitiam, divitias, liberorum probitatem, liberorum multitudinem, bonam ſenectutem; item corporis virtutes, ut valetudinem, pulchritudinem, robur, magnitudinem, certatricem facultatem, exiſtimationem, honorem, bonam fortunam, virtutem, aut etiam partes ejus prudentiam, fortitudinem, juſtitiam, temperantiam; quia ita maxime ſe ipſo contentus erit, ſi ei ſuppetant tum quæ in ipſo ſunt bona, tum quæ extrinſecus: neque enim alia ſunt præter hæc; in ipſo vero ſunt, quæ in animo ſunt, & quæ in corpore; extrinſecus vero nobilitas, & amici, & pecuniæ, & honor; præterea vero convenire arbitramur facultates, & fortunam adeſſe: quia hoc modo vita maxime erit incolumis; ſumamus igitur eodem modo, quid horum unum quodque ſit. Ac nobilitas quidem eſt genti, ac civitati, indigenas, aut antiquos eſſe, & primos duces illuſtres, & ex ipſis multos ortos in iis rebus, quas æmulamur, illuſtres, privatim autem nobilitas eſt aut à viris, aut à mulieribus, tum legitima ab ambobus origo, tum, ut in civitate, primos claros fuiſſe aut virtute, aut divitiis, aut alia rerum earum, quæ in honore ſunt, tum multos ex gente illuſtres fuiſſe tum viros, tum mulieres, tum adoleſcentes, tum ſenes. Probitas autem liberorum, & multitudo non obſcura ſunt; eſt autem reipublicæ probitas liberorum, ſi multa juventus adſit, eaque bona; bona vero ex virtute corporis, ut magnitudine, pulchritudine, robore, certatrice facultate; animi vero, temperantia, & fortitudo virtutes juvenis ſunt; privatim vero liberorum probitas, & multitudo eſt proprios liberos multos, & tales adeſſe, tum feminas, tum mares; feminarum vero virtus, corporis quidem, pulchritudo, & magnitudo; animi vero temperantia,

A & operis ſtudium ſine illiberalitate; æque autem & privatim, & publice, tum in viris, tum in mulieribus, danda eſt opera, ut ejuſmodi ſingula adſint; quibus enim diſciplina mulierum vitioſa eſt, ut Lacedæmoniis, ii dimidia propemodum ex parte beati non ſunt. Divitiarum vero partes ſunt nummi, agri copia, locorum poſſeſſiones, itemque ſupellectilium poſſeſſiones, & pecorum, & mancipiorum multitudine, & magnitudine, & pulchritudine excellentium. Hæc autem omnia & incolumia, & liberalia, & utilia ſunt; ſunt autem utilia magis, quæ fructuoſa; liberalia vero, quæ voluptatis cauſſa. Fructuoſa dico, ex quibus vectigalia; voluptuaria, ex B quibus nihil præter uſum exigitur, quod quidem æſtimandum ſit. Finis autem incolumitatis eſt, eo in loco, & eo modo poſſidere, ut in ſe ſit uſus; proprietatis vero, aut contra, quoties in ſe ſit alienatio; dico autem alienationem, largitionem, & venditionem; omnino autem divitiæ in uſu potius, quàm in poſſeſſione conſiſtunt; actus enim rerum ejuſmodi, & uſus divitiæ ſunt. Bona exiſtimatio vero eſt, ab omnibus virtute præditum judicari, aut ejuſmodi aliquid habere, quod expetant omnes, aut plerique aut boni aut prudentes. Honor autem beneficæ eſt ſignum exiſtimationis; honorantur autem merito quidem, & in primis qui beneficium dederunt, C veruntamen honoratur etiam qui poteſt beneficium dare; beneficium vero eſt, quod pertinet ad ſalutem, & ad ea, quæ cauſſa ſunt, ut ſimus, aut ad divitias, aut ad aliquod aliorum bonorum, quorum non eſt facilis comparatio, aut omnino, aut in eo loco, aut aliquando; multi enim ex rebus etiam, quæ parvæ videntur, honorem adipiſcuntur, verum loca, & occaſiones cauſſam afferunt. Partes autem honoris ſunt ſacrificia, monumenta & verſibus, & ſine verſibus, præmia, luci, præſeſſiones, ſepulchra, ſtatuæ, victus publici, barbarica, ut adorationes, & exceſſiones, munera apud quoſque pretioſa; eſt enim donum largitio poſſeſſionis, & ſignum honoris; itaque D & qui pecuniarum, & qui honoris ſtudioſi ſunt, ipſa appetunt; ambobus enim ſuppeditant ea, quæ requirunt; eſt enim poſſeſſio, quam expetunt, qui pecuniarum ſunt ſtudioſi, & honorem continet, quem, qui honoris. Corporis autem virtus, valetudo; hæc vero eſt ita, ut expertes morbi ſint, qui corporibus utuntur; multi enim valent, ut de Herodico fertur, quos nemo valetudinis cauſſa beatos fecerit, quòd ab omnibus abſtineant rebus humanis, aut plurimis. Pulchritudo vero in quaque ætate diverſa eſt; ac juvenis quidem pulchritudo eſt idoneum corpus ad labores habere, tum ad curſum, tum ad vim, & jucundum eſſe aſpectu ad voluptatem; itaque E quinquertiones pulcherrimi, quia ad vim, & ad velocitatem ſimul ſunt nati; vigentis autem, ad labores bellicos, jucundum autem eſſe viſu cum terrore; ſenis vero, ad labores neceſſarios idoneum, indolens tamen, quia nihil habeat ex iis, quibus ſenectus læditur. Robur autem eſt facultas movendi alterum, ut vult; neceſſe eſt autem movere alterum aut trahendo, aut pellendo, aut tollendo, aut deprimendo, aut collidendo; quare robuſtus aut omnibus, aut nonnullis horum eſt robuſtus. Magnitudinis vero virtus eſt, ſuperare proceritate, & altitudine, & latitudine pleroſque tanto magis, ut ne tardiores reddat mo-

motiones ob exuperationem. Certatrix vero corporis virtus conſtat ex magnitudine, & robore, & velocitate; etenim velox eſt robuſtus; qui enim poteſt crura projicere quodammodo, & cito movere, & longe, curſor eſt; qui vero premere, & tenere, palæſtrita; qui vero ictu pellere, pugil; qui vero horum utroque, pancratiaſtes; qui vero omnibus, quinquertio. Bona ſenectus autem eſt tarditas ſenectutis cum indolentia; neque enim, ſi cito ſeneſcat, bona præditus eſt ſenectute, neque ſi vix quidem, ſed cum dolore; eſt autem & inter corporis virtutes, & fortunæ; etenim, niſi expers morbi ſit, ac robuſtus, non carebit malo, neque indolens, & longævus ſine fortuna conſtiterit. Eſt autem quædam etiam præter robur, & valetudinem alia facultas longævitatis; multi enim ſine corporis virtutibus longævi ſunt; verum accurata harum rerum diſputatio nihil ad præſentia pertinet. Multorum amicitia vero, & bonorum amicitia haudquaquam obſcura ſunt, deſinito amico; nempe ejuſmodi eſſe amicum, qui, quæ bona eſſe alteri arbitratur, eorum eſt efficiens propter illum; cui ergo ejuſmodi ſuppetunt multi, multis eſt inſtructus amicis; cui vero etiam boni viri, probis eſt inſtructus amicis. Bona fortuna vero eſt, quorum bonorum cauſſa eſt fortuna, ea confici, & ſuppetere, aut omnia, aut plurima, aut maxima; cauſſa autem eſt fortuna cum nonnullarum rerum, quarum etiam ſunt artes, tum multarum arte quoque vacantium, ut quarum natura, quas tamen contra naturam etiam eſſe contingit; valetudinis enim ars eſt cauſſa, pulchritudinis vero, & magnitudinis natura; omnino vero ejuſmodi bona à fortuna ſunt, in quibus verſatur invidia; eſt autem bonorum etiam, quæ præter rationem, fortuna cauſſa, ut ſi alii fratres ſint deformes, hic vero pulcher; aut ſi alii non viderunt theſaurum, hic vero invenit; aut ſi vicinum attigit telum, hunc vero nequaquam; aut ſi non venit, cum ſolus quotidie ventitaret, qui vero ſemel venerunt, interierunt; hæc enim ejuſmodi à bona fortuna profecta omnia exiſtimantur. De virtute vero, quoniam maxime proprius eſt, in quo de laudibus agitur, locus, tum, cum de laude verba faciemus, erit differendum. Ac quæ quidem ſpectare adhortantes, tanquam futura, aut præſentia, & quæ dehortantes, oportet, perſpicuum eſt; contraria enim ſunt his.

De bonis, & utilibus confeſſis, quæ ad beatitudinem referuntur.

SEd quoniam ſuaſori finis propoſitus eſt utilitas; conſultant autem non de fine, ſed de iis, quæ referuntur ad finem; hæc autem ſunt, quæ in actionibus utilia ſunt; utile vero eſt bonum: ſumenda erunt elementa de bono, utilique ſimpliciter. Sit ergo bonum, quod ipſum ſui cauſſa ſit eligendum; & cujus cauſſa aliud eligimus; & quod expetunt omnia, aut omnia ſenſum habentia, aut mentem; aut ſi mentem adipiſcerentur; & quæ mens unicuique dictaverit, & quæ mens, quæ in unoquoque eſt, unicuique dictaverit, illud eſt bonum unicuique; & quo præſente bene afficitur, & ſe ipſo contentum eſt; & quod ſe ipſo contentum eſt; & quod res tales efficiendi, ac cuſtodiendi vim habet; & quod res ejuſmodi conſequuntur; & quæ res contrarias prohibendi, & quæ interimendi vim habent; conſequuntur autem bifariam; aut enim ſimul, aut poſterius; ut diſciplinam quidem conſequitur ſcientia poſterius, valetudinem vero vita ſimul; efficiendi vero vim habent trifariam; alia ut valere valetudinis, alia, ut cibaria valetudinis, alia, ut exercitatio, quia plerunque efficit valetudinem. His autem poſitis, neceſſe eſt, & adeptiones bonorum bonas eſſe, & depulſiones malorum; conſequens eſt enim illi quidem non habere malum, ſimul, huic vero habere bonum, poſterius. Et pro minore bono majoris adeptio, & pro majore malo, minoris; quo enim excellit majus minore, hoc ſit ejus quidem adeptio, hujus vero depulſio. Quin etiam virtutes bonum eſſe, neceſſe eſt; quia ex his & bene afficiuntur, qui præditi ſunt, & ipſæ bona efficiendi, atque agendi vim habent; de unaquaque vero & quæ, & qualis ſit, dicendum eſt ſeparatim. Et voluptatem bonum eſſe; quia hanc omnia natura expetunt animantia; quare & jucunda, & honeſta bona eſſe neceſſe eſt; illa enim voluptatem efficiendi vim habent, honeſtorum autem alia jucunda, alia ipſa per ſe eligenda ſunt. Ut autem de ſingulis agam, hæc bona ſint neceſſe eſt: beatitudo; quia per ſe eligenda, & ſe ipſa contenta eſt, & ejus cauſſa multa eligimus: juſtitia, fortitudo, temperantia, magnanimitas, magnificentia, & alii habitus tales; quia virtutes animi ſunt. Et valetudo, & pulchritudo, & quæ ſunt ejuſmodi; quia virtutes corporis ſunt, & multas res efficiendi vim habent, ut valetudo & voluptatem, & vitam; itaque optima res videtur eſſe, quia duarum rerum eſt cauſſa, quæ maximo apud vulgus in pretio ſunt, voluptatis, & vitæ. Divitiæ; quia virtus eſt poſſeſſionis, & multas res efficiendi vim habent. Amicus, & amicitia, quia amicus eſt per ſe eligendus, & multas res efficiendi vim habet. Honor, exiſtimatio; quia jucunda ſunt, & multas res efficiendi vim habent; atque ea plerunque conſequitur, ut adſint illa, propter quæ honore afficiuntur. Facultas, dicendi, agendi; quia ejuſmodi omnia vim bona efficiendi habent. Item ingenium, memoria, docilitas, ſolertia, omnia ejuſmodi; quia facultates hæ bona efficiendi vim habent; ſimiliter vero etiam ſcientiæ omnes, & artes. Et vita; quia etiam ſi nihil boni aliud ſequeretur, res eſt per ſe eligenda. Et juſtum; quia quoddam eſt communiter utile. Atque hæc quidem ferme bona confeſſa ſunt.

De bonis, & utilibus controverſis.

IN controverſis autem ex his ſyllogiſmi exiſtent. Cui contrarium eſt malum, & illud bonum. Et cujus contrarium inimicis prodeſt; ut ſi timidos eſſe maxime prodeſt inimicis, ſine dubio fortitudo res eſt maxime civibus ſalutaris. Et omnino quod eſt contrarium ei, quod inimici volunt, aut quo lætantur, commodum videtur; itaque recte dictum eſt: *Certe gaudebit Priamus*, neque vero eſt ita ſemper, ſed plerunque; nihil enim prohibet, quin idem aliquando adverſariis proſit; unde dicitur, mala conciliare homines, quoties idem ambobus noceat. Et cujus non eſt nimium, id eſt bonum; quod vero majus ſit, quàm oportet, malum. Et cujus cauſſa multi labores ſuſcepti, aut ſumptus facti ſunt; quia ſpeciem jam habet boni, taleque jam ut finis exi-

A èxiſtimatur, finiſque multarum rerum; finis autem bonum eſt; unde illa dicta ſunt: *Et Priamo ſimam*, item: *Turpe manere diu eſt*: & proverbium illud: *In foribus hydriam*. Et quod multi expetunt, & de quo certatur, ſpeciem habet; quia quod omnes expetunt, id bonum erat, multi vero perinde, ac omnes videntur. Et quod eſt laudabile; quia nemo laudat, quod non eſt bonum. Et quod inimici, & pravi laudant; quaſi enim omnes jam confitentur, ſi & qui incommodum acceperunt; quia enim perſpicua res eſt, confitentur. Ut etiam pravi, quos amici vituperant, & boni, quos inimici non vituperant; itaque ſe convicio affectos ſine cauſſa ſuſpicati B Corinthii ſunt à Simonide, cum ſcripſit: *Corinthios non accuſat Ilium*. Et quod prudentium aliquis, aut bonorum virorum, aut mulierum judicio ſuo prætulit, ut Ulyſſem Minerva, & Helenam Theſeus, & Alexandrum deæ, & Achillem Homerus. Et omnino quæ ſunt præeligenda; præeligunt autem facienda & ea, quæ diximus; & quæ inimicis ſunt mala; & quæ amicis bona; & quæ fieri poſſunt; hæc vero biſariam, tum quæ fiant, tum quæ facile fiant; (facilia vero, quæ ſine moleſtia, aut brevi tempore; quia difficile definitur aut moleſtia, aut longitudine temporis), & ſi ita, ut volunt; volunt autem vel nihil mali, vel minus, quàm boni; hoc autem C erit, ſi aut lateat pœna, aut certe ſit modica. Et quæ ſunt propria, & quæ nullius, & eximia; quia honor ita ſuppetit magis. Et quæ conveniunt ipſis; qualia ſunt, quæ pro genere, opibuſque conveniunt. Et quæ ſibi putant deeſſe, quamvis ſint exigua; quia nihilo ſecius ea præeligunt facienda, & quæ ad conficiendum facilia ſunt, quia fieri poſſunt, tanquam facilia; (ad conficiendum verò facilia ſunt, & quæ omnes, aut plerique, aut pares, aut inferiores recte geſſerunt), & in quibus gratificabuntur amicis, aut moleſtiam afferent inimicis; & quæ adminiſtranda præeligunt ii, quos admirantur; & in quibus ingenioſi ſunt, ac periti; facilius enim putant, D ſe recte geſturos; & quæ vilis nemo; quia ſunt laudabilia magis; & quorum ſunt appetentes, quia non ſolum jucundum, ſed etiam melius videtur; & in quibus præcipue ſinguli tales, ut victoriæ cupidi, ſi victoria aderit, honoris, ſi honor, pecuniarum, ſi pecunia, & alii eodem modo. Ac de bono quidem, & utili, ex his depromendæ fides ſunt.

De majore, ac minore bono, ac utili.

QUoniam autem ſæpenumero confitentes, utrunque utile eſſe, de eo controverſantur, quod magis ſit, deinceps de majore bono, & magis utili diſſerendum eſt. Sit ergo E quod ſuperat, tantum, & amplius, quod ſuperatur vero id, quod ineſt; ac majus quidem ſemper, & plus præ minori; magnum vero, & parvum, & multum, & paucum præ multarum rerum magnitudine; & quod ſuperat quidem, magnum, quod deficit vero, parvum; & multum, & paucum eodem modo. Quoniam igitur bonum dicimus, & quod ipſum ſui cauſſa, & non alius eſt eligendum; & quod omnia appetunt; & quod mentem, ac prudentiam adepta eligerent; & quod efficiendi, & quod cuſtodiendi vim habet; & quod quæ ſunt ejuſmodi conſequuntur; id autem cujus cauſſa, finis eſt; finis autem eſt, cujus cauſſa cetera; huic vero bonum, quod erga ipſum hæc paſſum eſt: ſane neceſſe eſt, quæ plura ſunt uno, aut paucioribus, adnumerato uno, aut paucioribus, majus item bonum eſſe, quia ſuperat; quod autem ineſt, ſuperatur. Et ſi maximum maximo præſtet, etiam ipſa ipſis, & ſi omnia ipſa ipſis, etiam maximum maximo, ut ſi maximus vir maxima muliere major, etiam omnino viri mulieribus majores, & ſi viri omnino mulieribus majores, etiam vir maximus maxima muliere major; proportionem enim habent exuperantiæ generum, & rerum, quæ in eis ſunt, maximarum. Et quando huic quidem illud fuerit conſequens, hoc autem illi nequaquam; conſequitur autem aut ſimul, aut deinceps, aut facultate; ineſt enim uſus conſequentis in alterius; conſequitur autem ſimul valetudinem vita, hæc vero eam nequaquam, poſterius autem diſciplinam ſcientia, facultate vero ſacrilegium ſurreptio, quia qui ſacrilegium fecerit, etiam ſurripuerit. Et quæ majus ipſo ſuperant, majora; qu·a & quod majus eſt, ſuperent neceſſe eſt. Et quæ majoris boni efficiendi vim habent, majora; hoc enim erat majora efficiendi vim habere. Et cujus efficiens majus, eodem modo, ſi enim ſalubre eligendum eſt magis jucundo, & majus bonum eſt, etiam ſanitas jucunditate erit major. Et quod magis eſt eligendum propter ſe eo, quod non propter ſe, ut robur ſalubri; illud enim non ſui cauſſa, hoc vero ſui; idque erat bonum. Et ſi unum quid··n ſit finis, alterum vero non finis; hoc enim alius cauſſa, illud vero ſui, ut exercitatio cauſſa bonæ affectionis corporis. Et quod minus indiget altero, aut alteris; quia ſe ipſo contentum eſt magis; minus vero indiget, quod paucioribus, aut facilioribus indiget. Et quoties unum quidem ſine altero non ſit, aut non poſſit fieri, alterum vero ſine illo; eſt enim ſeipſo contentum magis, quod non indiget; quare majus bonum videtur. Et ſi ſit principium, alterum vero non principium. Et ſi ſit cauſſa, alterum vero non cauſſa, propter eandem rationem; quia ſine cauſſa, aut principio non poteſt eſſe, aut fieri. Et ex duobus principiis, quod à majori principio, majus. Et ex duabus cauſſis, quod à majori cauſſa, majus. Et viciſſim ex duobus principiis, quod eſt majoris principium, majus, & ex duabus cauſſis, quod majoris eſt cauſſa, majus; perſpicuum eſt igitur ex iis, quæ dicta ſunt, utroque modo majus poſſe apparere; etenim ſi unum principium ſit, alterum non principium, majus eſſe exiſtimabitur; & ſi non principium, alterum vero principium; quia finis major eſt, & non principium; ut Leodamas cum Calliſtratum accuſaret, dixit, qui conſilium dedit eo, qui patravit, magis peccaſſe; quia factum non fuiſſet, niſi conſilium dediſſet: iterum vero cum Chabriam, eum, qui patraſſet, eo, qui conſilium dediſſet; quia hujus rei cauſſa conſilium dant, ut agant. Et rariora copioſis, ut aurum ferro, cum minus utile ſit; quia major eſt poſſeſſio, propterea quia difficilior eſt. Alio vero modo copioſa raris; quia uſus præſtat; quod enim ſæpe, præſtat ei, quod raro; unde dicitur: *Optima quidem aqua*. Et omnino difficiliora facilioribus; quia rariora. Alio vero modo faciliora difficilioribus; quia ſe habent ita, ut volumus. Et cujus contrarium majus. Et cujus privatio major. Et virtus non virtute, & vitium non vitio, majus; quia illa fines, hæc non fines. Et quorum opera ho-

ne-

neſtiora, aut turpiora, ipſa majora. Et quorum vitia, aut virtutes majores, etiam opera majora; quoniam ut cauſſæ, atque principia, item eventa, & ut eventa, item cauſſæ, atque principia. Et quorum exuperantia magis eligenda, aut magis honeſta; ut exquiſite videre eligendum eſt magis, quàm odorari; quare aſpectus, quàm odoratus; & ſodalium ſtudioſum eſſe potius, quàm pecuniarum honeſtius eſt, quare ſtudium etiam ſodalium, quàm ſtudium pecuniarum. Et contra, meliorum exuperantiæ, meliores, & honeſtiorum, honeſtiores. Et quorum cupiditates honeſtiores, & meliores; quia majores appetitiones majorum rerum ſunt ſemper; & honeſtiorum, aut etiam meliorum cupiditates, meliores, aut honeſtiores propter eandem rationem. Et quorum ſcientiæ honeſtiores, aut magis probæ, etiam res honeſtiores, & magis probæ; ut enim ſe habet ſcientia, item veritas; præcipit autem unaquæque eam, quæ ſui eſt. Et ſcientiæ rerum magis probarum, & honeſtiorum, ex proportione propter eandem rationem. Et quod judicarent, aut judicarunt prudentes, aut omnes, aut vulgares, aut plerique, aut optimi bonum, aut majus eſſe, id ita ſe habere neceſſe eſt, aut ſimpliciter, aut ſi pro prudentia judicaſſent. Eſt autem hoc commune etiam in aliis; etenim quid, & quantum, & quale perinde ſe habet, ac ſcientia, prudentiaque præſcripſerit. Sed de bonis diximus; definitum eſt autem bonum id eſſe, quod prudentiam adeptæ res unaquæque eligeret; ex quo perſpicuum eſt, & majus id eſſe, quod magis prudentia dictat. Et quod melioribus ineſt, aut ſimpliciter, aut quatenus ſunt meliores, ut fortitudo robore. Et quod eligeret melior, aut ſimpliciter, aut quatenus melior eſt, ut injuriam accipere potius, quàm inferre; hoc enim juſtior eligeret. Et jucundiora minus jucundis; quia jucunditatem omnia perſequuntur, ipſiuſque cauſſa cupiunt jucunditate perfundi; his autem & bonum, & finis eſt definitus; jucundiora vero ſunt, & quæ minus moleſta, & quæ diutius ſunt jucunda. Et honeſtiora minus honeſtis; honeſtum enim eſt, aut quod eſt jucundum, aut quod propter ſe eligendum. Et quorum ipſi ſibi ipſis, aut amicis cauſſæ eſſe cupiunt magis, hæc majora ſunt bona, quorum vero minime, majora mala. Et diuturniora minus diuturnis. Et firmiora infirmioribus; præſtat enim uſus eorum quidem, tempore, horum vero voluntate; quoties enim velint, præſto eſt magis rei firmæ uſus. Et ut ex conjugatis, & ſimilibus caſibus, item alia conſequuntur: ut ſi fortiter honeſtius, & magis eligendum eſt, quàm temperanter, etiam fortitudo magis eligenda, quàm temperantia, & fortem eſſe, quàm temperantem eſſe. Et quod omnes eligunt, eo, quod non omnes. Et quod plures, quàm quod pauciores; bonum enim erat, quod omnes expetunt; quare etiam majus, quod magis. Et quod controverſantes, aut inimici, aut judicantes, aut quos hi judicant; illud enim perinde eſt, ac ſi omnes aſſererent, hoc vero, ac ſi potentes, atque ſcientes. Et aliquando quidem, quod omnes participant, majus eſt; quia dedecus eſt, non participare: aliquando vero, quod nemo, aut quod pauci; quia rarior res eſt. Et laudabiliora; quia ſunt honeſtiora. Et quorum honores majores, eodem modo; honor enim ut pretium quoddam eſt. Et quorum mulctæ majores. Et quæ confeſſis, aut iis, quæ magna videantur, majora. Et eadem in partes diviſa, majora videntur; plurium enim exuperantia videtur, unde etiam poëta inquit, illam Meleagro, ut exurgeret, perſuaſiſſe exponentem:

Quot mala mortales ſubeant, quorum oppida capta,
Et populum ſternunt, tectiſque incendia miſcent,
Abripiunt alii natos.

Et componere, & coædificare, more Epicharmi, cum propter eamdem cauſſam, ac diviſio, quia compoſitio exuperantiam multam oſtendit: tum quia principium rerum magnarum, & cauſſa videtur. Quoniam autem difficiliora, & rariora majora, etiam occaſiones, & ætates, & loca, & tempora, & facultates magnitudinem afferunt; ſi enim ſupra opes, & ſupra ætatem, & ſupra pares, & ſi ita, aut ibi, aut tunc, magnitudinem habebit, & rerum honeſtarum, & bonarum, & juſtarum, & contrariarum; unde & epigramma in Olympionicem:

Durã humeris corbem geſtans paulo ante ferebam,
Ex Argo piſces ſedulus ad Tegeam.

Et Iphicrates ſeipſum laudavit, inquiens: *Ex quibus hæc affuerunt*. Et nativa aſcititiis, quia difficiliora; unde etiam poëta inquit: *Ipſe à me edoctus ſum*. Et rei magnæ maxima pars, ut Pericles cum funebrem orationem haberet, juventutem ex civitate ſublatam eſſe, perinde ac ſi ver ex anno exemptum fuiſſet. Et quæ in majore neceſſitate utilia, qualia quæ in ſenectute, & morbis. Et ex duobus, quod eſt propinquius fini. Et quod huic, quàm ſimpliciter. Et poſſibile impoſſibili; quia illud ſibi, hoc vero non item. Et quæ in fine vitæ; quia quæ ad finem fines ſunt magis. Et quæ ad veritatem pertinent iis, quæ ad opinionem; ejus vero quod ad opinionem, terminus eſt, quod, ſi latiturus eſſet, non eligeret; itaque beneficium accipere, quàm dare, magis eligendum videtur; quia illud, etiamſi lateat, eliget; beneficium autem dare, ſi lateat, electurus non videtur. Et quæcunque eſſe magis, quàm exiſtimari volunt; quia ad veritatem pertinent magis; itaque juſtitiam etiam rem parvam inquiunt eſſe, quia exiſtimari, quàm eſſe, eligendum eſt magis; valetudinem autem nequaquam. Et quod ad multas res utilius eſt, ut ad vivendum, & bene vivendum, & voluptatem, & res honeſtas adminiſtrandas; itaque & valetudo, & divitiæ maxima eſſe exiſtimantur, quia hæc continent omnia. Et quæ minus moleſta, & quæ cum voluptate ſunt; quia plura uno ſunt; quò fit, ut & voluptas bonum ſit, & indolentia. Et ex duobus, quod eidem adjunctum eſt, majus totum reddit. Et quæ non latent, cum adſunt, quàm quæ latent; hæc enim ad veritatem pertinent; itaque divitem eſſe majus bonum videbitur, quàm exiſtimari. Et quod carum eſt, & aliis quidem ſolum, aliis vero cum aliis; quo fit, ut non æque plectatur, ſi quis altero præditum oculo excœcaverit, ac ſi duobus; quia rem caram eripuit. Atque ex quibus quidem fides ducere adhortando, ac dehortando conveniat, ferme expoſitum eſt.

Reſ-

Reſpublicas cognoſcendas eſſe ſuadenti.

MAximum autem, ac potentiſſimum omnium eſt, ut perſuadere, & egregie conſilium dare poſſimus, reſpublicas omnes aſſumere, & inſtituta cujuſque, ac leges, utilitateſque diſtinguere; perſuadentur enim omnes utilitate; utile autem eſt id, quod rempublicam conſervat. Principatus autem eſt ipſum principis edictum; principatus vero pro rebuspublicis ſunt diſtincti; quot enim reſpublicæ, tot & principatus. Sunt autem reſpublicæ quatuor, populi dominatus, paucorum, optimatum, unius; quare quod principatum obtinet, & judicium, harum ſane pars, aut totum exiſtet. Eſt autem popularis ſtatus reſpublica, in qua ſorte mandant magiſtratus; paucorum vero, in qua qui cenſu; optimatum autem, in qua qui diſciplina, (diſciplinam vero voco, quæ lege conſtituta eſt; nam qui legibus ſteterunt, in optimatum republica præſunt. Hos autem optimos videri neceſſe eſt, unde hoc quoque nomen aſſumpſit.) Unius vero ſecundum nomen eſt, in qua unus rerum omnium princeps eſt. Harum autem, quæ deſcriptionem aliquam habet, regnum, indefinita vero tyrannis. Ac ſane cujuſque reipublicæ finem non ignotum eſſe oportet, quia eligunt quæ ad finem; eſt autem populi quidem finis libertas, paucorum vero divitiæ, optimatum autem diſciplina & leges, tyrannidis autem cuſtodia; ex quo perſpicuum eſt, quæ ad finem cujuſque pertinent, inſtituta, leges, utilitateſque diſtinguendas eſſe; ſiquidem eligunt ad hunc referentes. Quoniam autem fides non ſolum demonſtrativa, ſed etiam morata oratione fiunt, (quia enim cuiuſdam modi videtur orator, fidem habemus, ideſt ſi bonus videatur, aut benevolus, aut uterque,) ſane reipublicæ cujuſque inſtituta tenere debebimus; mores enim cujuſque aptiſſimos eſſe ad perſuadendum apud unamquanque neceſſe eſt; hi vero ex iiſdem comparabuntur; mores enim ex prælectione elucent, prælectio vero refertur ad finem. Ac quæ quidem affectanda ſint eis, qui ad hortantur, tanquam futura, aut præſentia, & ex quibus fides de utili ſint ſumendæ, item que de rerumpublicarum moribus, ac legibus, & ex quibus, & quomodo abundabimus, quatenus præſenti aptum eſt tempori, dictum eſt; nam in Politicis hæc tractata ſunt diligentius.

Proprias propoſitiones in laudando, & vituperando duci ab honeſto, ac turpi, & virtute, ac vitio, & quæ ipſa ſint.

POſt hæc autem dicamus de virtute, ac vitio, & honeſto, ac turpi, hæc enim propoſita ſunt laudatori, ac vituperatori; fiet enim ut de his diſputantes ſimul & illa aperiamus, ex quibus cujuſdam modi ſecundum mores judicabimur, quæ ſecunda fides erat; ex iiſdem enim & nos, & alium fide dignum reddere poterimus ad virtutem. Quoniam autem accidit, ut joco, & ſerio laudemus ſæpenumero non ſolum hominem, aut Deum, ſed res etiam inanimatas, & reliquorum animantium quodlibet, eodem modo, & de his propoſitiones erunt parandæ; quare quodammodo exempli gratia de his etiam diſſeramus.

A Honeſtum igitur eſt, quod per ſe eligendum cum ſit, laudabile ſit; aut bonum cum ſit, jucundum ſit, quia bonum. Si autem hoc eſt honeſtum, virtutem honeſtam eſſe neceſſe eſt; quia cum bona ſit, laudabilis eſt; virtus autem, ut videtur, facultas eſt paratrix, conſervatrixque bonorum; & facultas benefica multarum rerum, & magnarum, & omnium in omnibus. Partes autem virtutis ſunt juſtitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, manſuetudo, prudentia, ſapientia. Neceſſe eſt autem maximas eſſe virtutes, quæ ſint utiliſſimæ aliis; ſiquidem virtus facultas eſt benefica; propterea enim juſtos, & fortes ſummis honoribus afficiunt, quia illa in bello, hæc vero etiam in

B pace ipſis eſt ſalutaris; deinde liberalitas; quia effundunt, & de pecuniis non contendunt, quas magnopere alii expetunt. Eſt autem juſtitia virtus, per quam ſuum quiſque retinet, & ut lex; injuſtitia vero, per quam aliena, non ut lex. Fortitudo autem, per quam honeſtas in periculis obeunt actiones, & ut præcipit lex, & legi obtemperant, timiditas vero contra. Temperantia vero virtus, per quam adverſus voluptates corporis ita afficiuntur, ut præcipit lex; intemperantia vero contra. Liberalitas autem, quæ benigne facit in pecunias; illiberalitas vero contra. Magnanimitas virtus magna conferens beneficia.

C Magnificentia virtus, quæ magnitudinem in ſumptibus adhibet; puſillanimitas, & parvificentia contra. Prudentia virtus eſt rationis, per quam bene conſultare poſſunt de bonis, & malis, quæ ad beatitudinem dicta ſunt. Ac de virtute quidem, & vitio in univerſum, & de partibus dictum eſt in præſenti tempore ſatis; de reliquis autem non eſt difficile videre. Perſpicuum eſt enim, neceſſe eſſe & efficientia virtutis eſſe honeſta, quia ad virtutem. Et quæ à virtute efficiuntur, cujuſmodi ſunt & ſigna virtutis, & opera. Quoniam autem ſigna, & ejuſmodi res, quæ ſunt boni viri opera, aut perpeſſiones, honeſta ſunt, neceſſe eſt, quæcunque fortitudinis opera, aut

D ſigna fortitudinis, aut fortiter geſta ſunt, eſſe honeſta. Et juſta, & quæ juſte ſuſceptæ actiones ſunt, perpeſſiones vero nequaquam; in hac enim virtute ſola non ſemper eſt honeſtum, quod juſte; ſed damnari turpius eſt juſte, quam injuſte, atque in aliis virtutibus eodem modo. Et quorum præmia honor, honeſta. Et quorum honor potius, quàm pecuniæ. Et quæ haudquaquam ſui gratia agit aliquis ex rebus eligendis. Et quæ ſimpliciter bona, ut quæ pro patria geſſit aliquis ratione ſui poſthabita. Et quæ natura bona. Et quæ haudquaquam ſibi bona; quia ſui gratia ſunt talia. Et quæ accidit, ut mortuo adſint potius, quàm viventi; quia quæ viventi, conti-

E nent magis quod ſui gratia. Et quæ opera aliorum ſunt gratia: minus enim ſui. Et quæ bene geſta ſunt in alios, non autem in ſe. Et in eos, qui beneficium dederunt; quia juſtum. Et beneficia collata; quia non in ſe. Et contraria iis, quorum pudore afficiuntur; turpium enim pudet & loquentes, & facientes, & loquuturos, & facturos, quemadmodum Sapho reſpondit, cum diceret Alcæus: *Volo quid dicere, at me impedit pudor: Si veniſſes in bonarum rerum deſiderium, aut honeſtarum, nec malum dicere lingua moliretur, haudquaquam pudor occuparet oculos tuos, ſed de rebus juſtis loquereris.* Et quibus anguntur

nullo

A nullo timore perculſi; quia in bonis, quæ ad
opinionem pertinent, hunc in modum afficiuntur. Et eorum, qui natura meliores ſunt,
virtutes honeſtiores, itemque opera, ut viri,
quàm mulieris. Et fructuoſa aliis potius, quàm
ſibi; quo fit, ut & juſtum, & juſtitia ſit honeſta. Et inimicos ulciſci potius, quàm reconciliari; quia retribuere juſtum eſt, juſtum
autem honeſtum, fortiſque hominis eſt, non
cedere. Et victoria, & honor ex honeſtis;
quia eligenda, quamvis frugifera non ſint, &
virtutis excellentiam arguunt, & ad memoriam illuſtria. Et quæ magis, magis. Et quæ
non viventem ſequuntur. Et quæ conſequitur
honor. Et quæ excellunt. Et quæ ſoli adſunt,
B honeſtiora; quia ad memoriam illuſtriora.
Et prædia infrugifera; quia liberaliora. Et
quæ apud ſingulos propria, honeſta. Et quæ
ſigna ſunt earum rerum, quæ apud quoſque
laudantur, ut Lacedæmone comam alere,
honeſtum; quia libertatis eſt ſignum: qui
namque gerit comam, opus aliquod ſervile
haud ſane facile efficit. Et nullam operoſam
artem exercere; quia liberi hominis eſt haudquaquam alteri vivere. Aſſumenda vero ſunt
etiam quæ vicina ſunt iis, quæ adſunt, tanquam idem valentia tum ad laudem, tum ad
vituperationem; ut cautum, ac animoſum
timidum, ac inſidioſum; & ſtolidum, frugi;
& indolentem, mitem, atque unumquodque
C ex conſequentibus ſemper juxta id, quod eſt
optimum; ut iracundum, ac furioſum, ſimplicem; & contumacem, magnificum, ac
grandem; & qui ſunt in exuperationibus æque
ac ſi ſint in virtutibus, ut audacem, fortem;
& aſotum, liberalem, quia cum probabitur
multitudini, tum ſimul vim habebit paralogiſmi ex cauſſa; ſi enim ubi non eſt neceſſe,
promptus eſt ad excipienda pericula, multo
magis exiſtimabitur, ubi honeſtum; & ſi
promptus eſt ad largiendum quibuslibet, etiam
amicis; quia excellentia virtutis eſt, bene de
omnibus promereri.

Laudatorem in eos, apud quos laudet,
& quos laudet, intueri
debere.

D Conſiderandum porro etiam eſt, apud quos
laudes; quia, ut Socrates dicebat, Athenienſes inter Athenienſes laudare, nihil negotii eſt; oportet autem quod apud quoſque
in honore eſt, dicere, quaſi ſuppetat, ut inter Scythas, aut Laconas, aut philoſophos.
Et omnino quod honoratum eſt, redigere ad
honeſtum; quia vicinum exiſtimatur. Et quæcunque prout conveniebat, ut, ſi res dignas
majoribus, & iis, quas ante adminiſtravit,
quia pertinet ad beatitudinem, & honeſtum
eſt adaugere honorem; aut ſi contra, quàm
E conveniebat, ad id, quod melius, atque honeſtius; ut ſi in ſecunda quidem fortuna moderatus, in adverſa vero magnanimus; aut
opibus auctus, melior, ac placabilior fuit;
tale autem eſt illud Iphicratis: *Ex quibus in
quæ*; & Olympionicæ: *Duram humeris corbem gerens paulo ante*; atque illud Simonidis:

Quæ genitorem habuit regem, fratreſque, virumque.

Quoniam autem ex actionibus laus exiſtit,
propriumque boni viri eſt, ex præelectione,
danda eſt opera, ut oſtendamus, egiſſe ex

A præelectione; proficit autem, ſi ſæpius
videatur egiſſe, quare quæ caſu, & quæ
fortuna, æque, ac ſi ex præelectione ſumenda; ſi enim multa, & ſimilia proferantur, ſignum virtutis eſſe, & præelectionis
exiſtimabitur. Eſt autem laus oratio, quæ
virtutis magnitudinem indicat; quare actiones demonſtrandum eſt tales eſſe; encomium
vero operum eſt; quæ vero circum ſunt, ad
fidem, ut nobilitas, & diſciplina; quia veriſimile eſt, ex bonis bonos, atque ita educatum talem eſſe; itaque encomio ornamus eos
quoque, qui egerunt; opera vero ſigna ſunt
habitus; quia laudaremus etiam, qui non
egiſſet, ſi talem eſſe crederemus. Felicitatio
B vero, & beatio inter ſe ſunt eadem, at cum
his non eadem; verum ut beatitudo virtutem, ſic beatio continet hæc.

Laudem, & conſilium eſſe affinia.

Habent autem communem formam laus,
& conſilia; quia quæ in conſilio dando
præciperes, ea ſi dicendo trajiciantur, encomia fiunt; quoniam igitur tenemus, quæ agere, & qualem eſſe oportet, hæc tanquam
præcepta edentes dicendo trajicere, atque
convertere debemus; exempli gratia, quod
non convenit fortunæ bonis efferri, ſed ſuis,
ita quidem dictum præcepti vim obtinet, at
C vero ita, laudis: efferens ſe ſe non fortunæ
bonis, ſed ſuis. Quare cum laudare volueris,
vide, quid præciperes, & cum præcipere,
vide, quid laudares; dictio vero neceſſario
opponetur, quoties illud prohibens, hoc non
prohibens trajicietur.

Amplificationem adhibendam eſſe ad laudem.

Adhibenda porro multa etiam ſunt eorum,
quæ vim habent amplificandi, ut ſi ſolus, aut primus, aut cum paucis, aut ille
præcipue fecit; ſunt enim hæc omnia honeſta; & quòd tempore, & occaſione, ea vero
contra, quàm conveniebat. Et ſi ſæpius idem
D recte adminiſtravit; quia magnitudinem habet, & non à fortuna, ſed ab ipſo exiſtimabitur. Et ſi quæ adhortantur, & honeſtant,
propter hunc inventa ſunt, & comparata. Et
in quem primum encomium factum eſt, ut in
Hippolochum; & Harmodium, ac Ariſtogitonem in foro ſtatuam conſequutos; ſimiliterque etiam in contrariis. Quod ſi ex ipſo copia
dicendi tibi non ſuppetet, cum aliis compara,
quemadmodum Iſocrates ex judicialis dictionis conſuetudine faciebat; oportet autem cum
illuſtribus conferre, quia ad amplificandum
idoneum, honeſtumque eſt, ſi bonis melior
fit. Cadit autem egregie amplificatio in laudes, quia verſatur in excellentia, quæ ex ho-
E neſtis rebus eſt; itaque ſi non cum illuſtribus,
at cum aliis comparare oportet; quia excellentia exiſtimatur indicare virtutem. Omnino
autem formarum omnibus orationibus communium amplificatio demonſtrativis aptiſſima
eſt; quia confeſſas actiones accipiunt, ita ut
reliquum ſit, magnitudinem, atque ornamentum adjungere; exempla vero deliberativis,
quia ex præteritis futura augurantes judicium
facimus; enthymemata vero judicialibus; quia
cauſſam, & demonſtrationem recipit potiſſimum factum propter obſcuritatem. Ac ex quibus quidem laudes, & vituperationes ferme
omnes ducantur, & in quæ intuendo laudare,

ac vituperare conveniat, & ex quibus encomia conſtituantur, & probra, hæc ſunt; ſi enim hæc tenentur, quæ ſunt his contraria, liquent; ſiquidem vituperatio eſt ex contrariis.

Proprias propoſitiones in accuſando, ac defendendo eſſe, noſſe, quarum rerum cauſſa fiat injuria, & à quo, & cui.

DE accuſatione autem, ac defenſione, ex quot, ac cujuſmodi conficere ſyllogiſmos oporteat, deinceps ſequitur, ut dicamus. Tria ergo nobis aſſumenda ſunt; unum, quarum, & quot rerum cauſſa homines injuriam faciant; alterum, quomodo ipſi affecti; tertium, quibus, & quemadmodum ſe habentibus. Ergo, definito, quid ſit injuriam facere, deinceps exponamus. Sit igitur injuriam facere, nocere ſua ſponte contra legem. Lex autem una eſt privata, altera communis; dico autem privatam, ſecundum quam ſcriptam in civitate vivunt; communem vero, quæcunque non ſcripta inter omnes homines conſtare exiſtimantur; ſponte vero ſua faciunt, quæcunque ſcientes, & non coacti. Ac quæcunque quidem ſua ſponte, non omnia præeligentes; quæ vero præeligentes, ſcientes omnia; nemo enim quod præeligit, ignorat; ob quæ vero præeligunt nocere, & flagitium committere contra legem, vitium atque incontinentia eſt; ſi enim quidam nequitia præditi ſint aut una, aut pluribus, in eo, in quo ſunt nequam, etiam injurioſe ſe gerunt, ut illiberalis in pecuniis, intemperans in corporis voluptatibus, mollis in deſidia, fortis in periculis, quia periculi ſocios deſerunt propter timorem, ambitioſus propter honorem, iracundus propter iram, pugnax propter victoriam, amarus propter ultionem, imprudens, quia in juſto, atque injuſto decipitur, impudens, quia exiſtimationem parvi facit. Similiter vero & aliorum ſinguli in ſingulis rebus ſubjectis. Atque hæc quidem perſpicua ſunt partim ex iis, quæ de virtutibus expoſuimus, partim ex iis, quæ de affectibus exponemus.

Quarum rerum cauſſa fiant omnia, & maxime de jucundis, propter quæ fit injuria.

REliquum eſt autem, ut dicamus, cujus rei gratia, & quonam modo ſe habentes injuriam faciant, & quibus. Ac primum quidem explicemus, quibus rebus appetendis, quibuſque fugiendis laceſſant injuria; perſpicuum eſt enim, accuſatori videndum eſſe, quot, & quænam eorum in adverſario inſint, quibus appetendis omnes alteris injuriam faciant, defenſori vero quæ, & quotnam eorum non inſint. Omnes igitur agunt omnia partim non per ſe ipſos, partim per ſe ipſos; ac quæ quidem non per ſe ipſos, alia propter fortunam agunt, alia ex neceſſitate, quæ vero ex neceſſitate alia vi, alia natura; quare omnia, quæ non per ſe ipſos agunt, alia fortuna, alia natura, alia vi. Quæ vero per ſe ipſos, & quorum ipſi cauſſæ ſunt, alia propter conſuetudinem, alia propter appetitionem; itemque alia propter appetitionem ratiocinationis participem, alia propter ratiocinationis expertem. Eſt autem voluntas boni appetitio cum ratione; nemo enim vult, niſi quod bonum eſſe putaverit; ira vero, & cupiditas appetitiones ſunt ratiocinationis expertes; quare quæcunque agunt, omnia propter ſeptem

A cauſſas agant, neceſſe eſt, fortunam, vim, naturam, conſuetudinem, ratiocinationem, iram, cupiditatem. Ceterum quæ aguntur, pro ætatibus, aut habitibus, aut aliis quibuſcunque dividere, ſupervacaneum eſt; etenim ſi juvenibus accidit, ut iracundi, aut cupidi ſint, non propter juventutem ejuſmodi res adminiſtrant, ſed propter iram, & cupiditatem; neque propter divitias, & paupertatem, ſed accidit pauperibus, ut propter indigentiam pecunias cupiant, divitibus autem, ut propter licentiam voluptates non neceſſarias concupiſcant; verum agent & hi non propter divitias, & paupertatem, ſed propter cupiditatem. Similiter vero etiam juſti, & injuſti,

B & ceteri, qui pro habitibus agere dicuntur, propter hæc omnia agent, nimirum aut propter ratiocinationem, aut propter affectum; verum alii quidem propter mores, & affectus bonos, alii vero propter contrarios: accidit tamen, ut talibus habitibus talia conſequentia ſint, talibus vero talia; nam, ne longe abeamus, temperantem fortaſſe propter temperantiam opiniones, & cupiditates bonæ de voluptatibus conſequuntur, intemperantem vero contrariæ de iis eiſdem; quamobrem ejuſmodi mittendæ diviſiones ſunt; verum videndum eſt, quæ res quas conſequi ſoleant; nam albus ne, an ater, aut magnus ne, an parvus ſit, nihil rerum ejuſmodi conſequi conſtitu-

C tum eſt; at vero juvenis ne, an ſenex, aut juſtus ne, an injuſtus ſit, jam differt: & omnino omnia, quæ cum eveniunt, hominum mores differentes reddunt, ut dives ne eſſe, an pauper, & ſecunda ne fortuna, an adverſa uti exiſtimetur, nonnihil intererit. Atque hæc quidem poſterius tractabimus; nunc vero primum de reliquis diſſeramus. Fortuna igitur ea fieri dicuntur, quorum cauſſa eſt indefinita, neque alicujus rei gratia fiunt, nec ſemper, nec plerunque, nec ordinate; hæc autem ex fortunæ definitione perſpicua ſunt. Natura vero, ea, quorum cauſſa & in ipſis eſt, & ordinata, quia aut ſemper, aut plerunque eodem modo eveniunt; nam de iis,

D quæ contra naturam fiunt, non eſt ſubtiliter diſſerendum, utrum nonnulla ſecundum naturam, an propter aliam cauſſam fiant; verum & fortuna ejuſmodi rerum cauſſa eſſe exiſtimari poſſit. Vi autem, quæcunque contra cupiditatem, aut ratiocinationem per ipſos agentes fiunt. Conſuetudine vero, quæcunque faciunt ex eo, quia ſæpe fecerunt. Propter ratiocinationem autem, quæ ex commemoratis bonis prodeſſe exiſtimantur, aut tanquam finis, aut tanquam ad finem, quoties propter utilitatem agantur; ſiquidem & intemperantes nonnulla utilia faciunt, verum non propter utilitatem, ſed propter voluptatem. Propter excandeſcentiam autem, & iram, ea, quæ

E referuntur ad ultionem; differt autem ultio à caſtigatione; ſiquidem caſtigatio eſt illius gratia, qui patitur; ultio vero illius, qui facit, ut exſaturetur; verum quid ira ſit, in iis, quæ de affectibus dicemus, aperiemus. Propter cupiditatem autem aguntur, quæcunque jucunda videntur; quæ vero conſuevimus, & quibus aſſuefacti ſumus, inter jucunda ſunt, quia multa eorum etiam, quæ natura haudquaquam jucunda ſunt, ubi ſunt aſſuefacti, jucunde faciunt. Quare, ut ſummatim dicam, quæ per ſe ipſos agunt, omnia aut bona, aut jucunda ſunt, aut jucundorum ſpeciem præſeferunt. Quoniam autem quæ

per

per ſe ipſos, ea ſua ſponte agunt, non ſua ſponte vero, quæ non per ſe ipſos, ſane omnia, quæ ſua ſponte agunt, aut bona eſſe, aut ſpeciem bonorum præſeferre, aut jucunda eſſe, aut bonorum, aut jucundorum ſpeciem præſeferre, neceſſe eſt. Etenim & malorum, aut ſpeciem malorum habentium, aut liberationem, aut pro majore minoris adeptionem in bonis repono, quia ſunt eligenda quodammodo; & rerum moleſtarum aut ſpeciem habentium, aut liberationem, aut minorum pro majoribus adeptionem in jucundis eodem modo. Ergo utilia & jucunda, quot, & qualia ſint, arripienda ſunt. Ac de utilibus quidem ſupra in deliberativis eſt diſputatum.

Nunc autem de jucundis loquamur. Exiſtimare autem oportet, definitiones tum demum idoneas eſſe, cum de ſingulis rebus neque obſcuræ ſint, neque exquiſitæ. Poſitum ergo ſit nobis, voluptatem motum eſſe animi quendam, ac momentaneam conſtitutionem, eamque ſenſibilem in natura inſitam; moleſtiam autem, contra. Si ergo voluptas eſt aliquid ejuſmodi, non eſt dubium, quin jucundum ſit etiam, quod commemoratæ affectionis pariendæ vim habet; moleſtum autem, quod corrumpendæ, aut contrariæ pariendæ. Neceſſe eſt igitur, jucundum eſſe tum ad id, quod eſt ſecundum naturam, plerunque ire, tum maxime, quoties ſuam ipſorum naturam adepta ſint, quæ ſecundum ipſam fiunt. Et conſuetudines; quia conſuetum jam quaſi natura inſitum eſt; etenim conſuetudo ſimile aliquid eſt naturæ; quia quod ſæpe fit, prope accedit ad id, quod ſemper; natura vero earum rerum eſt, quæ ſemper, conſuetudo vero earum, quæ ſæpe. Et non violenta; quia vis eſt contra naturam; itaque neceſſitates moleſtæ ſunt; & recte dictum eſt: *Moleſtum enim eſt, quod agi neceſſe eſt*. Et curationes, & ſtudia, & contentiones moleſtas eſſe; hæc enim neceſſaria, ac violenta ſunt, niſi aſſuefacti ſint, atque ita conſuetudo jucundum efficit. Contraria vero jucunda; itaque ociationes, & à labore ceſſationes, & non curantiæ, & luſus, & requietes, & ſomni rerum ſunt jucundarum; quia nihil eorum eſt ex neceſſitate. Et quorum cupiditas extiterit, jucunda ſunt omnia; quia cupiditas jucundi appetitio eſt; cupiditatum autem aliæ carent ratione, aliæ ſunt cum ratione conjunctæ; voco autem ratione carentes, quibus non ex eo, quia opinentur aliquid, ducuntur; ſunt autem ejuſmodi, quæcunque dicuntur eſſe natura, quales quæ propter corpus inſitæ ſunt, ut alimenti, ſitis, & fames, & in unoquoque genere alimenti, cupiditas; & quæ in rebus guſtabilibus, & in venereis, & omnino in tractabilibus, & in odoratu ſuavitatis, & auditu, & aſpectu; cum ratione vero conjunctas, quibuſcunque ex eo quia ſunt perſuaſi, alliciuntur; etenim multa & ſpectare, & adipiſci cupiunt, quòd audiverint, ac perſuaſi ſint. Quoniam autem jucunditas in aliquo affectu ſentiendo verſatur, phantaſia vero ſenſus eſt quidam imbecillus; & recordantem, & ſperantem phantaſia quædam ſequitur ejus rei, quam recordatur, aut ſperat; quod ſi ita eſt, non eſt dubium, quin etiam voluptates vehementes ſint in iis, qui recordantur, & ſperant; ſiquidem & ſenſus; quare neceſſe eſt, jucunda omnia aut in ſentiendis rebus præſentibus, aut in recordandis præteritis, aut in ſperandis futuris verſari; quia ſentiunt præſentia,

A recordantur præterita, ſperant futura. Ac quæ quidem memoria retinentur, jucunda ſunt, non ea ſolum, quæ tum cum aderant, erant jucunda, ſed nonnulla etiam injucunda, ſi quod poſt id eſt, bonum. honeſtumque ſequatur; unde & illud dictum eſt: *Delectat ſed enim ſalvum meminiſſe laboris*. Et illud: *Poſt mala lætatur memor eſt quicunque pericli*; hujus autem rei cauſſa eſt, quia jucundum eſt etiam vacare malo. Ex iis autem, quæ in ſpe ſunt, quæcunque cum adſunt, aut exhilarare, aut prodeſſe valde, aut ſine moleſtia prodeſſe videntur, atque omnino, quæcunque cum adſunt, exhilarant, ea plerunque & ſperantes etiam, & recordantes; quo fit, ut iraſ- B ci jucundum ſit, quia nemo iraſcitur ei, qui vindicari non poſſe videatur; quin etiam iis, qui ſe multum ſuperant viribus, aut non iraſcuntur, aut imbecillius; quemadmodum cecinit Homerus de excandeſcentia: *Quæ melle liquente magis dulcis*. Et in plurimis cupiditatibus voluptas quædam ſequitur; quia aut recordantes ſe conſequutos, voluptate quadam afficiuntur; ut qui in febribus ſiti vexantur, & recordantes, ſe bibiſſe, & ſperantes, fore, ut bibant, gaudent. Et qui amant, tum colloquentes, tum ſcribentes, tum pangentes aliquid de amoribus, delectantur; in his enim omnibus ejuſmodi recordantes quodammodo ſe ſentire arbitrantur amores; & hoc vero C amoris initium omnibus eſt, quando non ſolum præſenti gaudeant, ſed etiam abſentem recordantes ament; quocirca & cum moleſtiam attulerit, ex eo, quia non adſit. Et in luctibus, ac lamentationibus voluptas quædam inhæret, moleſtia enim eſt in eo, quia non ſuppetit, voluptas autem in recordando, & eo quodammodo aſpiciendo, & quæ egit, & cujuſmodi fuit; unde & illud dictum eſt: *Sic ait, & cunctos lacrymarum accendit amore*. Et ulciſci jucundum eſt; quod enim niſi conſequaris, moleſtum eſt, id ſi conſequaris, jucundum; qui vero iraſcuntur, moleſte ferunt præter modum, niſi ulciſcantur; dum ſperant autem, gaudio afficiuntur. Et vincere jucun- D dum eſt non ſolum victoriæ ſtudioſis, ſed etiam omnibus, quia oritur excellentiæ phantaſia; cujus rei cupiditate omnes ducuntur, aut remiſſius, aut vehementius. Quoniam autem victoria jucunda eſt, & ludi jucundi ſint neceſſe eſt, & pugnarum, & tibiarum, & contentionum, quia in iis ſæpe victoria paritur; & ludus talorum, & pilæ, & teſſerarum, & calculorum; & de feriis etiam ludis eodem modo; ſunt enim alii jucundi, ſi quis aſſueverit, alii continuo jucundi, ut venatio, & univerſa ferarum inſectatio; quia ubi certamen, ibi & victoria ſita eſt. Quocirca judiciorum, contentionumque tractatio jucunda ſunt iis, qui aſſueverunt, & iis, qui in iis E valent. Et honor, & bona exiſtimatio rerum ſunt jucundiſſimarum; quia phantaſia cuique excitatur, ſe talem, ac virtute præditum eſſe, idque etiam magis, cum ii aſſerunt, quos vera dicere exiſtimant; ejuſmodi vero ſunt vicini potius, quàm longinqui, & familiares, & noti, & cives, quàm externi, & qui ſun, quàm futuri, & prudentes imprudentibus, & multi paucis; quia hos vera dicere, veriſimilius eſt, quàm contrarios; quia quos aliquis valde contemnit, ut pueros, aut belluas, eorum honorem, aut exiſtimationem non curat, ipſius ſaltem exiſtimationis gratia; ſin autem; propter aliud quippiam. Et amicus eſt ex rebus

A

bus jucundis; etenim tum amare jucundum eſt, quia nemo eſt amans vini, qui non gaudeat vino; tum amari jucundum eſt, quia phantaſia & in eo excitatur, ſibi adeſſe bonum, quod univerſi expetunt, qui ſenſu præditi ſunt; amari autem eſt, ipſum propter ſe carum eſſe. Et admirationi eſſe, jucundum, propter honorem, quo afficitur. Et adulari, & adulator, jucunda; quia adulator fictus eſt admirator, & fictus amicus. Et eadem agere ſæpe, jucundum; quia conſuetum erat jucundum. Et permutatio jucunda; quia permutatio fit in naturam; quod enim ſemper eſt idem, conſtituti habitus exuperantiam affert; unde dictum eſt: *Permutatio rerum omnium dulcis*; hac enim de cauſſa ea quoque, quæ

B

per intervallum temporis, jucunda ſunt, tum homines, tum res; quia mutatio eſt ex præſenti; ſimul vero & rarum eſt, quod temporis intervallo. Et diſcere, & admirari plerunque jucundum: quia in admirando cupiditas eſt ſita diſcendi; quare quod admirabile, concupiſcibile; in diſcendo vero redactio ad id, quod eſt ſecundum naturam. Et beneficium dare, atque accipere rerum ſunt jucundarum; quia beneficium accipere eſt ea conſequi, quæ concupiſcunt; beneficium vero dare eſt habere, & excellere; quorum utrunque expetunt. Quoniam autem beneficium dare jucundum eſt, etiam proximos corrigere, hominibus eſt jucundum, atque inchoata perficere. Itemque

C

quoniam jucundum eſt & diſcere, & admirari, & quæ ſunt ejuſmodi, etiam quod imitando expreſſum eſt, ut pictura, ut ſtatuaria, ut poëtica, omniaque quæ probe imitando expreſſa ſunt, jucunda ſint, neceſſe eſt, etiam ſi parum jucunda res illa ſit, cujus fuerit imitatio; neque enim ea delectatur, ſed ratiocinatur, hanc illam eſſe; ex quo efficitur, ut aliquid diſcat. Et rerum inclinationes, & ægre ſervari è periculis; quia hæc omnia admirationem afferunt. Et quoniam quod eſt ſecundum naturam, jucundum eſt, quæ vero inter ſe cognata ſunt, ſecundum naturam ſunt: omnia cognata, & ſimilia plerunque jucunda, ut homo homini, & equus equo,

D

& juvenis juveni; unde etiam proverbia increbuerunt: *Æqualis æqualem delectat, & ſemper ſimilem*; item: *Cognovit fera feram*; item: *Semper graculus cum graculo*; & quæcunque alia ejuſmodi. Quoniam autem ſimilia, & cognata ſibi ipſis jucunda ſunt omnia, præcipue autem ipſe erga ſe quiſque hoc modo affectus eſt, omnes ſui ſtudioſi ſint, neceſſe eſt, aut magis, aut minus; quia omnia ejuſmodi erga ſe ſunt maxime. Et quoniam ſui ſtudioſi ſunt omnes, etiam res ſuas cuique eſſe jucundas neceſſe eſt, ut opera, orationes; quo fit, ut plerunque aſſentatores ament, & amatores, & honores, & liberos; quia ipſorum opera liberi ſunt. Et inchoata perficere, jucundum;

E

quia ipſorum jam opus evadit. Et quoniam principem eſſe jucundum eſt, etiam ſapientem exiſtimari, jucundum eſt; quia ſapere principatus vim obtinet; eſt autem ſapientia multarum, admirabiliumque rerum ſcientia. Præterea quoniam plerunque honores adamant, etiam proximos increpare, jucundum eſſe, neceſſe eſt; & in quo ipſe ſibi præſtare opinatur, in eo aſſidue verſari, quemadmodum Euripides inquit: *Inque eo eſt frequens, partem diei impartiens plurimam, in quo ipſe ſe præſtantior, ac melior eſt*. Pari vero etiam ratione quoniam ludus, omniſque remiſſio, aut riſus rerum eſt jucundarum, etiam ridicula jucunda ſint, neceſſe eſt, & homines & orationes, & actiones; de ridiculis autem ſeparatim in iis, quæ de poëtica, diſputatum eſt. Ac de jucundis quidem hæc dicta ſint; moleſta vero ex iis, quæ ſunt his contraria, liquent. Ac quas quidem ob res injuriam faciant, hæ ſunt.

A quibus fiat injuria.

QUo modo vero ſe habentes, & quibus, nunc dicamus. Ac ipſi quidem, quoties exiſtimant, rem agi poſſe, & à ſe poſſe, & ſi egerint, fore, ut lateant, aut ſi non latuerint, ut pœnas non dent, aut dent illi quidem, ſed mulctam minorem compendio ipſi ſubeant, aut ii, quos caros habent, ac quæ quidem fieri poſſint, aut non poſſint, poſtea dicemus; quia hæc omnibus rhetoricæ partibus communia ſunt. Illi vero ſe impune injuriam facere poſſe exiſtimant, qui in dicendo, & qui in agendo valent, & qui ſunt in multis judiciis exercitati, & ſi multos amicos habeant, & ſi divites ſint; in primis autem ſi ipſi verſentur in iis, quæ diximus, exiſtimant poſſe; ſin minus, ſi ejuſmodi ſibi adſint amici, aut miniſtri, aut ſocii; quia per hos poſſunt & agere, & latere, & pœnas non dare; & ſi amici ſint iis, qui injuriam acceperunt, aut judicibus; quia amici parum cavent, ne injuriam patiantur, & reconciliantur ante, quàm litem intendant; judices autem gratificantur iis, quibus fuerint amici, atque aut omnino abſolvunt, aut levi mulcta afficiunt. Latere vero poſſunt, quique contrarii criminationibus ſunt, ut imbecillus, de verberibus, & pauper, aut turpis, de adulterio, & quæ nimis in aperto ſunt, atque in oculis; neque enim caventur, quia nemo prorſus opinetur, & quæ tanta ſunt, ac talia, quæ nemo; quia ne hæc quidem caventur; etenim omnes ut ab uſitatis morbis, ſic ab injuriis cavent; quo vero nemo dum laboravit, eum nemo cavet. Et quibus nemo eſt inimicus, aut multi; illi enim putant, ſe latituros, quia non caventur, hi vero etiam latent, quia non exiſtimantur eos aggreſſuri fuiſſe, qui cavent, & quia defenſionem habeant, ſe nunquam aggreſſuros fuiſſe. Et quibus occultatio, aut modus, aut locus, aut alienatio prompta eſt. Et quibus, ſi non latuerint, aut judicii depulſio adeſt, aut in longinquum tempus dilatio, aut judicum corruptio. Et quibus, ſi mulctentur, ſolutionis depulſio adeſt, aut in longinquum tempus dilatio, aut propter inopiam nihil habeat, quod amittat. Et quibus compendia ſuppetunt aperta, aut magna, aut propinqua, damna vero aut parva, aut obſcura, aut remota. Et cui non eſt propoſita pœna æqualis utilitati; quod videtur ineſſe tyrannidi. Et quibus injuriæ lucra ſunt, damna vero probra ſolummodo. Et quibus contra injuriæ in laudem aliquam; ut ſi contigit, ut ſimul patrem, aut matrem ulciſcerentur, quemadmodum Zenoni, mulctæ vero in pecunias, aut exilium, aut aliquid ejuſmodi; quia utrique, & utroque modo ſe habentes injuriam inferunt, non tamen iidem, ſed qui contrariis moribus præditi ſint. Et qui ſæpe aut latuerunt, aut pœnas non dederunt. Et qui ſæpe opinione lapſi ſunt; ſunt enim quidam etiam in hujus generis rebus, ut in re bellica, iterum pugnare parati. Et quibus protinus adſit voluptas,

mo-

moleſtia vero poſterius; aut lucrum quidem, damnum vero poſterius, cujuſmodi intemperantes ſunt; intemperantia vero omnibus in rebus, quæ concupiſcuntur, verſatur. Et quibus contra moleſtia jam adeſt, aut damnum, voluptas autem, & utilitas, poſterius, ac diutius ſunt, qualia continentes, prudentioreſque ſectantur. Et quibus contingit, ut fortuna, aut neceſſitate, aut natura, aut conſuetudine egiſſe videantur, atque omnino per errorem, non per injuriam feciſſe. Et quibus æquitatis obtinendæ facultas adſit. Et qui indigentes ſunt; duobus autem modis ſunt indigentes, quia aut tanquam rerum neceſſariarum, ut pauperes, aut tanquam exuperantium, ut divites. Et qui bonæ admodum exiſtimationis ſunt, & qui admodum malæ, illi quidem, ut qui non exiſtimentur, hi vero, ut qui nihilo deteriore exiſtimatione futuri ſint. Ac ipſi quidem hoc modo ſe habentes aggrediuntur.

Quibus fiat injuria.

INjuriam autem faciunt eis, & eas res poſſidentibus, quarum ipſi ſunt indigentes aut ad neceſſarios uſus, aut ad exuperantiam, aut ad voluptatis fructum. Et iis, qui ſunt procul, & iis, qui prope; horum enim matura eſt comprehenſio, illorum vero ſera ultio, ut qui Carthaginienſes diſpoliant. Et eis, qui non cavent, neque obſervant, ſed creduli ſunt, quia omnes latere facile eſt. Et ignaviæ deditis, quia jus perſequi hominis eſt induſtrii. Et verecundis, quia de lucro non contendunt. Et iis, qui à multis injuriam acceperunt, nec jus perſequuti ſunt, ut qui ſint, quemadmodum eſt in proverbio, *præda Myſorum*. Et iis, quibus nunquàm, & iis, quibus ſæpe; neutri enim cavent, illi quidem, ut nunquam, hi vero, ut non amplius. Et eis, quibus oblata calumnia eſt, & iis, quibus offerri facile poteſt; quia tales nec præeligunt, quòd judices reformidant, nec perſuadere poſſunt: ex quibus ſunt, qui odio, atque invidia flagrant. Et eis, adverſus quos prætextum habent, aut proavos, aut ipſos, aut amicos, aut de ſe, aut de proavis, aut de iis, quos caros habenr, aut male meritos eſſe, aut merituros fuiſſe; ut enim eſt in proverbio: *prætextu tantum eget improbitas*. Et inimicis, & amicis; his enim, facile eſt, illis vero, jucundum. Et iis, qui ab amicis inopes ſunt, & qui in dicendo, & in agendo minimum valent; quia aut jus perſequi non conantur, aut in gratiam redeunt, aut nihil proficiunt. Et quibus non expedit aut judicio, aut ſolutione expectanda tempus conſumere: quod genus, peregrini, & opifices, quia parvam ob rem ejuſmodi homines tranſigunt, & facile mitigantur. Et iis, qui multas injurias fecerunt, aut tales, quales patiantur; prope enim videtur eſſe, ut non faciat injuriam, quando talem aliquis accepit, qualem & ipſe facere conſuevit; dico autem, ſi quis verberibus eum, qui contumelioſus eſſe ſolet, afficiat. Et iis, qui aut male meriti ſunt, aut voluerunt, aut volunt, aut merituri ſunt; habet enim hoc & jucunditatem, & honeſtatem, & prope videtur eſſe, ut non fiat injuria. Et quibus, gratificabuntur aut amicis, aut eis, quos admirantur, aut quos perdite amant, aut dominis, aut omnino iis, quibus ipſi vivunt, & à quibus obtinere, quod æquum ſit, queunt. Et iis, quibus crimen obtulerint, à quibuſque

ſejuncti ſint; quia ejuſmodi res prope videntur eſſe, ut non fiat injuria, ut Callippus fecit in Dionem. Et iis, quos læſuri alii ſint, ſi non ipſi; quaſi non amplius liceat conſilium agitare; quemadmodum dicitur Aeneſidemus κοτάβια Geloni miſiſſe, poſtquam ſervitutem induxit; quòd præripuiſſet, quaſi & ipſe facturus fuiſſet. Et iis, quos ſi injuria affecerint, multas res juſtas facere poterunt, tanquam facile ſanaturi; quemadmodum Jaſon Theſſalus dixit, nonnulla ſibi injuſte agenda eſſe, ut & juſta multa facere poſſit. Et eas, quas omnes, aut plerique facere ſoliti ſunt; quia putant fore, ut veniam impetrent. Et quæ ad occultandum facilia ſunt, qualia ſunt, quæ aut celeriter conſumuntur, ut eſculenta, aut facile commutantur, aut figuris, aut coloribus, aut temperamentis, aut quæ multis in locis abdere promptum eſt, ut quæ facile portantur, & in anguſtis locis abduntur. Et quibus indifferentia, aur ſimilia multa ante is, qui facit injuriam, poſſidebat. Et quæ narrare pudet eos, qui injuriam acceperunt, ut propriarum uxorum contumelias, aut in ſe, aur in liberos. Et in quibus litigioſus eſſe videatur ille, qui judicio perſequatur; quales ſunt & parvæ res, & quibus propoſita venia eſt. Ac quemadmodum quidem ſe habentes injurias faciant, & quales, & qualibus, & quare, hæc ferme ſunt.

De injuriis, & juſte ſuſceptis actionibus, unde injuriarum nomina diſtinguuntur.

INjurias autem, juſtaſque actiones omnes, hinc ducto initio, diſtinguamus. Juſta ergo, atque injuſta omnia definita ſunt ad duas leges, & ad quos, duobus modis. Dico autem legem unam privatam, alteram communem; privatam quidem, quæ ſingulis conſtituta eſt inter ipſos: atque hujus unam non ſcriptam, alteram ſcriptam; communem vero, quæ eſt ſecundum naturam; eſt enim quoddam, quod vaticinantur omnes, natura commune juſtum, & injuſtum, etiam ſi nulla ſocietas inter eos, & pactio intercedat; quemadmodum & Sophoclis Antigone dicere videtur, juſtum eſſe, Polynicem quamvis interdictum ſit, ſepelire, utpote quod natura ſit juſtum: *Hoc namque non hodie, aut heri, at ſemper fuit, nec quiſquam homo ſcit, ejus ortus unde ſit*. Et quemadmodum Empedocles inquit de non interficiendis animantibus; hoc enim non quibuſdam quidem juſtum eſt, quibuſdam vero nequaquam,

Sed lex ſumma hæc eſt extenſa per æthera magnum,
Æraque immenſum cunctis mortalibus alma;

& quemadmodum inquit Alcidamas in Meſſeniaca. Ad quos vero ſunt definita, duobus modis ſunt definita; quia quæ agere oportet, & non agere, aut ad rempublicam, aut ad eorum unum, qui reipublicæ participes ſunt, referuntur; quo fit, ut injurias, juſtaſque actiones duobus modis injuſte, & juſte ſuſcipere liceat; quia aut ad unum certum, aut ad rempublicam; nam qui adulterium committit, aut verberibus afficit, alicui certo facit injuriam, qui vero militiam detrectat, reipublicæ. Cum ergo omnes injurias diſtribuerimus, ut aliæ pertineant ad rempublicam, aliæ ad alium, atque alios, repetito, quid ſit injuria

ria aſſici, reliqua perſequamur. Eſt igitur injuria aſſici, ab iis, qui ſua ſponte agunt, injuſta pati; nam injuria afficere ſponte eſſe, antea definivimus. Quoniam autem qui injuria afficitur, noxa afficiatur, & quidem invitus, neceſſe eſt (noxæ quidem ex iis, quæ diximus, manifeſtæ ſunt, quia bona, & mala per ſe ipſa diſtincta ſunt, itemque quæ ſponte, nimirum, quæcunque ſcientes) ergo omnia crimina aut ad rempublicam pertineant, neceſſe eſt, aut ad privatum, itemque aut ignorante, aut non ſponte, aut ſponte ſua agente, aut ſciente, & ex iis partim præeligente, partim vero propter affectum. Ac de ira quidem in iis, quæ de affectibus dicemus, agetur; qualia vero præeligant, & quemadmodum ſe habentes, dictum eſt ante. Quoniam autem confitentes ſæpe, feciſſe, aut nomen non confitentur, aut id, quod nomine continetur, ut ſuſtuliſſe, ſed non furatum eſſe; & priorem pulſaſſe, ſed non contumelia affeciſſe; & concubuiſſe, ſed non adulterium commiſiſſe; aut furatum eſſe, ſed non ſacrilegium feciſſe, quia non Dei quidpiam; aut coluiſſe, ſed non publicum; aut colloquutum cum hoſtibus eſſe, verum non prodidiſſe: propterea & hæc diſtinguere oportebit, quid ſit furtum, quid contumelia, quid adulterium, ut ſive eſſe, ſive non eſſe, oſtendere voluerimus, juſtum aperire queamus. Sunt autem ejuſmodi omnia de eo, injuſtum ne, ac improbum ſit, an non injuſtum id, de quo controverſia exiſtit, quia nequitia, & injuria in præelectione poſita eſt; ejuſmodi vero nomina omnia præelectionem adſignificant, ut contumelia, ut furtum; neque enim ſi pulſavit, omnino contumelia affecit, ſed ſi alicujus rei gratia, ut dehoneſtandi ejus, aut voluptatis percipiendæ, neque omnino, ſi clam ſuſtulit, furatus eſt, ſed ſi furatus eſt, ut noxam afferret, & ſibi ipſi aſciſceret. Similis vero reliquarum rerum, atque harum ratio eſt.

Quæ ſint æquæ actiones, unde injuria juſte facta defendi poſſit.

QUoniam autem juſtorum, injuſtorumque genera duo erant; ſiquidem alia ſcripta, alia non ſcripta, de iis quidem, de quibus leges loquuntur, diximus. Non ſcriptorum vero duo ſunt genera, quorum partim ſunt ſecundum virtutis, & vitii exuperantiam, quibus probra, & laudes, ignominiæ, atque honores, & dona propoſita ſunt, ut gratiam habere benemerenti, & reddere beneficium ei, qui dedit, & opem ferre amicis, & quæcumque illius generis alia, partim vero privatæ legis, & ſcriptæ ſunt ſupplementa; æquum enim juſtum eſſe exiſtimatur; æquum autem juſtum eſt extra legem ſcriptam; hoc autem partim invitis, partim volentibus legislatoribus accidit; invitis quidem, quoties lateat; volentibus vero, quoties diſtinguere nequeant, verum in univerſum loqui neceſſe habeant; non ſit tamen ita, niſi plerumque & quæcumque ad diſtinguendum haud facilia ſunt propter infinitatem, ut vulnerare ferro, & quanto, & quali; quia dinumerantem tempus deficeret; ſi igitur indefinitum ſit, lege autem ſanciendum ſit, ſimpliciter loqui neceſſe eſt; quapropter ſi quis annulum habens manum tollat, aut percutiat, ſecundum legem quidem ſcriptam culpæ affinis eſt, & facit injuriam, ſecundum veritatem vero non facit & hoc eſt æquum; ſi ergo æquum eſt id, quod diximus, perſpicuum eſt, qualia æqua, & non æqua, & quales non æqui homines ſint. Etenim ea ſunt æqua, propter quæ veniam dare oportet. Et non eadem pœna digna cenſere errata, atque injurias, neque errata, atque infortunia; ſunt autem infortunia, quæcunque præter rationem, & ſine malitia; errata vero, quæcunque non præter rationem, nec ſine malitia, injuriæ vero, quæ non præter rationem, & à malitia; quia quæ propter cupiditatem, à malitia. Æquum eſt item rebus humanis ignoſcere, nec legem, ſed legislatorem ſpectare, nec verba, ſed ſententiam legislatoris attendere, nec actionem, ſed præelectionem, nec partem, ſed totum, neque qualis nunc, ſed qualis ſemper, aut plerumque extitit. Et tenere memoria potius commoda, quibus affectus eſt, quàm incommoda; itemque commoda potius, quæ accepit, quàm quæ attulit; & paſſum injuriam, tolerare, & verbis, quàm factis judicari malle, & ad arbitrum, quàm ad judicem ire malle; quia æquum arbiter intuetur, judex vero legem; eaque de re arbiter eſt inventus, ut æquum valeat. Atque æqua quidem hunc in modum ſint explicata.

De majoribus, & minoribus injuriis.

INjuriæ vero majores ſunt, quæ à majore injuſtitia prodeunt; itaque minimæ etiam maximæ, quemadmodum Melanopo Calliſtratus objiciebat, quod tribus ſacris ſemiobolis templi conſtructores fraudaſſet; in juſtitia vero contra. Sunt autem hæc ex eo, quia vi excellunt; nam qui tres ſemiobolos eſt furatus, etiam maleficium quodcunque committeret. Ac aliquando quidem hoc modo major eſt, aliquando vero ex damno judicatur. Et cujus non eſt par pœna, ſed omnis inferior. Et cujus non eſt medicina: quia difficilis res eſt, neque effici poteſt. Et de qua non poteſt pœnas repetere is, qui eſt paſſus; quia non eſt medicabilis; ſiquidem pœna, & caſtigatio medicina ſunt. Et ſi qui paſſus, & ſi qui injuria affectus eſt, ipſe ſe ipſum graviter mulctavit; quia qui fecit, adhuc majori pœna dignus eſt, ut Sophocles Euctemonem defendens, quoniam ſemetipſum contumelia affectus occidit, non æſtimaturum dixit minoris, quàm quo ſe ille, qui paſſus eſt, æſtimavit. Et quam ſolus fecit, aut primus, aut cum paucis. Et ſæpe in eadem re delinquere, magnum. Et propter quam quæſita, & inventa ſunt, quæ prohibeant, & quæ puniant; ut Argis animadvertunt in eum, propter quem lex lata eſt, & propter quos carcer ædificatus eſt. Et injuria magis ferina, major, & quæ de induſtria magis. Et quam qui audiunt, metuunt potius, quàm miſerantur. Atque illa oratoria hujus generis ſunt, quòd multa jura ſuſtulit, aut tranſgreſſus eſt, ut jusjurandum, dextram, fidem, connubium; quia multarum eſt injuriarum exuperantia. Et quod ibi, ubi nocentes plectuntur, id, quod faciunt falſi teſtes; ubi enim non injurioſus erit, ſi & in foro? Et in quibus pudor eſt maxime. Et ſi ei, à quo beneficium accepit; quia plures facit injurias, tum quod male meretur, tum quod non bene. Et id, quod eſt contra non ſcripta juſta; quia melioris hominis ſit, non ex neceſſitate juſtum eſſe; ac ſcripta quidem ex neceſſitate ſint, non ſcripat

vero

vero minime. Alio vero modo, ſi contra ſcripta; nam qui in rebus metuendis, & mulctæ obnoxiis injurioſus eſt, etiam in iis, quæ non obnoxiæ ſint, injurioſus erit. Ac de injuria quidem majore, & minore dictum eſt.

Fides artis expertes quinque eſſe, leges, teſtes, pacta, quæſtiones, jusjurandum, & quo modo eorum ſingula ſint tractanda.

JAm vero fides, quæ arte carere dicuntur, continenter iis, quæ dicta ſunt, percurramus; ſunt enim judicialium propriæ, ſuntque numero quinque, leges, teſtes, pacta, quæſtiones, jusjurandum.

Ac primum quidem dicamus de legibus, quemadmodum eis uti oporteat, tum adhortando, tum dehortando, tum accuſando, tum defendendo. Neque enim dubium eſt, quin, ſi lex ſcripta facto adverſetur, communi lege utendum ſit, & æquo, ut juſtiore. Et quòd optima mente eſt, non utique ſcriptis uti; & quòd æquum ſemper manet, ac nunquam immutatur, neque lex communis, quippe quæ ſit ſecundum naturam, ſcriptæ vero ſæpe; unde dictum eſt in Antigone Sophoclis (defendit enim, ſe feciſſe contra Creontis legem, verum non contra ſcriptam:) *Hoc namque non hodie, aut heri, at ſemper fuit, ideo ego non timeo viri ullius minas*. Et quòd juſtum verum eſt, atque utile quiddam, ſed non quod exiſtimatur; quare non lex ſcripta, quia officio legis non fungitur. Et quòd judex perinde, ac argentarius eſt, ut adulterinum juſtum diſcernat à vero. Et quòd melioris hominis eſt, non ſcriptis uti, & ſtare, quàm ſcriptis. Et ſi qua in parte probatæ legi contraria ſit, aut etiam ipſa ſibi; veluti interdum una jubet rata eſſe, quæcunque pacti ſint, altera vero paciſci vetat contra legem; itemque & ſi ambigua: ut torqueas, & videas in utram deductionem aut juſtum, aut utile quadrabit, deinde eo utaris. Et, ſi res propter quas lex lata eſt, non amplius manent, ſed lex, enitendum eſt, ut id aperias, & hac ratione contra ipſam contendas. Quod ſi lex ſcripta cum facto ſit, tum dicendum, quòd optima mente, non eſt, ut contra legem judicet, ſed ut, ſi ignoret, quid lex loquatur, ne perjurio ſe obſtringat. Et quòd nemo, quod ſimpliciter bonum eſt, eligit, ſed quod huic. Et quòd nihil intereſt inter non latum, & non obſervatum. Et quòd in aliis artibus cavillari non expedit, contra medicum; quia non tantum obeſt erratum medici, quantum introducta conſuetudo non obediendi principi. Et quòd legibus ſe ſapientiorem eſſe ſtudere, id eſt, quod in laudatis legibus prohibetur. Ac de legibus quidem explicatum hoc modo ſit.

De teſtibus autem; teſtes ſunt duplices, alii antiqui, alii novi, & horum alii periculi participes, alii expertes; dico autem antiquos, tum poëtas, tum alios illuſtres, quorum clara judicia extant, ut Athenienſes de Salamine Homerum teſtem adhibuerunt, & Tenedii nuper Periandrum Corinthium adverſus Sigeenſes, & Cleophon contra Critiam Solonis elegis uſus eſt, cum diceret, familiam ejus olim petulantem fuiſſe, quia nunquam Solo ceciniſſet:

Dic flavo Critiæ, ut ſtudeat parere parenti.

A Ac de rebus quidem præteritis ejuſmodi teſtes ſunt; de futuris vero .... & oraculorum interpretes, ut Themiſtocles, quòd muri lignei navali prœlio rem committendam ſignificabant. Præterea vero proverbia etiam, ut dictum eſt, teſtimonia ſunt, ut ſi quis ſuadeat, ne ſenex amicus paretur, ei proverbium atteſtatur: *Seni ne bene facias*, & ut filii tollantur, quorum & parentes:

Stultus, qui natos occiſo patre relinquit.

Novi vero ſunt, qui cum illuſtres eſſent, de re aliqua judicarunt, quia eorum judicia ſunt iis, qui de iiſdem rebus controverſantur, ac- B commodata, ut Eubulus in judiciis contra Charetem, id, quod Plato adverſus Archebium dixerat, uſurpavit: *Increbuit in civitate confeſſio improbitatis*. Et periculi participes, ſi ementiri exiſtimentur. Atque ejuſmodi quidem teſtes talia dumtaxat teſtantur, factum nec ne, ſit nec ne; cujuſmodi vero, non teſtantur, ut juſtum, an injuſtum, utile, an inutile. Qui vero longinqui ſunt, in his etiam rebus certiſſimi ſunt; antiqui vero certiſſimi, quia incorrupti; certa vero fides à teſtimoniis. Ac teſtibus quidem carenti: quod ex veriſimilibus judicandum eſt, & hoc eſt, optima mente, & quòd veriſimilia pretio corrumpi non poſſunt; & quòd veriſimilia falſi non C arguuntur. Habenti vero adverſus carentem; quòd veriſimilia judicio non ſubjiciuntur, & quòd teſtimoniis non eſſet opus, ſi rationibus perpendere ſatis eſſet. Sunt autem teſtimonia, alia de ſe ipſo, alia de adverſario, itemque alia de facto, alia de moribus. Ex quo perſpicuum eſt, nunquam fore, ut utilis teſtimonii inopia laboretur; quia ſi non de re, quod aut ſibi faveat, aut adverſario refragetur, at de moribus aut ſui ipſius ad bonitatem, aut adverſarii ad improbitatem. Reliqua vero de teſte aut amico, aut inimico, aut medio, aut probato, aut infami, aut medio, & quæcunque aliæ ejuſmodi differentiæ, ex iiſdem locis ſunt petendæ, ex quibus & D enthymemata petimus.

De pactis autem eatenus orationis uſus pertinet, ut ea augeat, aut extenuet, aut idonea efficiat, aut non idonea; ſi ipſi quidem ſuppetant, idonea, & rata, in adverſario vero, contra. Ad ea igitur idonea efficienda nihil à tractatione teſtium differt; quia perinde ſint, qui inſcripti ſunt, aut qui cuſtodiunt, ita pacta idonea ſunt. Ubi vero pactum ſuppetere, conſtat, ſi proprium eſt, adaugendum eſt. Pactum enim lex eſt privata, & in parte, & pacta quidem legem ratam non efficiunt, at leges pacta, quæ cum lege conveniunt, atque omnino lex ipſa pactum eſt quoddam; quare qui non credit, & pactum tollit, E leges tollit. Quin etiam pleraque eorum, quæ contrahuntur, & ſponte noſtra aguntur, ſecundum pacta ſunt; uſque adeo ut his infirmatis hominum inter ſe ſocietas evertatur, itemque alia, quæcunque conveniunt, perſpicere promptum eſt. Quòd ſi repugnet, & cum adverſariis faciat, primum quidem quibus quis contrariam legem oppugnaverit, eadem conveniunt; abſurdum enim ſit, ſi legibus, quoties inique latæ ſint, ſed fraudem fecerint, qui tulerunt, parere oportere non arbitramur, pactis autem neceſſe ſit, deinde, quòd juſti diſpenſator eſt judex, ut non hoc ſpectare debeat, ſed tanquam juſtius, & juſtum

ſtum quidem invertere neque fraude, neque neceſſitate licet, quia natura conſtitutum eſt, pacta vero & à deceptis, & à coactis hominibus fiunt. Ad hæc vero animadvertere convenit, an adverſetur alicui aut legum ſcriptarum, aut communium, & juſtis, aut honeſtis; præterea vero an aliis pactis poſterioribus, an prioribus, aut enim poſteriora ſunt rata, priora vero irrita, aut priora rata, poſteriora vero falſa ſunt; utrocunque modo, proficiet; præterea vero commodum eſt etiam diſpicere, ſi qua in parte adverſetur judicibus, & quæcunque ſunt hujus generis; etenim hæc facilia ſunt ad intelligendum eodem modo.

Quæſtiones autem teſtimonia ſunt quædam quæ certam exiſtimantur habere fidem, quia neceſſitas urget, quare difficile non eſt, de his videre, & quæ incidere poſſunt, exponere. Ex quibus & ſi propriæ ſint, amplificare licet: quòd ipſæ ſolæ inter teſtimonia veræ ſunt, & ſi repugnent, atque cum adverſario faciant, veritas everti de toto quæſtionum genere diſputando poteſt; quod qui coguntur, non minus falſa dicunt, quàm vera, & tolerando, ne vera enuncient, & facile mentiendo, ut citius requieſcant. Hæc autem oportet ad præterita ejuſmodi exempla, quæ nota judicibus ſint, redigere poſſe.

De jurejurando vero quadripartita afferri diſtributio poteſt. Nam aut offert, & accipit, aut neutrum; aut illud quidem, hoc vero nequaquam. Et ex his aut offert quidem, verum non accipit, aut accipit quidem, verum non offert; & præter hæc alio modo, ſi jusjurandum juratum eſt aut ab ipſo, aut ab illo. Ac non offert quidem; quia facile pejerant, & quia ubi ille juravit, nequaquam reddit, hos autem arbitratur, etiam ſi non jurarit, eum damnaturos; & quia hoc periculum inter judices melius eſt; his enim credit, illi vero nequaquam. Non accipit autem; quia jusjurandum eſt pro pecunia, & quia ſi improbus eſſet, jurejurando ſe obſtrinxiſſet; præſtat enim alicujus rei gratia improbum eſſe, quàm nullius; quia juratus habebit, injuratus vero nequaquam; atque ita propter virtutem, non propter perjurium efficietur, ne juret; quin etiam Xenophanis illud accommodatum eſt; quòd non eſt æqualis provocatio impii adverſus pium, ſed ſimilis, atque ſi robuſtus imbecillum verberaret, & ad vapulandum provocaret; ſin autem accipit; quòd credit ſibi, non illi; & illud Xenophanis invertendo, ita dicendum, perinde eſſe, ac ſi impius offerat, pius autem juret, & indignam rem eſſe, ipſum jurare nolle, de quibus juratos eos vult judicare. Sin autem offert: quod pium eſt, diis rem permittere velle; neque opus eſt, ut ipſe judices alios quærat, cum ipſi judicium deferat; & quòd abſurdum eſt, nolle jurare, de quibus alios vult jurare. Quoniam autem perſpicuum eſt, quomodo de ſingulis dicere conveniat; etiam copulando, quo modo dicendum ſit, apparebit; veluti, ſi ipſe accipere velit, at non offerre; & ſi offert quidem, at non accipere; & ſi accipere velit, & offerre; & ſi neutrum; ex iis enim quæ dicta ſunt, copulari neceſſe eſt; quare rationes etiam ex iis, quæ dicta ſunt, copulentur, neceſſe eſt. Quod ſi à ſe ipſo ſuſceptum fuerit, & quidem contrarium; quod non eſt perjurium; quia injuriam facere ſponte eſt, pejerare autem eſt injuriam facere, quæ vero vi, aut fraude, haudquaquam ſponte; quo in loco concludendum eſt, perjurium etiam concipi mente, non ore. Sin autem ab adverſario fuerit juratum, quòd omnia tollit, qui non ſtat iis, quæ juravit; ob id enim & leges obſervant jurati; & vos ſtare volumus iis, quæ jurati judicetis, ipſi vero non ſtabimus? Et quæcunque aliquis ad augendum attulerit. Ac fides quidem artis expertes tam multis expoſitæ ſint.

ARISTOTELIS ARTIS RHETORICÆ, CAROLO SIGONIO INTERPRETE; LIBER SECUNDUS.

A

De moribus, & affectibus.

Ac quibus quidem ex rebus oporteat adhortari, ac dehortari, & vituperare, ac laudare, & accuſare, ac defendere, & cujuſmodi opiniones, & propoſitiones ad has res perſuadendas utiles ſint, hactenus; de his enim & ex his enthymemata proferuntur, ut proprie in unoquoque genere orationum dicamus. Quoniam autem rhetorica judicationis eſt gratia (ſi quidem & conſilia judicant, & judicia judicatio ſunt) ſane neceſſe eſt, B non ſolum in orationem, quemadmodum demonſtrabit, & fidem faciet, intueri, ſed etiam ſe ipſum cujuſdammodi, & judicem comparare; multum enim ad perſuadendum intereſt in primis quidem in conſiliis, deinde vero etiam in judiciis tum cujuſdammodi videri eum, qui dicit, tum eundem erga ſe ipſos aliquo modo ſe habere, putare, ad hæc vero, ſi & ipſi aliquo modo affecti ſint. Ac cujuſdammodi quidem videri eum, qui dicit, ad conſilia accommodatius eſt, affectum vero aliquo modo eum eſſe, qui audit, ad judicia; neque enim eadem videntur iis, qui amant, C ac iis, qui odio habent, neque iratis, atque placatis, verum aut omnino diverſa, aut magnitudine diverſa; etenim qui amat, eum, quo de judicium facit, aut nihil, aut parum deliquiſſe exiſtimat; qui vero odit, contra; & cupienti quidem, ac bene ſperanti, ſi quod futurum eſt, ſit jucundum, etiam fore, ac bonum fore, videtur, at vero affectus experti, ac dubitanti, contra. Ac quam quidem ob rem fides oratoribus ipſis adhibeatur, tres cauſſæ exiſtunt; (tot enim ſunt ea, propter quæ fidem habemus, præter demonſtrationes,) hæc autem prudentia, & virtus, & benevo- D lentia ſunt; ſiquidem fallunt in iis, de quibus dicunt, vel conſilium dant, aut his rebus omnibus, aut aliqua harum; quia aut propter imprudentiam non recte id opinantur, aut recte opinantes, propter improbitatem ea ſilent, quæ opinantur, aut prudentes, & probi ſunt illi quidem, verum parum benevoli; quare fieri poteſt, ut qui intelligunt, non optima tamen ſuadeant; & præterea nihil. Ergo neceſſe eſt, eum, qui hæc habere omnia exiſtimetur, apud eos, qui audiunt, auctoritatem habere. Ac unde quidem prudentia, ac virtute præditi videantur, ex iis eſt, quæ de vir- E tutibus explicata ſunt, depromendum; quia ex iiſdem & alterum, & ſe ipſum talem aliquis comparaverit; de benevolentia vero, & amicitia in præceptis de affectibus nunc dicemus.

De affectibus.

Affectus autem ſunt, propter quos immutati in judicationibus diſſident, quos quidem moleſtia, voluptaſque conſequitur, ut ira, miſericordia, metus, & omnes ejuſmodi, atque his contrarii. Ceterum quæ ad eorum unumquemque pertinent, trifariam dividere convenit; dico autem exempli gratia, de ira, & quemadmodum affecti iracundi ſint, & quibus iraſci ſoliti ſint, & quas ob res; quia ſi unum, aut duo horum teneamus, non autem omnia, haudquaquam fieri poſſit, ut iracundiam excitemus; ſimiliterque in ceteris; quemadmodum igitur in iis, quæ ante dicta ſunt, propoſitiones deſcripſimus, ſic in his faciamus, & eo modo, quo diximus, dividamus.

De ira, ac lenitate.

Sit ergo ira appetitio cum dolore ejus in ſpeciem ulciſcendi, qui parvifacere videatur ſe ipſum, aut ſuorum aliquem non convenienter. Si ergo ira hoc eſt, neceſſe eſt, eum, qui iraſcitur, iraſci ſemper alicui ſingularium, ut Cleoni, non autem homini, & quia ſibi, aut ſuis aliquid fecit, aut facturus fuit, itemque omnem iram voluptatem quandam conſequi propter ſpem ulciſcendi; eſt enim jucundum opinari, ſe conſequuturum ea, quæ expetit; nemo vero expetit ea, quæ à ſe fieri non poſſe videntur; qui vero iraſcitur, quæ ipſe efficere poteſt, expetit; quare egregie de ira dictum eſt: *Melle liquente magis dulcis quæ in pectore creſcit.* Sequitur enim voluptas quædam tum propter hoc, tum propterea quia in ulciſcendo cogitatione verſantur; quæ ergo tunc excitatur phantaſia voluptatem efficit, ut quæ in ſomniis. Quoniam autem parvifactio eſt operatio opinionis circa id, quod nihili æſtimandum videtur, (etenim bona, & mala, quæque ad hæc pertinent, magni æſtimanda eſſe arbitramur, quæ vero nihil, aut admodum parva ſunt, pro nihilo habenda eſſe putamus;) idcirco tres parvifactionis formæ ſunt, contemptio, incommodatio, & contumelia; nam & qui contemnit, parvifacit; quia quæ nihil æſtimanda putant, ea contemnunt, quæ vero nihil æſtimanda ſunt, parvi faciunt; & qui incommodat, videtur contemnere; quia incommodatio eſt impedimentum voluntatibus oblatum, non ut aliquid ſibi, ſed ut ne illi; quoniam igitur non ut aliquid ſibi, parvifacit: quod ex eo perſpicitur, quia neque obfuturum arbitratur; ſi quidem timeret, & non parvifaceret, neque profuturum aliquid, quod ſit æſtimandum; quia curam adhibuiſſet, ut amicus eſſet; & qui contumelia afficit, parvifacit; quia contu-

tumelia eſt, nocere, & moleſtiam afferre in iis rebus, in quibus dedecus ſuſcipit ille, qui patitur, non ut aliquid ſibi ſuppetat aliud, quàm quod ſuppetit, ſed ut voluptate afficiatur: quia qui rependunt, non contumeliam inferunt, ſed ulciſcuntur; cauſſa vero voluptatis eorum, qui contumeliam inferunt, ex eo eſt, quòd ſe male afficiendo magis excellere arbitrantur; itaque juvenes, & divites contumelioſi; quia contumelia inferenda ſe arbitrantur excellere; contumeliæ vero non æſtimatio; quia qui non æſtimat, parvifacit; quod enim nullius pretii eſt, nullam æſtimationem neque mali, neque boni in ſe continet; itaque iratus inquit Achilles: *Non æſtimavit, quoniam ereptum donum ipſe retinet*. Item: *Tanquam quendam non æſtimandum profugum*; ut qui propterea iraſcatur. Putant autem convenire, ſe magnifieri ab iis, qui inferiores ſunt genere, facultate, virtute, & omnino eo, in quo ipſo longe excellit, ut in pecuniis dives paupere, & in dicendo diſertus indiſerto, & qui imperat eo, cui imperatur, & qui imperio dignus exiſtimatur eo, qui dignus eſt, cui imperetur; itaque dictum eſt: *Ira magna eſt divorum regum*. *At etiam poſtea iram ſervat, donec efficiat*; quia moleſte ferunt, propter excellentiam; item ab iis, à quibus aliquis putat convenire, ut ſibi benigne fiat; hi vero ſunt, quibus ipſe benigne fecit, aut facit, aut ſuorum aliquis, aut propter ipſum, aut vult, aut voluit.

Quibus ex rebus jam liquet, & quonam modo ſe habentes ipſi iraſcantur, & quibus, & quas ob res. Ipſi enim: quoties doleant; quia qui dolet appetit aliquid. Ergo & ſi directo obſtiterit aliquis, ut ſitienti in bibendo, & ſi non, ſimiliter idem facere videtur. Et ſi refragetur quiſpiam, & ſi non ſuffragetur; & ſi quid aliud hoc modo ſe habentem interturbarit, iraſcitur omnibus; quare dum ægrotant, dum paupertate premuntur, dum amant, dum ſitiunt, omnino dum cupiunt, & non recte rem ſuam agunt, iracundi ſunt, & facile concitantur, maxime quidem adverſus eos, qui præſentem ſtatum parvifaciunt, ut ægrotus in iis, quæ ad morbum attinent, pauper in iis, quæ ad paupertatem, bellator in iis, quæ ad bellum, amator in iis, quæ ad amorem; ſimiliter vero & in ceteris; præparatur enim quiſque ad ſuam cujuſque iram ab affectu eo, qui inſitus eſt. Item ſi contraria expectaverit; cruciat enim vehementius quod valde præter opinionem, accidit; quemadmodum etiam delectat, quod valde præter opinionem accidit, ſi quod vult, accidit. Itaque perſpicuum ex his eſt, quales horæ, & tempora, & affectiones, & ætates ad iram facile concitentur, & quando, & ubi, & ut, quando magis in his verſantur, facilius etiam concitantur. Ac ipſi quidem hoc modo ſe habentes facile incendi ira poſſunt.

Iraſcuntur autem irridentibus, & ſubſannantibus, & illudentibus; quia contumeliam inferunt. Et iis, qui detrimentis illis afficiunt, quæ ſigna contumeliæ ſunt; ejuſmodi vero eſſe neceſſe eſt, quæ neque pro re aliqua, neque iis utilia ſunt, qui faciunt; tum enim propter contumeliam videatur. Et maledicentibus, & contemnentibus in iis rebus, in quibus ipſi præcipue ſtudium ponunt, ut qui ob philoſophiam efferuntur, ſi quis in philoſophiam, qui ob formam, ſi quis in formam; ſimiliter vero etiam in aliis; multo vero magis; ſi ſuſpicentur, hæc non adeſſe ſibi, aut omnino, aut non firme, aut non exiſtimari; ubi vero valde ſe putant hærere in iis, in quibus illuduntur, curam non ſuſcipiunt. Et amicis magis, quàm non amicis; quia putant, convenire magis, ut ſibi ab iis benigne fiat, quàm non. Et iis, à quibus ſoliti erant honorari, & curari, ſi non amplius ita conſueſcant; quia ab iis ſe contemni putant, alioquin eadem facturos. Et iis, qui mutuam gratiam non referunt, neque parem referunt. Et iis, qui contraria, ac ipſi, faciunt, ſi inferiores ſint; quia qui tales ſunt, omnes contemnere videntur, & illi quidem ut eos, qui inferiores ſint, hi vero, ut ab inferioribus. Et iis, qui nullius æſtimationis ſunt, ſi parvifaciunt, vehementius; poſitum eſt enim, iram eſſe parvifactionis adverſus eos, qui non convenienter ſe gerunt; convenit autem inferioribus, ut non parvifaciant. Et amicis, ſi non bene dicant, aut faciant, & adhuc magis, ſi contraria, & ſi non animadvertant, nos egere, ut Plexippus Antiphontis Meleagro; quia parvifactionis ſignum eſt, non animadvertere; quos enim curamus, non latent. Et iis, qui gaudent infortuniis. Et omnino iis, qui bono animo ſunt in ſuis infortuniis; quia aut inimici, aut parvi facientis eſt ſignum. Et iis, qui non curant, an moleſtiam afferant; quo fit, ut mala nunciantibus iraſcantur. Et iis, qui de ſe auſcultant, aut ſua mala ſpectant; quia aut parvifacientibus, aut inimicis ſimiles ſunt, quia amici condolent, omnes autem, qui propria ſpectant mala, dolent; item iis, qui parviſaciunt apud quemque, apud eos, quibus cum de honore contendunt, apud eos, quos ſuſpiciunt, à quibus ſe ſuſpici volunt, apud eos, quos reverentur, inter hos inquam ſi quis parvifaciat, ſuccenſent gravius. Et iis, qui in ejuſmodi rebus parvifaciunt, quibus ſibi non auxilium ferre, deforme eſt, ut parentibus, liberis, uxoribus, ſubjectis. Et iis, qui gratiam non reddunt; quia qui parvifacit, non ita, ut convenit, facit. Et iis, qui jocantur cum ſerio agentibus; valet enim ad contemptionem jocus. Et iis, qui aliis benigne fecerunt, ſi non & ſibi; quia & hoc valet ad contemptionem, non æſtimare ſe dignum iis rebus, quibus omnes. Quin etiam ad iram concitandam valet oblivio, ut quæ penè nominum eſt; quia & oblivio ſignum parvifactionis videtur; ex noncurantia enim oblivio naſcitur, noncurantia vero parvifactio eſt. Ac quibus quidem iraſcantur, & quemadmodum ſe habentes, & quas ob res, ſimul expoſitum eſt; ex quibus intelligi poteſt, opus fore, ut ipſe tales eos oratione præparet, cujuſmodi cum ſunt, iracunde affecti ſunt, atque adverſarios eis rebus affines eſſe, propter quas iraſcuntur, & tales eſſe, qualibus iraſcuntur.

Quoniam autem iraſci contrarium eſt ipſi leniri, & ira lenitati, intelligendum eſt, quomodo ſe habentes lenes ſint, & erga quos ſe leniter gerant, & per quæ revocantur ad lenitatem. Sit ergo lenitas conſtitutio, & ſedatio iræ. Si ergo iraſcuntur iis, qui parvifaciunt, qui vero parvifacit, ſponte ſua agit, profecto lenes ſunt & iis, qui nihil horum faciunt, aut non ſponte ſua faciunt, aut tales eſſe videntur. Et iis qui contra volunt, ac fecerunt. Et iis, qui & ipſi in ſe tales ſunt. Nemo enim ipſe ſemet parvifacere exiſtimatur. Et iis, qui confitentur, & pœnitet; quaſi enim pœnam habeant dolorem ob res com-

miſ-

A miſſas, conquieſcunt ab ira; cujus rei caſtigatio famulorum indicio eſt; nam qui inficiantur, & contradicunt, caſtigamus vehementius; at vero adverſus eos, qui ſe juſte caſtigari fatentur, deſinimus excandeſcere; ſignum autem eſt, quia impudentia eſt, manifeſta negare, impudentia vero parviſactio, atque contemptio eſt; atqui quos valde contemnimus, eorum pudore non afficimur. Et iis, qui ſe ſummittunt ipſis, nec contradicunt; quia videntur ſe inferiores eſſe fateri, inferiores autem timent, qui vero timet, nemo parviſacit; iram autem adverſus eos, qui ſe ſummittunt, ceſſare, canes quoque indicant, qui proſtratos non mordent. Et iis qui ſerio
B agunt cum ſerio agentibus; quia curari, & non contemni videntur. Et iis, qui rogant, ac deprecantur; ſunt enim ſummiſſiores. Et iis, qui contumelia afficiunt, & ſubſannant, ac parviſaciunt aut neminem, aut non bonos, aut non tales, quales ipſi ſunt; omnino autem ex contrariis ſcrutari quæ valeant ad mitigandum oportet. Et iis, quorum timore, & pudore afficiuntur; quia quoad ita ſe habent, non iraſcuntur; neque enim fieri poteſt, ut ſimul timeamus, & iraſcamur. Et iis, qui per iram fecerunt, aut non iraſcuntur, aut imbecillius iraſcuntur; neque enim ob id videntur feciſſe, quòd parviſaciant: quia nemo iratus parviſacit; quia parviſactio eſt expers doloris, ira vero eſt cum dolore. Et iis,
C quos pudet ipſorum. Quin etiam qui contrario modo conſtituti ſunt, atque irati, ii ſine dubio ſunt lenes, ut in ludo, in riſu, in feſto, & felici die, in re ſua bene geſta, in ſaturitate, omnino in indolentia, & voluptate contumeliam non inferente, & bona ſpe. Item qui inveteratam iram, & non recentem habent; quia iram mitigat tempus. Quin etiam graviorem alterius iram mitigat pœna, quæ ante de alio ſumpta eſt; itaque recte Philocrates, dicente quodam, cum populus eſſet iratus, cur non te defendis? non dum, inquit; at quando? cum alium in crimen vocatum videro; ſiquidem mites fiunt, cum iram in alium conſumpſerunt, ut accidit in
D Ergophilo; vehementius enim ſuccenſentes, quam Calliſtheni, dimiſerunt, quia Calliſthenem pridie morte damnaverant. Et ſi convicti, & ſi majus malum paſſi ſint, quàm qui iraſcuntur, attuliſſent; quia quaſi ſe ſumpſiſſe pœnas exiſtimant. Et ſi ipſi arbitrentur, ſe injuſte agere, & juſte pati; neque enim ira adverſus id, quod convenit, excitatur; quia non amplius ſe, contra quàm conveniebat, pati arbitrantur; id quod ira erat: itaque oratione prius caſtigare oportet; etenim & ſervi minus ægre ferunt, cum caſtigantur. Et ſi putant, fore ut non ſentiant, quòd per ipſos, & pro iis, quæ paſſi ſunt; ira enim eſt ſingularium, ut ex definitione liquet. Itaque recte
E ſcriptum eſt: *Ulyſſem urbis everſorem dicito*; perinde, ac ſi non ultus eſſet, niſi ſenſiſſet, & à quo, & pro quo; quare neque aliis, quicunque non ſentiunt, iraſcuntur, neque amplius mortuis, quippe qui extrema perpeſſi ſint, neque dolituri ſint, neque ſenſuri, quod qui iraſcuntur, appetunt. Itaque bene de Hectore poëta, cum vellet Achillem ab ira adverſus mortuum revocare: *Atqui mutam terram furens verberat*. Ex his igitur perſpicuum eſt, eos qui placare volunt, ex his locis dicere oportere, tales quidem ipſos comparando, eos vero, quibus iraſcuntur, aut pertimeſcendos, aut reverentia dignos, aut benemeritos, aut invitos, aut rebus commiſſis valde dolentes.

De amore, & odio.

Quos autem ament, & odio habeant, & quam ob rem, amicitia, atque amore definitis, dicamus. Sit ergo amare, velle alicui ea, quæ bona arbitratur, illius cauſſa, non autem ſui, eaque pro viribus efficere. Amicus autem eſt, qui amat, & redamatur. Exiſtimantur autem amici eſſe, qui hunc in modum inter ſe affecti exiſtimantur. Quibus poſitis, neceſſe eſt, amicum eum eſſe, qui ſimul lætatur commodis, & condolet incommodis, non ob rem aliquam aliam, ſed propter illum: gaudent enim omnes, ubi eveniunt ea, quæ volunt, dolent autem contrariis: quare voluntatis ſignum ſunt dolores, & voluptates. Et, quibus demum eadem bona, & mala ſunt. Et, qui ſunt iiſdem amici, & qui ſunt iiſdem inimici; eadem enim ut hi velint, neceſſe eſt, quare qui quæ ſibi, alii vult, huic videtur eſſe amicus. Et eos quoque amant, qui beneficium dederunt aut ſibi, aut iis, quos caros habent; idque aut magnum, aut prompto animo, aut in ejuſmodi temporibus, aut ipſorum cauſſa, aut eos, quos dare velle beneficium arbitrentur. Et amicos amicorum. Et, qui amant eos, quos ipſi amant. Et, qui amantur ab eis, qui à ſe amantur. Et qui ſunt eorundem inimici. Et, qui oderunt illos, quos ipſi oderunt. Et, qui odio habentur ab eis, qui à ſe odio habentur; his enim omnibus eadem bona videntur eſſe, ac ſibi, ut eadem illis bona velint, id quod erat amici. Item beneficos in pecunias, & in ſalutem; itaque liberales, & fortes honorant, atque adeo etiam juſtos; tales autem putant, qui non ab aliis vivunt, cujuſmodi ſunt qui ex labore; & ex his ii, qui ex agricultura, & ex aliis, opifices in primis. Et temperatos; quia non injuſti. Et ab agendo remotos, propter eandem rationem. Et, quibus volumus amici eſſe, ſi videantur velle; ſunt autem tales, & qui virtute præſtant, & qui bona exiſtimatione præditi ſunt, aut apud omnes, aut apud optimos, aut apud eos, quos ipſi admirantur, aut apud eos, qui ſe admirantur. Item, qui in vita communi, & quotidiana conſuetudine ſunt jucundi, quales ſunt faciles, neque ad redarguenda peccata proclives, neque concertationum, neque litium amantes; quia ejuſmodi omnes pugnaces ſunt: qui vero pugnant, contraria velle videntur. Et qui dextri ſunt tum in eludendo, tum in perferendo; eidem enim rei ambo ſtudent, cui proximus: quia & dicto laceſſi poſſunt, & eleganter laceſſunt. Et, qui laudant bona, quæ adſunt, & ex iis ea maxime, quæ ſibi ut adſint, verentur. Et mundos in aſpectu, in veſtitu, in tota vita. Et, qui exprobrant neque peccata, neque beneficia; ambo enim ad redarguendum propenſi ſunt. Et, qui non recordantur injurias, neque crimina obſervant, ſed facile reconciliantur; quia quales erga alios eſſe exiſtimant, etiam erga ſe arbitrantur. Et, qui maledici non ſunt, nec mala propinquorum, neque ipſorum, ſed bona norunt; quia boni viri hoc faciunt. Et, qui non adverſantur iraſcentibus, aut ſerio agentibus; tales enim pugnaces. Et, qui erga ipſos aliquo modo ſtudioſe ſe gerunt, ut, qui

qui ipſos admirantur, atque ipſos virtute præditos arbitrantur, & ipſis delectantur. Et, qui ita maxime affecti ſunt in iis rebus, in quibus ipſi volunt aut ſuſpici, aut egregios, aut jucundos exiſtimari. Et pares, & eadem profitentes, modo ne impedimentum afferant, neque indidem victum quærant: ſic enim accidit illud: *Figulus figulo*. Et qui illa appetunt, quorum fieri poteſt, ut ipſi ſimul participes ſint; ſin minus, idem accidit etiam ita. Et erga quos ita affecti ſunt, ut apud eos facere non pudeat ea, quæ ad opinionem non contemnentes. Et, apud quos pudet facere ea, quæ ad veritatem. Et, quibuſcum de honore contendunt, aut à quibus volunt ſe æmulari, & non invideri, hos aut amant, aut amici eis eſſe volunt. Et quibus bona procurarint, niſi ipſis majora mala eventura ſint. Et, qui abſentes æque, ac præſentes amant; itaque qui erga mortuos ſunt tales, diliguntur ab omnibus. Et omnino qui amicos unice diligunt, & non derelinquunt; in primis enim ex bonis amant eos, qui boni amici ſunt. Et, qui nihil ſecum fingunt, quales & qui vitia ſua produnt; dictum eſt enim, nos apud amicos, quæ ad opinionem, non pudere; ſi ergo is, quem pudet, non amat, quem non pudet, amanti ſimilis eſt. Et, qui non ſint metuendi. Et, quibus confidimus; nemo enim quem metuit, diligit. Jam vero ſpecies amicitiæ ſunt ſodalitas, propinquitas, cognatio, & quæcunque ejuſmodi; ad amicitiam autem conciliandam valent gratia, & ſi haudquaquam rogatus fecerit, & poſtquam fecit, non indicarit, ſic enim ſui cauſſa videtur, & non alterius. De inimicitia vero, & odio, perſpicuum eſt, ex contrariis eſſe ſcrutandum. Ad inimicitiam vero concitandam valent ira, incommodatio, calumnia; ac ira quidem eſt ex iis, quæ ad ſe, inimicitia vero etiam ſine iis, quæ ad ſe; nam ſi talem eſſe ſuſpicamur, odio habemus; & ira quidem ſemper adverſus ſingularia eſt, ut Calliæ, aut Socrati; odium autem etiam adverſus genera: ſiquidem in furem, ac ſycophantam odium quiſque habet; & illud quidem tempore ſanabile, hoc vero inſanabile; & illa afficere moleſtia cupit, hæc incommodo potius; nam qui iraſcitur, vult ſentiri, hujus autem nihil intereſt; quæ vero moleſtiam afferunt, ſentiuntur omnia; quæ autem maxime mala ſunt, minime ſentiuntur, injuſtitia, & imprudentia; quia præſentia vitii nihil affert moleſtiæ; & illud adjunctam moleſtiam habet, ab hoc moleſtia abeſt; nam qui iraſcitur, moleſtia afficitur, qui vero odit, haudquaquam; & ille quidem, ſi multa eveniant, miſereſcit, hic vero nullius; ille enim talionem pati vult eum, cui iraſcitur, hic vero, non eſſe. Ex his igitur perſpicuum eſt, licere inimicos, & amicos, & qui ſunt, demonſtrare, & qui non ſunt, efficere, & qui eſſe dicuntur, diſſociare, & eos qui aut propter iram, aut propter inimicitias controverſantur, ad utram conſtituerimus partem traducere.

De metu, & fidentia.

CUjuſmodi vero res metuant, & quos, & quo modo affecti, hoc modo planum erit. Sit ergo metus moleſtia quædam, aut perturbatio ex phantaſia futuri mali, aut interimendi vim habentis, aut moleſti; neque enim mala omnia metuuntur, ut, ſi erit injuſtus, aut tardus, ſed quæcunque aut moleſtias magnas afferre, aut interitus poſſunt; præſertim vero ſi non longe, ſed prope eſſe videantur ut impendeant; quæ enim longe admodum abſunt, ea non metuunt; nemo eſt enim qui neſciat, ſe moriturum, ſed quia non propediem; curam non ſuſcipit. Si ergo metus hoc eſt, ea metuenda ſint, neceſſe eſt, quæ vim magnam habere videntur interimendi, aut detrimentis illis afficiendi, quæ moleſtiam magnam exhibeant; itaque & rerum ejuſmodi ſigna ſunt metuenda; prope enim videtur eſſe, quod metuendum eſt: ſiquidem periculum rei metuendæ appropinquatio eſt; ejuſmodi vero ira, & inimicitiæ ſunt eorum, B qui efficere aliquid poſſunt; neque enim dubium eſt, quin & velint, & poſſint, quare parum abeſt, quin faciant. Et injuſtitia, quæ viribus prædita eſt; injuſtus enim injuſtus eſt, eo quia præeligit. Et virtus contumeliam paſſa, quæ viribus prædita eſt; perſpicuum eſt enim, quotieſcunque contumeliam patiatur, ſemper præeligere, nunc vero poteſt. Et metus eſt eorum, qui poſſunt aliquid facere; in apparatu enim etiam occupari neceſſe eſt illum, qui talis eſt; quoniam autem plerique improbi, & lucro obnoxii, & in periculis timidi ſunt, fit, ut plerunque metuendum ſit, ipſum in alio eſſe; quare qui conſcii ſunt ei, qui atrox aliquid patravit, metuendi C ſunt, ne aut enuncient, aut deferant. Et, qui poſſunt injuriam facere, ſemper iis, qui poſſunt pati; plerunque enim homines injuriam faciunt, cum poſſunt. Et, qui injuriam paſſi ſunt, aut qui ſe paſſos eſſe arbitrantur; quia ſemper obſervant occaſionem. Et qui injuriam fecerunt, ſi vires habeant, metuendi ſunt; quòd timeant, ne talionem patiantur; poſitum eſt enim tale eſſe, quod metuendum. Et rerum earundem competitores, quarum non licet ſimul ambos potiri; ſemper enim bellum gerunt cum talibus. Et qui ſunt præſtantioribus, quàm ipſi ſint, metuendi, & ipſi metuendi; quia facilius ipſis nocere potuerint, quàm præſtantioribus. Et ii, quos D præſtantiores, quàm ipſi ſint, metuunt, propter eandem cauſſam. Et, qui præſtantiores ſe ſuſtulerunt. Et, qui infirmiores ſe invaſerunt; aut enim jam metuendi ſunt, aut ubi creverint. Et ex iis, qui injuriam paſſi ſunt, aut ex inimicis, aut ex adverſariis, non qui facile excandeſcunt, & libere loquuntur, ſed faciles, & diſſimulatores, & malitioſi; obſcuri enim ſunt, an propè; quare nunquam aperti, quia longe. Omnia vero, quæ metuenda ſunt, terribiliora fiunt, quæcunque ſi errarint, corrigi non contingit, ſed aut omnino non poſſunt, aut non in ſe, ſed in adverſariis ſunt. Et quorum auxilia nulla ſunt, aut non facilia. Ut autem ſimpliciter dicam, metuenda E ſunt, aut ea, quæ cum aliis evenerunt, aut eventura ſunt, miſerabilia ſunt. Ac quæ quidem metuenda ſint, & quæ metuant, fermè, ut ita dicam, quæ maxima, hæc ſunt.

Quomodo vero affecti ipſi metuant, nunc dicamus. Si ergo metus eſt cum expectatione patiendi alicujus mali, quod interimendi vim habeat, perſpicuum eſt, neminem metuere ex iis, qui ſe nihil arbitrantur paſſuros, neque ea, quæ ſe non arbitrantur paſſuros, neque eos, à quibus non arbitrantur, neque tunc, cum non arbitrantur. Ergo illi metuant, neceſſe eſt, qui ſe aliquid paſſuros arbitrantur, & qui ab his, & hæc, & tunc.

Paſ-

Paſſuros autem ſe non arbitrantur, nec qui in magnis fortunæ proſperitatibus ſunt, & eſſe exiſtimantur, unde illi contumelioſi, parvifactores, audaceſque ſunt; tales autem divitiæ, vires, amicorum copia, ac potentia reddunt; nec qui ſe jam atrocia paſſos arbitrantur, & ad futuros eventus obriguerunt, ut qui jam tympano cruciantur; verum aliquam ſalutis ſpem ſubeſſe oportet, qua de re angantur; ſigno eſt, quòd metus conſultare cogit; atqui nemo de rebus deſperatis conſilium capit. Quare tales præparare oportet, cum eos timere, commodius fuerit, nempe ejuſmodi eſſe, ut poſſint pati, quippe cum majores alii paſſi ſint; atque ſimiles pati, aut paſſos eſſe oſtendere, & ab iis, à quibus non arbitrabantur, & hæc, & tunc, cum non arbitrabantur.

Quoniam autem perſpicuum eſt, quid ſit metus, & metuenda, & quemadmodum affecti ſinguli timeant, ex his etiam perſpicuum eſt, & quid ſit fidere, & cujuſmodi in rebus, & quemadmodum affecti confidant; fidentia enim metui contraria eſt, & quæ fidentiam afferunt iis, quæ metum. Quare ſpes eſt cum phantaſia rerum ſalutarium, ut quæ prope ſint; metuendarum vero aut quæ nullæ ſint, aut longe abſint. Fidentiam autem afferunt & calamitates, quæ longe abſunt, & fidentiam afferentia, quæ prope; & ſi adſint emendationes, & ſubſidia, aut multa, aut magna, aut utrunque; & ſi injuriam neque acceperint, neque intulerint; & ſi competitores aut omnino nulli ſint, aut vires non habeant; aut ſi habeant vires, amici ſint, aut beneficium dederint, aut acceperint; aut ſi plures ſint, quibus eadem conducant, aut præſtantiores, aut utrique.

Ipſi vero hoc modo affecti, fidentes ſunt; ſi ſæpe rem bene geſſiſſe neque offendiſſe arbitrentur; aut ſi ſæpe in calamitates inciderint, atque evaſerint; duobus enim modis homines expertes affectus fiunt, aut quia experti non ſunt, aut quia ſubſidia habeant; ut in periculis maris, & qui imperiti ſunt tempeſtatis, futura confidunt, & quibus ſubſidia præſto ſunt, propter peritiam. Et quoties ea res metum incutiat neque paribus, neque inferioribus, & quibus ſe arbitrantur præſtare; arbitrantur autem iis, quos vicerunt, aut ipſos, aut ipſis præſtantiores, aut pares. Et ſi plura, & majora ſibi ſuppetere arbitrentur, quibus qui excellunt, extimeſcendi ſunt; hæc vero ſunt pecuniarum multitudo, & robur corporum, & amicorum, & regionis, & bellicorum inſtrumentorum aut omnium, aut maximorum. Et ſi injuriam fecerint aut nemini, aut non multis, aut non iis, à quibus timeant. Et omnino ſi res divinæ ipſis egregie ſe habeant, cum aliæ, tum quæ à ſignis, atque oraculis; fidentem enim reddit ira; at non injuriam inferre, ſed accipere ad iram incitandam valet; Deus autem iis, qui injuriam patiuntur, præſto adeſſe exiſtimatur. Et quoties priores impetum facientes, ſe aut nihil pati, neque paſſuros, aut rem bene geſturos arbitrentur. Ac de iis quidem, quæ metum, ac fidentiam afferunt, dictum eſt.

De pudore, & impudentia.

CUjuſmodi vero rerum pudeat, & non pudeat, & apud quos, & quo modo affectos, ex his liquebit. Sit ergo pudor moleſtia quædam, & confuſio in iis malis, quæ ad exiſtimationis offenſionem pertinere videantur, aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris; impudentia vero parvifactio quædam, & affectus vacuitas in his ipſis. Si igitur pudor eſt, quem definivimus, ob ejuſmodi mala pudere neceſſe eſt, quæ videntur turpia eſſe ipſi, aut iis, quos caros habet; quales omnes actiones ſunt, quæ à vitioſitate proficiſcuntur, ut abjicere clypeum, aut fugam arripere, quia à timiditate; & fraudare depoſito, quia ab injuſtitia; & concumbere, quibus cum non convenit, aut ubi non convenit, aut quando non convenit, quia ab intemperantia; & quæſtum facere è rebus parvis, aut è turpibus, aut ex impotentibus, ut pauperibus, aut mortuis; unde & proverbium: *Etiam à cadavere ferre*, quia à ſordibus, & illiberalitate. Et non ſubvenire, cum poſſis, in pecuniam, aut parcius ſubvenire. Et auxilium accipere ab iis, qui minus abundant. Et mutuum petere, cum ſuſpicio erit, ne petat. Et petere, cum, ne repetat. Et repetere, cum, ne petat. Et laudare, ut petitionis opinionem afferat. Et repulſam paſſum, petere nihilo ſecius, quia hæc omnia ſigna ſunt illiberalitatis; laudare autem præſentem, adulationis. Et bona quidem laudibus efferre, mala vero detergere. Et dolentis vicem vehementer dolere, & reliqua ejuſmodi omnia, quia adulationis ſunt ſigna. Et labores non tolerare, quos ſeniores, aut delicati, aut in majori poteſtate conſtituti, aut omnino imbecilliores tolerant; quia omnia mollitiei ſunt ſigna. Et ab alio beneficium accipere, & ſæpe. Et collata beneficia exprobrare, quia puſilli, & humilis animi ſigna ſunt. Et de ſemetipſo prædicare, ac polliceri. Et aliena ſibi vindicare, quia jactantiæ. Similiter vero & in unoquoque aliorum moris vitiorum actiones, & ſigna, & ſimilia, quia turpia ſunt, & pudenda. Et ad hæc rerum honeſtarum, quarum omnes participes ſunt, aut omnes ſimiles, aut plurimi, partem non habere; ſimiles autem dico, qui ſunt ejuſdem nationis, civitatis, ætatis, cognationis, omnino pares; quia turpe jampridem eſt, non participem eſſe, ut eruditionis quadamtenus, aliarumque rerum eodem modo; hæc autem omnia turpiora, ſi ſua culpa accidiſſe videantur; ſic enim jam eſt à vitio magis, ſi ipſe cauſſa ſit rerum, quæ affuerunt, aut adſint, aut affuturæ ſint. Pudore vero afficiuntur, qui patiuntur, aut paſſi, aut paſſuri ſunt ejuſmodi res, quæ ad exiſtimationis offenſionem, & probra pertineant; qualia ſunt, quæ ad miniſteria corporis, aut operum turpium pertinent, ex quibus contumeliæ perpeſſio eſt; quorum quæ ad intemperantiam referuntur, & ſua ſponte, & non ſua ſponte ſuſcepta, turpia ſunt; quæ vero ad vim, non ſua ſponte; ab ignavia enim, & timiditate tolerantia, & ultionis prætermiſſio naſcitur. Ac quarum quidem rerum homines pudeat, hæ, & ejuſmodi ſunt.

Quoniam autem pudor eſt phantaſia de exiſtimationis offenſione concepta, & ejus ipſius gratia, non autem rerum, quæ inde proveniunt, nemo vero exiſtimationem curat, niſi propter eos, qui exiſtimant: eorum pudeat, neceſſe eſt, quorum rationem habet; habet autem rationem eorum, qui ſuſpiciunt, & quos ſuſpicit, à quibus ſuſpici vult, & quibus cum de honore contendit, & quorum exiſtimationem non contemnit; ac ſuſpici qui-

dem volunt ab iis, eoſque ſuſpiciunt, qui poſſident bonum aliquod pretioſum, aut à quibus requirunt aliquid vehementius ex iis, quorum illi ſunt domini, ut amatores; de honore autem contendunt cum ſimilibus; curant autem prudentes, ut eos, qui vera loquantur, quales ſunt & ſenes, & eruditi. Et eorum, quæ in oculis, & quæ in aperto ſunt, unde & proverbium: *In oculis hærere pudorem*; propterea eorum, qui ſemper aſſuturi ſunt, magis pudet, & eorum, qui ipſos attendunt; quia utrunque ante oculos eſt. Et eorum, qui non iiſdem obnoxii ſunt; neque enim dubium eſt, quin hi contraria exiſtiment. Et qui non ignoſcunt iis, quæ peccata videntur; quæ enim aliquis ipſe facit, ea in proximis haud quaquam dicitur ſtomachari; quare quæ non facit, profecto ſtomachatur. Et, qui in vulgus facile enunciant; nihil enim differt, non exiſtimari, ac non enunciari; facile vero enunciant, qui injuriam acceperunt, quia obſervant; & maledici, quia ſi & de eis, qui non peccant, multo magis de eis, qui peccant. Et, qui in proximorum peccatis occupantur, ut ſubſannatorum, & comicorum, quippe qui maledici quodam modo ſint, & ad enunciandum parati. Et, à quibus nunquam repulſam tulerunt; perinde enim illi affecti ſunt, atque ii, qui ſuſpiciuntur; itaque eorum, qui primum aliquid petierunt, pudore afficiuntur, ut qui nondum apud eos exiſtimationem amiſerint; tales autem ſunt, qui & jamdiu amici eſſe volunt; quia, quæ optima ſunt, conſpexerunt, unde bella Euripidis ad Syracuſanos reſponſio eſt. Et ex veteribus familiaribus, qui nullius rei conſcii ſunt. Pudet autem non ſolum rerum, quas diximus, pudendarum, verum etiam ſignorum; ut non ſolum cum Veneri dant operam, ſed ſignorum etiam ejus; neque ſolum, cum turpia faciunt, ſed etiam, cum loquuntur. Eadem vero etiam ratione non eorum ſolum pudore afficiuntur, quorum diximus, verum & eorum, qui indicaturi ſunt ipſis, ut famulorum, & qui ipſis amici ſunt. Eorum autem omnino non pudet, quorum, quod ad veritatem pertinet, exiſtimationem contemnunt; neminem enim pudet puerorum, ac belluarum. Neque eaſdem res facere, pudet notorum, atque ignotorum, ſed notorum quidem, eas, quæ ad veritatem exiſtimantur, longinquorum vero, quæ ad opinionem.

Ipſi autem hoc modo affecti pudore afficientur: primum quidem, ſi quidam perinde ſe habuerint erga ipſos, ac eos diximus, quorum pudore afficiuntur; erant autem hi, aut qui ſuſpiciuntur, aut quos ſuſpiciunt, aut à quibus ſuſpici volunt, aut à quibus rem aliquam neceſſariam requirunt, quam, ſi exiſtimationis nullius fuerint, minime impetrabunt, atque hi aut ſi videant, quemadmodum Cydias de Sami colonia dixit in concione, (petebat enim ab Athenienſibus, ut putarent, circunſtare Græcos, tanquam intuentes, nedum audituros, quæ decreviſſent,) aut ſi tales illi in propinquo ſint, aut ſenſuri ſint; itaque cum adverſa fortuna utuntur, ſe à veteribus æmulis conſpici nolunt, qui enim æmulantur, ſuſpiciunt. Et quoties habeant, quæ dedecus afferant actionibus, & negociis aut ſuis, aut proavorum, aut aliorum quorumdam, quibus cum aliqua ipſis propinquitas intercedit, atque eorum omnino, quorum ipſi pudore afficiuntur; cujuſmodi ſunt ii, quos commemoravimus, aut qui ad ipſos referuntur, quorum præceptores, aut conſiliarii extiterunt. Et ſi ſint alii ſimiles, quibuscum de honore contendant; multa enim pudore capti propter tales homines & faciunt, & omittunt. Et ſi futurum eſt, ut aſpiciantur, & cum conſciis in aperto verſentur, magis etiam erubeſcunt; unde & Antiphon poëta, cum tympano torquendus à Dionyſio eſſet, ac qui una morituri erant, ſe obnubere ex janua egreſſos animadverteret, dixit: quid vos obnubitis, an ne cras vos horum aliquis videat? Ac de pudore quidem hæc, de impudentia vero perſpicuum eſt, fore, ut magna nobis ex contrariis copia ſuppetat.

De gratia.

Quibus autem gratiam habeant, & quas ob res, & quemadmodum ſe habentes, ubi gratiam definiverimus, apparebit. Sit ergo gratia, per quam qui poſſidet, dicitur gratiam tribuere indigenti, non pro re aliqua, neque ut aliquid ipſi tribuenti ſuppetat, ſed ut aliquid illi. Magna autem erit, quam aut valde indigentibus, aut magnarum rerum, aut difficilium, aut in temporibus ejuſmodi, aut ſolus, aut primus, aut in primis. Indigentiæ vero ſunt appetitiones, & ex his maxime, quæ cum dolore conjunctæ ſunt rei non ſuppetentis; tales autem ſunt cupiditates, ut amor, & in cruciatibus corporis, & in periculis; ſiquidem qui in periculo, moleſtiaque verſatur, appetit; nam iis qui in paupertate verſantur, & exiliis, etiam ſi parva ſubminiſtrarint, propter indigentiæ magnitudinem, & tempus, magnum dediſſe beneficium videntur, ut qui in Lyceo fiſcellam dedit. In talia igitur officium tribuere neceſſe eſt, ſin minus, in paria, aut majora. Quare quoniam liquet, & quando, & ob quæ, & quomodo ſe habentibus gratia tribuatur, perſpicuum eſt, apparatum ex his eſſe conficiendum, oſtendendo, illos aut fuiſſe, aut eſſe in tali moleſtia, atque indigentia conſtitutos; hos vero in tali neceſſitate ejuſmodi aliquid officii tribuiſſe, ſubminiſtrantes. Quin etiam perſpicuum eſt, unde gratiæ detrahere, & expertes gratiæ reddere liceat; aut enim, quod ſui cauſſa ſubminiſtrant, aut ſubminiſtrarunt; (hoc autem non erat gratia,) aut quod fortuito fecerunt, aut quod coacti, aut quod reddiderunt, non dederunt, ſive ſcientes, ſive ſecus; nam utroque modo aliquid pro aliquo; quare ne ita quidem erit gratia. Atque in omnes categorias eſt intuendum; gratia enim eſt, aut quia hoc, aut quia tantum, aut quia tale, aut quando, aut ubi. Signum autem eſt, ſi rem minorem non ſubminiſtrarunt, & ſi inimicis aut eaſdem, aut pares, aut majores; neque enim dubium eſt, quin ne hæc quidem noſtri cauſſa; aut ſi vilia ſciens, nemo enim ſe vilibus rebus indigere confiteatur. Ac de tribuenda quidem, & non tribuenda gratia dictum ſit.

De Miſericordia, & Stomachatione.

Cujuſmodi vero res miſerabiles ſint, & quos homines miſerentur, & quomodo ipſi affecti, dicamus. Sit ergo miſericordia moleſtia quædam ob malum apparens, interitus, & moleſtiæ afferendæ vim habens, ejus, qui eo ſit indignus, quod & ipſe ſe paſſurum, aut aliquem ſuorum expectet, idque quoties pro-

propinquum videatur; perſpicuum eſt enim, [A] neceſſe eſſe, qui miſeraturus eſt, ejuſmodi eſſe, ut arbitretur, mali aliquid paſſurum aut ſe, aut ſuorum aliquem, & tale malum, quale in definitione expoſitum eſt, aut ſimile, aut affine; itaque neque qui funditus perditi ſunt, miſericordia commoventur, quia nihil paſſuros ſe amplius arbitrantur, quippe qui paſſi ſint, neque qui ſe valde beatos exiſtimant, verum contumeliam inferunt; ſi enim bona ſuppetere omnia arbitrantur, profecto ſe mali nihil pati poſſe arbitrantur; hoc enim ex bonis eſt. Sunt autem ejuſmodi, ut arbitrentur, ſe paſſuros, & qui jam paſſi ſunt, atque evaſerunt; & ſenes, tum propter prudentiam, tum propter peritiam; & imbecilli, [B] magiſque timidiores; & eruditi, quia conſiderati; & qui parentes habent, aut liberos, aut uxores, ſui enim hæc ſunt, & ea quæ diximus, pati poſſunt; & qui neque in fortitudinis affectu verſantur, ut in ira, & fidentia, quia hi de futuro non cogitant; neque in affectione contumelioſa, quia neque hi ſe paſſuros aliquid conſiderant, ſed inter hos interjecti; neque rurſus qui valde metuunt: neque enim qui timore perculſi ſunt, miſericordia capiuntur, quia de ſe ſoliciti ſunt; & ſi bonos aliquos arbitrantur; qui enim neminem arbitratur, omnes malo dignos eſſe arbitrabitur, omninoque quoties ita ſe habeat, ut recordetur, talia contigiſſe aut ſibi, aut ſuis, [C] aut ſperet, fore, ut aut ſibi, aut ſuis contingant. Ac quemadmodum quidem ſe habentes miſericordia commoveantur, dictum eſt.

Quæ vero commiſerentur, ex definitione perſpicua ſunt. Nam quæ ex moleſtis, & triſtibus interimendi vim habent, miſerabilia omnia ſunt; & quæ perdendi vim habent; & mala magnitudine præſtantia, quæ à fortuna proficiſcuntur; triſtitiam autem, atque interitum afferunt mortes, & verberationes, & cruciatus corporum, & ſenectus, & morbi, & alimentorum inopia; mala vero à fortuna profecta, inopia amicorum, paucitas amicorum; quo fit, ut ab amicis, familiaribuſque divelli, [D] miſerabile ſit; turpitudo, imbecillitas, debilitas. Et ſi unde boni aliquid ſuppetere conveniebat, mali aliquid contigerit, & ſi ſæpe ita. Et ſi poſtquam paſſus ſit, boni aliquid ſupervenerit, ut Diopithi, ad quem regia munera ſunt miſſa, cum jam deceſſiſſet è vita. Et ſi aut nihil boni ſuppeditatum ſit, aut ſuppeditatis frui non liceat. Ac quam quidem ob rem miſereantur, hæc, atque ejuſmodi ſunt.

Miſerantur autem & familiares, niſi arcta conjuncti neceſſitudine ſint, quia erga illos æque, atque erga ſe ipſos paſſuros afficiuntur; itaque Amaſis propter filium, qui ducebatur ad mortem, non lachrymavit, ut [E] ajunt, verum propter amicum, qui mendicabat, quia hoc eſt miſerabile, illud atrox; atrox autem à miſerabili differt, & miſericordiæ ejiciendæ vim habet, & ſæpe in contrarium valet. Item miſerantur, cum atrocitas ipſa propinqua eſt. Quin etiam commiſerantur ſimiles ætate, moribus, habitibus, dignitatibus, generibus; in his enim omnibus magis elucet, etiam ipſi contingere poſſe; omnino enim & hic ſtatuere oportet, quod quæcumque ſibi metuunt, hæc cum aliis eveniunt, miſerantur. Quoniam autem mala, quæ propinqua videntur, miſerabilia ſunt, quæ vero ad decem millia annorum evenerunt, aut eventura ſunt, cum ea neque ſperent, neque recordentur, aut omnino non miſerantur, aut non eodem modo, propterea qui figuris, & vocibus, & veſtitu, ac denique actione repræſententur, miſerabiliores ſint, neceſſe eſt; faciunt enim, ut malum propinquum videatur, ante oculos proponentes, aut tanquam futurum, aut tanquam præteritum. Et quæ modo evenerunt, aut brevi eventura ſunt, miſerabiliora, propter eandem cauſſam. Et ſigna, & actiones, & veſtes eorum, qui paſſi ſunt, & quæ ſunt ejuſmodi. Et verba eorum, qui in mali perpeſſione verſantur, ut eorum, qui jam animam agunt. Et præcipue virtutem præſtare, cum in ejuſmodi temporibus verſantur; hæc enim omnia, quia propinqua videntur, magis excitant miſerationem, quaſi vero & ille indignus ſit, & mali perpeſſio ante oculos obverſetur.

Opponitur autem ipſi miſerari maxime id, quod dicimus, ſtomachari, quia moleſtiæ, quæ ſuſcipitur ob indignas res adverſas, opponitur quodammodo, & ab iiſdem moribus moleſtia, quæ ſuſcipitur ob res ſecundas indignas, & utrique affectus bonorum morum ſunt; convenit enim, eorum, qui indigne male rem ſuam agunt, vicem dolere, ac miſerari; ob eos vero, qui bene, ſtomachari; eſt enim injuſtum, quod contra dignitatem accidit: quocirca deis ſtomachationem tribuimus. Exiſtimari etiam poſſit, invidiam miſericordiæ eodem modo opponi, quaſi vicinam, atque eamdem cum ſtomachatione, ſed eſt diverſa. Eſt enim invidia quoque moleſtia turbulenta, & propter ſecundas res, verum non ejus, qui ſit indignus, ſed qui par, ac ſimilis. Illud autem: Non ut ipſi eveniat aliquid aliud, ſed propter ipſum proximum, omnibus æque adeſſe oportet; neque enim amplius erit illud quidem invidia, hoc vero ſtomachatio, ſed metus, ſi propterea moleſtia, ac perturbatio excitetur, quia ipſi mali aliquid ab illius proſperitate continget. Perſpicuum eſt autem, fore, ut hos contrarii conſequantur affectus; nam qui dolet ob eos, qui præter dignitatem male rem ſuam gerunt, lætitia afficietur, aut dolore carebit ob contrarios, qui male gerunt; ut parricidarum, & ſicariorum ſupplicio bonus nemo doluerit; quia voluptas ex talibus capienda eſt non aliter, atque ex iis, qui pro dignitate rem ſuam bene gerunt; utrunque enim juſtum eſt, & bono viro lætitiam affert; quippe qui ſperet neceſſe eſt, fore, ut quæ ſimili, etiam ſibi eveniant; atque hæc omnia eorundem morum ſunt, contraria vero contrariorum; qui enim malis gaudet alienis, idem atque invidus eſt; nam qui propter rei alicujus ortum, aut præſentiam dolet, hunc ob privationem, & corruptionem ejuſdem gaudere neceſſe eſt; itaque ad arcendam miſericordiam valent hæc omnia; at vero propter eas cauſſas, quas diximus, diſcrepant; quare æque omnia proficiunt, ne miſericordia concitetur.

Ac primum quidem de ſtomachatione dicamus, & quibus ſtomachentur, & quas ob res, & quemadmodum ipſi ſe habentes, deinde poſt hæc de aliis. Atqui hæc ex iis, quæ dicta ſunt, liquent. Nam ſi ſtomachari eſt dolere ob eum, qui indigne rem ſuam bene gerere videatur, primum quidem perſpicuum eſt, fieri non licere, ut aliquis propter bona omnia ſtomachetur; nemo enim, ſi juſtus ſit, aut

aut fortis, aut ſi virtutem adeptus erit, ſtomachabitur ei; quia neque miſericordia ob ea, quæ his contraria ſunt, commovetur, ſed ob divitias, & potentiam, & ejuſmodi res, quibus, ut ſimpliciter dicam, digni ſunt boni viri, & qui à natura bona adepti ſunt, ut nobilitatem, & pulchritudinem, & quæ ſunt ejuſmodi. Quoniam autem antiqua prope accedere videntur ad naturalia, neceſſe eſt, iis, qui idem bonum poſſident, ſi paullo ante adepti ſint, & propterea rem ſuam bene gerant, vehementius ſtomachari; magis enim offendunt, qui novis potiuntur divitiis, quàm qui antiquis, & gentiliciis; ſimiliter vero & qui magiſtratum gerunt, & qui potentes ſunt, & qui multos habent amicos, & qui bonos liberos, & quicunque tales; & ſi ipſi per hæc aliud quid boni adepti ſint, eodem modo; etenim tum demum magis offendunt, qui novis potiuntur divitiis, quàm qui veteribus, cum propter divitias in imperio ſunt; ſimiliterque in ceteris; cauſſa vero eſt, quia illi quidem res ſuas poſſidere exiſtimantur, hi vero non item; quod enim ita ſemper ſe habere videtur, id verum exiſtimatur; quo fit ut alteri haudquaquam ſua poſſidere videantur. Et quoniam ſingula bona non cuicunque conveniunt, ſed eſt proportio, & convenientia quædam, ut ſpecioſa arma non juſto conveniunt, ſed forti, & eximium conjugium non novas divitias poſſidentibus, verum nobilibus, idcirco ſi qui bonus eſt, rem convenientem non adipiſcatur, movet ſtomachum; & ſi inferior cum ſuperiore controverſetur; ac in primis quidem, qui in eodem ſtudio verſantur, unde & illud dictum eſt: *Ajacis autem Telamonidæ pugnam declinabat, quia Juppiter ei ſtomachabatur, quòd cum præſtantiore viro pugnaret*. Sin minus, etiam quocunque modo inferior cum ſuperiore, ut ſi muſicus cum juſto; eſt enim juſtitia, quàm muſica, præſtantior. Ac quibus quidem ſtomachentur, & propter quæ, ex his perſpicuum eſt; hæc enim, & ejuſmodi ſunt.

Ipſi vero ſtomachoſi ſunt, ſi maximis bonis digni, eaque adepti ſint; neque enim juſtum eſt, paria non paribus impertiri; deinde vero, ſi boni, & virtute præditi ſint; quia tum rectè judicant, tum injuſta oderunt. Et ſi honoris ſtudioſi, & quarundam rerum agendarum appetentes ſint, & maxime in iis rebus honoris ſtudio trahantur, quas indigni alii conſequuntur. Et omnino, qui ipſi ſe dignos iis rebus cenſent, quibus alios non cenſent, ſtomachantur illis, & ob ea; itaque mancipiorum ſimiles, abjecti, & minime honoris cupidi, non ſunt ſtomachoſi; quia nihil eſt tale, quo ſe dignos eſſe arbitrentur. Ex his autem perſpicuum eſt, propter quos adverſa fortuna utentes, aut male rem ſuam gerentes, aut quod volunt, non aſſequentes, lætari, aut non dolere conveniat; ex his enim, quæ dicta ſunt, contraria eluceſcunt. Quare ſi tales oratio judices præpararit, eos vero, qui poſcunt, ut ſui miſereantur, & ob quæ miſereantur, indignos eſſe oſtenderit, qui impetrent; dignos autem, qui non impetrent, fieri non poteſt, ut eis miſericordia tribuatur.

De invidia.

PErſpicuum eſt etiam, quas ob res invideant, & quibus, & quemadmodum ſe habentes; ſiquidem invidia eſt moleſtia quædam propter apparentem bonorum, quæ ſunt commemorata, proſperitatem, adverſus ſimiles, non ut ſibi adſit aliquid, ſed propter illos; etenim quibus ſimiles aliqui ſunt, aut eſſe videntur, tales invidebunt; ſimiles autem dico genere, cognatione, ætate, habitu, & exiſtimatione, & copiis. Et quibus parum abeſt, quin omnia ſuppetant; itaque qui magnas res agunt, & ſecunda fortuna utuntur, invidi ſunt, quia ſuas res ferri ab omnibus arbitrantur. Et quibus eximius ob rem aliquam honor habetur, & præcipue ob philoſophiam, aut beatitudinem. Et qui honoris ſtudio ducuntur, invidi magis ſunt, quàm qui non ducuntur. Et qui ſapientiæ opinionem conſectantur; quia honoris ſtudio ducuntur ob ſapientiam. Et omnino qui gloriam in aliqua re appetunt, in ea invidi ſunt. Et puſillanimi, quia omnia magna illis eſſe videntur. Bona vero, propter quæ invident, dicta ſunt; nam quæcunque opera ſunt ejuſmodi, ut propter ea gloriæ cupiditate ducantur, & factis de honore contendant, & gloriam appetant, & quæcunque à ſecunda fortuna proficiſcuntur, ferme in omnibus verſatur invidia, & præcipue quæ aut ipſi appetunt, aut putant convenire, ſe habere, aut in quibus ipſi poſſeſſione paullo excellunt, aut paullo ſuperantur.

Neque vero dubium eſt etiam, quibus invideant, quia ſimul expoſitum eſt. Invident enim iis, qui ſibi & tempore, & loco, & ætate, & exiſtimatione proximi ſunt; unde dictum eſt: *Cognatum enim etiam invidere ſcit.* Et iis, quibus cum de honore concertant; concertant enim cum iis, quos diximus; cum iis autem, qui ad decem millia annorum ſunt, aut erunt, aut cum mortuis, nemo; neque cum iis, qui ſunt ad columnas Herculeas, neque cum iis, à quibus ſe vinci ſuo, aut aliorum judicio arbitrantur, neque quos ſe longe vincere, eodem modo, & cum his, & de rebus ejuſmodi. Quoniam autem cum competitoribus, & rivalibus, & omnino eadem expetentibus de honore contendunt, fit ut his potiſſimum invidere neceſſe ſit, unde dictum eſt: *Et figulus figulo*. Et iis, qui celeriter, quod voluerunt, aſſecuti ſunt, ii qui ægre, aut nequaquam adepti ſunt, invident. Et iis, qui ſi voti compotes fuerint, ac bene rem geſſerint, ipſi dedecus ſuſcipient; cujuſmodi & vicini ſunt, & pares; perſpicuum eſt enim, ipſorum culpa fieri, ne bonum adipiſcantur: quare hoc cum dolorem afferat, invidiam efficit. Et iis, qui aut ea habent, aut adepti ſunt, quæ ipſis conveniebant, aut olim adepti fuerant; itaque ſeniores junioribus; & qui magnos in eandem rem ſumptus fecerunt, iis, qui exiguos, invident. Perſpicuum vero etiam eſt, quas ob res, & in quibus, & quemadmodum ſe habentes lætitia afficiantur, qui tales ſunt; ut enim non habentes dolent, ſic habentes ob contraria lætabuntur. Quare ſi ipſi probentur ita ſe habere, at vero qui miſericordiam impetrare, aut bonum aliquod obtinere digni cenſentur, ejuſmodi ſint, quales, quos expoſuimus, profecto nunquam miſericordiam à principibus obtinebunt.

De æmulatione.

QUomodo vero ſe habentes æmulentur, & quales res, & in quibus, hinc manifeſtum eſt. Siquidem æmulatio eſt moleſtia quædam ſuſcepta ex eo, quòd in iis, qui

na-

natura ſimiles ſunt, honorata ineſſe bona videantur, quæ & ipſi conſequi poſſint, non quòd alii, ſed quia non & ipſi potiantur; itaque æmulatio bona eſt, & bonorum virorum, invidia vero mala, & malorum; ille enim ſemet propter æmulationem accingit, ut bona adipiſcatur, hic vero propter invidiam, ne alter potiatur. Ergo illi ad æmulandum ſint propenſi, neceſſe eſt, qui ſe bonis eis dignos cenſent, quæ non habent; quia nemo ſe dignum cenſet iis, quæ effici non poſſe videntur; itaque juvenes, & magnanimi, tales. Et quibus talia bona ſuppetunt, quæ honoratis viris digna ſunt, cujuſmodi divitiæ, & multitudo amicorum, & magiſtratus, & quæ ſunt ejuſmodi generis; tanquam enim ipſis probis eſſe conveniat, quia ipſa probis conveniunt, bona ejuſmodi æmulantur. Er ii, quos alii dignos cenſent. Et quorum majores, aut cognati, aut propinqui, aut natio, aut civitas honore excellunt, eos in his rebus æmulantur, quia ea ſibi propria eſſe, & dignos ſe arbitrantur. Quòd ſi bona, quæ honore excellunt, æmulabilia ſunt, tales & virtutes eſſe neceſſe eſt, & quæcunque aliis utilitatem afferre, ac beneficium poſſunt, quia beneficos, & bonos honorant. Et bona, quibus frui proximi poſſunt, ut divitiæ, & pulchritudo magis, quàm valetudo.

Neque vero dubium eſt etiam, quinam æmulabiles ſint; nam qui hæc, & ejuſmodi bona poſſident, illi æmulandi ſunt; hæc autem ſunt, quæ diximus, ut fortitudo, ſapientia, magiſtratus; qui enim magiſtratum gerunt, multis bene facere poſſunt, imperatores, oratores, omnes, qui talia valent. Et quibus multi eſſe ſimiles volunt, aut multi familiares, aut amici, aut quos multi admirantur, aut quos ipſi admirantur. Et quorum laudes, & encomia aut à poëtis, aut ab orationum ſcriptoribus celebrantur. Contemnunt autem contrarios, quia æmulationi contemptio adverſatur, & ipſi æmulari id, quod eſt contemnere; qui vero ita ſe habent, ut aliquos ipſi, aut ipſos alii æmulentur, eos proclives eſſe neceſſe eſt ad contemnendum & hos, & ob hæc, quicunque iis malis afficiuntur, quæ bonis æmulabilibus adverſantur; itaque fortuna eos ſæpe contemnunt, quoties fortuna potiuntur ſine bonis iis, quibus honor habetur. Atque ex quibus quidem affectus, aut excitentur, aut ſedentur, unde fides proficiſcuntur, dictum eſt.

De moribus auditorum.

QUales autem moribus ſint pro affectibus, & habitibus, & ætatibus, & fortunis, poſt hæc perſequamur; dico autem, affectus, iram, cupiditatem, & ejuſmodi, de quibus ſupra diſſeruimus; habitus autem vitia, & virtutes, de quibus dictum eſt etiam ante, & quales res præeligant ſinguli, & quales agant; ætates autem ſunt, juventus, vigor, & ſenectus; fortunam autem voco nobilitatem, & divitias, & potentiam, & quæ his contraria ſunt, & omnino proſperam, adverſamque fortunam.

De moribus ætatum.

AC juvenes quidem moribus cupidi, & ad ea, quæ concupiverint, conficienda parati ſunt, & ex corporeis cupiditatibus Venereis potiſſimum dediti, earumque impotentes ſunt, inconſtantes autem, & rerum concupitarum faſtidioſi. Et valde quidem concupiſcunt, ſed protinus conquieſcunt; quia acutas habent voluntates, & non magnas, quales ſunt ægrotantium ſites, ac fames. Et ad excandeſcentiam, acutamque excandeſcentiam proclives, ad eumque impetum ſequendum parati, atque iræ obnoxii; quia propter honoris deſiderium ſe parvifieri pati non poſſunt, verum ægre ferunt, ſi ſibi fieri injuriam arbitrentur. Et honoris cupidi ſunt, immo potius victoriæ; quia juventus excellentiam appetit, victoria vero eſt excellentia quædam, atque harum rerum ambarum potius, quàm pecuniarum ſunt ſtudioſi, pecuniarum vero ſtudioſi minimum, propterea quia indigentiam nondum ſunt experti, quale eſt Pittaci dictum in Amphiaraum. Neque malis moribus præditi ſunt, ſed bonis; quia nondum multa flagitia cognoverunt. Et creduli; quia nondum ſæpe decepti ſunt. Et bona ſpe pleni; quia ut temulenti, ſic juvenes natura calidi ſunt; ſimul etiam, quia nondum ſæpe opinione lapſi ſunt, magnaque ex parte ſpe vivunt; ſpes enim eſt futuri, memoria vero præteriti, juvenibus autem futuri eſt multum, præteriti vero parum; primis enim diebus nihil ſe meminiſſe, ſperare vero omnia arbitrantur. Et facile decipi poſſunt, propter eandem rationem, quia facile ſperant. Et fortiores ſunt, quia iracundi, & bona ſpe pleni, quorum illud efficit, ne metuant, hoc vero, ut confidant; neque enim quiſquam, dum iraſcitur, timet; & ſperare boni aliquid fidentiam affert. Et verecundi; quia nondum honeſta alia eſſe exiſtimant, verum à lege ſola ſunt inſtituti. Et magnanimi; quia nondum à vita depreſſi ſunt, ſed rerum neceſſariarum rudes ſunt, & ſe ipſum rebus magnis dignum cenſere magnanimi eſt; id autem bene ſperantis eſt. Et honeſta facere, quàm utilia malunt; quia moribus potius, quàm ratiocinatione vivunt; eſt autem ratiocinatio utilitatis, virtus honeſtatis. Et amicorum, ac ſodalium ſtudioſi magis, quam aliæ ætates; quia convictu gaudent, & nihil utilitate metiuntur; quare neque amicos. Et omnia in majus, ac vehementius, contra Chilonium præceptum, delinquunt; quia omnia agunt nimis; ſiquidem & amant nimis, & oderunt nimis, & reliqua omnia eodem modo; qnippe qui & ſcire ſe omnia opinantur, & aſſeverant; quæ cauſſa eſt, ut omnia etiam niminm agant. Et injurias faciunt ad contumeliam, non ad malitiam. Et miſericordes ſunt; quia omnes bonos, ac meliores exiſtimant; ſiquidem ſua innocentia alios metiuntur, quare indigna illos pati arbitrantur. Et riſu delectantur; itaque faceti: facetiæ vero erudita contumelia eſt. Ac juvenum quidem mores ejuſmodi ſunt.

Seniores autem, & qui vigorem remiſerunt, ex iis ferme, quæ his contraria ſuut, magna ex parte mores adepti ſunt. Etenim quia multos annos vixerunt, & multis in rebus decepti, lapſique ſunr, & res majore ex parte perditæ ſunt, nihil affirmant, atque omnia multo minus, quàm oportet. Et opinantur, nihil vero ſciunt. Et cum controverſantur, addunt ſemper: forſan, & fortaſſe, atque omnia ita pronunciant, aſſeveranter vero nihil. Et malorum morum ſunt, quod eſt omnia in deteriorem partem interpretari. Præterea vero ſuſpicioſi ſunt, propter incredulitatem,

A tatem, increduli vero, propter peritiam. Neque valde amant, neque valde oderunt, propter hanc rationem, ſed ex præcepto Biantis, & amant, tanquam oſuri, & oderunt, tanquam amaturi. Et puſillanimi; quia à vita depreſſi ſunt; nihil enim magni, nihil eximii, ſed ea, quæ ad vitam pertinent, concupiſcunt. Et illiberales; quia patrimonium eſt ex rebus neceſſariis una, ſimul vero etiam propter peritiam, quàm ſit difficile adquirere, & facile amittere, non ignorant. Et timidi, & omnia præmetuentes; quia, contra ac juvenes, ſunt affecti: quippe qui refrigerati ſint, illi vero calidi; quare ſenectus aditum timiditati patefecit; eſt enim timor refrigeratio quædam. B Et vitæ cupidi, in extremis potiſſimum diebus; quia cupiditas eſt rei, quæ abeſt; &, cujus rei indigentes ſunt, eam potiſſimum concupiſcunt. Et objurgationibus delectantur magis, quàm convenit; eſt enim puſillanimitas & hæc quædam. Et ad utilitatem, non autem ad honeſtatem vivunt magis, quàm convenit; quia ſe ipſos diligunt; utile enim bonum eſt huic, honeſtum autem, ſimpliciter. Et inverecundi potius, quàm verecundi; quia enim non curant honeſtatem æque, ac utilitatem, parviſaciunt, quid exiſtimetur. Et mala ſpe pleni, propter peritiam; quia plerunque res perditæ ſunt, & in deteriorem partem plerunque cadunt, & præterea, propter timiditatem. Et C memoria magis, quàm ſpe vivunt; nam quod vitæ reſtat, modicum, quod effluxit, multum eſt; ſpes autem eſt futuri, memoria vero præteritorum, id quod eis loquacitatis etiam cauſſam affert; quia res præteritas narrant; dum enim recordantur, voluptate afficiuntur. Ac excandeſcentiæ quidem acutæ ſunt, ſed imbecillæ, & cupiditates aliæ defecerunt, aliæ ſunt imbecillæ; quare neque cupidi ſunt, neque ad ea facienda parati, ad quæ à cupiditatibus adducuntur, ſed ad ea, ad quæ à lucro; itaque tales temperati videntur; quia cupiditates oblanguerunt. Et lucro inſerviunt. Et ratiocinatione potius vivunt, quàm moribus; eſt enim ratiocinatio utilitatis, mores D autem virtutis. Et injurias ad malitiam, non ad contumeliam faciunt. Miſericordes autem etiam ſenes ſunt, verum non propter eandem cauſſam, ac juvenes; illi enim propter humanitatem, hi vero propter imbecillitatem; putant enim omnia ſibi vicina eſſe ad patiendum; id quod erat miſericordis. Unde queruli ſunt. Et neque faceti, neque ridiculorum ſtudioſi; quia querulus adverſatur ei, qui delectatur riſu. Ac juvenum quidem, & ſeniorum mores, ejuſmodi. Quare quoniam omnes eas accipiunt orationes, quæ ſuis moribus convenienter habentur, & eos, qui ſibi ſimiles ſunt, non eſt obſcurum, quemadmodum tractandis orationibus tales & ipſi, & orationes videan- E tur.

Qui vero vigent, profecto inter hos interjecti moribus erunt, utrorumque exuperatione detracta, quippe qui neque nimis confidunt, quia audacia tale aliquid eſt; neque nimium metuunt, ſed in utraque re commode ſe gerunt. Neque omnibus fidem habent, neque omnibus non habent, verum ex veritate potius judicant. Et neque ad ſolam honeſtatem vivunt, neque ad utilitatem, ſed ad utrunque. Et neque ad parſimoniam, neque ad luxuriam, ſed ad id, quod convenit; ſimiliter vero etiam ad excandeſcentiam, & ad cupiditatem. Et temperantes cum fortitudine, & fortes cum temperantia ſunt; quia hæc in juvenibus, ſenibuſque partita ſunt; ſiquidem juvenes fortes, & intemperantes ſunt, ſeniores autem temperantes, & timidi. Ut autem in univerſum complectar, quæcunque commoda juventus, & ſenectus inter ſe diviſerunt, hæc ambo retinent; in quibus vero exuperant, aut deficiunt, eorum quod moderatum eſt, & conveniens. Viget autem corpus à triginta annis uſque ad trigintaquinque, animus vero circiter annum quadrageſimumnonum. Ac de juventute quidem, & ſenectute, & vigore, cujuſmodi moribus præditæ ſingulæ ſint, tam multa dicta ſint.

De moribus fortunatorum.

DE bonis autem, quæ à fortuna proficiſcuntur, quæcunque accidit, ut & hominum mores cujuſdammodi reddant, deinceps dicamus. Ac nobilitatis quidem mores ſunt, ut qui eam adeptus eſt, honoris cupidior ſit; ſiquidem omnes cum ſuppetit aliquid, id accumulare conſueverunt, nobilitas autem majorum dignitas eſt: & ut ad contemnendos propenſus ſit etiam eos, qui majoribus ſuis ſimiles ſunt; propterea quia remota hæc magis, quàm propinqua dignitatem afferunt, & ad gloriandum idonea ſunt. Nobilitas vero in virtute generis poſita eſt, generoſitas autem in eo, ne à natura deſciſcat; quod plerunque non contingit nobilibus, verum abjecti plerique ſunt; eſt enim in familiis proventus virorum quidam, perinde ac in iis, quæ naſcuntur in agris, & nonnunquam ſi bonum genus ſit, viri præſtantes exoriuntur, deinde rurſus retroſertur; familiæ vero, quæ ſubtili ingenio præditæ ſunt, ad mores inſaniores deficiunt, ut qui ab Alcibiade, & Dionyſio ſuperiore profecti ſunt, quæ vero ſtabili, ad ſtoliditatem, atque ſegnitiem, ut qui à Cimone, & Pericle, & Socrate.

Divitias vero qui mores ſequantur, promptum eſt omnibus ad videndum; ſunt enim contumelioſi, & contumaces, nempe à poſſeſſione divitiarum aliquid paſſi; perinde enim affecti ſunt, ac ſi bonis omnibus affluant; ſiquidem divitiæ quaſi pretium quoddam æſtimationis rerum aliarum ſunt; quocirca venalia omnia ipſarum eſſe videntur. Et delicati, & arrogantes: delicati quidem propter delicias, & beatitudinis oſtentationem; arrogantes autem, & elati, quia omnes in iis rebus occupari ſoliti ſunt, quarum ipſi amore, atque admiratione ducuntur, & quia alios eadem æmulari opinantur, quæ & ipſi; ſimul vero merito ita quoque animati ſunt, quia multi ſunt, qui habentium indigent; unde & illud dictum Simonidis de ſapientibus, & divitibus ad Hieronis conjugem extat, rogantem, utrum melius eſſet, divitem eſſe, an ſapientem; divitem reſpondiſſe; ſapientes enim dixit, ſe divitum foribus hærentes videre: & quia ſe dignos eſſe imperio arbitrantur, atque, ut ſummatim dicam, dementis beati morum divitiæ ſunt. Differunt autem mores eorum, qui novis fruuntur divitiis, & eorum, qui antiquis, quia omnibus malis, iiſque gravioribus cumulati ſunt magis, qui novis; nam novas divitias poſſidere, eſt quaſi rudem divitiarum eſſe; & injurias inferunt non malitiæ, ſed partim contumeliæ, partim incontinentiæ plenas, ut in verberationem, & adulterium. Eo-

A Eodem vero modo etiam de potentia, mores ferè plerique ſunt manifeſti; nam potentes partim eiſdem præditi ſunt, ac divites, partim vero etiam melioribus; ſunt enim potentes honoris avidiores, & moribus viriliores, quàm divites; quia ea affectant negotia, quæ ipſis adminiſtrare propter potentiam licet. Et ſtudio magis dediti; quia in ſedulitate ſunt toti, quòd quæ ad potentiam pertinent, conſiderare coguntur. Et grandiores, quàm graviores; quia conſpicuos eos dignitas reddit; itaque moderate ſe gerunt, granditas autem mollis, & elegans gravitas eſt. Et ſi injuriam faciunt, non parvam, ſed magnam faciunt.

B Fortunæ vero proſperitas mores habet earum rerum, quas expoſuimus, partes; ad hæc enim referuntur, quæ maximæ fortunæ proſperitates exiſtimantur, & præterea ſecunda fortuna facit, ut meliore conditione ſimus in iis, quæ ad liberorum probitatem, & ad bona corporis pertinent. Ac ſuperbiores quidem, & inconſideratiores ſunt, propter fortunæ proſperitatem. Uni autem illi optimi mores fortunam ſequuntur, quòd deos colunt, & erga divinum numen aliquo modo affecti ſunt, fidem habentes, propter ea bona, quæ à fortuna ſuppeditantur. Ac de moribus quidem ætati, & fortunæ convenientibus dictum eſt; quæ enim expoſitis rebus contraria ſunt, C ex contrariis eluceſcunt, ut pauperis mores, & infortnnati, & impotentis.

Quoniam autem uſus orationum ad perſuadendum appoſitarum ad judicium refertur, (quæ enim novimus, ac judicavimus, de his nihil amplius oratione eſt opus) refertur autem, ſive apud unum aliquis verba faciens adhortetur, aut dehortetur, ut faciunt, qui admonent, aut qui ſuadent (nihilo enim ſecius judicator eſt unus; quia quem perſuadere oportet, hic, ut ſimpliciter dicam, eſt judicator,) ſive adverſus controverſantem, ſive ad hypotheſim aliquis dicat, eodem modo; quia orationem adhibere neceſſe eſt, contrariaque labefactare, adverſus quæ, ut ad D verſus controverſantem, verba facere oportet; eodemque modo etiam in demonſtrativis, quia oratio ad ſpectatorem, tanquam ad judicatorem eſt inſtituta; omnino autem ſolus, & ſimpliciter judicator is eſt, qui in civilibus contentionibus ea, quæ quæruntur, judicat; quia quæ in controverſiam, & quæ in deliberationem vocantur, quomodo ſe habeant, quæruntur. De moribus autem rerumpublicarum ſupra in deliberativis eſt diſputatum. Quare explicatum eſt, & quomodo, & per quæ moratas orationes efficiamus.

De propoſitionibus communibus poſſibilis, & impoſſibilis, facti, & non facti, futuri, & non futuri, magni, & parvi. E

QUoniam autem in unoquoque genere orationum finis quidam diverſus erat, de his autem omnibus opiniones, propoſitioneſque paratæ ſunt, ex quibus & ſuadendo, & demonſtrando, & controverſando fides ducant, itemque & unde moratas reddere liceat orationes, eſt explicatum, reliquum eſt jam, ut de communibus perſequamur. Eſt enim omnibus neceſſarium, ut propoſitiones poſſibilis, impoſſibiliſque ad dicendum adhibeant, itemque ut alii futurum, alii factum eſſe, demonſtrare conentur, præterea vero magnitudinis ratio omnium eſt orationum communis; quia amplificatione, & imminutione omnes utuntur, & qui ſuadent, aut qui diſſuadent, & qui laudant, aut vituperant, & qui accuſant, aut defendunt. His autem explicatis, dabimus operam, ut de enthymematibus, atque exemplis communiter exponamus, ſi quid habemus, ut, reliquis adjectis, id, quod à principio propoſuimus, abſolvamus. Ex communibus autem amplificatio demonſtrativis aptiſſima eſt, quemadmodum diximus, factum autem judicialibus; de his enim judicium eſt, poſſibile autem, & futurum deliberativis.

Ac primum quidem de poſſibilibus, & impoſſibilibus diſſeramus. Si igitur contrarium eſt ejuſmodi, ut aut eſſe, aut factum eſſe poſſit, etiam contrarium ejuſmodi eſſe exiſtimabitur, ut ſi fieri poteſt, ut homo convaluerit, etiam, ut ægrotaverit; contrariorum enim quatenus contraria ſunt, vis eadem eſt. Et ſi ſimile fieri poteſt, etiam ſimile. Et ſi quod difficilius eſt, fieri poteſt, etiam quod facilius. Et ſi fieri poteſt, ut virtute præditus, aut pulcher fuerit, etiam ut omnino fuerit, fieri poteſt, quia difficilius eſt, ut pulchra ſit domus, quàm ut domus. Et cujus principium fuiſſe poteſt, etiam finis; nihil enim fit, neque fieri incipit eorum, quæ fieri nequeunt, ut diametron eſſe ſymmetron, neque fieri inciperet, neque fit. Et cujus finis eſſe poteſt, etiam principium, nempe quia omnia à principio oriuntur. Et ſi quod eſſentia, aut origine poſterius eſt, fuiſſe poteſt, etiam quod prius, ut ſi virum fuiſſe fieri poteſt, etiam puerum; prius enim illud fit, &, ſi puerum, etiam virum; quia illud principium eſt. Et quorum amor, aut cupiditas eſt natura; quia plerunque fit, ut nemo amet, aut concupiſcat ea, quæ fieri non poſſunt. Et quarum rerum ſcientiæ, & artes ſunt, etiam ut illæ ſint, & fuerint, fieri poteſt. Et quarum rerum principium originis in iis eſt, quæ nos coëgerimus, aut perſuaſerimus; hæc vero ſunt quibus præſtantiores, aut domini, aut amici ſumus. Et quorum partes eſſe poſſunt, etiam totum. Et quorum totum eſſe poteſt, plerunque etiam partes; ſi enim obſtrangulum & ligula, & ſolea fieri poſſunt, etiam calcei fieri poſſunt; & ſi calcei fieri poſſunt, etiam obſtrangulum, & ligula, & ſolea. Et, ſi totum genus eorum, quæ fieri poſſunt, etiam ſpecies. Et, ſi ſpecies, etiam genus; ut ſi navis fuiſſe poteſt, etiam triremis, & ſi triremis, etiam navis. Et, ſi alterum eorum, quæ naturam habent, ut inter ſe conferantur, etiam alterum, ut ſi duplum, etiam dimidium; & ſi dimidium, etiam duplum. Et, ſi ſine arte, aut apparatu factum fuiſſe aliquid poteſt, magis per artem, ac diligentiam poteſt; unde & Agathon dixit: *Atqui alia fortuna facere, alia vero neceſſitate, & arte nobis ſuppetunt.* Et, ſi à deterioribus, aut inferioribus, aut imprudentioribus fieri poteſt, magis etiam à contrariis; quemadmodum etiam Iſocrates dixit, grave eſſe, ſi Euthynus didicit, ipſe vero non poterit invenire. De impoſſibilibus autem, ex contrariis eorum, quæ diximus, ſuppetere manifeſtum eſt.

Factum vero, an non factum ſit, ex his perſcrutari oportet. Primum enim, ſi quod minus naturam habet, ut fiat, factum eſt, etiam factum eſt, quod magis. Et ſi quod po-

poſterius ſolitum eſt fieri, factum eſt,
etiam quod prius, ſactum eſt, ut ſi oblitus
eſt, etiam aliquando id didicit. Et ſi potuit,
ac voluit, fecit; quì enim cum poſſint, vo-
lunt, faciunt, quia nihil impedimenti habent.
Item, ſi voluit, & nihil extrinſecus impedi-
vit. Et, ſi fieri poteſt, & iratus fuit. Et, ſi
potuit, ac concupivit; plerunque enim, quæ
appetunt, ſi poſſunt, etiam faciunt, improbi
quidem propter intemperantiam, probi vero,
quia proba diſcupiunt. Et ſi futurum fuit, ut
fieret, ac faceret; etenim qui facturus fuit,
feciſſe veriſimile eſt. Et, ſi facta ſunt quæ-
cunque ante illud, aut illius gratia nata ſunt,
ut ſi fulſit, etiam intonuit, & ſi tentavit,
etiam effecit. Et ſi quæcunque naturam ha-
bent, ut poſterius fiant, aut id, cujus gratia
fiunt, factum eſt, etiam quod prius, & hujus
eſt gratia, factum eſt, ut ſi intonuit, etiam
fulſit, & ſi effecit, etiam tentavit; horum au-
tem omnium alia ex neceſſitate, alia plerum
que ita ſunt. De non facto vero, manifeſtum
eſt, ex contrariis eorum, quæ dicta ſunt,
peti.

Quin etiam de futuro, ex iiſdem liquet.
Nam & quod in poteſtate, ac voluntate eſt,
erit. Et quæ in cupiditate, & ira, & ratio
cinatione cum poteſtate ſunt. Propterea & ſi
in impetu ficiendi ſit, aut in eo, ut facturus
ſit, erit; plerumque enim magis fiunt, quæ
futura, quàm quæ non futura. Et, ſi quæ-
cunque naturam habent, ut prius fiant, an
teceſſerunt; ut ſi nubilatum eſt, veriſimile
eſt, pluiturum. Et, ſi quod hujus eſt gratia,
factum eſt, etiam hoc factum eſſe, veriſimile
eſt, ut ſi fundamentum, domus.

De magnitudine autem rerum, ac parvi-
tate, & majori, ac minori, & omnino ma-
gnis, ac parvis ex iis, quæ à nobis ante di-
cta ſunt, perſpici poteſt; dictum eſt autem
in deliberativis de magnitudine bonorum, &
de majori ſimpliciter, ac minori: quare quo-
niam in ſingulis orationibus propoſitus finis,
bonum eſt, ut utile, & honeſtum, & juſtum,
non eſt dubium, quin ex illis amplificationes
ſint ab omnibus aſſumendæ; nam ſi quis præ-
ter hæc aliquid de magnitudine ſimpliciter,
& excellentia quærat, inanem diſputationem
inſtituat; ſiquidem ad rerum uſum valent ma
gis res ſingulares univerſalibus. Ac de poſſi
bili quidem, & impoſſibili, & utrum factum
ſit, an non factum, & erit, ac non erit, præ-
terea vero de magnitudine rerum, ac parvi-
tate, hæc dicta ſint.

De exemplis, quot, & cujuſmodi ſint.

Reliquum eſt, ut fides, quæ communes
ſunt omnibus, exponamus, poſteaquam
de propriis diſſeruimus; ſunt autem commu-
nes fides genere duæ, exemplum, & enthyme-
ma; quia ſententia pars enthymematis eſt. Ac
primum quidem de exemplo dicamus; eſt enim
inductioni ſimile exemplum, inductio vero
principium. Exemplorum autem duo genera
ſunt; ſiquidem unum exempli genus eſt, res
ante geſtas exponere, alterum vero, ipſum
confingere; hujus autem una eſt parabola,
altera logi, ut Æſopici, & Lybici. Eſt au-
rem exemplum tale aliquid, ut ſi quis dice-
ret, bellum adverſus regem apparandum eſſe,
neque, ut Ægyptum in poteſtatem redigat,
patiendum; etenim Darius quondam non
prius trajecit, quàm Ægyptum occupavit;

A ubi vero occupavit, trajecit; iterum Xerſes
non ante irruptionem fecit, quàm occupavit,
ubi vero occupavit, trajecit; quare & hic, ſi
occupaverit, trajiciet, quare non permitten-
dum. Parabola vero, dicta Socratica, ut, ſi
quis diceret, magiſtratus ſorte creari non
oportere; quia ſimile eſt, atque ſi quis athle-
tas ſortiatur, non qui in decertando valeant,
ſed cui forte obtigerit, aut ex nautis ſortia-
tur, quemnam gubernare oporteat; quaſi
vero conveniat, cui forte obtigerit, non qui
peritus ſit, gubernare. Logus vero, qualis
eſt *Steſichori* adverſus Phalarim, & *Æſopide*
duce populari. *Steſichorus* enim cum *Hime-
renſes* Phalarim ducem cum ſummo imperio
B delegiſſent, atque ei tradituri cuſtodes corpo-
ris eſſent, cum alia diſſeruiſſet, logum hunc
retulit. Equus pratum ſolus olim tenebat,
cum autem cervus ſuperveniens pabulum diſ-
ſiparet, cervi ulciſcendi cupidus, hominem
percontatus eſt, an cum eo pœnam de cervo
ſumere poſſet? ille vero aſſeruit, ſi modo fre-
num accepiſſet, & ipſe in illum, tenens ja-
cula, conſcendiſſet; ubi vero ille conditionem
accepit, & hic aſcendit, pro pœna, quam pe-
tebat, confeſtim homini ſervivit, ſic & vos,
inquit, videte, ne dum hoſtes ulciſci cupitis,
idem, atque equus, patiamini, frenum enim
jam habetis, cum ducem cum ſummo impe-
rio delegeritis; at vero ſi cuſtodes tradetis,
C & conſcendere permittetis, protinus Phalaridi
ſervietis. Æſopus autem in Samo cum populi
ducem de capite cauſſam dicentem defenderet,
dixit; vulpem, dum flumen trajiceret, in vo-
raginem decidiſſe, cumque emergere non
poſſet, conflictatam diu eſſe, & caninas mu-
ſcas ei complures adhæſiſſe, herinaceum vero
errabundum, ut eam conſpexit, miſericordia
captum, rogaſſe, num caninas inde abigeret,
illamque non permiſiſſe; verum cum ille cauſ-
ſam quæreret, reſpondiſſe, quia hæ jam ple-
næ mei ſunt, & parum ſanguinis exugunt;
quod ſi has abegeris, famelicæ aliæ ſucceden-
tes reliquum ſanguinis mei exhaurient, quam-
obrem & vobis, inquit, ò viri Samii, hic
D quidem nihil amplius nocet, quia dives eſt,
ſin autem hunc necaveritis, ſuccedent alii
pauperes, qui publica depeculando ea vobis
dilapidabunt. Logi autem concionum ſunt,
atque hoc boni habent, quòd res geſtæ ſimi-
les ad inveniendum difficiles ſunt, logi vero
faciliores, (fingere enim ita, ut etiam para-
bolas convenit,) modo aliquis ſimile perſpi-
cere poſſit; quod ex philoſophia commodius
eſt. Ac logi quidem paratu faciliores ſunt,
facta vero ad deliberationes utiliora, quia fu-
tura præteritis plerunque ſimilia ſunt. Cete-
rum exempla, tanquam demonſtrationes, adhi-
bere, qui non habet enthymemata, debet,
quia per hæc fides fit; qui vero habet, tan-
E quam teſtimonia, poſt enthymema ſubjicere.
Etenim præpoſita inductioni ſimilia ſunt, ora-
toriis autem inductio non eſt, niſi paucis in
locis, accommodata; ſubjecta vero, teſtimo-
niis, teſtis autem ubicunque idoneus; quo-
circa præponentem commemorare multa ne-
ceſſe eſt, ſubjicienti vero unum etiam ſatis;
quia teſtis idoneus proficit etiam unus. Ac
quot quidem genera exemplorum ſint, & quo
modo ipſis, & quando utendum ſit, dictum
eſt.

De ſententiis, quid, quàm multæ, & quomodo inveſtigandæ ſint.

DE ſententiis vero dicendis, expoſito, quid ſententia ſit, maxime etiam & cujuſmodi de rebus, & quando, & quibus ſententias dicere in orationibus conveniat, apparebit. Eſt autem ſententia pronunciatum, non quidem de ſingularibus, ut qualiſnam Iphicrates ſit, verum univerſalibus, neque de univerſalibus omnibus, ut quòd rectum curvo contrarium, ſed de iis, quorum actiones ſunt, eaque, quæ perſequimur, aut fugimus, ad agendum; quare quoniam enthymema ferme ſyllogiſmus eſt, ex rebus hujuſmodi (B) conſtitutus, & concluſiones enthymematum, & principia, detracto ſyllogiſmo, ſententiæ ſunt, hoc pacto: *Quicunque prudens eſt, haudquaquam filios ſuos ad eximiam erudire ſapientiam debet*; hæc quidem ſententia eſt, cauſſa vero adjecta, & cur ita ſit, totum eſt enthymema, hoc modo: *Quia præter aliam ignaviam, infeſtam civium invidiam ſibi parant*; & illud: *Nemo ex omni parte beatus eſt*; item: *Nemo hominum liber eſt*; ſententia; cum eo vero, quod ſequitur, enthymema: *Aut enim pecuniæ ſervit, aut fortunæ*. Si igitur ſententia eſt id, quod diximus, ſententiarum genera quattuor ſint, neceſſe eſt; aut enim erunt cum ſubjectione rationis, (C) aut ſine ſubjectione rationis; ac quæcunque quidem confirmationem deſiderant, ſunt quæ incredibile, aut controverſum aliquid continent; quæcunque vero incredibile nihil, ſine ſubjectione rationis. Harum autem alias quidem, quia ante cognitæ ſunt, nihil rationis indigere, neceſſe eſt, hoc pacto: *Viro valere optimum eſt, ut ego quidem opinor*; ita enim pleriſque videtur; alias vero, ſimul dum proferuntur, iis, qui aciem intenderint, innoteſcere, ut: *Nemo amator eſt, qui perpetuo non amet*. Quæ vero ſubjectam rationem habent, aliæ enthymematis pars ſunt, ut: *Quicunque prudens eſt*; aliæ enthymematicæ quidem, ſed non pars enthymematis, quæ in (D) primis quoque probantur; hæ vero ſunt, in quibus cauſſa rei, quæ dicitur, extat, ut in hoc. *Immortalem iram ne ſerves, cum ſis mortalis*; quia ſi dicas, iram ſervare non oportere, ſententia eſt; quod vero additur: *Qui eſt mortalis*, quamobrem, aperit. Similiter vero & illud: *Mortalia oportet mortalem, non mortalem immortalia ſapere*. Atque ex his quidem, quæ diximus, planum eſt, & quàm multa genera ſententiæ ſint, & cujuſmodi in rebus unaquæque conveniat; nam de controverſis, aut incredibilibus non ſine ſubjectione rationis; verum aut præponenda ratione ſententiam pro concluſione adhibere oportet; ut, ſi quis dicat: *Ego igitur, quoniam neque (E) invideri, neque ignavum eſſe convenit, cenſeo eruditioni operam dandam non eſſe*; aut hac præpoſita priora ſubjicere; de iis autem, quæ incredibilia non ſunt, verum obſcura, quamobrem, concinne adjicere. In ejuſmodi vero Laconica quoque dicta, ænigmaticaque conveniunt, ut, ſi quis dicat, quod inter Locrenſes Steſichorus uſurpavit: *Non oportere contumelioſos eſſe, ne humi cicadæ canant*. Jam vero grandiori natu ſententias quidem dicere convenit, ſed de iis rebus, quarum eſt peritus, quia ſi adoleſcentulus ſententias proferat, quemadmodum etiam ſi fabellas referat, indecorum; ſin autem de rebus iis, quarum eſt

(A) imperitus, ſtultum, atque ab eruditione remotum; cujus rei ſignum idoneum eſt, quòd agreſtes homines ſententias potiſſimum formant, facileque pronunciant. De re vero non univerſali in univerſum dicere, in conqueſtione, atque indignatione maxime convenit, & in his, aut cum exordiris, aut poſtquam demonſtraveris. Jam vero pervulgatæ quoque, communeſque ſententiæ, ſi ſint utiles, uſurpandæ ſunt; nam quia communes ſunt, quaſi omnium confeſſione, recte ſe habere exiſtimantur; ut ei, qui ad pericula excipienda eos, qui ſacrificium prætermiſerint, adhortatur: *Augurium optimum unum, tueri patriam*; & ei, qui inſeriores: *Mars belli communis*; & ei, qui ad tollendos inimicorum filios etiam nulla injuria laceſſentes: *Stultus, qui natos occiſo patre relinquit*. Præterea vero nonnulla etiam proverbia ſententiæ ſunt, ut proverbium: *Atticus inquilinus*. Quin etiam ſententiæ adverſus ea, quæ in ore vulgi verſantur, proferendæ; dico autem in ore vulgi verſari: ut *Noſce te ipſum*, &: *Ne quid nimis*, quoties aut mores apparituri ſint meliores, aut cum affectu animi dicitur. Eſt autem cum affectu, ſi quis ira percitus diceret: *Falſum eſſe, oportere, ſe ipſum noſſe, quia ſi ſe ipſum hic noſſet, nunquam imperium poſtulaſſet*. Mores autem meliores: *Non oportere, quemadmodum ajunt, amare, ut odiſſe poſſis, ſed odiſſe, ut amare*. Atque etiam in dicendo prælectionem indicare oportet; ſin minus, cauſſam ſubjicere; exempli gratia, aut hoc modo dicendo: *Oportet amare, non ut ajunt, ſed quaſi ſemper amaturum; quia inſidiatoris eſt alterum*; aut hoc modo: *Nequaquam mihi placet, quod dicitur; quia verus amicus, tanquam ſemper amaturus, amare debet; neque illud: Ne quid nimis: quia improbos nimis odiſſe oportet*. Quin etiam magnum ad dicendum; auxilium afferunt; unum quidem, propter vanitatem eorum, qui audiunt; quia lætantur, ſi quis in univerſum loquens, in opiniones, quas ipſi in parte habent, inciderit. Quod autem dico hoc modo planum erit; ſimul vero & quo pacto ipſas venari conveniat; eſt enim ſententia, quemadmodum dictum eſt, univerſale pronunciatum. Letantur autem, cum id in univerſum profertur, quod ipſi in parte opinione præceptum habent; ut ſi quis vicinis, aut filiis improbis uteretur, probaret, ſi quis diceret: *Nihil eſt vicinitate moleſtius*, aut: *Nihil liberorum procreatione dementius*; quare ſpectare oportet, quam opinionem anteceptam habeant, deinde hoc modo de his in univerſum effari. Atque cum hunc quidem ſententiarum pronunciatio habere uſum debet, tum illum alterum meliorem, quia moratas reddit orationes. Illæ autem mores habent orationes, in quibus prælectio elucet; hoc autem omnes ſententiæ præſtant; quia qui ſententias profert, univerſe de rebus præeligendis enunciat; quare ſi ſententiæ probæ fuerint, etiam, ut qui dicit, bonis moribus videatur, efficiunt. Ac de ſententia quidem, & quid ſit, & quot genera ejus, & quo modo ipſis utendum ſit, & quam utilitatem afferant, tam multa dicta ſint.

De ratione inveſtigandorum enthymematum.

DE enthymematibus autem in univerſum dicamus, quo pacto inveſtiganda ſint, ac poſtea locos; quia genus horum utriuſque di-

A diverſum eſt. Ac enthymema quidem ſyllogiſmum quendam eſſe, dictum eſt ante, & quo modo ſyllogiſmus, & quid à dialecticis differat; neque enim longe, neque omnia ſumendo colligere oportet; quia illud propter longitudinem eſt obſcurum, hoc vero, quòd manifeſta dicuntur, nugatorium; hoc enim cauſſæ eſt, cur indocti doctis inter vulgares facilius perſuadeant, quemadmodum poëtæ dicunt: *Indoctos concinniores eſſe, qui cum vulgo loquantur*; quia illi communia, & univerſalia dicunt, hi vero ex iis, quæ ſciunt, & propinqua ſunt. Quare dicere oportet non ex omnibus, quæ probantur, verum ex definitis, nempe, aut iis, qui judicant, aut iis, quos ipſi approbant; neque dubium illud eſſe, B quin ita aut omnibus, aut plurimis videatur; neque ſolum ex neceſſariis, ſed etiam ex iis, quæ ſunt, plerunque colligere.

Ac primum quidem conſtituendum eſt, de quo dicere, aut concludere ſive civili, ſive quocunque ſyllogiſmo oportet, de eo neceſſario tenenda eſſe, quæ inſunt, aut omnia, aut certe nonnulla; quia ſi nihil teneas, nihil colligere poteris; dico autem exempli gratia: quo modo ſuadere Athenienſibus poſſemus, ut bellum ſuſciperent, aut ſecus, niſi teneremus, quæ copiæ illorum eſſent, utrum navales, an pedeſtres, an utrunque, & ipſæ, quantæ, & vectigalia, quæ, aut amici, aut inimici, præterea vero quàm multa bella geſſiſſent, C & quo pacto, & alia ejuſmodi; & eos laudare, niſi teneremus prælium navale ad Salaminem, aut pugnam in Marathone, aut quæ pro Heraclidis geſſerunt, aut aliquid ejus generis? Etenim ex iis, quæ inſunt, aut ineſſe exiſtimantur, honeſtis laudant omnes, eodemque pacto vituperant etiam ex contrariis, conſiderantes, quidnam tale in ipſis inſit, aut exiſtimetur ineſſe, ut, quòd Græcos ſervitute oppreſſerunt, & quòd Æginetas, ac Potidæatas, qui ipſis adverſus barbarum ſocii fuerant, ac præclare ſe geſſerant, ſubegerunt; & ſi quod aliud peccatum tale inſit in eis. Eadem autem ratione & qui accuſant, ac defendunt, ex iis, quæ inſunt, adhibita animadverſione, D accuſant, ac defendunt; hoc autem de Athenienſibus, an Lacedæmoniis, aut homine, an de eo faciant, nihil intereſt; nam & qui ſuadet Achilli, & qui laudat, ac vituperat, & qui accuſat eum, ac defendit, ea, quæ inſunt, aut ineſſe exiſtimantur, arripere debet, ut ex his dicamus laudantes, aut vituperantes, ſi quid honeſti, aut turpis ineſt; accuſantes autem, aut defendentes, ſi quid juſti, aut injuſti; ſuadentes autem, ſi quid utilis, aut inutilis. Similiter vero his & de re quacunque, ut de juſtitia, bonum ne, an non bonum, ex iis, quæ juſtitiæ, aut bono inſunt. Quare quoniam tum omnes in hunc modum demonſtrare videntur, ſive accuratius, ſive E negligentius concludant, (neque enim ex omnibus ſumunt, ſed ex iis, quæ in quaque re inſunt;) tum propter rationem, quia perſpicuum eſt, fieri non poſſe, ut aliter demonſtretur: profecto neceſſe eſt, quemadmodum in Topicis, primum in quaque re ſelecta habere, quæ incidere poſſunt, & oportuniſſima ſunt; de iis autem rebus, quæ de repente fiunt, indagare eodem modo, intuendo non in ea, quæ indefinita, ſed in ea, quæ inſita ſunt, de quibus habetur oratio, & quàm plurima, eaque rei proxima complectendo. Nam quo plura habebuntur eorum, quæ inſunt, eo facilior demonſtratio erit, quo vero propiora, eò magis propria, & minus communia; dico autem communia, laudare Achillem, quòd homo ſit, & quòd ex ſemideis, & quòd ad Ilium miles venerit; hæc enim in aliis quoque inſunt multis, quo fit, ut nihilo magis hic talis Achillem laudet, quàm Diomedem; propria vero, quæ nemini alii acciderunt, quàm Achilli, ut quòd interfecerit Hectorem Trojanorum fortiſſimum, & Cycnum, qui omnes exſcendere prohibebat, cum ſauciari nequiret, & quòd maxime juvenis, & injuriatus ad illam expeditionem profectus ſit, & hujus generis alia. Ac unus quidem ſelectionis locus, iſque primus topicus hic eſt.

De locis enthymematum.

ENthymematum autem elementa dicamus, (elementum vero, & locum enthymematis idem voco,) primum autem dicamus, de quibus neceſſe eſt dicere primum. Sunt enim enthymematum genera duo: nam alia ad demonſtrandum, eſſe, aut non eſſe, appoſita ſunt, alia ad refutandum; eaque inter ſe differunt, perinde, ac in dialecticis elenchus, & ſyllogiſmus; ad demonſtrandum vero appoſitum enthymema eſt, quod colligit ex confeſſis, ad refutandum vero, quod inconfeſſa. Ac de ſingulis quidem utilibus, ac neceſſariis formis loci ferme nobis habentur; ſiquidem in ſingulis ſelectæ propoſitiones ſunt; quare, quibus ex locis enthymemata de bono, aut malo, aut honeſto, aut turpi, aut juſto, aut injuſto petere oporteat; quin etiam de moribus, & affectibus, & habitibus æque parati ſunt nobis antea loci. Nunc vero alio modo de omnibus generatim paremus, ac differamus, adnotantes, qui ad refutandum, quique ad demonſtrandum accommodati ſint, itemque qui ſint enthymematum eorum, quæ videntur, ſed enthymemata non ſunt, quia neque ſyllogiſmi. Quibus demonſtratis, de ſolutionibus, & objectionibus explicemus, unde eas ducere adverſus enthymemata opus ſit.

Unus ergo ex iis, qui ad demonſtrandum appoſiti ſunt, locus eſt: A contrariis. Videndum eſt enim, an contrario contrarium inſit, refellenti quidem, an non inſit; confirmanti vero, an inſit; ut, quòd temperantia bonum, quia intemperantia nocet; aut quemadmodum in Meſſeniaca: *Quod ſi bellum præſentium incommodorum eſt cauſſa, ea corrigamus pace, oportet. Si enim iis, qui inviti maleſecerunt, æquum non eſt iraſci; neque etiam, ſi quis coactus bene fecerit, huic habere gratiam decet. At ſi inter mortales falſis ſermonibus fides habetur, contra etiam putandum eſt, multa, quæ fide careant, mortalibus evenire.*

Alius: A ſimilibus caſibus; æque enim eſſe, ac non eſſe oportet, ut: Non omne quod juſtum eſt, bonum eſt; alioquin & quod juſte; ceterum juſte necari, expetendum non eſt.

Alius: Ab iis, quæ inter ſe conferuntur. Nam ſi in alterum cadit, ut honeſte, aut juſte fecerit, in alterum, ut paſſus ſit; & ſi, ut juſſerit, etiam, ut fecerit; quemadmodum publicanus Diomedon de vectigalibus: *Si vobis vendere non eſt turpe, neque nobis emere. Et, ſi qui paſſus eſt, honeſte, aut juſte paſſus eſt, etiam, qui fecit; &, ſi qui fecit, etiam qui paſſus eſt.* Licet autem captionem in hoc adhi-

bibere; ſi enim juſte necatus eſt, juſte paſſus eſt, at non fortaſſe à te; quocirca videndum eſt ſeparatim, an qui paſſus eſt, pati, & qui fecit, facere debuerit; deinde, in utram partem convenerit, uſurpare, nam aliquando diſcrepat, & nihil prohibet; quemadmodum eſt in Alcmæone Theodectis: *Matrem tuam nemone mortalium oderat?* Reſpondens autem affirmat: *At hæc diſtincte conſiderare oportet*; quærente vero Alpheſibœa: *quo tamdem modo?* ſuſcipiens dixit: *Necari quidem illam decreverunt, verum non à me necari*; & quale judicium eſt de Demoſthene, & iis, qui Nicanorem interfecerant; nam quia, jure interfeciſſe judicati ſunt, jure interfectus eſſe exiſtimatus eſt; & de eo, qui Thebis occiſus eſt, de quo judicium eſt conſtitutum, utrum morte dignus eſſet; quaſi vero injuſtum non eſſet, mortem afferre ei, qui jure moreretur.

Alius: A majori & minori, hoc pacto: *Si dii non omnia ſciunt, multo minus homines*; eſt autem hoc: Si cui magis ineſſe debet, non ineſt, profecto neque cui minus. Illud autem: *Proximum cadet, qui patrem etiam cadit*, ab eo eſt: Si quod minus, eſt, etiam quod magis, eſt, in utram partem demonſtrare opus erit, ſive eſſe, ſive ſecus.

Præterea: Si neque magis, neque minus; unde dictum eſt: *Ac pater quidem tuus amiſſis filiis miſerandus, Oeneus autem non, qui præſtantiſſimum Græciæ filium perdidit?* Et: *Si non juſte Theſeus fecit, neque Alexander.* Et: *Si Patroclum Hector, etiam Achillem Alexander.* Et: *Si alii artifices non mali, neque philoſophi.* Et: *Si imperatores non mali, quia ſæpe vincuntur, neque ſophiſtæ.* Et: *Si privatus veſtræ gloriæ rationem habere debet, & vos Græcorum.*

Alius: Ab animadverſione temporis, ut Iphicrates in ea, quam contra Harmodium: *Si, prius quam facerem, à vobis ſtatuam poſtulaſſem, ſi feciſſem, conceſſiſſetis, ubi vero feci, non permittetis? ne igitur beneficio afficiendi promittatis, affecti vero, auferatis*; & rurſus, ut Thebani Philippo aditum in Atticam patefacerent: *Si prius quam opem contra Phocenſes ferret, poſtulaſſet, certe promiſiſſent, profecto abſurdum eſt, ſi, quia neglexit, & credidit, tranſire non patientur.*

Alius: Ab iis, quæ ex ſe dicta ſunt adverſus eum, qui dicit; modus autem excellit, ut in Teucro; atque eo uſus eſt Iphicrates adverſus Ariſtophontem, cum quæreret, num propter pecuniam proditurus naves eſſet; negante autem illo; *ergo tu*, inquit, *cum ſis Ariſtophon, non proderes, ego vero, qui ſum Iphicrates, prodidi?* Oportet autem, ut ille exiſtimetur injurioſior, ſin minus, res ridicula videatur, ſi in Ariſtidem accuſatorem hoc aliquis proferat; verum in exiguam fidem accuſatoris; omnino enim qui accuſat, melior eſſe vult eo, qui accuſatur; hoc igitur ſemper eſt convincendum. In univerſum autem ineptus ille eſt, qui aliis objicit, quæ ipſe faciat, aut facturus eſſet, aut ad ea ſuſcipienda hortatur, quæ ipſe nec faciat, neque facturus eſſet.

Alius: A definitione, hoc modo: *Demonium nihil aliud eſt, quàm aut Deus, aut Dei opus*; *atqui qui Dei opus eſſe opinatur, hic & Deos eſſe opinetur, neceſſe eſt*; & ut Iphicrates: *Qui generoſiſſimus, optimus eſt, quia in Harmodio, & Ariſtogitone nihil generoſi fuit, priuſquam aliquid generoſi geſſerunt*; & quòd ipſe propinquior erat: *Quia res meæ geſtæ Harmodii, & Ariſtogitonis rebus propinquiores ſunt, quàm tuæ*; & quemadmodum eſt in Alexandro: *Confeſſuros omnes eſſe, parum temperatos eſſe illos, qui uno frui corpore haud ſatis haberent*: & unde Socrates ſe iturum ad Archelaum negavit, quòd parem contumeliam eſſe diceret, ſi quis referre non poſſet, qui beneficium, ac qui maleficium, accepiſſet; ſiquidem omnes hi definitionem adhibentes, & quid ſit, ſumentes, de iis, de quibus dicunt, ſyllogiſmo concludunt.

Alius: Cum, quotupliciter; ut in Topicis, de ipſo recte.

Alius: A diviſione. *Ut ſi trium rerum gratia omnes injuriam faciunt, quippe aut hujus, aut hujus, aut hujus, ac propter duas non potuit, propter tertiam autem ne ipſi quidem dicunt.*

Alius: Ab inductione; ut ex Peparethia: *Mulieres de liberis verum ubique diſcernunt; hoc enim Athenis Mantiæ oratori de filio diſceptanti mater indicavit, hoc item Thebis, cum Iſmenias, & Stilpo contenderent, Dodonis Iſmeniæ filium demonſtravit, proptereaque Theſſaliſcum Iſmeniæ filium eſſe ſtatuerunt*; & rurſus ex lege Theodectis: *Si iis, qui alienos equos male curarunt, ſuos non tradunt, neque iis, qui naves alienas ſubverterunt, &, ſi ſimilis eſt ratio in omnibus, neque nos iis, qui male alienam ſalutem defenderunt, committere noſtram debemus*; & ut Alcidamas; quòd ſapientes ab omnibus honorantur: *quia Parii Archilochum, quamvis maledicus eſſet, honore affecerunt, & Chii Homerum, quamvis civis non eſſet, & Mitylenæi Sapphonem, quamvis mulierem, & Lacedæmonii Chilonem in ſenatum legerunt, cum tamen parum ſtudioſi humanitatis eſſent, & Itali Pythagoram, & Lampſaceni Anaxagoram, quamvis peregrinum, ſepulchro decorarunt, atque in hunc uſque diem honorant, & Athenienſes Solonis legibus utentes beati fuerunt, & Lacedæmonii Lycurgi; & Thebis ſimul atque philoſophiæ ſtudio ſe præſides tradiderunt, beata civitas illa fuit.*

Alius: A judicio de eadem re, aut ſimili, aut contraria, præſertim vero ſi omnes, & ſemper, ſin minus, at ſaltem plurimi, aut ſapientes, aut omnes, aut plurimi, aut boni, aut ſi ipſi judices, aut ii, qui à judicibus approbantur, aut ii, contra quos judicare non licet, ut dominos, aut contra quos judicare honeſtum non eſt, ut deos, aut patrem, aut præceptores, quemadmodum in Mexidemidem dixit Autocles: *Si Severis deabus in Areopago judicium pati honeſtum fuit, Mexidemidi vero nequaquam*; aut quemadmodum Sappho: *Mori malum eſſe, quia dii ita cenſuerunt, alioquin mortui eſſent*; aut quemadmodum Ariſtippus adverſus Platonem neſcio quid, ut rebatur, jactantius profitentem: *Atqui ſodalis noſter*, inquit, *nihil tale*, Socratem innuens; & Hegiſippus Delphis deum conſuluit, cum antea Olympiæ ſciſcitatus eſſet, an ejuſdem ipſe, cujus pater, ſententiæ eſſet? quaſi vero turpe eſſet, contraria reſpondere; & Helenam, ut ſcripſit Iſocrates, virtute præſtitiſſe, *quia Theſeus ita judicavit*; item Alexandrum; *quia deæ judicem aſciverunt*; & Evagoram, ut inquit Iſocrates, *quia Conon adverſa fortuna jactatus, omnibus aliis poſthabitis ſe contulit ad Evagoram.*

Alius: A partibus; quemadmodum in Topicis: *Quinam motus eſt animæ? aut enim hic, aut ille*; exemplum ex Socratis Theode-

cte

cte petatur: *Quod templum violavit? quos deos non coluit, quos civitas aſciverit?*

Alius, quoniam plurimis in rebus uſuvenit, ut eas boni, & mali aliquid conſequatur: A conſequentibus adhortari, aut dehortari, & accuſare, aut defendere, & laudare, aut vituperare; exempli gratia, eruditionem mali illud ſequitur, ut invideatur, boni vero illud, ut ſapiens ſit: *Non ergo eruditioni operam dare oportet, ne invideamur. Ergo eruditioni operam dare oportet, ut ſapientes ſimus.* Atque hic locus Callippi ars eſt, poſſibili, atque aliis aſſumptis, ut dictum eſt.

Alius: Quoties duabus de rebus, iiſque oppoſitis aut adhortari, aut dehortari conveniat, ad utraſque eum quoque, cujus modo mentionem fecimus, modum afferre; differt tamen, quòd ibi quæcunque res opponantur, hic vero contrariæ, ut ſacerdos quædam filium cum populo agere non ſinebat; *quid*, inquit, *ſi juſta dixeris, in hominum offenſionem incurres; ſi injuſta, in deorum. Immo vero cum populo agere debes, quia, ſi juſta dixeris, deorum tibi amorem conciliabis, ſi injuſta, hominum.* Hoc autem idem valet, atque id, quod dicitur: *Oleum, & ſalem emere*; & hæc eſt *βλαίσωσις*; quando duorum contrariorum utrique boni, & mali aliquid ita conſequens eſt, ut utraque utriſque contraria ſint.

Alius: Quoniam non eaſdem res palam, atque occulte laudant, ſed palam quidem juſtas, atque honeſtas ſummis laudibus efferunt, privatim vero utiles anteponunt, ex his alteram pro virili colligere; atque hic locus inter eos, qui contra opinionem proferuntur, eſt potentiſſimus.

Alius: Ab eo, quod res ex proportione contingant; ut Iphicrates, cum filium ſuum, natu minorem, quòd magnus eſſet, publicum obire munus cogerent, dixit: *Si magnos pueros pro viris accipiunt, profecto parvos viros pueros eſſe conſtituent*; & Theodectes in lege: *Si mercenarios milites, ut Strabacem & Charidemum probitatis ergo in civitatem accipitis, non ne mercenarios, qui res nefarias commiſerunt, è civitate pelletis?*

Alius: Si quod contingit eſt idem, etiam ea, ex quibus contingit, eadem eſſe, ut dixit Xenophanes, pari impietate præditos eſſe, qui natos deos dicunt, ac qui mortem obire; quia utroque modo contingit, ut aliquo tempore non ſint dii. Et omnino quod ex utroque contingit, ſumere pro eo, ac ſi idem ſit ſemper. *Eſtis autem non de Socrate judicaturi, verum de profeſſione, utrum operam dare philoſophiæ conveniat*, item: *Terram, atque aquam dare, eſt ſervitutem ſervire*, item: *Communis pacis participes fieri, eſt imperata facere.* Sumendum eſt autem, utrum fuerit utile.

Alius: Quòd non idem ſemper iidem poſterius, ac prius eligant, ſed contra, quale eſt hoc enthymema: *Si fugati quondam pugnavimus, ut reſtitueremur, reſtituti vero fugiemus, ne depugnemus?* aliquando enim conſtituerunt pugnare, ut manerent, aliquando vero non manere, ne depugnarent.

Alius: Cujus gratia fit, ſi non factum ſit, hujus gratia eſſe, aut factum eſſe, aſſerere, ut ſi cui quis donum daret, ut eo ablato, dolorem afferret; unde & illud dictum eſt: *Multis Dea magnas affert proſperitates, non quòd eos diligat, ſed ut calamitates habeant inſigniores*, & illud ex Meleagro Antiphontis: *Non ut feram interficiant, ſed ut teſtes ſint Meleagri virtutis apud Græciam*, & illud ex Ajace Theodectis: *quòd Diomedes Ulyſſem præ ceteris aſciverat, non ut ei honorem tribueret, ſed ut comes ſe eſſet inferior*, fieri enim poteſt, ut hujus rei gratia fecerit.

A Alius litigantibus, ſuadentibuſque communis: Videre, quæ adhortentur, ac dehortentur, & quorum gratia & agant, & fugiant; hæc enim ſunt illa, quæ ſi adſint, agenda ſunt, nempe, ſi poſſibile, & facile, & utile, & aut ipſis, aut amicis, aut inimicis noxam, ac damnum afferat, aut ſi damnum levius ſit, quàm res. Atque ab his quidem adhortantur, dehortanturque à contrariis, ab iiſdem autem his & accuſant, & defendunt, ab adhortantibus quidem defendunt, B à dehortantibus vero accuſant. Eſt autem locus hic ars integra tum Pamphili, tum Callippi.

Alius: Ab iis quæ fieri exiſtimantur illa quidem, ſed fide carent. Quòd in exiſtimationem non cecidiſſent, ſi non eſſent, aut parum abeſſent. Et quòd magis; quia aut ea, quæ ſunt, aut quæ veriſimilia ſunt, opinantur; quòd ſi credibile, & veriſimile non eſt, verum erit; neque enim quia veriſimile, & credibile ſit, ita exiſtimatur, quemadmodum Androcles Pitheus legem accuſans, cum oranti ſibi obſtreperent, dixit, *leges legem emendatricem deſiderare, quia & piſces ſalem*, atqui neque credibile, neque veriſimile eſt, qui in C ſalſo aluntur, egere ſale, *& olivæ oleum*: atqui alienum à fide eſt, unde oleum fit, ea oleo indigere.

Alius ad refutandum appoſitus: Repugnantia conſiderare, ſi quid repugnans ſit in omnibus & temporibus, & actionibus, & ſermonibus, ac ſeparatim quidem in litigatore, hoc modo: *Et ait quidem amare vos, verum cum triginta viris conſpiravit.* Separatim vero in ſe ipſo: *Et ait quidem, me litibus delectari, neque tamen me judicium ullum intentaſſe, poteſt oſtendere.* Separatim autem in ſe ipſo, ac litigatore: *Et hic quidem nihil unquam mutuo dedit, ego vero multos veſtrum etiam liberavi.*

D Alius: Hominibus, & rebus calumnia affectis, nec tamen hominum exiſtimatione probatis, cauſſam improbabilitatis exponere; ſiquidem eſt aliquid, propter quod videatur, hoc modo: Mulier quædam, cum filium amplexandi gratia ſubiiſſet, videbatur cum adoleſcente concumbere; cauſſa vero expoſita, calumnia diſſoluta eſt, & quemadmodum in Ajace Theodectis, Ulyſſes Ajaci cauſſam exponit, cur cum Ajace fortior ſit, non tamen exiſtimetur.

Alius: A cauſſa, & ſi extat, eſſe, & ſi non extat, non eſſe; nam & cauſſa, & id cujus eſt cauſſa, ſimul ſunt, ac ſine cauſſa nihil eſt; quemadmodum Leodamas in defenſione E ſui dixit, cum Thraſybulus objiceret, quod in columna notatus eſt in arce, verum ipſum Trigintaviris dominantibus abraſiſſe, *at non licuit*, inquit, *immo vero plus mihi Trigintaviri credidiſſent, ſi geſtæ cum populo inimicitiæ extitiſſent.*

Alius: Videre, num licuit, aut liceat alio modo commodius, quàm quemadmodum aut ſuadet, aut agit, aut egit; ſatis enim liquet, ſi non ita ſe habet, non egiſſe: nemo enim ſponte ſua, ac ſciens deteriora præeligit; eſt tamen hoc falſum, quia poſt ſæpe apparet, quemadmodum commodius agi poterat, quod prius obſcurum erat.

Alius:

A Alius: Simul videre, num quando gerendum aliquid ſit, quod iis, quæ geſta ſunt, adverſetur, ut Xenophanes rogantibus Eleatis, num ſacrificarent Leucotheæ, atque lugerent, reſpondit, ſi deam putarent, ne lugerent, ſi hominem, ne ſacrificarent.

Alius locus: Ab iis, in quibus peccatum eſt, accuſare, aut defendere, ut in Carcini Medea: Sunt, qui accuſent, quòd liberos interfecerit: neque enim eos extare; peccavit enim Medea, quòd eos amandavit. Illa vero defendit, ſe non liberos, ſed Jaſonem interfecturam fuiſſe; hoc enim ſi prætermiſiſſet, peccaſſet, ſi modo illud etiam alterum perpetraſſet. Eſt autem locus hic, & forma enthymematis prior ars Theodori tota.

B Alius: A nomine, ut Sophocles: *Aperte σιδηρῶ, & ferens nomen*, & ut in deorum laudibus ſolent dicere, & ut Conon Trhaſybulum θρασύβουλον nominabat, & Herodicus Thraſymachum, ſemper θρασύμαχος es, & Polum, ſemper πῶλος es, & Draconem legislatorem, quòd non hominis leges eſſent, ſed Draconis, quippe aſperæ, & ut Euripidis Hecuba in Aphroditem: *Et nomen deæ rectè ἀφροσύνης initium*, & quemadmodum Chætemon: *Γερλεὺς futuræ calamitatis nomen fert*. Probantur autem magis quæ ad refutandum, quàm quæ ad demonſtrandum idonea ſunt; quia quod refutandi vim habet rerum eſt contrariarum in anguſto loco collectio, quæ vero juxta ſe C poſita ſunt, auditori facilius innoteſcunt; ex omnibus autem & qui ad refutandum, & qui ad demonſtrandum idonei ſunt, ſyllogiſmis maxime perturbant quæ ſunt ejuſmodi, ut cum proferri incipiunt, ea provideant, non quòd eminentia ſunt; quia ſimul & ipſi præſentientes ſecum lætantur, & quæ eatenus ſubſequuntur, ut ea ſimul ac ſint dicta, intelligant.

De locis adumbratorum enthymematum.

QUoniam autem accidere poteſt, ut unus ſyllogiſmus ſit, alter non ſit quidem, D ſed videatur, neceſſe eſt & enthymema unum quidem eſſe enthymema, alterum vero non eſſe, ſed videri; quia enthymema ſyllogiſmus eſt quidam. Loci autem eorum, quæ videntur, enthymematum, unus eſt in dictione, atque hujus una pars eſt, perinde ac in dialecticis, nullo adhibito ſyllogiſmo, extremum in modum concluſionis afferre. *Non igitur hoc, & hoc: Neceſſe eſt igitur hoc, & hoc.* Et enthymematibus contorte, oppoſiteque diſſerere, enthymema videtur; quia ejuſmodi dictio campus eſt enthymematis; tale autem videtur eſſe, à figura dictionis. Ad ſyllogiſtice vero dictione dicendum proficit, multorum capita ſyllogiſmorum efferre, hoc modo: *Alios E ſervavit, alios ultus eſt: Græcos autem in libertatem vindicavit*; quippe quia ex aliis horum unumquodque probatum eſt; quæ ſi conjungantur, jam ex his effici aliquid videatur; altera vero eſt in homonymia, ut ſi quis dicat, virtute præſtantem eſſe Μῦν, à quo auguſtiſſima omnium initia exiſtunt. Siquidem Μυστήρια omnium auguſtiſſima initia ſunt; aut ſi quis canem celebrans, cœleſtem etiam, aut Pana complectetetur; quia Pindarus dixit: *O beate, quem magnæ deæ canem varium vocant olympii*, aut: *nullum eſſe canem inhonoratum eſſe; quare canem eſſe, honoratum*; & ſi quis dicat: *Mercurium omnium deorum maxime eſſe κοινωνὸν*; *quia ſolus vocatur κοινὸς Mercurius*; item λόγον *eſſe rem præſtantiſſimam, quia boni viri non pecuniarum, ſed λόγου ἄξιοι ſunt; neque enim λόγου ἄξιον dicitur uno modo.*

Alius: Quod diſtinctum eſt, conjunctim, aut quod conjunctum, diſtincte proferre; quoniam enim idem videtur eſſe, cum ſæpe non ſit idem, utrum oportunius erit, id facere convenit: eſt autem hoc oratio Euthydemi, ut illud: *quòd novit triremem in Piræo eſſe*, quia ſingula novit; & illud: *quod qui ſcit elementa, carmen ſcit*; quia carmen idem ipſum eſt; *&, quoniam bis tantum morboſum eſt, neque unum ſalubre eſſe aſſerere*; quia abſurdum eſt, ſi duo bona, unum malum ſit; atque hoc quidem modo valet ad refutandum, hoc vero ad demonſtrandum; neque enim unum bonum duo ſunt mala; totus autem locus eſt captioſus; item Polycratis illud in Thraſybulum; *quòd triginta tyrannos ſuſtulit*; ſiquidem conjungit; rurſus illud in Oreſte Theodectis: (ex diſtinctione namque eſt.) *Æquum eſt, ſi quæ maritum interficiat, ipſam mori, & filium patrem ulciſci, hæc igitur facta ſunt*; nam ſi conjungantur, fortaſſe non æquum; poterit etiam à defectione proficiſci, quia tollitur, à quo.

Alius locus eſt: Confirmare, & infirmare cum indignatione; hoc autem eſt, quoties, quam rem factam eſſe non demonſtrarit, eam exaggeret; efficit enim ut videatur, aut non feciſſe, quoties qui arguitur, exaggerat, aut feciſſe, quoties qui accuſat, iraſcitur; quare non eſt enthymema; fit enim ut aut feciſſe, aut non feciſſe, falſo credat auditor, quamvis demonſtratum non ſit.

Alius: A ſigno; quia neque hoc concludi ſyllogiſmo poteſt; ut ſi quis dicat, *civitatibus utiles amatores eſſe, quia Harmodii, & Ariſtogitonis amor Hipparchum tyrannum evertit; &, Dionyſium furem eſſe, quia improbus ſit*; nam neque hoc ſyllogiſmo concludi poteſt; neque enim omnes improbi fures, ſed omnes fures improbi ſunt.

Alius: Ab accidenti; quale quod in mures protulit Polycrates, *eos comedendis nervis auxilium attuliſſe*, aut ſi quis dicat, *ad cœnam invitari, honorificentiſſimum eſſe, quia Achilles, quod invitatus non fuit, in Tenedo Achivis ſuccenſuit*; at ille quia parum æſtimatus fuerat, ſuccenſuit; id autem accidit ex eo, quia invitatus non fuit.

Alius: A conſequenti; ut in Alexandro: *Magnanimum eſſe, quia ſolus in Ida vulgaris multitudinis conſuetudine neglecta verſetur*; quandoquidem magnanimi tales; *&, adulterum eſſe, quia ſe comat, & de nocte vagetur*; quia adulteri quoque tales; eadem vero etiam ratione, quia mendici in templis & cantant, & ſaltant, & quia exulibus ubicunque libet, incolere licet: quia enim hæc iis ſuppetunt, qui beati eſſe putantur, & ii, quibus hæc adſunt, putabuntur eſſe beati; differt autem, quo modo fiat; quocirca in defectione incurrit.

Alius: A non cauſſa, quaſi cauſſa, quippe propterea quòd ſimul, aut poſt eam evenerit; quod enim poſt illam eſt, æque ac propter illam accipiunt, maximeque, qui in republica verſantur, ut Demades, Demoſthenis politiam cauſſam calamitatum omnium extitiſſe, quia poſt eam bellum eſt excitatum.

Alius: A defectione temporis, & modi, ut *quòd Alexander jure Helenam rapuit, quia à patre optionem acceperat*; neque enim fortaſſe in perpetuum, ſed primis temporibus; nam ca-

eatenus in poteſtate pater habuit; aut ſi quis
dicat: *liberum hominem cædere, contumeliam
eſſe*; neque enim uſquequaque verum quoties
injurioſas manus prior intulerit.

Præterea vero ut in Eriſticis, apparens
ſyllogiſmus exiſtit ab eo, quod eſt ſimpliciter,
& non ſimpliciter, ſed quiddam; quale in
dialecticis: *Non ens eſſe ens, quia non ens eſt
non ens, &c.*: *Quod cognoſci non poteſt, ſciri poſ-
ſe, quia quod cognoſci non poteſt, ſciri poteſt,
cognoſci non poſſe*; ſic etiam in rhetoricis ap-
parens enthymema eſt ab eo, quod non ſim-
pliciter veriſimile, ſed quiddam veriſimile eſt;
hoc autem generale non eſt, quemadmodum
etiam Agathon inquit: *Fortaſſe veriſimile illud
eſſe aliquis dixerit, mortalibus multa non veri-
ſimilia evenire*; evenit enim id quod eſt con-
tra veriſimile; quare veriſimile etiam eſt id,
quod contra veriſimile eſt; ſi autem hoc, quod
non eſt veriſimile, veriſimile fuerit illud qui-
dem, ſed non ſimpliciter. Verum quemadmo-
dum in Eriſticis, niſi addantur, Secundum
quid, & Ad aliquid, & Alicubi, calumniam
afferunt, item hic, contra veriſimile eſt, non
ſimpliciter, ſed quoddam veriſimile. Ex hoc
autem loco ars Coracis eſt conſtituta; nam ſi
culpæ non ſit affinis, ut ſi imbecillus de ver-
beribus arguatur; non enim veriſimile eſt; &
ſi ſit affinis, ut ſi robuſtus; non enim veriſi
mile eſt; quia futurum erat, ut veriſimile in
opinionem incurreret; eademque etiam ratio-
ne in ceteris; aut enim culpæ affinem, aut
non affinem eſſe neceſſe eſt; ac veriſimilia
quidem ambo videntur; verum illud eſt veri-
ſimile, hoc vero non ſimpliciter, ſed quem-
admodum dictum eſt; & hoc eſt, inferiorem
cauſſam dicendo ſuperiorem efficere. Quo fa-
ctum eſt etiam, ut jure Protagoræ profeſſio-
nem moleſte homines ferrent; quia falſum, &
non verum, ſed apparens veriſimile eſt, atque
in nulla arte, niſi in rhetorica, eriſticaque
verſatur.

Ac de enthymematibus quidem, & quæ
ſunt, & quæ videntur, dictum eſt.

De diſſolutionibus enthymematum.

DEinceps ſequitur, ut de diſſolutionibus
exponamus. Licet autem aut opponen-
do ſyllogiſmo, aut afferenda objectione diſſol-
vere. Ac ſyllogiſmi quidem oppoſitio quin
ex iiſdem afferri locis poſſit, haud ſane du-
bium eſt; ſiquidem ſyllogiſmi ex probabilibus
ſunt; probabilia vero multa inter ſe contraria
ſunt. At vero objectiones quadrifariam, ut
dictum eſt in Topicis, afferuntur: nempe aut
à ſe, aut à ſimili, aut à contrario, aut à ju-
dicatis. Dico autem à ſe; ut ſi enthymema
eſſet, amorem bonum eſſe, duplex afferri ob-
jectio poſſet, quippe aut in totum, omnem
indigentiam malam eſſe dicendo, aut in par-
te, quòd non diceretur Caunius amor, niſi
mali quoque eſſent amores. A contrario vero
objectio ducitur; ut ſi enthymema eſſet, pro-
bum virum de amicis omnibus bene mereri:
at neque improbus male. A ſimilibus autem;
ſi eſſet enthymema, quòd qui incommodum
acceperunt, ſemper oderunt: at neque qui
commodo affecti ſunt, ſemper diligunt. Judi-
cia vero ſunt, quæ ab illuſtribus viris acci-
piuntur; ut ſi quis enthymema afferret, te-
mulentis ignoſci convenire, quia ignorantes
delinquunt, objici poterit: non igitur lau-

A dandus Pittacus; neque enim graviorem pœ-
nam lege conſtituiſſet, ſi quis ebrius deliquiſ-
ſet. Quoniam autem enthymemata ducuntur
ex quatuor, nempe veriſimili, exemplo, tec-
merio, & ſigno; quæ autem ex iis, quæ ple-
rumque ſunt, aut eſſe videntur, enthymemata
colliguntur, ex veriſimilibus; quæ vero ex in-
ductione rei ſimilis, aut unius, aut plurium,
quoties quidem ſumpto univerſali, deinde
quod eſt in parte concludat, ab exemplo; quæ
autem ex neceſſario, ac exiſtente, à tecmerio;
quæ vero ex univerſali, aut particulari, ſive
exiſtat, ſive ſecus, à ſignis; ſane dubium non
eſt, quin ejuſmodi enthymemata objectione
afferenda diſſolvere ſemper licuerit; diſſolutio
B tamen adumbrata, & non perpetuo vera erit:
neque enim qui objicit, veriſimile non eſſe,
ſed qui neceſſarium non eſſe, diſſolvit; itaque
propter hanc captionem fit, ut qui defendit,
commodiore conditione ſit, quàm qui accuſat.
Etenim quia qui accuſat, ex veriſimilibus pro-
bat; (neque vero diſſolutio eadem eſt, aut
veriſimile non eſſe, aut neceſſarium non eſſe;)
quod vero plerumque eſt, ei ſemper objici
poteſt, alioquin non veriſimile, ſed perpe-
tuum, ac neceſſarium eſſet; qui vero judicat,
arbitratur, ſi eo modo ſolutum ſit, id aut ve-
riſimile non eſſe, aut haudquaquam ad ſuum
judicium pertinere; in quo decipitur, quem-
admodum diximus; neque enim ipſe ex ne-
C ceſſariis tantummodo judicare, ſed etiam ex
veriſimilibus debet; quia hoc demum eſt,
Mente optima judicare: non igitur ſatis erit,
ſi ſolverit, neceſſarium non eſſe, verum ſol-
vere debet, veriſimile non eſſe; hoc autem
accidet, ſi objectio afferetur: quòd ſæpius;
(talis autem objectio duobus afferri modis po-
teſt, aut tempore, aut rebus; verum ab utriſ-
que firmiſſima eſt;) nam quod ita eſt ſæpius,
id demum eſt veriſimilius. At vero tum ſigna,
tum quæ à ſignis ducuntur, enthymemata,
etiam ſi exiſtunt, eo, quo ſupra dictum eſt,
modo ſolvuntur; nam nullum concludi ſyl-
logiſmo ſignum poſſe, liquet nobis ex Analy-
ticis. Eorum vero quæ ab exemplis eliciun-
D tur, eadem, ac veriſimilium diſſolutionis eſt
ratio: nam ſi unum aliquod non ita eveniſſe
poſſimus oſtendere, ſolutum eſt, quia non eſt
neceſſarium, quippe cum & complura, & ſæ-
pe facta ſint aliter; quod ſi & complura, &
ſæpe ita ſe habuerint, contendere oportet, id,
quo de agitur, aut ſimile non eſſe, aut ſimi-
liter factum non eſſe, aut diſſimilitudinem ali-
quam obtinere. Tecmeria vero, & quæ à tec-
meriis ducuntur, enthymemata, eo quidem
everti non poſſunt, quòd ſyllogiſmo concludi
nequeant; (id enim nobis liquet ex Analy-
ticis) verum quod dicitur, nullum eſſe, nobis
oſtendendum relinquitur; quod ſi & eſſe, &
tecmerium eſſe pateat, jam hoc inſolubile
E evadit, quia omnia jam demonſtratione ſunt
patefacta. Amplificatio vero, & imminutio
non ſunt enthymematis elementum, (idem
enim elementum voco, & locum, eſt autem
elementum, & locus, in quem multa enthy-
memata incidunt;) verum amplificatio, & im-
minutio enthymemata ſunt ad oſtendendum,
magnum, aut parvum eſſe, perinde ac etiam
bonum, aut malum, aut juſtum, aut inju-
ſtum, aut aliorum quodlibet; hæc autem om-
nia ſunt, in quibus ſyllogiſmi, enthymemata-
que verſantur; quod ſi nullum horum locus
enthymematis eſt, neque amplificatio, & im-
minutio eſt. Neque vero quæ ad ſolvendum

va-

valent genus ſunt enthymematis ab iis, quæ ad confirmandum apta ſunt, ſeparatum; nam ſine dubio ſolvit quidem, qui aut demonſtrat, aut objectionem affert; verum oppoſitum contra demonſtrant; exempli gratia, ſi oſtendit, factum eſſe, hic non factum eſſe; ſin autem non factum, hic factum: quare nihil intererit; quia iiſdem ambo utuntur: ſiquidem ad ipſum non eſſe, aut eſſe, enthymemata adhibent. Neque vero objectio eſt enthymema, ſed quemadmodum in Topicis, opinionis ali- A

cujus pronunciatio, ex qua ſyllogiſmo concluſum non eſſe, aut falſi aliquid ſumptum eſſe, patebit. Quoniam autem tria ſunt, quæ tradere de oratione oportet, de exemplis quidem, & ſententiis, & enthymematibus, & omnino de iis, quæ ad animi ſenſa pertinent, & unde copiam comparabimus, & quemadmodum ea diſſolvemus, tam multa nobis expoſita ſint; reliquum eſt autem, ut de elocutione, & diſpoſitione pergamus.

ARI-

ARISTOTELIS ARTIS RHETORICÆ, CAROLO SIGONIO INTERPRETE, LIBER TERTIUS.

De elocutione.

CUm tria ſint, quæ tradere de ora-
tione oportet, unum, unde fides
exiſtent, alterum de elocutione,
tertium, quemadmodum partes
diſponere orationis expediat: fides
quidem expoſitæ ſunt, & ex quot ſint, nem-
pe ex tribus, & hæc qualia, & quare tot ſola;
aut enim, quia ipſi aliquo modo ſint affecti,
qui judicant; aut quia cujuſdammodi exiſti-
ment eos, qui dicunt, aut quia demonſtra-
tum ſit, aſſentiuntur omnes; dictum vero eſt
etiam, unde promenda enthymemata ſint,
nempe partim ex formis enthymematum, par-
tim ex locis; conſequens ergo eſt, ut de elo-
cutione dicamus; neque enim ſatis eſt, ha-
bere, quæ oportet dicere, ſed neceſſe eſt etiam
hæc dicere, ut oportet; valetque ad id mul-
tum, ut oratio cujuſdammodi videatur. Ac
primum quidem quæſitum eſt ſecundum na-
turam, quod natum eſt primum, res videlicet
ipſæ, unde fidem habeant, deinde vero quem-
admodum eæ dicendo tractentur, tertium au-
tem horum, quod vim quidem habet maxi-
mam; nondum vero tentatum eſt, actio; ete-
nim in tragicam, & rhapſœdiam ſero prodiit:
quippe quia tragœdias ipſi poëtæ primum age-
bant; ex quo apparet, perinde in rhetorica
uſuvenire, atque in poëtica quoque; id quod
nonnulli alii tradiderunt, tum Glauco Tejus.
Hæc autem verſatur in voce, quemadmodum
eam ad ſingulos affectus adhibere conveniat,
veluti, quando magnam, & quando parvam,
& quando mediocrem, & quo modo tonos,
ut acutum, & gravem, & medium, & quos
rhythmos ad ſingulos: tria enim ſunt, quæ in-
quirunt: nempe magnitudo, concentus, &
rhythmus: ac præmia quidem ferme ex cer-
taminibus iſti referunt, & ut illic plus valent
actores hodie, quàm poëtæ, item in civilibus
contentionibus vitio rerum publicarum; non-
dum autem ars harum rerum eſt conſtituta,
quia & ſero elocutio prodiit; quæ quidem, ſi
probe judicetur, levis res eſſe videtur; verum
cum ad opinionem tota rhetoricæ pertractatio
referatur, non ut rei, quæ recte habeat, ſed
ut neceſſariæ ſuſcipienda cura eſt; neque enim
plus in dicendo laborare debemus, quàm ut
neque moleſtia, neque jucunditate afficiamus;
ſiquidem rebus ipſis decertare oportet: quare
cetera præter demonſtrationem inania ſunt,
ſed multum tamen valent propter pravitatem,
ut diximus, auditorum. Ac parvam quidem
neſcio quam elocutio habet in omni doctrina
neceſſitatem; intereſt enim nonnihil ad decla-
randum, ita ne, an ita dicas, verum non
tantopere; ſed hæc omnia phantaſia conſtant,
& referuntur ad auditorem; itaque nemo geo-
metriam ita tradit; illa igitur cum prodibit,
A idem atque hiſtrionia efficiet; fuerunt tamen
qui de ipſa etiam nonnihil prodere ſunt co-
nati, ut Thraſymachus in Miſerationibus:
quin etiam ad agendum aptum eſſe naturæ eſt,
& minus artificioſum; elocutio vero artis eſt;
itaque oratoribus, qui hac valent, quemad-
modum & iis, qui actione, altera præmia tri-
buuntur; nam, quæ ſcribuntur, orationes plus
dictione, quàm ſententiis pollent. Ac poëtæ
quidem primum, ut natura tulit, eam exci-
tare cœperunt; ſiquidem nomina imitationes
ſunt, & vox tributa nobis eſt omnium par-
tium ad imitandum aptiſſima, unde artes tum
B rhapſœdia, tum hiſtrionia, tum aliæ conſtite-
runt; quoniam autem poëtæ, cum inania di-
cerent, ex elocutione gloriam peperiſſe hanc
videbantur, propterea poëtica elocutio prima
extitit, ut Gorgiæ; hodieque eorum plerique,
qui diſciplinis exculti non ſunt, tales pulcher-
rime loqui exiſtimant; non eſt autem ita, ve-
rum alia orationis elocutio eſt, quàm poëma-
tis, quod ex eventu declaratur; neque enim
qui tragœdias faciunt, amplius eo modo utun-
tur, ſed ut ex tetrametris ad jambos ſe con-
tulerunt, quia hoc metrum inter alia eſt ſer-
moni ſimillimum, ſic & nomina à ſermonis
C conſuetudine aliena depoſuerunt, ea vero abje-
cerunt, quibus priſci ornarunt, & qui hodie
quoque exametra ſcribunt; quocirca ridicu-
lum eſt, eos, qui ipſi eo modo non utuntur
amplius, imitari. Ex quo perſpicuum eſt,
non omnia, quæ de elocutione præcipi poſ-
ſunt, nobis eſſe accuratius conquirenda, ſed
quæ de ejuſmodi, quam dicimus; de illa vero
in præceptis de poëtica diſſeruimus.

Elocutionem perſpicuam eſſe debere, non tamen humilem, nec elatam.

D SInt ergo illa pertractata, ac virtus elocu-
tionis conſtituatur, ut perſpicua ſit; argu-
mento eſt enim, quòd oratio, ſi non decla-
rat, officio ſuo non fungitur; & ut neque
humilis, neque ſupra dignitatem ſit, ſed de-
cora; poëtica enim fortaſſe humilis non eſt,
verum orationem non decet. Ac perſpicuam
quidem nomina, & verba propria reddunt,
non humilem vero, ſed ornatam alia nomina,
quæ in præceptis de poëtica ſunt expoſita;
quia immutatio efficit, ut grandior videatur.
Siquidem homines ut erga peregrinos, & ci-
ves, ſic etiam erga elocutionem afficiuntur;
E quare peregrinus ſermo reddendus eſt, quia
admiratores ſunt eorum, qui abſunt, admira-
bilia vero jucunda ſunt. Ac in metris quidem
tum multa hoc efficiunt, tum illic convenit;
nam & res, & homines, de quibus ſermo ha-
betur, magis excellunt, in nudis autem ora-
tionibus, multo paucioribus, quia argumen-
tum inferius eſt; quoniam & ibi ſi ſervus, aut
val-

A valde juvenis ornate loqueretur, minus decorum eſſet, aut ſi de rebus valde minutis; ſed verſatur in his etiam decorum aut anguſtius, aut latius. Quocirca oportet, ut occulte faciamus, & non ficte, ſed à natura dicere videamur; hoc enim valet ad fidem, illud vero ſecus, quia tanquam ab inſidiatore cavent, quemadmodum à vinis permiſtis, & quale Theodori voci ad aliorum vocem hiſtrionum accidit; hæc enim ejus, qui dicebat, eſſe videbatur, illæ vero alienæ. Egregie vero occulitur, ſi quis è communi ſermonis conſuetudine ſeligendo componat; quod Euripides facit, & primus oſtendit. Verum cum nomina, & verba ſint, ex quibus conſtat oratio,
B cumque nomina tam multas habeanr formas, quàm multæ in præceptis de poëſi traditæ ſunt, harum quidem linguis, & duplicibus nominibus, & novatis raro, & paucis in locis uti debemus, ubi vero, poſt dicemus; nam quam ob cauſſam, dictum eſt; quippe quia in majus, quàm decet, immutant; proprium vero, & ad naturam accommodatum, & translatum ad nudarum duntaxat elocutionem orationum proficiunt; cujus rei ſigni eſt, quòd his ſolis omnes utuntur; ſiquidem omnes translatis, & ad naturam accommodatis, propriiſque loquuntur. Ex quo intelligi poteſt, ſi quis probe fecerit, fore, ut peregrinitatem adhibeat, & occulte faciat, & perſpicue dicat,
C quæ ſermonis oratorii virtus eſt. Ex nominibus autem ſophiſtæ quidem homonymiæ utiles ſunt, quia fraudem his facit, poëtæ vero ſynonymiæ; voco autem propria, & ſynonyma, ut ire, & proficiſci; hæc enim ambo inter ſe propria, & ſynonyma ſunt. Ac quid horum quidem unumquodque ſit, & quot ſpecies translationis, & ut translationes hoc in primis tum in poëſi, tum in orationibus valeant, expoſitum eſt, quemadmodum diximus, in iis, quæ de poëtica ſcripſimus; tanto autem vehementius de ipſis in oratione laborare oportet, quanto paucioribus oratio, quàm verſus, præſidiis eſt inſtructa. Ac translatio quidem perſpicuitatem, ſuavitatem, & pere-
D grinitatem in primis habet; neque eam ab alio ſumere licet; oportet autem & epitheta, & translationes dicere, quæ conveniant: id quod erit, ex proportione; ſin minus: indecorum videbitur, quia contraria inter ſe collata maxime eluceſcunt; verum videre oportet, ut juvenem purpura, ſic ſenem quid; neque enim eadem decet veſtis. Et ſi ornare velis, à meliore eorum, quæ eodem genere continentur, ducere translationem, &, ſi vituperare, à deterioribus; dico autem exempli gratia, quoniam contraria in eodem genere exiſtunt, dicere, mendicantem quidem precari, precantem vero mendicare, quia utrunque petitio eſt, id eſt, quod dicimus, facere; quemadmodum
E Iphicrates Calliam μητραγύρτην vocavit, non δαδοῦχον; ille autem reſpondit, non eſſe illum initiatum; neque enim ſe μητραγύρτην, ſed δαδοῦχον vocaſſet; utrunque enim ad deam, ſed illud honorem habet, hoc non habet; ac ille Dionyſi aſſentatores, ipſi vero ſemet artifices nominant; hæc autem ambo translata ſunt, illud quidem inquinantium, hoc vero ſecus; hodieque prædones ipſi ſe lucriſactores appellant; itaque licet dicere, eum, qui injuriam facit, delinquere, & qui delinquit, injuriam facere, & qui furatus eſt, eum & ſumpſiſſe, & populatum eſſe. Illud autem, quod Telephus Euripidis inquit, remo imperare, eſt indecorum, quia majus eſt imperare, quàm pro dignitate; quare haud occultum eſt. Ineſt etiam in ſyllabis error, ſi non ſuavis indicia vobis ſint; quo pacto Dionyſius Chalcheus in Elegis clangorem Calliopes vocat poëſim, quia ambæ ſunt voces; mala vero translatio è vocibus exiſtit ſignificationis expertibus: Præterea vero non longe transferre oportet, ſed ab iis, quæ cognata, & conformia ſunt, nomine afficiendo, quæ carent; quod cum dictum ſit, pateat eſſe cognatum, ut in ænigmate illo celebri: *Virum vidi igne æs viro agglutinantem*. Affectus enim vacat nomine; eſt tamen utrumque appoſitio quædam; quare agglutinationem applicationem cucurbitulæ nominavit. Atque omnino ex probe fictis ænigmatibus elegantes ducere translationes; ſiquidem translationes ænigmata pariunt; ex quo probe translatum eſſe apparet. Et ab honeſtis; nominis autem honeſtas, ut inquit Licymnius, in ſono, & ſignificato, eodemque modo turpitudo, conſiſtit; præterea vero tertia, quæ ſophiſticam rationem diſſolvit; neque enim eſt, quemadmodum dixit Bryſon, ut nemo turpiter loquatur, quòd idem valeat hoc pro illo dicere; eſt enim hoc falſum, eò, quòd aliud alio magis proprium, & magis ſimile eſt, & ad rem ante oculos conſtituendam magis accommodatum; præterea non eodem modo ſe habens ſignificat hoc, & illud; quare ita quoque aliud alio honeſtius, ac turpius ſtatuendum; ambo enim honeſtum, & turpe ſignificant illa quidem, verum non quatenus honeſtum, aut non quatenus turpe, aut hæc quidem, verum magis, & minus; translationes igitur hinc ducendæ ſunt, nempe ab honeſtis rebus aut voce, aut vi, aut aſpectu, aut alio quopiam ſenſu; intereſt autem dicas exempli gratia auroram roſeodigitam potius, quàm purpureodigitam, aut, quod adhuc deterius eſt, rubrodigitam. Item in epithetis; licet epitheta à malo, aut turpi formare, ut matricida; licet etiam à meliori, ut patris vindex; & Simonides, cum præmium ei exiguum dabat is, qui mulabus victoriam reportarat, carmen facere recuſavit, quaſi in mulas carmen facere gravaretur; ubi vero idoneum dedit, fecit: *Salute volucrum filiæ equorum*; atqui aſinorum quoque filiæ erant. Item eandem rem diminuere; eſt ante diminutio, quæ minus efficit & malum, & bonum; quemadmodum Ariſtophanes cavillatur in Babyloniis, pro auro aurulum, & pro toga togulam, & pro convicio conviciolum, & morbulum; caute tamen agere oportet, & modum in utroque tenere. Frigora vero quatuor in rebus ex elocutione exiſtunt; in duplicibus nominibus, ut Lycophron: *Multiforme cœlum*, *Magnicervicæ terræ*, *& Littus anguſtivium*; & Gorgias dixit: πτωχόμουσοι *adulator*, ἐπιορκήσαντας, καὶ κατευορκήσαντας, & ut Alcidamas; *Furore quidem animum repletum, ignivomos vero oculos factos; & τελεσφόρον putavit alacritatem eorum futuram, & τελεσφόρον ſuadelam verborum conſtituit, & Cæruleolor maris ſolum*; quandoquidem hæc omnia poëtica propter duplicationem videntur. Ac una quidem hæc cauſſa eſt, altera vero linguarum uſus, ut Lycophron: *Xerſem virum* πέλωρον, *& Sciron* σίνις *vir*, & Alcidamas: ἄθυρμα *poëſi*, *& natura* ἀτασθαλίαν, *& Mera animi ira* τεθηγμένην. Tertium vero in epithetis, nempe aut longis, aut intempeſtivis, aut frequentibus uſurpandis; in poëmate enim lac album licet dicere, in

in oratione vero partim indecora ſunt, partim vero, ſi nimia ſunt, arguunt, ac planum faciunt, poëſim eſſe. Quoniam autem ipſa uti oportet, quia conſuetudinem immutat, & peregrinam elocutionem efficit, ſalicem modum intueri convenit, quia plus mali affert, quàm ſi temere dicas; illa enim non habet quod rectum eſt, hæc vero quod vitioſum; quocirca frigida Alcidamantis ſcripta videntur, quia epitheta non condimenti loco adhibet, ſed tanquam cibi, uſque adeo crebra, & majora, & aperta; ut non ſudorem, ſed *humidum ſudorem*, neque ad Iſthmia, ſed *ad Iſthmirum mercatum*, nec leges, ſed *reginas civitatum leges*, neque curſu, ſed *curſorio animi impetu*, nec Muſeum, ſed *cum naturæ Muſeum accepiſſit, & triſtem animi curam*, neque gratiæ, ſed *popularis gratiæ opifex, & diſpenſator audientium voluptatis*, neque ramis, ſed *ſylvæ ramis occultavit*, neque corpus velavit, ſed *corporis pudorem, & ἀνάμμον animi cupiditatem*; hoc autem ſimul & duplex eſt, & epithetum; quare poëma evadit, & ita ἔξεδρον *improbitatis exuperantium*; itaque poëtice loquentes cum indecoro riſum, frigus, & obſcuritatem propter loquacitatem commiſcent; quia quidquid cognoſcenti inculcas, tenebris offundendis perſpicuitatem evertit. Homines autem duplicibus utuntur, quoties res vacat nomine, & facile jungi oratio poteſt, ut *χροσοτερβῦν*; quòd ſi multum ſit, prorſus poëticum eſt; itaque dithyrambis duplex dictio commodiſſima eſt, utpote, qui pleni ſtrepitus ſint, epicis autem linguæ, quòd res grandis, atque ſuperba ſit, jambicis vero translatio, quòd has hoc tempore frequentent, ut dictum eſt. Præterea vero quartum frigus in translationibus oritur; etenim translationes quoque ſunt indecoræ, partim, quia ridiculæ ſunt, ſiquidem & comici translationes uſurpant, partim, quia grandes nimis, ac tragicæ; obſcuræ vero, ſi longè, ut Gorgias: *Pallidas, atque exangues res. Tu vero hæc turpiter ſeminaſti, male vero metiſti*; nimis enim poëtice; & ut Alcidamas: *philoſophiam propugnaculum legum*, & *Odyſſeam humanæ vitæ ſpeculum*, & *Nullum ejuſmodi ἄθυρμα poëſi afferens*; quia hæc omnia parum ad fidem appoſita ſunt, ob ea, quæ diximus; illud vero Gorgiæ in hirundinem, quæ reliquias adverſus eum volans demiſerat, optime inter tragicos; dixit enim: *Turpe ſane o Philomela*; avi enim, ſi feciſſet, non turpe, at vero virgini turpe; recte igitur convicium dixit, cum non fuit, non quod eſt, dixit. Eſt autem ſimilitudo quoque translatio; ſiquidem paulum diſcrepat; cum enim de Achille dicit: *Uſque leo ruit*, ſimilitudo eſt, cum vero, *leo ruit*, translatio; quia ambo fortes ſunt, leonem Achillem transferendo vocavit; utilis eſt autem etiam in oratione, ſed raro, quia poëtica eſt; eliciendæ vero, quo modo translationes; ſiquidem translationes ſunt eo, quod dictum eſt, differentes; ſunt autem ſimilitudines, ut quam Androtio in Idrieum; quippe ſimilem cauibus eſſe, qui ex vinculis; illi enim obvios mordent, & Idrieum ex vinculis relaxatum eſſe moleſtum, & quo modo Theodamas Archidamum comparabat Euxeno geometriæ ignaro, & ex proportione; erit enim & Euxenus Archidamus geometricus, & illud in politia Platonis, quippe qui mortuos ſpoliant, ſimiles eſſe canibus, qui lapides mordent, nec jacientes attingunt; & in populum; ſimilem eſſe nauclero robuſto quidem, ſed ſur-

A daſtro; & in verſus poëtarum; ſimiles eſſe venuſtis ſine pulchritudine, quia illi ubi defloruerint, hi ubi diſſoluti ſunt, ſimiles non videntur; & illa Periclis in Samios: ſimiles eos eſſe infantibus, qui manſum accipiunt, ſed cum ploratu; & in Boeotos, ſimiles eſſe ilicibus; ilices enim à ſe met contundi, item Boeotos inter ſe depugnare; & Demoſthenes in populum, ſimilem eſſe iis, qui in navibus nauſearent; & quomodo Democrates oratores nutricibus comparavit, quæ manſum deglutientes ſaliva infantes inungunt; & quo modo Antiſthenes gracilem Cephiſodotum thuri aſſimilavit; quia dum conſumitur, jucunditate perfundit; has enim omnes & ut ſimilitudi-
B nes, & ut translationes licet proferre; quare quæcumque probabuntur translationum modo prolatæ, profecto eædem etiam ſimilitudines erunt, & ſimilitudines translationes rationis egentes. Oportet autem ut translationem ex proportione ductam ſemper partem etiam in alteram referamus, item in iis, quæ ejuſdem generis ſunt; ut ſi poculum ſcutum eſt Dionyſii, & ſcutum Martis poculum dicere convenit. Ac oratio quidem ex his conſtituitur.

Elocutionem emendatam eſſe oportere.

ELocutionis autem principium eſt, emendate loqui; id autem in quinque rebus
C verſatur; primum in conjunctionibus, ſi quis reddiderit, prout naturaliter inter ſe antecedunt, ac ſubſequuntur, quemadmodum nonnullæ requirunt; veluti *Quidem*, & *Ego quidem* requirunt *Vero*, & *Ille vero*. Debemus autem, quoad meminit, inter ſe referre, neque longe ſeparare, neque conjunctionem ante conjunctionem neceſſariam reddere, quia paucis in locis congruit: *Ego vero, poſtquam mihi renunciavit, venit enim Cleon rogans, atque obſecrans, profectus ſum illis aſſumptis*; in his enim conjunctiones multæ ante reddendam conjunctionem ſunt inculcatæ; quod ſi multa eſſent inter *profectus ſum*, obſcuritas oriretur; ac una quidem virtus eſt in conjunctionibus.
D Altera vero eſt, propriis nominibus, & non ambientibus eloqui. Tertia vero non ambiguis; hæc autem: niſi conſulto contraria eligat; quod faciunt, quoties nihil habent, quod dicant, verum aliquid dicere ſimulant; tales enim ea de induſtria dicunt, ut Empedocles; decipit enim circuitus, ſi ſit multus; atque afficiuntur auditores æque, ac vulgus inter ariolos, quia cum ambigua dicunt, annuit: *Crœſus Halym penctrans magnam pervertet opum vim*; & quia omnino minor errori locus eſt, per rei genera loquuntur arioli; in ludo enim paris, & imparis facilius aliquis paria, aut imparia dixerit, quàm quot teneat, & futurum, quàm quando; quocitca arioli non defi-
E niunt, quando; hæc igitur omnia ſunt ſimilia; quare niſi alicujus ejuſmodi rei gratia fugienda. Quarta, ut Protagoras genera nominum dividebat in virilia, & muliebria, & inſtrumenta, quia & hæc recte reddere convenit: *Illa vero reverſa, & collocuta diſceſſit*. Quinta in multis, & paucis, & uno recte nominandis: *Illi vero reverſi me verberarunt*. Omnino vero opus eſt, ut quod ſcribitur, facile legi, ac proferri, quod idem eſt, poſſit; id quod multæ conjunctiones non habent, nec quæ ad interpungendum difficilia ſunt, ut ſcripta Heracliti; ſiquidem ſcripta Heracliti interpungere operoſum eſt, quòd obſcurum ſit, utri adja-

ceat,

A ſerat, poſteriori ne, an priori; veluti in principio ipſius libri; inquit enim: *Rationis hujus exiſtentis ſemper imperiti homines fiunt*; obſcurum eſt enim illud *ſemper*, utri interpungendo adjungas. Jam vero hæc ſolœciſmum pariunt, non reddere, niſi adjungas ambobus quod convenit, exempli cauſſa, *aut ſtrepitum*, *aut colorem*, videns quidem non eſt commune, ſentiens vero commune. Obſcuritas porro gignitur, ſi multa in medio inculcaturus, non præponendo dixeris, hoc modo: *Debebam enim locutus cum illo hæc, & hæc, & hoc modo, proficiſci*; non autem: *Debebam enim locutus cum illo proficiſci*, deinde, *hæc, & hæc, & hoc modo facta ſunt*.

B

Quæ tumorem orationis efficiant.

AD tumorem vero orationis hæc valent, orationem pro nomine adhibere, ut non circulum, ſed planiciem à medio æqualem; ad conciſionem vero contra, pro oratione nomen. Et ſi turpe, aut indecorum ſit, ſi in oratione ſit turpitudo, nomen dicere, ſin autem in nomine, orationem. Et tranſlatis, & epithetis eloqui morem declinando poëticum. Et unum multa facere, quod poëtæ factitant, cum unus ſit portus, tamen dicunt: *Portus in Achaicos*; *& Epiſtolæ hæc luctuoſa volumina*. Et non conjungere, ſed utrique utrumque adjungere: τὰς γυναῖκας τὰς ἡμετέρας: ſin autem conciſe, contra: τὰς ἡμετέρας γυναῖκας. Et cum C conjunctione dicere; ſin autem conciſe, ſine conjunctione quidem, non inconjuncta tamen, ut *Profectus*, *& Locutus*, *profectus locutus ſum*. Quin etiam illud Antimachi utile eſt, quæ non habet, commemorare, quod ille facit in Teumeſſo: *Eſt quidam ventoſus parvus collis*; quia ſic augetur in infinitum; valet autem & in bonis, & in malis, hoc non habere, utro modo fuerit utile; unde etiam poëtæ nomina ducunt, ἄχορδον, & ἄλυρον μέλος, quia ex privationibus inferunt; probatur enim hoc, ſi in translationibus ex proportione dicatur; ut ſi dicamus, tubam eſſe ἄλυρον μέλος.

D

Orationem decoram eſſe debere.

DEcorum autem elocutio retinebit, ſi affecta erit, & morata, & ſubjectis rebus proportione reſponderit. Proportione vero reſpondet, ſi neque de amplis rebus ſummiſſe dicatur, neque de tenuibus graviter, neque tenui nomini adhibeatur ornatus; ſin minus, comœdia videtur; quemadmodum facit Cleophon; ſimiliter enim quædam protulit, ac ſi diceret: *venerandas ficus*. Affecta vero; ſi contumelia ſit, irati dictio ſit, ſi impia, ac turpia, indignabunde, & caute dicat; ſi laude digna, admirabunde; ſi miſerabilia, humiliter; E eodemque modo in ceteris. Fidem vero rei etiam accommodata ad naturam elocutio parit, quia in errorem impellitur animus, quaſi ille vere dicat; nam in rebus hujuſmodi ſic afficiuntur; quare exiſtimant, etiam ſi non ita ſe habeat, ut inquit orator, res ita ſe habere; & ſemper ſimul afficitur ille, qui audit eum eo, qui affecte dicit, etiam ſi nihil dicat; itaque plerique tumultum excitantes attonitos reddunt auditores. Morata vero eſt ipſa quæ à ſignis demonſtratio ducitur, quia ei comes ea eſt, quæ cuique generi, atque habitui convenit; dico autem genus quidem ſecundum ætatem, ut puer, aut vir, aut ſenex, & mulier, & vir, & Laco, aut Theſſalus; habitus autem, ex quibus vita cujuſdammodi aliquis eſt; neque enim ex omni habitu cujuſdammodi vitæ ſunt; ſi igitur & nomina habitui accommodata protulerit, mores excitabit; neque enim eadem, neque eodem modo agreſtis, & eruditus loquetur. Afficiuntur vero nonnihil auditores eo etiam, quo affatim ii, qui ſcribunt orationes, utuntur: *Quis non intelligit? Omnes ſciunt*; quia auditor verecundia captus aſſentitur, ut ejus rei particeps ſit, cujus & omnes alii ſunt. Oportunus autem, & non oportunus uſus omnibus formis communis eſt. Verum in omnium exuperatione remedium eſt id, quod vulgo dicitur; etenim ſemetipſum increpare oportet; verum enim eſſe exiſtimatur; quoniam oratorem quod facit, non fugit. Præterea vero non omnia ex proportione reſpondentia ſimul adhibere debemus; ſic enim decipitur auditor; dico autem exempli gratia, ſi nomina dura ſint, non & voce, & vultu, & iis, quæ conveniunt; ſin minus, appatet, quid unumquodque ſit; ſin autem hoc quidem, illud vero non, clam efficit idem. Quod ſi mollia duriter, & dura molliter dicantur, minus ad fidem proficit. Nomina vero epitheta, & duplicia plura, & peregrina maxime conveniunt affecte dicenti; ignoſcitur enim irato, ſi dicat, malum οὐρανομήκης, aut πελώριον, & quando jam teneat auditores, & furere fecerit, aut laude, aut vituperatione, aut ira, aut benevolentia, quemadmodum Iſocrates in Panegyrico facit in extremo: φήμην δὲ καὶ μνήμην, & οἵτινες ἔτλησαν, quia talia furore inflammati dicunt; quocirca eodem etiam nimirum modo affecti recipiunt; itaque ad poëſim accommodata ſunt, quia poëſis divini numinis plena eſt. Aut igitur hoc modo oportet, aut per jocum, ut Gorgias fecit, & illa in Phædro.

Elocutionem numeroſam eſſe debere.

ELocutionis vero figura neque metri compos, neque rhythmi expers eſſe debet; illud enim parum valet ad fidem, quia fictum exiſtimatur, & ſimul etiam avocat, quia facit, ut attendatur, quando iterum ſimile revertetur; ut igitur pueri præcones præoccupant, quem patronum adoptet is, qui manumittitur, Cleonem; quod autem expers eſt rhythmi expers eſt termini; terminari vero convenit, ſed non metro; quia infinitum ſuavitate caret, & cognoſci non poteſt; omnia vero numero terminantur, rhythmus autem figuræ elocutionis numerus eſt, cujus & metra ſegmenta ſunt; itaque rhythmum oratio habeat oportet, verum non metrum, alioquin erit poëma; neque vero rhythmum exquiſite; id autem eveniet, ſi quadamtenus ſit. Rhythmorum vero herous grandis eſt, & canorus, & harmoniam requirens. Jambus autem ipſe vulgi ſermo eſt; quo fit, ut maxime omnium metrorum jambos in dicendo effundat; verum granditatem effici, & excitationem oportet. Trocheus autem cordaci vicinior eſt; id quod tetrametra indicant; ſiquidem volubilis tetrametra rhythmus ſunt. Relinquitur ergo pæan, quo uti quidem à Thraſymacho incœperunt, ſed quinam eſſet, dicere non potuerunt; tertius autem eſt pæan, & iis, quos diximus conjunctus; tria enim ad duo eſt; eorum vero ille quidem unum ad unum, hic vero duo ad unum; conjuncta vero his eſt rationibus ſeſqui-

quialtera, hic autem eſt pæan. Ac alii quidem tum ob ea, quæ diximus, abjiciendi, tum quia metrici; pæan autem ſumendus, quia ex ſolo eorum, quos diximus, rhythmorum, non conſtat metrum, ut maxime lateat. Ac nunc quidem uno pæane etiam incipiendo utuntur, verum finem à principio diſcrepare oportet; pæanis autem duæ inter ſe oppoſitæ formæ ſunt; quarum una principio convenit, quemadmodum etiam utuntur; atque hic eſt, qui à longa incipit, & tribus brevibus terminatur: Δαλογενὲς εἴτε Λυκίαν, & χρυσεοκόμα Ἕκατε παῖ Διός; alter vero contra, cujus primæ tres breves ſunt extrema vero producta: μετὰ δὲ γᾶν ὕδατά τ' ὠκεανὸν ἠφάνισε νύξ; hic autem finem conficit, quia brevis propter imperfectionem decurtat; verum in longa amputari oportet, & finem patere non per librarium, aut per paragraphen, ſed per rhythmum. Ac concinnam quidem, & rhythmi non expertem elocutionem eſſe debere, & qui rhythmi concinnam efficiant, & quemadmodum conſtituti, dictum eſt.

Elocutionem aut fuſam, aut verſam eſſe debere.

ELocutio vero aut fuſa ſit, neceſſe eſt, & vinculo una, quales ſunt in dithyrambis anabolæ, aut verſa, & antiquorum poëtarum antiſtrophis ſimilis. Ac fuſa quidem elocutio priſca eſt: Ἡροδότου Θουρίου ἥδ' ἱστορίης ἀπόδεξις; quippe qua olim omnes, nunc vero parum multi utantur; fuſam vero appello, quæ nullum per ſe finem adipiſcitur, niſi res, quæ dicitur, abſolvatur; ea vero propter infinitatem eſt injucunda, quia omnes finem aſpicere cupiunt; quocirca in flexionibus anhelant, ac deficiunt, prius autem non laborant, dum metam proſpiciunt; ac fuſa quidem elocutio hæc eſt. Verſa vero eſt, quæ ambitibus conſtat; voco autem ambitum orationem habentem principium, & finem ipſam per ſe, & facilem conſpectu magnitudinem; ejuſmodi vero tum ſuavis, tum ad percipiendum facilis eſt; ſuavis quidem, quia interminato adverſatur, & quia auditor ſemper ſe tenere aliquid arbitratur, eò, quòd ipſi ſemper eſt aliquid terminati; illud autem nihil præſentire eſſe, neque aperire, ſuavitatem non habet; ad percipiendum autem facilis, quia facile teneri memoria poteſt; hoc vero, quia numerum continet, quæ ambitibus conſtat, oratio, qui memoria cuſtodiri commodiſſime poteſt; unde verſuum facilius omnes recordantur, quàm ſolutorum, quia numero, quo dimetiuntur, aſtricti ſunt; ceterum ambitus etiam cum ſententia terminetur, oportet, neque, ut jambica Sophoclis, abrumpatur: *Calydon quidem hæc, terra Pelopei ſoli*; quia contrarium etiam ſuſpicari, quàm ſi dividatur, licet, ut in eo, quod diximus, Calydona eſſe Peloponneſi. Ambitus autem unus quidem membris continetur, alter vero ſimplex eſt; ex membris vero conſtat, elocutio quæ perfecta eſt, & diſtincta, & facile comprehendi ſpiritu poteſt, non propter diſtinctionem, ut commemoratus ambitus, ſed tota. Membrum vero illius pars altera eſt. Simplicem autem appello unimembrem. Ceterum tum membra, tum ambitus neque mutilos, neque longos eſſe oportet; nam quod puſillum eſt, efficit, ut auditor ſænenumero hæreat; etenim cum ad id, quod adhuc eſt ultra, & ad ejus, quem in ſemet-

A ipſo continet, termini modum feſtinans, quieſcente oratore retrahitur, quodammodo propter repulſionem hæreat, neceſſe eſt; longa vero efficiunt, ut deficiat, velut ii, qui ultra terminum ſe convertunt, quia & iſti eos, qui ſecum deambulant, derelinquunt; ſimiliter vero & ambitus, qui longi ſunt, oratio, & ſimile aliquid anabolis fiunt; quare evenit, quod Democritus Chius in Melanippedem eſt jocatus, qui pro antiſtrophis anabolas fecerat: *Nempe capiti ſuo malum fuit ille, qui alteri malum fuit, longa vero anabola ei, qui fecit, peſſima*: hoc enim in eos etiam, qui longis membris utuntur, dicere convenit; qui vero nimium brevia membra habent, ambitus non

B ſunt; quo fit, ut auditorem præcipitem agant. Ejus autem, quæ membris continetur, elocutionis una quidem diſtincta eſt, altera vero oppoſita; diſtincta quidem, ut: *Sæpenumero admiratus ſum eos, qui conciliabula coëgerunt, & gymnicos ludos inſtituerunt*; oppoſita vero, in qua in utroque membro aut contrarium cum contrario componitur, aut idem è contrariis jungitur, hoc modo: *Utriſque autem profuerunt, & qui remanſerunt, & qui ſequuti ſunt; illis enim plura quàm quæ domi eſſent, adquiſiverunt, his vero ſatis eorum, quæ domi eſſent, reliquerunt*; contraria remanere, ſequi; ſatis, plus: *Quare & pecuniarum indigentibus, & frui volentibus*; fructus adquiſitioni oppo-

C nitur; item: *Contingit ſæpe in his, ut & prudentes male agant, & imprudentes bene. Statim quidem virorum fortium præmia obtinuerunt, non ita vero multo poſt maris imperium pepererunt. Terram quidem navigaſſe, mare vero inambulaſſe. Helleſponto quidem juncto, Athovero perfoſſo. Et natura cum ſint cives, lege civitatis privari. Alii enim eorum male perierunt, alii vero turpiter ſervati ſunt. Privatim quidem barbaris ſervis uti, publice vero multos ſocios ſervientes deſpicere. Aut viventes habituros, aut mortuos relicturos.* Et quod in Pitholaum, & Lycophronem quidam in judicio dixit: *Hi, cum domi eſſent, vos vendebant, ad nos profecti*

D *venundati ſunt*; hæc enim omnia id, quod diximus, pariunt. Habet autem ejuſmodi dictio ſuavitatem, quia contraria notiſſima, & inter ſe comparata notiora exiſtunt, & quia prope ad ſyllogiſmum accedunt; ſiquidem collectio oppoſitorum elenchus eſt; ac ejuſmodi quidem vocatur Oppoſitio; Compar vero, ſi æqualia membra ſint; Similiter autem definens, ſi utrunque membrum ſimiles exitus habeat; at vero aut in principio, aut in fine habeat, neceſſe eſt; & principium quidem ſemper nomina; finis autem extremas ſyllabas, aut ejuſdem nominis caſus, aut ipſum nomen; in principio quidem ita: ἀγρὸν γὰρ ἔλαβεν ἀργὸν παρ' αὐτοῦ. Δωρητοί τ' ἐπέλοντο παράρρητοί τ' ἐπέεσσιν;

E in extremo vero: ᾠήθησαν αὐτὸν παιδίον τετοκέναι, ἀλλ' αὐτοῦ αἴτιον γεγονέναι. Ἐν πλείσταις δὲ φροντίσι, καὶ ἐν ἐλαχίσταις ἐλπίσι; caſ͡is autem ejuſdem: ἄξιος δὲ σταθῆναι χαλκοῦς, οὐκ ἄξιος ὢν χαλκοῦ; idem autem nomen: σὺ δ' αὐτὸν καὶ ζῶντα ἔλεγες κακῶς, καὶ νῦν γράφεις κακῶς; à ſyllaba vero: τί ἂν ἔπαθες δεινὸν, εἰ ἄνδρ' εἶδες ἀργόν; Fieri autem poteſt, ut idem ſimul omnia habeat, idemque Oppoſitum, & Compar, & Similiter deſinens ſit; principia vero ambituum ferme in Theodectiis numerata ſunt; verum & falſæ oppoſitiones exiſtunt, quales fecit Epicharmus: τόκα μὲν ἐν τήνων ἐγὼν ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήνοις ἐγώ.

Quæ

Qualis urbana elocutio ſit.

QUoniam autem explicatum de his eſt, unde urbana demum, & probata dicta ducantur, aperiamus. Ac ea quidem fingere, ingenioſi, aut exercitati hominis eſt, tradere vero, artificii hujus; quamobrem exponamus, ac numeremus; hinc vero capiamus exordium. Omnibus ſane illud à natura inſitum eſt, ut voluptatem facile diſcendo percipiant; nomina vero ſignificant aliquid; quare ut quodque nomen maxime efficit, ut diſcamus, ita plurimum efficit voluptatis, ac linguæ quidem incognitæ, propria vero cognita ſunt; translatio vero hoc potiſſimum præſtat; cum enim ſenectutem ſtipulam aliquis dixit, effecit, ut diſceremus, atque ex genere cognoſceremus, quia utrumque defloruit. Ac idem quidem poëtarum etiam ſimilitudines præſtant; itaque ſi recte, urbanæ videntur; eſt enim ſimilitudo, quemadmodum ſupra diximus, differens adjunctione translatio; quare minus delectat, quia longior eſt, neque hoc illud eſſe inquit; verum neque animus hoc requirit. Neceſſe eſt igitur & locutionem, & enthymemata illa urbana eſſe, quæ, ut celeriter diſcamus, efficiunt; quocirca neque eminentia enthymemata probanda, (eminentia vero vocamus, quæ ſunt omnibus nota, & quæ ſcrutari non attinet;) neque quæ poſtquam prolata ſunt, ignoramus, ſed quæ ſimul dum proferuntur, intelligimus, etiam ſi ante non intelligebamus, aut quæ paulo poſt mentis agitatione conſequimur; ſiquidem efficitur quaſi perceptio quædam, illo vero modo neutrum. Ac ſi ſententia quidem eorum, quæ dicuntur, ſpectatur, hujus generis enthymemata probantur; ſin autem elocutio, figura quidem; ſi oppoſite dicatur, hoc modo: *Et pacem aliis communem privatis ſuis rebus bellum exiſtimantibus*; bellum paci opponitur; nominibus vero; ſi translationem contineant, eamque neque alienam, quia ad videndum difficilis eſt, neque eminentem, quia haudquaquam afficit; præterea ante oculos ponant, quia cernere, quæ aguntur potius, quàm quæ agenda ſunt, convenit; quo fit, ut hæc tria ſpectare debeamus, translationem, oppoſitionem, & actum. Ceterum cum translationes quatuor ſint, probantur in primis, quæ ex proportione ducuntur, quemadmodum Pericles dixit: *juventutem, quæ in bello ceciderat, non aliter è civitate ſublatam eſſe, quàm ſi quis ver ex anno eximeret*: & Leptines de Lacedæmoniis: *Non oportere pati, ut altero oculo Græcia orbaretur*; & Cephiſodotus, Charete de referendis rationibus belli Olynthiaci laborante, moleſte tulit, cum diceret, *eum, cum in furno populum incluſum haberet, rationes referre conari*; & cum aliquando Athenienſes adhortaretur, ut frumentatum in Euboeam irent, dixit: *oportere Miltiadis decretum exire*; & Iphicrates, cum Athenienſes fœdus cum Epidauriis, maritimamque oram incolentibus percuſſiſſent, graviter tulit, cum diceret, *eos belli viatica ſuſtuliſſe*; & Pitholaus Paralum *populi clavam* vocabat, Seſtum vero *cellam frumentariam Piræei*, & Pericles Æginam *lippitudinem Piræei* tolli oportere cenſebat, & Mœrocles cum quendam bonum virum nominaſſet, dixit, ſe illo nihilo nequiorem eſſe; *nam illum in ternis* [illegible] *nequam eſſe, ſe in denis*; & Anaxandridæ jambi de filiabus nubere cunctantibus: *ὑπερήμεροί μοι τῶν γάμων αἱ παρθένοι*; & illud Polyeucti in quemdam Speuſippum apoplecticum, *eum non poſſe conſiſtere, quamvis πεντεσυρίγγῳ morbo conſtrictum*, & Cephiſodotus triremes *picta piſtrina* vocabat, Canis autem cauponas *Attica phiditia*. Æſion vero dixit: *Civitatem Siciliam effuderunt*; hoc enim translatio eſt, & ante oculos ponit; item: *Uſque adeo ut Græcia inclamarit*; & hoc quodammodo translatio, & ante oculos; & Cephiſodotus monebat, ut caverent, *ne multas conflictiones ſuſciperent*, conciones; & Iſocrates: *Ad eos, qui ad mercatus concurrunt*; & ut in oratione funebri: *Æquum erat, ut in ſepulchro eorum, qui in Salamine occubuerunt, Græcia tonderetur, quia libertas cum illorum virtute ſepeliretur*; ſi enim dixiſſet, æquum eſſe, ut lacrymaret, quòd virtus ſepeliretur, translationem adhibuiſſet, & rem ante oculos ſubjeciſſet; at illud, *libertas cum virtute*, quamdam continet oppoſitionem; & quod Iphicrates dixit: *Iter orationis meæ fiet per medias res à Charete adminiſtratas*, translatio eſt ex proportione, illudque *per medias*, ante oculos ponit; & dicere: *Advocare pericula, ut periculis ſubſidio ſint*, translatio eſt, quæ ante oculos ſubjicit; item Lycoleon pro Chabria: *Neque ſupplicem æneam illius ſtatuam reverentes*; translatio eſt enim in præſenti, non autem ſemper, verum ante oculos ponit, quia dum ille in periculo eſt, ſtatua ſupplicat; quare anima inanimato tribuitur: *Commentarium rerum à civitate geſtarum*; item: *Quacumque ratione ut humilia ſaperent, meditantes*; quia Meditari eſt quiddam augere; item: *Mentem deus lumen accendit in animo*; quia ambo illuminant aliquid: *Neque enim bella diſſolvimus, ſed differimus*; quia ambo futura ſunt, tum dilatio, tum pax ejuſmodi; item dicere: *Pactiones trophæum eſſe multo præclarius, quàm quæ in bellis eriguntur, quòd hæc pro parvis rebus, & uno fortunæ ſucceſſu ponuntur, illæ vero pro toto bello concipiuntur*; quia ambo victoriæ inſignia ſunt: *Nam & civitates magnas pœnas hominum vituperatione ſolverunt*; quia pœna juſta quædam noxa eſt. Ac urbana quidem ex translatione proportionis, ipſaque ſub oculos ſubjectione duci expoſitum eſt. Quid autem ſub oculos ſubjicere appellemus, & qua re obeunda hoc aſſequemur, eſt exponendum; dico ergo, ea ſub oculos ſubjicere, quæcunque res agentes ſignificant, ut bonum virum dicere eſſe quadratum, translatio eſt; quia ambo perfecta ſunt, verum non ſignificat actum, ſed illud: *Florentem vigorem habentis*, actus eſt; & illud: *Te vero tanquam ἄφετον*, actus; & *Hinc Græci concitati pedibus*. Concitati, actus, & translatio; & quemadmodum multis in locis factitavit Homerus, inanimatis animum tribuendo per translationem; in omnibus autem actus conformatio commendatur, ut in his: *Iterum ad ima volvebatur lapis impudens*. Item: *Evolavit ſagitta*; item: *In terra ſtabant cupientia corpore ſaturari*; item: *Cuſpis penetravit pectus ſanguinis avida*; in his enim omnibus eo quia animata ſunt, actus elucet; nam impudentem, & avidum eſſe, & alia actus ſunt; quæ quidem ex proportione translationis applicuit; quam enim rationem habet lapis ad Siſyphum, eandem impudens ad id, cujus ipſum non pudet; atque idem in probatis quoque ſimilitudinibus efficit, in rebus inanimatis: *Curvæ, albeſcentes, nunc hinc, nunc inde recurrunt*; facit enim omnes moveri, & vivere; actus

vero imitatio eſt. Ceterum à rebus propriis, & minime apertis transferre oportet, quemadmodum ante dictum eſt; quo pacto etiam in philoſophia ſimilitudinem longe diſtantibus in rebus cernere, ſolertis hominis eſt; quemadmodum dixit Archytas, idem arbitrum, atque aram eſſe, quia utroque confugit, qui injuriam paſſus eſt, aut ſi quis diceret, anchoram, atque cremaſterem idem eſſe, verum ſuperno, atque inferno differre; & illud: *Civitates adæquatas*, in longe diſtantibus rebus, ſuperficie, & opibus eadem eſt æqualitas. Maxima vero pars urbanorum à translatione, & à præcedente deceptione ducuntur, eò quia apparet magis ipſum didiciſſe, & videtur animus dicere: Quam vere, ego autem errabam. Et apophtegmata, quæ urbana ſunt, ex eo ſunt, quia non, quod inquit, dicunt; ut illud Steſichori: *Fore, ut cicadæ apud ſe humi canant*. Et quæ egregie in modum ænigmatis obſcurata ſunt, propter eamdem rationem jucunditate afficiunt, quia perceptio fit, & translatio dicitur. Et, ut inquit Theodorus, res novas dicere; id quod fit, quoties incredibile, & non, ut ejus verbo utar, priori opinioni conſentaneum ſit: qualia in ridiculis, quæ leviter immutata ſunt. Atque hoc etiam ſales ab annominatione valent; nam errorem objiciunt etiam in verſibus; neque enim quemadmodum ſuſpicabatur auditor: *Ingrediebatur habens ſub pedibus perniones*; ſed ille calciamenta dicturum exiſtimavit; hoc autem ſimul ac dictum eſt, patere oportet; annominationes vero efficiunt, ut non, quod inquit, dicat, ſed quod nomen invertit; ut illud Theodori in Niconem citharœdum: *θράττει σε*; ſimulat enim dicere, *θρᾴττει σε*, & decipit, quia aliud dicit; itaque diſcentem oblectat, quia niſi Thracem illum eſſe ſuſpicetur, urbanum illud eſſe non videbitur; item illud: *Vis illum πέρσαι*; utrunque autem nomen convenienter prolatum eſſe oportet. Eadem vero urbanorum etiam ratio eſt; ut ſi quis dicat: *Athenienſibus maris ἀρχὴν non ἀρχὴν fuiſſe malorum, nam quæſtum feciſſe*; aut quemadmodum Iſocrates: *τὴν ἀρχὴν civitati ἀρχὴν fuiſſe malorum*, quia utroque modo quod nemo dicturum putaſſet, id dictum eſt, idque verum eſſe cognitum eſt; nam *τὴν ἀρχὴν* dicere *ἀρχὴν* eſſe, haud ſapientis ſane hominis eſt; verum non ita inquit, & *ἀρχὴν*, non quod dixerat, negat, ſed aliter; in omnibus autem his, ſi nomen per homonymiam, aut translationem convenienter intulerit, tunc virtus ineſt, ut *Anaſchetus non ἀναχετός*, homonymiam negavit. Ceterum convenienter fit, ſi ſemper bis; *& Non eris magis, quam te oportet, hoſpes hoſpes*; *aut, Non magis, quàm te oportet*; idem: *& Non oportet, hoſpitem ſemper hoſpitem eſſe*, quia & hoc alienum eſt; quin etiam eandem vim ſcitum illud dictum Anaxandridæ habet: *Æquum eſt mori, priuſquàm morte dignum aliquid gerat*; idem eſt enim, atque ſi dicatur: *Dignum eſt mori, cum non ſit dignus mori*; aut: *Dignum eſt mori, cum morte non ſit dignus, aut cum res morte dignas non gerat.* Atque horum quidem elocutionis forma eadem eſt; ſed quo brevius prolata, atque oppoſitius erunt, eò magis laudata erunt; idque ob eam cauſſam, quòd propter oppoſitionem percipiuntur facilius, propter exiguitatem vero, celerius; ſemper vero adſit, oportet, aut is, in quem dicitur, aut recta prolatio, ſi quod dicitur, verum, & non inane futurum eſt; ſiquidem hæc ſeparatim habere licet; ut *Mori*

A *oportet, nihil peccantem*, ſed urbanum non eſt: *Dignam ducere dignum oportet*, ſed urbanum non eſt, verum ſi ſimul utrumque habuerit: *Dignum eſt mori, qui non ſit dignus mori*; quo vero plura habuerit, eò urbanius judicabitur; veluti ſi nomina translata ſint, & id genus translata, & oppoſita, & comparia, & actum habentia. Jam vero ſimilitudines etiam, ut ſupra quoque perpetuo admonitum eſt, probatæ quodammodo translationes exiſtunt; ſemper enim ex duobus ducuntur, ut proportionis translatio; quomodo ſcutum (dicimus) eſt *poculum Martis*, & arcus *cithara ſine chordis*; ac ita quidem ſi dicamus, non eſt ſimplex; at ſi arcum citharam dicamus, aut arcum

B poculum, ſimplex; quin etiam ad hunc modum ſimilitudines conferunt, ut tibicinis cum ſimia, luſcioſi cum ſtillante lucerna, quia utrunque contrahitur; virtus autem elucet, cum translatio incluſa eſt; licet enim ſcutum *poculo Martis* ſimile eſſe dicere, & parietinas *panno domus*, & Niceratum dicere *Philoctatem eſſe à Pratye morſum*, quemadmodum Thraſymachus comparavit, cum Niceratum à Pratye in rhapſœdia ſuperatum, ceterum promiſſo capillo adhuc, & ſordidatum conſpicatus eſſet; quo in genere in primis exploduntur poëtæ, niſi bene ſe geſſerint, etiam ſi magni nominis ſint; dico autem, quando ita reddunt: *Ut apium diſtorta crura gerit, ut Phi-*

C *lammon de jugo cum Coryco decertans*, & alia ejuſmodi omnia ſimilitudines ſunt; ſimilitudines autem eſſe translationes, dictum eſt ſæpius. Præterea proverbia translationes à ſpecie ad ſpeciem ſunt; ut ſi quis quid, quaſi commodum capturus, invexerit, deinde detrimentum accipiat: *Ut Carpathius*, inquit, *leporem*; ambo enim id, quod dictum eſt, pertulerunt. Ac unde quidem urbana dicta ducantur, & quamobrem, ferme expoſita cauſſa eſt. Jam vero probatæ etiam ſuperlationes translationes ſunt; ut in eum, qui ſugillatis diſtinctam faciem habeat, *hunc eſſe mororum calathum putaſſetis*; eſt enim rubrum quiddam ſigillatum; verum nimium admodum; illud au-

D tem: *Ut id, & id*, ſuperlatio eſt, locutione differens: *Ut Philammon de jugo cum Coryco decertans. Exiſtimaſſetis ipſum Philammonem eſſe, qui cum Coryco decertaret. Ut apium crura diſtorta fert. Putabam non crura, ſed apia habere, uſque adeo diſtorta ſunt*. Ceterum ſuperlationes pueriles ſunt, quippe quæ vehementiam indicant; itaque eas potiſſimum irati frequentant: *Non ſi mihi tam multa det, quàm multa ſunt arena, & pulvis, Agamemnonis Atridæ filiam ducam, neque ſi cum aurea Venere pulchritudine contendat, induſtria vero cum Minerva*. Hoc autem maxime Attici oratores utuntur. Itaque ſenibus dicere, indecorum.

E *Elocutionem convenientem eſſe debere.*

NEque vero lateat nos oportet, diverſam elocutionem unicuique generi convenire; neque enim eadem eſt ſcriptionum, ac contentionum, neque concionum, ac judiciorum; utramque autem cognitam habere neceſſe eſt, quia illud eſt, ſcire emendate loqui, hoc vero ſilere non cogi, ſi quid communicare cum aliis velit, id quod accidit iis, qui ſcribere neſciunt. Ceterum ſcriptionum elocutio eſt, quæ accuratiſſima, contentionum vero, quæ maxime cum actione conjuncta; hujus autem duæ ſunt ſpecies, morata una, affe-

A affecta altera; quo fit, ut actores fabulas ejuſmodi, poëtæ vero actores ejuſmodi conſectentur. In manibus autem verſantur, qui leguntur, veluti Chæremon, nempe quia accuratus eſt, ut qui ſcribit orationes; & Licymnius inter dithyrambicos; quin ſi inter ſe compararentur orationes, quæ quidem ſcriptorum ſunt, in contentionibus anguſtæ, quæ vero oratorum, quamque bene habitæ, tamen inter manus vulgares videantur; cauſſa vero eſt, quòd in contentionibus conveniunt; itaque quæ in actione verſantur, actione detracta, cum munere ſuo haud fungantur, inſulſa, perinde ac diſſoluta, videntur. Et idem ſæpe dicere in ſcriptione recte repudiatur, in contentione vero etiam ab oratoribus uſurpatur, quia cum actione conjuncta ſunt; ceterum qui idem dicunt, varient, neceſſe eſt; id quod quaſi viam

B munit actioni: *Hic eſt, qui vos expilavit, hic eſt, qui decepit, hic, qui poſtremum prodere tentavit*; quemadmodum Philemmon hiſtrio fecit tum in Anaxandridæ Gerontomania, quando colloquuntur Rhadamanthus, & Palamedes, tum in prologo Piorum in illo *Ego*; nam ſi quis ad hæc actionem non adhibeat, evadit ille, qui trabem geſtat. Quin etiam eadem diſſolutorum eſt ratio: *Veni, occurri, rogavi*; quia actionem eis adhibere neceſſe eſt, neque quo modo, qui unum dicit, iiſdem moribus, & tono proferre; præterea proprii habent aliquid diſſoluta, quòd in æquali tem-

C pore multa dicta eſſe putantur; conjunctio enim quæ multa ſunt, unum efficit; quare ea detracta dubitandum non eſt, quin contra unum multa fuerit; habet igitur amplificationem: *Veni, narravi, ſupplicavi*, multa: *Videtur autem negligere, quæ narro, quæ dico*. Atque hoc quoque præſtare vult Homerus in illo: *Nireus, qui ex Simo, Nireus, qui Aglajæ filius, Nireus, qui pulcherrimus*; quia de quo multa dicta ſunt, is, ſæpe etiam dictus ſit, neceſſe eſt; ſi ergo ſæpe, etiam multa putantur; quare aſtute amplificavit, quamvis ſemel ejus meminerit, memoriamque prodidit, quamvis haudquaquam poſtea verba de illo fecerit. Ac concionum quidem elocutio umbratilis

D utique picturæ ſimilitudinem imitatur, quia quanto major turba fuerit, tanto longius ſpectatur; quare ſummum ſtudium in utraque inane, malumque videtur. Judicium autem accuratius eſt, & adhuc magis id, quod ad unum judicem eſt, quia præſidii minimum in oratoriis eſt; ſiquidem quod rei proprium, quodque alienum eſt, facilius conſpici poteſt; quin etiam contentio abeſt, uſque adeo ut ſyncera judicatio ſit; itaque non iidem in his omnibus oratores laudantur, verum ubi maxime actione eſt opus, ibi minimum eſt diligentiæ locus; hoc autem, ubi voce, & in primis, ubi magna. Ac demonſtrativa quidem elocutio ad ſcribendum aptiſſima eſt, quia opus ejus

E eſt lectio, ſecundo vero loco judicialis. Ceterum illa elocutionis partitio, ut ſuavis, ut magnifica debeat eſſe, inanis eſt; cur enim magis, quàm temperans, aut liberalis, & ſi qua alia moralis virtus exiſtit? nam ſuavitatem afferent nimirum ea, quæ diximus; ſi modo probe virtus elocutionis eſt definita; cujus enim rei gratia perſpicuam, & non humilem, verum decoram eſſe oportet? neque enim ſi loquax, aut etiam ſi conciſa erit, perſpicuitatem habebit; verum medium ſcilicet convenit; item ſuavitatem afferent, quæ diximus, ſi verba uſitata, & peregrinitatem habentia, & rhythmus, & fides ex decoro probe fuerint temperata.

Ac de elocutione quidem dictum eſt cum communiter de omnibus, tum privatim de ſingulis generibus; reliquum eſt autem, ut de diſpoſitione dicamus.

Quot, & quæ partes ſint orationis, & de diſpoſitione illarum.

CEterum duæ ſunt partes orationis; etenim & rem, de qua dicendum eſt, exponere, & eam demonſtrare neceſſe eſt; itaque fieri non poteſt, ut qui expoſuit, non demonſtret, aut demonſtret, qui non prius expoſuerit; nam qui demonſtrat, aliquid demonſtrat, & qui præloquitur, demonſtrandi cauſſa præloquitur; horum autem illud propoſitio, hoc fides eſt, perinde ac ſi quis illam quæſtionem, hanc demonſtrationem eſſe diſtinguat. Nunc vero ridicule partiuntur, quia narratio orationis duntaxat judicialis eſt; demonſtrativæ autem, & concionalis quo modo narratio eſſe, qualem quidem aſſerunt, poteſt? aut quæ contra adverſarium dicuntur, aut peroratio demonſtrativarum? procœmium vero, & adverſa collatio, & repetitio tum demum in concionibus adhibentur, cum, qui contradicat, exiſtit; ſiquidem & accuſatio ſæpe, & defenſio adhibentur, verum non quatenus conſultatio eſt; quin etiam peroratio non omnis judicialis orationis eſt, veluti, ſi puſilla oratio ſit, aut res cuſtodiri memoria commode poſſit, quia accidit, ut ex longitudine amputetur. Ergo propoſitio, & fides neceſſariæ partes ſunt; ac præcipue quidem hæ; quæ vero plurimæ, procœmium, propoſitio, fides, peroratio; nam quæ contra adverſarium dicuntur, inter fides reponuntur; & adverſa collatio ſuarum eſt rationum amplificatio; quare pars quædam eſt fidei, quia qui hoc facit, demonſtrat aliquid; non autem procœmium, neque peroratio, verum in memoriam redigit. Quòd ſi has aliquis, ut Theodorus fecit, diſtribuat, narratio altera erit, & ſupernarratio, & prænarratio, & refutatio, & ſuperrefutatio; verum qui formam, ac differentiam aliquam inſert, imponere nomen debet; alioquin inane id, ac nugatorium ſit, ut Licymnius in Arte facit, ἐπίρωσιν nominans, & ἀποπλάνησιν, & ὄζους.

De procœmio.

AC procœmium quidem principium orationis eſt, perinde atque in poëſi prologus, & in auleſi proaulium; (hæc enim omnia principia ſunt) & quaſi viæ munitio invadenti. Ac proaulium quidem demonſtrativarum procœmio ſimile eſt, quia tibicines quodcunque commode canere poſſunt, id præcinentes τῷ ἐνδοσίμῳ adnectunt, atque in demonſtrativis orationibus ita ſcribere convenit; quidquid enim placuerit, initio exponentem, copulare, atque adnectere oportet; cujus rei exemplum omnes Iſocratis Helenæ procœmium afferunt, quòd nulla propinquitas intercedat Helenæ cum ſophiſtis; ſimul vero etiam, ſi evagabitur, ut non tota oratio uniuſmodi ſit, convenit.

Ceterum demonſtrativarum procœmia à laude, aut vituperatione ducuntur, ut Gorgias in Olympica oratione: *Digni, quos plerique admirentur, Græci ſunt*; laudat enim eos, qui conciliabula cogunt, quos Iſocrates vituperat,

quia

onia *muneribus corporum virtutes excoluerunt, hinc ſentientibus autem hominibus nihil præmii ſtatuerunt*. Et à ſuaſione, ut *Bonis viris tribuendum honorem eſſe*, (unde ipſe laudat Ariſtidem,) *aut certe eis, qui neque probati, neque improbi ſint, ſed qui cum boni ſint, tamen in obſcuritate verſantur*, ut Alexander Priami filius; ſiquidem hic conſilium dat. Præterea à judicialibus procemiis, ideſt ab iis, quæ referuntur ad auditorem, ſi de re incredibili dicatur, aut difficili, aut inter multos divulgata, ut veniam largiantur; quemadmodum Chœrilus: *Nunc vero cum omnia diſſipata*. Ac demonſtrativarum quidem orationum procemia ab his dicuntur, à laude, à vituperatione, ab adhortatione, à dehortatione, ab iis, quæ referuntur ad auditorem; verum aut aliena, aut affinia orationi ἢ *ἐνδόσιμα* eſſe oportet.

Procemia vero judicialis idem, atque prologos dramatum, & procemia epicorum valere, tenendum eſt; ſiquidem dithyramborum quæ ſunt, demonſtrativarum ſimilitudinem imitantur: *Propter te, tuaque munera, atque ſpolia*. In logis autem, & epicis orationis oſtentatio ſunt, ut proſpiciant, qua de re ſermo habetur, neque ſuſpenſus animus teneatur; etenim vagari, quod indefinitum eſt, cogit; qui ergo quaſi in manum principium tradit, facit, ut hærens ſequatur orationem; ob id: *Iram diva, refer. Dic mihi Muſa virum. Præcipe mihi ſermonem alium, ut ex Aſia bellum magnum in Europam tranſierit*. Quin etiam tragici in dramate indicant, quamvis non ſtatim, ut Euripides, ſed in prologo tamen etiam indicat, perinde ac Sophocles: *Pater mihi fuit Polybus*; eodemque modo comœdia. Ac maxime quidem neceſſarium, & proprium procemii munus hoc eſt, indicare, qui nam ſit finis, cujus cauſſa oratio inſtituta eſt; itaque ſi nota, & parva res ſit, non eſt utendum procemio, reliquæ vero, quas afferunt, formæ, medicamenta ſunt, & communes; eæ vero & ab oratore, & auditore, & re, adverſarioque ducuntur. Ac ab ipſo quidem, & adverſario, quæcunque ad depellendam, offerendamque criminationem attinent; eorum tamen diſpar eſt ratio; nam qui defendit, primo loco criminationem, qui accuſat, in peroratione; neque vero cauſſa obſcura eſt; nam qui defendit, quotieſcunque ſemetipſum eſt illaturus, quæ obſtant, removere neceſſe habet; uſque adeo ut primo loco criminatio diluenda ſit; qui vero criminatur, in peroratione criminari debet, ut firmius memoria teneant. Quæ verò referuntur ad auditorem, ab illo benevolo reddendo, aut irato, interdum vero etiam attento, aut contra; neque enim attentum facere, ſemper expedit; quo ſit ut ad riſum traducere multi conentur; ad docilitatem autem omnia perducent, ſi cui placuerit, tum ſi bonus appareat; hos enim magis attendunt; attenti vero rebus magnis, propriis, admirabilibus, jucundis fiunt; quare his de rebus agi, injicere oportet; ſin autem non attentos: de parvis, nihil ad eos pertinentibus, injucundis. Neque vero nos fugiat, extra cauſſam ejuſmodi omnia eſſe, quia ad pravum auditorem, & ea, quæ ſunt extra cauſſam, audientem, referuntur; quoniam niſi talis ſit, nulla alia de re opus procemio ſit, quàm ut ſummatim rem exponat, ut æque ac corpus, caput habeat. Jam vero attentos facere, omnium partium eſt commune, ſi opus ſit, quia ubicunque magis, quàm incipiendo

A languefcunt; quocirca ridiculum eſt, id in principio collocare, cum maxime omnes attente audiunt; quare ubi tempus tulerit, dicendum eſt, & *Mihi animum adhibete, neque enim ad me hoc magis, quàm ad vos pertinet*; & *Exponam enim vobis rem, qualem nunquam alias audiſtis, atrocem, aut adeo mirabilem*; hoc autem eſt, ut Prodicus dixit, dormitantibus auditoribus aliquid quinquaginta drachmarum demonſtrationis inferre; verum hæc ad auditorem referri, non quatenus auditor eſt, eò apparet, quòd omnes aut crimina objiciunt, aut metus diſcutiunt in procemiis, (*Non dicam o Rex, quanto ſtudio. Quid procemiaris?*) & qui malam cauſſam habent, aut habere vi-
B dentur; præſtat enim ubique quàm in cauſſa conſiſtere; unde ſervi haudquaquam ad interrogata reſpondent, ſed ambages & procemia dicunt. Unde vero benevolentiam comparare conveniat, & de rerum ejuſmodi aliarum unaquaque præceptum eſt; quoniam autem probe dictum eſt: *Fac, ut ad Phæacis amicus, ac miſerandus veniam*, hæc duo ſpectare oportet. In demonſtrativis autem danda opera eſt, ut putet auditor, collaudari aut ipſum, aut genus, aut ſtudia ipſius, aut aliquo alio modo; quod enim inquit Socrates in Funebri, verum eſt, nihil negocii eſſe, Athenienſes apud Athenienſes laudare, verum apud Lacedæmonios.

Procemia vero concionalis orationis ex
C procemiis judicialis exiſtunt; verum natura nequaquam habet; etenim & de quo agatur, intelligunt, & res nullam aliam ob cauſſam procemium poſtulat, quàm aut propter ipſum, aut adverſarios, aut ſi non quantam velis, verum aut majorem, aut minorem, exiſtiment; quare aut criminationem offerre, aut depellere, itemque aut augere, aut extenuare neceſſe eſt; horum igitur cauſſa procemium poſtulat, aut certe ornatus gratia, quia niſi eo prædita ſint, abrupta videantur; tale enim Gorgiæ encomium eſt in Eleos, quia nullo conixu, nulloque motu ante adhibito confeſtim orditur: *Elis beata civitas*.

De criminatione vero, unum eſt, unde
D malam aliquis opinionem detraxerit; etenim aliquo ne orante, an ſecus, nihil refert; quare hoc generale eſt.

Alius modus eſt, occurrere non aliter, atque iis, de quibus controverſia exiſtit, nempe aut non eſſe, aut noxium non eſſe, aut non huic, aut non tantopere, aut injuſtum non eſſe, aut non valde, aut non turpe, aut non magnopere; tales enim res in controverſiam veniunt; ut Iphicrates adverſus Nauſicratem; aſſeruit enim, ſe feciſſe, quod ille dicebat, itemque nocuiſſe, verum non injuſte feciſſe.

Aut qui injuſte facit, compenſare; ſi noxium, at honeſtum, ſi moleſtum, at utile,
E aut aliquid tale.

Alius modus eſt; quòd errore commiſſum eſt, aut infortunio, aut neceſſitate; ut Sophocles confeſſus eſt ille quidem, ſe tremere, verum, non quemadmodum qui criminabatur, ajebat, ut ſenex videretur, ſed ex neceſſitate; neque enim ſe annos octoginta libenter agere.

Et cujus gratia, compenſare; quòd non nocere voluit, ſed hoc, & non illud, quod ille feciſſe criminatus eſt; accidit autem, ut ei noceretur; atqui odio dignus eſſem, ſi ut hoc evaderet, commiſiſſem.

Alius: num qui criminatur, ſimul teneatur, aut nunc, aut prius, aut ipſi, aut propinquus ejus.

Alius:

Alius: num ſimul teneantur, quos illi criminis affines non eſſe fatentur; ut ſi purus adulter eſt, ergo & hic, & ille.

Alius: an aliis crimen conflarit; aut ipſi alius, aut ſine criminatione ſuſpecti, ut ipſe hoc tempore, fuerint, qui innocentes eſſe reperti ſunt.

Alius: criminantem recriminari, quia abſurdum eſt, ſi ille indignus ſit, cui credatur, verbis ejus fidem haberi.

Alius: ſi judicium factum eſt; ut Euripides contra Hygiænontem, à quo in antidoſi impietatis accuſabatur, ut qui perjurium faciendo carmine tradidiſſet: *Juravi lingua, mentem injuratam gero*; reſpondit enim, inique illum agere, qui judicia ex Dionyſiaco certamine in fora traduceret; nam ibi ſe rationem reddidiſſe, ac redditurum eſſe, ſi accuſare libuerit.

Alius: calumniam, quarta res ſit, accuſare, atque hanc diverſa judicia conſtituere.

Communis autem ambobus locus eſt, notas afferre, ut in Teucro Ulyſſes, *quòd Priamo ſit affinis, quia Heſione ſoror ſit*; ille vero: *quod pater Telamon Priamo inimicus ſit, & quòd exploratores non indicarit*.

Alius, criminatoris: rem parvam multis verbis, magnam paucis laudando, vituperare; aut multis bonis allatis id unum, quod ad rem pertineat, reprehendere; tales autem ſunt qui callidiſſimi, atque iniquiſſimi ſunt, quia rebus bonis officere, iis malo temperandis, conantur.

Illud autem crimen inferenti, diluentique commune eſt: quoniam contingit, ut eadem res plurium rerum gratia geſta ſit, qui criminatur, eam depravare in deteriorem partem arripiendo, debet, qui vero purgat, in meliorem; exempli gratia, quòd Diomedes Ulyſſem præ ceteris ſibi aſcivit, hic quidem, quòd Ulyſſem optimum judicavit, ille vero, quòd non, ſed quia ſolus ille, ut ignavus ſecum non erat concertaturus.

Ac de criminatione quidem tam multa dicta ſint.

De narratione.

NArratio vero in demonſtrativis quidem eſt, non continenter, ſed in partibus; ſiquidem actiones perſequi convenit, ex quibus conſtat oratio; conſtat autem oratio partim ex iis, quæ arte carent, quia qui dicit, actionum auctor non eſt, partim ex iis, quæ artem habent; hoc autem eſt, ut res aut eſſe demonſtretur, ſi fide careat, aut qualis ſit, aut quanta, aut etiam omnia. Propterea vero continenter narrare omnia aliquando non convenit, quia quæ ita demonſtrantur, ægre cuſtodiri memoria queunt: *Atque ex his quidem fortis eſt, ex his autem ſapiens, aut juſtus*; & hæc quidem oratio ſimplicior eſt, illa vero varia, & non attenuata. Notas autem actiones in memoriam revocare oportet; quo fit, ut plerique narratione non egeant, ut ſi Achillem ornare velis; nempe quia facta univerſi norunt; verum illis utendum eſt, ſin autem Critiam, oportet; neque enim multi norunt . . . . Nunc vero ridicule narrationem brevem eſſe oportere præcipiunt. Atqui ut ille piſtori quærenti, utrum durum, an mollem ſubigeret, quid, inquit, bene, non poteſt? item hic eadem ratione; oportet enim narrationem non longam adhibere, perinde

A atque neque proœmium, neque fides longas afferre, (neque enim in hac parte virtus ſita eſt in brevitate, aut conciſione, ſed in modo: hoc autem eſt, ea dicere, quæ rem declarent, aut quæ adducant ad opinandum, feciſſe, aut injuſte feciſſe, aut ea, quanta vis, tanta eſſe, adverſario vero contraria;) ſed narrationi tamen attexere quæcumque ad tuam virtutem pertineant; exempli gratia: *Ego vero illum aſſidue admonebam, quæ juſta eſſent, ſubjiciens, ne liberos deſereret*; aut ad improbitatem alterius: *Ille vero mihi reſpondit, ſibi ubicunque fuiſſet, alios liberos affuturos*; id quod Ægyptios deficientes reſpondiſſe, prodit Herodotus, aut certe quæcumque judicibus grata B ſunt. Defenſori vero minor narratio eſt. Controverſiæ autem ſunt, aut factum non eſſe, aut noxium non eſſe, aut non injuſtum, aut non tantopere; quocirca confeſſis in rebus inſiſtendum non eſt, niſi quid ad illud attineat; ut ſi factum eſt, at non injuſtum. Præterea res geſtas commemorare oportet, quæcumque dum geruntur, aut miſerationem, aut indignationem non excitant; cujus rei exemplo eſt Alcinoi apologus, qui apud Penelopem verſibus ſexaginta confectus eſt; & ut Phayllus circulum, & qui eſt in OEneo prologus. Morata vero eſſe narratio debet; erit autem, ſi, quid mores efficiat, cognoverimus. Ac unum quidem eſt, indicare prælectionem; C mores autem cujuſdammodi ſunt, quia hæc cujuſdammodi eſt; prælectio vero cujuſdammodi eſt propter finem; propterea mathematici ſermones non habent mores, quia neque prælectionem; ſiquidem ipſum cujus cauſſa non habent. Reliqua vero morata ſunt, quæ moribus ſingulis conſequentia ſunt; ut *Cum hæc diceret, incedebat*; quia audaciam, & ruſticitatem morum declarat. Et non tanquam ex ratiocinatione dicere, ut hujus ætatis homines, ſed tanquam ex prælectione: *Ego vero volebam (ſiquidem id prælegerem, etiam ſi quæſtum nullum facerem) quod melius*; illud enim prudentis eſt, hoc vero boni; prudentis enim eſt in utilitate perſequenda, boni vero D in honeſtate. Et, ſi res fide careat, tum demum cauſſam ſubjicere; cujus rei Sophocles exemplum nobis ſuppeditat ex Antigona, quòd fratrem cariorem haberet, quàm maritum, aut liberos; nam eos, etiam ſi perierint, affuturos: *Matre vero, & patre mortuis, frater nunquam poterit exoriri*. Et ſi cauſſam non habeas, at te non ignorare, quòd incredibilia narras, ſed te talem eſſe natura; neque enim adduci poſſunt, ut credant, aliquem aliud quid ſponte ſua obire, quàm quod eſt utile. Præterea ex iis, quæ afficiendi vim habent, dicere, narrantem & quæ conſequuntur, & quæ ſciunt, & quæ proprie aut ipſi, aut illi adſunt: *Ille vero me reſpiciens abiit*; & ut de E Cratylo Æſchines, quòd *Exibilans, & manibus explodens*; quia ad fidem faciendam proficiunt, propterea quòd ea, quæ ſciunt, indicia ſiunt eorum, quæ neſciunt; plurima vero ejuſmodi mutuari ab Homero licet: *Sic ait, aſt anus manus faciei obtendit*; quia qui lacrymare incipiunt, oculos attrectant. Atque ilico te ipſum cujuſdammodi inferto, ut te ejuſmodi intueantur; itemque adverſarium; verum occulte facito; hoc autem quàm facile ſit, ex iis, qui nunciant, cognoſcendum eſt; quas enim res penitus ignotamus, de iis tamen aliquam ſuſpicionem concipimus. Multis autem in locis narrare convenit, atque inter-

dum etiam non in principio.

In concione vero nullus narrationi locus eſt, quia de futuris rebus narrat nemo; ſed ſi narratio extiterit, rerum præteritarum erit, ut earum recordati melius deliberent de futuris, aut criminando, aut laudando; verum tunc ſuaſoris munere non funguntur. Quod ſi res fide careat, pollicere, te & cauſſam ſtatim allaturum, & ad eorum arbitrium tractaturum; ut Jocaſta Carcini in OEdipode pollicetur aſſidue, cum percontaretur is, qui filium quærebat, & Æmon Sophoclis.

De Fide.

Fides autem ad demonſtrandum accommodatas eſſe oportet; demonſtrare autem opus eſt, (quoniam quatuor de rebus eſt controverſia) demonſtratione ad id, quod in controverſiam adducitur, afferenda; exempli cauſſa, ſi non feciſſe contendit, in diſceptatione ad hoc maxime demonſtratio conferenda eſt, ſi vero non nocuiſſe, ad hoc, & quòd non tantopere, aut quòd jure; eademque ratione, ſi num factum hoc eſſet, in controverſiam vocaretur. Nec vero lateat, in hac ſola controverſia neceſſe eſſe, ut alter improbus ſit; neque enim ignoratio cauſſam ſuſtinet, quemadmodum ſi qui de juſto contenderent; quare in hoc conſiſtendum eſt diu, in aliis vero non item. In demonſtrativis autem plerunque utilium, & honeſtorum amplificatio inerit; facta enim credi oportet; etenim raro horum quoque demonſtrationes afferunt; ſi fide careant, aut ſi cauſſa in alium conferatur. In concionibus autem aut eventura non eſſe contenderimus, aut eventura illa quidem, quæ ille cenſet, verum juſta non eſſe, aut non utilia, aut non tantopere. Videndum porro illud etiam eſt, ſi quid extra cauſſam mentiatur, quia hæc indicia certa videntur, quòd in aliis etiam rebus mentitur. Jam vero exempla concionibus aptiſſima, enthymemata judiciis accommodatiora ſunt; illa enim de futuris eſt, unde ex præteritis exempla ducere oportet; hoc vero de iis, quæ ſunt, aut non ſunt; cujus rei demonſtratio, neceſſitaſque magis exiſtit; quippe quia neceſſitatem quod factum eſt continet. Neque vero enthymemata continenter proferre debes, ſed permiſcere; ſin minus: mutuo ſe lædunt; ſiquidem quanti quòque terminus eſt: *Care mihi, quoniam tam multa dixiſti, quàm multa prudens vir*, non autem talia. Neque de omnibus rebus enthymemata indagare; ſin minus: facies, quod nonnulli faciunt eorum, qui in philoſophia verſantur, qui res concludunt notiores, ac certiores, quàm ſint eæ, ex quibus dicunt. Et cum affectum excitas, enthymema ne proferas, quia aut affectum ejiciet, aut enthymema fruſtra prolatum erit; motiones enim ſe inter ſe ejiciùnt, quæ ſimul ſunt, & aut ſe ipſæ conficiunt, aut certe infirmant. Neque cum moratam affers orationem, ſimul enthymema aliquod indagare oportet, quia neque mores, neque præelectionem demonſtratio continet. Sententiis autem uti debes tum in narratione, tum in fide, quia ad mores id pertinet: *Et ego dedi, quamvis ſcirem, credere non oportere*; ſin autem affecte: *Neque tamen me pœnitet, quamvis injuriam acceperim, quia iſti lucrum, mihi jus ſupereſt*. Eſt autem difficilius concionem habere, quàm de jure contendere; merito: quia de rebus futuris agitur, ibi vero de præteritis, quas

A vates demum quoque noſſe, ut dixit Epimenides Cres, poſſunt; ille enim de futuris rebus non divinabat, ſed de præteritis illis quidem, verum obſcuris, atque etiam in judicialibus lex hypotheſis eſt, qui vero principium tenet, demonſtrationem facile reperit, nec multa ſane diverticula habet, veluti contra adverſarium, aut de ſemetipſo, aut ad afficiendum, verum minime omnium, niſi egrediatur; cui ergo copia non ſuppetit, is id facere debet, quod Athenis faciunt oratores, præſertim Iſocrates, qui ſuadendo accuſat, ut Lacedæmonios in Panegyrica, Charetem in Sociali. In demonſtrativis autem intexenda laudibus oratio eſt; ut facit Iſocrates, qui ſemper aliquem
B inſerit; & hoc eſt, quod dicebat Gorgias, haudquaquam ſibi orationem deeſſe, quia ſi de Achille dicat, Peleum laudet, deinde Æacum, deinde deum; ſimiliter vero etiam fortitudinem, aut hoc & illud faciat, aut aliquid tale. Ac ſi demonſtrationes quidem habeas, & morate, & demonſtrative dicere debes; ſin autem enthymematibus careas, morate; quin probo viro magis convenit, ut bonus videatur, quàm ut exquiſita oratio. Ex enthymematibus autem quæ refellendi vim habent, vehementius probantur, quàm quæ demonſtrandi, quia quæ refellunt, ſyllogiſmo concluſa eſſe, apertius eſt; ſiquidem contraria inter ſe collata ſunt notiora.

C Quæ vero contra adverſarium dicuntur, diverſi alicujus generis non ſunt, ſed inter fides numerantur, quod eſt alia objectione, alia ſyllogiſmo, diſſolvere. In conſultatione autem, & in judicio, qui priore loco dicit fides ſuas prius exponere; poſt autem contrariis occurrere ſolvendo, atque elevando debet, quod ſi adverſa cauſſa multiplex ſit, ante contrariis, ut fecit Calliſtratus in Meſſeniaca concione; iis enim, quæ dicturi erant, ſublatis, tum ita ipſe dixit; qui vero poſteriore loco dicit, prius contra adverſarii orationem dicere ſolvendo, & ſyllogiſmum opponendo debet, & maxime, ſi approbata ſint; ut enim hominem, qui in crimen ante vocatus ſit,
D animus non recipit, ſic neque orationem, ſi adverſarius bene dixiſſe putetur; oportet igitur locum futuræ orationi in auditore parare; fiet autem, ſi removeris; itaque aut contra omnia, aut quæ maxima, aut quæ approbata ſunt, aut facile redargui poſſunt pugnando, ita ſuis ipſius fides eſt comparanda: *Deabus primum ſocius ero; ego enim Junonem*; in his, quod inſulſiſſimum eſt, primum attigit. Ac de fide quidem hæc.

Ad mores autem; quoniam nonnulla de ſemetipſo dicere aut invidiam, aut loquacitatem, aut obtrectationem habet; de alio vero aut convitium, aut ruſticitatem; Alterum dicentem inducere debemus; quod Iſocrates fa-
E cit in Philippo, & in Antidoſi, & quo modo vituperat Archilochus; quippe qui patrem de filia dicentem in Jambo facit: *Rerum inſperata nulla eſt, nec jurejurando negari poteſt*; & Charonem fabrum in Jambo, cujus principium eſt: *Non mihi Gigæ opes*; & ut Sophocles Æmonem de Antigona apud patrem, perinde ac ſi alii loquerentur. Jam vero enthymemata etiam immutare, & interdum in ſententias transferre convenit, hoc pacto: *Prudentes pactiones facere oportet, cum proſpera fortuna utuntur; ſic enim optima conditione fuerint*; enthymematice vero: *Si enim cum pactiones commodiſſimæ ſunt, ac optimam conditio-*

nem,

nem afferunt, tum paciſci oportet, profecto tum, cum proſpera eſt fortuna, paciſci oportet.

De interrogatione vero oportunum eſt, eam adhibere, in primis quidem cum unum aſſeruerit, uſque adeo ut altero præterea interrogato, conſequatur abſurdum; ut Pericles Lamponem de initiis ſacrorum Soſpitæ ſciſcitatus eſt. Cui cum ille diceret, non poſſe, qui non initiatus eſſet, audire, rogavit, an ipſe noſſet? ajente illo, at quo modo, cum non ſis initiatus?

Secundo loco, cum unum quidem pateat, alterum vero interroganti dubium non ſit, quin conceſſurus ſit; cum enim unam propoſitionem percontatus fuerit, quod patet, interrogare non convenit, ſed concluſionem inferre; ut Socrates, cum Melitus negaret, ipſum deos eſſe putare, dixit, num dæmonium aliquid aſſereret? aſſentiente autem illo, rogavit; non ne dæmones aut deorum filii, aut divinum aliquid ſunt? ajente illo; eſt igitur, inquit, qui deorum filios eſſe putat, deos autem nequaquam.

Præterea, quando futurum eſt, ut aut contraria, aut incredibilia eum dicere demonſtret.

Quarto autem loco, quando non licet, niſi ſophiſtica reſponſione diſſolvere; nam ſi ita reſponderit, eſſe, & non eſſe, aut hæc quidem, illa vero non, aut aliqua ex parte quidem, ex aliqua vero non, conturbantur, ut hæſitantes; aliter autem tentare non oportet; nam ſi reſtiterit, victus eſſe exiſtimatur; neque enim multa interrogare propter auditoris infirmitatem licet; quocirca enthymemata quàm maxime contrahere convenit.

Reſpondere autem oportet, ad ambigua quidem, oratione diſtinguendo, & non conciſe, ad ea vero, quæ contraria exiſtimantur, ſtatim cum reſponſione ſolutionem afferendo, priuſquàm quod reliquum eſt interroget, aut ſyllogiſmo concludat; neque enim, quanam in re ratio conſiſtat, proſpicere difficile eſt; verum tam hoc, quàm ſolutiones nobis intelligentur ex Topicis.

Et ei, qui concludit, ſi concluſionem interrogando confecerit, cauſſam afferre; ut Sophocles rogatus à Piſandro, an idem ipſe, quod alii præconſultores de quadringentis viris conſtituendis cenſuiſſet, aſſenſus eſt; quid vero? non ne hæc tibi nefaria eſſe videbantur? aſſenſus eſt; non ne igitur hæc tu nefaria commiſiſti? ſane inquit; non enim meliora alia ſuppetebant. Et Laco cum rationem de ephoratu in judicio redderet, rogatus, an ipſe alios jure periſſe exiſtimaret, aſſenſus eſt; ille vero: non ne hæc tu cum illis decreviſti? & ille aſſenſus eſt; non ne igitur jure & tu, inquit, peribis? minime vero, inquit: illi enim pecuniis acceptis hæc commiſerunt, ego vero nequaquam, ſed ex ſententia; quocirca neque poſt concluſionem, neque concluſionem interrogare debemus, niſi multum veritatis ſuperſit.

De ridiculis autem, quoniam uſum quendam in contentionibus habere videntur, & Gorgias adverſariorum ſeria riſu, riſumque ſeriis diſcutiendum eſſe, præcepit, & recte præcepit, quàm multa ridiculorum genera ſint, in præceptis poëticæ dictum eſt; quorum unum quidem libero homini convenit, alterum vero ſecus; id igitur, quod ſibi aptum eſt, ſumat; eſt autem jocus ſcurrilitate liberalior; ille enim ſui cauſſa ridiculum fingit, ſcurra vero alterius.

De peroratione.

PEroratio vero quatuor in rebus conſumitur, tum ut auditorem erga ſe bene, erga adverſarium male conſtituat, tum ut amplificet, ac deprimat, tum ut in affectus auditorem impellat, tum demum ut memoriam renovet. Etenim ita comparatum natura eſt, ut poſtquam ſemetipſum verum, adverſarium falſum eſſe oſtenderit; tum & laudet, & vituperet, & expoliat; duorum autem alterum ſpectare oportet, aut ſe his bonum eſſe, aut ſimpliciter, illum vero his malum eſſe, aut ſimpliciter; unde vero tales conſtituere debeat, expoſiti loci ſunt, ex quibus bonos, maloſque conformare conveniat. Poſtquam vero demonſtratum hoc fuerit, natura fert, ut augeat, aut extenuet; etenim facta conſtent, oportet, ſi dicturus eſt, quanta ſint; ſiquidem corpora ex iis, quæ ante inerant, adaugentur; unde autem augere, ac extenuare conveniat, loci ſupra monſtrati ſunt. Ubi vero hæc & qualia, & quanta ſint, patent, poſt hæc ſequitur, ut auditorem in affectus impellat, hoc eſt ad miſericordiam, & indignationem, & iram, & odium, & invidiam, & contentionem; quorum etiam traditi loci ſunt. Quamobrem reliquum eſt, ut quæ ante dicta ſunt, in memoriam redigat; hoc autem ita facere convenit, uti præcipiunt in procemiis; non recte admonentes; jubent enim, ut quo facile perdiſcantur, ſemel, atque iterum dicat; verum ibi quidem exponenda res eſt, ne id lateat, de quo eſt judicandum, hic vero, ex quibus eſt demonſtrata, ſummatim. Principium autem ab eo ſit, ea ſe, quæ pollicitus fuerat, perſolviſſe; quamobrem & quæ, & ex quibus, aperiendum; ducitur autem ab adverſa collatione adverſarii; conferre vero oportet, aut quæcumque de eadem re ambo dixerunt; idque aut è regione: *Atque hic quidem hæc de re hæc, ego vero hæc, & ex his*; aut à diſſimulatione, ut: *Hic enim hæc dixit, ego vero hæc*; item: *Quid feciſſet, ſi hæc oſtendiſſet, non autem hæc*? aut ab interrogatione: *Quid non oſtenſum eſt*? aut ſic: *Quid iſte tandem oſtendit*? aut igitur ita, nempe à collatione, aut ſecundum naturam, prout expoſita ſunt, quæ ab ipſo, & rurſus, ſi libuerit, ſeparatim quæ ab adverſario dicta ſunt. Fini vero diſſoluta dictio convenit, ut peroratio ſit, non oratio: *Dixi, audiſtis, tenetis, judicate.*

F I N I S.

FRAGMENTA
CICERONIS,
PASSIM DISPERSA,
CAROLI SIGONII
DILIGENTIA COLLECTA, ET SCHOLIIS ILLUSTRATA;

PHILIPPUS ARGELATUS

S. C. C. M. A SECRETIS

Recenſuit, & Scholia ſuis locis appoſuit.

CAROLI SIGONII
IN
SCHOLIA CICERONIS ŒCONOMICORUM
PRÆFATIO.

Libros Ciceronis de Philoſophia quos ne pulcherrimæ illorum reliquiæ, dignitatis, atque honoris expertes, diverſiſſimis in locis, & quaſi obſcuriſſimis in tenebris diutius jaceant, ſed in unum redactæ, & in lucem, atque in aſpectum hominum productæ nobis alicui eſſe uſui, & ornamento poſſint. Initium autem ſumamus à primis, id eſt ab Oeconomico, quem ille adoleſcens admodum de Xenophonte convertit, quemadmodum ipſe teſtatur in Libris de Officiis ad filium, cum ait: Xenophontis Oeconomicum nos iſta fere ætate, qua es tu nunc, è Græco in Latinum convertimus, quorum primus præcepta habuit, quemadmodum deberet mater familias domi agere; ſecundus, quemadmodum foris pater familias; tertius agri colendi rationem eſt complexus, teſte in primum Georgicorum Servio; cujus teſtimonium Macrobii etiam auctoritate video comprobari, qui libro tertio Saturnalium profert verba è tertio Oeconomicorum Ciceronis, quæ ſunt in extremo fere dialogo Xenophontis. Itaque perinde citatur Cicero in Oeconomico, atque ſi ipſe auctor ejus præceptionis eſſet, non interpres. Nam quod ait idem Servius, Ciceronem in Oeconomicis latifundia laudare, eundemque, quid ubique ponendum ſit, ne omnia confundantur, docere, id totum eſt è Xenophonte. Ut autem maximam in eo libro vertendo licentiam ipſum ſibi vindicaſſe, ex iis, quæ coëgimus, fragmentis poſſumus intelligere: ſic non parem nomini ſuo eloquentiam eundem adhibuiſſe, ex eo ſuſpicari licet, quod apud Divum Hieronymum, Ciceronis maxime ſtudioſum, ſcriptum eſt. Noſter, inquit, Tullius Platonis integros libros ad verbum interpretatus eſt; & cum Aratum jam Romanum exametris verſibus edidiſſet, in Xenophontis Oeconomico luſit; in quo opere ita ſæpe aureum illud flumen eloquentiæ quibuſdam ſcabris, & turbulentis obicibus retardatur, ut, qui interpretatum neſciunt, à Cicerone dicta non credant; & alio loco: Niſi forte putandus eſt Tullius Oeconomicum Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demoſthenis pro Cteſiphonte orationem afflatus rhetorico ſpiritu tranſtuliſſe. Extat etiam apud Plinium hujus libri non obſcurum teſtimonium, cum ita libro XVIII. *cap.* XXV. *ſcriptum reliquerit: Xenophon non ante, quàm Deus ſignum dederit, ſerendum ait; hoc Cicero Novembris imbre fieri interpretatus eſt. Quæ autem fragmenta hujus libri, & apud quos reperiantur, in fragmentis ipſis oſtendemus. Nunc vero ne ulla in re harum artium cupidis noſtra opera deeſſemus, placuit etiam, locum alium ejuſdem Oeconomici Xenophontis, à Cicerone in Catone majore converſum, his Scholiis adjungere; eſt autem hic:* Multas ad res perutiles Xenophontis libri ſunt, quos legite quæſo ſtudioſe, ut facitis; quàm copioſe ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui eſt de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inſcribitur? Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quàm ſtudium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem, regem Perſarum, præſtantem ingenio, atque imperii gloria, cum Lyſander Lacedæmonius, vir ſummæ virtutis, veniſſet ad eum Sardis, eique dona à ſociis attuliſſet; & ceteris in rebus comem erga Lyſandrum, atque humanum fuiſſe, & ei quendam conſeptum agrum diligenter conſitum oſtendiſſe. Cum autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, atque puram, & ſuavitatem odorum, qui afflarentur è floribus, tum eum dixiſſe: Mirari ſe non modo diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, à quo eſſent illa dimenſa, atque deſcripta; & ei Cyrum reſpondiſſe: Atqui ego iſta ſum dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio; multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ. Tum Lyſandrum intuentem ejus purpuram, & nitorem, ornatumque Perſicum multo auro,

mul-

multiſque gemmis dixiſſe: Recte vero te Cyre beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt. *Ita Cicero: at Xenophon hoc modo:* οὗτος τοίνυν ὁ Κῦρος λέγεται Λυσάνδρῳ, ὅτε ἦλθεν ἄγων αὐτῷ τὰ παρὰ τῶν συμμάχων δῶρα, ἄλλα τε φιλοφρονεῖσθαι, ὡς αὐτὸς ἔφη ὁ Λύσανδρος ξένῳ ποτέ τινι ἐν μεγάροις διηγούμενος, καὶ τὸν ἐν σάρδεσι παράδεισον ἐπιδεικνύναι αὐτὸν ἔφη. ἐπεὶ δ' ἐθαύμαζεν αὐτὸν ὁ Λύσανδρος, ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη, δι' ἴσου δὲ τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ τὰ πάντα καλῶς εἴη, ὀσμαὶ δὲ πολλαὶ, καὶ ἡδεῖαι συμπαρομαρτυροῦσι αὐτοῖς περιπατοῦσι: καὶ ταῦτα θαυμάζων εἶπεν: ἀλλ' ἐγώ τοι ὦ Κῦρε πάντα μὲν θαυμάζω ἐπὶ τῷ κάλλει, πολὺ δὲ μᾶλλον ἄγαμαι τοῦ καταμετρήσαντός σοι, καὶ διατάξαντος ἕκαστα τούτων. ἀκούσαντα δὲ ταῦτα τὸν Κῦρον, ἡσθῆναί τε, καὶ εἰπεῖν. ταῦτα τοίνυν ὦ Λύσανδρε ἐγὼ πάντα καὶ διεμέτρησα, καὶ διέταξα. ἔστι δ' αὐτῶν φάναι, ἃ καὶ ἐφύτευσα αὐτός. καὶ ὁ Λύσανδρος ἔφη ἀποβλέψας εἰς αὐτὸν, καὶ ἰδὼν τῶν τε ἱματίων τὸ κάλλος, ὧν εἶχε, καὶ τῆς ὀσμῆς αἰσθόμενος, καὶ τῶν στρεπτῶν, καὶ τῶν ψελλίων τὸ κάλλος, καὶ τοῦ ἄλλου κόσμου, οὗ εἶχεν, εἰπεῖν: τί λέγεις φάναι ὦ Κῦρε; ἦ γὰρ σὺ ταῖς σαῖς χερσὶ τούτων τι ἐφύτευσας; καὶ τὸν Κῦρον ἀποκρίνασθαι. θαυμάζεις τοῦτο, ἔφη, ὦ Λύσανδρε, ὄμνυμί σοι τὸν μίθρην, ὅταν περ ὑγιαίνω, μὴ πώποτε δειπνῆσαι, πρὶν ἱδρῶσαι, ἢ τῶν πολεμικῶν τι, ἢ τῶν γεωργικῶν ἔργων μελετῶν, ἢ ἀεὶ ἕν γέ τι φιλοτιμούμενος. καὶ αὐτὸς μέν τοι ἔφη ὁ Λύσανδρος ἀκούσας ταῦτα, δεξιώσασθαί τε αὐτὸν, καὶ εἰπεῖν, δικαίως μοι δοκεῖς ὦ Κῦρε εὐδαίμων εἶναι. ἀγαθὸς γὰρ ἀνὴρ εὐδαιμονεῖς.

FRAGMENTA CICERONIS

EX PHILOSOPHIA.

Oeconomicorum.
Protagoræ.
De Republica.
De Legibus.
De Jure civili in artem redigendo.
De Auguriis.
Hortenſii.
Academicorum.
De Natura deorum,
De Fato.
Laudis M. Catonis.
De Gloria.
De Conſolatione.
Timæi.
De Conſiliis ſuis.
De Virtutibus.

EX ORATIONIBUS.

Pro M. Tullio.
Pro L. Vareno.
Pro P. Oppio.
Pro M. Fontejo.
Pro M. Fundanio.
Pro Q. Gallio.
Pro C. Cornelio II.
In Competitores.
De Lege agraria.
De Proſcriptorum filiis.
Pro Othone.
Contra concionem Q. Metelli.
Pro M. Scauro.
In L. Piſonem.
In Clodium, & Curionem.
De Rege Ptolemæo.

EX COMMENTARIIS CAUSSARUM.

Pro A. Gabinio.

EX EPISTOLIS.

Ad M. Titinium.
Ad Cornelium Nepotem.
Ad C. Cæſarem.
Ad Cæſarem juniorem.
Ad C. Panſam.
Ad A. Hirtium.
Ad Marcum filium.
Ad Calvum.
Ad Axium.
Ad Cerelliam.
Ad M. Brutum.

SCHO-

FRAGMENTA CICERONIS A CAROLO SIGONIO COLLECTA, ET SCHOLIIS ILLUSTRATA.

ŒCONOMICORUM.

A

HOmo (1) *ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur.* (*a*)

(1) Perſequamur nunc reliqua, ac, quo modo ipſe ſingula verterit, collatione locorum ipſorum aperiamus; ſic igitur Xenophon hoc: ὅς ἐμοὶ ἔδοξεν εἶναι τῷ ὄντι τούτων τῶν ἀνδρῶν, ἐφ' οἷς τοῦτο τὸ ὄνομα δικαίως ἐστίν, ὃ καλεῖται καλός τε κἀγαθὸς ἀνήρ.

Maritale conjugium (2) *ſic comparatum eſt natura, ut non ſolum jucundiſſima, verum etiam utiliſſima vitæ ſocietas iniretur; primum, ne genus humanum temporis longinquitate occideret, propter hoc mas cum femina eſt conjunctus: deinde, ut ex hac eadem ſocietate mortalibus adjutoria ſenectutis, nec minus propugnacula præparentur: tum etiam, cum victus, & cultus humanus non uti feris in propatulo, ac ſilveſtribus locis, ſed domi ſub tecto accurandus erat, neceſſarium fuit, foris & ſub dio eſſe, qui labore, & induſtria compararet, intus qui tectis reconderet, atque cuſtodiret: ſiquidem vel ruſticari, vel navigare, vel etiam alio genere negotiari neceſſe erat, ut aliquas facultates acquireremus. Cum vero paratæ res ſub tectum eſſent congeſtæ; alium eſſe oportuit, qui & illatas cuſtodiret, & cetera conficeret opera, quæ domi deberent adminiſtrari; nam & fruges, & cetera alimenta terreſtria indigebant tecto: & ovium ceterarumque pecudum fœtus, atque fructus clauſo cuſtodienda erant, nec minus reliqua utenſilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. Quare cum & operam, & diligentiam ea, quæ propoſuimus, deſiderarent; nec exigua cura foris acquirerentur, quæ domi cuſtodiri oporteret: jure, ut dixi, à natura comparata eſt opera mulieris ad domeſticam diligentiam; viri autem ad exercitationem forenſem, & extraneam: itaque viro calores, & frigora perpetienda, tum etiam itinera, & labores pacis, ac belli, id eſt ruſticationis, & militarium ſtipendiorum diſtribuit. Mulieri deinceps, quòd omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domeſtica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc ſexum cuſtodiæ, & diligentiæ aſſignaverat, iccirco timidiorem reddidit, quàm virilem; nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi. Quod autem neceſſe erat, foris, & in aperto victum quærentibus nonnunquam injuriam propulſare; iccirco virum, quam mulierem, fecit audaciorem. Quia vero partis opibus æque fuit opus memoria, & diligentia, non minorem feminæ, quàm viro, earum rerum tribuit poſſeſſionem. Tum etiam, quòd ſimplex natura non omnes res commodas amplecti volebat, iccirco alterum alterius indigere voluit: quoniam quod alteri deeſt; præſto plerumque eſt alteri.* (*b*)

B

C

(2) Columella lib. XII. cap. 1. ita ſcribit: Xenophon eo libro, qui Oeconomicus inſcribitur, prodidit, maritale conjugium ſic comparatum eſſe natura, ut non ſolum &c. quibus verbis hæc reſpondent Xenophontis: Ἐμοὶ γάρ τοι ἔφη φάναι. καὶ οἱ θεοὶ ὦ γύναι δοκοῦσι, πολὺ διεσκεμμένως μάλιστα τὸ ζεῦγος τοῦτο συντεθεικέναι, ὃ καλεῖται θῆλυ, καὶ ἄρρεν. ὅπως ὅτι ὠφελιμώτατον ᾖ αὐτῷ εἰς τὴν κοινωνίαν. πρῶτον μὲν γὰρ τὸ μὴ ἐκλιπεῖν ζώων γένη, τοῦτο τὸ ζεῦγος κεῖται μετ' ἀλλήλων τεκνοποιούμενον. ἔπειτα τὸ γηροβοσκοὺς κεκτῆσθαι ἑαυτοῖς, ἐκ τούτου τοῦ ζεύγους τοῖς γοῦν ἀνθρώποις πορίζεται. ἔπειτα δὲ καὶ ἡ δίαιτα τοῖς ἀνθρώποις, οὐχ ὥσπερ τοῖς κτήνεσιν ἐστὶν ἐν ὑπαίθρῳ, ἀλλὰ στεγῶν δεῖται δηλονότι. δεῖ μέντοι τοῖς μέλλουσιν ἀνθρώποις ἕξειν ὅ τι εἰσφέρωσιν εἰς τὸ στεγνὸν τοὺς ἐργαζομένους τὰς ἐν τῷ ὑπαίθρῳ ἐργασίας. καὶ γὰρ νεατοὶ καὶ σπόρος, καὶ φυτεία, καὶ νομαί, ὑπαίθρια ταῦτα πάντα ἔργα ἐστίν. ἐκ τούτων δὲ τὰ ἐπιτήδεια γίγνεται. δεῖ δ' αὖ, ἐπειδὰν ταῦτα εἰσενεχθῇ εἰς τὸ στεγνόν, καὶ τοῦ σώσοντος ταῦτα, καὶ τοῦ ἐργασομένου τὰ τῶν στεγνῶν ἔργα δεόμενά ἐστι. στεγνῶν δὲ δεῖται καὶ ἡ τῶν νεογνῶν τέκνων παιδοτροφία. στεγνῶν δὲ καὶ αἱ ἐκ τοῦ καρποῦ σιτοποιίαι δέονται, ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ τῆς ἐσθῆτος ἐκ τῶν ἐρίων ἐργασία. ἐπεὶ δ' ἀμφότερα ταῦτα καὶ ἔργων ἐπιμελείας δεῖται, τά τε ἔνδον καὶ τὰ ἔξω, καὶ τὴν φύσιν φάναι εὐθὺς παρεσκεύασεν ὁ θεός, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, τὴν μὲν τῆς γυναικὸς ἐπὶ τὰ ἔνδον ἔργα, καὶ ἐπιμελήματα. ῥίγη μὲν γὰρ καὶ θάλπη, καὶ ὁδοιπορίας καὶ στρατείας, τοῦ ἀνδρὸς τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν μᾶλλον δύνασθαι καρτερεῖν κατεσκεύασεν. ὥστε τὰ ἔξω ἐπέταξεν αὐτῷ ἔργα. τῇ δὲ γυναικί, ἧττον τὸ σῶμα δυνατὸν πρὸς ταῦτα φύσας, τὰ ἔνδον ἔργα αὐτῇ φάναι ἔφη προστάξαι μοι δοκεῖ ὁ θεός. εἰδὼς δὲ ὅτι τῇ γυναικὶ καὶ ἐνέφυσε καὶ προσέταξε τὴν τῶν νεογνῶν τέκνων τροφήν. καὶ τοῦ στέργειν τὰ νεογνὰ βρέφη, πλεῖον ἐδάσατο αὐταῖς ἢ τῷ ἀνδρί. ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ φυλάττειν τὰ εἰσενεχθέντα τῇ γυναικὶ προσέταξε. γιγνώσκων ὁ θεός, ὅτι πρὸς τὸ φυλάττειν οὐ κάκιόν ἐστι φοβερὰν εἶναι τὴν ψυχήν, πλεῖον μέρος καὶ τοῦ φόβου ἐδάσατο τῇ γυναικί, ἢ τῷ ἀνδρί. εἰδὼς

D

(*a*) Priſc. lib. 8.

(*b*) Columella lib. 12. cap. 1.

δὲ ὅτι καὶ ἀρήγειν αὖ δέοντα ἐάν τις ἀδικῇ τὸν τὰ ἔξω ἐργαζόμενον, τούτῳ αὖ πλεῖον μέρος τοῦ θράσους ἐδάσατο. ὅτι δ' ἀμφοτέρους δεῖ καὶ διδόναι, καὶ λαμβάνειν, τὴν μνήμην, καὶ τὴν ἐπιμέλειαν εἰς τὸ μέσον ἀμφοτέροις κατέθηκεν. ὥστε οὐκ ἂν ἔχοις διελεῖν, πότερα τὸ ἔθνος τὸ θῆλυ, ἢ τὸ ἄρρεν τούτων πλεονεκτεῖ. καὶ τὸ ἐγκρατεῖς δὲ εἶναι ὧν δεῖ, εἰς τὸ μέσον ἀμφοτέροις κατέθηκε, καὶ ἐξουσίαν ἐποίησεν ὁ θεὸς. ὁ πότερος ἂν ᾖ βελτίων, εἴτ' ἀνήρ, εἴθ' ἡ γυνή, τοῦτον καὶ πλεῖον φέρεσθαι τούτου τοῦ ἀγαθοῦ. διὰ δὲ τὴν φύσιν μὴ πρὸς πάντα ταὐτὰ ἀμφοτέρων εὖ πεφυκέναι, διὰ τοῦτο καὶ δέονται μᾶλλον ἀλλήλων. καὶ τὸ ζεῦγος ὠφελιμώτερον ἑαυτῷ γεγένηται, ἃ τὸ ἕτερον ἐλλείπεται, τὸ ἕτερον δυνάμενον. Hinc ergo Columella ita concludit: Hæc in Oeconomico Xenophon, & deinde Cicero, qui eum Latinæ conſuetudini tradidit, non inutiliter diſſeruerunt.

Ego vero ipſe inſtituo. (3) *Etenim qui me abſente in meum locum ſubſtituitur, & vicarius meæ diligentiæ ſuccedit, is ea, quæ ego, ſcire debet.* (c)

(3) Hæc ex Columella lib. 11. cap. 1. apud quem ita ſcriptum eſt: Præſtat villicum magiſtrum eſſe operariorum, non diſcipulum, cum etiam de patre familias, priſci moris exemplum, Cato dixerit: Male agitur cum domino, quem villicus docet. Itaque in Oeconomico Xenophontis, quem M. Cicero Latino ſermoni tradidit, vir egregius ille Iſchomachus Athenienſis rogatus à Socrate, utrum ne, ſi res familiaris deſideraſſet, mercari villicum tanquam fabrum, an à ſe inſtituere conſueverit; Ego vero, inquit, ipſe inſtituo. &c. Hæc autem hoc pacto Xenophon: αὐτὸς μὲν τοίνυν ὦ Σώκρατες πειρῶμαι παιδεύειν, καὶ γὰρ ὅστις μέλλει ἀρκέσειν. ὅταν ἐγὼ ἀπῶ, ἀντ' ἐμοῦ ἐπιμελόμενον αὐτὸν καὶ δεῖ ἄλλο ἐπίστασθαι, ἢ ἅπερ ἐγώ.

Nullo modo facilius (4) *arbitror poſſe neque herbas areſcere, & interfici, neque terram ab ſole percoqui.* (d)

(4) Xenophon ita: οἶδα μὲν, ἔφην, ἀκριβῶς, ὅτι ἐδομεὺς ἂν μᾶλλον ἡ μὲν ὕλη ἐπιπολάζοι, ἢ αὐαίνοιτο ἐπὶ τοῦ καύματος, ἡ δὲ γῆ ὀπτῷτο ὑπὸ τοῦ ἡλίου.

Cum vero affecta jam prope æſtate (5) *uvas à ſole miteſcere tempus eſt.* (e)

(5) Apud Xenophontem ita eſt: ὅταν δὲ καιρὸς ᾖ ὑπὸ τοῦ ἡλίου ἤδη γλυκαίνεσθαι τὰς σταφυλάς.

Neque ſerit vitem, (6) *neque, quæ ſata eſt, diligenter colit: oleum, ficus, poma non habet.* (f)

(6) Hæc libro tertio Macrobius citat ex tertio libro Oeconomicorum Ciceronis; ſunt autem apud Xenophontem ejuſmodi: οὐδ' οἶνον ἔχει αὐτός. οὐ γὰρ ἐπιμελεῖται. ὡς φυτεύσῃ ἀμπέλους, οὐδὲ αἱ οὖσαι ὅπως φέρωσιν αὐτῷ. οὐδὲ ἔλαιον, οὐδὲ σῦκα ἔχει αὐτός.

Quid igitur, pro Deum (7) *immortalium, primum eam docebas? quæſo.* (g)

Apes in alvearium conceſſerant. (b)
Hi ſcrobes. (i)

(7) Xenophon: Πρὸς θεῶν, ἔφην ἐγώ, ὦ Ἰσχόμαχε, τί πρῶτον διδάσκειν ἦρχες; διηγοῦ μοι.

Ex Protagora. (8)

(8) Utinam, quemadmodum extat Platonis dialogus, qui Protagoras inſcribitur, ſic Latinam ejus interpretationem, quam Cicero adoleſcens inſtituit, haberemus; cujus D. Hieronymus, Priſcianus, & Donatus meminerunt; quod quia non poſſumus, interea his exiguis ejus reliquiis oblectabimur.

Quid tu, unde tandem (9) *appares o Socrate? an quidem dubium eſt, quin ab Alcibiade?* (k)

(9) Hæc verba ſunt prima dialogi; quod ex Græcis, quæ his reſpondent, cognoſcitur. Πόθεν ὦ Σώκρατες βαίνῃ, ἢ δηλαδὴ ὅτι ἀπὸ κυνηγεσίου, τοῦ περὶ τὴν Ἀλκιβιάδου ὥραν; cum autem Cicero: Appares, verterit, ſatis perſpicuum eſſe poteſt, eum non, βαίνῃ, ſed φαίνῃ apud Platonem legiſſe: quod videtur multo etiam rectius.

Nunc à nobis Protagora, (10) *& Socrates poſtulo, concedatis alter alteri, & inter vos de hujuſcemodi rebus controverſemini, non concertetis.* (l)

(10) Plato: Ἐγὼ μὲν καὶ αὐτὸς ὦ Πρωταγόρα, καὶ Σώκρατες, ἀξιῶ ὑμᾶς συγχωρεῖν, καὶ ἀλλήλοις περὶ τῶν λόγων ἀμφισβητεῖν μὲν, ἐρίζειν δὲ μή; ex quo apparet ἀμφισβητεῖν controverſari eſſe; quod verbum apud Ciceronem eſt ſingulare.

Quæ igitur poteſt (11) *eſſe indignitas voluptatis ad moleſtiam, niſi in magnitudine, aut longitudine alterius utrius poſita?* (m)

Confirmandi genera compluria. (n)

(11) Plato: Καὶ τίς ἄλλη ἀναξία ἡδονῆς πρὸς λύπην ἐστὶν, ἀλλ' ὑπερβολὴ ἀλλήλων, καὶ ἔλλειψις. His autem verbis Cicero ὑπερβολὴν καὶ ἔλλειψιν vertit magnitudinem, & longitudinem, neſcio an durius, quàm ut ab ejuſmodi ſcriptore poſſis expectare.

Ex primo libro de Republica. (12)

(12) Marcus Cicero cum in patriam revocatus, unde injuſte lege Clodia fuerat pulſus, non magis ſe ſibi, quàm reipublicæ, in qua tum dignitate, atque auctoritate florebat, reſtitutum exiſtimaret, animum ad præcepta de republica danda, Platonis potiſſimum, quem unum ab ineunte ætate fuerat imitatus, exemplo convertit; itaque ſex libros ſcripſit hos, quibus nihil eruditius, nihil ornatius eſſe potuit, in quibus optimam rempublicam ſive optimum civitatis ſtatum, quàm copioſiſſime, atque ingenioſiſſime potuit, informavit; cum autem rempublicam rem populi eſſe conſtituiſſet, cum bene, ac juſte regitur ſive ab uno rege

(c) Columella lib. 2. cap. 1.
(d) Nonius.
(e) Gell. lib. 15. cap. 5.
(f) Macrob lib. 3.
(g) Donat. in Ter. Phor. act. 2.

(b) Cariſ. lib. 1.
(i) Serv. 2. Georg.
(k) Donat. in Ter.
(l) Priſc. lib. 8.
(m) Priſc. lib. 6.
(n) Donat. in Ter.

rege, ſive à paucis optimatibus, ſive ab univerſo populo; tum vero optimam eſſe rempublicam, quæ ex his tribus generibus, regio, optimatum, & populari, modice eſſet confuſa, concluſit. Hoc autem ipſe non in his ſolum libris, ſed etiam in ſecundo de divinatione ſcriptum reliquit, his verbis: Atque his libris annumerandi ſunt ſex de republica, quos tunc ſcripſimus, cum gubernacula reipublicæ tenebamus; magnus locus, philoſophiæque proprius, à Platone, Ariſtotele, Theophraſto, totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime; & in primo de legibus. Etenim cum eo ita loquitur Atticus: Atqui, ſi quæris, quoniam à te ſcriptum eſt de optimo civitatis ſtatu, conſequens eſſe videtur, ut ſcribas tu idem de legibus. Optimam vero ille rempublicam veterem Romanam fuiſſe judicavit, eam fere, quam Scipio Africanus Æmilianus, quem in his libris loquentem fecit, adminiſtravit; unde in primo de legibus ita ſcriptum reliquit: An cenſes, cum in iis libris de republica perſuadere videatur Africanus, omnium rerumpublicarum noſtram veterem fuiſſe optimam, non neceſſe eſſe optimæ reipublicæ dare leges conſentaneas? & in quarta Tuſculana: Nec vero locus eſt, ut de moribus, inſtitutiſque majorum, & diſciplina, & temperatione civitatis loquamur; aliis hæc locis ſatis accurate à nobis dicta ſunt, maximeque in iis ſex libris, quos de republica conſcripſimus. Hoc autem videtur ille accepiſſe à Polybio, optimo in primis rerum Romanarum auctore; qui libro VI. hiſtoriarum, cum de generibus rerumpublicarum, & de optima civitatis forma diſſeruiſſet, Romanæ reipublicæ ſtatum optimum eſſe eo argumento conſtituit, quòd ex tribus rectis generibus reipublicæ temperata eſſet, regio, optimatum, & populari; nam conſules regiæ, ſenatum optimatum, populum popularis poteſtatis ſpeciem retuliſſe. Hæc autem reſpublica, ſi optima fuit, certe non fuit admodum diuturna; præſertim vero cum tantum inter ſecundum, & tertium Punicum bellum uſque ad Ti. Gracchi tribunatum, Salluſtio auctore, quod proditum eſt à D. Auguſtino in libris de civitate Dei, floruerit. Unde etiam ipſe in Lucullo dixit: Exortus eſt tanquam in optima republica Ti. Gracchus, qui otium perturbaret. Hoc autem iis verbis voluiſſe videtur Salluſtius, temperationem in republica Romana neque ante Punica bella, neque poſtea ullam fuiſſe; quòd primum, dominantibus optimatibus, plebis opes exiguæ fuerint; poſt autem legibus agrariis, frumentariis, ac judiciariis per Gracchos, & reliquos plebis patronos, ad plebis commoda latis, optimatum potentia imminuta, plebis amplificata ſit; quouſque Marius, ac Sylla, & poſtremo Cæſar, ac Pompejus, cum alteri plebis, alteri optimatum ſe defenſores profeſſi, de jure utriuſque factionis inter ſe contendere armis cœpiſſent, rem publicam ipſam, jampridem per ſe labantem, funditus everterunt; ſed de hac re alio loco pluribus. Cum igitur de optima Romanorum republica Cicero vellet diſſerere, quæ cum Scipione Africano extincta eſt, propterea Scipionem ipſum, tum civitatis ſine ulla controverſia & conſilio, & rerum geſtarum magnitudine principem, & qui cum eo vixerunt, loquentes fecit, M'. Manilium, C. Lælium Sapientem, P. Furium Philum, viros conſulares, atque homines ſumma dignitate præditos, & in reipublicæ rebus

A maximis verſatos, præterea vero adoleſcentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, & Q. Scævolam. Id quod ipſe docet libro epiſtolarum ad Atticum quarto, cum ait: Diſputationem, quam ego inſtitui de republica in Africani perſonam, in Phili, & Lælii, & Manilii contuli; adjunxi adoleſcentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duos Lælii generos, Scævolam, & Fannium. Et in epiſtolarum ad Quintum fratrem libro tertio: Quod quæris, quid de illis libris egerim, quos, cum eſſem in Cumano, ſcribere inſtitui, non ceſſavi, neque ceſſo: ſed ſæpe jam ſcribendi totum conſilium, rationemque mutavi; nam, jam duobus factis libris, in quibus novendialibus iis feriis, quæ B fuerunt Tuditano, & Aquillio conſulibus, ſermo eſt à me inſtitutus Africani, paulo ante mortem, & Lælii, Phili, Manilii, Q. Tuberonis, & Lælii generorum, Fannii, & Scævolæ; ſermo autem in novem & dies, & libros diſtributus de optimo ſtatu civitatis, & de optimo cive. Et in dialogo de amicitia, in quo ita Lælius loquitur: Quod idem Scipioni videbatur, qui idem quaſi præſagiret, perpaucis ante mortem diebus, cum & Philus, & Manilius adeſſent, & alii plures, tuque etiam Scævola me conveniſſes, diſſeruit triduum de republica cujus diſputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum, quæ ſe in quiete per viſum ex Africano audiſſe C narrabat. Ex quibus locis patet, Ciceronem, quam diſputationem in novem primum & dies, & libros contulerat, eandem poſt in tres dies, & ſex libros redegiſſe; nam Scipionis ſomnium ſexti libri extremi fuit, quod & ipſemet, & veteres quoque grammatici teſtantur, &, quod caput eſt, ipſe in tertio de legibus ait, ſe, quid de optima republica ſentiret, in ſex libris ante dixiſſe. Cur autem antiquiores homines de republica loquentes induxerit, ſe vero ipſum ab eo ſermone removerit, rationem Quincto fratri in ea, de qua dixi, epiſtola reddit: Sane texebatur, inquit, opus luculenter, hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat. Hi libri D cum in Tuſculano mihi legerentur, audiente Salluſtio, admonitus ſum ab illo, multo majore auctoritate illis de rebus dici poſſe, ſi ipſe loquerer de republica præſertim cum eſſem non Heraclides Ponticus, ſed conſularis, & is, qui in maximis verſatus in republica rebus eſſem, quæ tam antiquis hominibus attribueram, ea viſum iri ficta eſſe: oratorum ſermonem in illis noſtris libris, quòd eſſet de ratione dicendi, belle à me removiſſe, ad eos tamen retuliſſe, quos ipſe vidiſſem: Ariſtotelem denique, quæ de republica & præſtante viro ſcribat, ipſum loqui; commovit me, & eo magis, quòd maximos motus noſtræ civitatis attingere non poteram, quòd erant inferiores, E quam illorum ætas, qui loquebantur; ego autem id ipſum tum eram ſecutus, ne, in noſtra tempora incurrens, offenderem quempiam; nunc & id vitabo, & loquar ipſe tecum, & tamen illa, quæ inſtitueram, ad te, ſi Romam venero, mittam. Hæc ille. Nihil tamen ex eo mutaſſe, ſatis conſtat; nam & à Scipione, & in hortis Scipionis rem actam, iis, quos paulo ante nominavi, præſentibus, perſpicuum eſt, uno tantum de ſermone remoto C. Fannio: quod à Scævola ſignificatur in dialogo de amicitia. Tum magis, inquit, id diceres Fanni, ſi nuper in hortis Scipionis, cum de republica diſputatum eſt, affuiſſes.

At-

Atque hactenus quidem in univerſum de horum librorum argumento ſit dictum; nunc ſingulorum ſententiam diligentius exquiramus.

In primum librum de Republica.

QUanquam intelligo, difficile eſſe, ex tam minutis hujus libri fragmentis certum ullum ejus argumentum elicere: conabor tamen, conjecturis paulo firmioribus inſiſtens, quàm veriſſimam potero, ejus ſententiam indagare; ſic igitur ſentio, Ciceronem in hoc libro, quoniam de republica erat acturus, quæ civitatis eſſe conſtitutio definitur, primum de civitate propoſuiſſe; deinde vero, quoniam civitas urbe contineretur, quid urbs eſſet, & quid civitas, oſtendiſſe: cumque ex civibus conſtet civitas, civem, & civem eum, quem potiſſimum in his libris informat, optimum, ſive optimatem circumſcripſiſſe: eundemque doctrina, artibus, ſtudio, ac patriæ caritate inſtitui; præterea diuturnam civitatis potentiam concordia retineri, concordiam conſilio, & diſciplina conſervari docuiſſe: & quoniam recto conſilio nihil eſt inimicus, quàm iracundia, & libido, poſtremo, ut illæ frænandæ eſſent, etiam ſubjeciſſe. Cur autem ita ſentiam, deinceps ſingulis fragmentis conſiderandis exponam.

Nuntiatum eſt (13) *venire Lælium, domoque jam exiſſe.* (*o*)

(13) Hoc ad dialogi præparationem pertinet, qua docetur, unde interlocutorum quiſque, & qua de cauſſa convenerit, & ut de rebus illis diſſeruerit, aut audierit. Hoc autem fragmentum, ut multa poſt alia, ex Cornelii Frontonis grammatici veteris libro quodam, qui Elocutionum exempla inſcriptus eſt, mutuatus ſum; quem librum ex intimis Rainutii Farneſii, Cardinalis illuſtriſſimi, theſauris, domino ipſo concedente ſumptum ad me Roma juvenis ornatiſſimus, atque doctiſſimus Fulvius Urſinus, amicus meus, miſit; hic autem, cum præclara multa, eaque incognita Ciceronis ad antiqui latini ſermonis formulas demonſtrandas exempla contineat, adeo mihi ad hæc concinnanda fragmenta fuit commodus, ut, quidquid iis ornamenti hac nova editione acceſſerit, id omne humaniſſimi principis liberalitati, & ad bonarum litterarum ſtudia fovenda, & veterem earum laudem renovandam nati, acceptum referendum ſit.

Eum quoque ut ſalutavit, (14) *propter Tuberonem juſſit aſſidere.* (*p*)

(14) Et hæc ex præparatione dialogi ſumpta ſunt. Quod autem fecit in libris oratoriis, ut alios induxerit ſenes, qui diſputarent, Scævolam, Craſſum, & Antonium, alios adoleſcentes Cottam, & Sulpicium, quorum rogatu ſenes illi ad eam diſputationem adducerentur, idem etiam videtur feciſſe in libris his, ut ſupra oſtendi, politicis; ex adoleſcentibus autem unus fuit Q. Tubero, alter Q. Scævola, quem, ut opinor, Scipio propter Tuberonem juſſit aſſidere.

Quare, ſi placet, (15) *deduc orationem tuam de cœlo ad hæc citima.*

(*o*) Fronto. (*p*) Nonius.

(15) Videtur conſentaneum eſſe, Scipionem, cum de civitate eſſet diſputaturus, altius ſermonem repetiiſſe, id eſt à Deo, cujus numine, ac conſilio humana omnia gubernantur, ut inde aut homines etiam Deorum providentia inter ſe ſociatos eſſe concluderet, aut, quod fecit in primo de Legibus, homines, & deos eidem legi obedientes, & ejuſdem quaſi civitatis eſſe oſtenderet. Quare rogatur nunc Scipio, ut à rebus cœleſtibus ad humanas, quæ nobis propiores ſunt, orationem deducat.

Expoſitamque ad exemplum noſtræ reipublicæ (16) *accommodabo ad eam, ſi potero, omnem illam orationem, quæ eſt mihi habenda de optimo civitatis ſtatu.*

(16) Conſilium ſuum patefacit Scipio, quod in hac diſputatione ſequetur; ſe enim omnem doctrinam, quam in univerſum de optima republica traditurus eſt, ad Romanam rempublicam accommodaturum profitetur; & hic autem locus à Frontone citatur, non ſolum à Nonio.

Quam cum locis, (17) *manuque ſepſiſſent, ejuſmodi conjunctionem tectorum oppidum, vel urbem appellarunt, delubris diſtinctam, ſpatiis communibus; omnis ergo populus, qui eſt talis cœtus multitudinis, qualem expoſui, civitas eſt: omnis civitas, quæ eſt conſtitutio populi, reſpublica.*

Ut ad eam urbem, quam incolas, poſſis adnare. (*q*)

(17) His verbis docuit Scipio, quid inter urbem intereſſet, & civitatem, auctore Nonio, atque urbem ædificia eſſe, civitatem civium multitudinem ſtatuit. Ariſtoteles quidem etiam libro tertio Politicorum, civitatem ſcribit non ex mœnibus æſtimandam; atque omnino definit τὴν πόλιν πλῆθος τῶν πολιτῶν, τὴν πολιτείαν τάξιν τῆς πόλεως; quò ſpectaſſe, cum hæc dixit, etiam Cicero videtur. Addam illud etiam, putare me, Scipionem de ſitu urbis in hoc libro egiſſe, quoniam in hoc libro de urbe diſputavit. Etenim Servius exponens illum verſum poëtæ:

Fluminaque antiquos ſubter labentia muros,

id etiam à Cicerone in libris de republica laudatum ſcribit; quo illa quoque referenda videntur: Ut ad eam urbem, quam incolas, poſſis adnare. Ariſtoteles autem ne hoc quidem in ſuis de republica præceptionibus prætermiſit.

Cognoſcere mehercule, inquit, (18) *conſuetudinem iſtam, & ſtudium, ſermonemque.* (*r*)

(18) Verba videntur alicujus eorum, qui Scipionem audiebant, qui ſe cupere ait, veterem cognoſcere conſuetudinem iſtam reipublicæ Romanæ, de qua ille ſe dicturum eſſe oſtenderat.

Tum inſtituti annui conſules, (19) *tum demiſſi populo faſces.*

Pri-

(*q*) Fronto. (*r*) Nonius.

(19) Primum admoneo, videri hoc in loco deeſſe vocem, inſtituti; ut ſit: tum inſtituti annui conſules, tum dimiſſi populo faſces; deinde addo, videri mihi legendum eſſe demiſſi, non dimiſſi; eſt enim demittere ſummittere; loquitur autem de liberata regio dominatu republica cum pro uno perpetuo rege conſules duo, & quidem annui creari, & populo faſces à P. Valerio Poplicola primum conſule ſummitti, ad populi libertatem ſtabiliendam, cœpti. Livius lib. II.: Conſul vocato ad concilium populo, ſummiſſis faſcibus in concionem aſcendit; gratum id multitudini ſpectaculum fuit; ſummiſſa ſibi eſſe imperii inſignia, confeſſionemque factam, populi, quàm conſulis majeſtatem, vimque majorem eſſe. Credo autem Scipionem, cum, quemadmodum optimus Romæ reipublicæ ſtatus eſſet conſtitutus, docere vellet, à primordio urbis nobiliſſimum quodque inſtitutum, quo ejuſmodi imperii temperatio in rempublicam Romanam ſit invecta, repetiſſe. Siquidem ipſe in Tuſculanis Cicero ſe majorum inſtituta in his libris, moreſque eſſe perſecutum tradit. Accedit etiam quod Seneca libro XIX. epiſtolarum ait, in libris de republica Ciceronem, quem in hiſtoriis dictatorem dici legimus, magiſtrum populi appellare; unde qui ab eo nominatur, magiſter equitum. Quod idem tamen fecit quoque in epiſtola ad Gallum: Sed heus tu, inquit, manum de tabula; magiſter adeſt citius, quàm putabamus; magiſtrum autem intelligit Cæſarem dictatorem.

Horum ſeveritatem dicitur inhorruiſſe primum civitas. (20)

(20) Pergit inde Scipio longius, id eſt ad decemviros, ut opinor, conſulares, quorum nimia ſeveritate civitatem primo aſpectu perculſam inquit fuiſſe. Etenim ſine provocatione creati, conſulari imperio, & tribunicia poteſtate ſublata, cum centum lictoribus ſecures novo exemplo cum faſcibus alligatas ferentibus, cum in forum prodiiſſent, ac collegarum interceſſionem ſuſtuliſſent, terrore, ac formidine omnia compleverunt; auctor lib. II. Livius, & Dionyſius.

Cn. Flavius faſtos protulit. (21)

(21) De Cn. Flavio faſtos proferente locutum eſſe in libris de republica Scipionem, Cicero in epiſtolis ad Atticum miſſis affirmat ille quidem, ſed tamen librum occultat. Mihi vero maxime probatur, cum Scipio hoc libro de veteribus Romanæ reipublicæ inſtitutis agere inſtituiſſet, eum ne de Flavio quidem faſtos publicante reticuiſſe; ſic autem ille de hac reſcribit lib. VI.: Sex libros de republica tibi tam valde probari gaudeo, è quibus unum ἱστορικὸν requiris de Cn. Flavio C. F. Ille vero ante decemviros non fuit; quippe qui ædilis curulis non fuerit, qui magiſtratus multis annis poſt decemviros inſtitutus eſt; quid ergo profecit, quòd protulit faſtos? occultatam putant quodam tempore iſtam tabulam, ut dies agendi peterentur à paucis; nec vero pauci ſunt auctores, Cn. Flavium ſcribam faſtos protuliſſe, actioneſque compoſuiſſe; ne me hoc, vel potius Africanum, (is enim loquitur) commentum putes; & poſt: Nam illud de

A Flavio, & faſtis, ſi ſecus eſt, commune erratum eſt. Ad ſummum, Scipionem vetera omnia reipublicæ inſtituta perſecutum eſſe exiſtimo, quòd apud Platonem legiſſet: τὰ ἀγρονομικὰ νόμιμα διεμὸς δεῖν πάσης τῆς πολιτείας; nam leges ſcriptas Cicero in libris de legibus attigit.

Ipſa cognitio (22) *nos delectavit.* (ſ)

(22) Videntur verba alicujus eorum, qui Scipionem Romana inſtituta perſecutum laudet, ſeque ea cognitione delectatum dicat.

Quo modo enim judicatur iſte optimas? (23) *doctrina, artibus, ſtudiis; audio:*
B *quando?* (t)

(23) In vulgatis Nonii libris, unde hoc ſumptum eſt, legitur, optimus; at ego legendum exiſtimo, optimas, ut etiam in Sextiana, Paulli Manutii commentario non erudite minus, quàm eloquenter, explicata: Qui ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur; quis eſt ergo optimas iſte? Expoſitis autem memorabilibus omnibus reipublicæ Romanæ inſtitutis, credo tandem Scipionem, ut æquatis plebis, & patriciorum opibus reſpublica conſtituta, ac temperata ſit, docuiſſe: tum vero civem ejus etiam reipublicæ, quem vere optimatem,
C quòd optimam tractet rempublicam poſſumus appellare, quodam modo depinxiſſe, atque eum à populari ſeparaſſe; ex qua deſcriptione hæc ſunt, ut opinor, quibus ait optimatem ex doctrina, artibus, & ſtudiis judicari. Præclare; ſcribit enim etiam Ariſtoteles ἀριστοκρατικὸν eſſe illum, cui propoſita ſit legum, & veteris diſciplinæ tutela.

Quæ videlicet ille non ex agri conſitura, (24) *quam cernebat, ſed ex doctrinæ indiciis interpretabatur.*

(24) Neſcio, an de Lyſandro loquatur, hortos Cyri regis manu conſitos admirante;
D quem ſic Xenophon in Oeconomico fecit loquentem: πάνυ μὲν θαυμάζω ἐπὶ τῷ κάλλει· πολὺ δὲ μᾶλλον ἄγαμαι τοῦ καταμετρήσαντός σοι, καὶ διατάξαντος ἕκαστα τούτων; quæ ita expreſſit in Catone Cicero: Mirari ſe non modo diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, à quo eſſent illa dimenſa, atque deſcripta. Quorſum autem hæc ſpectent, ne divinari quidem licet; fortaſſe autem de ſtudio patrio, atque avito agri colendi, quem optimati etiam convenire cenſebat, Scipio dicere erat aggreſſus; nam Cicero quidem in Sextiana inter optimates libertinos etiam, & ruſticos municipales retulit.

Sed quoniam plurima beneficia (25)
E *continet patria, & eſt antiquior parens, quàm ſi quis, ut ajunt, creaverit: major ei profecto, quàm parenti, debetur gratia.*

(25) Docet, quantum ſuæ quiſque patriæ debeat; & ut optimus civis ſe erga eam gerere debeat. Idem autem prope Plato in V. de Legibus: πατρίδος δὲ ὅσης τῆς χώρας θεραπεύειν αὐτὴν δεῖ μειζόνως, ἢ μητέρα παῖδας; neque vero ſolum in Legibus, ſed multo etiam illuſtrius in Critone, ubi ſcriptum eſt: ἢ ὅτως εἶ σοφὸς, ὥστε

(ſ) Fronio.

(t) Nonius.

λέληθέ σε, ὅτι μητρός τε, καὶ πατρὸς, καὶ τῶν ἄλλων προγόνων ἁπάντων τιμιώτερον ἐστὶν πατρὶς, καὶ σεμνότερον, καὶ ἁγιώτερον, καὶ ἐν μείζονι μοίρᾳ, καὶ παρὰ θεοῖς, καὶ παρὰ ἀνθρώποις τοῖς νοῦν ἔχουσι. καὶ σέβεσθαι δεῖ, καὶ μᾶλλον ὑπείκειν, καὶ θωπεύειν πατρίδα χαλεπαίνουσαν, ἢ πατέρα, καὶ ἢ πείθειν, ἢ ποιεῖν ἃ ἂν κελεύῃ, καὶ πάσχειν, ἐάν τι προστάττῃ παθεῖν, ἡσυχίαν ἄγοντα, ἐάντε τύπτεσθαι, ἐάντε δεῖσθαι, ἐάντε εἰς πόλεμον ἄγῃ τρωθησόμενον, ἢ ἀποθανούμενον, ποιητέα ταῦτα. καὶ τὸ δίκαιον οὕτως ἔχει. καὶ οὐχ ὑπεικτέον οὐδ' ἀναχωρητέον, οὐδὲ λειπτέον τὴν τάξιν, ἀλλὰ καὶ ἐν πολέμῳ, καὶ ἐν δικαστηρίῳ, καὶ πανταχοῦ ποιητέον, ὃ ἂν κελεύοι ἡ πόλις, καὶ ἡ πατρίς, ἢ πείθειν αὐτὴν, ὃ τὸ δίκαιον πέφυκε. βιάζεσθαι οὐχ ὅσιον οὔτε μητέρα, οὔτε πατέρα, πολὺ δὲ τούτων ἔτι ἧττον τὴν πατρίδα. Quem locum æquales duo, viri ſumma ingenii, & judicii laude excellentes ſunt æmulati, Cicero, ac Salluſtius. Cicero quidem in epiſtola illa nobili ad P. Lentulum, hoc modo: Itaque tota jam ſapientum civium, qualem me & eſſe, & numerari volo, & ſententia, & voluntas mutata eſſe debet; id enim jubet idem ille Plato: Tantum contendere in republica quantum probare tuis civibus poſſis, vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere. Salluſtius vero in procemio Jugurthini ita: Nam vi quidem regere patriam, aut parentes, quanquam & poſſis, & delicta corrigas, tamen importunum eſt.

Sed ut primas, (26) & maximas noſtri animi, ingenii, conſilii prima ipſa ſibi ad utilitatem pignoraretur.

(26) Loquitur item, ut opinor, de patria.

Facillimam autem in ea republica eſſe poſſe concordiam, (27) in qua idem conducat omnibus.

Habent æquabilitatem quandam, qua carere diutius non poſſunt liberi, deinde firmitudinem.

(27) Concordiam ex æquabilitate oriri ſignificat; ut enim ſeditio excitatur, auctore in Politicis Ariſtotele, cum civium alii ſe deteriore, quàm alios, premi conditione, neque æqualem habere reipublicæ partem exiſtimant: ſic concordiam, quæ temperatione civitatis maxime continetur, civium ipſorum æquabilitas tuetur; qua de re in his, & in proximis verbis agitur: unde etiam dixit Plato in IX. de legibus: τὸ κοινὸν ξυνδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον διασπᾷ τὰς πόλεις.

Nec tantum Carthago (28) habuiſſet opum ſexcentos fere annos ſine conſiliis, & diſciplina.

(28) Exemplo Carthaginienſium docet, neceſſaria eſſe ad imperii magnitudinem, & diuturnitatem conſilia, & diſciplinam. Ceterum Vell. lib. I. ait: Carthago diruta eſt, cum ſtetiſſet annos CCCCLXVII.

Quid? tum cum es iratus, (29) permittis illi iracundiæ dominatum animi tui?

Ergo *non probares conſilio pulſo libidines, quæ ſunt innumerabiles, iracundias,* A *quæ tenerent omnia; ego nihil iſto animo, nihil ita animato homine miſerius ducerem.*

(29) Poſtremo Scipio de frænanda ira inimica conſilio, & libidine coërcenda, qua mens impeditur in deliberando, agit. Atque ita hæc duo fragmenta hujus diſputationis partem attingunt.

Denique ipſa natura (30) non invitaret ſolum, ſed etiam cogeret.

Sed ut ille, qui navigat, cum ſubito mare cœpit horreſcere.

Populo gratificans, & aliena, & B *ſua. (u)*

Nec vero jam meo nomine abſtinet.

(30) Fortaſſe etiam de cupiditatibus hoc dictum eſt; apud Nonium autem cum legeretur: Cicero de republica: Idemque ipſa natura; repoſui: Cicero de republica I. Denique ipſa natura.

Ex ſecundo libro de Republica. (31)

(31) In ſecundo libro, quantum ego judicare poſſum, Scipio ſermonem, quem priore libro de coërcendis animorum cupiditatibus orſus erat, aut retexuit, aut continuavit, C aut certe uberius explicuit. Cive autem, quem ipſe quærebat, inſtituto, iterum ad civitatis quæſtionem deſcendit; & quoniam civitatis conſtitutio nihil eſt aliud, quàm reſpublica; reipublicæ etiam definitionem, ac diviſionem breviſſimam attulit, cum rempublicam, rem populi eſſe diceret, bonam quidem, cum juſte regeretur vel ab uno, vel à paucis, vel à multis; vitioſam autem, cum injuſte; optimam vero, cum ex tribus rectis conſtaret; atque hæc quidem pluribus, ut video, verbis diſſeruit, adeo ut maximam hujus libri partem in eo ſermone conſumpſerit. Docet autem hoc D. Auguſtinus, cum in libro de Civitate Dei XII. cap. XXI., quid in extremo ſecundo libro D Scipio diſputarit, his verbis exponit: Inducit Cicero Scipionem eum ipſum, qui Carthaginem extinxerat, de republica diſputantem, quando præſentiebatur ea corruptione, quam deſcribit Salluſtius, jam jamque peritura; eo quippe tempore diſputabatur, quo jam unus Gracchorum occiſus fuit; è quo ſcribit ſeditiones graves cœpiſſe Salluſtius; nam mortis ejus fit in eiſdem libris commemoratio. Cum autem Scipio in ſecundi libri fine dixiſſet, ut in fidibus, ac nervis, atque cantu ipſo, ac vocibus concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, & congruens, ſic ex ſummis, & mediis, & infimis interjectis ordinibus, ut ſonis, moderata ratione civitatem conſenſu diſſimillimorum con- E cinere; & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in civitate concordiam, arctiſſimum, atque optimum vinculum incolumitatis, eamque ſine juſtitia nullo pacto eſſe poſſe; ac deinde cum aliquanto latius, atque uberius diſſeruiſſet, quantum prodeſſet juſtitia civitati, quantumque obeſſet, ſi abfuiſſet, ſuſcepit deinde Philus, unus eorum, qui in diſputatione aderant, & popoſcit, ut hæc ipſa quæſtio diligentius tractaretur, ac de juſtitia plura dicerentur, propter illud, quod jam vulgo ferebatur,

(u) Fronto.

batur, rempublicam regi ſine injuria non poſſe. Hanc proinde quæſtionem diſcutiendam, & enodandam eſſe aſſenſus eſt Scipio, reſponditque nihil eſſe, quod adhuc de republica putaret dictum, niſi eſſet confirmatum, non modo falſum eſſe illud, ſine injuria non poſſe, ſed veriſſimum eſſe, ſine ſumma juſtitia rempublicam regi non poſſe. Cujus quæſtionis explicatio cum in diem ſequentem dilata eſſet, in tertio libro magna conflictione acta res eſt. Hæc ille. Ex quibus apparet, Scipionem, poſtea quàm optimam rempublicam breviter circumſcripſit, de concordia ſermonem iterum intuliſſe, eamque æquabilitate cuſtodiri, allata concentuum ſimilitudine, docuiſſe; extremo autem de juſtitia, ſine qua æquabilitas, atque concordia eſſe non poſſet, dubitante maxime de ea re Philo diſſeruiſſe.

Eſt igitur quoddam turbulentum (32) *in hominibus ſingulis, quod vel exultat voluptate, vel moleſtia frangitur.* (*x*)

(32) Latius in hoc libro, ut dixi, de perturbationibus animorum diſputatum eſſe, quàm priore extremo factum fuerat, puto; quare eò ſine dubio referendum hoc eſt, quod profert Nonius ex lib. Ciceronis de republica; quanquam enim libri numerus apud eum interiit, tamen è ſecundo fuiſſe, ipſius argumenti ſimilitudo mihi perſuadet. Significat autem, duobus quaſi morbis homines conflictari, voluptate, & moleſtia; ſic enim apud Nonium lego, non, ut vulgo, modeſtia, vexatur enim æque animus voluptate, ac dolore, quamvis illa exultet, hac frangatur. Quare Plato in tertio de republica dixit: ἡ ἡδονὴ οὐχ᾽ ἧττον, ἢ λύπη, ἔκφρονα ποιεῖ; his autem verbis Cicero expreſſit lætitiam, & ægritudinem, quarum alteram ex Stoicorum ſententia oriri dixit in quarta Tuſculana, ex opinione præſentium bonorum, alteram ex opinione præſentium malorum.

Cupido autem, & expetenti, (33) *& lubidinoſo, & volutabundo in voluptatibus.*

(33) Libidinem his verbis, quam Græci ἐπιθυμίαν vocant, expreſſit, quam ipſe in Tuſculana quarta cum lætitia copulavit: Quæ vero, inquit, adverſa ratione incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrænata, quæ in omnibus ſtultis invenitur.

Quartaque anxitudo (34) *prona ad luctum, & mœrens, ſemperque ipſa ſe ſollicitans.*

(34) Anxitudinem quartam ægritudinis ſpeciem videtur intelligere, quam in Tuſculana quarta vocavit Angorem, eamque definivit, ægritudinem prementem: in quo illud Stoicorum vertit, de quo Laërtius in Zenone: ἄχθος ἐςὶ λύπη βαρύνουσα.

Eſſe autem angores, (35) *ſi miſeria afflictas, atque abjectas timiditate, & ignavia.*

(35) Et hoc ad anxitudinis explicationem videtur referendum.

(*x*) Nonius.

A *Ut auriga indoctus è curru trahitur,* (36) *operitur, eliditur, laniatur.*

(36) Neſcio an hæc ſimilitudo eò adhibita ſit, ut rationem, quæ eſt inter appetitum, & animum, demonſtraret, atque animum ſenſibus obedientem cum rudi, atque indocto auriga, qui ſe trahi ab equis patiatur, compararit. Quod ſi ita eſt, Platonem certe ſecutus eſt, qui in Phædro de duobus equis, bono & malo, & eorum auriga ratione diſſeruit.

Quo auctore, & principe vocitatur civitas. (37)

B (37) Hæc verba ejus partis ſunt, in qua ſermonem renovavit de civitate, id quod etiam priore libro tetigerat. Intercidit autem reipublicæ definitio, quam hoc loco breviter attulit, auctore, ut poſt oſtendam, Auguſtino.

Statue eſſe optime conſtitutam rempublicam, (38) *quæ ex tribus generibus illis, regali, optimo, & populari confuſa modice.*

(38) Verba, quibus Scipio concludit, quæ ſit optime conſtituta reſpublica; hanc autem fuiſſe multorum opinionem, ut optima eſſet, quæ ex omnibus eſſet miſta, tradidit
C etiam in II. Politicorum Ariſtoteles: ἔνιοι μὲν οὖν λέγουσιν, ὡς δεῖ τὴν ἀρίστην πολιτείαν ἐξ ἁπασῶν εἶναι τῶν πολιτειῶν μεμιγμένην.

Ut in fidibus, ac tibiis, (39) *atque cantu ipſo, ac vocibus concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum, ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt; iſque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, & congruens: ſic ex ſummis & mediis, & infimis interjectis ordinibus, ut ſonis, moderata ratione civitas, conſenſu*
D *diſſimillimorum concinit, & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, ea eſt in civitate concordia, arctiſſimum, atque optimum omni in republica vinculum incolumitatis, quæ ſine juſtitia nullo pacto eſſe poteſt.* (*y*)

(39) Similitudo, qua, ut docet Auguſtinus, Scipio civitatis temperationem confirmavit; quam mihi videtur de quarto Platonis de republica libro expreſſiſſe; in eo enim ita eſt: ὁρᾷς οὖν, ἦν δ᾽ ἐγώ, ὅτι ἐπιεικῶς ἐμαντευόμεθα ἄρτι, ὡς ἁρμονίᾳ τινὶ ἡ σωφροσύνη ὡμοίωται; τί δή; ὅτι οὐχ ὥσπερ ἡ ἀνδρεία, καὶ ἡ σοφία ἐν μέρει τινὶ ἑκατέρα ἐνοῦσα ἡ
E μὲν σοφήν, ἡ δὲ ἀνδρείαν τὴν πόλιν παρειχέτην, οὐχ οὕτω ποιεῖ αὕτη, ἀλλὰ δι᾽ ὅλης ἀτεχνῶς τέταται διὰ πασῶν παρεχομένη ξυνᾴδοντας τούς τε ἀσθενεστάτους ταὐτόν, καὶ τοὺς ἰσχυροτάτους, καὶ τοὺς μέσους, εἰ μὲν βούλει, φρονήσει, εἰ δὲ βούλει, ἰσχύϊ, εἰ δὲ πλήθει, ἢ χρήμασιν, ἢ ἄλλῳ ὁτῳοῦν τῶν τοιούτων. ὥστε ὀρθότατ᾽ ἂν φαῖμεν ταύτην τὴν ὁμόνοιαν σωφροσύνην εἶναι, χείρονός τε καὶ ἀμείνονος κατὰ φύσιν ξυμφωνίαν, ὁπότερον δεῖ ἄρχειν, καὶ ἐν πόλει, καὶ ἐν ἑνὶ ἑκάστῳ. De hac autem temperatione reipublicæ, ſic agit in tertio de Legibus: Hæc eſt, quam Scipio laudat in libris, & quam maxime probat,

(*y*) Auguſt. de Civit. lib. II. cap. 21.

bat, temperatio reipublicæ, quæ effici non poſſet, niſi tali deſcriptione magiſtratuum. A

Juſtitia foras ſpectat, (40) & projecta tota eſt, atque eminet. (z)

(40) Hoc è diſputatione Scipionis de juſtitia ſumptum eſt. Eſt autem ea juſtitiæ vis, ut omnino aliena commoda intueatur, ſua contemnat; unde ſcripſit Euripides:

ὁ μὲν δίκαιος τοῖς πέλας πέφυκ' ἀνήρ·

& Cicero in Partitionibus: In commune quæ poſita pars eſt, Juſtitia dicitur.

Quæ virtus (41) præter ceteras totam B
ſe ad alienas utilitates porrigit, atque explicat.

(41) Item in juſtitiæ laudem hoc dictum.

Quæ ſanguine alitur, (42) atque in omni crudelitate ſic exultat, ut vix hominum acerbis funeribus ſatietur.

(42) Injuſtitiam his verbis videtur inſectari, qua armata tetrius nihil eſſe poſſe ſcripſit Ariſtoteles in primo Politicorum: χαλεπωτάτη γὰρ ἡ ἀδικία ἔχουσα ὅπλα; adeo vero Platoni etiam improbatur, ut eam in primo de Republica cum tyranno comparaverit, cum dixit: C
πάντων δὲ ῥᾷστα μαθήσῃ, ἐὰν ἐπὶ τὴν τελεωτάτην ἀδικίαν ἔλθῃς, ἣ τὸν μὲν ἀδικήσαντα εὐδαιμονέστατον ποιεῖ, τοὺς δ' ἀδικηθέντας, καὶ ἀδικῆσαι οὐκ ἂν ἐθέλοντας, ἀθλιωτάτους. ἔστι δὲ τοῦτο τυραννίς, ἣ οὐ κατὰ σμικρὸν τ' ἀλλότρια, καὶ λάθρᾳ, καὶ βίᾳ ἀφαιρεῖται, καὶ ἱερὰ, καὶ ὅσια, καὶ ἴδια, καὶ δημόσια, ἀλλὰ ξυλλήβδην.

Itaque præclara illa inſtitutio Romuli (43) cum ducentos annos & triginta fere firma manſiſſet.

(43) De juſtitia Romuli videtur dictum, quæ per omnes deinceps reges uſque ad Tarquinium Superbum, quem urbe, & regno D
propter injuſtitiam pepulerunt, permanavit.

Ac primus agros, quos bello Romulus (44) ceperat, diviſit viritim civibus.

(44) Numam Pompilium, qui ſecundus à Romulo regnavit, videtur ſignificare; qui agros, ut ait Dionyſius, à Romulo bello partos, nec cuiquam diviſos, viritim pauperibus diſtribuit; quod eſt incredibilis regis ejus juſtitiæ certiſſimum argumentum.

Cum aliud nihil (45) domum ſuam deportaviſſet. (a) E

(45) Exemplum juſtiſſimi imperatoris, ut Paulli Æmilii, qui prædæ nihil in domum ſuam intulerit.

Multaque è ditione ovium, & boum, (46) quòd tunc erat res in pecore, & in locorum poſſeſſionibus, ex quo pecunioſi, & locupletes vocabantur. (b)

(z) Nonius.
(a) Fronto.
(b) Iſidorus etiam lib. 10.

(46) Hoc quibus in rebus multa conſiſteret, oſtendit, nempe in ovium, & boum æſtimatione; quare non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duabus ovibus quemdam multare. Feſtus in voce Multa, & Ovibus. Gellius lib. XI. cap. I.

Non gravarer Læli, (47) niſi & hos velle putarem, & ipſe cuperem, te quoque aliquam partem hujus noſtri ſermonis attingere; præſertim cum heri ipſe dixeris, te nobis etiam ſuperfuturum; verum, ſi id quidem fieri non poteſt, ne deſis, omnes te rogamus. (c)

(47) Verba ſunt Scipionis, quibus longiorem à ſe hodierni diei diſputationem repellit, ſeque Lælium differentem, quemadmodum pridie pollicitus fuerat, velle audire ait.

Ut Carneadi reſpondeatis, (48) qui ſæpe optimas cauſſas ingenii calumnia ludificari ſolebat. (d)

Sed imitor Archytam Tarentinum, qui cum ad villam veniſſet, & omnia aliter offendiſſet.

Neque enim ad mare admovit, quod ei fuit facillimum. (e)

(48) Hæc ſunt verba Furii petentis, ut de juſtitia latius diſputetur, quo argumentis Carneadis, quæ ipſe contra juſtitiam allaturus eſt, reſpondeant, eaque, ſi poſſint, convellant. Carneadem autem ea dicendi, ac diſſerendi facultate inſtructum fuiſſe, inquit in II. de orat. Cicero, ut nullam unquam rem oppugnarit, quam non expugnarit.

In tertium librum de Republica.

ARgumentum hujus libri minime dubium eſt; ſiquidem D. Auguſtinus accurate illud eodem in loco aperuit, ubi deinceps in tertio libro magna contentione rem actam ſcribit; ſuſcepit enim, inquit, Philus ipſe defenſionem eorum, qui ſentirent, ſine injuſtitia regi non poſſe rempublicam; purgans ſe præcipue, ne hoc ipſe ſentire crederetur: egitque ſedulo pro injuſtitia contra juſtitiam, ut hanc eſſe utilem reipublicæ; illam vero inutilem veriſimilibus rationibus, & exemplis velut conaretur oſtendere. Tum Lælius, rogantibus omnibus, juſtitiam defendere aggreſſus, aſſeruit, quantum potuit, nihil tam inimicum, quàm injuſtitiam civitati, nec omnino niſi magna juſtitia geri, aut ſtare rempublicam poſſe. Qua quæſtione, quantum ſatis viſum eſt, pertractata, Scipio ad intermiſſa revertitur, recolitque ſuam, atque commendat brevem reipublicæ definitionem, qua dixerat, eam eſſe rem populi; populum autem non omnem cœtum multitudinis, ſed cœtum juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatum eſſe determinat. Docet deinde, quanta ſit in diſputando definitionis utilitas, atque ex illis ſuis definitionibus colligit, tunc eſſe rempublicam, id eſt rem populi, cum bene, ac juſte geritur, ſive ab uno rege, ſive à paucis optimatibus, ſive ab

(c) Gellius.
(d) Nonius.
(e) Fronto.

ab univerſo populo; cum vero injuſtus eſt rex, quem tyrannum more græco appellavit, aut injuſti optimates, quorum conſenſum dixit eſſe factionem, aut injuſtus ipſe populus, cui nomen uſitatum non repperit, niſi ut etiam ipſum tyrannum vocaret, non jam vitioſam, ſicut pridie fuerat diſputatum, ſed, ſicut ratio ex illis definitionibus connexa docuiſſet, omnino nullam eſſe rempublicam: quoniam non eſſet res populi, cum tyrannus eam factione capeſſeret; nec ipſe populus jam populus eſſet, ſi eſſet injuſtus, quoniam non eſſet multitudo juris conſenſu, & utilitatis communione ſociata, ſicut populus definitur. Idem poſt etiam lib. xix. cap. xxi. profitetur, ſe demonſtraturum ſecundum definitiones, quibus apud Ciceronem utitur Scipio in libris de Repub. nunquam rempublicam fuiſſe Romanam. Breviter enim ille, inquit, rempublicam definit eſſe rem populi; quæ definitio ſi vera eſt, nunquam fuit Romana reſpublica, quia nunquam fuit res populi, quam definitionem voluit eſſe reipublicæ; populum enim eſſe definivit, cœtum multitudinis juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatum; quid autem dicat juris conſenſum, diſputando explicat, per hoc oſtendens, geri ſine juſtitia non poſſe rempublicam. Ubi ergo juſtitia vera non eſt, nec jus poteſt eſſe; quod enim jure fit, profecto juſte fit; quod autem fit injuſte, nec jure fieri poteſt; non enim jura dicenda ſunt, vel putanda iniqua hominum conſtituta, cum illud etiam ipſi jus eſſe dicant, quod de injuſtitiæ fonte manaverit: falſumque eſſe, quod à quibuſdam non recte ſentientibus dici ſolet, id eſſe jus, quod ei, qui plus poteſt, utile eſt. Quocirca ubi non eſt vera juſtitia, juris conſenſu ſociatus cœtus hominum non poteſt eſſe, & ideo nec populus juxta illam Scipionis, vel Ciceronis definitionem; & paulo poſt: Et quoniam, cum prius ageretur pro juſtitiæ partibus contra juſtitiam, & diceretur, niſi per injuſtitiam rempublicam ſtare, atque augeri non poſſe, hoc veluti validiſſimum poſitum erat, injuſtum eſſe, ut homines hominibus dominantibus ſerviant, quam tamen injuſtitiam niſi ſequatur imperioſa civitas, cujus eſt magna reſpublica non eam poſſe provinciis imperare: reſponſum eſt à parte juſtitiæ, ideo juſtum eſſe, quòd talibus hominibus ſit utilis ſervitus, & pro utilitate eorum fieri, cum recte fit, id eſt cum improbis aufertur injuriarum licentia, & domiti ſe melius habebunt, quia indomiti deterius ſe habuerunt, &c. Hæc D. Auguſtinus. Diſputationem autem hanc Philus à Carneade philoſopho ſe accepiſſe profeſſus eſt, ut tradit Lactantius lib. v. cap. xv. cujus etiam verba non gravabor apponere, ut res ſit illuſtrior. Carneades, inquit, Academicæ ſectæ philoſophus, cujus in diſſerendo quæ vis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, qui neſcit, is ex prædicatione Ciceronis intelliget. Is cum legatus ab Athenienſibus Romam miſſus eſſet, diſputavit de juſtitia copioſe audiente Galba, & Catone cenſorio, maximis tunc oratoribus; ſed diſputationem ſuam poſtridie contraria diſputatione ſubvertit, & juſtitiam, quam pridie laudaverat, ſuſtulit. Eam diſputationem, qua juſtitia ſubvertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur; credo quoniam de republica diſſerebat, ut defenſionem, laudationemque ejus induceret, ſine qua non putabat regi poſſe rempublicam. Carneades autem, ut Ariſtotelem refelleret, ac Platonem, juſtitiæ patronos, prima illa diſputatione collegit ea omnia, quæ pro juſtitia dicebantur, ut poſſet illa, ſicut fecit, evertere. Hæc ibi Lactantius; at vero capite xvii. Carneadis ipſius etiam argumenta contra juſtitiam hæc ponit. Carneades, inquit, quoniam erant infirma quæ à philoſophis diſſerebantur, ſumpſit audaciam refellendi, quia refelli poſſe intellexit; ejus diſputationis ſumma hæc fuit. Jura ſibi homines pro utilitate ſanxiſſe, ſcilicet varia pro moribus, & apud eos pro temporibus ſæpe mutata: jus autem naturale eſſe nullum: omnes & homines, & animantes alias ad utilitates ſuas natura ducente ferri: proinde autem nullam eſſe juſtitiam, aut, ſi ſit aliqua, ſummam eſſe ſtultitiam, quoniam ſibi noceret alienis commodis conſulens; & inferebat hæc argumenta: omnibus populis, qui florerent imperio, & Romanis quoque ipſis, qui totius orbis potirentur dominio, ſi juſti velint eſſe, hoc eſt ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum, & in neceſſitate, ac miſeriis vivendum; tum omiſſis communibus ad propria veniebat. Bonus vir, inquit, ſi habeat ſervum fugitivum, vel domum inſalubrem, ac peſtilentem, quæ vitia ſolus ſciat, & ideo proſcribat, ut vendat, utrum ne profitebitur fugitivum ſervum, ac peſtilentem domum ſe vendere, an cælabit emptorem? ſi profitebitur emptori fugitivum eſſe, bonus quidem, quia non fallet, ſed tamen ſtultus judicabitur, quia vel parvo vendet, vel omnino non vendet; ſi cælaverit, erit quidem ſapiens, quia rei conſulet, ſed idem malus, quia fallet. Rurſus ſi reperiat aliquem, qui aurichalchum ſe putet vendere, cum ſit illud aurum, aut plumbum, cum ſit argentum, tacebit ne, ut id parvo emat, an id indicabit, ut magno? ſtultum plane videtur emere velle magno. Unde intelligi volebat, & eum, qui ſit juſtus, ac bonus, ſtultum eſſe, & eum, qui ſapiens, malum: & tamen ſine pernicie fieri poſſe, ut ſint homines paupertate contenti. Tranſibat ergo ad majora, in quibus nemo poteſt ſine periculo vitæ juſtus eſſe. Dicebat enim: nempe juſtitia eſt, hominem non occidere, alienum prorſus non attingere. Quid ergo juſtus faciet, ſi forte naufragium fecerit, & aliquis imbecillior viribus tabulam exceperit, non ne illum à tabula deturbabit, ut ipſe conſcendat, eaque niſus evadat? cum maxime ſit nullus medio mari teſtis; ſi ſapiens eſt, faciet; ipſi enim pereundum eſt, niſi fecerit; ſi autem mori maluerit, quàm manus inferre alteri, jam vero juſtus eſt, ſed ſtultus, qui vitæ ſuæ non parcat, dum parcit alienæ. Item ſi acie ſuorum fuſa hoſtes inſequi cœperint, & juſtus ille nactus fuerit aliquem ſaucium equo inſidentem, ei ne parcet, ut ipſe occidatur, an dejiciet ex equo, ut ipſe poſſit hoſtem effugere? Quod ſi fecerit, ſapiens, ſed idem malus; ſi non fecerit, juſtus, ſed idem ſtultus ſit neceſſe eſt. Ita ergo juſtitiam cum in duas partes diviſiſſet, alteram civilem eſſe dicens, alteram naturalem, utramque ſubvertit, quòd illa civilis ſapientia ſit quidem, juſtitia non ſit; naturalis autem illa juſtitia ſit quidem, ſed non ſit ſapientia. Arguta hæc plane, & venenata ſunt, & quæ M. Tullius non potuerit refellere. Nam cum facit Lælium Furio reſpondentem, proque juſtitia dicentem, irrefutata hæc, tanquam foveam, eſt prætergreſſus: ut videatur idem Lælius non naturalem, quæ in ſtultitiæ crimen venerat, ſed illam ci-

A vilem defendiſſe juſtitiam, quam Furius ſapientiam quidem eſſe conceſſerat, ſed injuſtam. Hactenus Lactantius. Eadem vero etiam ab eodem repetuntur in epitome divinarum inſtitutionum his verbis: Neſcierunt ergo juſtitiam philoſophi, & ideo refelli potuerunt à Carneade, cujus hæc fuit diſputatio, nullum eſſe jus naturale; itaque omnes animantes, ipſa duce natura, commoda ſua defendere, & ideo juſtitiam, ſi alienis utilitatibus conſulet, ſuas negliget, ſtultitiam eſſe dicendam. Quòd ſi omnes populi, penes quos ſit imperium, ipſique Romani, qui orbem totum poſſiderent, juſtitiam ſequi velint, ac ſuum cuique reſtituere, quod vi, & armis occupaverunt, ad caſas, & egeſtatem revertentur; B quod ſi fecerint, juſtos dicemus quidem, ſed tamen ſtultos judicari neceſſe eſt, qui, ut aliis proſint, ſibi nocere contendant. Deinde ſi reperiat aliquis hominem, qui aut aurum pro aurichalcho, aut argentum pro plumbo vendat per errorem, atque id emere neceſſitas cogat, utrum diſſimulabit, & emet parvo, an potius indicabit? juſtus utique dicetur, quia non fefellit, ſed idem ſtultus, qui alteri fecerit lucrum, ſibi damnum; ſed facile de damno eſt. Quòd ſi vita ejus in periculum veniet, ut eum aliquando neceſſe ſit aut occupare, aut mori, quid faciet? poteſt hoc evenire, ut, naufragio facto, inveniat aliquem imbecillem tabulæ inhærentem: aut victo exercitu fugiens C reperiat aliquem vulneratum equo inſidentem: utrum ne illum tabula, aut hunc equo deturbabit, ut ipſe poſſit evadere? ſi volet juſtus eſſe, non faciet: ſed idem ſtultus judicabitur, qui dum alterius vitæ parcit, ſuam perdet; ſi faciet, ſapiens quidem videbitur, quia ſibi conſulet, ſed & idem malus, quia nocebit. Acuta iſta ſane, ſed reſpondere ad ea facile poſſumus. Hinc Seneca epiſtolarum lib. XIX. ait, philoſophum legentem libros Ciceronis de republica admirari, tam multa dici contra juſtitiam potuiſſe. De hac autem inter Lælium, & Philum pro juſtitia contentione mentio eſt in dialogo de amicitia, hoc modo: D SCÆVOLA: tum magis id diceres Fanni, ſi nuper in hortis Scipionis, cum de republica diſputatum eſt, affuiſſes; qualis tum patronus juſtitiæ Lælius fuit contra accuratam orationem Phili.

Ex tertio libro de Republica.

Homo non ut à matre, (49) *ſed ut à noverca natura editus eſt in vitam, corpore nudo, & fragili, & infirmo, animo autem anxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen ineſſet tanquam obrutus quidam divinus ignis ingenii, & mentis.* (*f*) E

(49) Hæc verba profert D. Auguſtinus libro IV. contra Julianum Pelagianum ex lib III. Ciceronis de republ. Vide enim nunc, inquit, utrum iſta, quæ dicam, non evertant aſſertionem tuam. In libro tertio de republ. idem Tullius hominem dicit, non ut à matre, ſed ut à noverca natura editum in vitam, corpore & nudo, & fragili, & infirmo, &c. Unde autem hæc verba accepta ſint, ex diſputatione Furii ne, an Lælii, an Scipionis, quos omnes in hoc libro perpetua uti oratione ſupra oſtendimus, an, quod malim, ex libri proœmio, in quo ipſe Cicero hominis infelicitatem, ac miſeriam deploraverit, haud ſatis compertum eſt.

Bonus vir ſi habeat (50) *ſervum fugitivum, vel domum inſalubrem, ac peſtilentem, quæ vitia ſolus ſciat, & ideo proſcribat, ut vendat, utrum ne profitebitur fugitivum ſervum, ac peſtilentem domum ſe vendere, an cælabit emptorem? ſi profitebitur emptori fugitivum eſſe, bonus quidem, quia non fallet, ſed tamen ſtultus judicabitur, quia vel parvo vendet, vel omnino non vendet; ſi cælaverit, erit quidem ſapiens, quia rei conſulet, ſed idem malus, quia fallet; deinde ſi reperiat hominem, qui aut aurum pro aurichalcho, aut argentum pro plumbo vendat per errorem, atque id emere neceſſitas cogat; utrum diſſimulabit, & emet parvo, an potius indicabit? juſtus utique dicetur, quia non fefellit, ſed idem ſtultus, qui alteri fecerit lucrum, ſibi damnum; ſed facile de damno eſt; quid ſi vita ejus in periculum veniet, ut eum aliquando neceſſe ſit, aut occupare, aut mori; quid faciet? Poteſt hoc evenire, ut naufragio facto inveniat aliquem imbecillum tabulæ inhærentem; aut, victo exercitu, fugiens reperiat aliquem vulneratum equo inſidentem: utrum ne aut illum tabula, aut hunc equo deturbabit, ut ipſe poſſit evadere? ſi volet juſtus eſſe, non faciet; ſed idem ſtultus judicabitur, qui, dum alterius vitæ parcit, ſuam perdet: ſi faciet, ſapiens quidem videbitur, quia ſibi conſulit, ſed & idem malus, quia nocebit.* (*g*)

(50) Ut hæc verba Furii fuerint, contra juſtitiam pro injuſtitia diſputantis, ſatis ſupra demonſtratum eſt; nunc illud addo, Ciceronem, ſe hæc exempla ex ſexto Hecatonis de officiis libello ſumpſiſſe, fateri in tertio de officiis, in quo eandem fere exequitur quæſtionem. Quæſtio autem eadem de juſtitia, & injuſtitia attingitur in primo, & ſecundo de republica Platonis: ubi Thraſymachus vocat juſtitiam πάνυ γενναίαν εὐήθειαν, injuſtitiam εὐβουλίαν: quod cum argumento Carneadis congruit.

Quæro, ſi duo ſint, (51) *quorum alter optimus vir, æquiſſimus, ſumma juſtitia, ſingulari fide, alter inſigni ſcelere, & audacia; & ſi in eo ſit errore civitas, ut bonum illum virum ſceleratum, facinoroſum, nefarium putet, contra autem, qui ſit improbiſſimus, exiſtimetur ſumma eſſe probitate, ac fide, proque hac opinione omnium civium bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, exterminetur, egeat, poſtremo jure etiam optimo omnibus miſerrimus eſſe videatur: contra*

tra

(*f*) Auguſt. lib. 3. contra Pelag.

(*g*) Lact. lib. 5. cap. 15. & in epitome cap. 50.

tra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes denique copiæ conferantur; vir denique optimus omnium æſtimatione, & digniſſimus omni fortuna judicetur: quis tandem erit tam demens, qui dubitet, utrum ſe eſſe malit? (*b*)

(51) Hæc etiam verba ſunt è diſputatione Furii contra juſtitiam; auctor eſt Lactantius, qui libro v. cap. xii. ita ſcriptum reliquit: Eſt apud Ciceronem non abhorrens à vero locus in ea diſputatione, quæ habetur à Furio contra juſtitiam. Quæro, inquit, ſi duo ſint &c. Tractat autem hanc quæſtionem; omnino præſtantius eſſe, juſtum haberi, quàm juſtum eſſe: de qua etiam Plato diſſeruit in ſecundo de republica, quem locum video à Cicerone non ſolum adumbratum, ſed multis etiam in partibus illuſtratum; proferam autem verba ejus aliquot inſigniora: ἀφαιρετέον δὴ τὸ δοκεῖν. εἰ γὰρ δόξει δίκαιος εἶναι, ἔσονται αὐτῷ τιμαὶ, καὶ δωρεαὶ δοκοῦντι τοιούτῳ εἶναι. ἄδηλον οὖν εἴτε τοῦ δικαίου, εἴτε τῶν δωρεῶν τε, καὶ τιμῶν ἕνεκα τοιοῦτος εἴη. γυμνωτέος δὴ πάντων πλὴν δικαιοσύνης, καὶ ποιητέος ἐναντίως διακείμενος τῷ προτέρῳ. μηδὲν γὰρ ἀδικῶν δόξαν ἐχέτω τὴν μεγίστην ἀδικίας, ἵν' ᾖ βεβασανισμένος εἰς δικαιοσύνην, τῷ μὴ τέγγεσθαι ὑπὸ κακοδοξίας, καὶ τῶν ὑπ' αὐτῆς γιγνομένων. ἀλλ' ἴτω ἀμετάστατος μέχρι θανάτου, δοκῶν μὲν εἶναι ἄδικος διὰ βίου, ὢν δὲ δίκαιος, ἵν' ἀμφότεροι εἰς τὸ ἔσχατον ἐληλυθότες, ὁ μὲν δικαιοσύνης, ὁ δὲ ἀδικίας, κρίνωνται ὁπότερος αὐτοῖν εὐδαιμονέστερος; & poſt: ἐροῦσι δὲ τάδε, ὅτι οὕτω διακείμενος ὁ δίκαιος μαστιγώσεται, στρεβλώσεται, δεδήσεται, ἐκκαυθήσεται τὠφθαλμὼ. τελευτῶν πάντα κακὰ παθὼν ἀνασχινδυλευθήσεται, καὶ γνώσεται, ὅτι οὐκ εἶναι δίκαιον, ἀλλὰ δοκεῖν δεῖ ἐθέλειν.

Eſt enim genus injuſtæ ſervitutis, (52) *cum ii ſunt alterius, qui ſui poſſunt eſſe; cum autem hi famulantur.* (*i*)

(52) Hoc citatur à Nonio. Eſt autem à Furio prolatum, cum, teſte Auguſtino, oſtendere vellet, rempublicam regi ſine injuſtitia non poſſe; juſtum enim eſſe, populum illis imperare, qui ſui juris eſſe poſſint. Hoc autem totum eſt Ariſtotelis, qui in primo Politicorum ſcripſit: ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος ὁ δυνάμενος ἄλλου εἶναι. διὸ καὶ ἄλλου ἐστί.

Nam cum quæreretur ex eo, (53) *quo ſcelere compulſus mare haberet infeſtum uno myoparone, eodem* (*inquit*) *quo tu orbem terræ.* (*k*)

(53) Hoc citat Nonius. Eſt autem ſummi cujuſdam regis, ut Alexandri Magni percontatio, qua de archipirata quæſivit, qua libidine compulſus, uno myoparone infeſtum totum mare haberet, cui ille reſpondit, eadem, quo tu orbem terrarum. Ex quo intelligitur, eodem pacto injuſtum eſſe regem bellatorem, ac privatum hominem prædonem; cum uterque immenſa habendi cupiditate ad injuſtitiam impellatur.

Eſt quidem vera lex (54) *recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, con-*A *ſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat, quæ tamen neque probos fruſtra jubet, aut vetat, nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per ſenatum, aut per populum ſolvi hac lege poſſumus; neque eſt quærendus explanator, aut interpres ejus alius; nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac; ſed & omnes gentes, & omni tempore una lex,* B *& ſempiterna, & immortalis continebit: unuſque erit communis quaſi magiſter, & imperator omnium Deus; ille legis hujus inventor, diſceptator, lator; cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur; hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cetera ſupplicia, quæ putantur, effugerit.* (*l*)

(54) Hucuſque pertinent ea, quæ ex Furiana diſputatione pro injuſtitia fuiſſe opinor; nunc ſubſcribam ea, quæ Lælium pro juſtitia arbitror attuliſſe; primum ergo naturalem, quam Furius ſuſtulerat, intuliſſe juſtitiam eum C exiſtimo, quæ nihil aliud eſt, niſi recta ratio, quæ eſt in Deo; de qua cum diſſereret, in hæc verba delapſus eſt, quemadmodum teſtatur Lactantius lib. vi. cap. viii. Suſcipienda igitur, inquit, Dei lex eſt, quæ nos ad hoc iter dirigat, illa ſancta, illa cœleſtis, quam M. Tullius in libro de republica tertio prope divina voce depinxit: cujus ego, ne plura dicerem, verba ſubjeci. Eſt quidem vera lex &c. Hujus autem legis definitionem Cicero accepit ſive ab Ariſtotele, ſive à Sophocle. Ariſtoteles enim primo libro de Arte Rhetorica eam hoc pacto deſcripſit: λέγω δὲ νόμον κοινὸν, τὸν κατὰ φύσιν. ἔστι γάρ ὃ μαντεύονταί τι πάντες φύσει κοινὸν δίκαιον, καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ, μηδὲ συνθήκη. οἷον καὶ ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη φαίνεται λέγουσα, D ὅτι δίκαιον ἀπειρημένον θάψαι τὸν Πολυνείκη, ὡς φύσει ὂν τοῦτο δίκαιον. οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε ζῇ τοῦτο, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη. καὶ ὡς Ἐμπεδοκλῆς λέγει περὶ τοῦ μὴ κτείνειν τὸ ἔμψυχον. τοῦτο γὰρ οὐ τισὶ μὲν δίκαιον, τισὶ δ' οὐ δίκαιον, ἀλλὰ τὸ μὲν πάντων νόμιμον διά τ' εὐρυμέδοντος αἰθέρος ἠνεκέως τέταται, διά τ' ἀπλέτου αὐγῆς. Hæc Ariſtoteles; verſus autem, quos memorat, ex Antigone Sophoclis integri hi ſunt:

Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
Οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη,
Οἳ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους.
Οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
E Κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
Νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.
Οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε
Ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη.

In verbis autem Ciceronis apud Lactantium vulgo legitur: Huic legi nec propagari fas eſt. Quo loco pro propagari legit obrogari Andreas Patritius Polonus, vir & ingenii, & doctrinæ laude præſtantiſſimus; recte: ſequitur enim derogari, & abrogari; quibus verbis tria genera labefactandæ legis expreſſa ſunt.

Juſtus

(*b*) Lact. lib. 5. cap. 12. & lib. 15. cap. 19.
(*i*) Nonius.

(*k*) Nonius.
(*l*) Lact. lib. 6. cap. 8.

Juſtus vero, ac ſapiens, (55) *quia illa omnia humana ſunt, ſua bona divina judicat: nec aliorum quidquam concupiſcit, ne quem contra jus humanitatis lædat omnino: nec ullam potentiam, honoremve deſiderat, ne cui faciat injuriam.* (*m*)

Huic vero quas divitias objicies? quæ imperia? quæ regna? qui iſta putat humana, ſua bona divina judicat. (*n*)

(55) Lactantius lib. v. cap. XXIII. hoc item à Lælio dictum prodit.

Quibus aſſentior (56) *ſolicitam, & periculoſam juſtitiam non eſſe ſapientis.* (*o*)

(56) Et hæc verba Lælii videntur aſſentientis iis, qui dicerent, periculoſam, & ſolicitam juſtitiam non eſſe ſapientis. Citantur autem à Priſciano lib. VIII. ita: Cicero de repub. In quibus aſſentior, &c. puto autem legendum eſſe: Cicero de repub. III. Quibus aſſentior.

Noſter autem populus (57) *ſociis defendendis terrarum jam omnium potitus eſt.* (*p*)

(57) Hoc idem comprobat locus ille, qui eſt in Maniliana: quare ſi propter ſocios nulla ipſi injuria laceſſiti majores veſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella geſſerunt, quanto vos ſtudio convenit, injuriis provocatos, ſociorum ſalutem una cum imperii veſtri dignitate defendere? Recte; etenim cum Antiocho, & Ætolis pro Græcia liberanda pugnarunt, cum Philippo pro ſalute Athenienſium: cum Pœnis pro Mamertinis, Saguntinis, & Maſſaniſa Numidiæ rege bellum ſuſceperunt. Mithridati vero, Ponti regi, quòd Aſiam invaſiſſet, poſtremo etiam arma intulerunt, atque ejus belli occaſione longius imperium protulerunt.

Pyrrhi videtur largitas à cos. aut Samnitum copiæ Curio defuerunt. (58)

(58) Quanquam in his verbis eſt mendi aliquid, tamen apparet, quid Cicero velit; nimirum, & Pyrrhi liberalitatem à conſulibus Fabricio, & Æmilio eſſe repudiatam, neque Samnitum opes Curio defuiſſe. Ut autem Pyrrhus rex conſules donis tentarit, Samnites Curium muneribus ampliſſimis onerare voluerint, liquet ex annalibus; unde illa ſunt Ciceronis in Paradoxis: Utrum pluris æſtimabimus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat? utrum aurum Samnitium, an reſponſum M'. Curii?

Cujus etiam focum (59) *Cato ille noſter, cum venerat ad ſe in Sabinos, ut ex ipſo audiebamus, viſere ſolebat; apud quem ſedens, Samnitum, quondam hoſtium, tum jam clientium ſuorum, dona relegaverat.*

(59) Idem inquit in dialogo de ſenectute Cato ipſe: Curii villam ego contemplans, (abeſt enim non longe à me) admirari ſatis non poſſum vel ipſius hominis continentiam, vel temporum diſciplinam. Curio ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites cum attuliſſent, repudiati ab eo ſunt; quem locum Plutarchus mihi prope totidem vertiſſe verbis in Catone videtur: ἦν δὲ πλησίον αὐτῷ τῶν ἀγρῶν ἡ γενομένη Μανίου τοῦ τρὶς θριαμβεύσαντος ἔπαυλις, ἐπὶ ταύτην συνεχῶς βαδίζων, καὶ θεώμενος τό τε χωρίον μικρὸν, καὶ τῆς οἰκήσεως τὸ λιτὸν, ἔννοιαν ἐλάμβανε τοῦ ἀνδρὸς, ὅτι Ῥωμαίων μέγιστος γενόμενος, καὶ τὰ μαχιμώτατα τῶν ἐθνῶν ὑπαγαγόμενος, καὶ Πύῤῥον ἐξελάσας τῆς Ἰταλίας, τοῦτο τὸ χωρίδιον αὐτὸς ἔσκαπτε, καὶ ταύτην τὴν ἔπαυλιν ᾤκει· μετὰ τρεῖς θριάμβους ἐνταῦθα πρὸς ἐσχάρᾳ καθήμενον αὐτὸν ἕψοντα γογγυλίδας εὑρόντες οἱ Σαυνιτῶν πρέσβεις, ἐδίδοσαν πολὺ χρυσίον, ὁ δ᾽ ἀπεπέμψατο φήσας, οὐδὲν χρυσίου δεῖν.

Illa injuſta bella ſint, (60) *quæ ſunt ſine cauſſa ſuſcepta; nam, ultra ulciſcendi, aut propulſandorum hoſtium cauſſam, bellum juſtum geri nullum poteſt.* (*q*)

Nullum bellum juſtum haberi videtur, niſi denunciatum, niſi indictum, niſi repetitis rebus. (*r*)

(60) D. Auguſtinus lib. XXII. cap. VI. de civitate Dei refert, Ciceronem in tertio de republica diſputaſſe, nullum bellum ſuſcipi à civitate optima, niſi aut pro fide, aut pro ſalute; ad quam nimirum diſputationem hæc etiam ab Iſidoro prolata pertinent; quod è Lælii fuiſſe oratione puto, cum de juſtis bellis diſputaret.

Quorum non corpora (61) *ſunt in cœlum elata; neque enim natura pateretur, ut id, quod eſſet de terra, niſi in terra maneret.* (*ſ*)

(61) Quoniam D. Auguſtinus Ciceronem in Scipionis ſermone de Romuli conſecratione egiſſe ait, ut infra oſtendam, ea re adducor, ut credam vel à Lælio, poſtquam de præclaris juſtitiæ laudibus peroravit, vel à Scipione mentionem de præmiis eorum, qui juſtitiam, & virtutem in vita coluiſſent, eſſe illatam: quæ autem nunc de Hercule, & Romulo in cœlum relatis narrantur, ex ea diſputatione eſſe, qua juſtos homines ab hominibus inter Deos referri alter eorum confirmaverit; ſiquidem D. Auguſtinus lib. XXII. cap. IV. de civitate Dei ſic agit: Cum Cicero in tertio de republica libro Herculem, & Romulum ex hominibus Deos factos eſſe aſſeverat, quorum non corpora, inquit, ſunt in cœlum elata &c. Confirmat hanc quæſtionem Lactantius, qui libro primo, cap. XV. ſcriptum reliquit, Ciceronem in libris de republica tradidiſſe, Deos, qui publice colerentur, homines fuiſſe.

Magis eſt in Romulo (62) *admirandum, quòd ceteri, qui dii ex hominibus facti eſſe dicuntur, minus eruditis hominum ſæculis fuerunt: ut fingendi proclivior eſſet ratio, cum imperiti facile ad credendum impellerentur. Romuli autem ætatem minus his ſexcentis annis, jam invete-*

ratis

(*m*) Lact. lib. 5. cap. 23.
(*n*) Lact. lib. 5. cap. 19.
(*o*) Priſc. lib. 8.
(*p*) Nonius.

(*q*) Iſidorus lib. 17.
(*r*) Aug. de civit. lib. 22. cap. 6.
(*ſ*) Aug. de civit. lib. 22. cap. 4.

ratis litteris, atque doctrinis, omniqueillo antiquo ex inculta hominum vita errore ſublato fuiſſe cernimus. (t)

(62) Ejuſdem ſententiæ verba ſunt; inquit enim magis admirandum eſſe de Romulo, quàm de Hercule, nimirum creditum inter Deos eſſe receptum, præſertim vero eruditis jam ſæculis, nec temere fabulis omnibus aſſentientibus. D. Auguſtinus eodem libro, capite v. Recolamus etiam, inquit, hoc loco illud, quod de Romuli credita divinitate Tullius admiratur; verba ejus, ut ſcripta ſunt, inſeram. Magis eſt, inquit, in Romulo admirandum &c.

Ex quo intelligi poteſt, (63) *permultis annis ante Homerum fuiſſe, quàm Romulum: ut jam doctis hominibus, ac temporibus ipſis eruditis, ad fingendum vix quidquam eſſet loci; antiquitas enim recepit fabulas, fictas etiam nonnunquam incondite. Hæc ætas autem, jam exculta præſertim, eludens omne, quod fieri non poteſt, reſpuit.* (u)

Apud Ennium ſic loquitur Africanus:
Si fas cædendo cœleſtia ſcandere cuiquam eſt,
Mi ſoli cœli maxima porta patet. (x)

(63) Hæc verba apud Ciceronem ſuperioribus proximis eſſe conſequentia prodit eodem in loco D. Auguſtinus.

Eſt vero, inquit, Africane; (64) *nam & Herculi eadem ipſa porta patuit.*

(64) Lactantius libro primo, cap. XVIII. Apud Ennium ſic loquitur Africanus:

Si fas cædendo cœleſtia ſcandere cuiquam eſt,
Mi ſoli cœli maxima porta patet.

Cui vanitati & Cicero aſſentitur. Eſt vero, inquit, Africane; nam & Herculi eadem ipſa porta patuit. Loquitur autem Lælius de iis, quos ardens evexit ad æthera virtus, ut inquit Poëta, neſcio an melior aliquanto, quàm Ennius. Alloquitur autem Africanum majorem Lælius, quem Ennius loquentem fecit, hoc modo: Si fas eſt cuiquam in cœlum cædendo pervenire, mihi ſoli maxima cœli porta patet. Eſt vero, inquit Lælius, fas: ſiquidem & hæc porta patuit Herculi. Horum verborum meminit etiam Seneca epiſtolarum libro XIX. cum ait: Felicem deinde ſe grammaticus putat, quòd invenerit, unde viſum ſit Virgilio dicere: Quem ſuper ingens porta tonat cœli. Ennius hoc ait, Homero ſe ſurripuiſſe, Homero Virgilium: eſſe enim apud Ciceronem in his ipſis de republica hoc epigramma:

Si fas cædendo cœleſtia ſcandere cuiquam eſt,
Mi ſoli cœli maxima porta patet.

Tantum eſt conſecutus, (65) *ut, cum ſubito ſole obſcurato non comparuiſſet, deorum in numero collocatus putaretur; quam opinionem nemo unquam mortalis aſſequi potuit ſine eximia virtutis gloria.* (y)

Tom. VI.

A (65) Loquitur de Romulo item Scipio; ſic enim D. Auguſtinus lib. III. cap. XV. Satis & Cicero illam inter Deos Romuli receptionem putatam magis ſignificat eſſe, quàm factam: quando & laudans eum in libris de repub. Scipioniſque ſermone: Tantum eſt, inquit, conſecutus &c. Hoc autem loco videtur de morte Romuli egiſſe; quem locum intellexit eadem in epiſtola Seneca, cum dixit: Hiſtoricum apud Ciceronem in libris de republ. notare, Romulum periiſſe ſolis defectione.

Propterea & iſtum non creditum (66) *inter deos receptum tali morte, quia fortaſſe, quod erat in Romulo probatum,* B *Romani vulgare noluerunt, ſi hoc & alteri tribueretur.* (z)

(66) De Tullo Hoſtilio, Romanorum rege, verba facit; quod oſtendit D. Auguſtinus ibidem: De Tullo quippe etiam Hoſtilio, qui & ipſe fulmine abſumptus eſt, dicit in eiſdem libris idem Cicero: Propterea & iſtum non creditum &c. De hominibus autem ob virtutem conſecrandis ſic idem Cicero etiam in libris de natura Deorum: Suſcepit vita hominum, conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama, ac voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Caſtor, C hinc Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber. Et alio loco, atque alio in pleriſque civitatibus intelligi poteſt, acuendæ virtutis gratia, quo libentius reipublicæ cauſſa periculum adiret optimus quiſque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium conſecratam.

Vult plane virtus honorem: (67) *nec eſt virtutis ulla alia merces: quam tamen illa accipit facile, exigit non acerbe; ſed ſi aut ingrati univerſi, aut invidi multi, aut inimici potentes ſuis virtutem præmiis ſpoliant, nec illa ſe multis ſolatiis oblectat,* D *maximeque ſuo decore ſe ipſam ſuſtentat.* (a)

(67) Oratio eſt Lælii, qua hunc locum, ut puto, concluſit, nimirum omnino virtuti honorem deberi à civibus, qui ſi, vel quòd invidi, vel ingrati, vel inimici ſint, denegetur, ipſam ſe ſuo decore ſuſtentare. Quod cum ita ſit, ſatis patet, cur Cicero honorem definierit in Bruto, præmium virtutis, judicio, ſtudioque civium ad aliquem delatum. Fuiſſe autem hæc verba Lælii juſtitiæ defenſoris, ſcripſit Lactantius lib. V. cap. XIX.

Sed his pœnis, (68) *quas etiam ſtultiſſimi ſentiunt, egeſtate, exilio, vinculis,* E *verberibus elabuntur ſæpe privati, oblata mortis celeritate; civitatibus autem mors ipſa pœna eſt, quæ videtur à pœna ſingulos vindicare; debet enim conſtituta ſic eſſe civitas, ut æterna ſit; itaque nullus interitus eſt reipublicæ naturalis, ut hominis, in quo mors non modo neceſſaria eſt, verum etiam optanda perſæpe.*

Civitas autem cum tollitur, deletur, extinguitur, ſimile eſt quodam modo, (ut

Xxxx *ma-*

(t) Aug. de civit. lib. 22. cap. 6. (u) Ibidem.
(x) Lact. lib. 5. cap. 19.

(y) Aug. de civit. lib. 3. cap. 15. (z) Ibidem.
(a) Lact. lib. 5. cap. 19.

magnis parva conferamus) ac ſi omnis hic mundus intereat, ac concidat.

A

(68) Ut paulo ante Lælius de præmiis juſtorum diſſeruit, ſic hoc in loco de pœnis injuſtorum agit, maxime autem de pœna, quæ maxima injuſtam civitatem conſequitur, id eſt ipſius civitatis everſio. D. autem Auguſtinus libro de civitate Dei XXII. cap. XI. Scio, inquit, in libro tertio, ni fallor, de republica diſputari, nullum bellum ſuſcipi à civitate optima, niſi aut pro fide, aut pro ſalute; quid autem intelligat pro ſalute, vel intelligi quam ſalutem velit, alio loco demonſtrans: Sed his pœnis, inquit, quas etiam ſtultiſſimi ſentiunt &c.

B

Reſpublica eſt res populi; (69) *populus autem non omnis cœtus multitudinis, ſed cœtus juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatus.* (*b*)

Reſpublica res populi, cum bene, ac juſte geritur, ſive ab uno rege, ſive à paucis optimatibus, ſive ab univerſo populo; cum vero injuſtus eſt rex, quem tyrannum voco; aut injuſti optimates, quorum conſenſus factio eſt; aut injuſtus ipſe populus, cui nomen uſitatum nullum reperio, niſi ut etiam ipſum tyrannum appellem: non jam vitioſa, ſed omnino nulla reſpublica eſt: quoniam non eſt res populi, cum tyrannus eam, factione capeſſat: nec ipſe populus jam populus eſt, ſi ſit injuſtus: quoniam non eſt multitudo juris conſenſu, & utilitatis communione ſociata.

C

(69) Tranſacta de juſtitia, atque injuſtitia controverſia, Scipio, ut ſcripſit D. Auguſtinus, interruptam ſuam diſputationem repetiit; cœperat autem definire rempublicam, ac recta, & depravata ejus genera diſtinguere, & optimum ſtatum civitatis inſtituere, tum cum de juſtitia incidit quæſtio. Cum autem id breviter agere cœpiſſet, hoc loco uberius omnia, ut dixit D. Auguſtinus, ac copioſius retractavit.

D

An non cernimus (70) *optimo cuique dominatum ab ipſa natura cum ſumma utilitate infimorum datum? Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, iracundiæque, & ceteris vitioſis ejuſdem animi partibus?* (*c*)

Sed & imperandi, & ſerviendi ſunt diſſimilitudines cognoſcendæ; nam ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini; ſed corpori, ut rex civibus ſuis, aut parens liberis; libidini autem, ut ſervis dominus, quo eam coërcet, & frangit: ſic regum, ſic imperatorum, ſic magiſtratuum, ſic patrum, ſic populorum imperia civibus, ſociiſque præſunt, ut corporibus animus; domini autem ſervos ita fatigant, ut optima pars animi, id eſt ſapientia, ejuſdem animi vitioſas, imbecillaſque partes, ut libidines, ut iracundias, ut perturbationes ceteras.

E

(*b*) Aug. de civit. lib. 2. cap. 21. & lib. 19. cap. 21.
(*c*) Aug. lib. 4. contra Pelag.

(70) His verbis Scipio imperiorum inter ſe differentiam, ac rationem expreſſit, quod ad diviſionem rerumpublicarum eſt referendum. D. autem Auguſtinus hujus præceptionis eſt auctor, qui libro XIV. cap. XXIII. de civitate Dei loquitur in hæc verba: Nonne Cicero in libris de republica cum de imperiorum differentia diſputaret, & hujus rei ſimilitudinem ex natura hominis aſſumeret, ut filiis dixit imperari corporis membris propter obediendi facilitatem, vitioſas vero animi partes, ut ſervos aſperiore imperio coërceri? Hæc autem verba quæ, & quo in libro fuerint, aperit libro quarto contra Julianum Pelagianum. Audi, inquit, quæ dicat in tertio de republica libro Cicero, cum ageret de cauſſa imperandi. An non, inquit, cernimus optimo cuique dominatum ab ipſa natura cum ſumma utilitate infimorum datum? cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, iracundiæque, & ceteris vitioſis ejuſdem animi partibus? Jam nepotes ſaltem docente iſto has, quas bonas eſſe defendis, vitioſas animi partes confiteri? Adhuc audi; paulo poſt enim: Sed & imperandi, & ſerviendi, inquit, ſunt diſſimilitudines cognoſcendæ &c.

Phœnices primi mercaturis, (71) *& mercibus ſuis avaritiam, & magnificentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum exportaverunt in Græciam.* (*d*)

(71) Exemplum hoc de Phœnicibus quò ſpectaverit, plane divinare non poſſum. Accepit autem hunc locum Cicero ex quarto libro reipublicæ Platonis, ubi ille docet: Phœnices à natura factos ad pecuniam coacervandam, & mercaturam exercendam, cum oſtendere vellet mores totius civitatis ſæpe privatorum moribus commutari; verba Platonis ſunt hæc: ἢ τὸ φιλοχρήματον, ὃ περὶ τούς τε φοίνικας εἶναι, καὶ τοὺς κατ' αἴγυπτον φαίη τις ἂν οὐχ ἥκιστα.

Duas ſibi res, (72) *quo minus in vulgus, & in foro diceret, confidentiam, & vocem defuiſſe.*

Sapientia jubet proferre opes, amplificare divitias.

Sed ut ipſi, nimium ſeu periclitentur; ſeu videant, quid ſe putent eſſe facturos.

Nunquam viri fortiſſimi fortitudinis, impigritatis, patientiæ.

(72) Loquitur ſine dubio de Iſocrate oratore, cui ad laudem forenſem vox, & audacia defuit, ut ipſe de ſe fatetur in Panathenaico: οὕτω γὰρ ἐνδεὴς ἀμφοτέρων ἐγενόμην τῶν μεγίστων δυνάμεων ἐχόντων παρ' ἡμῖν, φωνῆς ἱκανῆς, καὶ τόλμης, ὡς οὐκ οἶδ' εἴ τις ἄλλος τῶν πολιτῶν.

Quid ergo illa (73) *ſibi vult abſurda exceptio, niſi quis Athonem pro monumento vult funditus efficere? quis enim eſt Athos, aut Olympus tantus?* (*e*)

Atho-

(*d*) Nonius.
(*e*) Priſc. lib. 5.

(73) Athonem, Thraciæ promontorium, quod Xerſes perfodit, intelligit.

Non ſunt in diſputando vafri, (74) non veteratores, non malitioſi. (f)

(74) Neſcio an de Epicureis loquatur, de quibus in tertia Tuſculana dixit: Et queruntur quidam Epicurei, viri optimi, (nam nullum genus eſt minus malitioſum) me ſtudioſe dicere contra Epicurum.

In quartum librum de Republica.

P. Scipio, eum propoſitam reipublicæ definitionem, & partium ejus, priore libro executus eſſet; atque optimum illum, quem ſibi ab initio quærendum propoſuerat, ſtatum civitatis informaſſet; in hoc libro magiſtratuum deſcriptionem eorum, quibus ejuſmodi reſpublica niteretur, ac civium hujus reipublicæ mores ad beatam vitam conformarentur, adhibuit; cumque ad mores civitatis corrumpendos magnam vim ſcenam habere, cui tum populus Romanus ſtudioſe operam dabat, intelligeret; omnino ſcenicos ſibi poëtas omnes aut civitate pellendos, aut certe à tanta licentia cohibendos putavit. In quo potiſſimum Platonem ſuum, præclarum reipublicæ inſtituendæ magiſtrum, eſt ſecutus; qui poëtas ex divina illa ſua, quam nemo unquam niſi mente vidit, republica emiſit; id quod ex fragmentis ipſis facile cognoſcetur. Quin etiam idem corporis, atque animi, & rerum, quæ à natura gignuntur, oportunitates innumerabiles, Deorum conceſſu humano generi traditas, videtur perſecutus, ſi ipſum in primo de Legibus, & Lactantium in libro de Opificio Dei loquentes audiemus; verba Ciceronis hæc ſunt: Omitto oportunitates, habilitateſque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quæ conciliatrix eſt hujus maxime ſocietatis; neque enim omnia ſunt hujus diſputationis, & temporis: & hunc locum ſatis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legiſtis, expreſſit Scipio. Id autem à Scipione factum eſſe in quarto libro de republica teſtatur Lactantius in capite primo ejus libri, quem de Opificio, ut dixi, inſcripſit, hoc modo: Tentabo, quoniam corporis, & animi facta mentio eſt, utriuſque rationem explicare; quod officium hac de cauſſa maxime ſuſcipiendum puto, quòd M. Tullius in quarto de republica libro, cum id facere tentaſſet, nihil prorſus fecit, materiam late patentem, anguſtis finibus terminavit, leviter ſumma quæque decerpens. Ac ne ulla eſſet excuſatio, cur eum locum non fuerit executus, ipſe teſtatus eſt, nec voluntatem ſibi defuiſſe, nec curam; in libro enim de legibus primo, cum hoc idem ſummatim ſtringeret, ſic ait: Hunc locum ſatis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legiſtis, expreſſit Scipio; poſtea tamen in libro de natura Deorum ſecundo, hoc idem latius exequi conatus. Quorſum autem ſpectaverit hæc tam alte repetita Scipionis in hoc libro oratio, explorati nihil habeo; niſi forte, cum de civili ſocietate acturus eſſet, magna hominibus ad eam à natura ſubſidia ſubminiſtrata eſſe, docuit, cum omnia, quæ è terra gignerentur, cum pecudes, ac belluas omnes hominum cauſſa à natura procreatas oſtenderet, cum denique innumerabilibus corporis, atque animi oportunitatibus homines à natura ipſa ornatos, cum vocem, cum mentem, cum orationem unam maxime ad conciliandam ſocietatem accommodatam illis datam exponeret. Nam & hi loci in primo Politicorum ab Ariſtotele ſunt tractati, maxime autem is, in quo vocem ceteris animantibus ait, ad voluptatis, & doloris ſignificationem tributam, orationem vero hominibus ad jus, & injuriam demonſtrandam, ex cujus communione domus, ac civitas conſtituta ſit; ſic autem ille agit: διότι δὲ πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον πάσης μελίττης, καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον. οὐδὲν γὰρ, ὥς φαμεν, μάτην ἡ φύσις ποιεῖ. λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος ἔχει ζώων. ἡ μὲν οὖν φωνὴ τοῦ λυπηροῦ, καὶ ἡδέος ἐστὶ σημεῖον. διὸ καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει ζώοις. μέχρι γὰρ τούτου ἡ φύσις αὐτῶν ἐλήλυθεν, ὥστε αἰσθάνεσθαι τοῦ λυπηροῦ, καὶ ἡδέος, καὶ ταῦτα σημαίνειν ἀλλήλοις. ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῷ δηλοῦν ἐστὶ τὸ συμφέρον, καὶ τὸ βλαβερὸν, ὥστε καὶ τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἄδικον. τοῦτο γὰρ πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθοῦ, καὶ κακοῦ, καὶ δικαίου, καὶ ἀδίκου, καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν. ἡ δὲ τούτων κοινωνία ποιεῖ οἰκίαν, καὶ πόλιν. Præterea vero de moderanda mulierum licentia, de pueris educandis, de ratione litigandi in hoc libro ſive à Scipione, ſive ab alio quo ex iis, qui aderant, diſputatum, ſatis ex fragmentis ipſis apparebit. Præterea cum Cicero in tertio de legibus ſcribat, Scipionem pro ſe ſatis multa dixiſſe in his libris, cur legem tabellariam Caſſiam de populi judicio ſuaſerit, exiſtimo id in hoc libro eſſe factum, præſertim cum hæc verba à Priſciano ex libro quarto conferantur: Non facile valenti populo reſiſtitur, ſi aut nihil impertias juris, aut parum.

Ex quarto libro de Republica.

Atque ipſa mens, (75) quæ futura videt, præterita meminit. (g)

(75) Hæc verba ex ea diſputatione exciſſe opinor, quam de voce, de oratione, & mente hominibus à natura donatis Scipio, ut dixi, inſtituit.

Cumque autumno terras (76) ad concipiendas fruges patefecerit, hieme ad concipiendas relaxarit, maturitate alia mitigaverit, alia torruerit.

(76) Inter cetera admirabilia naturæ munera etiam ſol ipſe numeratur; à quo cum alia prope infinita homines commoda conſequuntur, tum unum illud, de quo nunc agi videtur, inſigne, quòd ab eo autumno terræ ad concipiendas fruges pateſiant, hieme relaxentur. Hæc autem certe pars fuit ejus ſermonis, quem Scipio de commoditatibus, quas natura hominibus eſt largita, ſuſcepit, quas pluribus verbis in ſecundo de natura Deorum Cicero perſecutus eſt.

Eademque objectam vivo, (77) atque umbram noctemque efficiat, cum numerum dierum aptum ad laborum quietem.

(77) His verbis, quanquam mendoſis, ſatis certum eſt de terra diſſeri: quæ objecta ſoli, diem, noctemque ad humanorum laborum requietem efficiat; ſic enim etiam locutus eſt de natura Deorum: Umbra terræ, ſoli officiens, noctem efficit.

Nun-

(f) Nonius.

(g) Nonius.

Nunquam comœdiæ, (78) *niſi conſuetudo vitæ pateretur, probare ſua theatris flagitia potuiſſent*. (*b*)

Quem illa non attigit, vel potius quem non vexavit, cui pepercit? Eſto, populares homines, improbos, in republica ſeditioſos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum læſit; patiamur; etſi hujuſmodi cives à cenſore melius eſt, quàm à poëta, notari; ſed Periclem, cum jam civitati maxima auctoritate plurimos annos domi, & belli præfuiſſet, violari verſibus, & eos agi in ſcena, non plus decuit, quàm ſi Plautus noſter voluiſſet, aut Nævius P. & Cn. Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni male dicere. (*i*)

Noſtræ contra XII. tabulæ, cum perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt, ſi quis actitaviſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri; præclare. Judiciis enim, ac magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poëtarum ingeniis, habere debemus, nec probrum audire, niſi ea lege, ut reſpondere liceat, & judicio defendere. (*k*)

(78) Cum de moribus per magiſtratus emendandis Scipio eſſet dicturus, poëtarum ſcenicorum licentiam, qui apud Græcos cuique palam maledicere ſoliti erant, improbavit, majorum ſuorum inſtitutum, qui eam correctionem melius notatione cenſoria, quàm poëtarum petulantia fieri exiſtimaverint, commendavit. Hac vero de re ſic ſcribit D. Auguſtinus lib. II. cap. IX. de civitate Dei: Quid autem de poëtica licentia veteres Romani ſenſerint, Cicero teſtatur in libris, quos de republica ſcripſit, ubi Scipio diſputans ait: Nunquam comœdiæ, niſi conſuetudo vitæ pateretur, probare ſua theatris flagitia potuiſſent. Et Græci quidem antiquiores vitioſæ ſuæ opinionis quandam convenientiam ſervaverunt; apud quos fuit etiam lege conceſſum, ut, quod vellet comœdia nominatim, vel de quo vellet, diceret; itaque, ſicut in eiſdem libris loquitur Africanus; Quem illa non attigit, vel potius quem non vexavit, cui pepercit? eſto; populares homines, improbos, in republica ſeditioſos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum: patiamur, inquit; & ſi ejuſmodi cives à cenſore melius eſt, quàm à poëta notari: ſed Periclem, cum jam ſuæ civitati maxima auctoritate plurimos annos domi, & belli præfuiſſet, violari verſibus, & eos agi in ſcena, non plus decuit, quàm ſi Plautus, inquit, noſter voluiſſet, aut Nævius P. & Cn. Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni maledicere. Deinde paulo poſt: Noſtræ, inquit, contra XII. tabulæ, cum perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt, ſi quis actitaviſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam faceret flagitiumve alteri; præclare; judiciis enim, ac magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poëtarum ingeniis, habere debemus, nec probrum audire, niſi ea lege, ut reſpondere liceat, & judicio defendere. Hæc ex Ciceronis quarto de republica libro ad verbum excerpenda arbitratus ſum, non nullis, propter faciliorem intellectum, vel prætermiſſis, vel paullum commutatis. Hactenus D. Auguſtinus. Idem autem ſcriptum Cicero reliquit in quarta etiam Tuſculana in hunc modum: Quanquam id quidem etiam XII. tabulæ declarant, condi jam tum ſolitum eſſe carmen, quod ne liceret fieri ad alterius injuriam, leges ſanxerunt. Unde factum eſt etiam, ut in rhetoricis ad Herennium ſic ſcriptum ſit: Mimus quidam nominatim Attium poëtam compellavit in ſcena; cum eo Attius injuriarum agit.

Æſchines Athenienſis, (79) *vir eloquentiſſimus, cum adoleſcens tragœdias actitaviſſet, rempublicam capeſſivit: & Ariſtodemum, tragicum item actorem, maximis de rebus pacis, ac belli legatum ad Philippum Athenienſes ſæpe miſerunt*. (*l*)

(79) D. Auguſtinus eodem libro, cap. X.: Ad hanc convenientiam pertinet, quòd etiam ſcenicos auctores earundem fabularum non parvo civitatis ſuæ honore dignos exiſtimant; ſiquidem quod in eo quoque de Republica libro commemoratur, Æſchines Athenienſis, vir eloquentiſſimus, cum adoleſcens tragœdias actitaviſſet, rempublicam capeſſivit. Recte; hoc enim ei ſæpe objecit inimicus ejus Demoſthenes, maxime autem in oratione de ementita legatione: ἴςε γὰρ δήπου τοῦθ᾽ ὅτι ἐν ἅπασι τοῖς δράμασι τοῖς τραγικοῖς ἐξαίρετόν ἐςιν, ὥσπερ γέρας τι, τοῖς τριταγωνιςαῖς, τὸ τοὺς τυράννους, καὶ τοὺς τὰ σκῆπτρα ἔχοντας εἰσιέναι; & pro Cteſiphonte: ἐτριταγωνίςεις, ἐγὼ δ᾽ ἐθεώρουν. Quibus in locis τριταγωνιςὴν eum vocat Demoſthenes, id eſt leviſſimum, quippe tertiarum partium, hiſtrionem.

Probris, & injuriis poëtarum (80) *ſubjectam vitam, famamque habere noluerunt, capite etiam puniri ſancientes, tale carmen condere ſi quis auderet*. (*m*)

(80) Eandem tractat, quam ſupra, ſententiam, veteres Romanos caviſſe, ne vita civium poëtarum injuriis eſſet propoſita. Hoc autem etiam ex eodem libro D. Auguſtini cap. XXII.: At Romani, inquit, ſicut in illa de republica diſputatione gloriatur Scipio, probris, & injuriis poëtarum ſubjectam vitam, famamque habere noluerunt.

Cum artem ludicram, (81) *ſcenamque totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, ſed etiam tribu moveri notatione cenſoria, voluerunt*. (*n*)

(81) Adeo, inquit, Romani licentiam hanc poëtarum vituperant, ut ſcenicos ipſos etiam actores ignominiis notaverint; ſiquidem notatione cenſoria omnes hiſtriones, præter actores Atellanarum tribu movebantur. Et hoc autem eſt apud eundem eodem libro, capite ſequenti, ſcriptum his verbis: Romani, quamvis jam ſuperſtitione noxia premerentur, ut illos Deos colerent, quos videbant ſibi voluiſſe

(*b*) Aug. de civit. lib. 2. cap. 9. (*i*) Ibid. (*k*) Ibid.
(*l*) Lib. 2. cap. 10.

(*m*) Lib. 2. cap. 12.
(*n*) Lib. 2. cap. 13.

A luiſſe ſcenicas turpitudines conſecrari, ſuæ tamen dignitatis memores, ac pudoris, actores talium fabularum nequaquam honoraverunt more Græcorum, ſed ſicut apud Ciceronem Scipio loquitur: Cum artem ludicram &c. Quod autem hiſtriones ait à cenſoribus tribu moveri ſolitos, id etiam Livii confirmatur auctoritate, qui libro VII. ſcribit: Eò inſtitutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, & ſtipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciant.

Ad quos cum acceſſit clamor, (82) *& approbatio populi, quaſi magni cujuſdam, & ſapientis magiſtri, quaſi illi obducunt tenebras? quos invehunt metus? quas inflammant cupiditates?* (o)

B (82) De poëtis item loquitur, ut idem ſcribit eodem libro cap. XIV. Quando igitur, inquit, tanta animi, & morum mala bonis præceptis, & legibus vel imminentia prohiberent, vel inſita extirpanda curarent dii tales, qui etiam ſeminanda, & augenda flagitia curaverunt, talia vel ſua, vel quaſi ſua facta per theatricas celebritates populi innoteſcere cupientes, ut tanquam auctoritate divina ſua ſponte nequiſſima libido accenderetur humana; fruſtra hoc exclamante Cicerone: qui cum de poëtis ageret: Ad quos cum acceſſit, inquit, clamor &c.

C *Ego vero eodem*, (83) *quò ille Homerum redimitum coronis, & delibutum unguentis emittit ex ea urbe, quam ipſe ſibi fingit.* (p)

(83) De Platone loquitur, qui Homerum poëtarum principem redimitum coronis, & delibutum unguentis emiſit ex ea civitate, quam ſibi in libris de republica finxit; cui Platoni & ipſe hoc loco videtur aſſentiri Scipio, atque poëtas eodem emiſſurus, quò Plato Homerum emiſit. Quòd autem dixit, coronis redimitum, & unguentis delibutum, Platonis verba illa, quæ ſunt de hac re ſcripta in tertio de republica expreſſit: ἀποπεμπομένη ἂν εἰς ἄλλην πόλιν μύρον κατὰ κεφαλῆς καταχέαντες, καὶ ἐρίῳ στέψαντες.

D *Sed juventuti noſtræ minime audiendus*; (84) *quippe, ſi ita ſenſit, ut loquitur, eſt homo impurus: ſin aliter, quod malo, oratio eſt tamen immanis.*

(84) De Epicuro philoſopho videtur dictum, qui ſummum bonum in voluptate poſuit: cui qui ſe addixerant, voluptatem corporis ab eo intelligi negabant. Et hunc autem, ut etiam poëtas videtur Scipio ex optima civitate emittere, utrocunque modo ſenſerit; nam ſi ita ſenſit, ut loquitur, eſt homo impurus; ſin autem, ut defenſores ejus affirmant, oratio eſt tamen, inquit, immanis. Imitatus eſt autem C. Fabricium illum, qui cum Pyrrho pugnavit: qui cum apud Pyrrhum in convivio audiret, quæ de diis colendis, de capeſſenda republica, de ſummo bono in voluptate conſtituendo Epicurus diſſereret, exclamavit: Utinam hanc mentem Pyrrho, & Samnitibus, hoſtibus noſtris, dii dediſſent. Hoc autem extat apud Plutarchum in Pyrrho, ſcriptum his verbis: ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ λόγων παντοδαπῶν γενομένων, πλείστων δὲ περὶ τῆς Ἑλλάδος, καὶ τῶν φιλοσοφούντων, ἔτυχέ πως ὁ Κινέας ἐπιμνησθεὶς τοῦ Ἐπικούρου, καὶ διῆλθεν, ἃ λέγουσι περὶ θεῶν, καὶ πολιτείας. καὶ τέλος τὸ μὲν ἐν ἡδονῇ τιθέμενοι, πολιτείαν δὲ φεύγοντες ὡς βλάβην, καὶ σύγχυσιν τοῦ μακαρίου. τὸ δὲ θεῖον ἀπωτάτω χάριτος, καὶ ὀργῆς, καὶ τοῦ μέλλειν ἡμῶν εἰς ἀπράγμονα βίον, καὶ μεστὸν εὐπαθειῶν ἀποικίζοντες. ἔτι δὲ αὐτοῦ λέγοντος ἀνακραγεῖν ὁ Φαβρίκιος, ὦ Ἡράκλεις εἰπεῖν, Πύῤῥῳ τὰ δόγματα μέλλοι ταυτὶ, καὶ Σαμνίταις, ἕως πολεμοῦσι πρὸς ἡμᾶς.

Cenſoris judicium (85) *nihil fere damnato affert, niſi ruborem; itaque, quòd omnis ea judicatio verſatur tantummodo in nomine, animadverſio illa ignominia dicta eſt.*

(85) Probat maxime in republica Cenſorem, qui ſit magiſter morum, & notet infamia cives, ſi probrum ineſſe dignum notatione cenſoria cenſuerit. Quod autem ſcribit, judicium cenſoris nihil afferre, niſi ruborem damnato, idem ſcripſit etiam in Cluentiana. Sequitur, inquit, id, quod illi judicium appellant, majores autem noſtri nunquam neque judicium nominarunt, neque perinde ut rem judicatam obſervaverunt, animadverſio, atque auctoritas cenſoria &c.

Nec vero mulieribus præfectus reponatur, (86) *qui apud Græcos creari ſolet, ſed ſit cenſor, qui viros doceat moderari uxoribus.*

(86) De moderandis mulieribus loquitur; improbat autem magiſtratum, qui erat apud Græcos: γυναικονόμον, id eſt præfectum mulieribus; hanc enim curam ſtatuit eſſe cenſoriam, qua mulieres in officio facile contineantur. Hunc in Aſinaria Plautus vocat moribus præfectum mulierum.

Magnam habet vim diſciplina (87) *verecundiæ; carent temeto omnes mulieres.*

(87) Laudat vetus inſtitutum, quo mulieribus Romanis vino eſt interdictum; de quo ſcribit Dionyſius in Romulo, & Polybius libro VI. teſte Athenæo, cujus hæc verba ſunt lib. X.: παρὰ Ῥωμαίοις δὲ, ὥς φησι Πολύβιος ἐν τῇ ἕκτῃ, ἀπείρηται γυναιξὶ πίνειν οἶνον, τὸν δὲ καλούμενον πάσσον πίνουσι. τοῦτον δὲ ποιοῦσι μὲν ἐκ τῆς ἀσταφίδος, καὶ ἔστι παραπλήσιος πινόμενος τῷ αἰγοσθενεῖ τῷ γλυκεῖ, καὶ τῷ κρητικῷ. διὸ καὶ πρὸς τὸ κατεπεῖγον τῆς δίψης χρῶνται αὐτῷ. Quem locum expreſſit his verbis Gellius lib. X. cap. XIV.: Qui de victu atque cultu populi

E Romani ſcripſerunt, mulieres Romæ, atque in Latio ætatem abſtemias egiſſe, hoc eſt vino ſemper, quod temetum priſca lingua appellabatur, abſtinuiſſe dicunt. Bibere autem ſolitas ferunt, loream, paſſum, murinam, & quæ id genus epotant, potu dulcia; atque hæc quidem in iis, de quibus dixi, libris promulgata ſunt. Sed M. Cato non ſolum exiſtimatas, ſed multatas quoque à judice mulieres refert non minus, ſi vinum bibiſſent, quàm ſi probrum, & adulterium admiſiſſent. Adjicit Ælianus lib. XI. Variæ hiſtoriæ: Neque liberam, neque ſervam

(o) Aug. de civit. lib. 2. cap. 14.

(p) Nonius.

A Romæ bibiſſe vinum, neque ex iis, qui bono loco eſſent nati, à pubertate uſque ad annos quinque & triginta: οὔτ' ἐλεύθερα γυνὴ ἔπινεν οἶνον, ἣν οἰκέτις, οὐδὲ μὴν αἱ δὲ γεγενημέναι αἱ ἀφ' ἥβης μέχρι τριάκοντα ἐτῶν. Eandem autem fere ſententiam protulit in eadem re Dionyſius, cum dixit Romulum mulieribus vinum prohibuiſſe: φθορᾶς μὲν ἀσωτίας ἀρχὴν ἡγούμενος, μοιχείας δὲ φθορᾶς. Eadem Plinius lib. XIV. cap. XIII.

Atque etiam, ſi qua (88) *erat famoſa, ei cognati oſculum non ferebant.*

(88) Conjuncta hæc eſt ſententia cum ſuperiore; inquit enim eodem in loco Gellius, B & apud Plinium Cato, inſtitutum fuiſſe, ut mulieres cognatis oſculum ferrent, reprehendendi cauſſa, ut odor indicium faceret, ſi vinum bibiſſent; quod idem his verbis eſt eodem etiam in loco apud Athenæum: λαθεῖν δ' ἐστὶν ἀδύνατον τὴν γυναῖκα πιοῦσαν οἶνον. πρῶτον μὲν γὰρ οὐδ' ἔχει οἴνου κυρίαν ἡ γυνή. πρὸς δὲ τούτοις φιλεῖν δεῖ τοὺς συγγενεῖς τὰς γυναῖκας, καὶ τοὺς τῶν ἀνδρῶν ἕως ἐξανεψιῶν, καὶ τοῦτο ποιεῖν καθ' ἡμέραν, ὁπόταν ἴδῃ πρῶτον. λοιπὸν ἀδήλου τῆς ἐντυχίας οὔσης τίσιν ἀπαντήσει, φυλάσσεται. τὸ γὰρ πρᾶγμα κἂν γεύσηται μόνον, οὐ προσδεῖ διαβολῆς.

Non modo ut Spartæ, rapere ubi pueri, & clepere diſcunt. (89)

C (89) Hoc ad eam partem pertinere videtur, in qua de liberis educandis, & ad ſtudia, & labores inſtituendis docuit. Quæ ratio ab eo, qui rempublicam informat, nullo modo prætermittenda eſt; quippe cum ſit diligentiſſime à Platone ſeptimo libro de legibus, & ab Ariſtotele octavo lib. Politicorum tractata. Quòd autem ait, Spartæ pueros rapere, & clepere didiciſſe, id ipſum invenio etiam apud Heraclidem in libello de rebus publicis; ubi hoc Lacædemoniorum inſtitutum exponit his verbis: τρέφουσι δὲ τοὺς παῖδας, ὥστε μηδέποτε πληροῦν, ἵνα ἐθίζωνται δύνασθαι πεινῆν. ἐθίζουσι δὲ αὐτοὺς καὶ κλέπτειν, καὶ τὸν ἁλόντα κολάζουσι πληγαῖς, ἵν' ἐκ D τούτου πονεῖν, καὶ ἀγρυπνεῖν δύνωνται. De ſtudio autem Laconum in pueris ad labores exercendis meminit etiam Ariſtoteles in VIII. Politicorum, & Juſtinus, ubi leges Lycurgi enumerat.

Apud Græcos opprobrio fuit adoleſcentibus, (90) *ſi amatores non haberent.* (q)

(90) Hæc verba adducit ex libris Ciceronis de republ. Servius in x. Æneidos; ſuſpicor autem ex quarto libro ſumpta eſſe, in quo de moribus diſputatum eſt, ut puerorum, ſic etiam adoleſcentum; improbaſſe autem hunc morem Græcorum eum, qui in hoc libro loquitur, Scipionem, ac pudicitiam more majo- E rum cuſtodiendam docuiſſe opinor. De ejuſmodi autem amoribus, quæ illi παιδικὰ vocarunt, Ælianus in Varia hiſtoria, & Athenæus lib. XIII.: καὶ γὰρ τὸ παλαιὸν παίδων ἤρων, ὡς καὶ ἀριστερὸν ἐστιν, ὅθεν καὶ καλεῖσθαι τοὺς ἐρωμένους συνέβη παιδικά.

Jurgare igitur (91) *lex vetat inter ſe vicinos, non litigare.* (r)

(91) Hæc, & proxima verba ſervata ſunt ex ea parte, in qua de jurgandi, & litigandi inter vicinos cives ratione diſſeruit; quod & morum præceptionem attingit. Statuit autem ex lege jurgare non licere, litigare licere; legem autem intelligit duodecim tabularum.

Admiror non rerum ſolum, (92) *ſed verborum etiam elegantiam; ſi jurgant, inquit; benevolorum concertatio, non lis inimicorum, jurgium dicitur.*

(92) Se admirari ait non rerum ſolum elegantiam, quæ erant in lege XII. tabularum, ſed verborum; dixit enim jurgant; quam vocem deinde ipſe interpretatur.

Itaque à petendo petulantia, (93) *à procando, id eſt, poſcendo, procacitas nominata eſt.*

(93) Quæſtio de petulantia cum jurgandi, aut litigandi ratione conjuncta eſt; declarat autem, unde petulantia, unde procacitas dicta ſit.

Fides enim (94) *nomen ipſum mihi videtur habere, cum fit, quod dicitur.*

(94) Jurgiis reprehenſis, fidem infert, religionis & officii omnis cuſtodem, eamque dictam ait ex eo, quòd fiat, quod dicitur; quod idem ſenſit etiam in libris de officiis: Credamuſque inquit, quia fiat, quod dictum eſt, eſſe appellatam fidem. Unde etiam ſcribens ad Tironem dixit: Noſtra ad diem dictam fient; docui enim te, fides ἔτυμον quod haberet.

In cive excelſo, (95) *atque homine nobili blanditiam, oſtentationem, ambitionem nimiam eſſe levitatis.*

(95) Nobilis civis mores informat, atque ab eo abeſſe oportere ait blanditiam, oſtentationem, ambitionem nimiam, quòd ea ſint levitatis; unde in dialogo de amicitia dixit Lælius: Benevolentiam civium blanditiis, & aſſentationibus colligere turpe eſſe, virtutem, quam ſequitur caritas, minime repudiandam eſſe.

Nolo enim eundem (96) *populum imperatorem, & potitorem eſſe terrarum; optimum autem & in privatis familiis, & in republica vectigal duco eſſe parſimoniam.*

(96) De publica parſimonia, & frugalitate, quæ virtutes magnæ à veteribus habitæ ſunt, loquitur; quas in republica gerenda qui negligunt, vectigalia nova, atque intoleranda ſociis imponant, neceſſe eſt. Eſt autem, inquit, turpe, eundem populum imperatorem, & portitorem eſſe terrarum. Hinc autem in Paradoxis exclamavit: O dii immortales, non intelligunt homines, quàm magnum vectigal ſit parſimonia.

Non enim facile (97) *valenti populo reſiſtitur, ſi aut nihil impertias juris, aut parum.* (ſ)

Cum adhibent in pecuda paſtores. (t)

Armentum, & ab eo armentarius. (u) Vi-

(q) Servius. (r) Nonius. (ſ) Priſc. lib. 15.

(t) Nonius. (u) Priſc. lib. de XII. verſ.

(97) Videntur hæc ad eam, ut dixi, diſputationem pertinere, quam de populi judiciis tabellaria lege conſtitutis habuit.

Quos inſepultos (98) *reliquiſſent, eos, quos ex mari, propter vim tempeſtatis, excipere non potuiſſent, innocentes necaverint*. (x)

(98) Hi Athenienſes fuerunt, qui dum religioni ſervire, pietatique erga mortuos voluerunt, rem injuſtam, atque ab omni pietate alienam commiſerunt, ut exponit Petrus Victorius, vir & ingenio, & doctrina præſtanti, in variis lectionibus, ex primo libro Græcarum rerum Xenophontis.

Et noſter Plato (99) *magis etiam, quàm Lycurgus, omnia qui prorſus jubet eſſe communia, ne quis ejus propriam, aut ſuam rem ullam queat dicere.*

Nec in hac diſſenſione ſuſcepi populi cauſſam, ſed bonorum.

Cui quidem utinam vere, fideliter abundante auguraverim.

(99) Hoc ſcriptum eſt apud Platonem in quarto, & quinto de republica; item apud Ariſtotelem in II. Politicorum, quo in loco hoc inſtitutum refellit. Platonis verba hæc C ſunt in V. ἄρ' οὖν ἐκ τοῦδε τὸ τοιόνδε γίγνεται, ὅταν μὴ ἅμα φθέγγωνται ἐν τῇ πόλει τὰ τοιάδε ῥήματα, τό τε ἐμὸν, καὶ τὸ οὐκ ἐμόν. γὰρ περὶ τοῦ ἀλλοτρίου κατὰ ταυτὰ τοῦτο λέγωσι, τὸ ἐμὸν, καὶ τὸ οὐκ ἐμὸν, αὕτη ἄριστα διοικεῖται. Ariſtoteles autem hæc: ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τοῦτο ἄριστόν ἐστι, τὸ μίαν ὅτι μάλιστα εἶναι τὴν κοινωνίαν, οὐδὲ τοῦτο ἀποδείκνυσθαι φαίνεται κατὰ τὸν λόγον, ἐὰν πάντες ἅμα λέγωσι τὸ ἐμὸν, καὶ τὸ μὴ ἐμόν. τοῦτο γὰρ οἴεται ὁ Σωκράτης σημεῖον εἶναι τοῦ τὴν πόλιν τελέως εἶναι μίαν. In verbis autem Ciceronis his à Nonio citatis illud eſt vitii, quòd ne quis ejus, pro ne quis civis legitur.

D *Eoſdem terminos hominum curæ, atque vitæ;* (100) *ſic pontificio jure ſanctitudo ſepulturæ.*

(100) Obſcura verba, nec ſatis, quid ſignificent, aperientia, niſi fortaſſe illud, de quo in dialogo de Amicitia ſcriptum eſt: Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel noſtrorum majorum, qui mortuis tam religioſa jura tribuerunt: quod non feciſſent profecto, ſi nihil ad eos pertinere arbitrarentur, id eſt ſi idem eſſet terminus hominum curæ, & vitæ.

In quintum librum de Republica.

E P. Scipio cum ſatis ſuperioribus diebus de civitate, de republica, & partibus ejus, præterea vero de civium moribus, quibus optimus ille, quem deſcripſiſſet, reipublicæ ſtatus contineretur, egiſſet, eò tandem orationem ſuam adduxit, ut de principe, & moderatore hujus reipublicæ diſputaret; itaque quintum, ac ſextum librum in hac, ut video, tractanda quæſtione conſumpſit: in quibus primum finem hujus rectoris reipublicæ indagavit, deinde virtutes, quibus ille quaſi armis A quibuſdam inſtructus ad eam capeſſendam accederet, poſtremo præmia, quæ iis, qui rempublicam ipſam auxiſſent, ampliſſima propoſita eſſent, numeravit. Quæ cauſſa fecit, ut Cicero his libris proœmium illud præfixerit, quod eſſet huic, de quo dixi, argumento maxime conſentaneum, de excellentibus, inquam, virtute viris; à quibus cum mores, ac inſtituta majorum, tum tanta præſertim, ac tam potens reſpublica ſervaretur.

Ex libro quinto de Republica.

ENNIUS. (1)

B *Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque* ... (y)

Quem quidem ille verſum, vel brevitate, vel veritate, tanquam ex oraculo mihi quodam eſſe effatus videtur. Nam neque viri, niſi ita morata civitas fuiſſet, neque mores, niſi hi viri præfuiſſent, aut fundare, aut tam diu tenere potuiſſent tantam, & tam juſte, lateque imperantem rempublicam; itaque ante noſtram memoriam, & mos ipſe patrius præſtantes viros adhibebat: & veterum morem, ac majorum inſtituta retinebant excellentes viri; noſtra vera ætas cum rempublicam ſicut picturam accepiſſet egregiam, ſed evaneſcentem vetuſtate, non modo eam coloribus iiſdem, quibus fuerat, renovare neglexit, ſed ne id quidem curavit, ut formam ſaltem ejus, & extrema tanquam lineamenta ſervaret; quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem ſtare Romanam, quos ita oblivione obſoletos videmus, ut non modo non colantur, ſed etiam ignorentur? Nam de viris quid dicam? mores enim ipſi interierunt virorum penuria; cujus tanti mali non modo reddenda ratio nobis, ſed etiam, tanquam reis capitis, quodam modo dicenda cauſſa eſt; noſtris enim vitiis, non caſu aliquo, rempublicam verbo retinemus, re ipſa vero jampridem amiſimus.

(1) Hæc ſunt ex proœmio libri quinti de republica, teſte D. Auguſtino libro II. capite XXI. de civitate Dei: cujus hæc verba ſunt: Nullam fuiſſe Romanam rempublicam ipſe Tullius non Scipionis, nec cujuſdam alterius, ſed ſuo ſermone loquens, in principio quinti libri demonſtravit, commemorato prius Ennii poëtæ verſu, quo dixerat:

Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque &c.

Ut enim gubernatori curſus ſecundus, (2) *medico ſalus, imperatori victoria, ſic huic moderatori reipublicæ beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit; hujus enim operis, maximi inter homines, atque optimi, illum eſſe effectorem volo.* (z)

Hæc

(x) Nonius. (y) Aug. de civ. lib. 2. cap. 21.

(z) Cicero ad Atticum libro VIII.

(2) Hæc profert Cicero lib. VIII. epiſt. ad Atticum: Tenes ne, inquit, moderatorem illum reipublicæ, quò referre velimus omnia? nam ſic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio: Ut enim gubernatori curſus ſecundus &c. His autem verbis finem inveſtigavit rectoris reipublicæ eumque eſſe conſtituit, beatam civium vitam, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. Hunc autem finem ſimilitudine artium aliarum demonſtravit, medici, cui ſalus, gubernatoris, cui ſecunda navigatio, imperatoris, cui victoria propoſita ſit. De quarum artium fine ſic diſputavit in Eutyphrone Plato: Ἔχοις ἂν οὖν εἰπεῖν ἡ ἰατροῖς ὑπηρετικὴ εἰς τίνος ἔργου ἀπεργασίαν τυγχάνει οὖσα ὑπηρετική. οὐκ εἰς ὑγιείας οἴει; τί δὲ ἡ ναυπηγοῖς ὑπηρετικὴ εἰς τίνος ἔργου ἀπεργασίαν ὑπηρετική ἐστι; δῆλον ὅτι εἰς πλοίου. καὶ γὰρ οἱ στρατηγοὶ ὦ φίλε. ἀλλ' ὅμως τὸ κεφάλαιον αὐτῶν ῥᾳδίως ἂν εἴποις, ὅτι νίκην ἐν τῷ πολέμῳ ἀπεργάζονται. Quod autem ait Cicero, moderatori civitatis propoſitam eſſe beatam civium vitam, opibus firmam, copiis locupletem, id eſt, quod ſæpe repetiit Ariſtoteles, & & maxime in VII. Politicorum, αὐτάρκεια; inquit enim: ἡ δὲ πόλις κοινωνία τίς ἐστι τῶν ὁμοίων, ἕνεκα δὲ ζωῆς τῆς ἐνδεχομένης ἀρίστης. Item: ἡ πόλις πλῆθός ἐστιν οὐ τὸ τυχὸν, ἀλλὰ πρὸς ζωὴν αὐτάρκες.

Tum virtute, (3) labore, induſtria quæreretur ſummi viri indoles, nihil minus animoſe ferox natura illum neſcio quo. (a)

Quæ virtus fortitudo vocatur, in qua eſt magnitudo animi, mortis, dolorisque magna contemptio.

(3) Hæc eam diſputationem olent, quam Scipio de virtutibus rectoris civitatis inſtituit; quæſiſſe enim ille videtur principis, & ſummi viri indolem, eamque virtute, labore, atque induſtria conformaſſe: virtutes autem cum alias omnes, tum maxime fortitudinem in eo deſideraſſe, qua mortem pro ſalute reipublicæ ſi res ita ferret, non dubitaret oppetere; de qua virtute præclare in Ethicis Ariſtoteles, egregie in Officiis multa Cicero.

Marcellus, ut acer, (4) & pugnax: Maximus, ut conſideratus, & lentus.

(4) Diverſas principum virtutes inter ſe comparat, atque, ambas utiles reipublicæ eſſe, videtur innuere, ferocitatem nimirum, & lenitudinem, id quod M. Marcelli, & Q. Maximi exemplo confirmat; quorum Punico bello periculoſiſſimo alter audacia, alter cunctatione, unde etiam Cunctatoris cognomen invenit, plurimum oppreſſæ reipublicæ profuit. Itaque de Marcello in Bruto dixit Cicero, poſt Cannenſem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam prœlio populum ſe Romanum erexiſſe: in Catone vero, Maximum, Annibalem juveniliter exultantem, patientia ſua molliviſſe.

Sed tamen ut bono patrifamilias (5) colendi, ædificandi, ratiocinandi quidam uſus opus eſt.

(5) Principem civitatis boni patrisfamilias ſimilem eſſe oportere ſignificat, cui opus eſt colendi, ædificandi, & ratiocinandi quidam uſus. Addo hoc etiam, Scipionem de liberalitate principis in his libris eſſe locutum, teſte in ſecundo de Officiis Cicerone, ubi diſſerens de pecunia in publicos ſumptus ad famæ immortalitatem conjicienda, & de toto ejuſmodi liberalitatis genere ſuſcipiendo, concludit, de eo in libris, quos de republica ſcripſit, diligenter diſputatum eſſe; credo autem id aut in quinto, aut in ſexto feciſſe, ſed maxime in quinto.

Menelao (6) Laconi quædam fuit ſuaviloquens jucunditas. (b)

(6) Ut Plutarchus de principis viri eloquentia egit in Politicis, ſic de eadem in hoc libro fortaſſe Scipio diſputavit.

Breviloquentiam (7) in dicendo colat.

(7) Puto dictum de ſenatore, quem brevem eſſe in ſententia dicenda jubet; unde in legibus præcepit, ut modo diceret, id eſt brevi.

Quæ cum Scipio (8) dixiſſet, admodum probans; nimis enim erat odio rhetorum imbutus. (c)

(8) Suſpicor, ne oratores eos inſectatus ſit, qui, lenociniis quæſitis orationis, qualia multa à Græcis tradebantur rhetoribus, populi auribus, non reipublicæ rationibus inſervirent: quòd id à gravitate ſummi ſenatoris, & moderatoris urbis longe abeſſet. Confirmat conjecturam meam, quod Diomedes refert, Ciceronem in dialogis de Republica ſcribere, Aſianos oratores ditrochæo clauſulas terminaſſe, quo numero ſcimus noſtris auribus accidere nihil poſſe jucundius; itaque hac opinione adductum L. Craſſum, virum eloquentiſſimum, in cenſura dicendi magiſtros urbe edicto videmus exterminaſſe, Cicerone ipſo, & Gellio, & Svetonio teſtibus. Concludit ergo Cicero, Scipionem, quòd erat odio rhetorum imbutus, contra eos peroraſſe.

Qui comperit ejus vim, (9) & effrænatam illius ferociam.

Orbi terrarum comprehenſos.

Quod moleſtiis ſenectutis ſuæ veſtris familiis impertire poſſet.

(9) Quid ſi legas, compeſcit, & de populo dictum accipias, cujus vis incitata à principe civitatis cohibeatur?

In ſextum librum de Republica.

Reliquum, quod erat de principis virtutibus exponendum, in hoc libro Scipio, ut opinor, eſt executus; qua diſputatione confecta, uſum earum virtutum neceſſarium demonſtravit, nimirum ut ad perpetuam ſalutis & dignitatis reipublicæ cuſtodiam referrentur; ſolere enim civitatem ſæpe non externis ſolum bellis, ſed domeſticis etiam diſcordiis perturbari, atque convelli, quibus malis omnibus à principe eſſe fortiſſime obſiſtendum. Quod quidem ſi fecerit, tum præmia illum ampliſſima conſecuturum eſſe concluſit, honorem, ac gloriam; quorum ille in ſtatuis, monumentis, ac triumphis, hæc vero in optima ho-

(a) Nonius.

(b) Gell. lib. 12.

(c) Nonius.

hominum de ſuis virtutibus opinione conſiſteret. Adjecit etiam, quo animos civium ad reipublicæ defenſionem vehementius inflammaret, omnibus iis, qui patriam ornarint, auxerint, conſervarint, locum poſt mortem in cœlo eſſe conſtitutum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur; cui orationi ut auctoritatem adderet graviorem, narravit, quid ipſe ea de re in quiete per viſum ab avo Africano acceperit; atque ita omnem de republica, & civitate optima diſputationem abſolvit.

Ex libro ſexto de Republica.

Totam igitur expectas (10) *prudentiam hujus rectoris, quæ ipſum nomen hoc nacta eſt ex providendo.*

(10) Prudentiam principis, & rectoris hujus exequitur.

Qui numero (11) *optimatum, & principum protulit his vocibus, & gravitatis ſuæ liquit illum triſtem, & plenum dignitatis ſonum.*

(11) Obſcurum, de quo loquatur; non ita vero, qua de re loquatur; verba enim facit de gravitate principis.

Graves enim dominæ (12) *cogitationum libidines infinita quædam cogunt, atque imperant; quæ quia expleri, atque ſatiari nullo modo poſſunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris ſuis incenduntur.*

(12) Libidines prudentiæ, immo vero omni virtuti, atque officio inimicas, frænandas videtur ſignificare. Hanc etiam quæſtionem tractavit in Politicis Plutarchus, qua docuit, neminem perturbatione adduci ad rempublicam adminiſtrandam debere; quod exemplo C. Gracchi perniciosum eſſe & reipublicæ, & rectori ejus confirmat.

Læli, quam omnes habemus in manibus, (13) *quàm ſimpuvia pontificum diis immortalibus grata ſint, ſamiæque, ut hic ſcribit, capedines.*

(13) Truncata hæc ab omni parte verba illud tamen ſatis videntur oſtendere, de colenda paupertate ſermonem fuiſſe; declarat hoc Cicero in eo Paradoxo, in quo docet in ſola honeſtate ineſſe bonum: Quæro, inquit, à vobis, num ullam cogitationem habuiſſe videantur ii, qui hanc rempublicam tam præclare fundatam nobis reliquerunt, aut auri, atque argenti ad avaritiam, aut amœnitatum ad delectationem, aut ſupellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos unumquemque regum; vultis incipiam à Romulo? vultis poſt liberam civitatem ab iis ipſis, qui liberaverunt eam? quibus tandem Romulus gradibus aſcendit in cœlum? iis ne, quæ iſti bona appellant, an rebus geſtis, atque virtutibus? Quid autem Numa Pompilius? minus ne gratas diis immortalibus capedines, ac fictiles urnulas fuiſ-

A ſe, quàm delicatas aliorum pateras, arbitramur? Vocat ibi fictiles urnulas, quæ hic Samias capedines; quarum meminit etiam pro Murena: Q. Tubero, cum, inquit, epulum Q. Maximus Africani patrui ſui nomine populo Romano daret, rogatus eſt à Maximo, ut triclinium ſterneret; atque ille Stoicus ſtravit pelliculis hœdinis lectulos Punicanos, & expoſuit vaſa ſamia, quaſi vero eſſet Diogenes Cynicus mortuus; & Appulejus apologia prima: Eadem paupertas imperium populi Romani fundavit, proque eo in hodiernum diis immortalibus ſimpulo, & catino fictili ſacrificat. Sermo autem hic cum Lælio videtur eſſe potiſſimum inſtitutus; videtur autem hæc fuiſſe
B ſententia. Catonis oratio docet, Læli, quam omnes in manibus habemus, quàm ſimpuvia pontificum diis immortalibus grata ſint, Samiæque, ut is ſcribit, capedines.

Firmiter enim majores noſtri (14) *ſtabilita matrimonia eſſe voluerunt.*

Quamobrem, ſe comparet hic civis ita, neceſſe eſt, ut ſit contra hæc, quæ civitatis ſtatum pervertunt, ſemper armatus.

(14) Hoc loco neſcio quo modo de jure uxorio colendo videtur egiſſe, ac majorum prudentiam extuliſſe, qui firmiter matrimonia ſtabiliverint, quod à Romulo fuiſſe inſtitutum
C docet in ſecundo libro Hiſtoriarum Dionyſius; adeo enim firmata inter virum & uxorem connubii jura eſſe ab eo ſcribit, ut per quingentos ac viginti annos divortium nullum Romæ auditum ſit; qui autem primus uxori nuntium remiſerit, is ſe liberorum quærendorum cauſſa id facere, ſterilitatem uxoris cauſſatus, apud cenſores juraverit.

Eaque diſſenſio (15) *civium, quòd ſeorſum eunt alii ad alios, ſeditio dicitur.*

(15) De ſeditione civili eſt oratio, ejuſque vis aperitur, quòd ſit dicta, quia in civi-
D tate ſeorſum alii ad alios eant.

Et vero in diſſenſione (16) *civili, cum boni plus, quàm multi valent, expendendos ab his, non numerandos puto.*

(16) Seditionem, quæ eſt inter optimates, & populum, deſcribit; in qua eam haberi rationem à rectore vult civitatis, ut bonos, qui plus valent, quanquam pauciores ſunt, expendat potius, quàm numeret.

Quod quidem eo fuit (17) *majus, quia, cum in cauſſa pari collegæ eſſent, non modo invidia pari non erant, ſed etiam Claudii*
E *invidiam Gracchi caritas deprecabatur.* (d)

(17) Loquitur de Ti. Graccho, Gracchorum patre, & C. Claudio, qui cum cenſores inter ſe de libertinorum ſuffragiis contendiſſent, poſt à tribuno plebis ad populum accuſati ſunt, ut auctor eſt Livius lib. XLII. & Valerius lib. VI. cap. V. his verbis: Cum Ti. Gracchus, & C. Claudius ob nimis ſevere geſtam cenſuram majorem partem civitatis exaſperaſſent, diem his M. Popillius tribunus plebis ad populum dixit; quo judicio primæ claſ-

(d) Gell. lib. 6. cap. 16.

claſſis centuriæ Claudium aperte damnabant, de Gracchi abſolutione univerſæ conſentire videbantur; qui clam voce juravit, ſi de collega ſuo gravius eſſet judicatum, in factis ſe paribus eandem cum illo pœnam exilii ſubiturum; eaque juſtitia tota illa tempeſtas ab utriuſque fortunis, & capite depulſa eſt: Claudium enim populus abſolvit. Graccho cauſſæ dictionem M. Popillius remiſit. Hoc eſt ergo, quod inquit, ſive Scipio, ſive alius quis, ex iis, qui ſermoni intererant, eò fuiſſe majus, quòd, cum in cauſſa pari collegæ eſſent, non modo invidia pari non erant, ſed etiam Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur.

Ferunt hos laudibus, (18) *mactant honoribus*. (*e*)

(18) Nonius hæc verba profert ex libris de republica; puto autem ex ſexto libro eſſe ſumpta, ubi de honoribus longa oratio eſt.

In his, ut meminiſtis, (19) *concurſu leviſſimæ multitudinis ære congeſto funus deſubito eſſet ornatum*.

(19) Exemplum hoc eſt honoris habiti præſtanti in republica viro mortuo, quòd ab eo ſancte rempublicam adminiſtratam eſſe populus intelligeret. Eſt autem honor ei ſimilis, quo P. Valerium Poplicolam, & Agrippam Menenium, & Q. Fabium Rullianum, viros reipublicæ ſtudioſiſſimos, & eo nomine populo jucundiſſimos, eſſe affectos accepimus; mortuis enim illis æs populi liberalitate ad funeris magnificentiam eſt congeſtum. De cujus autem hic funere intelligat, nihil habeo comperti: de recenti quidem re loqui videtur, ſiquidem ait: Ut meminiſtis; de illis autem cum alii, tum Appulejus apologia prima: Poplicola regum exactor, & Agrippa populi reconciliator, quorum funus ob tenues opes à populo Romano collatis ſextantibus adornatum eſt.

Ut, quemadmodum ſcribit ille, (20) *quotidiano in forum mille hominum cum palliis conchylio tinctis deſcenderent*.

(20) Et hoc honoris exemplum eſt, in præſtantem, & egregium civem à civibus ſuis collati; exemplum autem externum eſſe reor, non domeſticum: ſiquidem de palliis verba facit. Hæc de honoribus. De gloria vero auctor eſt D. Auguſtinus, qui lib. v. cap. xiii. de civitate Dei tradidit, Ciceronem in libris de republica principem civitatis alendum eſſe gloria præcepiſſe. Quam ſententiam D. Thomas lib. i. de regimine principum his verbis expoſuit: Oportet conſiderare, quale ſit boni regis conveniens præmium; quibuſdam igitur viſum eſt, non eſſe aliud, niſi honorem, & gloriam; unde & Tullius de republica diffinit principem civitatis eſſe alendum gloria, cujus rei rationes Ariſtoteles in Ethicis reddere videtur, quia princeps, cui non ſufficit honor, & gloria, tyrannus efficitur; ineſt enim animis omnium, ut bonum proprium quærant; ſi ergo non contentus fuerit princeps gloria, & honore, quæret voluptates, divitias, & ſic ad divitias, & ſubditorum rapinas convertetur. Unde illa ſunt Ciceronis in tertio etiam de legibus: Pauci honore, & gloria amplificati, vel corrumpere mores civitatis, vel corrigere poſſunt; ſed hæc in aliis libris tractata ſunt diligentius.

Sed quanquam ſapientibus (21) *conſcientia ipſa factorum egregiorum ampliſſimum virtutis eſt præmium: tamen illa divina virtus non ſtatuas plumbo inhærentes, nec triumphos areſcentibus laureis, ſed ſtabiliora quædam, & viridiora præmiorum genera deſiderat. Quæ tandem iſta ſunt? inquit Lælius. Tum Scipio, patimini me, inquit, quoniam tertium diem feriati ſumus.* (*f*)

(21) Qua occaſione hæc verba à Scipione dicta ſint, docet Macrobius in Somnium Scipionis, hoc modo: Scipionem hæc occaſio ad narrandum ſomnium provocavit, quod longo tempore teſtatus eſt ſe condidiſſe; cum enim Lælius quereretur, nullas Naſicæ ſtatuas in publico in interfecti tyranni remunerationem locatas, reſpondit Scipio poſt alia in hæc verba: Sed quanquam ſapientibus &c. quibus verbis ad narrationem ſomnii venit, docens illa eſſe ſtabiliora, & viridiora præmiorum genera, quæ ipſe vidiſſet in cœlo bonis rerum publicarum rectoribus ſervata. Ex quo intelligi poteſt, paulo ante de ſtatuis, & de triumphis, & ejuſmodi aliis honorum generibus mentionem eſſe factam, his autem verbis ſomnii illius pulcherrimi narrationem, paucis verbis additis, fuiſſe agglutinatam; quam narrationem, ne qua pars horum ornatiſſimorum librorum, quæ quidem extaret, in hoc volumine quæreretur, his etiam fragmentis attexendam exiſtimavimus; in qua Platonem ipſo etiam ſuum eſt æmulatus, quanquam non in omnibus ſecutus. Etenim, ut ait idem hujus ſomnii interpres Macrobius, poſtquam in omni reipublicæ otio, ac negotio palmam juſtitiæ diſputando dedit, ſacras immortalium animarum ſedes, & cœleſtium arcana regionum in ipſo conſummati operis faſtigio collocavit, indicans, quò his perveniendum, vel potius revertendum ſit, qui rempublicam cum prudentia, juſtitia, fortitudine, atque moderatione tractaverint; ſed Platonicus ſecretorum relator Er quidam nomine fuit, natione Pamphylius, miles officio, qui cum vulneribus in prœlio acceptis vitam effudiſſe viſus, duodecimo demum die inter ceteros unà peremptos ultimo eſſet honorandus igne, ſubito ſeu recepta anima, ſeu retenta, quicquid emenſis inter utranque vitam diebus egerat, videratve, tanquam publicum profeſſus indicium, humano generi nunciavit. Hanc fabulam Cicero licet ab indoctis quaſi ipſe veri conſcius doleat irriſam, exemplum tamen ſtolidæ reprehenſionis vitans, excitari narraturam, quàm reviviſcere maluit. D. etiam Auguſtinus libro xxii. cap. xxviii. de civitate Dei ita hunc locum tractat: Nonnulli amantes Platonem, dicunt, eum aliquid ſimile nobis etiam de mortuorum reſurrectione ſenſiſſe; quod quidem ſic tangit in libris de republica Tullius, ut eum luſiſſe potius, quàm quòd id verum eſſe affirmet, dicere voluiſſe.

Cum

(*e*) Nonius.

(*f*) Macr. lib. i. de Somnio.

Cum in Africam veniſſem (22) M'. Manilio conſuli (23) ad quartam legionem tribunus, ut ſcitis, militum, nihil mihi potius fuit, quàm ut Maſſaniſam convenirem, regem familiæ noſtræ juſtis de cauſſis amiciſſimum; (24) ad quem ut veni, complexus me ſenex collacrymavit, aliquantoque poſt ſuſpexit in cœlum, & grates, inquit, tibi ago ſumme Sol, vobiſque reliqui cœlites, quòd antequam ex hac vita migro, conſpicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem, cujus ego nomine ipſo recreor; ita nunquam ex animo meo diſcedit illius optimi, (25) atque invictiſſimi viri memoria. Deinde ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra republica percunctatus eſt: multiſque verbis ultro citroque habitis, ille nobis conſumptus eſt dies. Poſt autem regio apparatu accepti, ſermonem in multam noctem produximus, cum ſenex nihil, niſi de Africano, loqueretur, omniaque ejus non ſolum facta, ſed etiam dicta meminiſſet. Deinde, ut cubitum diſceſſimus, me, & feſſum de via, & qui ad multam noctem vigilaſſem, arctior, quàm ſolebat, ſomnus amplexus eſt. Hic mihi (credo equidem, ex hoc, quod eramus locuti: fit enim ſæpe fere, (26) ut cogitationes, ſermoneſque noſtri pariant aliquid in ſomno tale, quale de Homero ſcribit Ennius, (27) de quo videlicet ſæpiſſime vigilans ſolebat cogitare, & loqui) Africanus ſe oſtendit illa forma, qua mihi ex imagine ejus, quàm ex ipſo, erat notior. (28) Quem ut agnovi, equidem cohorrui. Sed ille, ades, inquit, animo, & omitte timorem Scipio, &, quæ dicam, trade memoriæ. Vides ne illam urbem, quæ parere populo Romano coacta per me, renovat priſtina bella, (29) nec poteſt quieſcere? (oſtendebat autem Carthaginem de excelſo, & pleno ſtellarum, illuſtri & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis pene miles; hanc hoc biennio conſul evertes, (30) eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes ex nobis adhuc hereditarium. Cum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris, (31) cenſorque fueris, (32) & obieris legatus Ægy-

(22) Fingit Cicero Scipionem, quo tempore M'. Manilio conſuli tribunus militum in Africam initio belli Punici tertii venit, ſe ad Maſſaniſam Numidiæ regem contuliſſe, atque à rege, ut P. Scipionis Africani nepotem, quamliberaliſſime, & quamhonorificentiſſime eſſe acceptum. Quod autem dubitationem affert, perinde loquentem Scipionem inducit, quaſi ille tum primum ad regem venerit, cum tamen, ſi Appianum in Iberico audiamus, biennio etiam ante eundem regem Scipio conveniſſet, à L. Lucullo cos. cujus tum legatus erat, ex Hiſpania, in qua tum bellum cum Celtiberis gerebatur, elephantorum petendorum cauſſa miſſus. Accedit, quòd Manilio conſule eundem ad Maſſaniſam veniſſe ſcribit ille quidem, ſed ab eo ægrotante accerſitum, ut regni ſui inter filios dividendi arbiter eſſet. Quo tempore ne à ſemimortuo quidem rege hoc, quo ſcribit Cicero, apparatu accipi potuit. Quare aut falſus eſt Appianus, aut verba hæc Scipionis parum cum re ipſa congruentia ſunt: Cum in Africam veniſſem M'. Manilio conſuli tribunus militum, nihil mihi potius fuit, quàm ut Maſſaniſam convenirem, & illa: Rex me complexus collacrymavit, aliquantoque poſt ſuſpexit in cœlum, & grates tibi, inquit, ago ſumme ſol, quòd antequam ex hac vita migro, conſpicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem &c. neque enim in eum conveniunt, qui eundem Scipionem paucis ante menſibus in iiſdem tectis recepiſſet.

(23) Alii Marcio, & Manilio; ego vero legi oportere cenſeo: Manio Manilio conſuli; primum enim ejuſmodi hic conſul prænomine uſus eſt, ut in faſtorum commentariis oſtendi, deinde Scipio tribunus fuit Manilii conſulis, teſte Appiano in Libyco, non ejus collegæ Marcii; poſtremo mos etiam Latinus poſtulat, ut conſuli, non conſule ſcribatur. Nam & legatus, & tribunus conſuli dicebatur non conſule.

(24) Ex his verbis apparet Scipionem privato, non publico officio, ſponte, non regis vocatu eum conveniſſe, contra quàm ſcripſit Appianus; ex quo labare apparet hoc totum Ciceronis figmentum. Amiciſſimus porro Scipionum erat Maſſaniſa, quòd per P. Scipionem avum hujus in ſocietatem populi Romani pervenerat, quòd patrium regnum non ſolum recuperaverat, ſed etiam auxerat, quòd denique Rex à Senatu appellatus fuerat. Livius auctor.

(25) Scipionem avum intelligit.

(26) Hujus rei cauſſam reddit in ſecundo de divinatione his verbis: Animus cum languore corporis, nec membris uti, nec ſenſibus poteſt, incidit in viſa varia, & incerta ex reliquiis, ut ait Ariſtoteles, inhærentibus earum rerum, quas vigilans geſſerit, aut cogitarit; quarum perturbatione mirabiles interdum exiſtunt ſpecies ſomniorum.

(27) Qui Ennius dixit: Mihi viſus Homerus adeſſe poëta. Quin etiam idem ſe Homeri animam dixit habere.

(28) Recte; nam quo anno Scipio avus diem ſuum obiit, eodem hic nepos natus eſt, Ap. Claudio Pulchro, M. Sempronio Tuditano coſs. anno ab U. C. DLXXVI.

(29) Carthago bello Punico ſecundo, victo à P. Scipione acie in Africa Annibale, pacis conditiones accepit, & tributi impoſiti onus pertulit. Iis autem tertio arma illata ſunt, quòd contra fœdus naves haberent, & cum ſocio Maſſaniſa armis de finibus contenderent. Appianus, alii.

(30) Conſulem accipio, pro eo, qui conſulare imperium habeat; nam Scipio conſul fuit biennio poſt ille quidem, ſed non biennio poſt Carthaginem evertit, verum triennio, & quidem proconſule, ut in Commentariis faſtorum demonſtratum eſt.

(31) Triumphavit de Pœnis Scipio, Lentulo, & Mummio coſs. eodem anno, quo Corinthus deleta eſt, ut in eodem libro oſtendimus.

(32) Cenſuram geſſit cum L. Mummio in conſulatu L. Metelli, & Q. Maximi; anno U. C. DCXI. ut eo in libro docuimus.

Ægyptum, (33) Syriam, Aſiam, Græciam: delegere iterum abſens conſul (34) bellumque maximum conficies, (35) Numantiam excindens; ſed cum eris curru Capitolium invectus, (36) offendes rempublicam perturbatam conſiliis nepotis mei. (37) Hic tu Africane (38) oſtendas oportebit patriæ lumen animi, ingenii, conſiliique tui. Sed ejus temporis ancipitem video quaſi fatorum viam; nam cum ætas tua ſeptenos octies (39) ſolis anfractus, redituſque converterit; duoque bi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de cauſſa babetur, circuitu naturali ſummam tibi fatalem confecerint: in te unum, atque tuum nomen ſe tota convertet civitas: te Senatus, te omnes boni, te ſocii, & Latini intuebuntur: (40) tu eris unus, in quo nitatur civitatis ſa-

(33) Satis conſtat, P. Scipionem legatum cum Sp. Mummio, & L. Metello ad regum, & civitatum, & gentium animos perſpiciendos eſſe miſſum; ut ſcriptum reliquit Juſtinus libro XXXVIII. Obiiſſe autem hanc eum legationem exiſtimo ante cenſuram, duabus rationibus adducor, ut credam; primum Ciceronis ipſius auctoritate, qui in Lucullo ait: P. Africani hiſtoriæ loquuntur, in legatione illa nobili, quam ante cenſuram obiit, Panætium unum omnino comitem fuiſſe; deinde veriſimili conjectura; non enim L. Metellum virum conſularem ei adjunxiſſent, cum moris eſſet, uni conſulari legato duos non conſulares adjungere; at ſi poſt cenſuram miſiſſent, L. Metellum jam conſularem non addidiſſent. Hoc autem iccirco dico, ne quis temere Valerio aſſentiatur, qui lib. IV. cap. III. Scipionem ſcribit, poſt duos conſulatus, & duos triumphos hoc legationis officio eſſe functum. Nam quòd hoc in loco Cicero cenſuram legationi præferat, id orationis commoditas videtur vel defendere poſſe, vel excuſare.

(34) Expone abſentem, id eſt non petentem; ſic enim ſæpe Dionyſium, & Livium locutum eſſe oſtendi in ſcholiis Livianis. Qui enim dici poteſt Scipio tum abfuiſſe, cum certum ſit ex Valerii lib. VIII. cap. X. quæſtoriis comitiis, cum Quinti fratris filium in campum deduxiſſet, conſulem eum eſſe factum? Lælius quidem etiam apud Ciceronem in dialogo de amicitia, Scipionem nunquam petiiſſe confirmat.

(35) Bellum in Hiſpania geſtum eſt graviſſimum per annos viginti cum Celtiberis, neque ante confectum, quàm per Scipionem Numantia, quæ ſola fere ejus demum regionis arma retinebat, everſa eſt; de quo bello nos multa in Commentariis faſtorum.

(36) P. Scipio de Numantinis triumphavit P. Popillio, P. Rupilio coſs. anno U. C. DCXXI. anno poſtquam Ti. Gracchus uxoris ſuæ frater, cum tribunatum, quem ſeditioſe geſſerat, in alterum annum continuare vellet, ab optimatibus eſt occiſus.

(37) Ti. Gracchum intelligit, ex Cornelia filia ſua nepotem, qui optimatum ſtatum jam Romæ inveteratum lege agraria de quingentis jugeribus referenda perturbavit. Non eſt hoc loco teſtibus opus; ſatis enim eſt eorum in Commentariis.

(38) Significat fortaſſe tempus illud, quo, auctore Valerio, Scipio à C. Carbone tribuno pleb. in Roſtra perductus eſt, &, quid de Tiberii nece ſentiret, dicere juſſus, reſpondit, eum ſibi jure cæſum videri; aut, niſi hoc præcipue velis, patrocinium, quod ab eo Itali contra legem Semproniam petierunt, intellige.

(39) Significat, Scipionem annos natum LVI. diem ſuum obiturum; obiit autem M'. Aquillio, & C. Tuditano coſs. eodem anno, quo hæc dicta eſſe finxit Cicero.

(40) Quid hoc loco ſignificet, pluribus aperiam. Cum conſulatum iniſſent M'. Aquillius, & C. Sempronius Tuditanus, ſeditiones de agris dividendis, quæ paulo poſt necem Ti. Gracchi, obitumque Ap. Claudii, qui una cum C. Graccho ad eorum diſtributionem triumviri fuerant deſignati, conſederant, iterum vehementius excitatæ ſunt, C. Graccho, C. Carbone, & M. Fulvio triumviros agros omnium Italicorum ex lege Tiberii ſeverius dividentibus. Quam partitionem moleſte ferentes omnes Latini nomini ſocii, ad P. Africanum univerſi confugiunt, eumque orant, ne ſe, miſeris ſuis temporibus, deſerat, aut injuria affici patiatur. Quorum voluntati non obſequi Scipio iniquum eſſe ratus, quòd eorum præclara uſus opera difficillimis in bellis fuiſſet, cauſſam illorum ſtudioſe ſuſcepit. Itaque cum ea de re in Senatum veniſſet, legem quidem agrariam improbare non eſt auſus, ne forte populi voluntatem offenderet, eumque à ſe alienaret, verum cum de agrorum ex lege dividendorum difficultate diſſereret, æquum ſibi videri dixit, non à triumviris cauſſas, qui ſuſpecti facile eſſe poſſent iis, quorum res dividerentur, ſed ab aliis cognoſci. Ea de cauſſa Tuditanus conſul, judex lectus, cum cauſſam aggreſſus, rei difficultatem intueretur, oblata ſibi Illyrici belli occaſione, re infecta paludatus egreſſus eſt. Plebs autem cum Scipionem eum pro commodis ſociorum contra ſua pugnare animadverteret, cui bis ipſa conſulatum ante tempus mandaſſet, & duo bella graviſſima detuliſſet, ab eo vehementer alienata eſt. Quæ omnia C. Graccho, ceteriſque, qui plebis partes adverſus Scipionem ſuſceperant, minime obſcura cum eſſent, eum occaſione data palam eo nomine criminabantur ad populum, quòd agrariam ipſe Tiberii legem abrogare contenderet. Quare eorum oratione incenſa plebs in eum furorem adducta eſt, ut Scipionem hanc cauſſam pro roſtris agentem clamoribus, & ſibilis interpellaverit. Quibus gravius Scipio laceſſitus, me hoſtium, inquit, vociferatio nunquam perturbavit, multo nunc minus adverſa eorum hominum acclamatio, quibus Italiam ſcio novercam eſſe, non matrem. Cum autem operæ Gracchanæ ſublato clamore tyrannum tollendum eſſe dicerent; Præclare patriæ oppugnatores, inquit, me ante de medio tollere cupiunt, quòd nec, Scipione vivente, Romam interituram, nec, Roma intereunte, Scipionem victurum eſſe confidant. Itaque aut eodem die, aut certe non ita multo poſt, cum M. Fulvius in eum acerbiſſime invectus eſſet, pro concione de periculo ſalutis ſuæ populum conteſtatus eſt, quod ſibi pro patria laboranti parari ab improbis hominibus comperiſſet; eodemque die cum in Senatum veniſſet, eo dimiſſo domum reductus eſt ad veſperam à patribus conſcriptis, à ſociis, atque Latinis. Atque

ſalus. Ac, ne multa, dictator rempublicam conſtituas oportet, (41) *ſi impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamaſſet Lælius, ingemuiſſentque ceteri vehementius; leniter arridens Scipio: Quæſo, inquit, ne me è ſomno excitetis, & pax ſit rebus; audite cetera. Sed, quo ſis Africane alacrior ad tutandam rempublicam ſic habeto, omnibus, qui patriam conſervaverint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in cœlo, ac definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur; nihil eſt enim illi Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quàm concilia, cœtuſque hominum jure ſociati, quæ civitates appellantur; harum rectores & conſervatores hinc profecti huc revertentur. Hic ego, etſi eram perterritus non tam metu mortis, quàm inſidiarum à meis, quæſivi tamen, viveret ne ipſe pater Paullus,* (42) *& alii, quos nos extinctos arbitremur. Immo vero, inquit, hi vivunt, qui ex corporum vinculis* (43) *tanquam è carcere evolaverunt; veſtra vero, quæ dicitur vita, mors eſt.* (44) *Quin tu aſpicias ad te venientem Paullum patrem; quem ut vidi, equidem vim lacrymarum profudi. Ille autem me amplexus, atque oſculans, flere prohibebat. Atque ego ut primum, fletu repreſſo, loqui poſſe cœpi, quæſo, inquam, pater ſanctiſſime, atque optime, quoniam hæc eſt vita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero? Non eſt ita, inquit ille; niſi enim Deus is, cujus hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non poteſt; homines enim ſunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ dicitur terra; hiſque animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera & ſtellas vocatis, quæ globoſæ, & rotundæ, divinis animatæ mentibus, circulos ſuos, orbeſque conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi Publi, & piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis, nec injuſſu ejus, à quo ille eſt nobis datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum aſſignatum à Deo defugiſſe videamini. Sed ſic Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, juſtitiam cole, & pietatem, quæ cum ſit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima eſt, quia ea vita via eſt in cœlum, & in hunc cœtum eorum, qui jam vixerunt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides. Erat autem is ſplendidiſſimo candore inter flammas circulus elucens, quem vos (ut à Grajis accepiſtis) orbem lacteum nuncupatis. Ex quo omnia mihi contemplanti præclara cetera & mirabilia videbantur. Erant autem eæ ſtellæ, quas nunquam ex hoc loco vidimus, & eæ magnitudines omnium, quas eſſe nunquam ſuſpicati ſumus: ex quibus erat illa minima, quæ ultima cœlo, citima terris,* (45) *luce lucebat aliena; ſtellarum autem globi terrarum magnitudinem facile vincebant. Jam vero ipſa terra ita mihi parva viſa eſt, ut me imperii noſtri, quo quaſi ejus punctum attingimus, pœniteret. Quam cum magis intuerer, quæſo, inquit Africanus, quouſque humi defixa tua mens erit? Num ne aſpicis, quæ in templa veneris? novem tibi orbibus, vel potius globis connexa ſunt omnia; quorum unus eſt cœ-*

que hic quidem pulcherrimus ultimus dies P. Scipioni illuxit. Nam cum tabula apud ſe poſita, in qua ſcripturus nocte videbatur ea, quæ ad populum poſtridie eſſent agenda, validus veſpere cubitum diſceſſiſſet, poſtridie mane mortuus in lectulo eſt inventus, ita tamen, ut illatæ vis non obſcura quædam in faucibus ſigna inſiderent. Sunt, qui tradant veneno à Cornelia ſocru fuiſſe necatum, verita, ne Tiberii filii lex auctoritate ejus abrogaretur; idque factum eſſe filia Sempronia ejuſdem uxore adjuvante, vel fratrum ipſorum cauſſa, quos vir ſuus Africanus cauſſa reipublicæ oppugnabat, vel diuturno, & inveterato odio, quo alter in alterum incenſus erat. Fuerunt etiam, qui ejus necis cauſſam in C. Gracchum, & C. Carbonem ceteroſque inimicos Scipionis conferrent, ab iiſque ſuffocatum fuiſſe dicerent. Illud quidem conſtare ſcribit Appianus, ſervos Scipionis in tormentis habitos dixiſſe, ab exteris eum quibuſdam noctu domi latentibus oppreſſum interiiſſe, ſed eorum nomina divulgare plebis gratia adhuc iratæ, & necis ejus non ignaræ nunquam auſos fuiſſe. Hæc ex Appiani libro primo de bellis civilibus, Plutarcho in Apophthegmatis, & in Gracchis, Vellejo libro II. Cicerone in Lælio, epitome Liviana, libro II. epiſtolarum ad Q. fratrem.

(41) Significat ſeditionem ob diviſionem agrorum futuram tantam, ut ejus ſedandæ cauſſa, ut quondam, opus ſit dictatore, & ipſum ſine dubio dictum iri, niſi ante à propinquis ſublatus per inſidias fuerit.

(42) Satis conſtat P. Scipionem hunc noſtrum L. Æmilii Paulli, qui Perſem Macedoniæ regem devicit, natura fuiſſe filium, adoptione vero P. Scipionis, qui fuit Africani ſuperioris filius.

(43) Animum cum corpore ipſo colligatum, & nexum ſcripſit his verbis Plato in Phædone: γιγνώσκουσι οἱ φιλομαθεῖς, ὅτι παραλαβοῦσα αὐτῶν τὴν ψυχὴν ἡ φιλοσοφία ἀτεχνῶς διαδεμένην ἐν τῷ σώματι. καὶ προσκεκολλημένην δὲ ὥσπερ δι' εἱργμοῦ διὰ τούτου σκοπεῖσθαι τὰ ὄντα.

(44) Hic totus locus ex Gorgia Platonis fere ad verbum expreſſus eſt. In quo ita Socrates: Καὶ γάρ τοι θαυμάζοιμ' ἄν, εἰ Εὐριπίδης ἀληθῆ ἐν τοῖς ἔλεγε, λέγων, τίς δ' οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν, τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν; καὶ ἡμεῖς τῷ ὄντι ἴσως τεθνάμεν; ἤδη γάρ ἔγωγε ἤκουσα τῶν σοφῶν, ὡς νῦν ἡμεῖς τέθναμεν, καὶ τὸ σῶμα ἐστὶν ἡμῶν σῆμα.

(45) Hæc verba citantur à Nonio ex VI. de republica Ciceronis.

A cæleſtis extimus, qui reliquos omnes complectitur, ſummus ipſe Deus arcens & continens ceteros; in quo infixi ſunt illi, qui volvuntur ſtellarum curſus ſempiterni, cui ſubjecti ſunt ſeptem, qui verſantur retro contrario motu atque cœlum. Ex quibus unum globum poſſidet illa, quam in terris Saturniam nominant; deinde eſt hominum generi proſper (46) & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis; tum rutilus, horribiliſque terris, quem Martem dicitis; deinde ſubtermediam fere regionem Sol obtinet, dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta ſua luce luſtret, & compleat. Hunc ut comites conſequuntur, alter Veneris, alter Mercurii curſus. In infimoque orbe luna, radiis ſolis accenſa, convertitur. Infra autem jam nihil eſt, niſi mortale, & caducum, præter animos generi hominum munere deorum datos: ſupra lunam ſunt omnia æterna. Nam ea, quæ eſt media & nona, tellus neque movetur, & infima eſt, & in eam feruntur omnia ſuo nutu pondera. Quæ cum intuerer ſtupens, ut me recepi, quis hic, inquam, quis eſt, qui complet aures meas tantus, & tam dulcis ſonus? Hic eſt, inquit, ille, qui intervallis conjunctus imparibus, ſed tamen pro rata portione diſtinctis, impulſu, & motu ipſorum orbium efficitur, qui acuta cum gravibus temperans, æquabiliter concentus efficit; nec enim ſilentio tanti motus incitari poſſunt; & natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute ſonent. Quam ob cauſſam ſummus ille cœli ſtelliferi curſus, cujus converſio eſt concitatior, acuto & excitato movetur ſono, graviſſimo autem hic lunaris, atque infimus. Nam terra nona immobilis manens, ima ſede ſemper hæret, complexa medium mundi locum. Illi autem octo curſus, in quibus eadem vis eſt duorum, Mercurii, & Veneris, modorum, ſeptem efficiunt diſtinctos intervallis ſonos, qui numerus rerum omnium fere nodus eſt. Quod docti homines nervis imitati, atque cantibus, aperuere ſibi reditum ad hunc locum: ſicut alii, qui præſtantibus ingeniis in vita humana divina ſtudia coluerunt. Hoc ſonitu completæ aures obſurduerunt; (47) nec eſt ullus hebetior ſenſus in vobis, ſicut in illis, ubi Nilus ad illa, quæ catadupa nominantur, præcipitat ex altiſſimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus ſenſu audiendi caret. Hic vero tantus eſt totius mundi incitatiſſima converſione ſonitas, ut eum aures hominum capere non poſſint; ſicut intueri ſolem nequitis adverſum, ejuſque radiis acies veſtra, ſenſuſque vincitur. Hæc ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem. Tum Africanus inquit: Sentio te ſedem etiam nunc hominum contemplari, ac domum. Quæ ſi tibi parva, ut eſt, ita videtur, hæc cœleſtia ſemper ſpectato, illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem ſermonis hominum, aut quam expetendam gloriam conſequi potes? Vides habitari in terra raris, & anguſtis in locis, & in ipſis quaſi maculis, ubi habitatur, vaſtas ſolitudines interiectas: hoſque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita eſſe, ut nihil inter ipſos ab aliis ad alios manare poſſit, ſed partim obliquos, partim tranſverſos, partim etiam adverſos ſtare vobis, à quibus ſpectare gloriam certe nullam poteſtis. Cernis autem terram eandem, quaſi quibuſdam redimitam & circumdatam cingulis, è quibus duos maxime inter ſe diverſos, & cœli verticibus ipſis ex utraque parte ſubnixos, obriguiſſe pruina vides: medium autem illum, & maximum ſolis ardore torreri. Duo ſunt habitabiles; quorum auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt, adverſa vobis urgent veſtigia, nihil ad veſtrum genus. Hic autem alter ſubjectus aquiloni, quem incolitis, cerne quàm vos tenui parte contingat. Omnis enim terra, quæ colitur vobis, anguſta verticibus, lateribus latior, parva quædam inſula eſt, circumfuſa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quod Oceanum appellatis in terris, qui tamen tanto nomine, quàm ſit parvus, vides. Ex his ipſis cultis, notiſque terris, num aut tuum, aut cujuſquam noſtrum nomen vel Caucaſum hunc, quem cernis, tranſcendere potuit, vel illum Gangem tranſnare? Quis in reliquis orientis, aut obeuntis ſolis ultimis, aut aquilonis, auſtrive partibus tuum nomen audiet? Quibus amputatis, cernis profecto quantis in anguſtiis veſtra gloria ſe dilatari velit; ipſi autem, qui de vobis loquuntur, quàm diu loquentur? Quin etiam ſi cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes unuſcujuſque noſtrum à patribus acceptas poſteris prodere, tamen propter eluviones, exuſtioneſque terrarum, quas accidere tempore certo neceſſe eſt, non modo non æternam, ſed ne diuturnam quidem gloriam aſſequi poſſumus. Quid autem intereſt, ab iis, qui poſtea naſcentur, ſermonem fore de te, cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati ſint? qui nec pauciores, & certe meliores fue-

(46) Manuſcripti libri habent, proſperus, quod probo. Etenim & Priſcianus lib. VI. hæc verba ex VI. de rep. proferens, legit proſperus.

(47) Idem Ariſtoteles in libro de Somniis: γίνονται δὲ καὶ ἀπὸ τῶν μεγάλων ψόφων δύσκωφοι.

fuerunt viri: cum præſertim apud eos ipſos, à quibus nomen noſtrum poteſt audiri, nemo unius anni memoriam conſequi poſſit. Homines enim populariter annum tantummodo ſolis, id eſt unius aſtri reditu metiuntur; cum autem ad idem, unde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra redierint, eandemque totius cœli deſcriptionem longis intervallis retulerint: tum ille vere vertens annus appellari poteſt: in quo, vix dicere audeo, quàm multa ſæcula hominum teneantur. Namque ut olim deficere ſol hominibus, extinguique viſus eſt, cum Romuli animus hæc ipſa in templa penetravit: quandocunque eadem parte ſol, eodemque tempore iterum defecerit, tum, ſignis omnibus ad idem principium, ſtellisque revocatis, expletum annum habeto. Hujus quidem anni nondum vigeſimam partem ſcito eſſe converſam. Quocirca ſi reditum in hunc locum deſperaveris, in quo omnia ſunt magnis & præſtantibus viris: quanti tandem eſt iſta hominum gloria, quæ pertinere vix ad unius anni partem exiguam poteſt? Igitur, alte ſpectare ſi voles, atque ad hanc ſedem & æternam domum contueri: neque ſermonibus vulgi dederis te, nec in præmiis humanis ſpem poſueris rerum tuarum: ſuis te illecebris oportet ipſa virtus trahat ad verum decus. Quid de te alii loquantur, ipſi videant, ſed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille & anguſtiis cingitur his regionum, quas vides, nec unquam de ullo perennis fuit, & obruitur hominum interitu, & oblivione poſteritatis extinguitur. Quæ cum dixiſſet, ego vero, inquam, o Africane, ſiquidem bene meritis de patria quaſi limes ad cœli aditum patet: quanquam à pueritia veſtigiis ingreſſus & patris, & tuis decori veſtro non defui, nunc tamen, tanto præmio propoſito, enitar multo vigilantius. Et ille. Tu vero enitere, & ſic habeto, te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. Nec enim is es, quem forma iſta declarat, ſed mens cujuſque is eſt (48) quiſque non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. Deum te igitur ſcito eſſe: ſiquidem Deus eſt, qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui prævidet, qui tam regit, & moderatur, & movet id corpus, cui præpoſitus eſt, quàm hunc mundum princeps ille Deus; & ut ipſum mundum ex quadam parte mortalem ipſe Deus æternus, ſic fragile corpus animus ſempiternus movet. Nam quod ſemper movetur, (49) æternum eſt: quod autem motum affert alicui, quod ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat neceſſe eſt. Solum igitur, quod ſeſe movet, quia nunquam deſeritur à ſe, nunquam ne moveri quidem deſinit; quin etiam ceteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium eſt movendi. Principio autem nulla eſt origo. Nam ex principio oriuntur omnia. Ipſum autem nulla ex re fieri poteſt. Nec enim eſſet hoc principium, quod gigneretur aliunde. Quòd ſi nunquam oritur, nec occidit quidem unquam. Nam principium extinctum nec ipſum ab alio renaſcetur, nec ex ſe aliud creabit; ſiquidem neceſſe eſt à principio omnia oriri. Ita fit, ut motus principium ex eo ſit, quod ipſum à ſe movetur. Id autem nec naſci poteſt, nec mori, vel concidat omne cœlum, omniſque natura conſiſtat neceſſe eſt, ne vim ullam nanciſcatur, qua primo impulſu moveatur. Cum pateat igitur æternum id eſſe, quod à ſe ipſo moveatur; quis eſt hic, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? Inanimatum eſt enim omne, quod impulſu agitatur externo. Quod autem anima eſt, id motu cietur interiore. Nam hæc eſt natura propria animæ, atque vis: quæ ſi eſt una ex omnibus, quæ ſeſe moveat, neque nata eſt certe, & æterna eſt. Hanc tu exerce in optimis rebus. Sunt autem optimæ curæ de ſalute patriæ: quibus agitatus & exercitus animus, velocius in hanc ſedem, & domum ſuam pervolabit; idque ocyus faciet,

ſi

(48) Talis ſententia eſt in Dialogo, qui inſcribitur Axiochus: ἡμᾶς γάρ ἐσμὲν ψυχὴ ζῶον ἀθάνατον τὸ ἐν θνητῷ καθειργμένον φρουρίῳ.

(49) Hæc verba Macrobius è Phædone ſumpta ſcribit, cum ſint è Phædro. Hoc cum res ipſa docet, tum ipſe Cicero in prima Tuſculana, cum ait: Ex quo illa ratio nata eſt Platonis, quæ à Socrate eſt in Phædro explicata, à me autem poſita in VI. de republica. Quod ſemper movetur, id æternum eſt; verba autem Socratis, quæ prætermiſſa ſunt à Macrobio, hæc ſunt: πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος. τὸ γὰρ ἀεικίνητον, ἀθάνατον. τὸ δὲ ἄλλο κινοῦν, καὶ ὑπ᾽ ἄλλου κινούμενον, παῦλαν ἔχον κινήσεως, παῦλαν ἔχει ζωῆς. μόνον δὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν, ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτό, οὔποτε λήγει κινούμενον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγή, καὶ ἀρχὴ κινήσεως. ἀρχὴ δὲ ἀγένητον. ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι. αὐτὴν δὲ μὴ δ᾽ ἐξ ἑνός. εἰ γὰρ ἔκ του ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. ἐπειδὴ ἀγένητόν ἐστι, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι. ἀρχῆς γὰρ δὴ ἀπολλυμένης, οὔτε αὐτή ποτε ἔκ του, οὔτε ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται, εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι. οὕτω δὴ κινήσεως μὲν ἀρχὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν, τοῦτο δὲ οὔτ᾽ ἀπόλλυσθαι, οὔτε γίγνεσθαι δυνατόν, ἢ πάντα τε οὐρανόν, πᾶσάν τε γῆν συμπεσοῦσαν στῆναι, καὶ μήποτε αὖθις ἔχειν στῆναι, ὅθεν κινηθέντα γενήσεται. ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ᾽ ἑαυτοῦ κινουμένου, ψυχῆς οὐσίαν τε, καὶ λόγον τοῦτον αὐτὸ δὴ λέγων, οὐκ αἰσχυνεῖται. πᾶν γὰρ σῶμα, ᾧ μὲν ἔξω εἴη τὸ κινεῖσθαι, ἄψυχον, ᾧ δὲ ἔνδοθεν αὐτὸ ἐξ αὐτοῦ, ἔμψυχον, ὡς ταύτης οὔσης φύσεως ψυχῆς. εἰ δ᾽ ἔστι τοῦτο οὕτως ἔχον, μὴ ἄλλο εἶναι τὸ αὐτὸ κινοῦν, ἢ ψυχήν, ἐξ ἀνάγκης ἀγένητόν τε, καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη. Atque hæc quidem pauca in ſomnium Scipionis, quæ conſulto, ut video, Macrobius, cum ad majora ſpectaret, præteriit, dixiſſe ſatis erit. Utinam autem præclaros hos de republica libros integros haberemus; neque enim dubium eſt, quin eorum ope plurimum & linguæ Latinæ ſplendoris, & Romanæ antiquitati claritatis afferre poſſemus. Nunc ad reliqua pergamus.

A *ſi jam tum, cum erit incluſus in corpore, eminebit foras, & ea, quæ extra erunt, contemplans, quammaxime ſe à corpore abſtrahet. Nam eorum animi, qui ſe corporis voluptatibus dediderunt, earumque ſe quaſi miniſtros præbuerunt, impulſuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum, & hominum jura violaverunt, corporibus elapſi circum terram ipſam volutantur, nec in hunc locum, niſi multis exagitati ſæculis, revertuntur. Ille diſceſſit; ego ſomno ſtatim ſolutus ſum.*

B

Incerta ex libris de Republica.

Quaſi alius aſſimulare rempubl. (g)

Quoniam ſumus ab ipſa calce ejus interpellatione revocati. (h)

Negotii publici expers. (i)

Monitum in fragmenta librorum de Legibus.

Librorum de Legibus argumentum cum eorum, qui de Republica ſcripti ſunt, argumento conjunctum eſt; docet hoc Cicero in primo de Legibus, in quo Atticum ita loquentem inducit: Atqui ſi quæris, ego quid exſpectem, quoniam ſcriptum eſt à te ſatis de optimo reipublicæ ſtatu, conſequens eſſe videtur, ut ſcribas tu idem de Legibus. Ut autem in præceptis de republica dandis, ſic in ſcribendis etiam legibus unum potiſſimum Platonem eſt imitatus; quod & ipſe eodem in loco docet, cum Atticus ſubdit: Sic enim feciſſe video Platonem illum tuum. Cui ipſe reſpondet: Vis ne igitur, ut ille Crete cum Clinia, & cum Lacedæmonio Megillo, æſtivo, quemadmodum deſcribit, die, in cupreſſetis Gnoſſiorum, & ſpatiis ſilveſtribus, crebro inſiſtens, interdum acquieſcens de inſtitutis rerumpublicarum, ac de optimis legibus diſputat, ſic nos inter has proceriſſimas populos, in viridi, opacaque ripa inambulantes, tum autem reſidentes, quæramus iiſdem de rebus aliquid uberius, quàm forenſis uſus deſiderat? Quanquam autem Platonem eſt ſecutus, non tamen omnino eſt aſſecutus. Plato enim duas duobus in libris inſtituit reſpublicas, unam in libris de republica, alteram in libris de legibus, atque utraſque ex ſuo ingenio informavit. Cicero autem unam tantum rempublicam deſcripſit in ſex libris, eamque non qualis eſſe deberet, ut Plato fecit, ſed qualis demum vetus Romana fuiſſet, eique reipublicæ, quas leges conſentaneas eſſe exiſtimavit, in libris de legibus tradidit; ex quibus, cum multi eſſent, ad nos tres tantum pervenerunt, unus, in quo de jure diſputat univerſo, idque multis rationibus è natura profectum eſſe oſtendit; alter, in quo religionem, & ſacra conſtituit; tertius, in quo magiſtratus; quartus autem, quod ex tertio extremo intelligitur, de judiciis fuit, quæ juncta ſunt magiſtratibus; reliquorum parum comperta ratio eſt. Hi vero libri multis in locis truncati nos non magna ſolum voluptate, ſed etiam incredibili, quæ ea diſputatione continebatur, utilitate privarunt; ex quibus hæc fragmenta collegimus.

(g) Diomed. lib. 1.
(h) Seneca ep. 109.
(i) Fronto.

Ex libro primo de Legibus.

Sicut una, eademque (1) *natura mundus omnibus partibus inter ſe congruentibus cohæret, ac nititur: ſic omnes homines, inter ſe natura confuſi, pravitate diſſentiunt, nec ſe intelligunt eſſe conſanguineos, & ſubjectos omnes ſub unam, eandemque tutelam; quod ſi teneretur, deorum profecto vita omnes viverent.* (k)

(1) Hæc verba citat Lactantius lib. III. cap. VIII. in hunc modum: Nunc autem mali homines ſunt ignorantia recti, ac boni, quod quidem Cicero vidit; diſputans enim de legibus: Sicut una, inquit, eademque natura &c. Quanquam autem, quo in libro hoc Cicero ſcripſerit, non affert; tamen ex primo hæc verba videtur ſumpſiſſe, quòd cum argumento primi libri ea mire conveniant; in quo de naturali hominum inter ſe conſenſione diſputatur; ex eo vero libro duobus in locis paginas aliquot excidiſſe ſatis conſtat.

Ex libro ſecundo de Legibus.

C *Magnum, audaxque conſilium* (2) *Græcia ſuſcepit, quòd Cupidinum, & Amorum ſimulacra in gymnaſiis conſecravit.* (l)

(2) Lactantius libro primo, cap. XX. Eadem vanitate mentem quoque inter deos collocavit Senatus; magnum Cicero, audaxque conſilium ſuſcepiſſe Græciam dicit, quòd Cupidinum, & Amorum ſimulacra in gymnaſiis conſecraſſet; adulatus eſt videlicet Attico. Hæc cum Lactantius hoc modo ſcribit, profecto declarat, hæc in libris de legibus à Cicerone eſſe diſputata, in quibus loquitur Atticus. Quod ſi ita eſt, profecto hæc verba ex ſecundo exciderunt, ex ea parte, in qua Cicero de novorum deorum conſecratione diſſerit, quæ labem aliquam paſſa eſt. Sed hæc D opinantes dicimus.

Ex libro quinto de Legibus.

Vis ne igitur, (3) *quoniam ſol paullulum à meridie devexus videtur, neque dum ſatis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur, deſcendamus ad Lirim, eaque, quæ reſtant, in illis alnorum umbraculis perſequamur?* (m)

(3) Macrobius lib. VI. Sunt qui exiſtiment, hoc verbum Umbracula Virgilio auctore compoſitum, cum Cicero in V. de legi- E bus dixerit: Vis ne igitur (quoniam ſol &c.

Ex incerto libro de Legibus.

Gratulemurque nobis, (4) *quoniam aut mors leviorem, quàm qui eſt in vita, aut certe non deteriorem eſt allatura ſtatum. Nam ſine corpore anima vigente divina eſt vita, ſenſu carenti nihil profecto eſt mali.* (n)

La-

(k) Lact. lib. 5. cap. 8.
(l) Lact. lib. 1 cap. 20.
(m) Macr. lib. 6. (n) Lact. lib. 3. cap. 19.

(4) Lactantius lib. III. cap. XIX. At illi, qui de mortis bono diſputant, quia nihil veri ſciunt, ſic argumentantur: ſi nihil eſt poſt mortem, non eſt malum mors: aufert enim ſenſum mali; ſi autem ſemper ſunt animæ, eſt etiam bonum, quia immortalitas ſequitur; quam ſententiam Cicero de legibus ſic explicavit: Gratulemurque nobis &c. & lib. I. cap. VI. Platonem Cicero ſecutus, Deum frequenter confitetur, ac ſupremum vocat in iis libris, quos de legibus ſcripſit. A

Ex libro de Jure civili in artem redigendo.

Aliquo excellente, ac nobili viro. (o) B

Nec vero ſcientia (5) *juris majoribus ſuis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam ſuperfuit.* (p)

In libros de Jure civili.

NEque vero Cicero libros ſolum de legibus, ſed etiam de jure civili in artem redigendo librum ſcripſit; ſiquidem ejus meminit Gellius lib. I. his verbis: Cicero in libro, qui inſcriptus eſt de jure civili in artem redigendo: (5) Nec vero ſcientia juris &c. & Cariſius, qui lib. I. teſtimonio utitur Ciceronis de jure civili. Quin etiam Quinctilianus auctor eſt, Ciceronem de jure civili componere C cœpiſſe; quaſi vero velit, opus ei imperfectum, & rude excidiſſe. Habuiſſe etiam eum in animo hoc argumenti litteris prodere, ipſe in primo de oratore teſtis eſt, cum rationem exponit, qua facile jus civile redigi ad artem poſſit. Sunt tamen qui exiſtiment, libros de jure civili eoſdem fuiſſe, atque de legibus, de quibus modo diximus; in quo vehementer errant.

Ex libris de Auguriis.

Avi (6) *incerta.* (q)

Oſcinis. (7) D

In libros de Auguriis.

QUid, quod libros etiam augurales Ciceronem ſcripſiſſe teſtimonio ejuſdem Cariſii certum eſt? qui in confirmandis decretis de re grammatica ſuis, inquit: Cicero de auguriis: Avi incerta; (6) item: Oſcinis; (7) neque vero ſolum Cariſii, ſed etiam Servii, qui in quintum Æneidos ſcribit in hæc verba: Secundum Romanos dies incipit à media nocte, quod Cicero exequitur in auguralibus. Hi vero libri fortaſſe ſunt, quos ille pro conſule Ciliciæ ad Ap. Pulchrum adornavit, libris Appii ejuſdem argumenti ad ſe miſſis commotus; de quibus ipſe ita in epiſtolis: Et ve- E lim, reliquum quod eſt promiſſi, ac muneris tui, mihi perſolvas; cum ipſam cognitionem juris auguralis conſequi cupio, tum mehercule tuis incredibiliter ſtudiis erga me, muneribuſque delector. Quod autem à me tale quiddam deſideras, ſane mihi conſiderandum eſt, quonam te remunerer potiſſimum genere.

(o) Cariſ. lib. I.
(p) Gell. lib. I. cap. 22.

In Hortenſium.

QUos libros de republica, & de legibus Cicero ſcripſit, eos fere ſtante republica cum & ipſe inter principes civitatis numeraretur, compoſuit; inde vero civili tumultu otio perturbato, cum non ſolum Italia, ſed univerſus etiam terrarum orbis funeſto, ac miſero arderet bello, neque poſt bellum ipſe, ut Pompejanarum partium fautor, tuto eſſe in urbe poſſet, diu à ſcribendo vacavit. Ubi vero Cæſaris victoris permiſſu victus in urbem rediit, cum à forenſium defenſionum laboribus aliquando eſſet liberatus, animum ad philoſophiæ ſtudia, quæ adoleſcens coluerat, neque poſtea unquam intermiſerat, ita retulit, ut, quæ à Græcis ſummis auctoribus memoriæ prodita fuerant, ea Latinis litteris, quod maxime deſiderari videbatur, illuſtranda ſuſceperit; quod ipſe cum aliis in locis, tum maxime in prima Tuſculana, & in ſecundo de Officiis eſt teſtatus: in Tuſculana quidem in hunc modum: Philoſophia jacuit uſque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum: quæ illuſtranda, & excitanda nobis eſt: ut, ſi occupati profuimus aliquid civibus noſtris, proſimus etiam, ſi poſſimus, otioſi. In libro autem de Officiis ita: Ego, quàm diu reſpublica per eos regebatur, quibus ſe ipſa commiſerat, omnes meas curas, cogitationeſque in eam conferebam; cum autem dominatu unius omnia tenerentur; neque eſſet uſquam conſilio, atque auctoritati locus; ſocios denique tuendæ reipublicæ ſummos viros amiſiſſem; nec me angoribus dedi, quibus eſſem confectus, niſi his reſtitiſſem; nec rurſum indignis homine docto voluptatibus. Atque utinam reſpublica ſtetiſſet, quo cœperat, ſtatu, nec in homines non tam commutandarum rerum, quàm evertendarum cupidos incidiſſet; primum enim, ut ſtante republica facere ſolebamus, in agendo plus, quàm in ſcribendo, operæ poneremus; cum autem reſpublica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat, nulla eſſet omnino, illæ ſcilicet litteræ conticuerunt, forenſes, & ſenatoriæ; nihil autem agere cum animus non poſſet, in iis ſtudiis ab initio verſatus ætatis, exiſtimavi honeſtiſſime moleſtias deponi poſſe, ſi me ad philoſophiam retuliſſem: cui cum multum adoleſcens diſcendi cauſſa temporis tribuiſſem, poſtea quàm honoribus inſervire cœpi, meque totum reipublicæ tradidi, tantum erat philoſophiæ loci, quantum ſuperfuerat amicorum, & reipublicæ temporis; id autem omne conſumebatur in legendo: ſcribendi otium non erat. Maximis igitur in malis hoc tamen boni aſſecuti videmur, ut ea litteris mandaremus, quæ nec ſatis erant nota noſtris, & erant cognitione digniſſima. Hoc igitur ille conſilio adductus, antequam aliquid è philoſophia ederet, librum ſcripſit, in quo, ut ait Marcianus, philoſophandum ne eſſet, quæſivit: & cum philoſophiam ipſam quàm maximis, & quàm veriſſimis potuit laudibus illuſtravit, tum ad ejus ſtudium Romanam juventutem vehementiſſime inflammavit. Hunc autem librum Hortenſium inſcripſit: nimirum, quòd in ea diſputatione primas partes vituperandæ philoſophiæ, & laudandæ eloquentiæ

(q) Cariſius.

Q. Hortenſio, viro conſulari, atque oratori ſummo, conceſſerit. Hoc autem ipſe demonſtrat lib. II. de Divinatione, cum ait: Cohortati ſumus, ut maxime potuimus, ad philoſophiæ ſtudium in eo libro, qui eſt inſcriptus Hortenſius; & in tertia Tuſculana: De univerſa philoſophia, quantopere & expetenda, & colenda eſſet, ſatis, ut arbitror, dictum eſt in Hortenſio; & in primo de Finibus: Quanquam philoſophiæ quidem vituperatoribus ſatis reſponſum eſt eo libro, quo à nobis philoſophia defenſa, & collaudata eſt, cum eſſet accuſata, & vituperata ab Hortenſio; qui liber cum & tibi probatus videretur, & iis, quos ego poſſe judicare arbitrarer; plura ſuſcepi, veritus, ne movere hominum ſtudia viderer, retinere non poſſe. Lactantius etiam lib. III. cap. VI. idem confirmat, cum ait: Ciceronis Hortenſius, contra philoſophiam differens, circumvenitur arguta concluſione: qui cum diceret, philoſophandum non eſſe, nihilo minus philoſophari videbatur: quoniam philoſophi eſt, quid in vita faciendum, vel non faciendum ſit, diſputare. Interfuiſſe porro huic ſermoni Q. Catulum, L. Lucullum, & M. ipſum Ciceronem invenio, dum veſtigia antiquitatis ſtudioſius perſequor. Catulum autem, & Ciceronem cum Hortenſio contendiſſe opinor. Lucullus utram partem defenderit, pro certo affirmare non auſim. De Catulo certum eſt ex eo, quod ſcriptum eſt apud Lactantium lib. VI. cap. II. Apud Ciceronem, inquit, Catulus in Hortenſio philoſophiam rebus omnibus præferens, malle ſe dicit vel unum parvum de officio libellum, quàm longam orationem pro ſeditioſo homine Cornelio. De Cicerone illud eſt indicio, quod eſt in Academicorum libro eo, qui Lucullus inſcribitur: in quo Lucullus ad Ciceronem converſus ait: Tu ne cum tantis laudibus philoſophiam extuleris, Hortenſiumque noſtrum diſſentientem commoveris; & illud in fragmentis Hortenſii: Quid tu, inquam, ſoles, cum rationem ab diſpenſatore accipis. Etenim, cum dixit: Inquam, ſuam perſonam indicavit; item illa: Omneſque ad id tempus, quod erat dictum, poſtridie veniſſemus. De Lucullo vero illud etiam ex iiſdem fragmentis oſtendit. Quare velim mi Luculle jubeas indicem tragicorum: ut ſumam, qui mihi deſunt; item: Lucullo quidem gratus, & jucundus noſter adventus fuiſſe. Hunc autem librum pulcherrimum omnium, & graviſſimum fuiſſe, cum honeſtiſſimum rei ipſius argumentum, tum veterum, qui illum legerunt, teſtimonia multa confirmant. D. quidem Auguſtinus in tantam ejus admirationem adductus eſt, ut ejus potiſſimum lectione ſe ad veræ philoſophiæ, id eſt Chriſtianæ contemplationem incenſum eſſe ſæpe profiteatur. Noſtra vero ætate Jacobus Sadoletus Cardinalis, vir cum ipſa ſacerdotii dignitate ampliſſimus, tum omnium litterarum cognitione clariſſimus, cum argumenti hujus præſtantiam animo agitaret, dedit operam, ut, quantum in ſe fuit, eo tractando Hortenſii Ciceroniani deſiderium æquiore animo perferremus; ſcripſit enim libros duos, unum, in quo philoſophiæ ſtudium accuſavit, alterum, in quo defendit; quorum utrunque tanta cum ingenii, ac judicii laude, tanta demum verborum, ac ſententiarum copia eſt aſſecutus, ut, acrius ne ab eo reprehenſa, an ornatius laudata philoſophia ſit, haud facile judicare poſſis. Cujus libri non iccirco feci mentionem, ut Sadoleti laudes egregias obſcuro hoc in loco attingerem; quas ne juſto quidem volumine complecti pro dignitate omnes poſſem; ſed ut iis, qui, Hortenſii argumentum quale fuerit, illuſtrius cognoſcere cupiunt, unde expreſſam ejus ſimilitudinem peterent, demonſtrarem; cujus & nos civis optimi veſtigia præclariſſima hoc tempore perſecuti conemur, ut quàm veriſſime, ac quàm planiſſime poſſumus, ſingulis fragmentis conſiderandis, germanam hujus libri ſententiam oſtendamus.

Ex Hortenſio.

Et Paullum Marcelli (8) *occupaviſſe.* (r)

(8) Ut ceteris libris, ſic etiam huic veriſimile eſt Ciceronem proœmium præfixiſſe; in quo, ſi, quid ego ſentiam, aperiendum eſt, Hortenſium ab eo laudatum eſſe opinor: quo modo etiam Catulum, & Lucullum in iis libris ornatos eſſe invenio, quos eorum nomine Catulum, & Lucullum, ut hunc Hortenſii Hortenſium, appellavit, quòd in iis primæ diſputationis partes Catulo, & Lucullo eſſent tributæ. Quoniam autem inquit, Paullum Marcelli occupaviſſe, id eſt, ut exponit Nonius, inveniſſe: Paullum Marcelli conſulis collegam interpretor. Quare quoniam Q. Hortenſius, ut idem ſcribit in Bruto, L. Paullo, & C. Marcello coſs. obiit, Hortenſium his conſulibus paulo ante, quàm ex hac vita decederet, hæc diſſeruiſſe dicemus: quo modo Scipionem etiam, & Catonem alterum de republica, alterum de ſenectute paucis ante mortem diebus ne, an menſibus diſputantes induxit.

Quod cum uterque noſtrum annuiſſet, (9) *omneſque ad id tempus, quod erat dictum, poſtero die veniſſemus.*

Lucullo quidem noſter adventus, & gratus, & jucundus fuiſſe. (ſ)

Hic primum Catulus delectatus ipſo loco.

(9) Hæc, & ſequentia ex dialogi præparatione videntur eſſe, in quibus, ut inter ſe illi convenerint, planum facit.

Nam cum omnis ſolertia (10) *admiranda eſt, tum ea quæ efficit, ut inanima quæ ſunt, vivere, & ſpirare videantur.* (t)

(10) Duas quidem fuiſſe Hortenſianæ diſputationis partes invenio, unam, in qua eloquentiæ ſtudium, in quo ipſe excelluit, extulit, alteram, in qua philoſophiam accuſavit. Itaque hoc ab eo ad eloquentiæ laudem dictum puto: cujus vim tantam eſſe ait, ut efficiat, ut, quæ inanima ſint, vivere, & ſpirare videantur; quibus verbis virtutes illas dicendi expreſſit, quas ἐνάργειαν, & ἐνέργειαν Græci rhetores nominant; quarum altera fit, ut non intelligere, ſed prope videre rem videamur: altera vero actio etiam quædam rerum inanimatarum exprimitur.

Hunc

(r) Nonius. (ſ) Fronto.

(t) Nonius.

Hunc Craſſum, (11) *qui lentus, ut ſcitis, dicere ſolebat, ad imitationem quaſi noſtri generis contendiſſe.*

(11) Craſſi exemplum, quem ait ad imitationem ſui in dicendo contendiſſe, ad eumdem de eloquentia ſermonem pertinet. M. autem Craſſum, Cn. Pompeji Magni æmulum, intelligit: quem idem in Bruto Q. Hortenſii æqualem vocat. Quòd autem hic ait, eum lente dicere ſolitum, convenit cum verbis ejus, quæ ſunt in Bruto de ipſo Craſſo: Animi magna, vocis parva contentio: omnia fere ut ſimiliter, atque uno modo dicerentur.

Quid enim aut Herodoto (12) *dulcius, aut Thucydide gravius, aut Philiſto brevius, aut Theopompo acrius, aut Theophraſto mitius inveniri poteſt?*

(12) Q. Hortenſius cum de eloquentia diceret, non oratorum ſolum, ſed etiam hiſtoricorum laudes, ut opinor, eſt perſecutus: quas, ut video, variis Græcorum hiſtoriæ ſcriptorum ingeniis illuſtravit, Herodoti, Thucydidis, Philiſti, Theopompi, & Theophraſti; de quorum oratione præclarum ſive Hortenſii, ſive Ciceronis judicium exciderat, niſi hæc ſententia membris tribus, diverſis in locis, apud Nonium, prout teſtimonii uſus poſtulavit, divulſa in unum corpus fuiſſet redacta. Ut autem in hoc loco de Græcis ſcriptoribus Cicero judicavit, ſic in I. de legibus de Latinis, cum ſcripſit: Nam poſt annales pontificum maximorum, ſi aut ad Fabium, aut ad Catonem, aut ad Piſonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias, quanquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quàm iſti omnes? Fanni autem ætate conjunctus Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque vires agreſtes ille quidem, atque horridas, ſine nitore, ac palæſtra, ſed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius ſcriberent; ecce autem ſucceſſere huic bello Clodius, Aſellio; nihil ad Cœlium, ſed potius ad antiquorum languorem, atque inſciتiam; nam quid Accium memorem? cujus loquacitas habet aliquid argutiarum; in orationibus autem multus, & ineptus, elatio ſummam impudentiam. Siſenna omnes noſtros ſcriptores facile ſuperavit. In his autem verbis, ut aliud agens hoc doceam, duæ fœdiſſimæ maculæ, quibus totius hujus loci pulcherrima ſententia deturpatur, inſident, quas ab interpretibus hujus libri non ſolum non deletas, ſed ne animadverſas quidem eſſe demiror. Numerant enim Accium poëtam inter Latinos, quos Cicero quærit, annalium, hiſtoriæve ſcriptores; nec vident Atticum, & Quintum id agere, ut Ciceronem ad hiſtoriæ ſcriptionem accendant, & quòd ſit opus maxime oratorium, & quòd litteris Latinis abſit hiſtoria, idque enumeratione omnium fere, qui eouſque Latine ſcripſerant, neque munus id expleverant, comprobare. Quòd ſi eos etiam, qui verſibus res Romanorum mandaſſent, intellexiſſent; cur non Ennium etiam, & Nævium, quorum uterque verſibus ſcripſit annales, nominaſſent? Non eſt igitur, cur legamus Accium, ſed Macrum, ut ſit C. Licinius Macer, is, cujus ſæpe meminit Livius; primum enim in manuſcriptis, quos ego legi, libris eſt, Acrum: deinde temporum ratio, ut Macrum probat, ſic Accium reſpuit; vixit enim Accius cum D. Bruto eo, qui de Callæcis triumphavit, ex quo Siſennæ amicus eſſe non potuit; etenim, ut eſt ſcriptum in Bruto, fuit æqualis Siſenna Hortenſii. Ut autem hoc illi non viderunt, ſic ne illa quidem verba mendoſe eſſe perſpicere potuerunt: Elatio ſummam impudentiam. Ego autem cum in manuſcriptis libris inveniam: In orationibus multus, & ineptus, dacio ſumma impudentia; ex quibus verbis non intellectis illa eorum lectio fluxit; facile adducor ad ſuſpicandum, legendum eſſe; In orationibus multus, & ineptus, in mendacio ſumma impudentia. Nam ſi recte attenderimus, & impudentiam cum mendacio convenire, & Macrum mendacii nomine à Livio accuſatum inveniemus; ſic enim ſcribit lib. VII. Macer Licinius comitiorum habendorum cauſſa, & ab Licinio conſule dictatorem dictum ſcribit. Quæſita ea proprie familiæ laus leviorem auctorem Licinium facit; cum mentionem ejus rei in vetuſtioribus annalibus nullam inveniam. Neque vero iiſdem etiam in Fabio aſſentior, quem intelligi à Cicerone ajunt, cum ſcribit in Bruto: Ser. Fabius Pictor & juris, & litterarum, & antiquitatis bene peritus. Fabium enim nunc quærimus Catone majorem: at ille eſt Catone inferior, ut ex eodem loco perſpicitur; qui tamen Ser. Pictor hic fuerit, ne Corradus quidem Bruti explanator exponit; quamobrem, & de hoc quod ſentimus, aperiamus. Fuerunt igitur tres Pictores, qui litterarum, & quidem antiquitatis cognitione floruerint, Q. Fabius Pictor, N. Fabius Pictor, & Ser. Fabius Pictor, Q. Fabius omnium antiquiſſimus bello Gallico Ciſalpino, ut ait Oroſius, & poſt Punico ſecundo, ut inquit Livius, interfuit; ex ejus annalibus Latinis Gellius lib. V. cap. XV. teſtimonium protulit. Iccirco autem, Latinis, addidi; ut eos redarguerem, qui hunc Q. Fabium Græce ſcripſiſſe exiſtimarunt; in quo alterius Fabii Pictoris, prænomine Numerii, ſimilitudine, ut credo, decepti ſunt: cujus meminit Cicero in primo de Divinatione. Hiſque adjungatur, inquit, etiam Æneæ ſomnium, quod in Numerii Fabii Pictoris Græcis annalibus eſt; quanquam vulgo legitur vitio librorum: Quod in numerum Fabii. Ser. autem Fabius Pictor, quem juris, & antiquitatis bene peritum vocat Cicero, is eſt, cujus meminit Macrobius lib. III. Primo, inquit, pontificii juris libro apud Pictorem hoc verbum poſitum eſt, Vitulari; & Nonius: Fabius Pictor rerum geſtarum librorum primo: Et ſimul videbant Picum Martium. Idem juris pontifex libro tertio: Pilumnum, & Picum. Quibus in verbis illud eſſe peccati puto, quòd, pontifex, pro pontificii ſcriptum ſit. Quare cum dixit Cicero, eum antiquitatis bene peritum eſſe, libros ejus rerum geſtarum intellexit; cum juris, de jure pontificio. Atque hæc quidem extra rem: nunc ad rem redeamus.

Unde autem facilius, (13) *quàm ex annalium monumentis aut res bellica, aut omnis reipublicæ diſciplina cognoſcitur? unde ad agendum, aut dicendum copia depromi major graviſſimorum exemplorum, quaſi incorruptorum teſtimoniorum poteſt?*

(13) Nonius horum verborum meminit in explicandis vocibus, Cognoſcere, & Grave,

dua-

duabus longe inter ſe diſtractis, ſeparatiſque ſententiis: quæ & ipſæ ad laudes hiſtoriæ, unde pulcherrima emanat cognitio, & fructus percipitur multiplex, pertinent.

Ut ii, qui purpuram volunt, (14) ſufficiunt prius lanam medicamentis quibuſdam: ſic litteris, talibuſque doctrinis ante excoli animos, & ad ſapientiam concipiendam imbui, & præparari decet.

(14) Hanc ſimilitudinem neſcio an Hortenſius attulerit, an ex iis unus, qui Hortenſio repugnabant; ea vero docetur, ante animos noſtros elegantibus eloquentiæ ſtudiis imbuendos, quàm ad graviora ulla ſapientiæ ſtudia accedamus.

Ut enim ſegetes (15) agricolæ ſubigunt aratris ante, quàm ſerant.

(15) Hæc ſimilitudo eodem fortaſſe, quò ſuperior, referenda eſt: ut ſegetes ante ſubiguntur aratris, quàm ſemen eis committatur; ſic animos hominum ante eſſe eloquentia, quàm ſapientia excolendos; cujus ſimilitudinis non oblitus dixit etiam in libris de oratore: Subacto mihi ingenio opus eſt, ut agro non ſemel arato, ſed novato, & iterato.

Perge quæſo: (16) non enim imperite exorſus es.

(16) Hæc ſunt vel Catuli, vel Ciceronis Hortenſium ad interruptum ſermonem repetendum hortantis.

Magna etiam animi contentio (17) adhibenda eſt, explicando Ariſtotelem, ſi legeris.

Quæro enim, non quibus intendam rebus animum, ſed quibus relaxem, & remittam.

(17) Hoc videtur Hortenſii argumentum, homines à philoſophiæ ſtudio avocantis; quòd nimiam animi contentionem philoſophorum explicatio deſideraret, quippe quos incredibilis quædam in dicendo obſcuritas delectaret: ſe autem ſolere quærere, cum à negotiis publicis diſceſſiſſet, non ea, quibus intenderet animum, ſed quibus relaxaret.

Solertiamque eam (18) poſſe vel in tegulis proſeminare oſtreas.

(18) Neſcio an hæc eò pertineant, ut dicat, homines, ſi ſolertiam eam, quam philoſophiæ ſtudium poſtulat, adhibeant, poſſe etiam res difficillimas exequi, ut proſeminare oſtreas in tegulis.

Quando philoſophi (19) eſſe cœperunt? Thales, ut opinor, primus; recens hæc quidem ætas. (u)

(19) Et hoc fuit argumentum Hortenſii contra philoſophos, ut ait Lactantius lib. III. cap. xv. Præterea illud quoque, inquit, argumentum contra philoſophiam valet plurimum, quo idem eſt uſus Hortenſius: ex eo poſſe intelligi philoſophiam non eſſe ſapientiam, quòd principium, & origo ejus appareat. Quando, inquit, philoſophi eſſe cœperunt? Thales, ut opinor, primus. Recte: hic enim primus è ſeptem numeratur à Laërtio.

Id enim eſt ſapientis (20) providere, ex quo ſapientia eſt appellata prudentia. (x)

(20) Hæc verba ex ea diſputatione interciderunt, in qua Hortenſius ſapientiam quærebat, eamque ſe invenire negabat: ſiquidem lib. III. contra Academicos ita ſcribit D. Auguſtinus: Clamat Cicero, ſe ipſum magnum eſſe opinatorem, ſed de ſapiente ſe quærere; quod ſi adhuc vos adoleſcentes ignotum habetis, certe in Hortenſio legiſtis.

Epicurei plures (21) volunt eſſe cœlos. (y)

Itaque tunc Democriti manus urgebatur, eſt enim non magna. (z)

(21) Hoc eò pertinet, ut varietate & novitate opinionum, quas philoſophi de rebus habuerunt, inanem, ac ridiculam eſſe philoſophiam doceat. Ut autem Epicurus infinitos mundos, atque intermundia innumerabilia eſſe cenſuerit, extat apud Ciceronem in libris de natura Deorum, & apud Laërtium in Epicuro. Democriti autem opinio eadem eſt, atque Epicuri. Hæc verba citat Servius in Comm. primi Æneidos.

His contrarius Ariſto Chius, (22) præfractus, ferreus, nihil bonum, niſi quod rectum, & honeſtum eſt.

(22) Epicureis, ut puto, contrarium vocat Ariſtonem; illi enim ſolam voluptatem in bonis poſuerunt, hic in ſola virtute; de quo ſic ſcripſit Cicero in V. de Finibus: Hoc unum Ariſto tenuit: præter vitia, atque virtutes negavit eſſe rem ullam aut fugiendam, aut expetendam; & in primo de legibus: Ariſto Chius dixit, ſolum bonum eſſe, quod honeſtum eſſet, malumque, quod turpe, ceteras res omnes plane pares, ac ne minimum quidem, utrum adeſſent, an abeſſent, intereſſe. Unde Laërtius etiam prodidit, Ariſtonem, cujus ille vitam litteris mandavit, cenſuiſſe, finem hominum eſſe, τὸ ἀδιαφόρως ἔχοντα ζῆν πρὸς τὰ μεταξὺ ἀρετῆς, καὶ κακίας.

Annum magnum (23) eſſe voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum; quod fit poſt XII. millia nongentos quinquaginta quatuor annos. (a)

(23) Et hoc Hortenſii videtur, anxiam nimis rerum obſcuriſſimarum inquiſitionem irridentis. Ceterum de anno magno Cicero in VI. de republ. cum Cenſorino loquitur, & Servius in Commentario III. Æneidos, unde hæc ſumpta ſunt.

Cœli ſignorum (24) admirabilem ordinem, inſatiabilemque pulchritudinem magis ſpectant. (b)

Et

(u) Lactantius. (x) D. Auguſtinus. (y) Servius. (z) Nonius. (a) Servius. (b) Nonius.

(24) Et hoc eodem ſpectare videtur; de cœleſti enim deſcriptione ſignorum agit.

Ut eaſdem tenebras (25) efficiat, quas effecit in interitu Romuli, qui in obſcuratione ſolis factus. (*c*)

(25) Defectiones ſolis prædicere, leviſſimum eſſe cenſet Hortenſius, quippe cum ſint ſtatæ. Hæc vero ſunt de ſolis defectione, quæ in Romuli morte facta eſt: de qua D. Auguſtinus lib. III. cap. XV. de civitate Dei in hunc modum ſcribit: In Hortenſio dialogo cum de ſolis canonicis defectionibus loqueretur: Ut eaſdem, inquit, tenebras &c. De eadem autem re etiam in libris de republica, ſed maxime in ſexto ita ſcriptum eſt: Olim deficere ſol hominibus, extinguique viſus eſt, cum Romuli animus in hæc ipſa templa penetravit.

Si nobis, cum ex hac vita (26) migraverimus, in beatorum inſulis immortale ævum, ut fabulæ ferunt, degere liceret, quid opus eſſet eloquentia? cum judicia nulla fierent, aut ipſis etiam virtutibus? nec enim fortitudinis egeremus, nullo propoſito aut labore, aut periculo, nec juſtitiæ, cum eſſet nihil, quod appeteretur alieni, nec temperantiæ, quæ regeret eas, quæ nullæ eſſent libidines; nec prudentiæ quidem egeremus, nullo delectu propoſito bonorum, & malorum. Una igitur eſſemus beati cognitione naturæ, & ſcientia; quæ ſola etiam deorum eſt vita laudanda; ex quo intelligi poteſt, cetera neceſſitatis eſſe, unum hoc voluptatis.

(26) Cum contra naturæ contemplationem Hortenſius ageret, ejuſmodi rhetorica hypotheſi reliqua omnia ſtudia neceſſitatis eſſe, hoc unum voluptatis concluſit. Hæc autem verba citat D. Auguſtinus lib. IV. de Trinitate. De omnibus, inquit, virtutibus quatuor magnus auctor eloquentiæ Tullius in Hortenſio dialogo diſputans: Si nobis, inquit, cum ex hac vita migraverimus, immortale ævum, ut fabulæ ferunt &c. Quæ vero, & ubi inſulæ ſint beatorum, cum alii, tum maxime Plutarchus docet in Sertorio: quas ubi copioſe deſcripſit, eam etiam opinionem barbarorum mentes imbuiſſe ait, ibi eſſe campos Elyſios, & fortunatorum ſedes, quas Homerus, cecinit: ὥστε. inquit, μέχρι τῶν βαρβάρων διῖχθαι πίστιν ἰσχυρὰν. αὐτόθι τὸ ἠλύσιον εἶναι πεδίον, καὶ τὴν τῶν εὐδαιμόνων οἴκησιν, ἣν ὅμηρος ὕμνησεν.

Ecce autem non philoſophi (27) quidem, ſed prompti tamen ad diſputandum omnes ajunt eſſe beatos, qui vivant, ut ipſi velint. (*d*)

(27) Vituperat philoſophandi rationem, cum in eo, in quo ſumma vitæ conſiſtit, tam vehementer inter ſe diſſentiant, id eſt, in quo beatitudo contineatur; præſertim vero cum nihil ſit facilius intellectu; eſſe enim ex omnium ſententia nihil aliud, quàm vivere, ut

Tom. VI.

(*c*) D. Auguſt. lib. 4. de Trinitate.
(*d*) D. Auguſt. de beata vita.

A velis. De his verbis ſic D. Auguſtinus in libro de vita beata: Cicero in Hortenſio, quem de laude, ac defenſione philoſophiæ librum fecit: Ecce autem, ait, non philoſophi quidem, ſed prompti tamen &c. Hanc ſententiam Perſius Satyra V. ſic expreſſit:

An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam,
Cui licet ut voluit?

Si Deus (28) unus eſt, quæ eſſe beata ſolitudo queat. (*e*)
Præcipiunt hoc iſti, & facit nemo. (*f*)

(28) Beatitudinem, quam philoſophi in Deo ſtatuebant, ab eo removet, ſi ſolus ſit.
B Lactantius libro I. cap. VII. Sed fortaſſe quærat aliquis à nobis illud idem, quod apud Ciceronem quærit Hortenſius; ſi Deus unus eſt, quæ eſſe beata ſolitudo queat.

Quæ eſt igitur philoſophia (29) Socrate, nec dubito, quin quæcunque ſit lautitia, qui victum elegantem magnifice, neque minus, quàm deceret, colere inſtituiſſet.

(29) Philoſophos, qui elegantius, quàm philoſophiæ pudor poſtularet, viverent, reprehendit.

C *Vidi in dolore podagræ (30) nihilo ipſum, vel omnium maximum Stoicorum, Poſſidonium, quàm Nicomachum Tyrium, hoſpitem meum, fortiorem.*

(30) In Poſſidonium Stoicorum agit, qui imbecillo animo dolorem podagræ pertulerit, cum de doloris patientia magnifice, ut Stoicus, diſputare ſolitus eſſet.

Eloquentiam tueri, (31) quam tu in cœlum Hortenſi, credo, ut ipſe cum ea ſimul aſcenderes, ſuſtuliſſes.

D (31) Hæc ſunt vel Catuli reſpondentis, vel Ciceronis; ex quibus apparet, ſuperiore ſermone eloquentiam ab Hortenſio nimis anxie eſſe laudatam, quòd artem ſuam commendaret.

Tu me & alias nonnunquam, (32) & paulo ante adhortatus es, aliorum facta, & eventa conquiram.

(32) Reſpondet ei parti, in qua Hortenſius ſe ad hiſtoriæ ſtudium, quòd eo ſapientia, & eloquentia excoleretur, hortatus eſt.

Qui cum hodie bellum (33) cum mor-
E *tuo gerant.* (*g*)

(33) Hæc verba contra hiſtoriæ ſtudium videntur prolata: quòd ſit periculoſum hiſtoriam ſcribere, cum etiam poſteri cum hiſtoricis mortuis, ſi quid in majoribus ſuis vituperarint, bellum gerant; quam ſententiam ne ipſe ſomniaſſe videar, unde acceperim, oſtendam. Docet hoc Trebellius Pollio in Salonino, cum ait: Huc accedit, quòd quædam etiam ſtudioſe prætermiſi, ne ejus poſteri multis rebus editis læderentur; ſcis enim ipſe,

Cccc qua-

(*e*) Lactantius lib. 1. cap. 6.
(*f*) Nonius. (*g*) Fronto.

quales homines cum iis, qui aliqua de majoribus eorum ſcripſerint, quantum gerant bellum; nec ignota eſſe arbitror, quæ dixit M. Tullius in Hortenſio, quem ad exemplum Protreptici ſcripſit. A

Tu ne pſeudomenos, (34) *& ſoritam, & totam dialecticam aut illudis, aut increpas.*

(34) In Hortenſium, qui totam dialecticam increpuit, & ejus inſtrumenta irriſit, quæ ſunt apud Stoicos ſoritæ, & pſeudomeni. Cicero in Acad. Poſthac de obſcuritate naturæ potius diſſeremus, quàm de ſorite, & pſeudomeno: quas plagas ipſi contra ſe Stoici texuerunt. B Eodem autem pertinent ea, quæ ſcribit D. Auguſtinus in libro de principiis dialecticæ. Itaque rectiſſime, inquit, à dialecticis dictum eſt, ambiguum eſſe omne verbum; nec moveat, quòd apud Ciceronem calumniator Hortenſius ejuſmodi ambigua ſe audere explicare dilucide dixit, ex quibus apparet artificium omne dialecticorum in demonſtrandis ambiguis ab Hortenſio eſſe deluſum.

Quis te aut eſt, (35) *aut fuit unquam in partiundis rebus, in definiendis, in explanandis preſſior*. (*b*)

C

(35) Ad Hortenſium dicuntur; cujus ſumma in dividendo laus fuit; de qua ſic in Bruto: Attulerat minime vulgare dicendi genus, duas quidem res, quas nemo alius, partitiones, de quibus rebus dicturus eſſet, & collectiones; item: Dividebat acute, nec prætermittebat fere quicquam, quod eſſet in cauſſa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum; & in Divinatione, ubi loquitur de Hortenſio: Quid, cum accuſationis ſuæ membra dividere cœperit, & in digitis ſuis ſingulas partes conſtituere? quid, cum unumquodque tranſigere, expedire, abſolvere?

Faceſſant igitur omnes, (36) *qui docere nihil poſſunt, quo melius, ſapientiuſque vivamus.* D

Malo vel parvum de officio libellum, quàm longam orationem pro ſeditioſo homine Cornelio. (*i*)

(36) Nimirum in Hortenſium & hæc dicta ſunt, qui vituperabat philoſophiam vitæ magiſtram; in eandem autem ſententiam eſt illud Catuli etiam, de quo ſupra ex Lactantio diximus: qui in Hortenſio dixit, malle ſe parvum unum de officio libellum, quàm longam pro ſeditioſo homine Cornelio orationem. E

Nam quòd vereris, (37) *ne non conveniat noſtris ætatibus iſta oratio, quæ ſpectat ad hortandum*. (*k*)

(37) Catuli ſunt, vel Ciceronis hortantis ad philoſophiæ ſtudium, atque id ætatibus ſuis convenire oſtendentis.

Aut tibi id ipſum (38) *pervertendum fuit, quod tu ne attigiſti quidem; aut ejus partes quaſi membra quædam cædendæ.*

Sed ad extremum pollicetur prolaturum, quæ ſe ipſa comeſt; quod efficit dialecticorum ratio.

(38) Catuli ſunt, vel Ciceronis Hortenſium refellentis; victum certe ait Hortenſium Lactantius arguta hac concluſione, quòd cum diceret, philoſophandum non eſſe, nihilominus philoſophari videretur. Eſt etiam apud Severinum libro ſecundo de differentiis Topicis Tullianum pro philoſophiæ ſtudio argumentum tale: Sunt etiam, inquit ille, definitiones, quæ non à rei ſubſtantia, ſed à nominis ſignificatione ducuntur, atque ita rei, de qua quæritur, applicantur; ut ſi quæratur, utrum philoſophiæ ſtudendum ſit, erit argumentatio talis; philoſophia amor ſapientiæ eſt, huic ſtudendum nemo dubitat; ſtudendum eſt igitur philoſophiæ; hic enim non definitio rei, ſed nominis interpretatio argumentum dedit: quo & Tullius in Hortenſio in ejuſdem philoſophiæ uſus eſt defenſione.

Quid tu, inquam, ſoles, (39) *cum rationem diſpenſatore accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam, quæ ex his confecta ſit, non probare?*

(39) Acuta ſimilitudine oſtendit, ſi partes argumentationis approbavit, totam etiam approbare debere.

Itaque tibi concedo, (40) *quod in duodecim ſcriptis ſolemus, ne calculum reducas, ſi te alicujus dati pœnitet.*

(40) In Hortenſium & hoc videtur; concedit autem Catulus, ut revocet, ſi quid ſe dixiſſe pœnitet, quod ſimilitudine è ludo XII. ſcriptorum ſumpta lepide effert. Huic autem loco ſimilis eſt ille Quintiliani lib. XI. An vero Scævola in luſu XII. ſcruporum, cum prior calculum promoviſſet, eſſetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraſſet recordatus, rediit ad eum, qui cum luſerat, iſque ita eſſe confeſſus eſt; ſic in primo de oratore: XII. ſcriptis ludere.

An cum videat me, (41) *& meos comites, fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam, conſtantiam, gravitatem, fidem, ipſa ſe ſubducat?* (*l*)

(41) Loquentem juſtitiam videtur inducere, quæ dicat, ſi ipſa cum ceteris virtutibus rotam tormentorum aſcendat, ne beatam quidem ipſam vitam ſe debere ſubducere. Quod ex quinta Tuſculana colligitur, ubi ait: Quid igitur? ſola ne beata vita, quæſo, relinquitur extra oſtium, limenque carceris, cum conſtantia, gravitas, fortitudo, ſapientia, reliquæque virtutes rapiantur ad tortorem, nullumque recuſent nec ſupplicium, nec dolorem? Item: Dabit, dabit, inquam, ſe in tormenta vita beata, nec juſtitiam, temperantiam, inprimiſque fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam proſecuta, cum tortoris os viderit, conſiſtet, virtutibuſque omnibus ſine ullo animi terrore ad cruciatum profectis, reſiſtet extra fores, ut ante dixi, limenque carceris.

Quare

(*b*) Noni us. (*i*) Lactantius.

(*k*) Nonius. (*l*) Nonius: *ſubducere*.

Quare velim mihi Luculle (42) *jubeas indicem tragicorum ; ut ſumam , qui mihi deſunt .* A

Quare egredere quæſo , & gratificare reipublicæ .

Nihil eſſe , in quo ſe animus excellens tollat .

Captum me fortaſſe , inquit , tu putas , & , id quidem nollem confiteri , coactum .

An cum videat me , & meas comites , fortitudinem , magnitudinem animi , patientiam , conſtantiam , gravitatem , fidem , ipſa ſe ſubducat ?

Itaque nec in philoſophia cuiquam ceſſit , & vitæ gravitate præſtitit . B

Magnitudo animi , patientia laborum , mortis denique contemptio .

Ut ea ibi ratio vera reſtituat , quæ conſuetudo vitioſa detraxerit .

Conſolabitur eum magnitudo animi , & humanarum opinionū alta quædam deſpectio.

Hi noſtri amici verecundantur , capti ſplendore virtutis .

Habet enim ipſa incertam , & infinitam viam , & ex ea multis vitiis , & erroribus depravata deducitur . C

Deinde imitator , ut ſibi quidem videtur , naturæ mos vindicat .

Quantum inter ſe homines ſtudentes moribus , omni vitæ ratione differant .

(42) Apparet hinc, Lucullum poëtarum ſtudia collaudaſſe, & maxime tragicorum. Reliqua, quæ ſequuntur, videntur mihi eam diſputationem olere, quæ pro philoſophia ſuſcepta ſit; quanquam pro certo non affirmo, neque enim poſſum; eſt quidem magna virtutum mentio: quarum quia præcepta in philoſophia traduntur, fortaſſe earum inſtituta eſt ab adverſariis Hortenſii diſputatio. D

Imbecillis autem eſt pudoris magiſter timor : (43) *qui ſi quando paullulum aberraverit , ſtatim ſpe impunitatis exultat .*

(43) Sic II. de Off. Malus diuturnitatis cuſtos metus .

Ad juvenilem libidinem (44) *copia voluptatum gliſcit illa , ut ignis oleo .*

(44) Ut virtutum colendarum præcepta philoſophiæ ſunt , ſic etiam cupiditatum moderandarum . Hanc ob rem de voluptate ſermonem inſtitutum eſſe arbitror. E

Oratæ , homini ditiſſimo , (45) *amœniſſimo , delicatiſſimo , neque ad voluptatem quidquam defuit , neque ad gratiam , neque ad bonam , integramque valetudinem . Nam & prædiis quæſtuoſiſſimis , amicis jucundiſſimis , quantum libuit , abundavit ; & illis omnibus aptiſſime ad ſalutem corporis uſus eſt .* (*m*)

Primus balneola ſuſpendit , incluſit piſces . (*n*)

Et amœnitate ſumma perfructus eſt . (*o*)

Vixit ad ſummam ſenectutem valetudine optima .

Voluptates autem nulla ad res neceſſarias invitamenta afferunt ſenibus . (*p*)

(45) De hoc loco ſic D. Auguſtinus in libro de vita beata: Sed fingamus aliquem talem, qualem Tullius fuiſſe dicit Oratam . Quis enim facile dicat, Oratam egeſtate laboraſſe , hominem ditiſſimum , amœniſſimum , delicatiſſimum , cui neque ad voluptatem quidquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam , integramque valetudinem ? nam & prœdiis &c. Quanquam autem D. Auguſtinus libri nomen, unde hoc ſumpſerit, reticet, tamen ex Hortenſio ſuſpicatus ſum eum hauſiſſe; illa enim ſine dubio ſunt ex Hortenſio, teſte Nonio : Primus balneola ſuſpendit, incluſit piſces; & quidem de Sergio Orata dicta. Hic enim, ut inquit Macrobius lib. III. Primus balneas penſiles habuit , primus oſtrearia in Bajano locavit , primus optimum ſaporem oſtreis Lucrinis adjudicavit; fuit autem ætate L. Craſſi illius diſerti.

An vero voluptates (46) *corporis expetendæ , quæ vere , & graviter à Platone dictæ ſunt illecebræ eſſe , atque eſcæ malorum ? quæ enim confectio eſt valetudinis , quæ deformatio coloris , & corporis , quod turpe damnum , quod dedecus , quod non evocetur , atque eliciatur voluptate ? cujus motus ut quiſque eſt maximus , ita eſt inimiciſſimus philoſophiæ ; congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non poteſt ; quis enim cum utatur voluptate ea , qua nulla poſſit major eſſe , attendere animo , inire ratione , cogitare omnino quicquam poteſt ? quis autem tantus eſt gurges , qui dies & noctes ſine ulla minimi temporis intermiſſione velit ita moveri ſuos ſenſus , ut moventur in ſummis voluptatibus ? quis autem bona mente præditus non mallet nullas omnino nobis à natura voluptates datas ?* (*q*)

(46) De his verbis in hunc modum ſcribit D. Auguſtinus in lib. IV. adverſus Julianum Pelagianum: Vide quid in Hortenſio dialogo dicat Tullius; quæ magis verba te delectare debuerunt, quàm Balbi, Stoicorum partes agentis; quæ licet vera, tamen de parte hominis inferiore, hoc eſt de corpore fuerunt, & te nihil adjuvare potuerunt. Vide quid iſte pro vivacitate mentis contra voluptatem corporis dicat. An vero, inquit, voluptates corporis, quæ vere, & graviter à Platone dictæ ſunt illecebræ eſſe, atque eſcæ malorum &c. Quod autem inquit voluptates eſcas malorum à Platone eſſe dictas , locum, qui eſt in Timæo ſignificat , ubi ait ille : ἡδονὴν μὲν ἐστὶ δέλεαρ μέγιστον κακοῦ ; quam ſententiam tranſtulit quoque in dialogum de ſenectute . Divinus , inquit, Plato eſcam malorum voluptatem appel-

(*m*) D. Auguſt. de beata vita. (*n*) Nonius.
(*o*) Priſcianus.

(*p*) Nonius.
(*q*) D. Auguſt. lib. 4. contra Pelagianum.

pellat, quòd ea videlicet homines capiantur, ut hamo piſces; & in primum de Legibus: Nam & voluptate capiuntur omnes, quæ eſt illecebra turpitudinis. Quod autem addit in Hortenſio, nihil eſſe inimicius philoſophiæ, quàm voluptatem, id totum ab Archita Tarentino accepit, de quo ſic loquitur Cato in eodem dialogo de ſenectute: Cumque homini ſive natura, ſive quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic divino muneri, ac dono nihil tam eſſe inimicum, quàm voluptatem: nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe, nec omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. Quod quo magis intelligi poſſet, fingere animo aliquem jubebat tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi poſſet maxima; nemini cenſebat fore dubium, quin tam diu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poſſet; neque vero ſolum Architas, ſed Plato etiam in III. de rep. idem cenſuit: ἀλλὰ τόδε μοι εἰπὲ, inquit, σωφροσύνῃ, καὶ ἡδονῇ ὑπερβαλλούσῃ ἐστί τις κοινωνία; καὶ πῶς ἔφη; ἥγε ἔκφρονα ποιεῖ οὐχ ἧττον, ἢ λύπη, ἀλλὰ τῇ ἄλλῃ ἀρετῇ; οὐδαμῶς. Hæc autem verba vere eſſe ex Hortenſio, declarat etiam Nonius, qui aliquot ex his profert in explicanda ſignificatione verbi conficere; ſunt autem hæc: Quæ eſt enim confectio valetudinis, quæ deformatio corporis.

Et qui expectat, (47) *pendet animi, quia ſemper, quid futurum ſit, incertum eſt.*

Et ceteris quidem in rebus, in quibus peccata non maxime differunt, noxias tamen, ni ſciunt, attingunt.

(47) Hoc ad infelicitatem humanæ vitæ pertinet, de qua in extremo Hortenſio diſputatum eſt, teſte D. Auguſtino. Quod idem neſcio an poſſit de ſequentibus verbis dubitari.

Ex quibus humanæ vitæ (48) *erroribus, & ærumnis fit, ut interdum veteres illi, ſive vates, ſive in ſacris, initiiſque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pœnarum luendarum cauſſa natos eſſe dixerunt, aliquid vidiſſe videantur, verum que ſit illud, quod eſt apud Ariſtotelem, ſimili nos affectos eſſe ſupplicio, atque eos, qui quondam, cum in prædonum Etruſcorum manus incidiſſent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viva cum mortuis, adverſa adverſis accommodata, quamaptiſſime colligabantur; ita noſtros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis eſſe conjunctos.* (r)

(48) Hæc verba de miſeriis hominum ex partibus Hortenſii extremis fuiſſe, certum eſt ex D. Auguſtino, cujus hæc verba ſunt libro IV. adverſus Julianum Pelagianum: Quanto ergo te melius, veritatique vicinius de hominum generatione ſenſerunt, quos Cicero extremis partibus Hortenſii dialogi, velut ipſa rerum evidentia ductus, compulſuſque commemorat? Nam cum multa, quæ videmus, & gemimus, de hominum vanitate, atque in-

(r) D. Auguſt. lib. 4. contra Pelagianum.

A felicitate dixiſſet: Ex quibus humanæ, inquit, vitæ erroribus, & ærumnis fit, ut interdum veteres illi ſive vates, ſive in ſacris, initiiſque tradendis, divinæ mentis interpretes &c. Vatem autem Orpheum intelligit, qui corpus animæ ſepulcrum eſſe dixit, ut quaſi carcere incluſus ſupplicio quodam afficeretur; id quod ſcriptum eſt apud Platonem in Cratylo, unde hæc Cicero ſumpſit: σῶμα σῆμα τινές φασιν εἶναι τῆς ψυχῆς, ὡς τεθαμμένης ἐν τῷ νῦν παρόντι· καὶ διότι αὖ τούτῳ σημαίνει ἃ ἂν σημαίνῃ ἡ ψυχὴ, καὶ ταύτῃ σῆμα ὀρθῶς καλεῖσθαι. δοκοῦσι μέντοι μοι μάλιστα θέσθαι οἱ ἀμφὶ Ὀρφέα τοῦτο τὸ ὄνομα, ὡς δίκην διδούσης τῆς ψυχῆς, ὧν δὴ ἕνεκα δίδωσι, τοῦτον δὲ περίβολον ἔχειν, ἵνα σώζηται, δεσμωτηρίου εἰκόνα· εἶναι οὖν τῆς

B ψυχῆς τοῦτο αὐτὸ, ὥσπερ ὀνομάζεται, ἕως ἂν ἐκτίσῃ τὰ ὀφειλόμενα, τὸ σῶμα. Ut autem Cicero à Platone hoc ſumpſit, ſic Virgilius illud vel à Cicerone, vel ab Ariſtotele, qui nunc à Cicerone nominatur, accepit, quòd Mezentium, Etruſcorum regem, ea immanitate finxerit, ut hoſtes ſuos excogitata crudelitate necaverit, cum corpora viva cum mortuis, adverſa adverſis accommodaret; quod enim de prædonibus Etruſcis legerat, id ad regem Etruſcorum tranſtulit: ne forte illud ipſe ſibi finxiſſe putes, cum cecinit:

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibuſque manus, atque oribus ora,
C *(Tormenti genus) & ſanie, taboque fluentes,*
Complexu in miſero, longa ſic morte necabat.

Neque vero hoc ſolum, ſed multa etiam alia admirabilia ex hiſtoria tranſtulit in poëma, ne quid diceret, quod omnino, ſi à veritate, at à veriſimilitudine abhorreret; quorum ego aliquot exempla hoc loco afferam ex Romana hiſtoria ſumpta. Etenim cum facit Turnum in oppidum Trojanorum irrumpentem, atque incolumem exeuntem, Claudii Aſelli Romani factum expreſſit, de quo Livius libro XXIV.: Huic pugnæ equeſtri rem, quam ſatis certam, communis exiſtimatio eſt, mirabilem certe, adjiciunt quidam annales; cum refugientem

D ad urbem Tauream Claudius ſequeretur, patenti hoſtium portæ invectum per alteram ſtupentibus miraculo hoſtibus, intactum evaſiſſe. Præterea vero, cum eundem Turnum ex mœnibus ſe in Tiberim dejicientem, atque ad ſuos incolumem redeuntem finxit, ſimilem Horatii Coclitis fortitudinem effinxit: cum Niſum per medios hoſtes erumpentem, P. Decii bello Samnitico pari in re virtutem eſt imitatus: cum avem infauſtam Turni pugnantis clypeum verberantem, Corvum, qui Gallo cum Valerio congreſſo os, & faciem laceravit: cum Amatam reginam capta urbe ſe ſuſpendentem, Aſdrubalis uxorem, quæ capta Carthagine ex arce ſe in ignem medium intu-

E lit; cum ſpolia Mezentii hoſtis ad quercum affigi, Romuli in ſimili re factum æmulatus eſt.

Vidit enim, quod videndum eſt, (49) *appendicem animi eſſe corpus, nihilque in eo eſſe magnum.* (ſ)

(49) Ut paulo ante dixit, animos cum corporibus, ut vivos cum mortuis colligatos, ſic hoc loco animi appendicem corpus appellat.

Ut

(ſ) Nonius.

Ut igitur domitores equorum (50) *non verbera ſolum adhibent ad domandum, ſed cibum etiam ſæpe ſubtrahunt, ut fame debilitetur equulcorum nimis effrænata vis.* A

(50) Præclara comparatio, qua uſus eſt fortaſſe, dum de domandis corporis cupiditatibus ageret.

Qui cum publicas (51) *injurias lente tuliſſet, ſuam non tulit.*

(51) Hoc de Ariſtogitone dictum acutiſſime oſtendit Petrus Victorius in Variis Lectionibus. B

In continentibus quidem terris veſtrum nomen dilatari poteſt. (52)
Et facultas noſtris majoribus erat, qui confectis ſenatuſconſultis.

(52) Tale illud in vi. de republ. Quibus amputatis cernis profecto, quantis in anguſtiis veſtra gloria ſe dilatari velit.

Quorum alterius ingenium ſic, (53) *ut acetum Ægyptium, alterius ſic acre, ut mel Hymettium dicimus.*
Deinde boni mores, & modeſtiores, & ad capienda præcepta molliores. C
Altera eſt nexa cum ſuperiore, & inde apteque pendens.
Præter ceteras noſtra extulit civitas.
Ponendæ ſunt fides, & tibiæ.
Aliud ex ſilvis ſeverum, & triſte.
Eundem enim non ſolum mediocri pecunia, ſed etiam tenui percipere poſſumus.
Qui iidem neſcio quid, quod in primoribus habent, ut ajunt, labris.
Ut ait Ennius: Refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.
Non & ſine ea cogitatione ineundis, ſubducendiſque rationibus. D
Lydus, & Tyrrhenus fratres piraticam exercuerunt. (t)

(53) Hic locus apud Nonium ita vulgo legitur: Quorum alterius ingenium, ſicut actum Ægyptium, alterius ſic acrius mel Hymettium dicimus; in manuſcriptis vero ita: Quorum alterius ingenium, ſicut acceptum Ægyptium, alterius ſic acre, ut mel Hymettium dicimus. Ex quo conjectura ductus ſum ad hanc lectionem: Quorum alterius ingenium ſic dulce, ut acetum Ægyptium, alterius ſic acre, ut mel Hymettium dicimus. Neque vero de verbo, Aceto, dubitandum eſt, cum acetum Ægyptium perinde celebretur, ac mel Hymettium, cujus meminit Martialis: E

Amphora Niliaci non ſit tibi vilis aceti,
Eſſet cum vinum, vilior illa fuit;

& Juvenalis Satyra xiii.

Pharioque medentis aceto.

Opponit autem Cicero mel aceto, acrimoniam dulcedini, eaque ad duorum inter ſe diverſa ingenia transfert: qualia erant Ephori, & Theopompi, quorum alter calcaribus, alter fræno egebat.

In fragmenta quæſtionum Academicarum.

POſtea quàm in Hortenſio philoſophiam veriſſimis, atque ampliſſimis ornavit laudibus, ſtatuit, cum multa philoſophandi tum genera colerentur, Platonicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Academicorum; Epicureorum, quod ipſe maxime omnium approbaret, oſtendere; ea vero fuit Academiæ novæ ratio, in qua magna cum laude Arceſilas, Cleantes, & Carneades quondam erant verſati. Hoc autem fecit ſcriptis primum libris duobus Academicis, quorum unum Catulum, Lucullum alterum appellavit; poſt mutato conſilio, ac ea re, ac quæſtione copioſius, atque accuratius tractata, libris Academicis alteris quatuor, quos ad Varronem miſit; ex priore ſcriptione Lucullum habemus, ex poſteriore duntaxat primi libri particulam; reliqua vis vetuſtatis conſumſit. De Catulo & Lucullo ipſe in epiſtolis ad Atticum ſic agit: Catulum, & Lucullum, ut opinor, antea; his libris nova proœmia ſunt addita, quibus eorum uterque laudatur; & hoc modo Quinctilianus lib. iii. cap. viii. M. Tullius non dubitavit aliquos ſuos jam editos libros aliis poſtea ſcriptis damnare, ſicut Catulum, atque Lucullum. Quatuor autem certe Academicorum tantum meminit libro ii. de Divinatione, cum libros à ſe de philoſophia conſcriptos recenſeret, in hunc modum: Et quod genus philoſophandi minime arrogans, maximeque & conſtans, & elegans arbitraremur, quatuor Academicis libris oſtendimus; de quibus ſic ſcripſit ad Atticum lib. xiii. Sic conſtituebam, neminem includere in dialogos eorum, qui vi erent: ſed quia ſcribis & deſiderari à Varrone, & magni illum æſtimare, eos confici, & abſolvi: neſcio quàm bene, ſed ita accurate, ut nihil poſſet ſupra, Academicam omnem quæſtionem libris quatuor, in eis, quæ erant contra ἀκαταληψίαν præclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi; ad ea ipſe reſpondeo: tu es tertius in ſermone noſtro. Academiæ autem hujus hæc fuit ratio, ut de omnibus rebus ſe opinari dicerent, nihil ſcire, & contra omnium decreta probabiliter diſputantes nihil affirmarent. Qua de ratione multa præclare D. Auguſtinus in libris, quos inſcripſit contra Academicos, ſed illud præclariſſimum, cum inquit: Quiſquis autem putat hoc ſenſiſſe Academicos, ipſum Ciceronem audiat. Ait enim, illis morem fuiſſe occultandi ſententiam ſuam, nec eam cuiquam, niſi qui ſecum ad ſenectutem uſque vixiſſent, aperire conſueviſſe. Quæ ſit tamen iſta, Deus viderit, eam tamen arbitror Platonis fuiſſe. Quæ autem in his exemplis de lunæ lineamentis, de maris colore, unguentorum odore, de iis, qui urinantur, dicuntur, ea pertinent ad eam quæſtionem, in qua diſſeritur, multa ſenſibus videri, quæ omnino nulla ſint, unde opinatio confirmatur, ſcientia tollitur.

Ex libro primo Quæſtionum Academicarum ad M. Varronem.

Quid autem ſtomachetur Mneſarchus, quid Antipater digladietur cum Carneade tot voluminibus. (u)

(t) Ser. 8. Æneidos.

(u) Nonius.

A

Ex libro ſecundo Academicarum Quæſtionum.

Qui enim honores adamaverunt, vix admittuntur ad eos, nec ſatis commendati multitudini eſſe poſſunt.

Frangere avaritiam, ſcelera ponere, vitam ſuam exponere ad imitandum juventuti.

Quid? lunæ quæ lineamenta ſunt; potes ne dicere, cur ejus naſcentis alias hebetiora, alias acutiora videantur cornua?

Quid? mare non ne cæruleum? (54) *at ejus unda, cum eſt pulſa remis, purpuraſcit;* B *& quidem aqua tinctum quodam, & infectum?*

Quid tam planum, quàm mare, è quo & æquor illud poëtæ vocant.

Quibus etiam alabaſter plenus unguenti putere videatur.

(54) In Lucullo item: Mare illud quidem nunc favonio naſcente purpureum videtur, idem huic noſtro videbitur, nec tamen aſſentietur, quia nobiſmet ipſis modo cæruleum videbatur, mane flavum.

C *Alius adultis, alius ſenibus,* (55) *alius ægris, alius ſiccis, alius vinolentis.*

Si quando enim nos demiſimus, ut qui urinantur, aut nihil ſuperum, aut obſcure admodum cernimus.

Atqui, ſi id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis.

(55) Eadem ſententia eſt in Lucullo hoc modo: Ea ſunt ejuſmodi, quæ à te diligentiſſime tractata ſunt, dormientium, & vinolentorum, & furioſorum viſa imbecilliora eſſe dicebas, quàm vigilantium, ſiccorum, ſanorum.

D *Cum ovum inſpexerant,* (56) *quæ gallina peperiſſet, dicere ſolebant.*

Opera affixa. (x)

(56) Hæc verba leguntur etiam in Lucullo; credo quòd Cicero, cum priorem lucubrationem improbaret, magnam partem ejus in poſteriorem iiſdem etiam verbis, ut hoc ipſum, tranſtulerit. Sic autem ibi ſcriptum eſt: Accepimus Deli fuiſſe complures, ſalvis rebus illis, qui gallinas alere permultas quæſtus cauſſa ſolerent; hi cum ovum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet, dicere ſolebant.

E

Ex libro tertio Academicarum Quæſtionum.

In tanta animalium varietate homini ut ſoli cupiditas ingeneraretur cognitionis, & ſcientiæ. (y)

Aliqua poteſtas ſi ſit, vendicet ſe in libertatem.

Digladiari autem ſemper, depugnare cum facinoroſis, & audacibus, quis non cum miſerrimum, tum etiam ſtultiſſimum dixerit?

(x) Diomedes. (y) Nonius. (z) Lactantius.

Et ut nos nunc ſedemus (57) *ad Lucrinum, piſciculoſque exultantes videmus.*

Quod ſi liceret iis, qui in itinere deerraſſent, ſic vitam deviam ſecutos corrigere errorem pœnitendo, facilior eſſet emendatio temeritatis. (z)

(57) Olet hæc ſententia diſputationem, quæ haberi ſolet de infinitate mundorum, quæ tractatur etiam in Lucullo: Cur in reliquis mundis, & his quidem innumerabilibus innumerabiles Q. Lutatii Catuli non modo poſſint eſſe, ſed etiam ſint, in hoc tanto mundo Catulus alter non poſſit effici?

Ex incerto libro Academicarum Quæſtionum.

Mihi autem (58) *non modo ad ſapientiam cœci videmur, ſed ad ea ipſa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes, & obtuſi.* (a)

Latent iſta omnia Varro, magnis obſcurata, & circumfuſa tenebris. (b)

(58) Hæc etiam verba ex Academicis libris eſſe, ſuſpicor ex verbis Lactantii lib. III. cap. XIV. Cedo Cicero qua in ſecta veritatem deprehenderis; in Academia ſcilicet, quam ſecutus es; at hæc nihil docet, niſi ut ſcias, te nihil ſcire. Tui ergo te libri arguunt, quod nihil à philoſophia diſci poſſit ad vitam. Hæc tua verba ſunt: Mihi autem non modo ad ſapientiam cœci videmur, ſed ad ea ipſa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes, & obtuſi.

Fac enim verbi cauſſa (59) *Stoicum adeſſe ſapientem; nam contra eos potiſſimum Academicorum exarſit ingenium. Ergo Zeno, vel Chryſippus ſi interrogentur, quid ſit ſapiens, reſpondebit eum eſſe, quem ipſe deſcripſerit. Contra Epicurus, vel quis alius adverſariorum negabit, ſuumque potius peritiſſimum voluptatum aucupem ſapientem eſſe contendet. Inde ad jurgium. Clamat Zeno, & tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil eſſe aliud, quàm honeſtatem: ipſam ſuo ſplendore in ſe animos ducere, nullo prorſus commodo extrinſecus poſito, & quaſi lenocinante mercede: voluptatemque illam Epicuri ſolis inter ſe pecoribus eſſe communem; in quorum ſocietatem & hominem, & ſapientem trudere nefas eſſe. Contra ille, convocata de hortulis in auxilium quaſi libera turba temulentorum, quærentium tamen, quem incomptis unguibus bacchantes, aſperoque ore diſcerpant, voluptatis nomen, ſuavitatem, quietem teſte populo exaggerans; inſtat acriter, ut ſine ea beatus nemo eſſe poſſe videatur. In quorum rixam ſi Academicus incurrit, utroſque audiet trahentes ſe ad ſuas partes: ſed, ſi in illos, aut in*

iſtos

(a) Lact. lib. 3. cap. 15. (b) Marcianus lib. 5.

iſtos conceſſerit; ab eis, quos deſerit, inſanus, imperitus, temerariuſque clamabitur. Itaque cum & hac, & illac aurem diligenter admoverit, interrogatus quid ei videatur, dubitare ſe dicet. Roga nunc Stoicum, qui ſit melior, Epicurus ne, qui delirare illum clamat, an Academicus, qui ſibi adhuc de re tanta deliberandum eſſe pronuntiat? nemo dubitat Academicum prælatum iri. Rurſus te ad illum converte, & quære, quem magis amet, Zenonem, à quo beſtia nominatur, an Arceſilam, à quo audit; tu fortaſſe verum dicis, ſed requiram diligentius: non ne apertum eſt, totam illam porticum inſanam, Academicos autem præ illis modeſtos, cautoſque homines videri Epicuro? (c)

Talia mihi videntur omnia, quæ probabilia, vel veriſimilia putavi nominanda; quæ tu ſi alio nomine vis vocare, nihil repugno; ſatis enim mihi eſt, te jam bene accepiſſe, quid dicam, id eſt, quibus rebus hæc nomina imponam; non enim vocabulorum opificem, ſed rerum inquiſitorem decet eſſe ſapientem. (d)

(59) Hæc D. Auguſtino debemus, qui libro tertio contra Academicos ita ſcriptum reliquit: Sed primo illud videamus, quale ſit, unde amatores Academicorum gloriari nimium ſolent; nam eſt in libris Ciceronis, quos in hujus cauſſæ patrocinium ſcripſit, locus quidam, ut mihi videtur, mira urbanitate conditus, ut non nullis autem, etiam firmitate roboratus; difficile eſt prorſus, ut quanquam non moveat, quod ibi dictum eſt, Academicos ſapienti ab omnibus ceterarum ſectarum, qui ſibi ſapientes viderentur, ſecundas partes dari, cum primas ſibi quemque vindicare neceſſe ſit; ex quo poſſe probabiliter confici, eum recte primum eſſe judicio ſuo, qui omnium ceterorum judicio ſit ſecundus. Fac enim verbi cauſſa &c. poſtremo ita concludit: Itaperæque prope de omnibus ſectis copioſiſſime Cicero jucundiſſimum legentibus quaſi ſpectaculum præbet, velut oſtendens nullum illorum eſſe, qui non, cum ſibi primas partes dederit, quod neceſſe eſt, ſecundas ei dicat dare, quem non repugnare, ſed dubitare conſpexerit. Teſtimonia porro, quæ à Nonio ex quarto libro Academico proferuntur, ea ſunt in Lucullo; quem ille falſo quartum Academicorum librum putat fuiſſe, cum ſit ſecundus, ex iis, quos primum conſcripſerat.

In fragmentum libri tertii de Natura Deorum.

Libri tres de Natura Deorum, qui, & quales ſint, nemo ignorat. In medio autem tertio labes inſignis facta eſt, paginis aliquot amiſſis; deſideratur enim diſputatio Cottæ contra ea, quibus Balbus de Deorum providentia, & eos hominum conſulere generi diſſeruerat; ex illa vero parte, qua quærit Cotta, Deorum ne providentia mundus adminiſtretur, credo excidiſſe verba, quæ citantur à Lactantio lib. II. cap. IX. in hunc modum: Nec audiendi ſunt poëtæ, qui ajunt Chaos in principio fuiſſe, id eſt confuſionem rerum, atque elementorum, poſtea vero Deum diremiſſe omnem illam congeriem, ſinguliſque rebus ex confuſo acervo ſeparatis, in ordinemque deſcriptis inſtruxiſſe mundum pariter, & ornaſſe; quibus facile eſt reſpondere, poteſtatem Dei non intelligentibus, quem credunt, nihil efficere poſſe, niſi ex materia ſubjiciente, ac parata; in quo errore etiam philoſophi fuerunt. Nam Cicero de Natura Deorum diſputans ſic ait: Primum igitur non eſt probabile &c. Tandem ſic ſubdit: O quam multa ſunt vitia in his decem verſibus: primum, quòd is, qui in aliis diſputationibus, & libris fere omnibus providentiæ fuerit aſſertor, & qui acerrimis argumentis impugnaverit eos, qui providentiam non eſſe dixerunt, idem nunc quaſi proditor aliquis, aut transfuga providentiam conatus eſt tollere. Sed concedamus hoc mori, & inſtituto Academicorum, & poſt: Verum hæc non Ciceronis eſt culpa, ſed ſectæ; cum enim ſuſcepiſſet diſputationem, qua Deorum naturam tolleret, de qua philoſophi garriebant, omnem divinitatem ignorantia veri putavit eſſe tollendam; & poſt: Hic ego illum teneo hærentem, quo Lucilius, qui contra diſſerebat, obmutuit; explicet ſe Cotta, ſi poteſt, ex hac voragine; proferat argumenta, quibus doceat, ſemper fuiſſe materiam, quam nulla providentia effecerit.

Ex libro tertio de Natura Deorum.

Primum igitur non eſt probabile, eam materiam rerum, unde ortâ ſunt omnia, eſſe divina providentia effectam, ſed habere, & habuiſſe vim, & naturam ſuam. Ut igitur faber, cum quid ædificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed ea utitur, quæ ſit parata, fictorque cera: ſic iſti providentiæ divinæ materiam præſto eſſe oportuit, non quam ipſe faceret, ſed quam haberet paratam; quòd ſi non eſt à Deo materia facta: ne terra quidem, & aqua, & aër, & ignis à Deo factus eſt.

In fragmenta libri de Fato.

Librum unum de Fato habemus nos quidem, ſed multis in locis mutilatum, ac debilem; inter cetera autem, quæ interciderunt, ſententia hæc, de qua Macrobius libro tertio refert, deſideratur; verba ejus hæc ſunt: Et ne vilior ſit teſtis poëta, accipite aſſertore Cicerone, in quo honore fuerit hic piſcis (de acipenſere loquitur) apud P. Scipiònem Africanum illum, & Numantinum: Hæc ſunt in dialogo de Fato verba Ciceronis: Nam cum eſſet apud ſe ad Lavernium Scipio &c.

Ex libro de Fato.

Chryſippus æſtuans, (60) *laboranſque quonam pacto explicet, & fato omnia fieri, & eſſe aliquid in nobis, intricatur hoc modo.*

Nam

(c) D. Auguſt. contra Acad.

(d) Ibidem.

Nam cum eſset apud ſe ad Lavernium Scipio, A *unaque Pontius, allatus eſt forte Scipioni acipenſer, qui admodum raro capitur: ſed eſt piſcis, ut ferunt, in primis nobilis. Cum autem Scipio unum, & alterum ex iis, qui eum ſalutatum venerant, invitaſset, pluresque etiam invitaturus videretur: in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide quid agas: acipenſer iſte paucorum hominum eſt.*

(60) Gellius lib. VI. cap. III. M. Cicero, inquit, in libro, quem de Fato conſcripſit, cum quæſtionem iſtam diceret, obſcuriſſimam eſſe, B Chryſippum quoque philoſophum non expediſſe ſe in ea refert his verbis: Chryſippus &c. Hoc autem fragmentum ei fragmento, quod habemus, eſt præferendum, quia hic inquit, Chryſippum intricari; in eo vero ait: ſed ad Chryſippi laqueos revertamur.

In laudem M. Catonis.

CAtones duos Ciceronem ſcripſiſſe omnes ſciunt, unum, in quo M. Catonem, cenſorium illum, de ſenectute diſputantem cum Scipione induxit; alterum, in quo Catonem, virum prætorium, Cæſaris inimicum, qui ſe, ne victori Cæſari traderetur, Uticæ interfecit, C laudavit; priorem illum integrum habemus, hunc vero integrum amiſimus: de quo ſic ipſe Cicero in Oratore locutus eſt: Hoc ſum aggreſſus ſtatim Catone abſoluto: quem ipſe nunquam attigiſſem, tempora timens inimica virtuti, niſi tibi hortanti, & illius memoriam mihi caram excitanti, non parere nefas eſſe duxiſſem; & lib. XIII. ad Atticum: Legi Cæſaris epiſtolam: multa de meo Catone: quem ſæpiſſime legendo ſe dicit copioſiorem factum. Bruti Catone lecto, ſe ſibi viſum diſertum; & lib. II. de Divin. Quoniam philoſophia vir bonus efficitur, & fortis, Cato noſter in horum librorum numero ponendus eſt; & Gellius lib. XIII. cap. XIX. M. Cato, vir prætorius, D qui bello civili Uticæ necem ſibi gladio manu ſua conſcivit; de cujus vita liber eſt M. Ciceronis, qui inſcribitur laus M. Catonis. Huic autem laudationi, quoniam Cæſaris animum offendebat, Cæſar ipſe reſpondit libro, quem Anticatonem nominavit; cujus meminit quoque Cicero lib. XII. epiſt. ad Attic. hoc modo: Qualis futura ſit Cæſaris vituperatio contra laudationem meam, perſpexi ex eo libro, quem Hirtius ad me miſit, in quo colligit vitia Catonis, ſed cum maximis laudibus meis. Item: Hirtii epiſtolam ſi legeris, quæ mihi quaſi πρόπλασμα videtur ejus vituperationis, quam Cæſar ſcripſit de Catone, facies me, quid tibi viſum ſit, certiorem. Ex Catone E Ciceronis hæc adducit Macrobius lib. VI. ubi agit de Virgilio: Nec Tullio compilando abſtinuit. O fama ingens, ingentior armis vir Trojane. Nempe hoc ait: Æneam famam ſuam factis fortibus ſupergreſſum, cum plerumque fama ſit major rebus; ſenſus hic in Catone Ciceronis his verbis: Contingebat in eo, quod pleriſque contra ſolet, ut majora omnia re, quàm fama viderentur, id quod non ſæpe evenit, ut expectatio cognitione, aures ab oculis vincerentur. Hanc autem fere ſententiam in Liciniana etiam uſurpavit: Sic ejus adventus celebrabatur, ut famam ingenii expectatio hominis, expectationem ipſius adventus, admiratioque ſuperaret. De Anticatone Cæſaris hoc pacto ſcribit Plinius lib. III. epiſtolarum: Erunt officia antelucana, in quæ incidere impune ne Catoni quidem licuit, quem tamen C. Cæſar ita reprehendit, ut laudet; deſcribit enim eos, quibus obvius fuerit, cum caput ebrii retexiſſent, erubuiſſe; deinde adjicit: putares non ab illis Catonem, ſed illos à Catone deprehenſos; potuit ne plus auctoritatis tribui Catoni, quàm ſi ebrius quoque tam venerabilis erat? Poſtremo tribus ſtatibus uſum eſſe Cæſarem in vituperando Catone prodidit Cicero.

Ex laude M. Catonis.

Contingebat in eo, quod pleriſque contra ſolet, ut majora omnia re, quàm fama, viderentur: id quod non ſæpe evenit: ut expectatio cognitione, aures ab oculis vincerentur.

In libros de Gloria.

LIbros item de Gloria duos ſe ſcripſiſſe teſtatur lib. II. de Officiis, cum ait: Nunc dicamus de Gloria, quanquam de ea quoque re duo ſunt noſtri libri. Eorum vero etiam meminit in epiſtolis ad Atticum ita, ut facile ſignificet, eos aliquot ſe poſt Cæſaris interitum menſibus confeciſſe; cum autem alias de iis verba fecit, tum maxime quodam in loco, hoc modo: De Gloria librum ad te miſi, & in eo proœmium id eſt, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quòd habeo volumen proœmiorum; ex eo eligere ſoleo, cum aliquod σύγγραμμα inſtitui. Itaque jam in Tuſculano, qui non meminiſſem, me abuſum iſto proœmio, conjeci id in eum librum, quem tibi miſi; cum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum; itaque ſtatim novum proœmium exaravi, & tibi miſi; ita illud deſecabis, & hoc agglutinabis; & alio loco: De Gloria miſi tibi; cuſtodies igitur, ut ſoles; ſed notentur eclogarii, quos Salvius, bonos auditores nactus, in convivio dumtaxat legat; mihi valde placent; mallem tibi.

Ex libro primo de Gloria.

In Tuſculanum mihi nuntiabantur (61) *gladiatorii ſibili.* (e)

(61) Hoc ex libri proœmio ſumptum opinor, ex ea parte, qua occaſionem aperuit, cur ſe ad ſcribendum de Gloria contulerit. Quos autem gladiatorios ſibilos ait, eos intelligit, qui gladiatorum conſeſſu excitarentur. Etenim, ut ſcripſit in Sextiana, tribus locis ſignificari maxime populi Romani judicium, ac voluntas poteſt, concione, comitiis, ludorum, gladiatorumque conſeſſu; unde poſt etiam addit: Theatrales gladiatoriique conſeſſus dicuntur omnino ſolere levitatem nonnullorum emptos plauſus, & exiles, & raros excitare; attamen facile eſt, cum id fit, quemadmodum, & à quibus fiat, & quid integra multitudo faciat, videre. Ex his ergo intelligi poteſt, gla-

(e) Cariſius.

gladiatorias populi ſignificationes valere ad gloriam; apponam etiam verba Feſti quædam, ubi de oppidis agit. Oppidorum, inquit, originem optime refert Cicero libro primo de Gloria, eamque uſurpatam appellationem eſſe exiſtimat, quòd opem darent, adjiciens, ut imitetur ineptias Stoicorum.

Ex libro ſecundo de Gloria.

Apud eundem poëtam (62) Ajax cum Hectore congrediens depugnandi cauſſa agit, ut ſepeliatur, ſi ſit forte victus; declaratque ſe velle, ut ſuum tumulum multis etiam poſt ſæculis prætereuntes ſic loquantur: (f)

Hic ſitus eſt vitæ jāpridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculſus cōcidit enſe.
Fabitur hoc aliquis: mea ſemper gloria vivet.

Quo ſtante, & incolume. (g)

(62) De his ſic Gellius lib. xv. cap. vi. In libro M. Tullii, qui eſt ſecundus de Gloria, manifeſtus error eſt, non magnæ rei, quem errorem eſſe, poſſit cognoſcere non aliquis eruditorum, ſed, qui tantum legerit [illegible]. Quamobrem non tam id mirabamur, erraſſe in eam rem M. Tullium, quàm non eſſe animadverſum hoc poſtea, correctumque vel ab ipſo, vel à Tirone liberto ejus, diligentiſſimo homine, & librorum patroni ſui ſtudioſiſſimo. Ita enim ſcriptum in eo libro eſt: Apud eundem poëtam, Ajax cum Hectore congrediens de pugnandi cauſſa agit, ut ſepeliatur, ſi ſit forte victus: declaratque, ſe velle ut ſuum tumulum multis etiam poſt ſæculis prætereuntes, ſic loquantur:

Hic ſitus eſt vitæ jampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculſus concidit enſe.
Fabitur hoc aliquis, mea ſemper gloria vivet.

Hujus autem ſententiæ verſus, quos Cicero in linguam Latinam vertit, non Ajax apud Homerum dicit, ſed Hector dicit, & Hector de ſepultura agit, prius quàm ſciat, an ſecum depugnandi cauſſa congreſſurus ſit Ajax:

Ἀνδρὸς μὲν τόδε σῆμα πάλαι κατὰ τεθνειῶτος
Ὅν ποτ' ἀριστεύοντα κατέκτανε φαίδιμος Ἕκτωρ
Ὥς ποτέ τις ἐρέει, τὸ δ' ἐμὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.

In hoc etiam libro Ciceronem eam quæſtionem executum eſſe docet Lactantius libro i. cap. xv. quam in libris de Republica, & in Conſolatione tractavit; Deos, qui publice colerentur, homines fuiſſe.

In Conſolationem.

CUm Cicero jucundiſſimam filiam amiſiſſet, incredibile auditu eſt, quanto propterea dolore exarſerit; ut autem ſapiens, cum alia remedia multa ad mitigandam animi acerbitatem ſui quæſivit, tum vero librum etiam ſcripſit, in quo, ut philoſophus, ſemet ipſum, quantum potuit, conſolatus eſt; quem librum Conſolationem, vel de luctu minuendo, inſcripſit; hujus autem rei teſtem ipſum habemus in Tuſculanis ita loquentem: Ægritudinis ſedatio & heſterna diſputatione explicata eſt, & in Conſolationis libro, quem in medio (non enim ſapientes eramus) mœrore, & do-
A lore conſcripſimus; quamquam vetat Chryſippus ad recentes quaſi tumores animi remedium adhibere; id nos fecimus, naturæque vim attulimus, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet. Item alio loco: Sed quid neceſſe eſt, cum id agam, ne poſt mortem miſeros nos putemus fore, vitam etiam efficere deplorando miſeriorem, fecimus hoc in eo libro, in quo noſmetipſos, quantum potuimus, conſolati ſumus. Item in epiſtolis ad Atticum: Quòd ſi me ipſe per litteras conſolatus ſum, non pœnitet me, quantum profecerim; mœrorem minui, dolorem nec potui, nec, ſi poſſem, vellem; & in ſecundo de Divinatione. Quid ego de Conſolatione dicam, quæ mihi quidem ipſi ſane aliquantum mede-
B tur; ceteris item non multum illam profuturam puto; & Auguſt. lib. xix. cap. iv. de civitate Dei: Vitæ hujus miſerias lamentatus eſt Cicero in conſolatione de morte filiæ, ſicut potuit. Hujus autem libri, quantum ego aſſequi judicio, & conjectura poſſum, tale fuit argumentum, atque adeo etiam artificium. Primum miſerias hominum mihi videtur deploraſſe, qui quaſi luendorum ſcelerum cauſſa in hanc vitam prodierint. Sed tamen leviſſime omnia eſſe ferenda adjeciſſe, cum his nos calamitatibus uno mortis ſubſidio facile perfungamur, deinde caſum ſuum acerbiſſimum multorum clariſſimorum virorum, quos col-
C legerit, exemplo mitigaſſe. Tum vero, de æternitate animorum, & de filia inter Deos ad immortalitatis famam conſecranda, quo modo multi homines ſunt conſecrati, diſputaſſe. Crantorem autem philoſophum in primis eſt ſecutus. Quas res ſingillatim, fragmentis ipſis explicandis, non erit fortaſſe inutile demonſtrare.

Ex Conſolatione.

Luendorum ſcelerum cauſſa (63) homines naſcuntur.

(63) Hæc ex principio conſolationis fuiſſe docet Lactantius his verbis libro iii. cap.
D xix. Quid Ciceroni faciemus, qui cum in principio conſolationis ſuæ dixiſſet, luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, iteravit id ipſum poſtea, quaſi objurgans eum, qui vitam non eſſe malis plenam putet.

Non naſci, longe optimum, (64) neq in hos ſcopulos incidere vitæ; proximum autem, ſi natus ſis, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ.

(64) Hæc ad leniendam miſeriam, in quam homines naſcendo incidere dixerat, ſub-
E jecta ſunt; de quibus eodem loco Lactantius, ita: Ita primum bonum eſſe non naſci, ſecundum citius mori. Quæ ſententia ut majoris ſit auctoritatis, Sileno attribuitur. Cicero in Conſolatione: Non naſci, inquit, longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere vitæ, proximum autem, ſi natus ſis, quàm primum mori. Expreſſit autem hos verſus Euripidis:

Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι;

cujus ſententiæ meminit quoque Sophocles in Coloneo.

(f) Gell. lib. 15. cap. 6.

(g) Cariſ. lib. 1.

A *Sed neſcio , qui nos (65) teneat error , aut miſerabilis ignoratio veri .*

(65) Lactantius lib. III. cap. XIV. contra Ciceronem loquens ſic ait : Idem in Conſolatione, id eſt opere non joculari, hanc de philoſophia ſententiam tuliſti : Sed neſcio qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio veri. Ubi ergo eſt philoſophiæ magiſterium ? aut quid te docuit illa vitæ parens, ſi verum miſerabile ignoras? Quod autem ad eam partem attinet , in qua exempla clariſſimorum virorum collegiſſe eum dixi , qui acerbiſſimos caſus amiſſorum filiorum æquiſſimo animo toleraſſent , hæc affero ſatis gravia , ut arbitror , B teſtimonia . Ipſe in tertia Tuſculana ſic ait : Quid ? qui non putant lugendum viris ? qualis fuit Q. Maximus , efferens filium conſularem, qualis L. Paullus, duobus paucis diebus amiſſis filiis , qualis M. Cato , prætore deſignato, mortuo filio, quales reliqui, quos in Conſolatione collegimus ; & in II. de Divinatione ita : Clariſſimorum hominum noſtræ civitatis graviſſimos exitus in Conſolatione collegimus. Unde illa ſunt etiam ejuſdem ſcripta ad Atticum , tum cum hunc librum in manibus haberet: Velim me facias certiorem Cn. Cæpio Serviliæ Claudii pater vivo ne patre ſuo naufragio perierit , an mortuo; item Rutilia vivo ne C. Cotta filio ſuo mortua ſit; C pertinet ad eum librum , quem de luctu minuendo ſcripſimus. Item: Velim me certiorem facias, Vinuliæ filius, vivo ne P. Craſſo, conſulari , patre ſuo mortuus , an poſt . Item : Quæro de Regillo Lepidi filio, recte ne meminerim , patre vivo mortuum : Neque vero ſolum ipſe Cicero, ſed D. etiam Hieronymus, Ciceronis maxime ſtudioſus, quid in eo libro ſpectaverit , quemque ſit ſecutus , expreſſit : ſiquidem hoc pacto ſcripſit in Epitaphio Nepotiani: Legimus Crantorem , cujus volumen ad confovendum dolorem ſuum ſecutus eſt Cicero ; Platonis , Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Poſſidonii ad ſedandos luctus opuſcula percurrimus, qui diverſis ætatibus diverſorum D luctum vel libris, vel epiſtolis minuere ſunt conati, ut etiam ſi noſtrum areret ingenium, de illorum poſſet fontibus irrigari. Proponunt innumerabiles viros, & maxime Periclem, & Xenophontem Socraticum, quorum alter amiſſis duobus filiis , coronatus in concione diſſeruit , alter cum ſacrificans filium audiſſet occiſum, depoſuiſſe coronam dicitur, & eandem capiti repoſuiſſe, poſtquam fortiter in acie dimicantem repperit concidiſſe ; quid memorem Romanos duces, quorum virtutibus quaſi quibuſdam ſtellis Latinæ micant hiſtoriæ? Pulvillus Capitolium dedicans , mortuum, ut nunciabatur, ſubito filium, ſe juſſit abſente ſepeliri. L. Paullus ſeptem diebus inter duorum E exequias filiorum triumphans urbem ingreſſus eſt. Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Piſones , Brutos, Scævolas, Metellos , Marcios, Craſſos , Marcellos , atque Aufidios , quorum non minor in luctu , quàm in bellis , virtus fuit ; & quorum orbitates in Conſolationis libro Tullius explicavit, ne videar potius aliena, quàm noſtra quæſiſſe . Quibus ex verbis ſatis intelligi poteſt , idem fere fuiſſe Conſolationis argumentum, atque ejus epiſtolæ , qua reſcripſit ad Ser. Sulpicii Conſolationem , in qua ita egit: Sed opprimor interdum, & vix reſiſto dolori; quòd ea me ſolatia deficiunt , quæ ceteris , quorum mihi exempla propono , ſimili in fortuna non defuerunt : Nam & Q. Maximus, qui filium conſularem, clarum virum amiſit, & L. Paullus, qui duos ſeptem diebus, & veſter Gallus, & M. Cato, qui ſummo ingenio , ſumma virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt , ut eos tum ipſorum dignitas conſolaretur ea , quam ex republica conſequebantur .

Animorum nulla in terris origo (66) inveniri poteſt .

Nihil enim eſt in animis mixtum , atque concretum , aut quod ex terra natum, atque fictum eſſe videatur : nihil enim ne aut humidum quidem , aut flabile , aut igneum ; his enim in naturis nihil ineſt , quod vim memoriæ , mentis , cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura prævideat, & complecti poſſit præſentia, quæ ſola divina ſunt ; nec invenietur unquam, unde ad hominem venire poſſint, niſi à Deo; ſingularis eſt igitur quædam natura, atque vis animi , ſejuncta ab his uſitatis , notiſque naturis . Ita quidquid eſt illud, quod ſapit, quod vult, quod viget, cæleſte, & divinum eſt, ob eamque rem æternum ſit neceſſe eſt; nec vero Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt , niſi mens ſoluta quædam, & libera , ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens , & movens , ipſaque prædita motu ſempiterno .

(66) Jam de immortalitate agit animorum; hæc autem poſuit in prima Tuſculana , his verbis : Sin autem eſt quinta quædam natura ab Ariſtotele inducta , primum hæc & deorum eſt , & animorum ; hanc enim nos ſententiam ſecuti his ipſis verbis in Conſolatione hæc expreſſimus : Animorum nulla in terris origo &c. Lactantius etiam libro primo, cap. v. poſtrema hujus loci verba ex Ciceronis Conſolatione profert.

Cum vero mares, (67) & feminas complures ex hominibus in deorum numero eſſe videamus; & in eorum urbibus, atque agris auguſtiſſima templa veneremur : aſſentiam eorum ſapientiæ , quorum ingeniis , & inventis omnem vitam legibus , & inſtitutis excultam , conſtitutamque habemus . Quòd ſi ullum unquam animal conſecrandum fuit, illud profecto fuit ; ſi Cadmi , aut Amphytrionis progenies , aut Tyndari in cœlum tollenda fama fuit : huic idem honos certè dicandus eſt ; quod quidem faciam ; teque omnium optimam , doctiſſimamque , approbantibus diis immortalibus ipſis , in eorum cœtu locatam , ad opinionem omnium mortalium conſecrabo .

(67) Jam de conſecranda filia ad immortalitatem diſſerit, cujus loci ſententiam Lactantio, ut alia multa, debemus, qui libro I. cap. xv. ſic agit : M. Tullius in eo libro, quo ſe ipſum de morte filiæ conſolatus eſt, non dubitavit dicere, deos, qui publice colerentur,

A tur, homines fuiſſe; quod ipſius teſtimonium eò debet graviſſimum judicari, quòd & augurale habuit ſacerdotium, & eoſdem ſe colere, venerarique teſtatur. Itaque intra paucos verſiculos duas res nobis dedit; nam dum imaginem filiæ eodem ſe modo conſecraturum eſſe profitetur quo illi à veteribus ſunt conſecrati, & illos mortuos eſſe docuit, originem vanæ ſuperſtitionis oſtendit. Cum vero, inquit, & mares, & feminas &c. Quibus verbis recitatis, ſubdit: Fortaſſe dicat aliquis præ nimio luctu eum deliraſſe; atqui omnis illa oratio, & doctrina, & exemplis, & ipſo loquendi genere perfecta, non ægri, ſed conſtantis animi, ac judicii fuit; neque enim puto illum
B tam varie, tam copioſe, tam ornate ſcribere potuiſſe, niſi luctum ejus & ratio ipſa, & conſolatio amicorum, & temporis longitudo mitigaſſet. De conſecranda autem filia ſæpe item Cicero Atticum in epiſtolis conſuluit, ut tum cum dixit: Inſula Arpinas habere poteſt germanam ἀποθέωσιν; & alibi: Fanum fieri volo; neque hoc mihi erui poteſt; ſepulcri ſimilitudinem effugere non tam propter pœnam legis ſtudeo, quàm ut maxime aſſequar ἀποθέωσιν: quod poteram, ſi in ipſa villa facerem; ſed, ut ſæpe locuti ſumus, commutationes dominorum reformido; in agro ubicunque fecero, mihi videor aſſequi poſſe, ut poſteritas habeat religionem; hæ meæ ineptiæ (fatebor enim)
C ferendæ tibi ſunt; non habeo ne me quidem ipſum, qui cum tam audacter communicem, quàm te; ſi tibi res, ſi locus, ſi inſtitutum placet; lege quæſo legem, mihique eam mitte; & alibi: Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illam conſecrabo omni genere monumentorum ab omnium ingeniis ſcriptorum, & Græcorum & Latinorum.

Nec enim omnibus iidem illi (68) ſapientes arbitrati ſunt, inde curſum in cælum patere; nam vitiis, & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in
D *cœno jacere docuerunt; caſtos autem, puros, integros, incorruptos, bonis etiam ſtudiis, atque artibus expolitos, leni quodam, ac facili lapſu ad Deos, id eſt ad naturam ſui ſimilem, pervolare.*

(68) Ad eandem diſputationem de immortalitate animorum hic locus pertinet, in quo non eaſdem ſedes ab impiis, atque à piis poſt mortem incoli ait; ſiquidem Lactantius lib. III. cap. XIX. ſcribit ita: Non eſt fas eum, qui ſceleratus in vita feliciter fuerit, effugere quod meretur, aut eum, qui ob juſtitiam miſerrimus fuerit, ſua mercede fraudari. Quod adeo verum eſt, ut idem Tullius in Conſolatione non eaſdem ſedes incolere juſtos, atque impios prædicaverit. Nec enim
E omnibus, inquit, iidem illi ſapientes arbitrati ſunt inde curſum in cœlum &c.

Cedo, en manum tollo. (69)

(69) Lactantius lib. IV. cap. XXVIII. Jam quicunque alios conſolati ſunt ob interitum, amiſſionemque carorum, fortunæ nomen acerrimis accuſationibus proſciderunt: nec omnino ulla eorum diſputatio de virtute eſt, in qua non fortuna vexetur. M. Tullius in ſua Conſolatione pugnaſſe ſe ſemper contra fortunam loquitur, eamque à ſe eſſe ſuperatam, nec tum quidem ſe ab ea fractum, cum domo pulſus patria caruit: tum autem, cum amiſerit cariſſimam filiam, victum ſe à fortuna turpiter confitetur. Cedo, inquit, en manum tollo. Quid hoc nomine miſerius, qui ſic jaceat?

In Timæum.

QUi liber Ciceronis vulgo de Univerſitate inſcriptus eſt, is Timæus appellari debet; eſt enim de Timæo Platonis converſus; itaque grammatici veteres cum ejus libri meminerunt, ubique Ciceronem Timæo citarunt. Videtur autem ab hujus memoriæ hominibus de Univerſitate inſcriptus, quòd in extremo eo, quod habemus, fragmento hæc verba legerint: Nam hæc, quæ eſt habita de Univerſitate oratio, à nobis haud unquam eſſet inventa. Univerſitatem autem Cicero vertit ex Platone τὸ πᾶν, D. quidem Hieronymus, ut de Oeconomici, & Protagoræ, ſic de Timæi Ciceroniana translatione judicavit, cum in Amos cap. V. ita ſcripſit: Obſcuriſſimus Platonis Timæus ne Ciceronis quidem aureo ore fit planior. Scriptum autem eſſe hunc librum poſt Academicos, declarat ipſe Cicero, cum in prooemio hujus libri ſcribit: Multa ſunt à nobis in Academicis conſcripta contra phyſicos. Ciceronem Timæo commemorant Boëtius in Topica, Nonius, Priſcianus, D. Auguſtinus, ſed ea fere proferunt loca, quæ habemus; illud unum adducitur à Nonio, quo caremus. Ratione igitur & mente divina ad originem temporis curriculum inventum eſt Solis, & Lunæ. Quibus verbis hæc reſpondent apud Platonem: ἐξ οὖν λόγου καὶ διανοίας θεοῦ τοιαύτης πρὸς χρόνου γένεσιν ἥλιος, καὶ σελήνη, καὶ πέντε ἄλλα ἄστρα ἐπίκλην ἔχοντα πλανῆτες εἰς διορισμὸν καὶ φυλακὴν ἀριθμῶν χρόνου γέγονε.

Ex Timæo.

Ratione igitur, & mente divina ad originem temporis curriculum inventum eſt Solis, & Lunæ. (b)

Defenſtrix. (i)

In librum de Conſiliis ſuis.

CItatur à Boëtio liber Ciceronis de Conſiliis ſuis, cum iis verbis, quæ inter fragmenta retuli. Quem librum eundem eſſe ſine dubio arbitror, atque eum, quem Aſconius in Commentario orationis in toga candida vocat, expoſitionem ſuorum conſiliorum: nec fortaſſe alius eſt, quàm is, quem Dio appellat ἀπόῤῥητον βιβλίον, in quo rationem rerum à ſe in republica actarum rationem reddebat.

Ex libro de Conſiliis ſuis.

Sed ut aliqua ſimilitudine adductus maximis minima conferam; cum vinolenti adoleſcentes tibiarum etiam cantu, ut fit, inſtincti, mulieris pudicæ fores frangerent, admoviſſe tibicinam, ut ſpondæum caneret, Pythagoras dicitur: quod cum illa feciſſet, tar-

(b) Nonius.

(i) Priſcianus.

A *tarditate modorũm, & gravitate canentis, illorum furentem petulantiam conſedaſſe.* (*k*)

Ex libro de Virtutibus.

Illud neutiquam probares. (*l*)

In orationem pro M. Tullio.

PLures etiam orationum, earumque pulcherrimarum, quàm qui nunc extant, à Cicerone eſſe editos libros, non eſt dubium; docent cum alia multa, tum maxime hæc fragmenta, & harum orationum crebra apud ſcriptores teſtimonia; de quibus hæc pauca, tanti reſarciendi damni cauſſa, mihi putavi eſſe ſcribenda. B Primum oratio quædam pro M. Tullio celebratur. Hanc ego pro M. Tullio Decula, qui conſulatum, Cicerone adoleſcente, ad eloquentiæ laudem vireſcente, cum Cn. Dolabella geſſit, dictam ſuſpicor; defendit autem eum de vi, quantum ex orationis fragmentis intelligere poſſum. Artificium hujus defenſionis his verbis expreſſit Fortunatianus in Rhetorica: Voluntas legis tertio conſideratur, cum exemplo multarum legum probamus, præſentem quoque legem ita ſentire, ſicut M. Tullius fecit pro M. Tullio.

Ex oratione pro M. Tullio.

C *Hæc judicium* (70) *ſic expectatur, ut non unæ rei ſtatui, ſed omnibus conſtitui putetur.* (*m*)

(70) Hæc procœmii ſententia videtur, qua, ut ſæpe ſolet, privatam cauſſam ad communem traducit.

Fundum habet (71) *in agro Tigurino M. Tullius paternum.* (*n*)

(71) Hoc eſt narrationis principium. Quintilianus lib. IV. cap. II. frequenter, inquit, à re initium narrationis faciendum eſt: ſicut D pro M. Tullio Cicero: Fundum habet in agro Tigurino M. Tullius paternum.

Dico, vim factam (72) *à P. Fabii familia: adverſarii non negant; damnum datum eſſe M. Tullio concedis; vici unam rem; vi, hominibus armatis: non negas; vici alteram; dolo malo: factum negas; de hoc judicium eſt.* (*o*)

(72) Hoc ex ea parte ſumptum eſt, in qua, re narrata, quid ſibi cum adverſario conveniat, quid ſecus, conſtituit.

E *Damnum paſſum* (73) *eſſe M. Tullium, convenit mihi cum adverſario; hominibus armatis rem eſſe geſtam, non inficiantur; à familia P. Fabii commiſſam, negare non audent; jam dolo malo factum ambigitur.* (*p*)

(73) Repetitio prioris ſententiæ mutatis verbis. Quod ait de dolo malo, id ejuſmodi eſſe tradit Severinus in libro de definitionibus. Hoc etiam pro M. Tullio tenet Cicero, ubi per enumerationem malorum, per quos fit dolus malus, definitio ita fit, ut ſingulis ſpeciebus dolus malus poſſit agnoſci.

Quis hoc ſtatuit unquam, (74) *aut cui concedi ſine ſummo omnium periculo poteſt, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuiſſe ſe dicat, ne ipſe poſterius occideretur?* (*q*)

Si quis furem occiderit, haud injuria occiderit; quamobrem? quia jus conſtitutum nullum eſt; quid ſi ſe telo defenderit? injuria; quid ita? quia conſtitutum eſt. (*r*)

(74) Quintilianus lib. V. capite de refutatione: Fortiſſime invaſeris, quod eſt omnibus periculoſum, ut dicit Cicero pro Tullio: Quis hoc ſtatuit unquam &c.

In orationem pro L. Vareno.

L. Etiam Varenum videtur iiſdem prope temporibus inter ſicarios defendiſſe, cum ei objiceretur, quòd C. Vareno necem attuliſſet; quod crimen Cicero negavit, atque in Ancharii familiam avertit; quod ipſum, etſi ex fragmentis collectis video facile intelligi poſſe, tamen, rhetorum etiam graviſſimorum teſtimoniis, viſum eſt faciendum, ut confirmarem. Quintilianus lib. VIII. cap. II. Interdum, inquit, in certam, aut in extrariam, aut in ejus ipſius, qui periit, voluntatem crimen transfertur, in quibus ſimilis, atque in ἀντεξετάσει perſonarum, cauſſarum, ceterorum comparatio eſt: ut Cicero pro Vareno in familiam Archarianam avertens crimen facit; & paulo poſt: Cicero ſingula pro Vareno comparat in primo crimine; & lib. VI. cap. II. Egregie Cicero contra juvenem, cujus ſubinde vulnus in judicio reſolvebatur, pro Vareno multa dixit urbane; & libro VII. cap. I. Anteactæ vitæ crimina plerumque prima purganda ſunt: ut id, de quo laturus eſt ſententiam judex, audire propitius incipiat; ſed hoc quoque pro Vareno in ultimum diſtulit, non quid frequentiſſime, ſed quid tum expediret, intuitus; & lib. IV. cap. II. Ergo hæ quoque quæſtiones vim procœmii obtinebunt, cum omnes judicem præparaverint; ſed aliter pro Vareno reo poſtea quoque narravit, quàm objecta diluit. Quod fiet utiliter, quoties crimen non repellendum tantum, ſed etiam transferendum erit, ut prius his defenſis velut initium ſit alium culpandi narratio. Hujus etiam orationis meminit Plinius epiſtolarum libro primo, ad Tacitum: Teſtes ſunt multæ multorum orationes, & Ciceronis pro Murena, pro Vareno, in quibus brevis, & nuda quaſi ſubſcriptio quorundam criminum ſolis titulis indicatur; ex his apparet, illum permulta dixiſſe, cum ederet, omiſiſſe. Damnatum autem eum eſſe tradit Quintilianus libro XII. his verbis: Quod Cicero vehementiſſimè multis orationibus tractat, præcipue tamen pro Vareno, qui omnibus malis premebatur; nam & eſt damnatus.

Ex

(*k*) Boet. de Muſica lib. I. cap. I.
(*l*) Cariſius lib. 2.
(*m*) Priſcianus lib. 6.
(*n*) Quinctilianus lib. 4.
(*o*) Victorin. I. de Invent.
(*p*) Marcianus Capella lib. 5.
(*q*) Quinctil. lib. 4.
(*r*) Aquila.

Ex oratione pro L. Vareno.

Amici deficiunt, (75) cognati deſerunt. (ſ)
In inimiciſſima civitate urgent, inſtant, inſequuntur ſtudio, multitudine, pecunia, perjurio pugnant.

(75) Hæc & ſequentia ex proœmio videntur ſumpta. Severianus id oſtendit, cum ait: Sunt etiam alii loci communes, qui principiis aptantur, ut miſericordiam captent, cum aut adverſariorum calumnias, factiones, ſolitudinem ſuſcepti, vel cetera ejus infortunia memoramus. Sic pro Vareno: Amici deficiunt, cognati deſerunt; & rei, aut accuſatorum calumniam prodimus, ut in eodem loco: In inimiciſſima civitate urgent, inſtant &c.

C. Ancharius (76) fuit è municipio Fulginate. (t)
In præfectura Fulginate.

(76) Narratio videtur.

Cum iter per agros, (77) & loca ſola faceret, cum Populeno in familiam Ancharianam incidiſſe dixerunt: deinde Populenum occiſum eſſe: ilico Varenum vinctum, adſervatum, dum hic oſtenderet, quid de eo fieri vellet. (u)

(77) Quintilianus lib. v. cap. XIII. Præterea in contradictionibus interim totum crimen exponitur, ut Cicero pro Scauro contra Boſtarem facit, velut orationem diverſæ partis imitatus, aut pluribus propoſitionibus junctis, ut pro Vareno: Cum iter per agros &c. Quod eſt utique faciendum, ſi erit incredibilis rei ordo, & ipſa expoſitione fidem perditurus. Quod ſcriptum eſt autem: Cum iter per loca ſola faceret, ſimile eſt, atque illud Salluſtii in Jugurtino: Cum parte equitatus proficiſcitur in loca ſola, obſeſſum turrim regiam. Loca enim ſola veteres pro ſolitudine poſuerunt.

Nam L. Varenum occidendo, (78) & Cnæum vulnerando, & Salarium item occidendo cadit. (x)

(78) Quintilianus lib. VII. capite primo: Intentio ſimplex. Occidit Saturninum Rabirius; conjuncta; lege de ſicariis commiſit L. Varenus. Nam L. Varenum &c.

Tum C. Varenus is, (79) qui à familia Anchariana occiſus eſt. (y) *Hoc, quæſo judices, diligenter attendite.* (z)

(79) Quintilianus lib. IV. cap. I. Judices & in narratione nonnunquam, & in argumentis, ut attendant, & ut faveant, rogamus, quale eſt Ciceronis pro L. Vareno: Qui à familia Anchariana occiſus eſt; hoc quæſo judices diligenter attendite; & lib. IX. cap. II. Brevior illa, ut ait Cicero, à re digreſſio fit multis modis; ſed hæc exempli cauſſa ſufficient:

(ſ) Severianus. (t) Priſc. lib. 7.
(u) Quinctil. lib. 5. cap. 13.
(x) Lib. 7. cap. 1.

A Tum C. Varenus, is, qui à familia Anchariana occiſus eſt; hoc quæſo judices diligenter attendite.

L. ille Septimius diceret; (80) etenim eſt ad L. Craſſi eloquentiam gravis, & vehemens, & volubilis. Erucius hic noſter Antoniaſter eſt. (a)

(80) Significat L. Septimium L. Craſſi, Erucium M. Antonii, nobiliſſimorum quondam oratorum, fuiſſe ſimiles. Erucium autem fortaſſe intellexit eum, cui ipſe reſpondit pro Sex. Roſcio Amerino.

B *Ea cædes (81) ſi crimini datur, detur ei, cuja nihil interſit.* (b)

(81) Hoc dictum eſt convenienter ei ſententiæ, quam pro Sex. Roſcio, & pro T. Milone uſurpavit: Cui bono.

Optio vobis datur, (82) utrum velitis, caſu illo itinere Varenum eſſe uſum, an hujus perſuaſu, & inductu. (c)

(82) Quinctilianus libro v. cap. X. Fit ex duobus, quorum neceſſaria eſt alterutrum eligendi adverſario poteſtas: efficiturque, ut, utrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro C Vareno: Optio vobis datur, utrum velitis &c. deinde utraque facit accuſatori contraria.

In orationem pro P. Oppio.

P. Oppium M. Cottæ fuiſſe quæſtorem ejus, qui cum L. Lucullo conſul Propontidem, & Bithyniam provinciam ſortitus bellum adverſus Mithridatem Ponti regem parum feliciter eſt molitus, eumque Cottam ob inſidiarum ſuſpicionem à ſe removiſſe tradit Dio lib. XLVI. Defendiſſe autem hunc videtur de majeſtate, cum crimini daretur, quòd de cibariis militum detraxiſſet: idque crimen M. ipſius Cottæ teſtimonio premeretur. Hæc autem ex verbis maxime D Quinctiliani colliguntur, qui libro v. cap. XIII. ita ſcribit: Objicitur Oppio, quòd de militum cibariis detraxit; aſperum crimen; ſed contrarium oſtendit Cicero, quia iidem accuſatores objecerunt Oppio, quòd is voluerit largiendo corrumpere exercitum; & Fortunatianus: Proparaſceve eſt, qua judicem nobis præparamus, cum aut quædam nobis obſunt, & illis prius occurrendum eſt, ut fecit Cicero pro Oppio contra M. Cottæ auctoritatem. Item Quinctilianus libro XI. capite primo: Cicero quanquam erat in Cottam graviſſime dicturus, neque aliter agi P. Oppii cauſſa poterat, longa tamen præfatione excuſavit officii ſui neceſſitatem; & libro E v. cap. XIII. Fortiſſime invaſeris, quod eſt judicibus ipſis periculoſum, ut pro Oppio monet pluribus, ne illud actionis genus in equeſtrem ordinem admittant.

Ex oratione pro P. Oppio.

Utrum cum Cottam appetiſſet, (83) aut cum ipſe ſeſe conaretur occidere, telum ei è manibus ereptum eſt?

(y) Lib 4. cap. 1. (z) Lib. 9. cap. 2.
(a) Priſc. lib. 3. (b) Lib. 14.
(c) Quinctil. lib. 5. cap. 10.

A (83) Quinctilianus lib. x. cap. x Fit etiam ex duobus, quorum neceſſaria eſt alterutrum eligendi adverſario poteſtas, efficiturque, ut utrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Oppio: Utrum cum Cottam appetiſſet &c. Hæc autem ad purgandas inſidias, quas Oppius Cottæ feciſſe inſimulabatur, pertinent. Quo pertinere arbitror verba illa ex III. libro hiſtoriarum Salluſtii prolata à Nonio: Oppius poſtquam orans nihil proficiebat, timide veſte tectum pugionem expedire conatus, à Cotta, Vulſcioque impeditur.

Quos educere junctos (84) *in provinciam non potuit, eos invitos retinere qui potuit.* (*d*) B

(84) Quinctilianus eodem in loco: Non dubito hæc quoque vocare conſequentia, quamvis ex prioribus dent argumentum ad ea, quæ conſequuntur, quorum quidam duas ſpecies eſſe voluerunt. Actionis, ut pro Oppio: Quos educere invitos &c. Hæc vero eò ſpectant, ut Oppium non à Cotta dimiſſum, ſed invito Cotta profectum oſtendat.

At enim non veriſimile eſt, (85) *tantum ſcelus M. Cottam eſſe commentum; quid? hoc veriſimile eſt, tantum ſcelus Oppium eſſe conatum?*

Queſtuſque mecum eſt. (*e*) C

O amorem mirum, o benevolentiam ſingularem. (*f*)

(85) Idem lib. XI. cap. I. Cicero quanquam erat in Cottam graviſſime dicturus, neque aliter agi P. Oppii cauſſa poterat, longa tamen præfatione excuſavit officii ſui neceſſitatem; & lib. V. cap. XIII. Communem, qui prior dicit, contrarium facit. Eſt enim contrarius, quo adverſarius bene uti poteſt: At enim non veriſimile eſt, tantum ſcelus M. Cottam eſſe commentum; quid? hoc veriſimile eſt, tantum ſcelus Oppium eſſe conatum? & lib. VI. cap. VI. Infinitum eſt, enumerare, ut Cottæ detraxerit auctoritatem; & lib. V. cap. XIII. Superba, ut in Oppium ex epiſtola Cottæ reum factum. D Addit Severianus miſericordiam nos movere, ſi ab iis nos impugnari dicimus, quorum auxilio tuti eſſe deberemus, ut Cicero pro Oppio; quod contra Cottam dictum videtur.

In orationem pro M. Fontejo.

ORatio pro M. Fontejo extat illa quidem, ſed imperfecta; itaque inter cetera illud deſideratur, quod ſcriptum eſt apud Marcellinum de moribus Gallorum lib. XIV. Avidum genus, affectans ad vini ſimilitudinem varios potus, & inter eos humiles quidam obtuſis E ebrietate continua ſenſibus, quam furoris voluntariam ſpeciem eſſe Catoniana ſententia definivit; raptantur diſcurſibus vagis, ut verum illud videatur, quod ait defendens Fontejum Tullius, Gallos poſthac dilutius eſſe poturos, quod illi venenum eſſe arbitrabantur; neque vero hoc ſolum excidit Marcellini, ſed illud etiam, de quo Quinctilianus lib. VI. cap. IV. Cicero in Plætorium Fonteji accuſatorem, cujus matrem dixit, dum vixiſſet, ludum, poſtquam mortua eſſet, magiſtros habuiſſe; reliquum citatur ab Aquila rhetore.

Ex oratione pro M. Fontejo.

Galli poſthac dilutius potabunt, quod illi venenum eſſe arbitrabantur. (*g*)

Mater tua, dum vixit, ludum, poſtquam mortua eſt, magiſtros habuit. (*h*)

Frumenti maximus numerus è Gallia, peditatus ampliſſimæ copiæ è Gallia, equites numero plurimi è Gallia. (*i*)

In orationem pro M. Fundanio.

ORationis pro M. Fundanio, quanquam tenuis, tamen certa memoria eſt; primum enim Quinctilianus lib. I. cap. VI. ita ait: Cicero pro Fundanio teſtem, qui primam ejus litteram dicere non poſſet, irridet; deinde Servius in II. Georg. ita: Arcades ſe proſelenos eſſe aſſerere, id eſt ante lunam natos eſſe, Cicero in Fundaniana commemorat. Quin etiam Priſcianus libro VI. ex Ciceronis oratione pro Fundanio verba, quæ attuli, profert; & Boëtius in libro de definitionibus ait, hanc deſcriptionem Ciceronem pro Fundanio adhibuiſſe, quia hunc metuebat nominare. M. denique Fundanii à Cicerone defenſi meminit Q. frater in libello de petitione conſulatus.

Ex oratione pro M. Fundanio.

Non modo ab hoc Villio Annale, ſed vix mehercule à Q. Mathone factum probari poteſt. (*k*)

Eſſet ne id, quod Meno nuntiaſſet.

Deſcripſiſti ne ejus neceſſarium, noſtrum competitorem? iſtum ipſum, cujus nunc ſtudio, & gratia tota accuſatio iſta munita eſt. (*l*)

In orationem pro Q. Gallio.

Q. Gallium de ambitu poſtulatum ſcribit Aſconius in commentario orationis in toga, à Cicerone vero fuiſſe defenſum, in Verrinarum. Ambitus autem objectus eſt, quòd cum præturam peteret, quia in ædilitate, quam ante annum geſſerat, beſtias non habuerat, dedit gladiatorium ſub titulo, patri ſe id dare. Hujus autem defenſionis præclara fit mentio in libro de petitione conſulatus à Q. fratre, his verbis: Nam hoc biennio quatuor ſodalitates civium ad ambitionem gratioſiſſimarum tibi obligaſti, M. Fundanii, Q. Gallii, C. Cornelii, L. Corvini, & horum in cauſſis ad te deferendis, quid nam eorum ſodales receperint, & confirmarint, ſcio; defendit autem, M. Calidio accuſante; orationis quidem D. Hieronymus meminit in libro de vita Clericorum: Nihil tam facile, inquit, quàm vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere: quæ quicquid non intelligit, plus miratur. M. Tullius, in quem illud pulcherrimum elogium eſt: De-

mo-

(*d*) Quinctil. lib. 5. (*e*) Fronto.
(*f*) Quinctil. lib. 9.
(*g*) Marcellinus.
(*h*) Quinctil. lib. 6. cap. 4.
(*i*) Aquila. (*k*) Priſcianus.
(*l*) Boëtius de Definit.

moſthenes tibi præripuit, ne eſſes primus orator; tu illi, ne ſolus; in oratione pro Q. Gallio, quid de furore vulgi, & de imperitis concionatoribus loquatur, attende, ne his fraudibus ludaris. Loquor enim quæ ſum ipſe expertus unus. Quidam poëta nominatus, homo perlitteratus, cujus ſunt illa colloquia poëtarum, ac philoſophorum, cum facit Euripidem, & Menandrum inter ſe, & in alio loco Socratem, atque Epicurum differentes, quorum ætates non annis, ſed ſæculis ſcimus eſſe disjunctas, quantos is plauſus, & clamores movet; multos enim condiſcipulos habet in theatro, qui ſimul litteras non didicerant.

Ex oratione pro Q. Gallio.

Videbar (86) *mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes, partim ex vino vacillantes, partim heſterna potione oſcitantes; verſabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis, humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium.*

(86) Hic locus aptiſſimus eſt ad eam virtutem oratoriam indicandam, quæ dicitur ὑπόκρισις: cujus rei cauſſa à Quinctiliano, & ab Aquila commemoratur.

Tu iſtuc M. Calidi niſi fingeres, (87) *ſic ageres? præſertim cum iſta eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime ſoleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces, & querelas ſolet; nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percuſſa, non femur, pedis (quod minimum eſt) nulla ſupploſio. Itaque (tantum abfuit, ut inflammares noſtros animos) ſomnum iſto loco vix tenebamus.* (m)

Ego te certo ſcio, omnes logos, qui ludis dicti ſunt, animadvertiſſe. (n)

Poëmatorum. (o)

(87) M. Calidius Gallium, ut dixi, accuſavit, quòd patrem ſuum Q. Calidium de repetundis poſtulaſſet. De hoc autem loco ſic Cicero in Bruto, ubi de M. Calidio loquitur: Aberat, inquit, & tertia illa laus, qua permoveret, atque incitaret animos; quam plurimum pollere diximus; nec erat ulla vis, atque contentio, ſive conſilio, quòd eos, quorum altior oratio, actioque eſſet ardentior, furere, & bacchari arbitraretur, ſive quòd natura non eſſet ita factus, ſive quòd non conſueſſet, ſive quòd non poſſet; hoc unum illi, ſi nihil utilitatis habebat, abfuit, ſi opus erat, defuit. Quin etiam memini, cum accuſatione ſua Q. Gallio crimini dediſſet, ſibi eum venenum paraviſſe, idque à ſe eſſe deprehenſum; ſeſeque chirographa, teſtificationes, indicia, quæſtiones, manifeſtam rem deferre diceret; deque eo crimine accurate, & exquiſite diſputaviſſet; me tum reſpondendo, cum eſſem argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipſum etiam poſuiſſe pro argumento, quòd ille, cum peſtem capitis ſui, cum indicia mortis ſe

(m) Cicero in Bruto.

A comperiſſe manifeſto, & manu tenere diceret, tam ſolute egiſſet, tam leniter, tam oſcitanter: Tu iſtuc M. Calidi, niſi fingeres, ſic ageres? &c. Horum autem etiam verborum, vel hujus potius artificii meminit Quintilianus libro XI. capite XIII., & Valerius Maximus libro IV. cap. X. M. Cicero, inquit, quantum in pronuntiatione, & apto motu corporis momenti ſit, oratione, quam pro Gallio habuit, ſignificavit, M. Calidio accuſatori exprobrando, quòd præparatum ſibi ab reo venenum teſtibus, chirographis, quæſtionibus probaturum affirmans, remiſſo vultu, & languida voce, & ſoluto genere orationis uſus eſſet; pariterque & oratoris vitium detexit, & cauſſæ

B periclitantis argumenta adjecit, totum hunc locum ita claudendo: Tu iſtuc M. Calidi, niſi fingeres, ſic ageres? Hujus etiam orationis extat apud Severianum teſtimonium; cum ait: Similiter pro Gallio, ubi accuſator pecunias objecit; ibi enim dum ſingula inter ſe comparat, alterum altero Tullius diluit.

Aſconii Pediani in orationem pro C. Cornelio Commentatio.

ARGUMENTUM.

HAnc orationem dixit, L. Cotta, L. Torquato coſs. poſt annum quàm ſuperio-

C res. Cornelius homo non improbus vita habitus eſt; fuerat quæſtor Cn. Pompeji, dein tribunus pleb. C. Piſone conſule, biennio ante, quàm hæc dicta ſunt; in eo magiſtratu ita ſe geſſit, ut juſto pertinacior videretur; alienatus autem à Senatu ex hac cauſſa. Retulerat ad Senatum, ut, quoniam exterarum nationum legatis pecunia magna daretur uſura, turpiaque & famoſa ex eo lucra fierent, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expenſam ferret; cujus relationem repudiavit Senatus, & decrevit ſatisfactum videri eo S.C. quod ante annos aliquot L. Domitio, C. Cœlio coſs. factum erat, cum Senatus ante paucolos annos illo S.C. decreviſſet, ne quis Cretenſibus pecuniam mutuam daret. Cornelius

D ea re offenſus Senatui, queſtus eſt de ea re in concione: exhauriri provincias uſuris: providendum, ut haberent legati, unde in præſentia pecuniam creditoribus darent; promulgavitque legem, qua auctoritatem Senatus minuebat, ne quis, niſi per populum, legibus ſolveretur; quod antiquo quoque jure erat cautum; itaque in omnibus S. C. quibus tum aliquem legibus ſolvi placebat, adjici erat ſolitum, ut de ea re ad populum ferretur: ſed paulatim ferri erat deſitum; reſque jam in eam conſuetudinem venerat, ut poſtremo ne adjiceretur quidem in Senatuſconſulto de rogatio-

E ne ad populum ferenda; eaque ipſa Senatusconſulta per pauculos admodum fiebant. Indigne eam Cornelii rogationem tulerant potentiſſimi quique ex Senatu, quorum gratia magnopere minuebatur. Itaque P. Servilius Globulus tribunus plebis inventus erat, qui C. Cornelio obſiſteret; is, ubi legis ferundæ dies venit, & præco, ſubjiciente ſcriba, verba legis recitare populo cœpit; & ſcribam ſubjicere, & præconem pronuntiare paſſus non eſt; tum Cornelius ipſe codicem recitavit; quod cum improbe fieri C. Piſo conſul vehementer quereretur, tribuniciam interceſſionem tolli

(n) Nonius. (o) Cariſius.

tolli diceret, gravi convicio à populo exceptus eſt; & cum ille eos, qui ſibi intentabant manus, prendi à lictore juſſiſſet; fracti ejus faſces cuncti, lapideſque etiam ex ultima concione in conſulem jacti; quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimiſit. Actum deinde eadem de re in Senatu eſt, magnis contentionibus; tum Cornelius ita ferre rurſus cœpit, ne quis in Senatu legibus ſolveretur, niſi ducenti affuiſſent, neve quis, cum ſolutus eſſet, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur; hæc ſine tumultu res acta eſt; nemo enim negare poterat, pro auctoritate Senatus eſſe eam legem: ſed tamen eam tulit invitis optimatibus, qui vel pauci gratificari ſolebant. Aliam deinde legem Cornelius, & ſi nemo repugnare auſus eſt, multis tamen invitis tulit, ut prætores ex edictis ſuis perpetuis jus dicerent; quæ res tum gratiam ambitioſis prætoribus, qui varie jus dicere ſolebant, ſuſtulit; alias quoque complures leges Cornelius promulgavit; quibus plerique collegæ interceſſerunt; per quas contentiones totus tribunatus ejus peractus eſt. Sequenti deinde anno M'. Lepido, L. Volcatio coſs. quo anno prætor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de majeſtate fecerunt; detulit nomen Publius, ſubſcripſit Cajus; & cum L. Caſſius prætor decimo die, ut mos eſt, adeſſe juſſiſſet; eoque die ipſe non affuiſſet, ſeu avocatus propter publici frumenti curam, ſeu gratificans reo; circumventi ſunt ante tribunal ejus accuſatores à notis operarum ducibus, ita ut mors intentaretur, ſi mox non deſiſterent; quam perniciem vix effugerunt interventu conſulum, qui advocati reo deſcenderant; & cum in ſcalas quaſdam Cominii fugiſſent, clauſi, in noctem ibi ſe occultaverunt, deinde per tecta vicinarum ædium profugerunt ex urbe; poſtero die, cum L. Caſſius aſſediſſet, & citati accuſatores non adeſſent, exemptum nomen eſt de reis Cornelii. Cominii autem magna infamia flagraverunt, vendidiſſe ſilentium magna pecunia. Sequente deinde anno L. Cotta, L. Torquato coſs. quo hæc oratio à Cicerone prætorio dicta eſt, cum primum apparuiſſet C. Manilius, qui judicium per operarum duces turbaverat, deinde, quòd ex S. C. ærario conſules præſidebant, & judicio non reſpondiſſet, atque eſſet damnatus, recreaviſſet jam accepta pecunia, tollere ait Cornelium lege majeſtatis. Res acta eſt magna expectatione; paucos autem ergo Cornelius, perterritus Manilii exitu, in judicium adhibuit, ut ne clamor quidem ullus ab advocatis ejus oriretur. Dixerunt in eum infeſti teſtimonia principes civitatis, qui plurimum in Senatu poterant, Q. Hortenſius, Q. Catulus, Q. Metellus Pius, M. Lucullus, M'. Lepidus; dixerunt autem hoc, vidiſſe ſe, cum Cornelius in tribunatu codicem pro roſtris ipſe recitaret; quòd ante Cornelium nemo feciſſe exiſtimaretur, volebant videri, ſe judicare, eam rem magnopere ad crimen imminutæ majeſtatis tribuniciæ pertinere; etenim prope tollebatur interceſſio, ſi id tribunis permitteretur. Cicero, quia non poterat negare, id factum eſſe, eò confugit, ut diceret, non ideo, quòd lectus ſit codex à tribuno, imminutam eſſe tribuniciam poteſtatem. Qua vero arte, & ſcientia orationis, ita ut & dignitatem clariſſimorum civium, contra quos dicebat, non violaret, & tamen auctoritate eorum lædi reum non pateretur, quantaque mode-

A ratione rem tam difficilem aliis tractaverit, lectio ipſa declarabit; adjumentum autem habuit, quòd, ſicut diximus, Cornelius, præter diſtrictum propoſitum adverſus principum voluntatem, cetera vita nihil fecerat, quod magnopere improbaretur. Præterea & ipſe Globulus, qui interceſſerat, aderat Cornelio, quod ipſum quoque diximus, quòd Cornelius Pompeji Magni quæſtor fuerat apud duas præfecturas equitum Romanorum, & tribunorum, & ex tertia quoque parte apud pleroſque; exceptis iis, familiaris principum civitatis. Res acta eſt magno conventu, magnaque expectatione, quis eventus judicii futurus eſſet. A ſummis viris dici teſtimonium, & id, quod
B ii dicerent, confiteri reum animadvertebant. Extat oratio hominis accuſatoris: quam ſumere in manus, eſt aliquod operæpretium, non ſolum propter Ciceronis orationes, quas pro Cornelio habemus, ſed etiam propter ſemet ipſam. Cicero ipſe ſignificat, quatriduo Cornelium defendiſſe; quas actiones contuliſſe eum in duas orationes, apparet; judicium id exercuit Q. Gallius prætor.

In primam orationem pro C. Cornelio Sigonii ſcholia.

NObiliſſima in primis hæc cauſſa putatur, quam pro C. Cornelio dixit de maje-
C ſtate; quod cum ex Aſconii elegantiſſimo commentario intelligi poteſt, tum vero etiam ex aliorum multorum, quorum verba non pigebit afferre. Ac primum quidem, quod extat apud Lactantium lib. VI. cap. II. Ciceronis ipſius judicium debet eſſe graviſſimum: apud quem Catulus in Hortenſio philoſophiam rebus omnibus præferens, malle ſe dicit vel unum parvum de officio libellum, quàm longam orationem pro ſeditioſo homine Cornelio; quaſi vero hæc Corneliana defenſio longe inter omnes alias maximis eloquentiæ laudibus abundaret; & ejuſdem in Oratore, qui in exemplum earum defenſionum, quæ varietatem haberent, hanc ipſam attulit. Adde huc teſti-
D monium Cornelii Nepotis, qui, ut ſcripſit D. Hieronymus adverſus errores Joannis Hieroſolymitani, memoriæ prodidit, ſe præſente iiſdem pene verbis, quibus edita eſt, eam pro Cornelio, ſeditioſo tribuno, defenſionem peroratam. Quid de Tacito dicam? qui in dialogo de oratoribus ſcripſit ita: Satis conſtat C. Cornelium, & M. Scaurum, & T. Milonem, & L. Beſtiam, P. Vatinium concurſu totius civitatis, & accuſatos, & defenſos. Poſſum etiam commemorare, ut hujus cauſſæ ſæpe meminerit Quinctilianus, atque exempla artificioſæ eloquentiæ inde ſæpe petierit; quod non, niſi cognita, & teſtata ejus nobilitate, feciſſet. Hinc enim illa ſunt: Nec fortibus
E modo, ſed etiam fulgentibus armis prœliatus eſt in cauſſa Cornelii Cicero; qui non aſſecutus eſſet docendo judicem tantum, & utiliter demum, ac Latine, perſpicueque dicendo, ut populus admirationem ſuam non acclamatione tantum, ſed etiam plauſu confiteretur. Præterea lib. VI. cap. VI. ita ait: Infinitum eſt, enumerare, ut Cornelium ipſa confeſſionis fiducia eripuerit; & lib. V. cap. XIII. Teſtes in Cornelium accuſator lecti à tribuno codicis pollicetur; facit hoc Cicero ſupervacuum, quia ipſe fateatur. Item: Quod autem potui referre, quo quiſque accuſator modo dixerit, huc pertinet, ut, ſi eſt minus efficaciter locu-

tus,

A tus, ipſa ejus verba ponantur; ſi acri, & vehementi uſus fuerit oratione, eandem rem noſtris verbis mitioribus proferamus: ut Cicero de Cornelio, Codicem attigit; & lib. IV. cap. III. Pro Cornelio, inquit, popularis illa virtutum Cn. Pompeji commemoratio, in quam ille diu immoratur orator, velut nomine ipſo ducis curſus dicendi teneretur, abrupto, quem inchoaverat, ſermone divertit. Hoc autem, credo, fecit, quòd C. Cornelius Pompeji quæſtor fuerat. De quæſtione porro hujus cauſſæ idem lib. VII. cap. IV. Eſt interim certa finitio. De qua inter utranque partem convenit, ut Cicero dicit: Majeſtas eſt in imperio, atque in omni populi Romani dignitate;
B quæritur tamen, an majeſtas minuta ſit: ut in cauſſa Cornelii quæſitum eſt. Hanc autem cauſſam in duas partes fuiſſe diviſam, præter Aſconium, Cicero etiam ipſe, & Priſcianus ſignificat. Cicero enim in oratore ſe ipſum in ſecunda Corneliana citat. Priſcianus Ciceronis exempla profert in hunc modum: Cicero pro Cornelio in primo, & in ſecundo. Jam vero cauſſam quatriduo peroratam oſtendit etiam Plinius libro primo epiſtolarum, cum ſcribit: Cicero pro Cluentio ait, ſe totam cauſam vetere inſtituto ſolum peroraſſe, & pro Cornelio quatriduo egiſſe; ne dubitare poſſimus, quæ per plures dies, ut neceſſe erat, latius dixerit, poſtea reciſa, ac
C purgata in unum librum, grandem quidem, unum tamen, coarctaſſe; at aliud eſt actio bona, aliud oratio: Ex his autem intelligi poteſt, cum longam orationem pro Cornelio in Hortenſio dixit, priorem intellexiſſe. Quin etiam hujus orationis meminit Boëtius libro de Differentiis Topicis. Cicero, inquit, pro Cornelio, quid ſit majeſtatem minuere, tractat, quòd malam legem tulit, quòd legendo codicem interceſſionem ſuſtulit, quòd ſe dicionem fecit. Poſtremo de accuſatore etiam Cornelii P. Cominio ſic ipſe ſcriptum reliquit in Bruto: Itaque ne hos quidem equites Romanos amicos noſtros, qui nuper mortui ſunt, P. Cominium Spoletinum, quo accu-
D ſante defendi Cornelium, in quo & compoſitum dicendi genus, & acre, & expeditum fuit. Quod autem in argumento Aſconius, Cotta, & Torquato Coſs. hanc habitam ſcribit, poſt annum, quàm ſuperiores, intelligit eas, quas pro Q. Gallio, M. Fundanio & A. Cluentio dixit: ut ſupra ex libro de petitione conſulatus ſignificavimus. Quod vero in eodem argumento vulgo legitur: Eam tulit invitis optimatibus, qui vel paucos gratificari ſolebant, ſatis certum eſt, legendum, qui vel pauci; nam & ſenſus hoc poſtulat, & loquendi antiqua ratio; ſenſus ex prioribus verbis exprimitur: Eaque ipſa Senatus conſulta per pauculos admodum fiebant. Locutionem
E comprobat Livius lib. X. Quod populi jus ſit, jubeat potius, quàm patres gratificentur. Quod ſcriptum eſt præterea: Sequente deinde anno, L. Cotta, L. Torquato Coſs. quo hæc oratio à Cicerone prætore dicta eſt, ſatis apparet, cum anno ante Cicero præturam geſſerit, prætorio, non prætore, eſſe legendum. Quod etiam poſt ſcriptum eſt: Ex S. C. anno Cos. præſidebant, & judicio; malim ita legere: ex S. C. conſules ærario præſidebant, & judicio; hoc enim poſt etiam factum eſt à Pompejo conſule in judicio Milonis.

Ex oratione prima pro C. Cornelio. (*)

Ut ab Jove optimo maximo, (I) *ceteriſque diis, deabuſque omnibus opem & auxilium petamus.* (*p*)

(I) Priſcianus lib. VII. Deabus: Cicero pro Cornelio in primo: Ut ab Jove optimo maximo, ceteriſque diis, deabuſque omnibus opem, & auxilium petamus. Hæc ego verba Ciceronem in exordiendo uſurpaſſe exiſtimo: in his autem Demoſthenem eſſe æmulatum, qui in oratione de Corona ita exorſus eſt: πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι, καὶ πάσαις. Quin etiam majores nullam orationem, niſi invocatis numinibus, inchoaſſe, ut in omnibus Catonis, & Gracchi, auctor eſt Servius in XI. Æneidos; unde Cicero per irriſionem in divinatione dixerit: Si quid ex vetere aliqua oratione: Jovem ego optimum maximum: & Demoſthenes in oratione contra Aſchinem. Quo cum ſpectaret etiam Valerius in proœmio, dixit: Nam ſi priſci oratores ab Jove optimo maximo bene orſi ſunt; & is, qui Rhetorica ſcripſit ad Herenium: Cum Gracchus deos inciperet precari, tum iſti impetum faciunt. Livius autem lib. XXIX. hoc etiam magiſtratuum ad populum agentium fuiſſe inſtitutum oſtendit, cum ait: Cum ſolemne carmen precationis, quod præfari prius, quàm populum alloquantur, magiſtratus ſolent, peregiſſet; tale autem eſt illud etiam pro Rabirio: Primum ab Jove optimo maximo, ceteriſque diis, deabuſque immortalibus pacem, ac veniam peto, precorque ab iis &c.

Ex promulgatione (II) *trinundinum dies ad ferendum, poteſtaſque veniſſet.* (*q*)

(II) Hoc narrationem cauſſæ videtur redolere.

Verſu à primo circiter CLXI.

Poſtulatur apud me prætorem primum de pecuniis repetundis; (III) *proſpectat videlicet Cominius, quid agatur; videlicet homines fœneos in medium ad tentandum periculum projectos.* (1) (*r*)

(III) Satis conſtat, Ciceronem priore anno prætorem quæſiſſe de pecuniis repetundis; auctor ipſe in Cluentiana.

(1) Simulacra, effigieſque hominum ex fœno fieri ſolebant, quibus objectis ad ſpectaculum præbendum tauri irritarentur.

Quid Metellus (IV) *ſumma nobilitate, ac virtute? cum bis juraſſet, ſemel privatim, iterum publice lege, dejectus eſt ratione, an vero? ſuſpicionem enim tollit C. Curionis virtus, ac dignitas, & Q. Metelli adoleſcentia, ad ſummam laudem omnibus rebus ornata.* (2)

(*) In Fragmentis hujus primæ Orationis notæ Aſconii Pediani ſignantur numeris (vulgò) arabicis; Caroli Sigonii verò romanis.

(*p*) Priſcianus lib. 7.
(*q*) Priſcianus lib. 2.
(*r*) Aſconius.

A

(IV) De eodem Curione Metelli accuſatore, ceteriſque, quorum adoleſcentia accuſatione aliqua nobili commendata eſt, egregie Appulejus apologia prima: Neque autem gloriæ cauſſa me accuſat, ut M. Antonius C. Carbonem, C. Mucius A. Albutium, P. Sulpicius C. Norbanum, L. Furius M'. Aquillium, Curio Q. Metellum; quippe homines eruditiſſimi, juvenes laudis gratia primum hoc rudimentum forenſis operæ ſubibant, ut aliquo inſigni judicio civibus ſuis noſcerentur; qui mos incipientibus adoleſcentibus ad illuſtrandum ingenii florem, apud antiquos conceſſus diu exolevit. Eundem autem locum tractaverat ante Cicero in II. de Officiis: Idem fecit, inquit, adoleſcens M. Antonius;

B

etiam P. Sulpicii eloquentiam accuſatio illuſtravit, cum ſeditioſum, & inutilem civem C. Norbanum in judicium vocavit. Sed hoc quidem non eſt ſæpe faciendum, nec unquam niſi aut Reipublicæ cauſſa, ut duo Luculli, aut patrocinii, ut nos pro Siculis, pro Sardis vero M. Albutium Julius Cæſar. In accuſando etiam Manlio L. Fufii cognita induſtria eſt. Ex quorum collatione locorum ſatis intelligi poteſt, apud Appulejum legi oportere pro C. Mucius, C. Julius; apud Ciceronem pro Manlio, Manio; de C. Julio Cæſare pro Sardis contra Albutium agente idem locutus eſt in divinatione: Itaque Cn. Pompejo nominis deferendi poteſtas non eſt data

C

in T. Albutium; atque ille Cn. Pompejus ita cum C. Julio contendit, ut tu mecum; quæſtor enim Albutii fuerat, ut tu Verris. Julius hoc ſecum auctoritatis ad accuſandum afferebat, quòd ut hoc tempore nos ab Siculis, ſic tum ille ab Sardis rogatus ad cauſſam acceſſerat. Manium autem legendum eſſe, nominis ipſius ratio declarat; fuit enim Manius Aquillii prænomen, ut alias demonſtratum eſt: Manlius autem gentis patriciæ nomen. Quam quidem emendandi induſtriam qui aut ut levem, aut ut putidam, aut certe ut non admodum neceſſariam, elevant, atque damnant, ii ſe veritatem hiſtoriæ contemnere, ac rerum lucem odiſſe, veteris memoriæ depravationem amplecti, tenebras adamare oſten-

D

dunt; mihi quidem ut ceteris in rebus, in quibus harum artium laus aliqua eſt collocata, ſic in hac potiſſimum reſtituenda ſtudium ſummum ab iis, qui id præſtare vel ingenio, vel doctrina poſſunt, videtur eſſe ponendum. Quod ego & in aliis libris feci, cum res tulit, & faciam, cum poſtulabit. Itaque ad hæc locum etiam Dionyſii nunc adjiciam, de quo, cum hæc ſcriberem, me conſuluit vir non eleganti ſolum ingenio, ſed eximia etiam doctrina, & maxima probitate ornatus, Vincentius Gilianus, familiaris meus, qui in vulgatis libris aſteriſco notatus menda ſe affectum fœdiſſima indicat, cum tamen, cognita re,

E

& nomine, de quo loquitur, integerrimus ſit. In methodo *ἐπιπολῶν*, hæc verba ſunt: *παραδείγματα αὐτῶν ἐστὶ που καὶ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τοῦ μὲν κοινοῦ, καὶ πολιτικοῦ παρά γε τῷ τοῦ λόγου, καὶ παρὰ τῷ τοῦ ἀρίστωνος*; qui eſt enim *τῷ τοῦ λόγου*; nihil profecto; cur igitur aut leve ſtudium, aut putidum, aut parum neceſſarium ejus eſſe exiſtimari debet, qui emendatione adhibita locum ſanet, ac ſententiam demonſtret? Lege igitur *παρὰ τῷ τοῦ ὀλόρου* id eſt apud Olori filium; jam nihil eſt hoc loco illuſtrius; ſignificat enim communis, & civilis orationis exempla multa reperiri apud Olori filium, & Ariſtonis, id eſt apud Thucydidem, & Platonem; quos à patribus ſuis appellavit more Græcorum. Jam vero apud Strabonem quàm multa ſunt in nominibus urbium, & locorum, fluminum contracta errata, quibus turpiſſime hiſtoria, & ipſius rei veritas depravatur? afferam ex Italia, quæ nunc in manibus eſt, aliquot, & quidem omnia ex una fere pagina, quæ non vidit interpres; ita enim legitur vulgo, ubi agitur de Latio: *πρὸ δὲ τούτων ἐστὶ πρίβερνον, καὶ κόρα καὶ σύες σατραποταῖον καὶ οὐελίτραι*; quæ ita vertit interpres: Ante hanc Privernum eſt, & Cora, & Syes, & puſilla quædam præfectura, Velitræque. Quæ, malum, eſt iſta puſilla præfectura, quod hoc Syes? lege autem *καὶ κόρα καὶ σύεσσα τῆς πωμετίων*, nihil portenti dixeris; ſignificat enim Sueſſam, quæ Pometia dicta eſt, cum altera in Campania Sueſſa Aurunca diceretur; quam ipſe Sueſſam Pomptinorum appellat. Paulo poſt: *ὅ τε τῶν ἑρνίκων πολίχνιον καὶ πίτουλον, καὶ ἀνάγνια κερεᾶται*; ita exprimit interpres: Hernicorum oppidulum, & Pitulum, & Anagnia, & Cerate; cum fuerit vertendum Capitulum, & Anagnia, & Cernetum, ut ſcribit Plinius; mendoſe enim eſt *καὶ πίτουλον* pro *καπίτουλον* uno verbo; & poſt *τεγεάτην τῶν μαῤῥουκινῶν μητρόπολιν* vertit Tegeatem Marrucinorum metropolim, cum ſit ſcribendum Teate, teſtibus ceteris; & alio loco: *διαῤῥεῖ δὲ ἔρις ποταμός*; *λεῖρις* ſcribendum eſt, quanquam interpres vertit Eris; & cum addit loquens de vinis *ὁ φάλερνος, ὁ ἀλβανὸς καὶ ὁ σαγανὸς*, ubi interpres vertit Falernum, Albanum, Sataganum, ſcribi oportet pro *σαγανὸς σιγνῖνος*, & Signinum convertendum, cujus poſt ipſe etiam ſine menda meminit, itemque Martialis. Quin etiam illud, ut opinor, mendoſe eſt eodem in loco: *ἡ δὲ σινουέσσα ἐν σιτανοῖς κόλπῳ ἵδρυται, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα; σίνος γὰρ ὁ κόλπος*; quem locum vertit imprudenter interpres. Sinueſſa in Setano ſita eſt ſinu; non enim vidit *σιτανοῖς* vitio ſe legi pro *σίνοις*, vocem enim latinam ſinum, unde Sinueſſa dicta eſt, expreſſit. Quid præterea notius eſt illa prima epiſtola ad Atticum, in qua de petitione ſua diſſerit Cicero hoc modo? De iis, qui nunc petunt, Cæſar certus putatur. Thermus cum Silano contendere exiſtimatur; noſtris rationibus maxime conducere videtur Thermum fieri cum Cæſare; nemo eſt enim ex iis, qui nunc petunt, qui, ſi in noſtrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur, propterea quòd curator eſt viæ Flaminiæ: quæ cum erit abſoluta, ſane facile eum libenter nunc ceteri conſuli acciderim. Locus eſt autem aſteriſco ad inſignem, quæ inſideat, maculam indicandam notatus; quæ exigua nominis emendatione deletur. Fac enim ex ceteri, Cæſari ex conſuli conſulem, ex acciderim addiderim, ſententiam aperuiſti obſcuriſſimam, & locum correxiſti pulcherrimum. Cæſar, inquit, certus Conſul putatur. Thermus cum eo contendit, idem eſt curator viæ Flaminiæ: quæ cum erit abſoluta, ſane facile cum nunc Cæſari Conſulem addiderim. Jam neminem puto futurum, qui de hujus loci ſanitate dubitet; eſt enim literarum paucarum leviſſima mutatio facta; locutio in ejuſmodi re Livio familiariſſima indicata; nam addere, & adjungere conſuli collegam Conſulem ſæpiſſime eum dixiſſe, notius eſt, quàm ut exemplis ſit confirmandum, & ſententia loco aptiſſima eſt patefacta: quippe cum Ciceronis conjecturam eventus ipſe comitiorum poſtea comprobarit.

barit. Hanc autem induſtriæ laudem ſi quis A levem exiſtimet, quid in hoc ſtudiorum genere grave ducat, ſecum ipſe poſtea viderit. Sed hæc præter cauſſam, quanquam non ſine cauſſa; nunc reliqua perſequar; ſi illud etiam de hoc loco addidero, me vocem illam, Libenter, vacare, eamque illius vocis, Sane, gloſſema eſſe, atque ex albo libri in verba epiſtolæ temere irrepſiſſe, judicare; redeo ad locum Ciceronis, qui ita vulgo legitur: Quid Metellus, ſumma nobilitate? cum bis juraſſet, ſemel privatim privatum parte publice legis dejectus eſt ratione, an vi, an vero: mendoſe ſine dubio, ſed quæ menda ex commentatione Aſconii fortaſſe tolli poſſit, hoc modo: ſemel privatim, iterum publice lege, B dejectus eſt; ſic enim ait Aſconius: Huc igitur illud pertinet, cum juraſſe dixit, ſemel privatim, & iterum lege, tum ſcilicet, cum in Curionem calumniam juravit; ſic enim hic locus ſine dubio legendus eſt, non, ut vulgo, Et iterum legatum ſcilicet; quod ſine ullo loci ſenſu fiebat.

(2) Hoc exemplum affert hoc loco, quòd vult probare, deſiſtere eum debere ab accuſatione, quamquam neque accuſaverit, neque fecerit pactionem; nam Metellus & poſtulaverat Curionem, & deſtiterat. Confugit autem orator ad Metelli nobilitatem, & ad C. Curionis induſtriam, ut legeret id, quod illi utilius, quàm honeſtius, fecerant. C Res autem tota ſe ſic habet: in qua quidem illud primum explicandum eſt, de quo Metello hoc dicit; fuerunt enim tunc plures Q. Metelli: ex quibus duo conſulares, Pius, & Creticus, de quibus apparet eum non dicere; duo autem adoleſcentes, Nepos, & Celer, ex quibus nunc Nepotem ſignificat; ejus enim patrem Q. Metellum Nepotem, Balearici filium, Macedonici nepotem, qui conſul fuit cum T. Didio, Curio is, de quo loquitur, accuſavit; iſque Metellus moriens petiit ab hoc filio ſuo Metello, ut Curionem accuſatorem ſuum accuſaret; & id facturum eſſe, jurejurando adegit. Metellus fecit reum Curionem; cumque interim quendam civem D idem Metellus, ſervum eſſe contendens, vi arripuiſſet, ac verberibus affeciſſet; Curio aſſeriorem ei comparavit; dein, cùm appareret eum exitum judicii illius futurum, ut liber is judicaretur, quem Metellus verberibus affectum eſſe negare non poterat: inter Metellum & Curionem facta pactio eſt, ut neque arbitrium de libertate urgeret in Metellum Curio, neque Metellus perſtaret in accuſatione Curionis; eaque pactio ab utroque firmata eſt. Huc ergo illud pertinet, cum juraſſe dixit, ſemel privatim, & iterum lege, tum ſcilicet cum in Curionem calumniam juravit. Cum hoc autem Metello poſtea Cicero ſimultates geſſit: evaſit enim Metellus malus, atque im- E probus civis.

Legem, inquit, de libertinorum ſuffragiis Cornelius C. Manilio dedit; (V) *quid eſt hoc? dedit, an tulit, an rogavit, an hortatus eſt? nam dediſſe ridiculum eſt, quaſi legem aliquam aut ad ſcribendum difficilem, aut ad excogitandum reconditam: quæ lex paucis his annis non modo ſcripta, ſed etiam lata eſſet.* (3)

(V) Legendum ex ipſa loci ſententia: Cornelius C. Manilio dedit; & poſt cum ait; nam tuliſſe ridiculum eſt, pro tuliſſe dediſſe; id quod Paullus Manutius, vir acutiſſimo ingenio præditus, vidit.

(3) P. Sulpicium in tribunatu hanc eandem legem tuliſſe, ſignificavimus; tulit autem L. Sylla, qui poſtea Felix appellatus, Q. Pompejo cos. ante XXIII. annos, quàm hæc dicta ſunt, cum per vim rempublicam poſſediſſet, ab initiis bonarum actionum ad perditas progreſſus; quod & initium bellorum civilium fuit, & propter quod ipſe Sulpicius conſulis armis jure oppreſſus eſſe viſus eſt.

In quo cum multa reprehenſa ſunt, tum in primis celeritas actionis. (4)

(4) Celeritatem actionis ſignificat, quia Manilius, ſicut jam oſtendimus, poſt pauculos ſtatim dies, quàm inierat tribunatum, legem eandem compitalibus pertulit.

Petivit tamen à me prætore maxima conteſtatione, ut cauſſam Manilii defenderem. (5)

(5) C. Cornelium ſignificat, ſicut jam ante dictum eſt. Verſu à primo DCCCCL. dicit de eodem Manilii tribunatu.

Verſu à primo DCCCCL.

Nam cum hic tribunus plebis duas leges tuliſſet in eo magiſtratu, unam pernicioſam, alteram egregiam, quod ſumma republica non hæſit, id ab illo ipſo tribuno abjectum eſt; bonum autem, quod ſumma republica manet, id extra ordinem fuit. (VI) (6)

(VI) Malim ita legi, id extra ordinem fuit; me in hanc lectionem prope manu duxerunt verba Aſconii ita interpretantis: Altera de bello Mithridatico Cn. Pompejo extra ordinem mandando.

(6) Supra de his legibus: quarum una de libertinorum ſuffragiis; quæ cum S. C. damnata eſſet, ab ipſo quoque Manilio abjecta eſt: altera de bello Mithridatico Cn. Pompejo extra ordinem mandando; ex qua lege tum Magnus Pompejus bellum gerebat.

Dicit de diſturbato judicio Maniliano.

Aliis ille in illum furorem magnis hominibus auctoribus impulſus eſt, qui aliquod inſtitui exemplum diſturbandorum judiciorum pericoloſiſſimum, temporibus ſuis accommodatiſſimum, meis alieniſſimum rationibus cupierunt. (7)

(7) L. Catilinam, & Cn. Piſonem videtur ſignificare. Fuit autem Catilina patricius, & eodem illo tempore erat reus repetundarum, cum provinciam Africam obtinuiſſet, & Conſulatus candidatum ſe oſtendiſſet, accuſator erat ejus P. Clodius adoleſcens, ipſe quoque perditus, qui poſtea cum Cicerone inimicitias geſſit: Cn. quoque Piſo, adoleſcens potens, & turbulentus, familiaris erat Catilinæ, omniumque conſiliorum ejus particeps, & turbarum auctor.

Ver.

Ver. cir. ∞XI.

Poſſum dicere, hominem ſumma prudentia clarum, C. Cottam de ſuis legibus abrogandis ipſum ad Senatum retuliſſe. (8) *Poſſum & ejuſdem Cottæ legem de judiciis privatis anno poſt, quàm lata ſit, à fratre ejus* (9) (*abrogatam*). *Legem Liciniam & Muciam de civibus regundis, video conſtare inter omnes, quam duo conſules omnium, quos vidimus, ſapientiſſimi tuliſſent, non modo inutilem, ſed pernicioſam reipublicæ fuiſſe.* (10)

(8) Hic eſt Cotta, de quo jam ſæpe diximus, magnus orator habitus, & compar in ea gloria P. Sulpicio, & C. Cæſari. Videntur autem in rebus parvis fuiſſe leges illæ, quas cum tuliſſet, retulit de iis abrogandis ad Senatum; nam neque apud Salluſtium, neque apud Livium, neque apud Feneſtellam ullius alterius latæ ab eo legis mentio, præter eam, quam in concione tulit invita nobilitate, magno populi ſtudio, ut iis, qui tribuni plebis fuiſſent, alios quoque magiſtratus capere liceret: quod lex à dictatore L. Sylla paucis ante annis lata prohibebat; neque eam Cottæ legem abrogatam eſſe ſignificat. Sequitur: Poſſum &c.

(9) M. Cottam ſignificat; fuerunt autem tres, duo hi, C. & M. tertius L. Cotta, qui lege ſua judicia inter tres ordines communicavit, ſenatum, equites, tribunos ærarios: adeptique ſunt omnes conſulatum. Statim: Legem &c.

(10) L. Licinium Craſſum oratorem, & Q. Mucium Scævolam Pont. Max. eundemque & oratorem, & juriſconſultum, ſignificat; hi enim legem eam, de qua loquitur, de regendis in ſua civitate ſociis, in ſuo conſulatu tulerunt; cum enim ſumma cupiditate civitatis Romanæ Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum pro civibus Romanis ſe gereret; neceſſaria lex viſa eſt, ut in ſuæ quiſque civitatis jus redigeretur; verum ea lege ita alienati animi ſunt principum Italicorum populorum, ut ea vel maxima cauſſa belli Italici, quod poſt triennium excitatum eſt, fuerit.

Quatuor omnino genera ſunt, judices, in quibus per Senatum more majorum ſtatuatur aliquid de legibus; unum eſt ejuſmodi, placere legem abrogari, ut Q. Cæcilio, M. Junio coſs. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. (11) *Alterum, quæ lex lata eſſe dicatur, ea non videri populum teneri, ut L. Marcio, Sex. Julio coſs. de legibus Liviis.* (12) *Tertium eſt de legum derogationibus; quo de genere perſæpe S. C. fiunt, ut nuper de ipſa lege Calpurnia, quæ derogaretur.* (13)

Nihil Senatui detraxiſſe Cornelium. (ſ)

(11) Q. Cæcilius Metellus Numidicus, M. Junius Silanus, de quibus facit mentionem, conſules fuerunt bello Cimbrico, quod diu prave ſimul & infeliciter geſtum eſt; atque ipſe quoque hic Junius male rem adverſus Cimbros geſſit, ac plures leges, quæ per eos annos, quibus hæc gerebantur, populo latæ erant, quibus militiæ ſtipendia minuebantur, abrogavit.

(12) Puto vos reminiſci, has eſſe leges Livias, quas illis conſulibus M. Livius Druſus tribunus plebis tulerit: qui cum Senatus partes tuendas ſuſcepiſſet, & leges pro optimatibus tuliſſet, poſtea eò licentiæ eſt progreſſus, ut nullum in iis morem ſervaret; itaque Philippus conſul, qui ei inimicus erat, obtinuit à Senatu, ut leges ejus omnes uno S. C. tollerentur; decretum eſt enim, contra auſpicia eſſe latas, neque iis teneri populum.

(13) Lex hæc Calpurnia de ambitu erat; tulerat eam ante biennium C. Calpurnius Piſo conſul, in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque pœna erat adjecta.

P. Africanus ille ſuperior, ut dicitur, non ſolum à ſapientiſſimis hominibus, qui tum erant, verum etiam à ſe ipſo ſæpe accuſatus eſt, quòd, cum conſul eſſet cum Ti. Longo, paſſus eſſet tum primum à populari conſeſſu ſenatoria ſubſellia ſeparari. (14) (*t*)

(14) Hoc factum eſt ſecundo Conſulatu Scipionis, poſt ſeptimum annum, quàm Carthaginienſibus bello ſecundo data eſt pax; factum id eſſe autem Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt ædiles curules C. Atilius, L. Scribonius Libo; id eos feciſſe juſſu Cenſorum Sex. Ælii Pæti, C. Cornelii Cethegi; & videtur in hac oratione, hunc quidem auctorem ſecutus, Cicero dixiſſe, paſſum eſſe Scipionem, ſecerni à cetero conſeſſu ſpectacula ſenatorum; in ea autem, quam poſt aliquot annos habuit de aruſpicum reſponſo, non paſſum eſſe Scipionem, ſed ipſum auctorem fuiſſe dandi eum locum ſenatoribus, videtur ſignificare; verba ejus hæc ſunt. Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio noſtri majores ante templum matris Magnæ fieri celebrarique voluerunt: quibus primum ludis ante populi conſeſſum Senatui locum P. Africanus II. cos. ille major dedit. * Hoc tributum eſſe Senatui ſcribit, ſed ſine mentione Magaleſium: Ædiles enim eos ludos facere ſoliti erant; votivis ludis factum tradit, quos Scipio & Longus coſs. fecerint. Non præterire autem vos volo, eſſe oratoriæ calliditatis, ut, cum opus ſit, eiſdem rebus ab utraque parte, vel à contrariis utantur; nam cum ſecundum Ciceronis opinionem, auctore Scipione conſule, ædiles ſecretum ante omnes locum ſpectandi ſenatoribus dederint; eodem illo facto Scipionis in hac quidem oratione, quia cauſſa popularis erat, premebaturque ſenatus auctoritate, atque, ob id dignitatem ejus ordinis quàm poſſit maxime elevari, cauſæ expediebat; pænituiſſe ait Scipionem, quòd paſſus eſſet id fieri; in ea de aruſpicum reſponſo, quia in ſenatu habebatur, cujus auribus erat blandiendum, & magnopere illum laudat, & non auctorem fuiſſe dandi, (nam id erat levius) ſed ipſum etiam dediſſe dicit. Circa medium, quo loco numerat, cum lex feratur, quot loca interceſſionis ſunt, jubeat diſcedere. Cir-

(ſ) Fronto.

(t) Aſconius.

Circa medium.

Eſt utique vis vetandi, cum ea feratur, quàm diu ferundi * (VII) *transferuntur dum privati dicunt, dum ſitella defertur, dum æquantur ſortes, dum ſortitio fit, & ſi qua ſunt hujus generis alia.* (15)

(VII) Suſtuli duas voces, id eſt lex; quæ videntur in albo libri poſita fuiſſe eis vocibus declarandis: cum ea feratur: & locum hunc per ſe ſatis mendoſum, mendoſiorem reddunt; illa autem: quandiu ferundi transferuntur, hoc ſignificant, quandiu ferundi ſuffragii cauſſa in tribus ſuas transferuntur. Quod ita eſſe declarat Aſconius hoc loco, cum ait: His peractis, cum id ſolum ſupereſt, ut populus ſententiam ferat, jubet unumquenque is, qui fert legem, diſcedere, id eſt in ſuam quenque tribum diſcedere, in qua eſt ſuffragium laturus. Verba autem Aſconii, quæ ita leguntur: Circa medium, quo loco numerat, cum lex feratur, quot loca interceſſionis ſunt, jubeat dicere, manca eſſe, & corrupta puto: legenda autem ita eſſe. Quo loco numerat, cum lex feratur, quot loca interceſſionis ſunt, antequam, qui legem fert, populum jubeat diſcedere. Quod ex verbis, quæ ſequuntur, declaratur.

(15) His peractis, cum id ſolum ſupereſt, ut populus ſententiam ferat, jubet unumquenque is, qui fert legem, diſcedere; quod verbum non hoc ſignificat, quod in communi conſuetudine eſt, de eo loco, ubi lex fertur, ſed in ſuam quiſque tribum diſcedat, in qua eſt ſuffragium laturus; populus enim confuſus, ut ſemper alias, ita & in concione.

Paulo poſt.

Unum tamen, quod hoc ipſo tribuno plebis factum eſt, prætermittendum non videtur; neque enim majus eſt, legere codicem, cum intercedatur, quàm ſitellam ipſam cum ipſo interceſſore deferre: nec gravius, incipere ferre, quàm perferre: nec vehementius, oſtendere, ſe laturum, invito collega, quàm ipſi collegæ magiſtratum abrogare: nec criminoſius, tribus ad legem accipiendam, quàm ad collegam reddendum privatum introvocare; quæ vir fortis, hujus collega, A. Gabinius in re optima fecit omnia: neque, cum ſalutem populo Romano atque omnibus gentibus finem diuturnæ captivitatis, turpitudinis, & ſervitutis afferret, paſſus eſt, plus unius collegæ ſui, quàm univerſæ civitatis vocem valere, & voluntatem. (16)

(16) Manifeſtum eſt, de ea lege Ciceronem nunc dicere, qua Cn. Pompejo bellum adverſus piratas datum eſt. L. autem Trebellius tribunus pleb. quem non nominat: quo perſeverante intercedere, (nam ſenatui promiſerat, moriturum ſe ante, quàm illa lex perferretur) introvocare tribus Gabinius cœpit, ut Trebellio magiſtratum abrogaret, ſicut quondam Ti. Gracchus tribunus M. Octavio, collegæ ſuo, magiſtratum abroga-
A vit; & aliquandiu Trebellius, ea re non perterritus aderat, perſtabatque in interceſſione, quòd omnia magis, quàm perſeveraturum eſſe Gabinium, arbitrabatur; ſed poſtquam XVII. tribus rogationem acceperunt; & una mens eſſet populi, ut juſſum conficeret: remiſit interceſſionem Trebellius: atque ita legem Gabinius de piratis perſequendis pertulit.

At enim de corrigenda lege retulerunt. (17)

(17) Diximus jam in principio, Cornelium primo legem promulgaſſe, ne quis per
B ſenatum lege ſolveretur; deinde tuliſſe, ut tum denique de ea re S. C. fieret, cum adeſſent in ſenatu non minus CC. hæc eſt illa, quam appellat, correctio.

Idem, niſi hæc ipſa lex, quam C. Cornelius tulit, obſtitiſſet, decreviſſem id, quod palam jam iſti defenſores judiciorum pugnaverunt: Senatui non placere, id judicium de Syllæ bonis fieri; quam ego cauſſam longe aliter prætor in concione defendi, cum id dicerem, quod iidem judices poſtea ſtatuerunt, judicium æquiore tempore fieri
C *oportere;* (18) *antea vero quàm multarum rerum judicia ſublata ſint, & quia ſcitis, prætereo, & ne quem in judicium oratio mea revocare videatur.* (19)

(18) Quia defuerat ſuperioribus temporibus in ærario pecunia publica, multa, & ſæpe ejus rei remedia erant quæſita, in quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ, quæ reſiduæ apud quenque eſſent, exigerentur; id autem maxime pertinebat ad Cornelium Fauſtum, dictatoris filium, quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, & remp. tenuerat, ſumpſerat pecunias ex vectigalibus, & ex ærario populi Romani: eaque
D res ſæpe erat agitata, ſæpe omiſſa, partim propter Syllanarum partium potentiam, partim quòd iniquum videbatur, poſt tot annos, quam quis pecuniam acceperat, ejus reddere rationem.

(19) Bello Italico, quod fuit adoleſcentibus illis, qui tum in repub. vigebant, cum multi Varia lege inique damnarentur, quaſi id bellum illius auctoribus conflatum eſſet, crebræque defectiones Italicorum nuntiarentur, tunc ob ejus triſtitiæ occaſionem ſenatus decrevit, ne judicia, dum tumultus Italicus eſſet, exercerentur; quod decretum eorum in concionibus populi ſæpe agitatum erat; ſuperant autem ex iis, qui illa judicia metue-
E runt, vigentes multi, maxime C. Curio, Curionis adoleſcentis pater, ejus qui bello civili Cæſaris fuit partium.

Paulo poſt.

Non Cn. Dolabella C. Volcatium, honeſtiſſimum virum, communi, & quotidiano jure privaſſet, (20) *non denique homo illorum & vita, & prudentia longe diſſimilis, ſed tamen nimis in gratificando jure liber, L. Siſenna bonorum Cn. Cornelii poſſeſſionem ex edicto ſuo P. Scipioni adole-*

ſcenti ſumma nobilitate, eximia virtute A *prædito; dediſſet.* (21) *Quare cum ambitum populus Romanus videret, & cum à tribunis plebis doceretur, niſi pœna acceſſiſſet in diviſores, extingui nullo modo poſſe, legem hanc Cornelii flagitabat, illam, quæ ex S. C. ferebatur, repudiabat.* (22)

(20) Duo fuerunt eo tempore Dolabellæ, quorum alterum C. Cæſar accuſavit, alterum M. Scaurus.

(21) Hoc ſolum hic annotandum eſt, hunc eſſe L. Siſennam, qui res Romanas ſcripſit.

(22) Idque vir is doctiſſimus duorum B conſulum deſignatorum calamitate. Et eadem de re

Paulo poſt.

Ut ſpectaculum illud, duorum deſignatorum conſulum calamitate, re, & tempore ſalubre, ac neceſſarium, genere, & exemplo miſerum, ac funeſtum, videremus. (23)

(23) P. Syllam & P. Autronium ſignificat: quorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus, qui, cum hæc Cicero dicebat, conſules erant, ambitus damnarant, & in eorum locum creati erant. C

Quid ego nunc argumentis tibi reſpondeam, poſſe fieri, ut alius aliquis Cornelius ſit, qui habeat Philerotem; res (VIII) *vulgare nomen eſſe Philerotis, Cornelios vero ita multos, ut jam etiam collegium conſtitutum ſit?* (24)

(VIII) Vox, Res, habet ſine dubio mendum; quid ſi pro ea, Romæ, reponas; audax fortaſſe emendatio ſit, ſed tamen ab oratoris ſententia non aliena.

(24) Frequenter tum etiam cœtus factioſorum hominum ſine publica auctoritate malo D publico fiebant: propter quod poſtea collegia S. C. & pluribus legibus ſunt ſublata, præter pauca, atque certa, quæ utilitas civitatis deſideraſſet, ut fabrorum, fictorumque.

At enim extremi, ac difficillimi temporis vocem illam, C. Corneli, conſulem mittere coëgiſti; qui rempublicam ſalvam eſſe vellent, ut ad legem accipiendam adeſſent. (25)

(25) C. Piſo, qui conſul eodem anno fuit, quo Cornelius tribunus pleb. erat, cum legem de ambitu ex S. C. graviorem, quàm E fuerat antea, ferret; & propter multitudinem diviſorum, qui per vim adverſabantur, è foro ejectus eſſet, edixerat id, quod Cicero ſignificat, & majore manu ſtipatus ad legem perferendam deſcenderat. Plebem ex Maniliana offenſione victam & domitam eſſe dicit.

Ante veſtros annos propter illius tribuni plebis temeritatem poſſe adduci, ut omnino ne illius poteſtate abalienemur. Qui reſtituerunt eam poteſtatem, alterum nihil unum poſſe contra multos, alterum longe abeſſe. (26)

(26) Manifeſtum puto eſſe vobis, M. Craſſum & Cn. Pompejum ſignificari: è quibus Craſſus judex tum ſedebat in Cornelium, Pompejus in Aſia bellum Mithridaticum gerebat.

Tanta igitur in illis virtus fuit, (IX) *ut anno XVI. poſt reges exactos propter nimiam dominationem potentium ſecederent, leges Sacratas ſibi ipſi reſtituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons Sacer nominatur, in quo armati conſederant, æternæ memoriæ cauſſa conſecrarent; itaque auſpicato poſtero anno decem tribuni plebis comitiis curiatis creati ſunt.* (27)

(IX) Hæc etiam ex primo pro Cornelio. Hoc oſtendit Priſcianus lib. VI. qui ait: Cicero pro Cornelio in primo; Trans Anienem.

(27) Inducor, magis librariorum hoc loco eſſe mendam, quàm ut Ciceronem parum proprio verbo uſum eſſe credam; illo enim tempore, de quo loquitur, quod fuit poſt XVI. annos quàm reges exacti ſunt, plebs ſibi leges ſacratas non reſtituit, (nunquam enim tribunos pleb. habuerat;) ſed tum primum eas conſtituit. Numerum quidem annorum poſt reges exactos, quo id factum eſt, diligenter poſuit, qui fuit A. Virginio Tricoſto, L. Veturio Cicurino coſs. Ceterum quidam non duos tribunos pleb. ut Cicero dicit, ſed quinque tradunt creatos tum eſſe, ſingulos ex ſingulis claſſibus; ſunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant: inter quos Tuditanus, & Pomponius Atticus, Liviuſque noſter; idem hic & Tuditanus adjiciunt, tres præterea ab illis duobus collegas creatos eſſe; nomina duorum ſunt hæc, qui primi creati traduntur C. Sicinius L. F. Bellutus, L. Albinius C. F. Paterculus. Reliqua pars hujus loci quæ pertinet ad ſecundam conſtitutionem tribunorum, & decemvirorum finitum imperium, & breviter & aperte ab ipſo dicitur; nomina ſola non adjicit, quis ille ex X. viris fuerit, qui contra libertatem vindicias dederit, quis ille pater, contra cujus filiam id decrevit: quod ſcilicet notiſſimum eſt, Decemvirum illum Ap. Claudium fuiſſe, patrem autem virginis L. Virginium; unum hoc tantummodo explicandum, quo loco primum de ſecunda ſeceſſione plebis, deinde de concordia facta, ſic dicit.

Tum, interpoſita fide per tres legatos ampliſſimos viros, Romam armati revertuntur: in Aventino conſederunt: inde armati in Capitolium venerunt: decem tribunos plebis per pontificem, quòd magiſtratus nullus erat, creaverunt. (28) *Etiam hæc recentiora prætereo; ponam principium juſtiſſimæ libertatis Caſſiam, qua lege ſuffragiorum jus, poteſtaſque convaluit;* (X) *alteram Caſſiam, quæ populi judicia firmavit.* (29)

(28) Legati tres, quorum nomina non ponit, hi fuerunt, Sp. Tarpejus, C. Julius, P. Sulpicius, omnes conſulares: Pontifex Ma-

ximus

ximus fuit M. Papirius.

(X) Lex hæc Caſſia fuit tabellaria de populi judicio, ut alio loco Cicero docuit. Quocirca veteres aliquot adhuc extant argentei nummi; quorum in aliis eſt in adverſa parte templum Veſtæ cum ciſta, & tabellis A. C. abſolutionis nimirum, & condemnationis in adverſa hæ literæ Q. CASSIUS VEST. cum imagine Veſtæ; in aliis eadem omnia, præterquam quòd à tergo ſunt hæ literæ LONGINUS IIIVIR, cum unius viri imagine, qui tabellam in ciſtam conjicit. Quos nummos ſe Romæ ſæpe vidiſſe, Fulvius Urſinus, juvenis omnium literarum laude præditus, ad me ſcripſit.

(29) Quæ ſit iſta lex Caſſia, qua ſuffragiorum poteſtas convaluit, manifeſtum eſt; nam ipſe quoque paulo ante dixit, legem Caſſium tuliſſe, ut populus per tabellam ſuffragium ferret; altera Caſſia lex, quæ populi judicia firmavit, quæ ſit, poteſt quæri; eſt autem hæc. C. Caſſius L. F. Longinus tribunus pleb. C. Mario, C. Flavio coſs. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut, quem populus damnaſſet, cuive imperium abrogaſſet, in Senatu non eſſet; tulerat autem eam maxime propter ſimultates cum Q. Servilio, qui ante biennium conſul fuerat; & cui populus, quia male adverſus Cimbros rem geſſerat, imperium abrogavit. Dicit de nobilibus.

Qui non modo cum Sylla, verum etiam, illo mortuo, ſemper hoc per ſe ſummis opibus retinendum putaverunt, inimiciſſimi C. Cottæ fuerunt, quòd is conſul paullum tribunis plebis non poteſtatis, ſed dignitatis addidit; (30) *alias* reliquit. (XI)

(30) Hic Cotta, ut puto, legem tulit, ut tribunis pleb. liceret poſtea alios magiſtratus capere: quod lege Syllæ iis erat ademptum.

(XI) Ad ea, quæ ſcribit in hunc locum Aſconius, addo, hoc ſenſiſſe etiam Macrum tribunum pleb. apud Salluſtium in III. hiſtoriarum, cum ait: Niſi forte C. Cotta ex factione media conſul aliter, quàm metu jura quædam tribunis reſtituit.

Quàm diu quidem hoc animo erga vos illa plebs erit, quo ſe oſtendit eſſe, cum legem Aureliam, cum Roſciam non modo accepit, ſed etiam efflagitavit? (31)

(31) Aurelia lege communicata judicia inter ſenatores, & equeſtrem ordinem, & tribunos ærarios. Roſcia eſt, qua L. Roſcius Otho biennio ante confirmavit, ut in theatro equitibus Romanis XIIII. ordines ſpectandi gratia darentur.

Memoria teneo, cum primum Senatores cum equitibus Romanis lege Plotia judicarent, hominem diis, ac nobilitati perinviſum, Cn. Pompejum cauſſam lege Varia de majeſtate dixiſſe. (32)

(32) M. Plautius Silvanus tribunus pleb. Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone coſs. ſecundo anno belli Italici, cum equeſter ordo in judiciis dominaretur, legem tulit adjuvantibus nobilibus, quæ lex vim eam habuit, quam Cicero ſignificat: nam ex ea lege tribus ſingulæ ex eo numero quinos denos ſuffragio creabant, qui eo anno judicarent: ex eo factum eſt, ut ſenatores quoque in eo numero eſſent, & quidam etiam ex ipſa plebe.

Quæ intermiſſa complures annos. (u)

Num alicui gratificabatur aut homini, aut ordini?

Cœptum igitur per eos, qui agi volebant, deſitum eſt per hunc, qui deceſſit. (x)

Circuitis roſtris ejicerentur lapidibus homines. (y)

Refertum tribuniciis legibus, (XII) *exhauſtum à quibus ſit, ipſi ſciunt.* (z)

(XII) De ærario loquitur, in quo leges ſervabantur.

Qui eloquentia ceteris excellit. (a)

Demi medius fidius de his tormentis aliquantum malim. (b)

Ad miſerrimum, crudeliſſimumque dominatum dedi patiamini.

Cur nunc redeant, ſi tunc gratiæ conceſſerint.

Quid quod ne cum iis quidem expertus es, quos duces operarum fuiſſe dixiſti?

Ejus modi mihi duos laqueos in cauſſa eſſe propoſitos, ut, ſi me altero expediſſem, tenerer altero.

Aperuit fores ſcalarum. (c)

Ex oratione ſecunda pro C. Cornelio, additis in orationem hanc pro C. Cornelio, Caroli Sigonii Scholiis.

Pugnem aperte contra nobiliſſimorum (XIII) *hominum voluntates? ſtudia, conſilia, cogitationeſque eorum aperiant?* (d)

(XIII) In orationem ſecundam, quam breviſſimam puto fuiſſe, ut primam longiſſimam, omnem illam argumentationem rejeciſſe Ciceronem arbitror, qua nobiliſſimorum virorum teſtimonia refutavit.

O callidos homines, (XIV) *o rem excogitatam, o ingenia metuenda; teſtes dare volumus; quem, quæſo, noſtrum fefellit, ita vos eſſe facturos?* (e)

(XIV) Hæc verba profert in Oratore Cicero ex ſecunda Corneliana; quæ & ipſa ad quæſtionem de teſtibus pertinent.

Num in eo, (XV) *qui ſint hi teſtes, hæſitatis? ego vobis edam duos; reliqui ſunt de conſularibus, inimici tribuniciæ* po-

(u) Priſcianus lib. 8.
(x) Lib. 10.
(y) Lib. 8.
(z) Aquila.

(a) Priſcianus lib. 10. (b) Fronto.
(c) Acro 1. ſerm.
(d) Aquila. Marcianus lib. 5.
(e) Cicero in oratore. Rufin. de metris.

A *poteſtatis ; pauci præterea , aſſentatores eorum , atque aſſeclæ , ſubſequuntur .* (33) (*f*)

(XV) Apud Aſconium his verbis illa præfixa ſunt: PRO CORNELIO; rectè illud quidem, ſed præciſe; eſt enim ſcribendum : PRO CORNELIO II. Quod indicat etiam ipſe Aſconius, qui in expoſitione ait : Quos hac ſecunda oratione tractat. Et hic locus eſt de teſtibus, ut inquit idem.

(33) M. Lucullum & M'. Lepidum ſignificat; quinque enim conſulares , ut jam diximus, in Cornelium teſtimonium dixerunt, Q. Catulus, Q. Hortenſius, Q. Metellus Pius Pont. Max. quos hac ſecunda oratione tractat; B & duo, qui non dixerunt, quos nunc ſignificat, Lucullus & Lepidus.

Sed , ſi familiariter ex Q. Catulo , (XVI) *ſapientiſſimo viro , atque humaniſſimo , velim quærere , utrius tandem tibi tribunatus minus probari poteſt , C. Cornelii , an non dicam P. Sulpicii , non L. Saturnini , non C. Gracchi , non Tiberii : neminem , quem iſti ſeditioſum exiſtimant , nominabo , ſed avunculi tui Q. Catuli , clariſſimi , patriæque amantiſſimi viri : quid mihi tandem reſponſurum putatis?* (34)

C (XVI) Cum Q. Catulo, qui teſtimonium dixerat, agit.

(34) M. Silanus quinquennio ante conſul fuerat, quàm Domitius tribunus pleb. atque ipſe quoque adverſus Cimbros rem male geſſerat; quam ob cauſſam Domitius eum apud populum accuſabat : criminabatur , bellum cum Cimbris injuſſu populi geſſiſſe, idque principium fuiſſe calamitatum, quas eo bello populus accepiſſet: ac de eo tabellam quoque dedit: ſed pleniſſime Silanus abſolutus eſt : nam duæ ſolæ tribus eum, Sergia , & Quirina, damnaverunt.

Quid? avunculus tuus , (XVII) *clariſ-* D *ſimus vir , clariſſimo patre , avo , majoribus , credo , ſilentio , favente nobilitate , nullo interceſſore comparato , populo Romano dedit , & potentiſſimorum hominum collegiis eripuit cooptandorum Sacerdotum poteſtatem?* (35) *Quid? idem Domitius M. Silanum , conſularem hominem , quemadmodum tribunus plebis vexavit?*

(XVII) Cum eodem Q. Catulo loquitur.

(35) Hoc egere enarratione , quia hoc loco non ponit, quis fecerit, ei demum videri E poteſt, qui oblitus ſit, minus ante xx. verſus hæc de eo ipſo Ciceronem dixiſſe.

Hæc eſt controverſia ejuſmodi , ut mihi tribunus plebis Cn. Domitius , Catulo M. Terpolius contemptiſſimum nomen ejectum eſſe ex iis , qui tribuni plebis fuerunt . (XVIII) (36)

(XVIII) In hæc verba ita Aſconius : Poſt infractam tribuniciam poteſtatem à Sylla, ante reſtitutam à Cn. Pompejo, apparet ; fuit autem is tribunus pleb. ante xii. annos D. Bruto , & M. Lepido Coſs. Ex quibus verbis difficile intelligi poteſt, quid aut Cicero velit, aut Aſconius. Ego autem ſuſpicor, Q. Catulum conſulem cum M. Terpolio, vel potius Trebellio tribuno pleb. acerrime contendiſſe, eumque vexaſſe, quòd tum poteſtas tribunicia fracta à Sylla eſſet; ſcriptum eſt enim in concione Macri apud Salluſtium ita: Sylla mortuo, qui ſceleſtum impoſuerat ſervitium, finem mali credebatis, ortus eſt longe ſævior Catulus; tumultus interceſſit Bruto, & Æmilio Mamerco Coſs. Neque enim impedit, quo minus Catulus Conſul vexare Trebellium potuerit, qui Bruto, & Mamerco Lepido Coſs. tribunatum geſſit; nam tribuni menſe Decembri inibant, Conſules k. Januariis; quare Catulus Conſul extremo Conſulatu ſuo Trebellium , poſtquam iniit, potuit inſectari; ſignificat autem Cicero, ut Catulus Trebellium tribunum non probavit, ſic ſe Domitium Catuli avunculum non probare; aut aliquid tale. Apud Aſconium autem videtur legendum, Mam. Lepido, non M. Lepido, ex fragmentis Capitolinis; reliqua ſententia vix ſine ſcriptorum librorum auctoritate ſanari poteſt.

(36) Poſt infractam tribuniciam poteſtatem à Sylla, ante reſtitutam à Cn. Pompejo, apparet; fuit autem is tribunus pleb. ante xii. annos, D. Bruto, & M. Lepido coſs. Cn. Domitius tribunus fuerat ante II. de XL. annos, C. Mario ii. C. Fimbria coſs. Magno numero ſententiarum Cornelius abſolutus eſt.

Neque me divitiæ movent , (XIX) *quibus omnes Africanos , & Lælios multi venalicii , mercatoreſque ſuperarunt : neque veſtis , aut cælatum aurum , & argentum , quo noſtros veteres Marcellos , Maximoſque multi eunuchi è Syria , Ægyptoque vicerunt ;* (*g*) *neque vero movent me ornamenta iſta villarum , quibus L. Paullum , & L. Mummium , qui rebus his urbem , Italiamque omnem referſerunt , ab aliquo video perfacile Deliaco , aut Syro potuiſſe ſuperari .* (*h*)

(XIX) Hæc in Oratore Cicero ſe ait in ſecunda Corneliana uſurpaſſe; oſtendit autem ſe teſtium divitias contemnere; nam ut nobiliſſimi, ſic ditiſſimi homines in Cornelium teſtimonia dixerant, Q. Catulus, Q. Hortenſius, Q. Metellus Pius, M. Lucullus, & M. Lepidus.

Quis tam abundans copiis? (*i*)

Da enim mihi poteſtatem eos, qui tum affuerunt Cornelio, nominandi. (*k*)

Facite, ut facitis, qui ad cauſſam adeſtis.

Quid enim mihi certamen eſt cum accuſatore, aut contentio?

Qui commodis populi Romani lingua duntaxat, ac voluntate conſuluit.

Expelleret à diſpenſantibus.

Sed

(*f*) Aſconius.
(*g*) Cicero in Oratore.
(*h*) Priſcianus lib. 10.
(*i*) Priſcianus lib. 8. (*k*) Fronto.

Sed ad urbem dierum tres fuerunt complurium.

Quàm diligentes libertatis vos oporteat eſſe.

Si vos hujus fortunas paucorum odio adjudicaveritis. (XX)

(XX) Extrema oratione calamitatem Cornelii expoſuiſſe Ciceronem puto; cujus partis hæc ſint. Quod confirmat etiam Severianus, cum ait: Miſericordiam movemus, cum alicujus calamitates commemoramus, cum magnitudinem periculi oſtendimus, ſicuti pro Cornelio Cicero.

Aſconii Pediani commentatio in M. Ciceronis orationem in Toga Candida contra C. Antonium, & L. Catilinam competitores, in Senatu.

ARGUMENTUM.

HÆc oratio dicta eſt L. Cæſare, C. Figulo Coſs. poſt annum quàm pro Cornelio dixerat. Sex competitores in conſulatus petitione Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam, quatuor plebejos, ex quibus duos nobiles, C. Antonium, M. Antonii oratoris filium, L. Caſſium Longinum, duos, qui tantum non primi ex familiis ſuis magiſtratum adepti erant, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem; ſolus Cicero ex competitoribus equeſtri erat loco natus, atque in petitione patrem amiſit; ceteri ejus competitores modeſte ſe geſſere: viſique ſunt Cornificius, & Galba ſobrii ac ſancti viri. Sacerdos nulla improbitate notus. Caſſium, qui iners ac ſtolidus tum magis quàm improbus videretur, poſt paucos menſes in conjuratione Catilinæ eſſe apparuit, ac cruentiſſimarum ſententiarum fuiſſe auctorem; itaque hi quatuor pro re jacebant. Catilina autem & Antonius, quanquam omnibus maxime infamis eorum vita eſſet, tamen multum poterant; coierant enim ambo, ut Ciceronem conſulatu dejicerent, adjutoribus uſi firmiſſimis, M. Craſſo, & C. Cæſare; itaque hæc oratio contra ſolos Catilinam & Antonium eſt. Cauſſa orationis hujuſmodi in Senatu habendæ Ciceroni fuit, quòd, cum in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ & Antonii audaciam, cenſuerat Senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur; eique rei Q. Mucius Oreſtinus tribunus pleb. interceſſerat; tum Cicero, graviter Senatu interceſſionem ferente, ſurrexit, atque in coitionem Catilinæ & Antonii invectus eſt ante dies comitiorum paucos.

In eandem orationem Sigonii Scholia.

AD ea, quæ Aſconius in hanc orationem ſcripſit, quæ addamus, nihil habemus; neque enim ejus memoriam apud alium quenquam reperimus, niſi apud Quinctilianum, qui lib. III. cap. IX. ſcribit, editum in competitores librum vituperationem continere, & tamen in Senatu eſſe habitum loco ſententiæ; ad hujus autem orationis intelligentiam plurimum liber etiam Quincti fratris, de petitio-

A ne conſulatus, valebit, in quo eadem fere de L. Catilina, & C. Antonio competitoribus repetuntur. De indice hujus orationis ſcriptum eſt apud Iſidorum lib. IX. Toga candida, eademque cretata, in qua candidati, ideſt magiſtratum petentes ambiebant, addita creta, quo candidior, inſigniorque eſſet. Cicero orationem, quam habuit contra competitores, *in toga candida* inſcripſit.

Ex oratione in Toga Candida contra C. Antonium, & L. Catilinam competitores, in Senatu. (*)

Dico P. C. ſuperiore nocte cujuſdam B *hominis nobilis, & valde in hoc largitionis quæſtu noti, & cogniti, domum Catilinam, & Antonium cum ſequeſtribus ſuis conveniſſe.* (1) (*l*)

(1) Craſſi domum ſignificat; etenim acerrimi, ac potentiſſimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petiit conſulatum, quòd ejus in dies civilem creſcere dignitatem animadvertebant; & hoc ipſe Cicero in expoſitione ſuorum conſiliorum ſignificat; ejus quoque conjurationis, quæ Cotta & Torquato coſs. ante annum, quàm hæc dicerentur, facta eſt à Catilina, & Piſone, arguit M. Craſſum au- C ctorem fuiſſe.

Quem enim aut amicum habere poteſt is, qui tot cives trucidavit, aut clientem, qui in ſua civitate cum peregrino negavit ſe judicio æquo certare poſſe? (2)

(2) Catilinam, cum in Syllanis partibus fuiſſet, crudeliter feciſſe, nominatim etiam poſtea Cicero dicit, quòd occiderit Q. Cæcilium, M. Volumnium, L. Tanaſium: M. etiam Marii Gratidiani, ſumme popularis hominis, qui ob id bis prætor fuit, caput abſciſſum per urbem ſua manu Catilina tulerat: quod crimen ſæpius ei tota oratione objicit; D fuerat vero hic Gratidianus arcta neceſſitudine Ciceroni conjunctus. Clientem autem negat habere poſſe C. Antonium; nam is multos in Achaja ſpoliaverat, nactus de exercitu Syllano equitum turmas; deinde Græci, quos ſpoliaverat, eduxerant Antonium in jus ad M. Lucullum prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat; egit pro Græcis etiam tum adoleſcentulus C. Cæſar, de quo paulo ante mentionem fecimus; & cum Lucullus id, quod Græci poſtulabant, decreviſſet, appellavit tribunos Antonius, juravitque ſe ideo appellare, quòd æquo jure uti non poſſet; hunc Antonium Gellius, & Lentulus cenſores ſexennio, E quo hæc dicerentur, Senatu moverunt, cauſſaſque ſubſcripſerunt, quòd ſocios diripuerit, quòd judicium recuſarit, quòd propter æris alieni magnitudinem prædia mancipârit, bonaque ſua in poteſtate non haberet.

Ne ſe jam tum reſpexit, cum graviſſimis veſtris decretis abſens notatus eſt. (3)

(3) Catilina ex prætura Africam provinciam obtinuit; quam cum graviter vexaſſet, legati Afri in Senatu jam tum, abſente

(*) In hac etiam Oratione Scholia Caroli Sigonii notantur numeris romanis.

(*l*) Aſconius.

ſtilo, queſti ſunt, multæque graves ſententiæ in Senatu de eo dictæ ſunt.

In judiciis quanta vis eſſet, didicit, cum eſt abſolutus, ſi aut illud judicium, aut illa abſolutio nominanda eſt. (4)

(4) Ante annum, quàm hæc dicerentur, Catilina cum rediſſet ex Africa, Torquato & Cotta coſs. accuſatus eſt repetundarum à P. Clodio adoleſcente, qui poſtea inimicus Ciceronis fuit; defenſus eſt Catilina, ut Feneſtella tradit, à M. Cicerone; quod ego ut addubitem, hæc ipſa Ciceronis oratio facit, maxime, quòd is nullam mentionem rei habet, cum potuerit invidiam facere competitori tam turpiter adverſus ſe coëunti; præſertim cum alterum competitorem ſuum Antonium in eadem hac oratione ſua admoneat, ſuo beneficio eum ex ultimo loco præturæ candidatum ad tertium perveniſſe: Neſcis, me Prætorem primum eſſe factum, te conceſſione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maxime beneficio è poſtremo in tertium locum eſſe ſubjectum? qui igitur Antonio ſuffragationem ſuam imputandam putat, is, ſi defendiſſet Catilinam, caput ejus protectum à ſe non ei imputaret? quod ita eſſe, manifeſtum eſt ex eo, quod ſtatim dicit, Q enim Mucius tribunus pleb. intercedebat, ne lex de ambitu ferretur; quod facere pro Catilina videbatur; hunc Mucium in hac oratione appellans Cicero ſic ait: Te tamen Q. Muci tam male de repub. exiſtimare, moleſte fero, qui heſterno die me eſſe dignum conſulatu negabas; quid? populus Romanus minus diligenter fecit ſibi conſtituere defenſorem, quàm tu tibi? qui, cum te furti L. Calenus ageret, me potiſſimum fortunarum tuarum patronum eſſe voluiſti; & cujus tu conſilium in tua turpiſſima cauſſa delegiſti, hunc honeſtiſſimarum rerum defenſorem populus Romanus auctore te repudiare poteſt? ni ſi forte hoc dicturus es, quo tempore à L. Caleno furti delatus ſis, eo tempore in me tibi parum auxilii eſſe vidiſſe. Verum, ut egerit Mucii cauſſam Cicero, ſicut Catilinæ egiſſe eum videri vult Feneſtella, cur, cum quamvis male exiſtimet de cauſſa Mucii, tamen ei exprobret patrocinium ſuum, non idem in Catilina faciat, ſi modo pro eo dixit? & cur ipſum illud judicium ſæpius in infamiam vocat? quod protinus videretur non fuiſſe facturus, ſi in eo judicio fuiſſet patronus. Atque ut alia omittam, hoc certe vix videtur dicturus fuiſſe, ſi illo patrono Catilina repetundarum abſolutus eſſet. Stupris ſe omnibus, ac flagitiis contaminavit; cæde nefaria cruentavit: diripuit ſocios: leges, quæſtiones, judicia violavit; & poſtea? Quid ego, ut violaveris provinciam, prædicem? nam, ut te illic geſſeris, non audeo dicere, quoniam abſolutus es: mentitos eſſe equites Romanos, falſas fuiſſe tabellas honeſtiſſimæ civitatis exiſtimo; mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam; vidiſſe puto neſcio quid illos judices, qui te innocentem judicarunt. O miſer, qui non ſentias, illo judicio te non abſolutum, verum ad aliquod ſeverius judicium ac majus ſupplicium reſervatum. Veri ne ergo ſimile eſt, hæc eum Catilinæ objicere, ſi illo defendente abſolutus eſt? Præterea movet me, quòd, cum ſint commentarii Ciceronis ſuarum etiam defenſionum, commentarium tamen hujus defenſionis, aut principium nullum inveniam. Itaque puto non defendiſſe, ſed tantum de defendendo cogitaſſe; quod per hæc ipſa negari non poteſt. Hoc autem judicio abſolutus eſt Catilina infamia judicum; ut & Clodius infamis fuerit, quippe qui prævaricatus eſt. Nam & rejectio judicum ad arbitrium rei videbatur eſſe facta.

Populum vero, cum, inſpectante populo, collum ſecuit hominis maxime popularis, quanti faceret, oſtendit; (5) *me, qua amentia inductus eſt, ut contemneret, conſtituere non poſſum; utrum æquiore animo laturum putavit, an in ſuo familiariſſimo non viderat, me ne aliorum quidem injurias mediocriter poſſe ferre?* (6) *Alter, pecore omni vendito, & ſaltibus prope addictis, paſtores retinet: ex quibus ait ſe, cum velit, ſubito fugitivorum bellum excitaturum.* (7) *Alter induxit eum, quem potuit, ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur: quos ipſe conſularis candidatus perſpexit, & legit, & emit; præſente populo Romano factum eſt.* (8)

(5) Diximus & paulo ante, Marii caput Catilinam per urbem tuliſſe.

(6) Manifeſtum eſt, C. Verrem ſignificari.

(7) C. Antonium ſignificat.

(8) Q. Gallium, quem poſtea reum ambitus defendit, ſignificare videtur; hic enim cum eſſet præturæ candidatus, quòd in ædilitate, quam ante annum geſſerat, beſtias non habuerat, dedit gladiatorium, ſub titulo, patri ſe id dare.

Quamobrem augere etiam mercedes ſi vultis, (1) *Q. Mucium perverti legem impedire, ut cœpit, ſentent. cos. ſed ego ea lege contentus ſum, qua duos conſules deſignatos uno tempore damnari vidimus.* (9)

(1) Satis conſtat Q. Mucium Oreſtinum legi, quæ ferebatur de ambitu, interceſſiſſe, idque graviter Senatum tuliſſe; videtur ergo Senatores hortari ut S.C. prævertant Mucium legem impedientem. Quare hic locus ita videtur legendus: Q. Mucium prævertite legem impedire, ut cœpis, Senatus conſulto.

(9) Legem Calpurniam ſignificat, quam C. Calpurnius Piſo ante triennium de ambitu tulerat. Quod autem dicit damnatos eſſe deſignatos conſules, P. Syllam, & P. Autronium, de quibus jam diximus, vult intelligi. Cognomen autem Q. Mucio tribuno, quem nominat, fuit Oreſtinus.

Me tamen Q. Muci tam male de republica exiſtimare moleſte fero, qui heſterno die me eſſe dignum conſulatu negabas; quid? populus Romanus minus diligenter ſcit ſibi conſtituere defenſorem, quàm tu tibi? qui, cum te furti L. Calenus ageret, me potiſſimum fortunarum tuarum patronum eſſe voluiſti; &, cujus tu conſilium

in

A *in tua turpiſſima cauſſa delegiſti, hunc honeſtiſſimarum rerum defenſorem populus Romanus auctore te repudiare poteſt? niſi forte hoc dicturus es, quo tempore à L. Caleno furti delatus ſis, eo tempore in me tibi parum auxilii eſſe vidiſſe.*

Atque, ut iſtum omittam in exercitu Syllano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium. (10)

(10) De Antonio dici manifeſtum eſt; ſed dicit eum in exercitu Syllæ prædonem propter equitum turmas, quibus Achajam ab eo vexatam eſſe ſignificavimus. In introitu B gladiatorem, pertinet ad invidiam proſcriptionis, quæ tum facta eſt. In victoria quadrigarium, quòd, cum Sylla poſt victoriam circenſes faceret, ita ut honeſti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius.

Te vero Catilina conſulatum ſperare, aut cogitare, non prodigium, atque portentum eſt? à quibus enim petis? à principibus civitatis? qui tibi, cum L. Volcatius conſul in conſilio fuiſſet, ne petendi quidem poteſtatem eſſe voluerunt? (11) *à Senatoribus? qui te, auctoritate ſua ſpoliatum ornamentis omnibus,* C *vinctum pene Africanis oratoribus tradiderunt?* (12) *ab equeſtri ordine? quem trucidaſti;* (13) *à plebe? cui ſpectaculum ejuſmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo ſine luctu aſpicere, ſine gemitu recordari poſſet.* (14)

(11) Paulo ante diximus, Catilinam, cum de provincia Africa decederet petiturus conſulatum, & legati Afri queſti de eo in Senatu graviter præveniſſent, profeſſus deinde eſt Catilina, petere ſe conſulatum. L. Volcatius Tullus conſul conſilium publicum habuit, an rationem Catilinæ habere deberet, ſi peteret conſulatum; nam quærebatur repe- D tundarum. Catilina ob eam cauſſam deſtitit à petitione.

(12) Diximus modo de hoc; nam judicium quoque ſecutum repetundarum, à quo ipſe per infamiam liberatus eſt Catilina, ſed ita, ut Senatorum urna damnaret, equitum & tribunorum abſolveret.

(13) Equeſter ordo pro Cinnanis partibus contra Syllam ſteterat, multaſque pecunias abſtulerant: ex quo ſaccularii erant appellati: atque ob ejus rei invidiam poſt Syllanam victoriam erant interfecti.

(14) Ejuſdem illius Marii Gratidiani, quòd caput geſtarit, objicit; quo loco dicit Catilinam caput M. Marii geſtaſſe, quòd ca- E put etiam tum plenum animæ, & ſpiritus ad Syllam uſque ab Janiculo ad ædem Apollinis manibus ipſe ſuis detulit. Omnia ſunt manifeſta; ne tamen erretis, quòd his temporibus ædes Apollinis in Palatio ſit nobiliſſima; admonendi eſtis, non hanc à Cicerone ſignificari, ut puto, quam poſt mortem etiam Ciceronis multis annis Imp. Cæſar, quem nunc divum Auguſtum dicimus, poſt Actiacam victoriam fecerit; ſed illam demonſtrari, quæ eſt extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium, & circum Flaminium; ea enim ſola tum demum Romæ Apollinis ædes.

Quid? tu potes in defenſione tua dicere, quod illi ne dixerunt? quæ tibi dicere non licebit.

Denique illi negare potuerunt, & negaverunt: tu tibi ne inficiandi quidem impudentiæ locum reliquiſti; quare præclara dicentur judicia tuliſſe, ſi qui inficiantem Luſcium condemnarunt, Catilinam abſolverint confitentem. (15)

(15) Hic, quem nominat, L. Luſcius notus centurio Syllanus, diveſque è victoria factus, (nam amplius centies poſſederat) damnatus erat non multo ante, quàm Cicero dixit; objectæ ſunt ei tres cædes proſcriptorum circa eoſdem dies. L. quoque Bellienus damnatus eſt: quem Cicero ait avunculum eſſe Catilinæ; hic autem Lucretium Oſellam, conſulatum contra voluntatem Syllæ ad turbandum ſtatum civitatis petentem, occiderat juſſu Syllæ tunc dictatoris.

Is ergo negat ignarum eſſe, cum etiam illi, imperitos ſe homines eſſe, &, ſi quem etiam interfeciſſent, imperatori, ac dictatori paruiſſe dicerent, ac negare quenquam poſſe: Catilinam vero inficiari non poſſe. (16)

(16) Hujus autem criminis periculum, quod objicit Cicero, paucos poſt menſes Catilina ſubiit; poſt effecta enim comitia conſularia, & Catilinæ repulſam, fecit eum reum inter ſicarios L. Lucullus, paratus eruditusque, qui poſtea conſulatum quoque petiit.

Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis, ac deſpicis? an eam, quam reliqua vita es conſecutus? cum ita vixiſti, ut non eſſet locus tam ſanctus, quò non adventus tuus, etiam cum culpa nulla ſubeſſet, crimen afferret. (17)

(17) Fabia virgo Veſtalis cauſſam inceſti dixerat, cum ei Catilina objiceretur, eratque abſoluta hæc Fabia, quia ſoror erat Terentiæ Ciceronis; ideo ſic dicit, etiam ſi culpa nulla ſubeſſet; ita & ſuis pepercit, & nihilo levius inimico ſummi opprobrii turpitudinem objecit.

Cum deprehendebare in adulteriis, cum deprehendebas adulteros ipſe, cum ex eodem ſtupro tibi & uxorem, & filiam inveniſti. (18)

(18) Dicitur, Catilinam adulterium commiſiſſe cum ea, quæ ei poſtea ſocrus fuit; & ex eo ſtupro duxiſſe uxorem, cum filia ejus eſſet; hæc Lucceius quoque Catilinæ objicit, in orationibus, quas in eum ſcripſit; nomina harum mulierum nondum inveni.

Stupris ſe omnibus, ac flagitiis contaminavit, cæde nefaria cruentavit: diripuit ſocios: leges, quæſtiones, judicia violavit.

Quid ego, ut violaveris provinciam, prædicem? nam ut te illic geſſeris, non audeo dicere, quoniam abſolutus es; (19) *mentitos eſſe equites Romanos, falſas fuiſſe tabellas*

bellas

bellas honeſtiſſimæ civitatis exiſtimo; mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam, vidiſſe puto neſcio quid illos judices, qui te innocentem judicarunt. O miſer, qui non ſentias, illo judicio te non abſolutum, verum ad aliquod ſeverius judicium, ac majus ſupplicium reſervatum. Prætereo illum nefarium conatum tuum, & pene acerbum, & luctuoſum populo Romano diem, cum, Cn. Piſone ſocio, neque alio nemine, cædem optimatum facere voluiſti. (20) A

(19) Dictum eſt jam ſæpius, Catilinam ex prætura Africam obtinuiſſe, &, accuſante eum repetundarum P. Clodio, abſolutum eſſe. B

(20) Quos nominat, intelligitis; fuit enim opinio, Catilinam, & Cn. Piſonem, adoleſcentem perditum, conjuraſſe ad cædem Senatus faciendam ante annum, quàm hæc dicta ſunt, Cotta & Torquato coſs. eamque cædem ideo non eſſe factam, quòd prius, quàm parati eſſent, conjuratis ſignum dediſſet Catilina. Piſo autem, cum hæc dicerentur, perierat in Hiſpania, miſſus à Senatu per honorem legationis, ut avus ſuus ablegaretur: ibique, dum injurias provincialibus facit, occiſus erat, ut quidam credebant, à Cn. Pompeji clientibus, Pompejo non invito. C

An oblitus es, te ex me, cum præturam peteremus, petiſſe, ut tibi primum locum concederem? quod cum ſæpius ageres, & impudentius à me contenderes, meminiſti, me tibi reſpondere, impudenter te facere, qui id à me peteres, quod à te Boculus (21) *nunquam impetraſſet.* (II) Sigonius legit: *quod avunculus non impetraſſet. Neſcis me prætorem primum eſſe factum, te conceſſione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maxime beneficio è poſtremo in tertium locum eſſe ſubjectum?* D

(21) Diximus jam ſupra, Syllæ ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium & alios quoſdam nobiles homines agitaſſe; præterea Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas: quam redemptionem ſenatori habere licet per legem; fuit autem notiſſimus in circo quadrigarum agitator Boculus. Dicit de malis civibus.

(II) Antonius Auguſtinus epiſcopus Alliſanus, vir ſingulari ſcientia, & divino prope ingenio præditus, pro avunculus, reponit, à te Boculus; qua lectione nihil cogitari poteſt melius; eſt autem Boculus nomen agitatoris, cujus meminit in commentario Aſconius. E

Qui poſtea quàm illo, ut conati erant, Hiſpanienſi pugiunculo nervos incidere civium Romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in republica ſicas diſtringere. (22)

(22) Hiſpanienſem pugiunculum Cn. Piſonem appellat: quem in Hiſpania occiſum eſse dixi. Duas ſicas, Catilinam & Antonium appellari manifeſtum eſt.

Hunc vos ſcitote Licinium gladiatorem jam immiſiſse, cupidum Catilinæ, judices, Quintumque Curium, hominem quæſtorium. (23)

(23) Curius hic notiſſimus fuit aleator, damnatuſque poſtea eſt; in hunc eſt endecaſyllabus Calvi elegans: Et talis Curius pereruditus. Huic orationi Ciceronis & Catilina, & Antonius contumelioſe reſponderunt; quod ſolum poterant, invecti in novitatem ejus; feruntur quoque orationes nomine illorum editæ, non ab ipſis ſcriptæ, ſed ab Ciceronis obtrectatoribus; quas neſcio an ſatius ſit ignorare; ceterum Cicero conſul omnium conſenſu factus eſt: Antonius pauculis centuriis Catilinam ſuperavit, cum ei propter patris nomen paulo ſpecioſior manus ſuffragata eſset, quàm Catilinæ.

Carolus Sigonius in orationem de lege Agraria K. Jan.

CIcero in conſulatu multas habuit, quas poſt etiam ſcripſit, orationes. Hoc cum alii, tum ipſemet teſtatur in II. libro epiſtolarum ad Atticum, cum inquit: Fuit mihi commodum curare, ut meæ eſſent orationes, quæ conſulares nominarentur, quarum una eſt in Senatu k. Januar. altera ad populum de lege agraria, tertia de Othone, quarta pro Rabirio, quinta de proſcriptorum filiis, ſexta, cum provinciam in concione depoſui; ſeptima, cum Catilinam emiſi; octava, quam habui ad populum poſtridie, quàm Catilina profugit; nona in concione, quo die Allobroges invocarunt; decima in Senatu nonis Dec. ſunt præterea duæ breves, quaſi ἀποσπασμάτια legis agrariæ; hoc totum σῶμα, curabo, ut habeas. Idem autem dixit, cum in Piſonem inveheretur in Senatu, his verbis: Ego k. Jan. Senatum, & omnes bonos legis agrariæ, maximarumque largitionum metu liberavi; ego in C. Rabirio perduellionis reo XL. annis ante me conſulem interpoſitam Senatus auctoritatem ſuſtinui contra invidiam, atque defendi; ego adoleſcentes bonos, & fortes, ſed uſos ea conditione fortunæ, ut, ſi eſſent magiſtratus adepti, Reipublicæ ſtatum convulſuri viderentur, meis inimicitiis, nulla Senatus mala gratia, comitiorum ratione privavi; ego Antonium collegam, cupidum provinciæ, multa in Republica molientem, patientia, atque obſequio meo mitigavi; ego provinciam Galliam, Senatus auctoritate, exercitu, & pecunia inſtructam, & ornatam, quam cum Antonio communicavi, in concione depoſui, reclamante populo Romano; ego L. Catilinam, cædem Senatus, interitum urbis non obſcure, ſed palam molientem, egredi ex urbe juſſi; ego tela extremo menſe conſulatus mei, intenta jugulis civitatis, de conjuratorum nefariis manibus extorſi; ego faces jam accenſas ad hujus urbis incendium comprehendi, protuli, extinxi. Ex his autem orationibus tres tantum agrarias habemus, &, quæ in Catilinam dictæ ſunt, quatuor, & Rabirianæ partem; quin etiam quæ de lege agraria k. Jan. dicta eſt, ea principio caret; ex qua parte Gellius hæc verba lib. XIII. cap. XIV Prædam, manubias, ſectionem, caſtra denique Cn. Pompeji Xviri vendet; & infra: Ex præda, ex manubiis, ex auro coronario. Cariſius etiam

A etiam cum ait, libro primo, Ciceronem oratione kal. Jan. de lege agraria dixiſſe, imberba juventute, in ea parte, quæ deſideratur, intelligit. Reliqua vero citantur ab Aquila rhetore.

Ex oratione de lege Agraria Kal. Jan.

Prædam, manubias, ſectionem, caſtra denique Cn. Pompeji, ſedente imperatore, Xviri vendent. (*m*)

Ex præda, ex manubiis, ex auro coronario.

B *Veniet igitur ſub præconem tota Propontis, atque Helleſpontus: addicetur communis ora Lyciorum, atque Cilicium: Myſia, & Phrygia item conditioni, legique parebunt.* (*n*)

Imberba juventute. (*o*)

Carolus Sigonius in orationem de proſcriptorum filiis.

L. Sylla dictator non ſolum inimicos ſuos proſcripſit, ſed eorum etiam filios in perpetuum petendorum honorum poteſtate lege lata privavit; unde illa ſunt M. C Lepidi conſulis in L. Sullam, apud Salluſtium: Quin ſolus omnium poſt memoriam hominum ſupplicia in poſt futuros compoſuit; queis prius injuria, quàm vita, certa eſſet. Contra hos igitur Cicero conſul cum, ut ad honores admitterentur, contenderent, egit in oratione, quam inſcripſit de proſcriptorum filiis; cujus meminit Quinctilianus lib. xi. cap. i. ita: Mollienda eſt in pleriſque alio colore aſperitas orationis, ut Cicero de proſcriptorum liberis fecit: Quid enim crudelius, quàm homines honeſtis parentibus, ac majoribus natos à Republica ſubmoveri? cujus orationis vim indicavit Plinius lib. vii. cum dixit: Te orante Cicero, proſcriptorum libe- D ros honores petere puduit. His tamen poſtea Cæſar dictator omnia conceſſit.

Ex oratione de proſcriptorum liberis.

Quid enim crudelius, quàm homines honeſtis parentibus ac majoribus natos à republica ſubmoveri?

Carolus Sigonius in orationem pro Othone.

Hic eſt L. Roſcius Otho, qui in tribunatu quadriennio ante Ciceronis conſulatum E legem, qua equitibus xiv. primos theatri gradus conſtituit, reliquos ſuperiores plebi. Qua de cauſſa in theatrum veniens Conſule Cicerone à plebe convicio, & clamore exceptus eſt. Hunc autem ut plebi reconciliaret, Cicero hanc orationem habuit; unde dixit Plinius lib. vii. de Cicerone: Roſcio theatrali auctori legis tribus ignoverunt, notataſque ſe diſcrimine ſedis, æquo animo tulerunt. Cicero in epiſtolis ad Atticum hanc orationem de Othone appellavit.

Tom. VI.

Ex oratione pro Othone.

Hic ſi ſe iſtius viæ dediſset. (*p*)

Carolus Sigonius in orationem contra concionem Q. Metelli.

Q. Metellus Nepos tribunus pl. cum in M. Ciceronem apud populum, Silano, & Murena Coſs. eſſet invectus, eum, ut ſibi oratione reſponderet, compulit; quam orationem cum poſt ſcripſiſſet, contra concionem Q. Metelli vocavit. De hac contentione tum credo locutus eſt, cum ad Q. Metellum Celerem Nepotis fratrem ita ſcripſit: Ad iii. non. Jan. cum agere cœpiſſet, tertio quoque verbo me appellabat, mihi minabatur; hujus ego temeritati ſi virtute, atque animo non reſtitiſſem, quis eſſet, qui me in conſulatu, non caſu potius exiſtimaret, quàm conſilio fortem fuiſſe? De oratione autem ipſa ſic ſcribit lib. i. ad Atticum: In illam orationem Metellinam addidi quædam; liber tibi mittetur; & lib. iii. Quæ eſt ſpes iſta eodem tribuno pleb. & inimico Cos. deſignato? percuſſiſti autem me etiam de oratione prolata; cui vulneri, ut ſcribis, medere; ſi potes; ſcripſi equidem olim ei iratus, quòd ille prior ſcripſerat, ſed ita compreſſeram, ut nunquam emanaturam putarem; quomodo exciderit, neſcio; ſed quia nunquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem, & quia mihi ſcripta videtur negligentius, quàm ceteræ, puto poſſe probari, non eſſe meam. Hinc factum eſt, ut Gellius lib. xviii. cap. vii. ita ſcripſerit: Concio ſignificat orationem, quæ ad populum habetur, ſicut M. Tullius in oratione, quæ inſcripta eſt, contra Concionem Q. Metelli. Aſcendi, inquit, in concionem: concurſus populi factus eſt; & poſt: Concionem eſſe dictam pro verbis, & oratione docuit titulus Tulliani libri, qui à M. Cicerone inſcriptus eſt, contra Concionem Q. Metelli. Meminerunt autem hujus orationis D. Auguſtinus, & Fortunatianus in Rhetoricis ſuis, ita: Utemur principiis in bonæ opinionis controverſii, ſed brevioribus & erectioribus paulo, & confidentibus, & plenis dignitatis, ſine jactantia duntaxat, ne res pariat invidiam: ut eſt illud apud Tullium contra Concionem Metelli: Sic enim, ut opinor, inſequar fugientem, quoniam congredi non licet cum reſiſtente. Quod nunquam profecto tam magnifice dicere in exordio ſtatim orſus fuiſſet, niſi & ipſius auctoris eſſet honeſta perſona, & res, de qua locuturus eſſet, non improba; meminit etiam hujus Priſcianus.

Ex oratione contra concionem Q. Metelli.

Sic enim, ut opinor, inſequar fugientem, quoniam congredi non licet cum reſiſtente. (*q*)

Permulſa, atque recreata eſt. (*r*)

Niſi eorum exitio non requieturam. (*ſ*)

Aſcendi in concionem: concurſus eſt populi factus. (*t*)

Kkkkk *Qui*

(*m*) Gell. lib. 13. cap. 24. (*n*) Aquila.
(*o*) Cariſius lib. 1. (*p*) Fronto.

(*q*) Fortunatianus. (*r*) Priſc. lib. 9.
(*ſ*) Priſc. lib. 10. (*t*) Gell. lib. 18. cap. 17.

Qui indicabantur, eos vocari, cuſtodiri, ad Senatum adduci juſſit: in Senatu ſunt poſiti. (u)

Aſconii commentatio in Ciceronis orationem pro M. Scauro.

ARGUMENTUM.

HAnc quoque orationem eiſdem conſulibus dixit, quibus pro Vatinio, L. Domitio Ahenobarbo, & Ap. Claudio Pulchro Coſs. ſummus judicii dies fuit ad iv. Non. Septembris. Marcus enim Scaurus, M. Scauri filius, qui princeps Senatus fuit, vitricum habuit Syllam: quo victore, & munifico in ſocios victoriæ, ita abſtinens fuit, ut nihil neque donari ſibi voluerit, neque ab haſta emerit. Ædilitatem ſumma magnificentia geſſit, adeo ut in ejus impenſas opes ſuas abſumpſerit, magnumque æs alienum contraxerit. Ex prætura provinciam Sardiniam obtinuit: in qua neque ſatis abſtinenter ſe geſſiſſe exiſtimatus eſt, & valde arroganter; quod genus morum in eo paternum videbatur, cum cetera induſtria nequaquam eſſet par; oraverat tamen aliquando inter patronos cauſſarum: ſed poſtquam ex provincia redierat, dixerat pro C. Catone, iſque erat abſolutus ad iii. nonas Quinct. ipſe, cum ad conſulatus petitionem ad iii. kal. Quinct. Romam rediſſet, querentibus de eo Sardis, à P. Valerio Triario, adoleſcente parato ad dicendum, & notæ induſtriæ, filio ejus, qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulerat, & poſt in Aſia Pontoque legatus L. Luculli fuerat, cum is bellum contra Mithridatem gereret, poſtulatus apud M. Catonem prætorem repetundarum, ut in actis ſcriptum eſt, poſtridie non. Quinct. poſt diem tertium, quàm Cato erat abſolutus; ſubſcripſerunt Triario in Scaurum L. Marius L. F. M. & Q. Pacuvii fratres, cognomine Claudi, qui inquiſitionem in Sardiniam, itemque in Corſicam inſulas dies tricenos acceperunt, neque profecti ſunt ad inquirendum; cujus rei hanc cauſſam reddebant, quòd interea comitia conſularia futura erant: timere ergo ſe, ne Scaurus ea pecunia, quam ab ſociis abſtuliſſet, emeret conſulatum, &, ſicut pater ejus feciſſet, ante, quàm de eo judicari poſſet, magiſtratum iniret, ac rurſus ante alias provincias ſpoliaret, quàm rationem prioris adminiſtrationis redderet. Scaurus ſummam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompeji Magni reponebat; habebat enim filium liberorum Cn. Pompeji fratrem: nam Tertiam, Scævolæ filiam, dimiſſam à Pompejo, in matrimonium duxerat. M. Catonem autem, qui id judicium, ut diximus, exercebat, metuebat admodum propter amicitiam, quæ erat illi cum Triario; nam Flaminia Triarii mater, & ipſe Triarius ſororem Catonis Serviliam, quæ mater M. Bruti fuit, familiariter diligebat; ea porro apud Catonem maternam obtinebat auctoritatem; ſed in eo judicio neque Pompejus propenſum adjutorium præbuit: (videbatur enim apud animum ejus non minus offenſionis contraxiſſe, quòd judicium ejus in Muciam, crimine impudicitiæ ab eo dimiſſam, levius feciſſe exiſtimaretur, cum eam ipſe probaſſet, quàm gratiæ acquiſiſſe neceſſitudinis jure, quòd ex eadem uterque liberos haberet) neque Cato ab æquitate ea, quæ & vitam ejus, & magiſtratum illum decebat, quoquam deflexit. Poſt diem autem quartum, quam poſtulatus erat Scaurus, Fauſtus Sylla tum quæſtor, filius Syllæ Felicis, frater ex eadem matre Scauri, * ſervus ejus vulneratus, proſiluit * ex lecticis, & queſtus eſt pro interempto eſſe competitoribus Scaurum, & ambulare cum trecentis armatis, ſeque, ſi neceſſe eſſet, vim vi repulſurum. Defenderunt Scauri ſex patroni; cum ad id tempus raro quiſquam pluribus quam quattuor uteretur: ac poſt bella civilia ante legem Juliam ad duodenos patronos eſt perventum; fuerunt autem hi, P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidus, M. Cicero, M. Meſſalla Niger, Q. Hortenſius; ipſe quoque Scaurus dixit pro ſe, ac magnopere judices monuit & ſqualore, & lacrymis, & ædilitatis effuſa memoria, ac favore populari, ac præcipue paternæ auctoritatis recordatione.

Sigonii Scholia in orationem pro M. Scauro, quæ notantur iterùm numeris Romanis.

M. Scaurum virum prætorium Cicero defendit, cum à Sardis, & Corſis, quos prætor rexerat, de repetundis eſſet poſtulatus, oratione nobili in primis atque ornata, quam poſt etiam edidit; cujus orationis argumentum ne pluribus perſequar, fecit Aſconius, qui eam ornatiſſimo commentario interpretatus eſt, unde huc pleraque tranſlata fragmenta ſunt. Quod autem feci in Corneliana, ut quibus rebus eam ornare orationem poſſem, labori ulli ne parcerem, idem quoque in hac Scauriana mihi tuendum eſſe exiſtimo; extant enim inſignia aliquot Quinctiliani, & aliorum ad hanc declarandam loca, quæ in ejuſmodi ſcriptionis argumento præterire nefas eſſe duco. Quod autem ait Aſconius, Scaurum in provincia parum abſtinenter, & valde arroganter ſe geſſiſſe, illud confirmat, quòd Scauro à ſociis non furta ſolum, ſed etiam cædes, & adulteria ſunt objecta; de quibus iiſdem Siculi ante Verrem prætorem, accuſante Cicerone, poſtulaverant; quod quemadmodum factum ſit, ſingulis expendendis fragmentis doceamus.

Ex oratione pro M. Scauro.

Maxime fuit optandum (I) *M. Scauro jud. ut, nullo ſuſcepto cujuſquam odio, ſine offenſione ac moleſtia.* (x)

(I) Principium hoc eſt orationis, quemadmodum D. Auguſtinus, & Fortunatianus in ſua uterque Rhetorica tradunt, ubi agunt de ratione exordiendi in genere cauſſæ amphidoxo. Ut hoc, inquiunt, clarius percipiatur, dabo exemplum, quod habuit M. Tullius, cum pro Scauro loqueretur; erat enim controverſia amphidoxos, quippe quæ niteretur dignitate perſonæ M. Scauri, premeretur turpitudine criminis de repetundis. Utrunque in principiis ſtatim ita confudit orator, ut turpitudinem criminis dignitate perſonæ contegeret, neque tamen largiter nimium, neque exul-

(u) Quinctil. lib. 9. cap. 3.

(x) Fortunatianus, D. Auguſt. rhetor.

exultanter, ſed ut exprimat non nullam etiam metus ſuſpicionem: Maxime fuit optandum &c.

Nihil Sardos Appio (II) *gratius eſſe facturos, quàm ſi de Scauri fama detraxerint.* (y)

(II) Loci hujus ſententiæ multi eſſe poſſunt, ſed videtur maxime è proœmio excidiſſe, cum in odium adducere Sardos vellet, qui Appio conſuli, Scauri inimico, gratificandi cauſſa, de fama Scauri detraherent; cauſſam autem inimicitiarum poſt exponit.

Subit etiam populi judicium, (III) *inquirente Cn. Domitio tribuno plebis* (1) *reus factus eſt à Q. Servilio Cæpione lege Servilia, cum judicia penes equeſtrem ordinem eſſent, &, P. Rutilio damnato, nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa;* (2) *ab eodem etiam lege Varia cuſtos ille reipublicæ proditionis eſt in crimen vocatus; vexatus eſt à Q. Vario tribuno plebis non multo ante.* (3) (z)

(III) Hæc non longe à principio abfuerunt, teſte Aſconio; ad principium autem videntur pertinere, cum judicia enumerarit, quæ pater Scauri rei ſubierit, inimicorum offenſione, atque odio, quod ne filius quidem ejus evitare potuerit; ſic enim cœperat: Maxime fuiſſe optandum Scauro, ut, nullo cujuſquam ſuſcepto odio, ſine offenſione, ac moleſtia degeret.

(1) Cn. Domitius, qui conſul fuit cum C. Saſſio, cum eſſet tribunus pleb. iratus Scauro, quòd eum in augurum collegium non cooptaverat, diem ei dixit ad populum, & multam irrogavit, quòd ejus opera ſacra multa populi R. diminuta eſſe diceret; crimini dabat, ſacra publica populi Romani Deum penatium, quæ Lavinii fierent, opera ejus minus recte, caſteque fieri, quo crimine abſolutus eſt Scaurus quidem, ſed ita, ut à tribus tribubus damnaretur, à XXXII. abſolveretur, & in eis pauca puncta inter damnationem & abſolutionem intereſſent.

(2) Q. Servilius Cæpio Scaurum, ob legationis Aſiaticæ invidiam, & adverſus leges pecuniarum captarum, reum fecit repetundarum, lege, quam tulit Servilius Glaucia. Scaurus tanta fuit conſtantia, & animi magnitudine, ut Cæpionem contra reum detulerit, &, breviore die inquiſitionis accepta, effecerit, ut ille prior cauſſam diceret; M. quoque Druſum tribunum pleb. cohortatus ſit, ut judicia commutaret.

(3) Italico bello exorto, cum ob ſociis negatam civitatem nobilitas in invidia eſſet, Q. Varius tribunus pleb. legem tulit, ut quæreretur de iis, quorum opera conſiliove ſocii contra populum Romanum arma ſumpſiſſent; tum Q. Cæpio, vetus inimicus Scauri, ſperans inveniſſe ſe occaſionem opprimendi ejus, egit ut Q. Varius tribunus pleb. belli concitati crimine adeſſe apud ſe Scaurum juberet anno LXXII. ille per viatorem accerſitus, cum jam ex morbo male ſolveretur, diſſuadentibus amicis, ne ſe in illa valetudine & ætate invidiæ populi objiceret, innixus nobiliſſimis juvenibus, proceſſit in forum: deinde, accepto reſpondendi loco, dixit: Q. Varius Hiſpanus M. Scaurum principem Senatus ſocios in arma ait concitaſſe: M. Scaurus princeps Senatus negat: teſtis nemo eſt: utri vos Quirites convenit credere? qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipſo etiam tribuno dimitteretur. Dicit iterum de patre M. Scauri.

Non enim tantum admiratus ſum ego illum virum, ſicut omnes, ſed etiam præcipue dilexi; primus enim me, flagrantem ſtudio laudis, in ſpem impulit, poſſe virtutem ſine præſidio fortunæ, quo contendiſſet, labore, & conſtantia pervenire. (4)

(4) Poſſit aliquis quærere, cur hoc dixerit Cicero, cum Scaurus patricius fuerit, quæ generis claritas etiam inertes homines ad ſummos honores provexit; verum Scaurus ita fuit patricius, ut tribus ſupra eum ætatibus jacuerit domus ejus fortuna; nam neque pater, neque avus, neque etiam proavus, ut puto, propter tenues opes, & nullam vitæ induſtriam, honores adepti ſunt: itaque Scauro æque ac novo homini laborandum fuit.

Et quoniam congeſta eſt (IV) *accuſatio magis acervo quodam criminum, quàm diſtinctione aliqua generum, & varietate.*

(IV) Severianus rhetor Latinus, ubi agit de diſponendis criminibus, ita ſcribit: Cicero pro Scauro reprehendit adverſarii confuſam criminationem; ait enim: Et quoniam congeſta fuit accuſatio &c.

Boſtarem igitur quendam dixit Norenſem, fugientem è Sardinia Scauri adventum.

Prius illum ſepultum, quàm huic cenam eſſe ſublatam.

Si mehercule judices pro L. Tubulo dicerem, (V) *quem unum ex omni memoria ſceleratiſſimum, & audaciſſimum fuiſſe accepimus, tamen non timerem, venenum hoſpiti, aut convivæ ſi diceretur cenanti ab illo datum, cui neque heres, neque iratus fuiſſet.* (5)

(V) Ut dixi ſupra, cædes etiam objectæ ſunt Scauro, ut cædes Boſtaris, de qua Quinctilianus lib. IV. cap. II. Pro Scauro Cicero circa Boſtaris mortem in matrem crimen avertit; & lib. V. cap. XIII. In contradictionibus interim totum crimen exponitur, ut Cicero pro Scauro circa Boſtarem facit, velut orationem diverſæ partis imitatus. Hoc autem loco refellere videtur Cicero Boſtarem Scauri opera eſſe interfectum, quòd neque ex ejus morte commodum Scaurus ſperaret, neque ei infenſus eſſet; quibus duabus cauſſis potiſſimum homines ad ejuſmodi facinora ſolent impelli. Quod ergo non timerem de Tubulo, homine ſceleratiſſimo, inquit, ſi pro eo dicerem, multo minus de Scauro, viro opti-

(y) Fronto.

(z) Aſconius.

optimo, timendum videtur. Marcianus Capella libro v. ſignificat hac oratione Scaurum defenſum de Boſtaris nece, de Arinis uxore, de decimis tribus. Multiplex, inquit, ex pluribus quæſtionibus cauſſa conſiſtit, ut repetundarum omnes Verrinæ, & pro Scauro de Boſtaris nece, de Arinis uxore, & decimis tribus exquiritur.

(5) L. hic Tubulus prætorius fuit ætate patrum Ciceronis; is propter multa flagitia, cum de exilio accerſitus eſſet, ne in carcere necaretur, venenum bibit. Circa tertiam partem à primo.

Quæ quidem ſuſpicio valuit etiam ob hanc cauſſam, quòd, cum agerent parentalia Norenſes.

Libertus patronum non occidit, ſed duobus digitulis gulam obliſit. (a)

Copiis inops, gente fallax. (b)

Circa tertiam partem à primo.

Sic inquam ſeſe judices res habet, neque hoc à me novum diſputatur, ſed quæſitum ab aliis eſt. (c)

Illa audivimus, hoc vero meminimus, (VI) *ac pene vidimus, ejuſdem ſtirpis, & nominis P. Craſſum, ne in manus incideret inimicorum, ſe ipſum interemiſſe.* (6) *Ac neque illius Craſſi factum ſuperioris, iiſdem honoribus uſus, qui fortiſſimus in bellis fuiſſet, M'. Aquillius potuit imitari.* (7)

(VI) Hæc exempla ſunt eorum, qui ſibi in bello manus attulerunt, ut P. Craſſi, qui in bello Ariſtonici in Aſia captus, cum barbarum, à quo captus erat, ut ſe interficeret, provocavit, ut alterius P. Craſſi, qui in dominatione L. Cinnæ ne in manus inimicorum incideret, ſibi mortem conſcivit. Quos tamen neque M'. Aquillius, neque Julii duo, neque M. Antonius potuerant imitari. Hoc eſt autem, quod ſcribit Quinctilianus lib. iv. cap. 1. Ciceronem pro Scauro repetundarum reo uſum eſſe exemplis.

(6) Hic Craſſus fuit pater Craſſi ejus, qui æmulus potentiæ Cn. Pompeji fuit: periit autem in dominatione L. Cinnæ, cum ille & alios principes optimatum, & collegam ſuum Cn. Octavium occidit.

(7) Hæc verba, quibus Cicero nunc utitur, AC NEQUE, eam videntur habere naturam, ut ſemel poni non ſoleant: quia NEQUE eſt conjunctio disjunctiva, & ſemper poſtulat, ut rurſus inferatur, ut cum dicimus, neque hoc, neque illud; quo autem caſu acciderit, quave ratione, ut hoc loco Cicero hoc verbo ita uſus ſit, præſertim cum adjecerit illam appoſitionem, & nomen intulerit poſtea alterum, neque perſpicere potui, & attendendum eſſe valde puto; moveor enim merito viri auctoritate: neque ignoro aliquando hoc verbum, neque, vel ſemel poni, ut in eadem hac oratione ante ipſe Cicero poſuit: Sic inquam ſeſe judices res habet, neque hoc à me novum diſputatur, ſed quæſitum ab aliis eſt; ſed hoc loco & ſine præpoſitione illius

(a) Porphyrio 2. Sat. lib. 2. (b) Fronto.

A verbi videmus eſſe poſitum, & tamen poſt ſecundum aliquid inferri; nam cum dixit: Neque hoc à me novum diſputatur, infert, Sed quæſitum ab aliis eſt.

Quid vero? alterum Craſſum temporibus eiſdem non aut clariſſimi viri Julii, aut ſummo ingenio præditus M. Antonius potuit imitari? (8)

(8) Hic alter Craſſus idem eſt, de quo ſupra diximus; alterum autem eum appellat, quia ante mentionem fecit P. Craſſi, qui fuit Pontifex Maximus, & bello Ariſtonici in
B Aſia dedit operam, ut occideretur. Julios autem cum dicit, duos Cæſares fratres, Cajum, & Lucium, ſignificat; ex quibus Lucius & prætor & conſul fuit; Cajus ædilicius quidem occiſus eſt, ſed tantum in civitate potuit, ut cauſſa belli civilis contentio ejus cum Sulpicio tribuno fuerit; nam & ſperabat, & id agebat Cæſar, ut omiſſa prætura conſul fieret; cui cum primis temporibus jure Sulpicius reſiſteret, poſtea nimia contentione ad ferrum & ad arma proceſſit; idem inter primos temporis ſui oratores, & tragicus poeta bonus admodum habitus eſt; hujus ſunt enim tragœdiæ, quæ inſcribuntur, Julii; & hi autem Julii, & Antonius ab ſatellitibus Marii
C ſunt occiſi, cum Craſſus, ut ſupra diximus, eundem caſum ſua manu præveniſſet.

Cum dare nollet Aris, (VII) *clam ex Sardinia eſt fugere coactus.* (d)

Arinis uxorem pellicatus dolo concitatam.

(VII) Loquitur de Arinis uxore, quam à Scauro corruptam fuiſſe objiciebant ejus inimici. Senſus eſt; cum Aris nollet uxorem Scauro dare, coactus eſt clam ex Sardinia fugere. Eſt enim veriſimile, poſt cædes adulteria objecta eum purgaſſe.

D

Circa medium.

Neque vero hæc ipſa quotidiana res Ap. Claudium, (VIII) *illa humanitate, & ſapientia præditum, per ſe ipſa moviſſet, niſi hunc Claudii fratris ſui competitorem fore putaſſet; qui ſive patricius, ſive plebejus eſſet, (nondum enim certum conſtitutum erat) cum illo ſibi contentionem fore putabat.* (9) (e)

(VIII) Significat Ap. Claudium Pulchrum tum, cum loquebatur, Conſulem, P. Clodii fratrem, de quo dubitat, patricius ne,
E an plebejus ſit; quia cum eſſet patricius in plebejam familiam Fontejam ſe adoptaverat; innuit autem Ap. Claudium egiſſe, ut Scaurus accuſaretur, ne cum Clodio fratre contenderet.

(9) Fuerunt enim duæ familiæ Claudiæ; ea, quæ Marcellorum appellata eſt, plebeja; quæ Pulchrorum, patricia; ſed hoc loco urbane Cicero luſit in Claudium, cum quo in gratiam non redierat; nam quia is P. Clodii erat frater, qui ex patricia in plebejam familiam tranſierat, per ſummam infamiam; ſe quoque dubitare adhuc dixit.

Quem

(c) Aſconius. (d) Pedianus. (e) Aſconius.

Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum maſtrucca (IX) *tentavit?* (*f*)

(IX) Hæc ad quæſtionem de furto pertinent; ſcribit enim Aſconius, Sylla, Scauri vitrico, victore, & in ſocios victoriæ munifico, Scaurum ita abſtinentem fuiſſe, ut nihil neque donari ſibi voluerit, neque ab haſta emerit; ex quo effici vult Cicero, ne vilibus quidem Sardorum veſtibus eum potuiſſe corrumpi. Hinc eſt, quòd Quinctilianus lib. I. cap. IX. ait: Maſtruccam, quod Sardum eſt, illudens Cicero de induſtria dixit; & Cicero de provinciis conſularibus: Res in Sardinia cum maſtruccatis latrunculis geſta.

A

B

Poſt duas partes orationis.

Nam cum ex multis unus ei reſtaret Dolabella paternus inimicus, qui cum Q. Cæpione propinquo ſuo contra Scaurum patrem ſuum obſignaverat ſtateras, eas ſibi inimicitias non ſuſceptas, (10) *ſed relatas.* (*g*)

(10) Ne forte erretis, & eundem hunc Cn. Dolabellam putetis eſſe, in quem C. Cæſaris orationes legitis; ſcire vos oportet, duos eodem tempore fuiſſe, & prænomine, & nomine, & cognomine, Dolabellas; horum igitur alterum Cæſar accuſavit, nec damnavit; alterum M. Scaurus & accuſavit, & damnavit.

C

Poſt tres partes orationis.

Præſertim cum propinquitas, (X) *& celebritas loci ſuſpicionem deſidiæ tollat, aut cupiditatis.* (11)

(X) His verbis Aſconius ait defendi, quòd Scaurus tam magnificam domum haberet: in hujus autem domus atrio fuiſſe quatuor columnas marmoreas inſigni magnitudine.

D

(11) Demonſtraſſe vobis memini me, hanc domum in ea parte Palatii eſſe, quæ, cum ab ſacra via deſcenderis, & per proximum vicum, qui eſt ab ſiniſtra parte, prodieris, poſita eſt; poſſidet eam nunc Longus Cæcina, qui conſul fuit cum Claudio; in hujus domus atrio fuerunt quatuor columnæ marmoreæ inſigni magnitudine, quæ nunc eſſe in regia theatri Marcelli dicuntur; uſus erat is ædilis, ut ipſe quoque ſignificat, in ornatu theatri, quod ad tempus perquam ampla magnitudine magnum fecerat.

E

Ego vero, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi. (XI) (*h*)

(XI) Quinctilian. lib. v. cap. XIII. Nonnunquam elevandæ invidiæ gratia, quæ aſperius dicta ſunt, eluduntur, ut à Cicerone Triarius. Nam cum Scauri columnas per urbem vectas eſſe dixit, ego porro, inquit, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi.

Domus tibi deerat, at habebas: pecunia ſuperabat, at egebas. (*i*)

Incurriſti amens in columnas: in alienos inſanus inſaniſti: depreſſam, cæcam, jacentem domum pluris, quàm te, & quàm fortunas tuas, æſtimaſti. (XII)

(XII) Hæc ex oratione ſua citat Cicero in Oratore; videntur autem ſumpta eſſe ex hac parte orationis pro Scauro, qua Triario reſpondit, qui columnas, & domum Scauri exagitaverat. Simile illud pro Q. Roſcio: Egebat? immo locuples erat; debebat? immo in ſuis nummis verſabatur.

Redimunt ſe ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur. (XIII) (*k*)

(XIII) De Caſtoribus loquitur, de quibus in hunc modum Plinius lib. VIII. cap. XXX. Eaſdem partes ſibi ipſi Pontici amputant fibri, periculo urgente, ob hoc ſe peti gnari; caſtoreum id vocant medici.

Ab ipſa ſtiva mecum homines loquebantur. (*l*)

Retineret id, quod præcipue ſemper ſtuduit. (*m*)

Hæc cum tu effugere non potuiſſes; (XIV) *concedes tamen, & poſtulabis, ut M. Æmilius cum ſua dignitate omni, cum patris memoria, cum avi gloria, ſordidiſſimæ, leviſſimæ, vaniſſimæ genti, ac prope dicam pellitis teſtibus condonetur.* (12) (*n*)

(XIV) Significat Triarium in ſuſpicionem criminis delapſum tam vehementer Scaurum accuſare non debuiſſe; domum autem Triario videtur Cicero inter alia objeciſſe; cum dixit: Domus tibi deerat, at habebas.

(12) Avum nunc Scauri maternum ſignificat L. Metellum Pontificem Max. quem poſtea quoque nominat; nam paternus avus proavuſque Scauri humiles atque obſcuri fuerunt.

Verſ. à noviſſimo CLX.

Undique mihi ſuppeditat, (XV) *quod pro M. Scauro dicam, quocunque non modo mens, verum etiam oculi inciderint; curia illa de graviſſimo principatu patris fortiſſimoque teſtatur. L. ipſe Metellus, avus hujus, ſanctiſſimos deos illo conſtituiſſe in templo videtur, in veſtro conſpectu, judices, ut ſalutem à vobis nepotis ſui deprecarentur.* (13)

(XV) Hæc ex peroratione, aut certe ex ultima argumentatione ſumpta ſunt.

(13) Caſtoris, & Pollucis templum Metellus, quem nominat, refecit. Laudaverunt Scaurum conſulares novem, L. Piſo, L. Volcatius, Q. Metellus Nepos, M. Perperna, L. Philippus, M. Cicero, Q. Hortenſius, P. Servilius Iſauricus pater, Cn. Pompejus Magnus; horum magna pars per tabellas laudaverunt, quia

(*f*) Iſidor. lib. 19. cap. 3.
(*g*) Aſconius.
(*h*) Quinctil. (*i*) Cicero in oratore.

(*k*) Iſidor. lib. 12. cap. 1.
(*l*) Servius in Georg.
(*m*) Fronto. (*n*) Aſconius.

quia aberant, inter quos Pompejus quoque: nam quòd erat pro conſule, extra urbem morabatur; unus præterea adoleſcens laudavit frater ejus Fauſtus Cornelius, Syllæ filius; is in laudatione multa humiliter & cum lacrymis locutus non minus audientes permovit, quàm Scaurus ipſe permoverat; ad genua judicum, cum ſententiæ ferrentur, bifariam ſe diviſerunt qui pro eo rogabant; ab uno latere Scaurus ipſe, & L. Glabrio ſororis filius, & Paullus, & P. Lentulus, Lentuli Nigri flaminis filius, & L. Æmilius Bucca filius, & C. Memmius Fauſta natus ſupplicaverunt; ex altera parte Sylla Fauſtus frater Scauri, & C. Apronius Limo, cui Fauſta ante paucos menſes nupſerat dimiſſa à Memmio, & T. Peduceus, & C. Cotta & M. Olenas Curtianus. Sententias tulerunt ſenatores duo & xx., equites tres & xx., tribuni ærarii xxv. ex quibus damnaverunt ſenatores IIII., equites II., tribuni II. Cato prætor, cum vellet de accuſatoribus in conſilium mittere, multique è populo manus in accuſatores intenderent, ceſſit imperitæ multitudini, ac poſtero die in conſilium de calumnia accuſatorum miſit. C. Triarius nullam gravem ſententiam habuit; ſubſcriptores ejus M. & Q. Pacuvii fratres denas, & L. Marius tres graves habuerunt. Cato prætor judicium, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuit, campeſtri ſub toga cinctus; in forum quoque ſic deſcenderat; juſque dicebat, idque repererat ex vetere conſuetudine, ſecundum quam & Romuli ætatis ſtatuæ in Capitolio, & in Roſtris Camilli fuerunt, togatæ ſine tunicis.

Alii cauſſas oratorum. (*o*)
De te recordor.
Hoc nomine audito, quod per omnes gentes pervagatum eſt.
In illa bona invadere nullo modo potuiſſet.

Aſconii commentatio in Ciceronis orationem contra L. Piſonem.

ARGUMENTUM.

HÆc oratio dicta eſt Cn. Pompejo Magno II M. Craſſo II. Coſs. ante paucos dies quàm Cn. Pompejus ludos faceret, quibus theatrum à ſe factum dedicavit; hoc intelligi ex ipſis Ciceronis verbis poteſt, quæ in hac oratione poſuit; dixit enim ſic: Inſtant poſt hominum memoriam apparatiſſimi, magnificentiſſimique ludi. Feneſtella quidem poſuit hanc inter eas orationes, quas dixit Cicero L. Domitio, Appio Claudio Coſs. ultimam; ſed, ut ego ab eo diſſentiam, facit primum, quòd Piſo reverſus eſt ex provincia Pompejo, & Craſſo Coſs. Gabinius, Domitio, & Appio: hanc autem orationem dictam ante Gabinii reditum, ex ipſa manifeſtum eſt: deinde, quod magis naturale eſt, ut in ipſo recenti reditu invectus ſit in Ciceronem, reſponderit inſectationi ejus, qua revocatus erat ex provincia, quàm poſt anni intervallum; apparet autem Ciceronem reſpondiſſe Piſoni; in ſumma, cum dicat in ipſa oratione Cicero, inſtare magnificentiſſimos apparatiſſimoſque ludos, non video quo modo hoc ma-

(*o*) Fronto.

A gis Domitio & Appio Coſs. dictum ſit, quibus Conſulibus nulli notabiliores ludi fuerunt, quàm Pompejo, & Craſſo: quo anno Pompejus exquiſitiſſimis magnificentiſſimiſque omnis generis ludis theatrum dedicavit. Argumentum hujus orationis breve admodum eſt; nam cum revocati eſſent ex provinciis Piſo & Gabinius ſententia Ciceronis, quam dixerat de provinciis conſularibus Lentulo & Philippo Coſs. reverſus in civitatem Piſo de inſectatione Ciceronis in Senatu conqueſtus eſt, & in eum invectus, fiducia maxime Cæſaris generi, qui tum Gallias obtinebat. Piſoni Cicero reſpondit hac oratione.

B *Sigonii in orationem in L. Piſonem Scholia.*

ORationem in Piſonem habuit Cicero ab eo laceſſitus in Senatu; unde Quinctilian. lib. III. cap. IX. dixit, editum in L. Piſonem librum vituperationem continere, & tamen in Senatu habitum eſſe loco ſententiæ. Hac de oratione, ne plura dicam, impedit cum Aſconius, tum ipſa oratio, quæ extat, mutilato tamen, atque amputato principio; unde hæc nos tanquam ex aliquo naufragio recuperavimus.

Ex oratione in L. Piſonem.

C *Pro dii immortales,* (I) *qui hic illuxit dies.* (*p*)

(I) Quinctilianus, itemque Diomedes eum his verbis eſſe exorſum referunt, Quinctilianus lib. IX. ita: Verſus fere excidunt, ut in principio ſtatim orationis in L. Piſonem Pro dii immortales, quis hic illuxit dies. Diomedes lib. II. à trimetro eum cœpiſſe ait.

Quæ te belluam ex utero, (II) *non hominem, fudit.* (*q*)

(II) De matre ejus loquitur, ut inquit
D Servius.

Circa verſ. à primo.

Quod minimum ſpecimen in te ingenii; ingenii autem? immo ingenui hominis, ac liberi, qui colore ipſo patriam aſpernaris, oratione genus, moribus nomen. (1)

(1) Tametſi hæc oratio inſcribitur in L. Piſonem: tamen non puto vos ignorare, hunc Piſonem ex ea familia eſſe, quæ Frugi appellata ſit: & ideo dicit, aſpernari eum moribus nomen.

E *Inſuber quidam fuit, id eſt mercator, & præco; is cum Romam cum filia veniſſet, adoleſcentem nobilem Cæſoninum, hominis fortiſſimi filium, auſus eſt appellare: filiam collocavit.*

Cum tibi tota cognatio in ſarraco advehatur. (III)

(III) Quinctilianus lib. VIII., cap. III. An cum dicit in Piſonem Cicero: Cum tibi tota cognatio in Sarraco advehatur, incidiſſe vide-

(*p*) Diomedes. (*q*) Servius 8. Æneid.

videtur in ſordidum nomen, non eo contemptum hominis, quem deſtructum volebat, auxiſſe? Atque hoc ipſum eſt, quod etiam ſignificavit Fortunatianus, cum dixit: Vulgaria verba, quibus utitur vulgus; ut M. Tullius & ſarracum, & ferem dicere non dubitavit. Hoc autem verbo uſus eſt etiam Siſenna libro IV. hiſtoriarum, teſte Nonio: Impedimenta, inquit, collocant omnia, conſtruunt carros, & ſarraca crebra diſponunt.

Hoc non ad contemnendam Placentiam pertinet, (IV) *unde ſe is ortum gloriari ſolet; neque enim hæc mea natura fert, nec municipii, præſertim de me optime meriti, dignitas patitur*. (2)

(IV) Aſconius hæc verba interpretans ea ſcribit, quæ propter difficultatem expoſitione egere videantur; itaque quoniam occaſio data eſt loci etiam doctiſſimis hominibus obſcuriſſimi illuſtrandi, an eas tenebras expellere noſtra explanatione poſſimus, experiamur. Verba Aſconii ſunt: Neque illud dici poteſt, ſic eam coloniam eſſe deductam, quemadmodum poſt plures ætates Cn. Pompejus Strabo, pater Cn. Pompeji Magni, tranſpadanas colonias deduxerit. Pompejus enim non novis colonis eas conſtituit, ſed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut poſſent habere jus, quod ceteræ Latinæ coloniæ, ideſt ut petendi magiſtratus gratia civitatem Romanam adipiſcerentur. Affert ergo dubitationem, quodnam ſit jus Latii, quod declarans Aſconius dixit, id eſt, ut petendi magiſtratus cauſſa civitatem Rom. adipiſcerentur. Id autem quanquam longiorem explicationem deſiderat, qua ego in libro de antiquo jure Italiæ uſus ſum, tamen paucis verbis, quod ad hunc locum attinet, exponi videtur poſſe, ut qui domi ſuæ magiſtratum vel petiſſet, vel potius geſſiſſet, is civis Romanus eſſet; oſtendit enim hoc Appianus aperte lib. II. civilium, ubi loquens de Marcello Cos. colonum quendam Comenſem in Cæſaris contumeliam cædente, qui quod magiſtratum Comi geſſerat, civis Rom. eſſet, inquit: πόλιν δὲ νεόκωμον ὁ καίσαρ ἐς λατίου δίκαιον ᾠκίκει, ὧν ὅσοι κατ' ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο ῥωμαίων πολίται. τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ λάτιον; id eſt, Novocomum autem Cæſar Latii jure donaverat, quorum qui annuum magiſtratum geſſerant, cives Romani fiebant; hanc enim vim habuit Latinitas. Idem vero intellexit etiam Cicero in V. epiſtolarum ad Atticum, cum ſcripſit: Marcellus ſedendi comes, etſi ille magiſtratum non geſſerit, erit tamen tranſpadanus, ita mihi videtur non minus ſtomachi noſtro Cæſari feciſſe; ſed hoc ipſe viderit. Sunt autem depravata hæc verba ita, ut alia omnia potius, quam id, quod voluit Cicero, ſignificare videantur; itaque, ne pluribus hanc emendationem ornem, dico videri legendum eſſe: Marcellus fœde in Comenſi; non, ſedendi comes. Senſus autem eſt talis. Marcellus fœde ſe geſſit in Comenſi cædendo, qui ſe, quod Comi magiſtratum geſſiſſet, Romæ pro cive R. gerebat, ut inquit Appianus; cur fœde? quia etſi magiſtratum non geſſerit Comi, tamen, quia tranſpadanus erat, quibus à Cn. Pompejo Strabone, Magni patre, lege cautum erat, non erat ea contumelia afficiendus. Hoc autem facto non minus ſtomachi fecit Cæſari, inimico ſuo, cum in ejus contumeliam Comenſem jure Latii à Cæſare donatum verberavit, quàm Cæſari noſtro, id eſt Pompejo, cujus pater lege tranſpadanos ornaverat, atque iis aditum ad civitatem Romanam aperuerat, inter quos tranſpadanos erant etiam Comenſes. Sed hæc, ut dixi, multo latius, & pluribus auctoritatibus in libro de Italiæ jure à me diſſeruntur.

(2) Magnopere me hæſitare confiteor, quid ſit, quare Cicero Placentiam municipium eſſe dicat; video enim in annalibus eorum, qui Punicum bellum ſecundum ſcripſerunt, tradi, Placentiam coloniam deductam pridie Kal. Jan. primo anno ejus belli, P. Cornelio Scipione patre Africani, Ti. Sempronio Longo coſs. Neque illud dici poteſt, ſic eam coloniam eſſe deductam, quemadmodum poſt plures ætates Cn. Pompejus Strabo, pater Cn. Pompeji Magni, tranſpadanas colonias deduxerit. Pompejus enim non novis colonis eas conſtituit, ſed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut poſſent habere jus, quod ceteræ Latinæ coloniæ, id eſt, ut petendi magiſtratus gratia civitatem Romanam adipiſcerentur. Placentiam autem ſex millia hominum novi coloni deducti ſunt: in quibus equites deducendi fuit cauſſa, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiæ tenebant; deduxerunt III. viri P. Cornelius Aſina, C. Papirius Maſo, Cn. Pompejus, ſive Cn. Cornelius Scipio; eamque coloniam LIII. deductam eſſe invenimus; deducta eſt autem Latina; duo porro genera earum coloniarum, quæ à populo Romano deductæ ſunt, fuerunt, ita ut aliæ Latinæ eſſent, aliæ civium Romanorum. De ſe autem optime meritos Placentinos ait, quòd illi quoque honoratiſſima decreta erga Ciceronem fecerant, certaverantque in ea re cum tota Italia, cum de reditu ejus actum eſt.

Hic cum ad Padum forte conſediſſet, paucis poſt annis in eam civitatem (*nam tum erat civitas*) *aſcendit; prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo ſemiplacentinus haberi cœptus eſt*. (3)

(3) Hic quoque dicit civitatem fuiſſe; ab eadem perſuaſione ponit Placentiam municipium fuiſſe. Avum autem Piſonis primo Gallum fuiſſe ideo ait, quòd veniſſe eum in Italiam dicit trans alpes; Gallicanum, quòd in Italia conſederit; Semiplacentinum, poſtquam aſcitus ſit à Placentinis: quod multo poſt ea tempora fuit, in quibus Placentia colonia deducta eſt.

Lautiorem pater tuus ſocerum, quàm C. Piſo in illo luctu non ei filiam meam collocavi, quem ego, poteſtas cum omnium fuiſſet, unum potiſſimum delegiſſem. (4)

(4) Quis fuerit ſocer Piſonis patris, ſupra dixit his verbis: Inſuber quidam fuit, id eſt mercator, & præco; is cum Romam cum filia veniſſet, adoleſcentem nobilem Cæſoninum, hominis fortiſſimi filium, auſus eſt appellare, filiam collocavit. Calventium ajunt eum appellatum, patris Piſonis, contra quem hæc oratio eſt, ſocerum. Rutilium Atilium Nudum Feneſtella tradit, Cicero filiam poſt mortem Piſonis generi P. Lentulo collocavit, apud quem illa ex partu deceſſit.

Ca-

A

Carolus Sigonius in orationem in Clodium, & Curionem.

ORationis in Clodium, & Curionem non mediocris memoria extat, cum de ea inſigne illud ſuum Quinctilianus reliquerit judicium; editum in Clodium, & Curionem librum vituperationem continere illum quidem, ſed tamen in Senatu ſententiæ loco eſſe habitum; ex fragmentis autem ejus collectis ſatis apparet, Ciceronem in eo vehementiſſime luxuriem, ac muliebrem mollitiem Clodii eſſe inſectatum, cum ei pſaltriam, ſtrophium, calanticam objiciat, cum ſacra ab eo conſtuprata arguat, cum anteactam
B
ejus vitam, ut ſolet, reprehendat.

Ex oratione in Clodium, & Curionem.

Tu vero feſtivus, tu elegans, tu ſolus urbanus; quem decet muliebris ornatus, quem inceſſus pſaltriæ; qui levare vultum, mollire vocem potes. (r)

Credo, poſtquam tibi ſpeculum allatum eſt, longe à pulchris abeſſe ſenſiſti. (1)

(1) In Clodii formam jocatur, & in cognomen familiæ Pulchrorum.

C
Ac vide, an facile tu fieri potueris, cum is factus non ſit, cui tu conceſſiſti. (2) (ſ)

(2) Loquitur credo de Clodio præturæ candidato, qui annum ſuum reliquit, ut ſcriptum eſt in Miloniana. Significat autem, futurum fuiſſe, ut anno ſuo, quem præterierat, prætor non fieret, quia is, cui ille conceſſerat, factus non ſit.

Tum cum vincirentur pedes faſceis, cum calanticam capiti accommodares, cum ſtrophio accurate præcingerere.

Integritas tua te purgavit, mihi crede,
D
pudor eripuit, vita anteacta ſervavit. (t)

Quibus iſte, qui omnia ſacrificia noſſet, (3) *facile à ſe deos placari poſſe arbitrabatur.* (u)

(3) Sacra Bonæ deæ à Clodio violata intelligit.

Sigonius in orationem de rege Ptolemæo.

ORationis de rege Ptolemæo mentionem apud Aquilam, & Fortunatianum Latinos rhetores ſolum invenio. Fortunatianus autem eandem etiam de rege Alexandrino vocavit, cum dixit: Communis partitio, ut Cicero de rege Alexandrino; item: Hypophoræ copioſæ ponuntur, ſi diſcrepans ali-
E
quid oſtendatur, ut Cicero de rege Alexandrino. Eam vero de reſtituendo Ptolemæo Aulete fuiſſe crediderim, cum eam reductionem P. Lentulo Ciliciæ proconſule ſua ſententia decerneret; ut ipſe ſcribit in epiſtolis.

Ex oratione de rege Ptolemæo.

Difficilis ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis. (x)

(r) Nonius, Rufinianus.
(ſ) Quinctilianus lib. 5. Nonius.

Sigonius in orationem pro A. Gabinio, ex commentariis cauſſarum.

QUoniam de orationibus diximus, quas ſcriptas edidit, ſequitur, ut de iis etiam dicamus aliquid, quas in commentariis reliquit. Hic enim omnium defenſionum, ſive cauſſarum, quas acturus eſſet, memoriæ cauſſa commentarios ſcribere ſolitus fuit; quas autem ſe maxime expolire videbat poſſe, eas, poſteaquam egiſſet, diligentius ſcriptas edere, quas non probaret, in commentariis relinquere conſuevit; quod idem de ſe inquit Cato apud eum in libro de Senectute: Cauſſarum illuſtrium quaſcunque defendi, nunc quammaxime conficio orationes. De quibus commentariis ſic video ſcripſiſſe Aſconium in commentario orationis in toga candida. Præterea movet me, quòd, cum ſint commentarii Ciceronis ſuarum etiam defenſionum, commentarium tamen hujus defenſionis, aut principium nullum inveniam; apud Quinctilianum autem lib. x. cap. extremo ita: Plerunque autem multa agentibus accidit, ut maxime neceſſaria, & utique initia ſcribant, cetera, quæ domo afferant, cogitatione complectantur, ſubitis ex tempore occurrant. Quod feciſſe M. Tullium, ex commentariis ipſius apparet; ſed feruntur aliorum quoque, & inventi forte, ut eos dicturus quiſque compoſuerat, & in libros digeſti, ut cauſſarum, quæ ſunt actæ à Servio Sulpicio, cujus tres orationes extant. Sed hi, de quibus loquor, commentarii ita ſunt exacti, ut ab ipſo mihi in memoriam poſteritatis videantur compoſiti. Nam Ciceronis ad præſens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit, quos non ideo excuſo, quia non probem, ſed ut ſint magis admirabiles; & lib. IIII. cap. I. hoc modo: Cicero pro Scauro ambitus reo, quæ cauſſa eſt in commentariis, (nam his eum defendit) proſopopæja loquentis pro reo utitur, pro eodem reo repetundarum etiam exemplis. Ut autem Scauri cauſſa de ambitu extitit in commentariis, ſic etiam A. Gabinii. Proditum hoc eſt literis à D. Hieronymo in apologia adverſus Rufinum his verbis: Unde & Tullius in commentariis cauſſarum pro A. Gabinio, Ego, inquit, cum omnes inimicitias tuendas ſemper putavi &c. Fuerat autem Gabinio inimiciſſimus, quippe quo conſule civitate fuerat pulſus. Poſt autem cum eo reverſum in gratiam eundem in judicio defendiſſe ipſe teſtatur in or. pro Rabirio Poſtumo, his verbis: Tu Gabinium, ut regem reduceret, impuliſti. Non patitur mea etiam fides de Gabinio gravius agere; quem enim ex tantis inimicitiis receptum in gratiam ſummo ſtudio defenderim, hunc afflictum violare non debeo; quocum ſtante ſi me Cn. Pompeji auctoritas in gratiam non reduxiſſet, nunc jam ipſius fortuna reduceret; & Valerius lib. IIII. cap. II.: Cicero A. Gabinium repetundarum reum ſummo ſtudio defendit, qui eum in conſulatu ſuo urbe expulerat. Eoſdem vero etiam commentarios à Diomede intelligi arbitror, cum ait: Cicero cauſſarum XIII.: Re vendita, iterum empta.

Ex

(t) Quinctil. lib. 8. cap. 6. (u) Lib. 9. cap. 2.
(x) Aquila, Marcianus.

Ex oratione pro A. Gabinio, ex commentariis cauſſarum.

Ego cum omnes amicitias tuendas ſemper putavi ſumma religione, & fide, tum eas maxime, quæ eſſent ex inimicitiis revocatæ in gratiam: propterea quòd integris amicitiis officium prætermiſſum, imprudentiæ, vel, ut gravius interpretemur, negligentiæ excuſatione defenditur: poſt reditum in gratiam, ſi quid eſt commiſſum, id non neglectum, ſed violatum putatur, nec imprudentiæ, ſed perfidiæ aſſignari ſolet. (y)

Ex commentariorum lib. XIII.

Re vendita, iterum empta. (z)

Sigonius in fragmenta epiſtolarum.

QUam multa nobis epiſtolarum volumina reliquerit M. Cicero, præter ea, quæ habemus, facile vel ex his epiſtolarum fragmentis intelligi poteſt, quas ad Titinium, ad Nepotem, ad Cæſarem, ad Hirtium, ad Panſam, ad Cæſarem juniorem, ad Calvum, ad filium, ad Axium, ad Brutum ſcriptas videmus. Nam quæ ad Pompejum, aut ad Caſſium à Nonio ſcriptæ citantur, prorſus ab hoc numero removendæ ſunt; nam illæ inter eas, quæ ad Atticum, hæ inter eas, quæ ad familiares miſſæ ſunt, reperiuntur. Nos autem, aliquot ex his fragmentis expoſitis, demus operam, ut, quam his epiſtolis amittendis jacturam fecimus, noſtra, quoad poſſimus, induſtria ſarciamus.

Ex epiſtola ad M. Titinium.

Equidem memoria teneo, (4) *pueris nobis primum latine docere cœpiſſe L. Plotium quendam: ad quem cum fieret concurſus, quòd ſtudioſiſſimus quiſque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere; continebar autem doctiſſimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant, Græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe.* (a)

(4) Hæc verba citat Svetonius in libro de claris rhetoribus. De L. Plotio Gallo, inquit, Cicero in epiſtola ad M. Titinium ſic refert: Equidem memoria teneo; &c. Hic autem Plotius rhetor Sullanis temporibus floruit, ut in Chronico notavit Euſebius. Ejuſdem autem rei, & hominis meminit etiam Quinctilianus lib. II.

Ex ſecundo libro epiſtolarum ad Cornelium Nepotem.

Itaque noſtri cum omnia, quæ dixiſſemus, dicta eſſent; (5) *quæ facete, & breviter, & acute locuti eſſemus, ea proprio nomine appellari dicteria voluerunt.* (b)

(y) D. Hieron. contra Rufinum.
(z) Diomedes. (a) Svetonius.
(b) Macrobius.

A (5) Hoc inveni apud Macrobium lib. II. Saturn. Jocos, inquit, hoc genus veteres dicteria dicebant; teſtis idem Cicero, qui in libro epiſtolarum ad Cornelium Nepotem ſecundo ſic ait: Itaque noſtri &c. Ciceronis item in quadam ad Cornelium Nepotem epiſtola teſtimonium citat Marcellinus lib. XXVI. Hic eſt autem Cornelius Nepos æqualis Ciceronis, & Attici, à quo Attici ipſius vita elegantiſſime ſcripta extat; quem item auctorem profitetur in libris ad Ciceronem Lactantius lib. III. cap. XV. hoc modo: Nepos Cornelius ad Ciceronem ita ſcribit: Tantum abeſt, ut ego magiſtram eſſe putem vitæ philoſophiam, beatæque vitæ perfectricem, ut nullis B magis exiſtimem opus eſſe magiſtros vivendi, quam pleriſque, qui in ea diſputanda verſantur; video enim magnam partem eorum, qui in ſchola de pudore, & continentia præcipiant argutiſſime, eoſdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere.

Ex incerto libro epiſtolarum ad eundem.

Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis ſententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior? (c)

C *Hoc reſtiterat etiam, ut à te fictis aggrederer donis.* (6) (d)

Qui habet, ultro appetitur: qui eſt pauper, aſpernatur.

(6) Priſcianus lib. VIII. ait, hoc in loco Aggredi in patiendi ſignificatione eſſe uſurpatum.

Ex libro primo epiſtolarum ad C. Cæſarem.

Balbum quanti faciam, quamque ei me totum dicaverim, ex ipſo ſcies. (7) (e)

D (7) Exempla omnia ex tribus libris epiſtolarum ad C. Cæſarem ex Nonii commentariis ſumpta ſunt. Quanquam autem difficile eſt, ex tam paucis verbis ſententiam ullam certam haurire, tamen has epiſtolas poſt partam fere Pharſalico prœlio victoriam ſcriptas eſſe ad Cæſarem dictatorem crediderim, Cæſare ipſo adhuc extra Italiam bellis civilibus implicato. Quàm autem Cæſari carus Balbus fuerit, aliæ epiſtolæ indicant; itaque merito ſe Cicero ei dicaſſe ait, ut qui plurimum gratia apud Cæſarem valeret; unde illa ſunt ad Pætum: Non tu homo ridiculus es, qui, cum Balbus noſter apud te fuerit, ex me quæras, E quid de iſtis municipiis, & agris futurum putem? quaſi aut ego quidquam ſciam, quod iſte neſciat, aut ſi quid aliquando ſcio, non ex iſto ſoleam ſcire?

Tum cum ea, quæ es ab Senatu ſummo cum honore conſecutus, honor, gratia, & pulchritudo.

Debes odiſſe improbitatem ejus, quia impudentiſſimum nomen delegerit.

(c) Svetonius in Cæſare, & de Cæſare.
(d) Priſcianus. (e) Nonius.

A *Ut ſciret majore cura tuenda eſſe, quæ parta ſunt.*

Ex libro ſecundo epiſtolarum ad C. Cæſarem.

Vel quod locatio ipſa pretioſa.

Quod ſapientes homines, ac boni putant.

Neque pro cauto, ac diligente ſe caſtris continuit. (f)

Ex libro tertio epiſtolarum

B ad C. Cæſarem.

Quæ ſi videres, non de exercitu retinendo tueri, ſed eo tradito, aut dimiſſo. (g)

Amici non nulli te contemni, ac deſpici, ac pro nihilo haberi Senatum, velint.

Ex libro incerto epiſtolarum ad C. Cæſarem.

Jam amplitudinem, gloriamque tuam magno mihi ornamento fore exiſtimo, quòd me levas cura.

Extrema vero nec quanta, nec qualia

C *ſunt, verbis conſequi poſſum.*

Sed ego, quæ monumenti ratio ſit, nomine ipſo admoneor; ad memoriam magis ſpectare debet poſteritatis, quàm ad præſentis temporis gratiam.

Sed ita locutus inſulſe eſt, ut mirum Senatus convicium exceperit.

Ex libro primo epiſtolarum ad C. Panſam.

De Antiocho feciſti humaniter; quem quidem ego ſemper dilexi, meque ab eo di-

D *ligi ſenſi.* (8) (h)

Quorum erupit illa vox, de qua ex te primum quiddam inaudieram.

(8) Epiſtolarum ad C. Panſam libros tres in ipſo belli Antoniani apparatu, & ardore ſcriptos eſſe exiſtimo; quod idem de iis, quos ſcripſit ad A. Hirtium, judico. Cum enim id bellum ab iis conſulibus auctoritate, & conſilio Ciceronis geſtum ſit, videtur veriſimile, Ciceronem literis, & cohortatione virtutem eorum acuiſſe, conſilio imprudentiam adjuviſſe. Sunt autem omnia ex Nonio.

Ex libro tertio epiſtolarum

E ad C. Panſam.

Nos Ventidianis rumoribus concalfecimus. (9)

(9) Ventidium Baſſum, adverſæ factionis ducem, bellum in Syria molieatem, intelligit.

Ex libro ſecundo epiſtolarum ad A. Hirtium.

Qua in re ſi mediocriter lapſus ſum; defendas meum intolerabile erratum.

Ex libro quinto epiſtolarum ad A. Hirtium.

Et quoniam, ut hoc tempus eſt, nihil habeo, patriæ quod impertiam.

Ex libro nono epiſtolarum ad A. Hirtium.

Dicis, quid quæſo iſtuc intereraт? neſcio; niſi tamen erat mihi jucundum, ſed veritus, ne qui caſum perimeret ſuperioris.

Ex libro incerto epiſtolarum ad A. Hirtium.

Cum enim nobilitas ſit nihil aliud, quàm cognita virtus, (10) *quis in eo, quem veteraſcentem videt ad gloriam, generis antiquitatem deſideret?*

(10) Hoc ad incitandum Hirtium, novum hominem, & nulla majorum commendatione notum, unde nobilitas Romæ parabatur, dictum eſt.

Ex libro primo epiſtolarum ad Cæſarem juniorem.

Prid. Non. Febr. (11) *cum ad te literas mane dediſſem, deſcendi ad forum togatus, cum reliqui conſulares ſagati vellent deſcendere.*

(11) Eodem etiam tempore epiſtolæ ad Cæſarem juniorem, id eſt, ad C. Cæſarem Octavianum ſcriptæ ſunt; cum ille Apolloniа, Cæſare patre per conjuratos interfecto, reverſus, inſigni accepta à M. Antonio coſ. injuria, Cicerone in primis auctore, arma adverſus eundem Antonium pro republica ſuſcepiſſet, atque eundem Mutinam coloniam, & D. Brutum coſ. deſ. obſidentem, una cum Hirtio, & Panſa conſulibus cum imperio extraordinario premeret. De ſagis autem bello Mutinenſi à populo R. ſumendis ſæpe cenſuiſſe Ciceronem, ex VI., & aliis in Antonium orationibus intelligi poteſt; narrat autem nunc Cæſari, quid iis de rebus Romæ actum ſit.

Et aut ad conſules, aut ad te, aut ad Brutum adiſſent, (12) *his fraudi ne eſſet, quòd cum Antonio fuiſſent.*

(12) Hanc ſententiam dixit Cicero Philippica VIII. his verbis: Quas ob res ita cenſeo, eorum, qui cum M. Antonio ſunt, qui ab armis diſceſſerint, & aut ad Panſam, aut ad Hirtium conſules, aut ad D. Brutum Imp. coſ. deſ. aut ad C. Cæſarem proprӕt. ante Idus Martias primas adierint, eis fraudi ne ſit, quòd cum M. Antonio fuerint.

Sed

(f) Cariſius lib. 1.

(g) Nonius. (h) Priſc. l. 15. Nonius.

A *Sed hæc viderimus, cum legati reſponſa retulerint.* (13)

(13) Legatos de pace miſſos ad M. Antonium, dum Mutinam oppugnaret, ſatis conſtat, L. Philippum, L. Piſonem, Ser. Sulpicium, quos hic intelligit.

Quaſi ſi me ad id beneficium accerſeres, quo per te me una cum republica in libertatem vindicaſſem.

Roga ipſum, quemadmodum ego eum Arimini acceperim.

Sed cito pœnituit, domum rediit, ceteri cunctabantur.

B *Erat opinio bona de Planco,* (14) *bona de Lepido.*

(14) L. Plancum, & M. Lepidum intelligit, qui poſt à repub. aperte deſciverant, cum M. Antonium, exercitu ſpoliatum, fugientem recepiſſent.

Neminem tibi profecto hominem ex omnibus aut antepoſuiſſem unquam, aut etiam comparaſſem.

Ex ceteris autem generibus tunc pecunia expedietur, cum legionibus victricibus erunt, quæ ſpopondimus, perſolvenda.

C *In ſingulis tegulis impoſitis ſexcentis ſexcenties confici poſſe.*

Ne res duceretur, fecimus, ut Hercules Antianus in alium locum transferretur.

Sed quòd videret nomine pacis bellum involutum fore.

Quod mihi, & Philippo vacationem das, bis gaudeo. (15) *Nam & præteritis ignoſcis, & concedis futura.*

Itaque vereor, ne ferociorem faciant tua præclara judicia.

D (15) Vacationem vel militiæ, vel legationis, vel alicujus alterius laboris pro repub. ſuſcipiendi ſignificat.

Ex libro ſecundo epiſtolarum ad Cæſarem juniorem.

In quo tua me provocavit oratio, mea conſecuta eſt ſegnis.

Bellum, ut opinio (16) *mea fert, & conſenſu civitatis confectum jam haberemus.*

(16) Hanc ſententiam etiam in eadem re ſæpe repetiit in Philippicis, & in epiſtolis.

E *Cum conſtet Cæſarem Lupercis* (17) *id vectigal dediſſe, qui ante poterat id conſtare?*

(17) Hoc eſt, id de quo ſcriptum eſt in VII. in Antonium: De Lupercis tribunus pl. refert. Unde in epiſtola ad Antonium, & Panſam Antonius ſcripſit: Vectigalia Juliana Lupercis ademiſtis.

Aleſt Alba neſcio quis Clodius, quem cum reſtitui juſſiſſet, Ancone cum eo dejectus eſt ex Senatus conſulto.

Inſolens, arrogans, jactans.

Scriptum erat equeſtre prœlium valde ſecundum, in his potius adverſum. (18)

(18) De prælio ad Mutinam cum M. Antonio à Cæſare, & à conſulibus facto puto intelligi: de quo Galba ad Ciceronem, item alii.

Quem periiſſe ita de republica merentem conſulem, vehementer doleo. (19)

(19) Hoc aut de Hirtio, aut de Panſa conſulibus, prælio ad Mutinam facto interfectis, dictum exiſtimo.

Tu ſi meam fidem præſtiteris, quod confido te eſſe facturum.

Cum iter facerem Claternam tempeſtate ſpurciſſima.

Nihil omnino certi, nec locupletem ad hoc auctorem habebamus.

Antonius demens ante lucem paludatus.

Ex libro tertio epiſtolarum ad Cæſarem juniorem.

Itaque in eum palam vehementer eſt invectus.

Ex libro incerto epiſtolarum ad Cæſarem juniorem.

Poſthac, quod voles à me fieri, ſcribito unicam opinionem tuam.

Promiſſa tua memoria teneas.

Ex libro primo epiſtolarum ad Calvum.

Tuli moleſte, quòd literæ delatæ ſunt mihi à te redditæ.

Præſentit animus, atque augurat quodam modo, quæ futura ſit ſuavitas.

Ex libro primo epiſtolarum ad Marcum filium.

Quare effice, (20) *& elabora, ut excelleas.* (i)

(20) Libros epiſtolarum ad M. filium tum maxime ſcriptos eſſe arbitror, cum Athenis Cratippo philoſopho operam dedit, & poſt cum Bruti contubernalis in Macedonia fuit. Hujus enim & Brutus, & Cicero in epiſtolis ultro, citroque miſſis meminerunt. Plenæ autem certe fuerunt cohortationis ad virtutem, & ad Bruti ipſius imitationem; in his etiam epiſtolis patrem Latinam emendaſſe filii orationem conſtat; ſiquidem ita ſcribit Quinctilian. lib. I. cap. III. M. Tullius, ut ex epiſtolis apparet, in filio recte loquendi uſque-

(i) Priſcianus lib. 8.

quequaque aſper quoque exactor fuit; & Servius in VIII. Æneid. Cicero, inquit, per epiſtolam culpat filium, dicens, male eum dixiſſe, Direxi literas duas, cum literæ, quoties epiſtolam ſignificent, numeri tantum pluralis ſint.

Ex libro ſecundo epiſtolarum ad M. filium.

Cui ego, quibuſcunque rebus potero, libentiſſime commodabo. (k)

Ex incerto libro ad filium.

Ceteris delitus. (l)

Ex epiſtolarum ad Q. Auxium libro primo.

Ad M. Bibulum (21) *adierunt.* (m)
Si tu nos aliquid adjutare potes.
Cæſar in conſulatu confirmavit regnum, de quo ædilis cogitarat. (n)

(21) Verba ſunt ex epiſtolis ad Auxium, citata à Frontone, ut quæ ſequuntur, à Svetonio, quanquam mendoſe vulgo legatur, ad Atticum. Q. autem Auxium Ciceronis fuiſſe familiarem notat Gellius lib. VII. cap. III.

Ex epiſtola ad Cerelliam.

Hæc aut animo Catonis ferenda ſunt, aut ſtomacho Ciceronis. (o)

Ex libro epiſtolarum ad M. Brutum.

Cicero Bruto S.

Cum hæc ſcribebam, (22) *res exiſtimabatur in extremum adducta diſcrimen: triſtes enim de Bruto noſtro litteræ, nuntiique afferebantur;* (23) *me quidem non maxime conturbabant; his enim exercitibus ducibuſque, quos habemus, nullo modo poteram diffidere. Neque aſſentiebar majori parti hominum: fidem enim conſulum non condemnabam,* (24) *quæ ſuſpecta vehementer erat; deſiderabam non nullis in rebus prudentiam, & celeritatem: qua ſi eſſent uſi, jam pridem rem recuperaſſemus; non enim ignoras, quanta momenta ſint in republica temporum; & quid interſit, idem illud utrum ante, an poſt decernatur, ſuſcipiatur, agatur. Omnia, quæ ſevere decreta ſunt hoc tumultu, ſi, aut quo die dixi ſententiam, perfecta eſſent, & non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore ſuſcepta ſunt ut agerentur, non tardata, & procraſtinata; bellum jam nullum haberemus. Omnia Brute præſtiti reipublicæ, quæ præſtare debuit is, qui eſſet eo, quo ego ſum, gradu Senatus populique judicio collocatus: nec illa modo, quæ nimirum ſola ab homine ſunt poſtulanda, fidem, vigilantiam, patriæ caritatem: ea ſunt enim, quæ, nemo eſt, qui non præſtare debeat; ego autem ei, qui ſententiam dicat in principibus de republica, puto etiam prudentiam eſſe præſtandam. Nec me, cum mihi tantum ſumpſerim ut gubernacula reipublicæ prenderem, minus putarim reprehendendum, ſi inutiliter aliquid Senatui ſuaſerim, quàm ſi infideliter. Acta quæ ſint, quæque agantur, ſcio perſcribi ad te diligenter. Ex me autem illud eſt quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in aciem eſſe, neque reſpectum ullum quærere, niſi me utilitas civitatis forte converterit: majores autem partes animi te, Caſſiumque reſpiciunt. Quamobrem ita te para, Brute, ut intelligas, aut, ſi hoc tempore bene res geſta ſit, tibi meliorem rempublicam eſſe faciendam, aut, ſi quid offenſum ſit, per te eſſe eandem recuperandam.*

(22) Placuit etiam hoc loco quatuor epiſtolas Ciceronis ad M. Brutum, & unam Bruti ad Ciceronem intexere, quæ à Germanis in manuſcripto libro inventæ feruntur: quoniam & à multis, ut falſæ, rejiciuntur, nec in omnibus epiſtolarum impreſſis voluminibus reperiuntur, & in quibus ſunt, in iis confuſæ admodum, ac ſine ullo fere honore leguntur. Sunt autem ſcriptæ poſt celebrem illam ad Brutum, cujus initium eſt: Sex. Clodius; quam ſcriptam eſſe M. Antonio conſule liquet; ſiquidem hæ Hirtio, & Panſa coſs. aliquot poſt illam menſium intervallo datæ ſunt. Eſſe autem has reliquis vulgatis ad Brutum epiſtolis præponendas, ſed tamen cum iis connectendas, & rerum, & temporum ipſorum ratio indicat. Quæ omnia ego paucis notatis locis oſtendam.

(23) De D. Bruto Mutinæ ab Antonio obſeſſo loquitur. Sic enim etiam ad C. Caſſium ſcribit: Cum hæc ſcribebam, res erat in extremum adducta diſcrimen. Brutus enim Mutinæ vix jam ſuſtinebat.

(24) Sic in tertia ad eundem, ex iis, quæ vulgatæ ſunt: Conſules duos bonos quidem, ſed duntaxat bonos, amiſimus. In conſulibus enim his animum, & voluntatem defendendæ reipub. laudat, inertiam, atque imprudentiam arguit.

Cicero Bruto S.

Planci animum (25) *in rempublicam egregium, legiones, auxilia, copias ex litteris ejus, quarum exemplum tibi miſſum arbitror, perſpicere potuiſti. Lepidi tui neceſſarii (qui ſecundum fratrem affines habet, quos oderit, proximos) levitatem, & inconſtantiam, animumque ſemper inimicum reipublicæ jam credo tibi ex tuorum litteris eſſe perſpectum. Nos expectatio ſolicitat, quæ eſt omnis jam in extre-*

(k) Nonius.
(l) Diomedes lib. I. (m) Fronto.
(n) Svetonius in Cæſare.
(o) Quinctil. lib. 6.

tremum adducta diſcrimen; eſt enim ſpes omnis in Bruto expediendo, de quo vehementer timebamus. Ego hic cum homine furioſo ſatis habeo negotii Servilio: (26) quem tuli diutius, quàm dignitas mea patiebatur; ſed tuli reipublicæ cauſſa, ne darem perditis civibus hominem parum ſanum illum quidem, ſed tamen nobilem, quò concurrerent: quod faciunt nihilominus: ſed eum alienandum à republica non putabam; finem feci ejus ferendi; cœperat enim eſſe tanta inſolentia, ut neminem liberum duceret. In Planci vero cauſſa exarſit incredibili dolore, mecumque per biduum ita contendit, & à me ita fractus eſt, ut eum in perpetuum modeſtiorem ſperem fore. Atque in hac contentione ipſa, cum maxime res ageretur ad v. Id. April. litteræ mihi in Senatu redditæ ſunt à Lentulo noſtro, (27) de Caſſio, de legionibus, de Syria: quas ſtatim cum recitaviſſem, cecidit Servilius, complures præterea; ſunt enim inſignes aliquot, qui improbiſſime ſentiunt; ſed acerbiſſime tulit Servilius, aſſenſum eſſe mihi de Planco. (28) Magnum illud monſtrum in republica eſt, ſed quo *

(25) Hæc epiſtola manca eſt, ab extrema parte, ut jam quiſque per ſe intelligere poteſt: ante vero confuſa erat cum parte epiſtolæ Bruti, quo nihil fœdius, ita: Magnum illud monſtrum in repub. eſt. Sed quo nos amiſiſſe, quem ſic vexari à Dolabella audio. In hac autem etiam epiſtola repetit eandem de D. Bruto ſententiam: Nos expectatio ſolicitat, quæ eſt omnis jam in extremum adducta diſcrimen; eſt enim ſpes omnis in Bruto expediendo, de quo vehementer timebamus.

(26) Vide infra.

(27) Eandem rem ſcribit etiam ad Plancum epiſtola data III. Id. April. hoc modo: VII. Id. April. acceptis Planci literis in Senatum ſe veniſſe, eo die propter religionem oblatam nihil actum; inſequenti die magna fuit, inquit, pro tua dignitate contentio cum Servilio, qui cum gratia effeciſſet, ut ſua ſententia prima pronuntiaretur, frequens eum Senatus reliquit, & in alia omnia diſceſſit; meæque ſententiæ, quæ ſecunda pronuntiata erat, cum frequens aſſentiretur Senatus, rogatu Servilii P. Titius interceſſit; res in poſterum dilata; venit paratus Servilius Jovi ipſi iniquus, cujus in templo res agebatur; hunc quemadmodum fregerim, quanta contentione Titium interceſſorem abjecerim, ex aliorum te litteris malo cognoſcere.

(28) Ad Plancum eodem loco ita: Senatus gravior, conſtantior, amicior tuis laudibus eſſe non potuit, quàm tum fuit.

Brutus Ciceroni S.

Literas tuas valde expecto, (29) quas ſcripſiſti poſt nuntios noſtrarum rerum, & de morte Trebonii; non enim dubito, quin mihi conſilium tuum explices. Indigno ſcelere & civem optimum amiſimus, & provinciæ poſſeſſione pulſi ſumus, quam recuperari facile eſt; neque minus turpe aut flagitioſum erit, poſt recuperari. Antonius adhuc eſt nobiſcum: ſed medius fidius & moveor hominis precibus, & timeo, ne illum aliquorum furor excipiat; plane æſtuo. Quòd ſi ſcirem, quid tibi placeret, ſine ſolicitudine eſſem; id enim optimum eſſe, perſuaſum eſſet mihi. Quare quamprimum fac me certiorem, quid tibi placeat. Caſſius noſter Syriam, legiones Syriacas habet, ultro quidem à Murco, & à Marcio, & ab exercitu ipſo accerſitus. Ego ſcripſi ad Tertiam ſororem, & ad matrem, ne prius ederent hoc, quod optime ac feliciſſime geſſit Caſſius, quàm tuum conſilium cognoviſſent, tibique viſum eſſet. Legi orationes duas tuas, quarum altera Kalendis Jan. uſus es, altera de litteris meis, quæ habita eſt abs te contra Calenum. Nunc ſcilicet hos expectas dum eas laudem. Neſcio, animi, an ingenii tui major in his libellis laus contineatur. Jam concedo, ut vel Philippici vocentur, quod tu quadam epiſtola jocans ſcripſiſti. Duabus rebus egemus, Cicero, pecunia, & ſupplemento: quarum altera poteſt abs te expediri, ut aliqua pars militum iſtinc mittatur nobis, vel ſecreto conſilio adverſus Panſam, vel actione in Senatu; altera, quæ magis, quàm reliquorum. * Hoc magis doleo, (30) *Aſiam nos amiſiſſe: quam ſic vexari à Dolabella audio, ut jam non videatur crudeliſſimum ejus facinus interfectio Trebonii. Vetus Antiſtius me tamen pecunia ſublevavit. Cicero filius tuus ſic mihi ſe probat induſtria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorſus nunquam dimittere videatur cogitationem, cujus ſit filius. Quare, quoniam efficere non poſſum, ut pluris facias eum, qui tibi eſt cariſſimus, illud tribue judicio meo, ut tibi perſuadeas non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiſcatur honores paternos. Kal. April. Dyrrhachio.*

(29) Data eſt epiſtola K. April. Dyrrachio; ſi ita, ut ego conjunxi, legas; nam pars ultima hujus epiſtolæ agglutinata erat; in vulgato autem libro legitur, Caracchio, mendoſe pro Dyrrhacchio.

(30) Hoc in loco labes eſt; nam prima verba ſunt Bruti, altera Ciceronis. Brutinis vero verbis agglutinari debent ea, quæ ſupra ex Ciceroniana epiſtola dempſimus, ita: Hoc magis doleo, Aſiam nos amiſiſſe, quam ſic vexari à Dolabella audio.

Cicero Bruto S.

DAtis mane ad III. *Id. April.* (31) *Scaptio litteris, eodem die tuas accepi Kal. April. Dyrrhachio datas veſperi; itaque mane Prid. Id. April. cum à Scaptio certior factus eſſem, non eſſe eos profectos, quibus Pridie dederam, & ſtatim ire, hoc paullulum exaravi ipſa in turba matutinæ ſalutationis. De Caſſio lætor, & reipublicæ gratulor; mihi etiam, qui, repugnante & iraſcente Panſa, ſententiam dixerim,* B *ut Dolabellam bello Caſſius perſequeretur; & quidem audacter dicebam, ſine noſtro S. C. jam illud eum bellum gerere. De te etiam dixi tum, quæ dicenda putavi. Hæc ad te oratio perferetur, quoniam te video delectari Philippicis noſtris. Quòd me de Antonio conſulis; quoad Bruti exitum cognoverimus, cuſtodiendum puto. Ex his litteris, quas mihi miſiſti, Dolabella Aſiam vexare videtur, & in ea ſe gerere teterrime. Compluribus autem ſcripſiſti, Dolabellam à Rhodiis eſſe excluſum: qui ſi ad* C *Rhodum acceſſit, videtur mihi Aſiam reliquiſſe; id ſi ita eſt, iſtic tibi cenſeo commorandum: ſin eam ſemel cepit; mihi crede, non erit, at in Aſiam cenſeo perſequendum.* (32) *Nihil mihi videris hoc tempore melius acturus. Quòd egere te duabus neceſſariis rebus ſcribis,* (33) *ſupplemento, & pecunia: difficile conſilium eſt: non enim mihi occurrunt facultates, quibus uti te poſſe videam, præter illas, quas Senatus decrevit, ut pecunias à civitatibus mutuas ſumeres. De ſupplemento autem non video quid fieri poſſit; tantum enim abeſt, ut* D *Panſa de exercitu ſuo, aut delectu tibi aliquid tribuat, ut etiam moleſte ferat tam multos ad te ire voluntarios; quo modo equidem credo, quòd his rebus, quæ in Italia decernuntur, nullas copias nimis magnas eſſe arbitretur; quo modo autem multi ſuſpicantur; ne te quidem nimis firmum eſſe velit: quod ego non ſuſpicor. Quòd ſcribis te ad Tertiam ſororem ſcripſiſſe, ut ne prius ederent ea, quæ geſta à Caſſio eſſent, quàm mihi viſum eſſet: video te veritum eſſe id quod verendum fuit, ne animi partium Cæ*E*ſaris, quo modo etiam nunc partes appellantur, vehementer commoverentur; ſed ante quàm tuas litteras accepimus, audita res erat, & pervulgata; tui etiam tabellarii ad multos familiares tuos litteras attulerant. Quare neque ſupprimenda res erat, præſertim cum id fieri non poſſet, neque, ſi poſſet, non divulgandum potius, quàm occultandum putaremus. De Cicerone meo, &, ſi tantum eſt in eo, quantum ſcribis, tantum ſcilicet, quantum debeo,* A *gaudeo, &, ſi, quòd amas eum, eo majorà facis; id ipſum incredibiliter gaudeo, à te eum diligi.*

(31) Hæc epiſtola data eſt Id. Apr. Quare quod ſcriptum eſt: datis mane ad VI. Id. legendum eſt ad III. quod ex epiſtola ipſa aperte patet. Ad omnes ſuperiores Bruti epiſtolæ partes diligentiſſime reſpondet; præterea ſe, repugnante Panſa, ſententiam dixiſſe ait, ut Dolabellam Caſſius bello perſequeretur, quam dixit in XI. Philipp. Ad ea verba Bruti luxata: Hoc magis doleo, Aſiam ſic vexari à Dolabella, ita reſcribit: Ex iis litteris, quas mihi miſiſti, Dolabella Aſiam vexare videtur.

(32) Hoc etiam loco deeſt aliquid; quod autem deeſt, ex epiſtolæ Brutinæ fine petendum eſt, itaque ad hæc addendum: At in Aſiam cenſeo perſequendum. Nihil mihi videris hoc tempore melius acturus. Hujus autem etiam conſilii meminit in quinta epiſtola; cum ait: Atque hoc mihi jam ante placuiſſe potes ex ſuperioribus meis litteris recordari.

(33) In vulgatis præfixa eſt his verbis ſalutatio: Cicero Bruto S. quaſi vero hoc novæ epiſtolæ principium ſit, quam ego ſuſtuli; non enim nova eſt epiſtola, ſed pars extrema ſuperioris reſponſionis; reſcribit enim ad id, quod de pecunia, & ſupplemento petierat, & ad reliquas ejus epiſtolæ partes, ut de Tertia, & de filio ſuo.

Cicero Bruto S.

QUæ litteræ tuo nomine recitatæ ſunt (34) *Id. April. in Senatu, eodemque tempore Antonii, credo ad te ſcripſiſſe tuos, quorum ego nemini concedo; ſed nihil neceſſe erat eadem omnes; illud neceſſe, me ad te ſcribere, quid ſentirem de tota conſtitutione hujus belli, & quo judicio eſſem, quaque ſententia. Voluntas mea Brute de ſumma republica ſemper eadem fuit, quæ tua; ratio quibuſdam in rebus, non omnibus, paulo fortaſſe vehementior. Scis mihi ſemper placuiſſe, non rege ſolum, ſed regno liberari rempublicam, tu lenius, immortali omnino cum tua laude: ſed, quid melius fuerit, magno dolore ſenſimus, magno periculo ſentimus. Recenti illo tempore, tu omnia ad pacem, quæ oratione confici non poterant: ego omnia ad libertatem, quæ ſine pace nulla eſt: pacem ipſam bello, atque armis effici poſſe arbitrabar. Studia non deerant arma poſcentium, quorum repreſſimus impetum, ardoremque reſtinximus. Itaque res in eum locum venerat, ut, niſi Cæſari Octaviano Deus quidam illam mentem dediſſet, in poteſtatem perditiſſimi hominis, & turpiſſimi M. Antonii veniendum fuerit; quo cum, vides, hoc tempore ipſo quod ſit, quantumque certamen; id profecto nullum eſſet, niſi tum conſervatus eſſet Antonius. Sed hæc omitto; res enim à te geſta memorabilis, & pœne cæleſtis repel-*

A *repellit omnes reprehenſiones; quippe, quæ ne laude quidem ſatis idonea affici poſſit. Extitiſti nuper vultu ſevero; exercitum, copias, legiones idoneas per te brevi tempore comparaſti. Dii immortales, qui ille nuntius, quæ illæ litteræ, quæ lætitia Senatus, quæ alacritas civitatis erat? nihil unquam vidi tam omnium conſenſione laudatum. Erat expectatio reliquiarum Antonii, quem equitatu, legionibuſque magna ex parte ſpoliaras; ea quoque habuit exitum optabilem. Nam tuæ litteræ, quæ recitatæ in Senatu ſunt, & imperatoris, &* B *militum virtutem, & induſtriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod ſi tuis placuiſset de his litteris referri, & niſi in tempus turbulentiſſimum poſt diſceſſum Panſæ conſulis incidiſsent: honos quoque juſtus & debitus diis immortalibus decretus eſset. Ecce tibi Id. April. advolat mane celer Pilus, qui vir, dii boni, quàm gravis, quàm conſtans, quàm bonarum in republica partium? Hic epiſtolas affert duas, unam tuo nomine, alteram Antonii; dat Servilio tribuno plebis, ille Cornuto: re-*C *citantur in Senatu. Antonius pro cos. magna admiratio, ut ſi eſset recitatum, Dolabella Imperator, à quo quidem venerant tabellarii; ſed nemo Pili ſimilis, qui proferre litteras auderet, aut magiſtratibus reddere. Tuæ recitantur, breves illæ quidem, ſed in Antonium admodum lenes; vehementer admiratus Senatus; mihi autem non erat explicatum, quid agerem; falſas dicerem? quid, ſi tu eas approbaſses? confirmarem? non erat dignitatis tuæ; itaque ille dies ſilentio. Poſtridie autem cum ſermo increbuiſset, Piluſque oculos vehemen-*D *tius hominum offendiſset, natum omnino eſt principium à me; de procoſ. Antonio multa. Sextius cauſsæ non defuit poſt me, cum, quanto ſuum filium, quanto meum in periculo futurum, diceret, ſi contra procoſ. arma tuliſsent. Noſti hominem: cauſsæ non defuit. Dixerunt etiam alii. Labeo vero noſter, nec ſignum tuum in epiſtola, nec diem appoſitum, nec te ſcripſiſse ad tuos, ut ſoleres. Hoc cogere volebat, falſas litteras eſse, &, ſi quæris, probabat. Nunc tuum eſt conſilium Brute de toto genere bel-*E *li; video te lenitate delectari, & eum putare fructum eſse maximum; præclare quidem, ſed aliis rebus, aliis temporibus locus eſse dolet, deberque clementiæ; nunc quid agitur Brute? templis deorum immortalium imminet hominum egentium & perditorum ſpes, nec quidquam aliud decernitur hoc bello, niſi utrum ſimus, necne; cui parcimus? aut quid agimus? his ergo conſulimus, quibus victoribus veſtigium noſtrum nullum relinquetur. Nam quid intereſt inter Dolabellam, & quemvis Antoniorum trium?* (35) *quorum ſi cui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Hæc ut ita ſentiret Senatus, populuſque Romanus, etſi res ipſa cogebat, tamen maxima ex parte noſtro conſilio, atque auctoritate perfectum eſt. Tu ſi hanc rationem non probas, tuam ſententiam defendam, non relinquam meam; neque diſſolutum à te quidquam homines expectant, nec crudele; hujus rei moderatio facilis eſt, ut in duces vehemens ſis, in milites liberalis. Ciceronem meum mi Brute velim quamplurimum tecum habeas; virtutis diſciplinam meliorem reperiet nullam, quàm contemplationem, atque imitationem tui. XVI. Kal. Maj.*

(34) De litteris ipſius Bruti, & C. Antonii in Senatu Id. Apr. & poſtridie recitatis nunciat, clementiam ejus in C. Antonium captivum incuſat, quod etiam in iis facit, quæ pro certo Tullianæ habentur. Quod autem ſcriptum eſt in extremo: Data XIII. K. Maji, eum numerum depravatum eſſe opinor; movet autem me ſequens proxima epiſtola, quæ XIII. K. Maji eſt data. Vereor autem, ut corrigendum ſit, XVI. facili lapſu numerorum ex XVI. in XIII. videtur enim veriſimile, cum XVIII. K Maji actum ſit de litteris, Ciceronem biduo poſt rem tantam ad Brutum ſcripſiſſe, non autem in quintum poſt diem retuliſſe.

(35) In eandem ſententiam ſcripſit in aliis epiſtolis ad eundem: Ego ſic ſentio, trium fratrum unam, & eandem eſſe cauſſam. Huic porro epiſtolæ annectendam illam eſſe puto, cujus initium eſt: Scripta, & obſignata jam epiſtola; quæ XIV. K. Maji data eſt; apparet autem eam huic conſequentem eſſe, quod in ea nihil de re geſta ad Mutinam cum M. Antonio agit, in hac agit; res autem geſta eſt, ut ſcribit Galba ad Ciceronem, XVII. K. Maji. Ex quo intelligere poſſumus, XVI K. Maji victoriam illam Romæ nondum eſſe nunciatam. Nunciatam autem opinor XV. K. Unde ſcriptum eſt in epiſtola ad Brutum, cujus principium eſt: Noſtræ res meliori loco: Civitas recreata ad XV. K. Maji te huc venire, quam ſe ad te ire malebat; ſic enim potius legendum, quam ut vulgo legitur XII. alioquin tantæ victoriæ nuncius non niſi poſt ſextum diem Mutina Romam eſſet perlatus, cum tamen Cicero de fuga Antonii ſcripſerit Roma XIV. K.

Ex libro ſeptimo epiſtolarum ad Brutum.

His contraria, atque parata, ut eſſe ſolent, expertus ſum.

Ex libro octavo epiſtolarum ad Brutum.

Et quòd te tantum amat, (36) *ut vel me audeat provocare.* (p)

Filii

(p) Nonius.

(36) Filii amorem erga Brutum affirmat; A
Is autem jam cum patre erat, Bruto relicto. quod ex epiſtolis aliis apertius intelligitur.

Ex libro epiſtolarum ad Brutum incerto.

Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quo contentus ſum, diliges.

Veritus fortaſſe, (37) ne nos in Catonem noſtrum transferamus illinc mali quid; etſi argumentum ſimile non erat. (q)

(37) Loquitur de Cæſare, & de laude B
Catonis Uticenſis, quam ſcripſit, Cæſare id inique ferente.

Nam eloquentiam, (38) quæ admirationem non habet, nullam judico.

(38) Quinctilianus, ubi loquitur de ornatu, hunc locum adducit, his verbis: Recteque Cicero his ipſis ad Brutum verbis quadam in epiſtola ſcribit: Nam eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam judico.

Et eum amorem, (39) & eum, ut hoc verbo utar, favorem in conſilium advocabo. C

(39) Hoc exemplo, eodem in loco, docet Quinctilianus favoris vocabulum primum à Cicerone eſſe uſurpatum.

Ego cum in gratiam redierim cum Ap. Claudio, (40) & redierim per Cn. Pompejum; ego ergo cum redierim.

(40) Ap. Claudium Pulchrum, virum conſularem, ac cenſorium intelligit, qui ſibi Clodii fratris cauſſa fuerat infenſus. Cn. autem Pompejus ſocer erat filiæ Appii, ut ſcriptum eſt in epiſtolis ad Appium. Et hoc D
etiam ex Quinctiliano.

Sermo nullus ſcilicet, niſi de te; quid enim potius? Tum Flavius, erras, inquit, tabellarie: & ego ibidem orans inter cœnam exoravi.

Præſtat enim, nemini imperare, quam alicui ſervire.

Incerta.

Cumque nihil tam incorruptum eſſe debeat in republica quàm ſuffragium, quàm ſententia; non intelligi, cur, qui ea pecunia corruperit, pœna dignus ſit; qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mibi quidem hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quàm qui pretio judicem corrumpit, quòd pecunia corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt. E

Neque enim quidquam aliud eſt felicitas, niſi honeſtarum rerum proſperitas, vel, ut alio modo definiam, felicitas eſt fortuna adjutrix conſiliorum bonorum, quibus qui non utitur, felix nullo pacto eſſe poteſt. Ergo in perditis impiiſque conſiliis, quibus Cæſar uſus erat, nulla potuit eſſe felicitas, feliciorque meo judicio Camillus exulans, quàm temporibus iiſdem Manlius, etiam ſi, id quod cupierat, regnare potuiſſet.

Ut remiges ſine gubernatore, ita milites ſine imperatore nihil valent. (r)

Profecto omnis iſtorum diſputatio quanquam uberrimos fontes virtutis, & ſcientiæ contineat, tamen collata cum horum actis, perfectiſque rebus, vereor, ne tantum videatur attuliſſe negotiis hominum, quantum oblectationem otii. (ſ)

Quoniam utraque earum ſententiarum doctiſſimos habuit amatores, nec quid certi ſit, divinari poteſt. (t)

Illius quippe verba ſunt auctoritate digniſſima, qui nullum verbum, non quod revocare vellet, ſed quod revocare deberet, emiſit. (u)

Cæſar cum quoſdam ornare voluit, non illos honeſtavit, ſed ornamenta ipſa turpavit. (x)

Etenim ſi nemo eſt, qui non mori malit, quàm converti in aliquam figuram beſtiæ, quamvis mentem hominis habiturus: quanto eſt miſerius, in hominis figura animo eſſe efferato? mihi quidem tanto videtur, quanto eſt præſtabilior animus corpore? (y)

Nihil eſt, quod ſit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, vel injuria hominum, vel ipſa confectrice omnium vetuſtate. (z)

Hoc miror enim, querorque hominem ita peſſundare verbis alterum velle, ut etiam navem perforet, in qua ipſe naviget. (a)

Gladiatores inviſos habemus, ſi omni modo vitam impetrare cupiunt: favemus, ſi contemptum ejus præſeferunt. (b)

Et quanquam optatiſſimum eſt, perpetim fortunam quamflorentiſſimam permanere: illa tamen æqualitas vitæ non tantum habet ſenſum, quantum cum ex ſævis, & perditis rebus ad meliorem ſtatum fortuna revocatur. (c)

Non ſolum videam, ſed etiam audiam, pleneque ſentiam. (d)

Eſt autem cauſſa difficilis, laudare pue-

(q) Quinctil.
(r) Quinctil. lib. v c. 11.
(ſ) Lact. lib. 3. cap. 16.
(t) Lib. 7. cap. 8.
(u) D. Auguſt. epiſt. 7.
(x) D. Hieron. ſuper obitu Paullinæ;
(y) Lact. lib. 5. cap. 11.
(z) Lib. 7. cap. 11.
(a) Quinctil. lib. 8. cap. 6.
(b) Seneca de tranquillitate vitæ;
(c) Marcellin. lib. 15.
(d) Donat. in Andr.

puerum; non enim res laudanda, ſed ſpes eſt. (e)

Recteque Tullius civiles viros, qui rempublicam gubernent, qui urbes aut novas conſtituant, aut conſtitutas æquitate tueantur, qui ſalutem, libertatemque civium vel bonis legibus, vel ſalubribus conſiliis, vel judiciis gravibus conſervent, philoſophiæ doctoribus præfert. (f)

Eorum quippe opinioni convenienter ait quodam loco Tullius, ſe non putare idem eſſe

A

arietis, & P. Africani bonum. (g)

Comœdiam eſſe Cicero ait imitationem vitæ, ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis. (h)

Cicero in admirandis poſuit, Reatinis tantum paludibus ungulas jumentorum indurari. (i)

Quædam terræ imbribus ſicciores fiunt, veluti in Narnienſi agro, quod admirandis ſuis inſeruit M. Cicero, ſiccitate lutum fieri prodens, imbre pulverem. (k)

(e) Servius in 6. Æneid. Cicero in dialogo.
(f) Lact. lib. 3. cap. 16.
(g) D. Auguſt. de beata vita.

(h) Donat. in vita Terent.
(i) Plin. lib. 31. cap. 2.
(k) Idem ibid. cap. 4.

F I N I S.

M. TULLII
CICERONIS
CONSOLATIO,
VEL DE LUCTU MINUENDO;

CUI NUNC PRÆFIGITUR

ANTONII RICCOBONII
JUDICIUM DE EADEM,

NEC NON

M. GODOFREDI BALTHASSARIS
SCHARFFII

DE VERO AUCTORE CONSOLATIONIS CICERONIANÆ DISSERTATIO.

EDITORIS
MONITUM.

SEquenti opuſculo, quamquam arbitramur Sigonii non eſſe, inter cetera ejuſdem opera locum dedimus; quòd ſi minus eſt Authoris noſtri fœtus, ei tamen adjudicarunt nonnulli (*); atque indè data fuit anſa Sigonio eá de re Orationes lucubrandi, quas poſt ipſam Conſolationem Lector deprehendet. Quum vero noſtri muneris videretur huc tandem congerere, quæ dirimendæ celebri controverſiæ, quæ viros judicio, & eruditione præclaros inter ſe ſe acriter commiſit, conducere poterant; id alienâ quàm noſtrâ operâ, ne actum, quod ajunt, ageremus, præſtare maluimus. Præmiſimus eapropter M. Godofredi Balth. Scharffii Diſſertationem de vero Auctore Conſolationis Ciceronianæ, quæ in Miſcellaneis Lipſienſibus Tomo VI. obſervat. CXXX. pag. 119. jam publica luce donata erat. Ex eá Lector facilè dijudicabit, quo jure quâve injuriá ab eruditis viris aſſertum olim fuerit, Clariſſimum Auctorem noſtrum fictæ gloriolæ neque indigum, neque appetentem, partu ingenii ſui M. Tullio Ciceroni impudenter ſuppoſito, Reipublicæ Literariæ fucum facere voluiſſe.

(*) Videatur Jo: Alberti Fabricii Biblioth. Lat. Tom. I. fol. 148. §. VIII.

DE CONSOLATIONIS LIBRO EDITO SUB CICERONIS NOMINE, ANTONII RICCOBONI JUDICIUM AD HIERONYMUM MERCURIALEM

MEDICUM CLARISSIMUM, ET COMITEM PERILLUSTREM.

PEtiiſti à me, Hieronyme Mercurialis, vir præcellentiſſime, ut de edito Conſolationis libro ſub nomine Ciceronis meam tibi ſententiam aperirem; cumque reſpondiſſem, ſuſpicari me, eum Ciceronis non eſſe, egiſti mecum, ut cauſſas ſcriberem ſuſpicionis meæ, de quibus colloqui cum domi tuæ cœpiſſemus, interpellantibus ægrorum nuntiis, qui ad te, tamquam ad Apollinem concurrunt, ſtatuere nihil potueramus. Quamobrem feci non invitus, ut aliquot meas ea de re conjecturas his literis conſignarem; non ſolum quia tantum tibi debeo, ut omnia, quæ te velle intelligo, omnino mihi præſtanda ſint: verum etiam quia pro ea, quæ in te eſt, ingenii, ac doctrinæ præſtantia eorum omnium, quæ ſcripſero, tu optimus eſſe Judex poteris, & tua, quæ in præclaris literarum ſtudiis maxima eſt, auctoritate decernere, verus ne, an adulterinus habendus ſit hic ipſe de Conſolatione libellus. Quemadmodum enim non deſunt quidam improbi homines, qui quaſi artem quandam factitant ſupponendi falſa teſtamenta pro veris, teſtamentorum ſubjectores, & teſtamentarii nuncupati: Ita nonnulli reperiuntur, qui lucelli ſui cauſſa, ut lectorem inducant hiantem, libris quandoque etiam ineptiſſimis veterum ſcriptorum nomina præponere non verentur, quos ad exemplum teſtamentariorum fortaſſe eleganter librorum ſubjectores poſſumus appellare; ex qua improba ſubjectione libri Anaximenis Lampſaceni de ratione dicendi ad Alexandrum Ariſtotelis nomine ornati ſunt; pro Cornificio ad Herennium Cicero nominatus eſt; duæ inter ſe contrariæ orationes Saluſtio, & Ciceroni tributæ ſunt, alioquin ab ignaro quodam declamatore compoſitæ; alia non pauca recentiorum opera, quæ longum eſſet omnia commemorare, clariſſimis veterum nominibus illuſtrata ſunt, in quibus fortaſſe eſt hæc ſub Ciceronis nomine divulgata Conſolatio. Et, quemadmodum quidam quæ ſunt aliorum, ſibi aſſumunt, & pro ſuis impudenter audent venditare, ac quandoque etiam ſub duobus nominibus eadem vendere non erubeſcunt: ſic alii, quæ ſunt ſua, aliorum ſignant nomine, quo ſint vendibiliora. Id quod fortaſſe evenit huic libro, qui Ciceronis Conſolatio inſcriptus eſt. Ac nemini quidem eſt dubitandum, Ciceronem, cum anno Urbis ſeptingenteſimo octavo poſt victum Pompejum, gerente bellum in Hiſpania Cæſare contra Pompeji liberos, Tullia ejus filia ex partu obiiſſet, jam à P. Cornelio Dolabella dimiſſa, cui poſt Piſonem, & Furium Craſſipedem nupta fuerat, ſemetipſum, ut philoſophum, quantum potuit, conſolatum eſſe eo libro, quem Conſolationem, vel de luctu minuendo inſcripſit, cujus fragmenta collegit vir noſtri ordinis Clariſſimus, Carolus Sigonius: ſed, cum hujuſmodi libro propter injuriam temporum careremus, dici non poteſt, quantum ſuperiori proximo anno à graviſſimis quibuſdam viris mihi gaudii allatum ſit, cum affirmatum eſt, eum Venetias delatum eſſe, ut in lucem, atque aſpectum hominum proferretur, uſque adeo, ut etiam meis in hoc clariſſimo gymnaſio auditoribus ea de re publice ſim gratulatus, maximamque de præclaro opere concitaverim expectationem, ac nihil antiquius habuerim, quàm ut impetratis, quæ procurabantur, privilegiis, ipſum, de quo ſæpe quærebam, divulgaretur, & ad manus meas perveniret. Hac autem, quæ edita eſt, Conſolatione, quàm primum perlecta, ut verum fatear, tanta ſuſpicione commotus ſum, ut non potuerim apud eoſdem auditores meos non profiteri, tantum abeſſe, ut exiſtimem eam Ciceronis eſſe, ut nec Ciceroni quidem congruenter, tum rerum, tum verborum habita ratione fictam arbitrer. Quamobrem non ſolum ut tuæ, vir clariſſime, obtemperem voluntati, verum etiam, ut auditorum meorum, quibus id pollicitus ſum, ſerviam utilitati, conjecturas meas primum de rebus, deinde de verbis declarabo, atque hinc Deo bene juvante aggrediar. Verba Ciceronis ſunt libro quarto Tuſculanarum diſputationum; Ægritudinis ſedatio, & heſterna diſputatione explicata eſt, & in Conſolationis libro, quem in medio (non enim ſapientes eramus) mœrore, & dolore conſcripſimus: quodque vetat Chryſippus ad recentes quaſi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus, naturæque vim attulimus, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet. Hic locus à Sigonio citatus in fragmen-

mentorum explicatione occaſionem dedit auctori Conſolationis hujuſmodi principium faciendi; Quamquam recentibus morbis medicinam adhibere vetant Sapientes. Quod principium ſi feciſſet Cicero, veriſimile eſt, eum in Tuſculana diſputatione fuiſſe id ſignificaturum, ut ſolet, ac ſcripturum in hunc fere modum; Quodque vetat Chryſippus, ut in ejus libri principio ſcripſimus, ad recentes quaſi tumores animi remedium adhibere. Quare, quod eſt illius diſputationis proprium, non videtur fuiſſe Conſolationis libro tribuendum. Accedit, quòd quemadmodum Cic. nonnullam rationem Chryſippææ ſententiæ ſignificavit dicens, ſe naturæ vim attuliſſe, atque innuens ad Chryſippum vetaſſe, quia natura id refugeret; ſic in hoc principio hujuſmodi ſententia cum eſſet contra illud, quod ore omnium contritum, ac pervulgatum eſt: *Principiis obſta, ſero medicina paratur*, videbatur eſſe aliqua probatione munienda juxta illud Ariſtotelis libro ſecundo artis Rhetoricæ: Nam de controverſis, aut de iis, quæ ſunt præter opinionem, non ſine epilogo uti ſententia oportet: ſed aut præponendo epilogum loco concluſionis, ut ſi quis diceret; Ego quidem, quoniam neque invidiæ ſubjici, neque ignavum eſſe oportet, nego eruditioni operam dandam eſſe: aut dicendo prius hoc priora ſubjicere. De iis autem, quæ præter opinionem non ſunt, ſed obſcuras adjiciendo quam ob rem, concinne. Idem tradit, cum aliqua probatione ſententias dici etiam contra ea, quæ in ore multitudinis ſunt poſita, ut Non oportere, ut ajunt, amare tamquam oſurum, ſed tamquam ſemper amaturum: inſidiatoris enim alterum eſt; & Non placet mihi, quod dicitur, Ne quid nimis: oportet enim malos nimio odio habere. Melius igitur fecit Plinius, qui in epiſtolis ſententiam ſuam ſimilitudine declaravit in hunc modum; Ut crudum vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit: ſic recens animi dolor conſolationes rejicit, ac refugit; mox deſiderat, & vehementer admotis acquieſcit. Melius Ovidius, qui in ſententia ſua rationem incluſit ſic;

Quis matrem, niſi mentis inops, in funere nati,
Flere vetet: non hoc illa monenda loco eſt.

Jam hujus Conſolationis auctor pro recentibus quaſi tumoribus animi nominavit ſimpliciter recentes morbos, pro remedio medicinam, pro Chryſippo ſapientes, ſatis eleganter: ſed, quod ſcriptum eſt in Tuſculana ſine ulla mentione libri de Conſolatione, in ſuum videtur librum transtuliſſe; quemadmodum etiam accepit modum nominandi librum Crantoris ex Ciceronis Lucullo. Cum enim vidiſſet hæc ipſius Ciceronis verba; Legimus omnes Crantoris veteris Academici de luctu: eſt enim non magnus, verum aureolus, & ut Panætius Tuberoni præcipit, ad verbum ediſcendus libellus; cumque illud inſeruiſſet fragmentum, quod Sigonius omiſit, Patritius poſt Sigonium fragmentorum inveſtigator, & explicator, ex Plinii præfatione collegit, id eſt, Crantorem ſequor, addidit in hunc modum, Cujus legi brevem illum quidem, ſed vere aureum, & ut Panætio placuit, ad verbum ediſcendum de luctu librum. Præterea non nihil adjecit in inſerendo altero fragmento, quod Lactantius bis citat libri tertii capite decimo octavo; primum ſic: Quæ ignorantia efficit, ut quoſdam dicere non puderet, idcirco nos eſſe natos, ut ſcelerum pœnas lueremus; deinde ſic: Quid Ciceroni faciemus, qui cum in principio Conſolationis ſuæ dixiſſet, luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, iteravit id ipſum poſtea, quaſi objurgans eum, qui vitam non eſſe malis plenam putet. Hic vero novus auctor agens de Crantore ſic inquit: Humanæ vitæ incommoda ita diligenter, & accurate expreſſit, ut quaſi luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, & in hanc lucem ingredi poſſis agnoſcere. Addidit ergo vocem Quaſi, quam non videtur Lactantius fuiſſe omiſſurus, ſi in verbis Ciceronis fuiſſet; quamque ipſe creditur à Sigonio accepiſſe ſic ſcribente: Miſerias hominum mihi videtur deploraſſe, qui quaſi luendorum ſcelerum cauſſa in hanc vitam prodierint; atque addidit illud, Et in hanc lucem ingredi, tamquam gloſſema illius vocis Naſci.

Cum vero ageret de conditionibus ætatum, mire ſenectutem vituperavit; quod ſi feciſſet Cicero, de ea re in libro de ſenectute, quem paullo poſt ſcripſit, ſe excuſaſſet, ubi ipſam ſenectutem magnis laudibus extulit, & à quatuor illis accuſationibus defendit; quod avocet à rebus gerendis: quod corpus faciat infirmum: quod privet omnibus fere voluptatibus, quod haud procul abſit à morte. Solet enim Cicero diligenter cavere, ne ſibi ipſe quodammodo adverſari videatur. Itaque in libro de amicitia, cum Scipionem Africanum in eo felicem celebraret, quod ſenectutis moleſtiam minime expertus eſſet (mortuus enim eſt, cum ejus ætas ſeptenos octies ſolis anfractus, reditusque convertiſſet; ideſt ſex, & quinquaginta annos confeciſſet) de ipſa ſenectute moderate egit in hunc modum: Senectus, quamvis non ſit gravis, ut memini Catonem uno anno antequam mortuus eſt, mecum, & cum Scipione diſſerere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam nunc erat Scipio. Jam apparet, quanta cautione Cicero progrediatur; quam ſine dubio non adhibuiſſet, ſi quam ſenectutem maximopere vituperaſſet, paullo poſt ſine ulla excuſatione laudaſſet. Obſervari autem poteſt, Ciceronem fere ſemper in poſterioribus libris cum quædam repeteret, quæ in prioribus commemoraſſet, id aliquo modo ſignificare ſolitum eſſe, ut præter alios multos libros, quos à ſe conſcriptos variis de rebus ipſe citavit, etiam in prima Tuſculana teſtatus eſt ſe egiſſe de animorum natura in Conſolatione; & ſe vitam hominum deploraſſe in eo libro, in quo ſeipſum, quantum potuit, conſolatus eſt: & in tertia Tuſculana ſe in conſolatione collegiſſe Maximum, Paullum, Catonem, alios: & ferè ſe omnia genera conſolandi in conſolationem unam conjeciſſe. Quod cum de multis, quæ ſunt in hoc libro, in prima Tuſculana poſtea ſcripta, ubi eadem leguntur, factum non ſit: videtur fieri poſſe conjecturam, potius illa ex Tuſculana in hanc novam conſolationem, quam ex veteri conſolatione in Tuſculanam translata eſſe.

Sed ſi id aliquem non movet, quod potuerit Cicero de eadem re in duobus, vel pluri-

bus

bus libris agere, etiam ſine ulla mentione repetitionis, at ſaltem movere debebit locorum cum parva mutatione, & magna plerumque depravatione multitudo; quorum multa libet conferre, ut ingenii in efficiendo Cicerone ſe exercentis magis appareat imitatio.

In Tuſculana ſic legitur: Sacerdos advecta in fanum precata à dea dicitur, ut filiis præmium daret, quod maximum homini dari poſſet à Deo: poſt mane inventos eſſe mortuos. In Conſolatione ſic: Argia Sacerdos, quod optimum filiis eſſet, à dea precata, eos reperit mortuos.

In Tuſc. Trophonius, & Agamedes, cum Apollini Delphis templum exædificaſſent, petierunt, quod eſſet optimum homini: poſt ejus diei diem tertium mortui ſunt reperti; judicaviſſe Deum dicunt, & eum quidem Deum, cui reliqui dii conceſſiſſent, ut præter ceteros divinaret, mortem eſſe optimam homini. In Conſ. Credamus ſane Apollini Delphico, qui exoratus à Trophonio, & Agamede, à quibus templum magnifice Apollini exædificatum Delphis erat, ut, quod eſſet optimum homini, tribueret, poſt diem tertium exanimes ſunt inventi; quo munere judicavit Deus, & Deus is, cui divinitatis partes à reliquis diis ſunt relictæ, mortem homini omnium rerum eſſe optimam. Ubi obiter illud notari poteſt, Apollini exædificatum, pro ipſi exædificatum.

In Tuſc. Fertur etiam de Sileno fabella quædam; qui cum à Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur; docuiſſe regem, Non naſci hominem longe optimum eſſe; proximum autem quam primum mori. In Conſ. Ex quo intelligi licet, non naſci longe optimum eſſe, nec in hos ſcopulos incidere vitæ: proximum autem, ſi natus ſis, quam primum mori, & tamquam ex incendio effugere fortunæ. Sileni, quæ fertur fabula, ſi gravioribus ludicra interdum admiſcere liceat, idem certe confirmat, qui captus à Mida miſſionem doctrina redemit; docuit autem regem, nunquam naſci optimum eſſe, ſed celeritatem mortis proxime accedere. Lactantii verba ſunt, libri tertii capite decimo nono; Hinc nata eſt inepta illa ſententia, hanc eſſe mortem, quam nos vitam putamus, illam vitam, quam nos pro morte timeamus. Ita primum bonum eſſe, non naſci: ſecundum citius mori; quæ ut majoris ſit auctoritatis, Sileno attribuitur. Cicero in Conſolatione; Non naſci, inquit, longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere vitæ; proximum autem, ſi natus ſis, quamprimum mori, tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ. Sigonius addidit dictionem, Et, ut legendum ſit, Et tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ. Patritius ex vetuſtis libris Lactantii delevit vocem, violentiam, corrigens ſic: Et tamquam ex incendio effugere fortunæ. Ut correxit Patritius, eodem modo legitur in hoc libro; cumque ex Lactantio apud Ciceronem in Conſolatione legeretur, Non naſci longe optimum: in Tuſculana vero, Non naſci hominem longe optimum eſſe; in hac nova Conſolatione vox, eſſe, quæ in veteri non erat, ex Tuſculana tralata eſt.

In Tuſc. *Qua eſt ſententia in Creſophonte uſus Euripides;*
Non nos decebat, cœtus celebrantes domum,
Lugere, ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala:
At qui labores morte finiſſet graves,
Omnes amicos laude, & lætitia exequi.

In Conſ. Idemque Euripidis teſtimonio Poetæ ſapientiſſimi comprobatur. Vitata eſt recitatio verſuum, ut imitatio magis occultaretur.

In Tuſc. Simile quiddam eſt in Conſolatione Crantoris: ait enim Terinæum quendam Eliſium, cum graviter filii mortem mœreret, veniſſe in Pſychomantium, quærentem, quæ fuiſſet tantæ calamitatis cauſſa: huic in tabellis tres hujuſmodi verſiculos datos:

Ignaris homines in vita mentibus errant.
Euthymus potitur fatorum munere læto.
Sic fuit utilius finiri, ipſique, tibique.

In Conſ. Sed Crantor noſter patri filii mortem ægerrime ferenti reſponſum ait datum eſſe in Pſychomantio, filio ſuo bene, beateque eſſe, utiliuſque futurum fuiſſe, ſi etiam pater pari ratione fatis conceſſiſſet. Ubi obiter noto illud, Filio ſuo, pro filio ejus; quod quam latine, facile eſt judicare. Si enim legatur filio ſuo, id videtur referendum ad Crantorem, ut filius Crantoris intelligatur non ejus, de quo loquebatur Crantor. Sed in hujuſmodi libro alia ſunt fortaſſe minus latina, de quibus inferius.

In Tuſc. Cato autem ſic abiit è vita, ut cauſſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet. In Conſ. Itaque Cato ſic è vita diſceſſit, ut lætaretur, cauſſam ſe nactum eſſe moriendi. In Tuſc. Theramenes cum conjectus in carcerem triginta juſſu tyrannorum venenum ut ſitiens obbibiſſet, reliquum ſic è poculo ejecit, ut id reſonaret, quo ſonitu reddito, ridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. In Conſ. Theramenes veneno epoto, maxima æquitate animi, ludens in morte, quod erat in poculo reliquum, Critiæ propinavit. In Tuſc. Priamus ſi vivis filiis, incolumi regno, occidiſſet,

Aſtante ope barbarica
Tectis cælatis, laqueatis,

Utrum tandem à bonis, an à malis diſceſſiſſet? In Conſ. Nec amplius liceat homini, qui è vita diſcedat, ſuis opibus, bonis, divitiis perfrui,

Aſtante ope barbarica,
Tectis cœlatis, laqueatis.

In Tuſc. Metellus ille honoratus quatuor filiis: at quinquaginta Priamus, è quibus decem, & ſeptem juſta uxore nati in utroque eandem habuit fortuna poteſtatem, ſed uſa in altero eſt: Metellum enim multi filii, filiæ, nepotes, neptes in rogum impoſuerunt: Priamum autem tanta progenie orbatum, cum in aram confugiſſet, hoſtilis manus interemit. In Conſ. Metelli ſibi fortunam ſperant omnes: Priami ſobolem, ac regnum exoptant alii; quaſi non, & Metellus tam multos nactus filios, ac nepotes, cum maxime beatus eſſe poſſet, invitus obierit; & Priamum non omni orbatum progenie, ſummoque dolore confectum hoſtilis manus interemerit.

In Tuſc. *Nec tam flebiliter illa canerentur;*
Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari.
Jovis aram ſanguine turpari.
In Conſ. *Hinc illa miſerabiliter decantata;*
Hæc omnia vidi inflammari
Priamo vi vitam auferri.
Jovis aram ſanguine turpari.

Mutata eſt vox Evitari in vocem Auferri.

In Tuſc. Mors quidem ſi timeretur, non L. Brutus arcens eum reditu tyrannum, quem ipſe expulerat, in prœlio concidiſſet: non cum Latinis decertans Pater Decius, cum Etruſcis filius, etiam cum Pyrrho nepos, ſe hoſtium telis objeciſſet: non uno bello pro Patria cadentes Scipiones Hiſpania vidiſſet, Paullum Æmilium Cannæ, Venuſia Marcellum, Latini Albinum, Lucani Gracchum. In Conſ. An non optimam, beatamque mortem judicabat L. Brutus, cum Tyrannum arcens, quem expulerat, vitam pro nihilo ducebat? Item Decii, quo tempore cum Latinis pro patria dimicantes ſeſe hoſtium telis objiciebant? Præterea Scipio, Paullus, Marcellus, Albinus, quos vitam in acie juvandæ Patriæ cauſſa fortiſſime profudiſſe memoriæ proditum legimus? Erat imitator, dum ſcribit Decios cum Latinis, pro Patria dimicantes ſeſe hoſtium telis objeciſſe, cum unus tantum Decius pater pugnans contra Latinos ſe devoverit, filius autem contra Etruſcos, at nepos contra Pyrrhum; quos idem Cicero commemorat libro ſecundo de finibus, ſcribens eorum primum ſe devoviſſe, & equo admiſso in mediam aciem Latinorum irruiſse; alterum patris factum imitatum eſse quarto conſulatu ſuo, cum adverſus Etruſcos pugnavit: tertium illius nepotem, & hujus filium cum Pyrrho bellum gerentem conſulem cecidiſse in prœlio, ſeque è continenti genere tertiam victimam Reipublicæ præbuiſse. Errat præterea, dum unum Scipionem nominat, cum duo à Cicerone ſignificentur, quos idem lib. tertio officiorum appellat fortes viros, & in Catone majore dicit, iter Pœnis vel corporibus ſuis obſtruere voluiſſe. Anno enim ab U. C. quingenteſimo quadrageſimo primo P. & Cn. Scipios, cum adhuc Aſdrubalem, ne in Italiam tenderet, retinuiſſent jam definiendo bello agitantes, à mercenariis Celtiberis deſerti cæſi ſunt, de quibus legi poteſt epitoma Livii vigeſima quincta. De illis autem, quos nominavit Cicero, prætermiſit imitator Gracchum, fortaſſe propter hiſtoriæ ignorationem, ob quam cauſſam poterat etiam omittere Albinum. Nam alia exempla ſunt notiſſima.

In Tuſc. *Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu.*
Faxit: cur? volito vivus per ora virorum.

In Conſ. Nemo me lachrymis decoret, ait Ennius, cur? quia volito vivus per ora virum.

In Tuſc. Ex hoc, & noſtrorum opinione Romulus in Cœlo cum diis agit ævum, ut famæ aſſentiens dixit Ennius. In Conſ. Quod de Romulo urbis noſtræ conditore memoriæ proditum accepimus; quem ſingulare in genus hominum collatum munus tam præclaræ urbis condendæ in deorum numero collocavit. In Tuſc. Et apud Græcos, indeque prolapſus ad nos, & uſque ad oceanum Hercules, tantus, & tam præſens habetur Deus, hinc Liber Semele natus. Eademque famæ celebritate Tyndaridæ fratres, qui non modo adjutores in præliis victoriæ populi Rom. ſed etiam nuntii fuiſſe perhibentur. Quid? Ino Cadmi filia nonne Leucothea nominata à Græcis, Matuta habetur à noſtris? Quid? totum prope cœlum, ne plures perſequar, nonne humano genere completum eſt? Si vero ſcrutari vetera, & ex his ea, quæ ſcriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner; ipſi illi majorum gentium dii qui habentur, hinc à nobis profecti in cœlum reperientur. In Conſ. Quod, & apud Græcos prius contigit, & inde fortaſſe ad noſtros permanavit. Nam & Hercules, & Liber fratres Tyndaridæ, & fœminæ plurimæ, quibus nunc inter deos locus eſſe præcipuus creditur, & hominibus nati, & homines fuerunt. Sed, quod virtute præſtiterunt, & ut ceteris ad recte vivendum, beneque merendum, prælucerunt, laboraverunt, ideo eos hominum fama, beneficiorum memor, in conſeſſu, concilioque cœleſtium collocavit; atque ipſos, quos vocamus majorum gentium deos, alioſque quamplurimos, quos in deorum numerum retulimus, hinc à nobis egreſſos, & in cœlum profectos facillimum erit agnoſcere. Quid? quòd non ſolum ex prima Tuſculana, ſed etiam ex aliis undique locis egregius imitator nonnulla ſumpſit? ut ex tertia Tuſculana, & ex ultima epiſtola libri noni familiarium illud, quamvis paulliſper immutatum; Cicero ille,

Quem adſpectabant, cujus ob os Graji ora obvertebant ſua, & ex primo libro officiorum illud;

illud; Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem, Illaque virgo viri; & ex oratione pro Archia Poëta illud, aliquantulum itidem commutatum; Cum ad eum, veluti ad agrum optimum cultura, ratio etiam acceſſerit, conſormatioque doctrinæ, & ex ſomnio Scipionis illud, in ſuum uſum converſum; In cœleſtes ignes, ſempiternaſque domos, unde exierat revertit. Qua levi immutatione uſus nonnullos etiam recentiores imitatus eſt, atque inter ceteros M. Antonium Muretum virum admirabili ingenio, atque eloquentia præditum, & earum artium, quæ ad humanitatem pertinent, lumen ſulgentiſſimum, cujus verba ſunt in præſatione, quam habuit in quartam Catilinariam; Quid jam illos turbines, illas procellas, illas tempeſtates civilium diſſenſionum commemorem? quibus non unus, aut alter præclarus, & ſalutaris Reipublicæ civis perculſus eſt, ſed ipſi acervi, ipſa millia immortalitate dignorum hominum nefariis conſceleratiſſimorum manibus trucidata jacuerunt; ò acerbum illud, & vel Romani nominis hoſtibus miſerabile ſpectaculum; cum paſſim per vias immanium gladiatorum in principes civitatis debacchabatur furor: cum qui aliquando Reipublicæ præſidio ſuerant, eis nullum in civitate præſidium reperiebatur: cum quorum eloquentia ipſis gloriæ, aliis admirationi, Reipublicæ ſaluti ſuerat, eorum ex illis ipſis Roſtris, è quibus jam ſæpe concionati erant, capita ſanguinolenta pendebant. Nihil poteſt dici elegantius; nihil oratione magis; quem clariſſimi viri locum ante oculos habebat, cum ſic præclarus imitator, quamvis loci amplitudinem minime attingens, ſcripſit; Quid ſugam Marii, quid cetera, quæ in illius diſceſſu acciderunt, maxime luctuoſa, ſummeque miſeranda commemorem? quid reditum illum ſanguinarium; cujus ex recordatione nemo eſt, qui non intimis ſenſibus exhorreſcat? Tenemus enim memoria, aut ſaltem ex patrum ſcriptis accepimus, crudeliſſimam omnium cædem illo tempore eſſe factam, trucidatos bonos viros, & cives, inciſas eorum cervices, in Roſtriſque poſitas, qui multorum civium ſalutem, & dignitatem eloquentia peperiſſent. Quam multos ex illa Reipublicæ tempeſtate commemorare poſſumus, innocentiſſimos homines, atque optimos, ut acerbiſſimam calamitatem effugerent, libertatem morte quæſiſſe? ò acerbum, ac nemini non pœnitendum Reipublicæ ſtatum, conditionemque vivendi; cum eos ipſos, qui Rempublicam ſuo labore, ſuoque ſanguine auxerint, juverint, ſervaverint (hoc ex ſomnio Scipionis, ordine præpoſtero, ubi legitur. Qui patriam conſervaverint, adjuverint, auxerint) nuſquam tutos, nihilque magis, quam propinquorum manus, ac gladios timentes, horreſcenteſque videas: illorum autem, quorum ope, atque auxilio ſervatus ſis, cum horribiles, miſeroſque caſus ſpectes, nulla tamen ratione opitulari, nihilque afferre adjumenti queas. In qua imitatione noto etiam illud, quod in verbis Mureti eſt immutatum, nemini non pœnitendum Reipublicæ ſtatum, quod fortaſſe minus latine dictum eſt. Nam tametſi in epiſtola tertia lib. ſeptimi ad Att. ſic legitur; Tantum abeſt, ut meam ille ſententiam moveat, ut valde ego ipſi, quod de ſua ſententia deceſſerit, pœnitendum putem; ob quem locum videtur dici poſſe, Puto nemini non pœnitendum eſſe ſtatus Reipublicæ, vel quod talis ſit ſtatus Reipublicæ, ſcilicet, ut Grammatici loquuntur, per gerundium: tamen dicere pœnitendum ſtatum, ut Græci dicunt *Ametemeleton*, an congruat, aliorum ſit judicium, & idem Muretus in eadem præfatione; Illæ omnium laudandarum artium, ipſiuſque adeo humanitatis parentes Athenæ. Imitator; Illæ omnis plane doctrinæ, omniſque ſapientiæ parentes Athenæ. Muretus quoque in ea oratione, quam habuit in libros Ethicorum; Non ſingulos modo perdiderunt homines, ſed integras funditus afflixerunt, & everterunt civitates. Imitator quoque; Non modo ſingulos homines, ſed totas familias, & univerſas funditus everſas civitates videmus. Hactenus de iis, quæ hic excellens imitator in ſuam tranſtuliſſe Conſolationem videtur. Qua in re, tantum abeſt ut eum reprehendamus, ut magna potius laude efferendum exiſtimemus, dummodo nobis concedatur, legitimam eſſe noſtram de edita Conſolatione ſuſpicionem; etiam ſi in eam ad fallendum magis inſerta ſint omnia, quæ ex Ciceronis Conſolatione citantur fragmenta, alioquin ſuſpicionem augentia ex eo, quod eodem ordine, quo à fragmentorum inveſtigatoribus edita ſunt, inſerta ſint, & ex præſcripto eruditiſſimi Sigonii, qui ex paucis fragmentis judicio, ac conjectura aſſequi, quantum potuit, conatus eſt, quale fuerit argumentum, atque adeo etiam artificium totius libri, adornata, ac multis connexis redintegrata, & confirmata; ideſt præter illa tria, quæ ſuperius notavimus, etiam quartum, quod citat Lactantius libri tertii capite decimo quarto; Sed neſcio qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio veri; & quintum omnium pulcherrimum & maximum, quod legitur in prima Tuſculana; Animorum nulla in terris origo, & quæ ſequuntur; & ſextum, quod eſt apud Lactantium libri tertii capite decimo nono, qui ſic ſcribit; Quod adeo verum eſt, ut idem Tullius in Conſolatione non eaſdem ſedes incolere juſtos, atque impios præjudicaverit. Nec enim omnibus inquit, iidem illi ſapientes arbitrati ſunt, & reliqua. Quæ Lactantii verba Ciceroni ſententiam explicantia ipſe imitator in ſuam recipit Conſolationem paulliſper, ut eſt ejus inſtitutum, immutata ad hunc modum; Non eaſdem improbis ſedes, quas bonis, atque integris, poſt mortem eſſe propoſitas. Et ſeptimum, quod nonnullam etiam mihi ſuſpicionem affert. Etenim Lactantius libri primi capite decimo quincto ita totum conjunctim recitat; Cum vero & mares, & fœminas complures ex hominibus in deorum numero eſſe videamus, & eorum in urbibus, atque agris auguſtiſſima delubra veneremur, aſſentiamur eorum ſapientiæ, quorum ingeniis, & inventis omnem vitam legibus & inſtitutis excultam, conſtitutamque habemus. Quod ſi ullum unquam animal conſecrandum fuit, illud profecto fuit. Si Cadmi, aut Amphytrionis progenies, aut Tyndari in cœlum tollenda fama fuit, huic idem honor certe dicandus eſt, quod quidem faciam. Teque omnino optimam doctiſſimamque approbantibus diis immortalibus ipſis in eorum cœtu locatam ad opinionem omnium mortalium conſecrabo. Hæc Lactantius. Imitator vero multa interjecit, & ad illud, Omnem vitam legibus & inſtitutis excultam, conſtitutamque habemus, multa adjunxit, ſic ſcribens; Tantis enim ducibus aberrare non poſſumus, & quæ ſequuntur omnia uſque ad illud; Quod

ſi

ſi ullum unquam animal. Quæ interpoſitio ſignificat hoc opus non eſſe Ciceronis, cum in opere ipſius Ciceronis ulla verba eſſent interjecta, ſi Lactantio credimus, & qui ſequuti ſunt Lactantium optimis fragmentorum inveſtigatoribus, & explicatoribus, Sigonio, ac Patritio. Ultimum fragmentum citat quoque Lactantius libri tertii capite vigeſimo octavo, ſcribens in hunc modum: Jam quicunque alios conſolati ſunt ob interitum, amiſſionemque charorum fortunæ nomen acerrimis accuſationibus proſciderunt: nec omnino ulla eorum diſputatio de virtute eſt, in qua non fortuna vexetur. M. Tullius in ſua Conſolatione pugnaſſe ſe ſemper contra fortunam loquitur, eamque à ſe eſſe ſuperatam, cum fortiter inimicorum impetus retudiſſet; nec tum quidem ſe ab ea fractum, cum domo pulſus patria caruit: tum autem, cum amiſerit chariſſimam filiam, victum ſe à fortuna confitetur. Cedo, inquit, en manum tollo, quid hoc homine miſerius, qui ſic jaceat? Ex quibus Lactantii verbis ſatis apparet, cum Cicero ſe conſolatus eſſet, eum tamen fortunæ ceſſiſſe, & aperte confeſſum eſſe, ſe à fortuna ſuperatum fuiſſe. Quod ſi verum eſt, ut tam verum eſſe, quàm quod veriſſimum exiſtimo, videat imitator, quomodo illud ſcripſerit de Cicerone; Exultare plane videor, victorque de fortuna, ac de omni prorſus dolore triumpho. Jam omnibus Ciceronis fragmentis, quæ ex ejus Conſolatione citata ſunt, diligenter conſideratis, alia quædam perpendamus.

Illud in primis faciebar Cicero in Conſolationis libro, ut multorum clariſſimorum virorum exempla recenſeret ad mitigandum acerbiſſimum caſum ſuum. Quod ipſe teſtatur in quarta Tuſculana ad hunc modum; Quid, qui non putant lugendum viris? Qualis fuit Q. Maximus, efferens filium Conſularem: qualis L. Paullus, duobus, paucis diebus, amiſſis filiis: qualis M. Cato, Prætore deſignato, mortuo filio; quales reliqui, quos in Conſolatione collegimus. Apparet quoque ex Di. Hieronymo in Epitaphio Nepotiani, quæ Cicero exempla collegerit: cujus Sanctiſſimi viri verba etiam à Sigonio citata placet hic adſcribere, quia ad propoſitum noſtrum pertinere maxime videantur. Legimus, inquit, Crantorem, cujus volumen ad conſovendum dolorem ſuum ſequutus eſt Cicero. Platonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Poſſidonii ad ſedandos luctus opuſcula percurrimus, qui diverſis ætatibus diverſorum luctum vel libris, vel epiſtolis minuere ſunt conati, ut etiam ſi noſtrum areret ingenium, de illorum poſſet ſontibus irrigari. Proponunt innumerabiles viros, & maxime Periclem, & Xenophontem Socraticum; quorum alter amiſſis dnobus filiis coronatus in concione diſſeruit: alter cum ſacrificans filium audiſſet occiſum, depoſuiſſe coronam dicitur, & eandem capiti repoſuiſſe, poſtquam fortiter in acie dimicantem reperit concidiſſe. Quid memorem Romanos duces, quorum virtutibus quaſi quibuſdam ſtellis latinæ micant hiſtoriæ? Pulvillus Capitolium dedicaturus, mortuum, ut nunciabatur, ſubito filium, ſe juſſit abſente ſepeliri. L. Paulus ſeptem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans urbem ingreſſus eſt. Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Piſones, Brutos, Scævolas, Metellos, Marcios, Craſſos, Marcellos, atque Aufidios, quorum non minor in luctu, quam in bellis virtus fuit; & quorum orbitates in Conſolationis libro Tullius explicavit; ne videar potius aliena, quam noſtra quæſiſſe. Cum igitur teſtetur Di. Hieronymus in operibus ad ſedandos luctus compoſitis viros innumerabiles proponi, quos imitemur, affirmat tamen, Periclem maxime, & Xenophontem commemorari; ac veriſimile eſt, ordine temporum primum Periclem, deinde Xenophontem laudatum fuiſſe, quo ipſo ordine Di. quoque Hieronymus nominavit. Nam prior fuit Pericles, qui etiam prior mortuus eſt anno quarto Olympiadis octogeſimæ ſeptimæ, poſterior Xenophon, qui obiit anno primo Olympiadis centeſimæ quinctæ. Tamen hic novus auctor ordine præpoſtero prius egit de Xenophonte, quam de Pericle; cumque ſimul egerit de Anaxagora, obſervandum eſt, Ciceronem de eodem facere mentionem in tertia Tuſculana his verbis; Euripides fuerat auditor Anaxagoræ, quem ferunt, nuntiata morte filii, dixiſſe; Sciebam me genuiſſe mortalem. Nihil tamen ipſum Ciceronem dicere, quo oſtendat, de eo ſe egiſſe quoque in Conſolatione, ut de Romanis fecit in quarta Tuſculana. Præterea vix viro ſanctiſſimo intelligitur, Romana exempla, quæ collegerat Cicero, fuiſſe, Pulvillum, Paullum, Maximum, Catonem, Gallum qui in libro de amicitia nominatur Cajus, cum fuerit C. Sulpitius, Gallus, Piſonem, Brutum, Scævolam, Metellum, Marcium, Craſſum, Marcellum; atque Aufidium: nec plura collecta eſſe, quid ille non addiderit, & alios; cujuſmodi verba additurus fuiſſe ſine dubio videtur, ſi non omnes, quos legiſſet, vir Ciceronis ſtudioſiſſimus, enumeraſſet. Tamen hic novus ſcriptor non ſolum inter externa exempla celebravit Harpagum, Dionem, Præxaſpem, quorum primum, & tertium apud hunc auctorem corrupte Traheſpam appellatum Herodotus nominat, quæ exempla mihi non eſt certum à Cicerone fuiſſe tractata: verum etiam de Romanis, relicto temporum ordine in exornando Q. Fabio ante Pulvillum, præter eos, qui ab illo enumerati ſunt, meminit Cœpionis, & Lepidi, & C. Cottæ, de quibus ſe dubitare Cicero ſcripſit ad Atticum. Sic enim legitur in epiſtola decima nona libri duodecimi epiſtolarum ad ipſum Att. Velim me facias certiorem proximis litteris, Cn. Cœpio Serviliæ Claudii Pater, vivo'ne patre ſuo naufragio perierit, an mortuo; item Rutilia vivo'ne C. Cotta filio ſuo mortua ſit, an mortuo. Pertinet ad eum librum, quem de luctu minuendo ſcripſimus, & in epiſtola XXII. Quæro de Regillo Lepidi filio recte'ne meminerim patre vivo mortuum. Cum igitur ipſe Cicero de illis dubitaret, incertum eſt, quid de ipſis ſtatuerit; at putem ipſos omiſſos eſſe, cum à Di. Hieronymo non fuerint nominati. Ceterum, ut mittamus has noſtras de rebus conjecturas, ſi nihil aliud haberetur, quod de hoc libro ſuſpicionem faceret, elocutio ipſa, noſtra quidem ſententia, ſatis indicaret, eam Ciceronis non eſſe, in quo quædam verba ſunt minus Ciceroniana, quædam minus proprie dicta, quædam etiam fortaſſe minus latina. Cum autem duabus quaſi notis veteres libri dignoſcantur, ipſa rerum obſervatione, & elocutionis ratione, poſteaquam res ipſas perpendimus, de elocutione aliquid conſcribamus. Quod igitur attinet ad hujus ſcriptoris verba, ut prætercam illa, quæ Typographi negligentiæ tribui poſſunt, quemadmodum, ubi legitur, quod ſupra quoque notavimus Traheſpam

pro

pro Prexaſpes: &, Tantumque poteſt impietatis odium, ut tyrannum extinctum, ac ſæviſſime excruciatum, nemo miſeratur, pro miſeretur, à verbo Miſerari: & juvarint pro juverint: & alia hujuſmodi; illud mihi nequaquam Ciceronianum videtur; Nec unquam vivit animus, niſi compage ſolutus corporis, Compagibus dixiſſet Cicero, ut de ſenectute; Dum ſumus in his incluſi compagibus corporis. Nec illud: Immerentes dixerit aliquis, pro Non merentes. Nec illud: Miſere ipſis, & infeliciter, pro Non feliciter. Nec illud: Vagitus, lacrymæ, imbecillitas; &, primus ille naſcentium infantium vagitus, pro actu vagiendi, etiam ſi ſit Virgilianum. Nec illud: Deſpondeat animum; etiamſi ſit Livianum. Nec illud: Quanto indecentius eſt, &, Ne quid impium, aut indecens audeant. Dixiſſet Cicero, Magis indecorum & Indecorum. Nec illud: Oſor, detractor; pro eo, qui odit, & qui detrahit. Nec illud: Captivitati, inopiæ, luctui; & pene captivitatem, & quidem miſerrimam cenſuerim pro captivorum conditione. Nec illud: Lætabundas funus ducere, pro iis, quæ abunde lætarentur. Nec illud: Numerare Lacedæmones, pro Numerare Lacedæmonios. Nec illud: Incredibilis eſt eorum abſurditas, ut nulla eſſe poſſit aut pertinacia, aut imperitia tanta, quæ non iſta aſpernetur, atque refugiat. Dicere enim abſurditatem, & imperitiam eum, qui Ciceroniane ſe loqui profiteatur, mira ſtultitia, atque inſcitia eſt. Nec alia vocabula multa, quæ recenſere omnia jam piget. Nec illa verborum conjunctio, qua poſt dictionem, cum, ponitur dictio, quæ à littera N. incipiat. De qua ſic Cicero in Oratore ad Brutum; Quid illud, non olet, unde ſit, quod dicitur, cum illis, cum autem nobis non dicitur, ſed nobiſcum? quia ſi ita diceretur, obſcænius concurrerent litteræ, ut etiam modo, niſi autem interpoſuiſſem, concurriſſent. Ex eo eſt mecum, & tecum; non cum me, & cum te, ut eſſet ſimile illis, vobiſcum, atque nobiſcum. Quod reſpiciens idem Cicero libro nono familiarium ad Papyrium Pætum ita ſcribit: Quid? quod vulgo dicitur, cum nos te volumus convenire, non obſcænum eſt? Memini in Senatu diſertum Conſularem ita eloqui. Hanc culpam majorem, an illam dicam? potuit obſcænius? Non, inquis; non enim ita ſenſit; & paullo poſt ſic: Socratem fidelibus docuit nobiliſſimus fidicen. Is Connus vocatus eſt; num id obſcœnum putas? Servius quoque in librum primum Æneidus notavit cacophoniam in illis verbis; Numerum cum navibus æquat. Ut igitur vitaretur vocis turpitudo, quæ hujuſmodi conjunctione repræſentatur propter turpiſſimam fœminarum partem, ut cum præfatione honoris loquar, Cunnum appellatam, Cicero raro admodum in eam conjunctionem incurrit, & id vitium maxime vitavit in operibus illis, quæ ſcripſit circiter ea tempora, cum tale tradidit præceptum, ut in Conſolatione, in Tuſculanis, in libro de Senectute, in libro de Amicitia, & aliis ſimiliter. Itaque in ipſo libro de Amicitia Ciceronianus Lælius cum probaret à natura oriri amicitiam, fugit earum litterarum concurſum in hunc modum: Si aliquem nacti ſimus, cujus cum moribus, & natura congruamus: interpoſuit enim illas duas voces, Morib. Et, quæ poterant omitti, niſi ille turpis concurſus vitandus fuiſſet. Et inferius ſic; Tarquinium dixiſſe ferunt tum, cum exul eſſet, ſe intellexiſſe, quos fidos amicos habuiſſet, quoſque infidos, cum jam neutris gratiam referre poſſet; interjecit dictionem Jam. Idem fecit aliis in locis; quæ ſtudioſus lector poterit obſervare. Auctor tamen hujus Conſolationis oſtendit, ſe hujuſmodi præceptum ignoraſſe, cum ſæpe in hoc vitium incurrit, & novies cum dictione, Cum, dictionem à littera N. incipientem conjunxerit, ut ad eam turpiſſimam partem, quam tam ſæpe elocutione ſua repræſentavit, maxime aptus, & natus eſſe videretur. Scripſit enim: Vel cum nullo, vel certe cum modico dolore; &, Magnaque potius cum nominis ſui gloria; &, Cum noſtro vulneri medeamur, & Cum nullo, vel certe minimo doloris ſenſu; &, Cum neminem ipſa morte magnopere commoveri debere probatum ſit; &, Cum nec ipſi quidquam acciderit mali; &, Quæ tantopere cum natura congruat; &, Cum nihil, niſi rectum, honeſtumque cogitaret; &, Cum nihil, niſi quod rectum, & æquum eſt, laudabile arbitremur. Quæ igitur minime Ciceroniana videntur ex eo, quòd aliis in locis Cicero illis uſus non ſit, illorum ſi unum, aut alterum tantum in hoc libro reperiretur, dici fortaſſe poſſet, non eſſe abſurdum, ut aliquam vocem in uno tantum libro, & non in aliis ipſe uſurpaverit; ſed cum tam multa in tantullo libello reperiantur, neſcio, quis ſanæ mentis eum eſſe Ciceronis poſſit exiſtimare: nunquam Cicero occaſionem habuerit utendi hujuſmodi vocibus, niſi in hac Conſolatione, vel ſibi exiſtimavit, licere magis in hoc opuſculo, quam in aliis adhibere verborum ſordes, & ut vocabulo utar imitatoris, loquendi abſurditates. Illud vero mihi videtur minus proprie dictum: Ad futuram vitam, tamquam ad patriam evolare. Nam ſi dixiſſet in cœlum, tamquam in patriam, magis ferendum eſſet. Accedit, quod tametſi Cicero libro ſexto de Republica ſcribit, animis bene de Republica meritis certum eſſe in cœlo, ac definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno perfruantur; & civitatum rectores, & conſervatores ex cœlo profectos in cœlum reverſuros; & in prima Tuſculana, poſſe animos, cum è corporibus exceſſerint, in cœlum quaſi in domicilium ſuum pervenire; & alibi ſimiliter: tamen hæc cœleſtis patriæ appellatio, qua ſignificatur homines in hac vita peregrinari, eſt magis propria Chriſtianorum Theologorum, quam Ciceronis, qui nunquam eam vitam, quæ poſt mortem habetur, appellavit patriam; quemadmodum loqui de die, ac termino omnibus hominibus conſtituto, & dicere præfinitum eſſe vitæ terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat, juxta illud quod legitur apud Prophetam Job, Deum conſtituiſſe terminos homini, qui præteriri non poſſunt, ac affirmare vitæ terminum voluntarium, & in hominis arbitrio poſitum eſſe, ſcilicet ut brevior reddatur; magis Chriſtianis, quam Ciceroni convenire, cum de hac Conſolatione mecum colloqueretur, obſervavit magnificus, & generoſus juvenis, Joannes à Bronchorſt, & Bateburch, Liber Baro in Rymperg, & Gronſfelt, Dominus in Alpen, non ſolum nobilitate, & generis claritate, ſed etiam ſummi ingenii laude, ac flagranti optimarum artium ſtudio, in quo facit, me quidem teſte, admirabilem curſum, ac progreſſionem ad excellentiam, ornatiſſimus, qui cum præſtantis ſuæ erga me

voluntatis egregia, & minime dubia dederit argumenta, ita à me amatur, & obſervatur inter nobiliſſimos auditores meos, ut omnia me ejus amplitudini officia debere profitear. Illud præterea eſt maxime improprium, & improprie dictum; Non enim is ego ſum, qui animum ſimul cum homine interire putem, pro eo, ſimul cum corpore. Quod nunquam dixiſſet Cicero, qui ſecutus Platonis ſententiam putavit hominem eſſe animum, ut interire animum cum homine ſit interire animum cum animo, quo quid abſurdius? Sic enim ex Platonis doctrina in Alcibiade primo libro ſexto de Republica ſcripſit: Sic habeto te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. Nec enim is es, quem forma iſta declarat: ſed mens cujuſque is eſt quiſque, non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt; & in prima Tuſculana: Eſt illud quidem vel maximum, animo ipſo animum videre: & nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, ut ſe quiſque noſcat; non enim credo, id præcipit, ut membra noſtra, aut ſtructuram, figuram've noſcamus; neque nos corpora ſumus: neque ego tibi decens hoc, corpori tuo dico. Cum igitur, Noſce te, dicit, hoc dicit, Noſce animum tuum: nam corpus quidem quaſi vas eſt, aut aliquod animi receptaculum; ab animo tuo quidquid agitur, id agitur à te. Quædam autem dubito, an ſint ſatis congruenter dicta, ut præter illa, quæ ſuperius notata ſunt, Filio ſuo pro Filio ejus; & Nemini non pœnitendum Reipub. ſtatum, etiam illud, ſe hominem eſſe meminerit; nihil autem humanius eſſe morte: ut ſi non ab ipſo divelli, atque auferri poſſet, diis propior habendus eſſet, quam hominibus, nec omni ex parte hominis nomen ipſi congrueret, quia communi, & præcipua hominis conditione non uteretur. Ego dicerem: Auferri poſſit, habendus ſit, congruat, utatur. Vel, Nihil humanius eſſe morte, quæ ſi ab ipſo divelli, atque afferri poſſet, & reliqua: quemadmodum dicitur infra; Lacrymis nihil profici, quæ ſi quid adjumenti auferre poſſent, & quæ ſequuntur. Tametſi enim illud congruit; Homo curare deberet, ut diis propior haberetur: non video tamen, quomodo illud poſſit congruere; Is ſe hominem eſſe meminerit, ut, ſi mors ab eo abeſſet, diis propior haberetur, vel habendus eſſet. Quod Latinitatis ſtudioſis judicandum relinquo; quemadmodum etiam illud; De quo eſt apud Herodotum illum Xerſi reſpondiſſe; pro, Quem eſt apud Herodotum Xerſi reſpondiſſe; & illud: De quo traditum eſt nihil eum putaviſſe. Et illud: Lacenas matronas traditum eſt conſueviſſe ac ſolitas eſſe, contra vero curabant, nec ſtatuebant, pro curaſſe, nec ſtatuiſſe; & illud, quod jurarem non eſſe Latinum; Erepti, vel amici, vel affinis, vel filii cogitatio adeo nobis grata eſt, quod illum pene ante oculos conſtituere videatur; pro, Adeo grata eſt, ut illum, & quæ ſequuntur. Nunquam enim nec Cicero, nec alii Latini hujuſmodi elocutione uſi ſunt, quæ ab iis tantum, qui barbare loquuntur, uſurpatur, & indigna eſt, quæ tanto ſcriptori tribuatur.

Hæc ego habui, quæ de Conſolatione nuper edita raptim ſcriberem. Tu, cujus momenti ſint, pro tua ſapientia judicabis, meque, ut ſoles, amabis.

Patavii Quarto Cal. Majas MDLXXXIII.

OBSER-

OBSERVATIO CXXX. (*)

M. GODOFREDI BALTHASSARIS SCHARFFII,

Eccleſiæ privilegiatæ Ducatus Svidnizenſis ad SS. Trinitatis Ædem Senioris,

DE VERO AUCTORE

CONSOLATIONIS CICERONIANÆ.

§. I. ILlorum ex Scriptoribus profanis & gentilibus, quorum opera ad noſtram uſque ætatem conſervata, multi ſunt & diſertiſſimi Auctores, qui omni ſtudio ac animi contentione *de Luctu minuendo* diſſeruerunt. Eminent autem, ac præ reliquis doctorum hominum manibus teruntur PLUTARCHI, CICERONIS, SENECÆ, & BOETHII *Conſolationes*; ad quorum mentem modumque etiam ſe compoſuerunt, qui ex Chriſtianis idem argumentum, non tamen niſi ex ſolis humanæ Sapientiæ fontibus, deducere allaborarunt. Horum larga imprimis ſeges eſt; nominis tamen celebritate, & ſermonis etiam elegantia, doctrinæque ubertate reliquos magno intervallo poſt ſe relinquunt: PETRARCHA, CARDANUS, LIPSIUS, GUTHERIUS. Neque ego partam illis laudem invideo, aut imminuere auſim: elegantia, docta, ingenioſe excogitata ſunt plurima, & animum ſuaviter afficiunt; ſed valida ſatis dolori vel mediocriter leniendo remedia non afferre, nec aculeos in pectus ipſum infigere omnino fatendum eſt. CARDANUM quidem præ reliquis commendavit CONRINGIUS, at vero hic etiam NAUDÆUM puto audiendum eſſe, qui illum *in bonis optimum*, *in malis peſſimum* ſæpe una in eademque pagina deprehendit. Plura in omnibus mihi videor jure quodam deſiderare poſſe, & haud diſſimilia jam olim in CICERONE, quem maxime alias in deliciis habebat, taxavit B. AUGUSTINUS in ſuarum Confeſſionum libro, atque noſtrorum Patrum memoria obſervavit LUTHERUS. Faciat, quiſquis velit, periculum, & attentius paulo Tulii legat Tuſculanas, quam ne ipſe ſibi perſuadeat, quod aliis tanto cum apparatu perſuadere contendit, haud difficili negotio perſpiciet. Nec meliora afferunt SENECA, quem LIPSIUS perperam cum Apoſtolis componit, & PLUTARCHUS, quem, ſi arbitrium concederetur, unum ex omnibus, qui unquam vixere, ſcriptoribus ſolum ſibi retinendum cenſet VALLA. Imo vero utrumque cum doctrinæ copia, exemplorumque & argumentorum gravitate, tum verborum elegantia etiam CICERO ſuperat. Is ipſe tamen nihil minus, ſi pertinax animus & inveteratus dolor ſit, operam omnem perdit, & ægre animum, vel ad tempus modo, à mœrore ac lachrymis revocare poteſt. Quæ & ſimilia ſi in explicandis Auctoribus claſſicis ſtudioſius obſervarentur, & collata S. Codicis virius & perfectio cum his gentilis Philoſophiæ nævis & defectibus accurate proponeretur, næ magnam noſtra Juventus ex earum Lectione utilitatem caperet.

§. II. Quicquid ejus rei ſit; elegantiſſime expoſuit, & erudite digeſſit ea omnia, quæ illi, qui hanc in arenam deſcenderunt, afferre ſolent, *Conſolationis, ſ. Libri de Luctu minuendo*, qui nomen *M. T. Ciceronis* mentitur, Auctor, quiſquis ſit, vir certe doctiſſimus atque diſertiſſimus. Talem enim oportebat eſſe, qui viris eruditis fucum facere, & ſub perſona Ciceronis orbem univerſum fallere vel imprudens debebat. Operæ itaque pretium erit, totius tam comitet effictæ fabulæ ſeriem paulo altius repetere, & ſuccincte ediſſerere, atque quid mihi poſt tot aliorum criticorum judicia publice lata videatur, modeſte proloqui.

§. III. Equidem Tullium, cum Tulliæ, filiæ deſideratiſſimæ, in partu obitum A. U. C. 708. intolerantius ferret, ut animum longo mœrore depreſſum colligeret, & miſerias ſuas allevaret, *commentationem de Luctu minuendo* inſtituiſſe, ipſe paſſim, imprimis L. epiſt. ad Attic. Ed. Wæch. p. 99. L. 2. de Divin. & in Tuſcul.

(*) Siſtit hæc Obſervatio Specimen Curarum Juvenilium *meritiſſimi Dn. Senioris*, quibus jam olim, cum Vratislaviæ ſtudiis operam daret, indulſit.

Tuſcul. prodidit, idemque PLINIUS, AUGUSTINUS, LACTANTIUS, atque fragmenta ex illis opera C. SIGONII, & FR. PATRICII excerpta teſtantur. Conferri merentur SEB. CORRADUS in Quæſtura Cic. p. 293. ſqq. BEN. HERBESTUS in vita Cic. p. 107. CHRISTOPH. PREUS Pannon. Hiſtoria, V. & Plut. Cic. p. 96. FR. FABRICIUS in Hiſt. Cic. ad Ann. 62. n. 18. p. ed. Helmſt. 329. & C. SAGITTARIUS in Hiſtoria vitæ & mortis Tulliæ Cic. F. Jen. 1679. ed. Cum vero fatorum temporumque injuria multæ præſtantiſſimæque veterum lucubrationes perierint, adeo ut minor fortaſſe pars eorum, illaque ſatis lacerata, manca & interpolata ad nos pervenerit: hanc etiam *Conſolationem* excuſſis fruſtra per Europam univerſam Bibliothecarum forulis, inter deperditas à renaſcentis ante aliquot ſecula Eruditionis Statoribus Criticiſque diligentiſſimis numerari exiſtimatum eſt: Donec inopinato & per Italiam Galliamque ſparſo rumore ſub exitum Sec. XVIti opus tot votis expetitum, & quod omnium oculis hactenus ſe ſubtraxiſſet, caſu quodam repertum diceretur. Omnes enim in hac commentatione nervos Oratorum Principem intendiſſe facili negotio conjicere poterant, qui argumenti præſtantiam expendebant, inque verba ejus, quibus ne ipſe quidem illud diffitetur, accuratius intuebantur.

§. IV. Compotes itaque voti ſui videbantur Critici, & ſpe ſua, quam conceperant longe ampliſſimam, triumphare, cum ſine conſule & præfatione Venetiis primum typis exſcripta ſub initium Anni 1583. (*) in forma 8. paginarum in lucem prodiret. Quod ideo feciſſe ſe editor FRANC. VIANELLUS in Epiſt. ad Sigonium p. 143. ait: „ *Ut unicuique liberum judicium relinqueretur cenſendi de eo,* „ *quicquid viſum fuiſſet*. Ingenti ſtatim applauſu, ut ſolent eſſe homines rerum novarum cupidi, libellus paſſim à Viris doctiſſimis excipiebatur, qui de tanto theſauro, quem poſtea plures tamen non niſi carbones eſſe mente animoque præceperunt, ſibi impenſius gratulabantur, & libro, quo tam ægre caruerant, noviter reperto, in ſinu gaudebant. Teſtantur illud Epiſtolæ Virorum Clariſſimorum, in quibus ejus mentio fit, neque diſſimulare poteſt in limine judicii ſui RICCOBONUS p. 116. probatque SIGONIUS Apol. p. 144. & JAN. GUILIELMUS l. mox laudandus p. 8. Ut de repetitis crebro editionibus nihil dicam. Plena curioſis ingeniis Gallia avide imprimis expectabat, adeo ut circa medium anni citati Pariſiis per CLAUD. MINOEM (de quo v. KöNIG. in Bibl. V. & N. f. 541. & J. de la CAILLE, Hiſtoire de L'Imprimerie L. 2. p. 171.) „ repetitis „ typis publicaretur, qui ex ejus Lectione incredibili perfuſus gaudio notis qui„ buſdam inſtruere ſe velle in Dedic. ad Jac. Fajum Speſæum indicat, & dubius quidem hærere videtur; ita tamen ut in partem illorum, qui genuinum Patris fœtum, cujus nomen gerit, pronunciant, valde propendeat. Neque hoc tanto bono ſoli Itali Gallique frui volebant, ideoque, ne turpis avaritiæ notam incurrerent, cum Germanis etiam communicabant, qui licet mendoſe ſatis, properans enim canis cœcos parit catulos, Argentinæ ſub finem anni dicti prælo ſubjecerunt in 8. Cum vero illo etiam tempore Germania Eruditorum Virorum copia abundaret, ut in plurium manus pervenire poſſet, altera eaque accuratior & multo nitidior curata eſt editio apud Hæredes ANDR. WECHELII, Typographos nobiliſſimos Francofurti 1584. in 8. Quæ editio non modo ob Chartæ typorumque munditiem, ſed maxime etiam ob addita fragmenta, eorumque duplicem expoſitionem, RICCOBONI judicium, & SIGONII Orationes Apologeticas aliaque plura, quæ alibi fruſtra quæſiveris, reliquis palmam præripit. Ut hoc obiter addam: Anno ſequenti Erphordiæ etiam recuſa eſt, ſed ſola abſque his appendicibus, & multis mendis deformata. Plures editiones lubens prætereo, utpote non niſi ex recenſitis enatas.

§. V. Illa Libri ſunt hujus quaſi *incunabula*, nunc quæ ſucceſſu temporis expertus ſit *fata*, videamus. Editorem, qui obſtetricias manus commodavit, prece an pretio ad id conductum? diximus FRANC. VIANELLUM, qui qualis quantuſque ſit, me invenire nondum potuiſſe fateor. Sunt qui Collegio Veneto Decemvirum ab Epiſtolis fuiſſe referunt; *ignobilem librarium* acerrimus Criticus JAN. GUILIELMUS vocat in adſert. c. hunc L. p. 115. Venetum omnino fuiſſe literæ ejus à Sigonio productæ confirmant. CL. FABRICIUS in Biblioth. Lat. p. 15. & KöNIGIUS f. 842. aliique falſo CAROLUM appellant, ipſumque totius

(*) Sunt qui 1581. ed. ſcribunt, quam vero ed. non vidi; illudque vix Epiſtolæ *Riccoboni*, *Vianelli*, & *Sigonii*, itemque typographi concedunt, quæ *modo* & *nuper* editam dicunt: Scriptæ vero Anno 1583. ſunt. Non tamen diſſimulo, Janum Guilielmum obiiſſe 1580. vid. HANCKIUM de Script. Rom. P. I. c. 69. p. 244. qui vero ſuam aſſertionem poſt Riccoboni demum cenſuram ſcripſit, quæ conciliare nequeo, niſi aliquot annis citius prodiiſſe ſtatuam.

tius fabulæ architectum & auctorem exiſtimant. Siquidem de eo necdum lis omnis confecta eſt, cuinam partus hic tribui debeat; licet Ciceroni omnium minime aſſeri debere, certum exploratumque ſit.

§. VI. Enimvero ipſi Ciceroni abjudicarunt ab initio ſtatim non obæſæ naris Critici. Primus, qui fucum ſubeſſe publice prodidit, ANTONIUS eſt RICCOBONUS, Orator & Profeſſor Patavinus multo doctiſſimus, & ex æmulatione gloriæ Sigonio iniquior, qui in edito ad Mercurialem judicio p. 116. „ *tantum* „ *abeſt*, inquit, *ut exiſtimem eam Ciceronis eſſe, ut nec Ciceroni quidem congruenter,* „ *tum rerum tum verborum habita ratione effictam arbitrer*. (*) Vix autem ediderat hoc judicium, cum acriter ipſi ſe opponeret Vir omnis antiquitatis peritiſſimus, auctoritatis tum temporis inter eruditos ſummæ, lectionis plane diffuſiſſimæ, & latini ſermonis ſtudioſiſſimus C. SIGONIUS, qui duabus Orationibus Libri hujus auctoritatem aſſerere anniſus eſt, in quarum priori argumenta congerit, quibus Tullio vindicat; in altera vero objectiones adverſariorum omni induſtria diluere conatur. FABRICIUS tribus id factum eſſe dicit, ſed nunquam tertiam videre contigit, etſi ſtudioſe in illam inquiſiverim. Tam feliciter autem Sigonius in hanc arenam conſcendit, ut Riccobonum in plurimis maſcule retuderit, quod nec GUILIELMUS p. 93. & 102. diffitetur. Cum vero inſolens adeo Sigonio haud fuerit partam multis lucubrationibus gloriam alteri alicui concedere, quemadmodum *Libro de Senatu Rom.* factum eſſe novimus, vid. THUANUS L. de vita ſua f. 10. vel quod gloriæ ſtudium vinceret amor amicorum, vel potius, quod, cum inter inſidias lateret, tutius aliorum ſententias poſſet expiſcari: qui ſtrenuus ejus defenſor eſſe malebat, paſſim totius hiſtoriæ primus veruſque Auctor audiebat. Equidem ab impacto hoc crimine purgare ſe videtur in Epiſt. ad Vianellum p. 144. his præcipue verbis: „ *Eleganter admodum feceris, ſi* „ *totam hujuſce rei hiſtoriam comiter hominibus expoſueris*, conf. Orat. 2. p. 184. Neque à Riccobono, quod aſſerunt, qui ipſum non inſpexerunt, res eo modo in diſceptationem adducta eſt, ut ſuppoſiti à Sigonio libri maculam ipſi affricaret; cui ſufficit tum à rebus, quas Cicero in ſua conſolatione ſe tractaſſe ait, hic non comparentibus, & quas minus apte inſeruiſſe Auctor libelli videtur, tum à verbis phraſibuſque, Cicerone & ætate Ciceronis minus dignis, argumenta depromere, quibus germanum Tullii opus hoc non eſſe demonſtret. Quamobrem auxiliares quaſi copias inſtruxit, pugnamque reſtauravit JANUS GUILIELMUS, Lubecenſis, Vir elegantis ingenii, Criticus ſolers & terſiſſimæ latinitatis, qui ſcripta ad PETR. DELBENIUM aſſertione adverſus C. SIGONIUM *non eſſe aut M. Tullii, aut ſatis dignam M. Tullio eam, quæ illius nomine venditetur, Conſolationem*, eaque Lutetiæ 1594. edita in 8. fortiſſime eam impugnavit, primuſque vel Sigonium Auctorem eſſe, vel auctorem adjuvaſſe, editoremque copiis ſuis inſtruxiſſe publice & data opera affirmavit, p. 113. & 117. Tanta cum laude totam iſte litem diremit, ut LIPSIO, qui etiam contra Sigonium decertavit, hoc in argumento palmam præripuerit, nec vel Sigonium ipſum aliquid repoſuiſſe, vel Sigonii cauſam quenquam tuendam ſuſcepiſſe recorder. Imo potius me non fugit, extare, qui illum præ mœrore ob detectam fraudem obiiſſe referunt; etſi idoneis teſtibus illud probari ſatis nequeat.

§. VII. Jam ultro conſtare puto, quæ, ſi eam quæras, nobis ſit ſententia. Clarius tamen mentem meam ediſſeram. *Ciceronis ſcilicet nullo modo videri*, ut fuſiſſime doctiſſimeque à Viris ſummis demonſtratum eſt. Improba ſubjectione jam olim CORNIFICII opus ad Herennium Tullio (v. ANGEL. DECEMBRIUM in raro Politiæ Lit. opere L. 1. P. 10. p. 62.) & ignavi declamatoris *Oratio contra Saluſtium* Divino Oratori tributa eſt. Nec minor nequitia, cujuſcunque fuerit, circa hunc partum ſuppoſitum elucet, ſi eo quidem animo conceptus eſt. Ut alia omittam, formulæ ex noſtris ſacris petitæ, ipſi verborum ambitus, expreſſa imitationis vis, receptæ Lectionis in inferendis fragmentis veſtigia, & varia ſermonis dehoneſtamenta, eam manifeſte loquuntur. Neque RICCOBONUS & GUILIELMUS tantum, qui cuncta accuratius, ut in omnia inquirerent, evolvebant, fraudem ſubeſſe intellexerunt. HOFMANNUS etiam JCtus fucum deprehendit, cum forte in illum incideret, & obiter quaſi tangeret teſte MORHOFIO, P. 1. Polyh. L. 1. c. 9. p. 80. Quod ſi vero ex me ſcire velis, verene an confidentius paulo tribui Sigonio ſoleat? poſterius affirmare non du-

(*) Riccobonus tamen antea auditoribus commendaverat publice, & in impetrandis, ut divulgaretur, privilegiis, fidelem operam præſtiterat. *vid. Judic. Riccob. p. 116.*

dubito. Omnes ſane ab illo tempore Critici, qui quaſi uno ore Sigonium ſceleris poſtulant, ſuſpicionibus nituntur, rationes ſolidas in medium nullas adferunt. Ipſe GUILIELMUS in hac ſententia valde inconſtans eſt; & quæſo te, quis ita argumentari velit: *Hic vel ille tuetur ac deſcendit Curtii aut Livii* [illegible] *contra Harduinum, ergo ejus Libri Auctor eſt.* Poterit Sigonius, etſi Vir doctiſſimus, falli, ut aliis in hoc ſimilique paſſu ſæpe contigit, quem deinde (erat enim propoſitæ ſententiæ tenax) *puduit errorem fateri*, quod non obſcure alicubi prodit p. 144. „ *Acceſſerunt amicorum adhortationes, ut Patrocinium* (verba ipſius „ repeto ex ded. p. 6.) *labantis cauſæ ſuſciperet*; quæ, dum aliquo apud ſe loco eſſe permittebat, facile ipſum commoverunt, ut conquiſitis cum pulviſculo undecunque rationibus pro *Conſolatione* hac dimicaret. Studioſe enim, haud tamen ſerio & ex animo, per utramque orationem diſceptare videtur, quod aliquoties Guilielmus etiam obſervavit. Addo, nec in compoſitione verborum, nec in numero periodorum ſtylum Sigonii hunc ipſum libellum repræſentare, ut eos negligentes Sigonii opera legiſſe contendam, qui magnam ſimilitudinem utriuſque crepant. Quod ſi conjecturis indulgere liceat, ego ſcriptum hoc Sigonii temporibus paulo antiquius dixero, & à Viro quodam fortaſſis ſub finem Seculi XV. inter primos literarum reſtauratores, Ciceronis valde ſtudioſo, animi ſtylique exercendi cauſa conſcriptum dixerim; utpote quo mos nimis ſervilis Ciceronem ſolum imitandi, qui hic paſſim elucet, vigebat, & doctiſſimis etiam hominibus ſermo adhuc lutulentus fluere deprehendebatur. Majori etiam circumſpectione in fragmentis innectendis & dictione genioque Auctoris exprimendo uſus eſſet, qui orbem obtruſa mentita hac prole fallere apud animum conſtituiſſet. Adeoque primis editoribus & defenſoribus neſcientibus fucum eſſe factum, non autem illos data opera fefelliſſe exiſtimaverim. Qui VIANELLO tribuunt, illi manus, ut ita dicam, obſtetricias cum utero materno confundere mihi videntur.

§. 8. Quamvis tandem dubius obſcuruſque verus *Conſolationis Ciceronianæ* Auctor maneat, totaque res variarum ſuſpicionum nube involvatur, virum tamen ſapientiæ veterum peritiſſimum, ingenio præſtantem, & ſedulum Ciceronis imitatorem eſſe cenſeo, qua laude minus ſincero animo ipſum defraudare conantur, qui impugnandi eum ſibi munus ſumpſerunt. Eleganter enim & maximam partem latino atque ad Ciceronis imitationem adſtricto ſermone gentilem animum ſimulans, omnia & ſingula, quæ rationi obvia ſunt, ad demulcendum animum argumenta ediſſerit, idoneiſque, etſi non illis, quæ Cicero ſe adhibuiſſe refert, exemplis atque ſententiis veterum ſcriptorum illuſtrat; ut omnino, ſi nomen ſuum indicaſſet, magnam Auctori famam conciliare potuiſſet. Nimis autem acerba judicia Virorum, ſtudio diſceptandi cauſam ſuam abreptorum, fere manibus ſtudioſorum excuſſerunt commentationem, quæ non ſine fructu & delectatione legi poſſet. Quam in rem verbis JOH. AURATI, Poëtæ Pariſini, ſuo tempore celeberrimi, totam hanc diſſertationem obſignabo:

Sit, quem quiſque volet, magni Ciceronis imago;
Nec Cicero, vivo nec Cicerone fuit.
Quiſquis at ille fuit, belle declamat, & apte
De miſeris hominum caſibus atque malis.
Qualis & eſt Senecæ, quæ controverſia fertur,
Nomine quamque pari Quintilianus habet.
Tu tamen hinc gratos, Lector bone, collige fructus;
Quid ſit homo ſpeculo dum decet ille ſuo.
Quid refert vetus an nova ſit medicina ſalubris,
Æger ab hac medica dum relevetur ope?

M. TULLII CICERONIS CONSOLATIO,

VEL

DE LUCTU MINUENDO.

A Quamquam recentibus morbis memoriam adhibere vetant ſapientes, nihilque adverſi hominibus accidere ſolet in vita, quod aut improviſum, aut inexpectatum videatur; conemur tamen, ſi qua ratione poſſumus, mederi nobiſmetipſis, & domeſticæ ſubvenire calamitati. Si enim quoties uſu venit, conſuluimus ceteris, cur non aliquando nobis ipſis? &, ſi mala, quæ nec vitari, nec averti humanis viribus poſſunt, pertulimus toleranter; cur non ea, ſi poſſumus, ratione leviora faciamus? præſertim cum ad ægritudines, & moleſtias depellendas eò acrius incumbere homines debeant, quo melius eſt, B ſine cura vivere, quàm curis, & angoribus oppreſſum, ac circumventum, humanam conditionem ſatis per ſe miſeram, aliis etiam incommodis efficere miſeriorem; quid porro præſtantius, quid utilius eſt, quam, cum corpore valeas, curare, ut etiam animo valere poſſis? ſiquidem corpus animi gubernaculo, animus autem miniſterio corporis indiget; at neque animus æger bene gubernabit, nec affectum corpus animi recte parebit imperio. Quamobrem prudenter à doctis & ſapientibus viris & cogitatum, & factum eſt, qui de luctu minuendo ante nos ſcripſerunt; quorum extant ſatis multa, ſane ſapienter litteris mandata, in primiſque à Theophraſto, Xenocrate, C & Crantore, quorum libros cum ſæpe animi cauſſa ſumpſerimus in manus, admirati eorum ſaluberrimis præceptis refertam, & conditam eloquentiam, tum proximè legimus neceſſario; caſus enim ereptæ nobis filiæ, quam in oculis ferebamus, eximiis & virtutis, & prudentiæ laudibus præſtantem, ita nos vel perculit, vel afflixit, ut ab iis opem ad leniendum, & mitigandum dolorem petere coacti ſimus, quorum maxime doctrina, atque auctoritate antea movebamur. Itaque multa, quæ ab illis vel acute cogitata, vel eleganter enuntiata ſunt, ad dolorem noſtrum abſtergendum colligemus; ut, ſi minus ceteros in tanto mœrore delectare poterimus, quod alias & dicendo, & ſcri- D bendo efficere conati ſumus, & fortaſſe interdum præſtitimus, ſaltem nobis ipſis medeamur. Sed nos etiam in hoc fortiores erimus, quàm ceteri: quibus difficile non fuit, cum doloris expertes ipſi eſſent, alios conſolari, & à mœrore abducere: nos autem dolore afflicti, conſolationem à nobis petentes, noſmetipſos in dolore vincemus, ac naturæ quandam quaſi vim afferemus; quæ utinam tanti ſit, ut ceteros quoque in pari fortuna doceat adverſos caſus patienter ferre: qui quò ſæpius contingunt, eò propiores hominibus putandi ſunt, quaſique in ipſa humana natura innati atque inſiti, ideoque levius ferendi; qui enim hominem ſe eſſe agnoſcit, hominiſque nomen ſibi vindicat, cur ea, quæ hominis maxime propria ſunt, recuſare, ac rejicere audeat? quod ſimul ut feciſſet, & imprudens, & injuſtus merito haberetur. Atque hic locus à Theophraſto egregie tractatus, & perpolitus eſt: itemque à Xenocrate; quorum uterque eos, qui communes caſus recuſant, imprudentiæ, atque injuſtitiæ condemnat; alter etiam diis ipſis adverſos non dubitat appellare; quod etiam gravius crimen eſt, ac vix in homine tolerabile; qui, cum omnia Diis immortalibus accepta referre debeat; quorum ope vivit, intelligit, agit; ſi eorum voluntati repugnet, cum Diis, gigantum more, bellare videbitur; hæc autem perite, ut dixi, à multis tractata ſunt. Sed ego Crantorem ſequor; cujus legi brevem illum quidem, ſed vere aureum, &, ut Panætio placuit, ad verbum ediſcendum de luctu librum, quo acute univerſam doloris medicinam complexus eſt, ſed humanæ naturæ incommoda ita diligenter, & accurate expreſſit, ut quaſi, luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, & in hanc lucem ingredi, poſſis agnoſcere. Fac enim naſci hominem, & in lucem edi; continuò ſenties, non rerum humanarum dominum, & gubernatorem exortum, ſed verius miſeriarum ſervum, atque incommodorum. Nam infantiam & pueritiam vagitus, lacrymæ, imbecillitas, nullus nec rationis, nec corporis uſus, dolores, moleſtiæque quamplurimæ amplectuntur. Adoleſcentiam ardor quidam excipit ætatis, nec prudentiæ, nec judicii compos; rerum utilium, ac laudabilium contemptio; voluptatis, & ſæpe turpitudinis appetitio; veri boni ignoratio; in pares ferocia, in ſuperiores ſuperbia, in infimos arrogantia; ex his contentiones, rixæ, contumeliæ, aſſiduus denique moleſtiarum concurſus exiſtit: ex rebus honeſtis contemptis infelicitas, & infamia; ex turpibus curioſè arreptis, & conquiſitis luctus, morbi, perpetuum denique ſui ipſius odium, ex cognita rerum turpium mercede conflatum. Adde inſanas pecuniarum largitiones, nullam futuri temporis curam, non inopiæ, non liberorum, non uxoris, non poſterorum, non familiæ; quæ ſi quis ætatis potius vita, quàm naturæ miſerias, velit appellare; quamquam nominis quæſtionem inducat, non tamen ipſas ab homine miſerias, atque incommoda removebit. Nec vero audiendus erit, qui hæc ab humanæ naturæ miſeriis ſeparanda putet, quòd non in natura inſita ſint, ſed unius, vel aliquorum hominum errores videantur; totius autem naturæ illa eſſe affirmet, quæ à nullo prorſus homine ſejungi poſſunt; quaſi vero humanum non ſit iraſci, quòd multi non iraſcantur, aut humanum loqui, & ſocietatem coire, quòd multi reperiantur, qui nihil difficilius faciant, quàm cum hominibus congredi, aut ſermonem cum aliquo conferre; vere autem humanæ miſeriæ ſunt, quòd & ſi non

omnes

omnes in uno , certe omnes in omnibus , & A
aliquæ in multis,& multæ ſæpe in uno agno-
ſcuntur. Jam, conſtantis ætatis quot, quantæ-
que miſeriæ ſint, non difficile eſt intelligere ,
at difficillimum enumerare; hæc enim ex om-
nibus hominis ætatibus in perturbationes ani-
mi, in pericula capitis , famæ, fortunarum
una maxime incurrit ; ſicut enim ceterarum
omnium ætatum , ad res negotiaque tum pri-
vata , tum publica peragenda aptiſſima eſt ,
maximeque idonea; ita etiam una, præ ceteris
omnibus , difficultatum, miſeriarumque om-
nium, quæ ex publica, privataque adminiſtra-
tione oriuntur, particeps , & ſocia eſt; hæc
privata amicorum negotia procurat , hæc pu-
blica ſuſtinet munera: hæc gloriam , & com- B
modum ex rebus feliciter evenientibus , hæc
ærumnas, & moleſtias ex adverſis experitur :
huic bonorum civium propugnatio , huic ma-
lorum accuſatio propoſita eſt: huic invidia, &
æmulatio à bonis imminent , à malis pericula
& inſidiæ intenduntur: ætas nunquam pacata,
ſemper laborioſa, ſemper anxia, & ſollicita;
quæ ſi non aliquos interdum vel utilitatis ,
vel voluptatis fructus ex aſſiduo labore perci-
peret, ſe ipſam profecto regere, ac tueri non
poſſet. Sed miſeriarum numerus multo major
eſt ; magnitudo autem tanta , ut neminem à
publicis procurationibus non avertere, ac de-
terrere poſſit; illuſtre præbuit exemplum uni-
verſæ civitati calamitas noſtra, quam ex par- C
ta civium ſalute, ex defenſis aris, ac focis, ex
proditoribus à Reipublicæ, ac Populi Romani
cervicibus depulſis contraximus . Sed noſtra
fuerit ærumna ; civibus contigerit ſalus, &
quies; quam etiam, vita ipſa profundenda,
ſi opus fuiſſet, libentiſſime redemiſſemus . Ni-
hil neceſſe eſt mihi de me ipſo prædicare. Sed
tamen veriſſime affirmare poſſum, eos demum
annos me vere vixiſſe , quos in præclaro ali-
quo patriæ vel commodo, vel ornamento con-
ſumpſi, ac, ſi longius mihi vitam producere
liceret , non me alia cauſſa ad diutius viven-
dum , quàm publicæ utilitatis ſtudium , cura-
que adduceret : quæ una cogitatio in homine
glorioſa, & laudabilis eſt maxime. Nunc, quæ D
extrema de ætatibus ſupereſt, quid ego de ſe-
nectutis incommodis, ac miſeriis loquar? quas
plurimas eſſe, & graviſſimas, & nomen ipſum,
languoris calamitatiſque pleniſſimum, indicat,
& aſpectus ipſe ſenum hominum patefacit ;
quid eſt enim aliud, ſenem videre trementem,
incurvum , canum, imbecillum, infirmum ,
quàm cernere morientem vivum , aut viven-
tem mortuum? Ac , ſi nonnullis viſum eſt ,
magnam eſſe ſenilis ætatis conſolationem, pru-
dentiam, uſu rerum quæſitam , quæ illius æta-
tis propria eſt; eoſdem illos fateri oportet, ex
eo ipſo fonte manare etiam ad ſenes non mi-
nimum doloris , atque moleſtiæ; qui enim ſe
prudentem , rerumque agendarum peritum E
agnoſcit, cur non doleat, quæ optimè intelli-
git, præ ætatis vitio , optimè etiam perficere
non poſſe ? & ſi patriam diligit, cur non an-
gatur, quòd, quam conſilio juvat, opera etiam
juvare non poſſit ? eoque major prudentium
dolor eſt , quòd optimorum conſiliorum fru-
ctum nulla alia ratione percipi poſſe, quàm ſi
optime ad exitum perducantur, intelligunt ;
quòd, niſi vir optimus patriæque amantiſſimus
ad agendum accedat , prorſus inania ſint fu-
tura . De ætatibus ſatis mihi videor dixiſſe ;
quid jam de generibus hominum loquar ; aut
nunquid principes viros , & medios, & infi-
mos æque miſeros eſſe negare poſſum ? Reges
ipſi quam miſeri ſint , quantoque opere ſolli-
citudini, timori, atque inſidiis propoſiti, ſatis
oſtendit Dionyſius , cum imminente capiti gla-
dio Damoclem fortunæ ſuæ felicitatem voluit
experiri; nec mirum: cum iis bellorum cala-
mitates, agrorum vaſtationes, populorum cæ-
des, urbium exitia immineant; quæ cum eve-
niunt, qui victoria potitur, aliquid & ad glo-
riam , & ad imperium ſemper acquirit; ſed
tanta præterea rerum amiſſio , tantuſque ſum-
ptus conſequitur, ut magni conſtet victoria,
ac plerumque præſtiterit , nunquam arma
ſumpſiſſe; ſin profligatio exercitus, aut clades
aliqua contingit, nihil eo ſtatu miſerius ne co-
gitari quidem poteſt ; ſiquidem captivitati ,
inopiæ , luctui, contemptui conjunctus eſt .
Sed fac Regem eſſe à bellorum impetu , & à
caſtrorum pulvere remotum, ſua pacate poſſi-
dentem , nulla hoſtium incurſione vexatum ;
non iccirco tutior , & à miſeriis ſecurior ?
quinimo, ut otium humana natura non fert ,
ipſe ſibi moleſtiam , ac ſollicitudinem exhibe-
bit; nam aut de augendis vectigalibus, aut de
producendis finibus, deque urbibus ad impe-
rium acquirendis , aut de jungendis cum po-
tentioribus propinquitatibus , atque amicitiis
cogitabit; quæ qui animo agitat, nec à mole-
ſtia liber eſt, nec alios ſecuros, ac quietos eſſe
ſinit . De avaritia vero , maxima animorum
peſte, nolim hoc loco pluribus diſputare; quæ
in deſide , atque otioſa mente quam maxime
exoritur; eaque erectiores animos, & altiores
dignitatis gradus maxime ſollicitat . Huic ge-
neri infimum hominum genus opponitur: quod,
ut nomine abjectiſſimum, ſic re quoque omni-
bus calamitatibus, atque angoribus eſt propo-
ſitum. Huic inopia, fames, contumelia, inju-
riæ, tributorum ſolutio, militiæ incommoda,
miſera denique omnia perferenda ſunt: eoque
miſerius eſt, quòd ceteris omnibus , cum ad-
verſa fortuna premuntur, permulta tamen ſup-
petunt, è quibus conſolationem, doloriſque
levationem petunt; at infimam plebem natura
ipſa fatali quadam neceſſitate tam abjecto ,
tamque imo loco collocavit, ut omnibus ærum-
nis ſubjecta, nulla propemodum ratione erigi,
aut ſublevari poſſit. Ne mediocris quidem ho-
minum conditio miſeriarum expers eſſe cogno-
ſcitur, nam inter ſummum, & infimum inter-
jecta, alteri paret, alterum patitur; cui ſi im-
perare poſſet, certe longius à miſeria diſtaret.
Sed quia neque dignitate præſtat, nec ſummos
viribus adæquat, ſuo ſtatu contenta eſſe cogi-
tur. Itaque multis in civitate perſungitur in-
commodis, non illis quidem parum Reipubli-
cæ fructuoſis , aut valde ad ferendum gravi-
bus, atque aſperis : ſed quæ tamen animum
ſollicitent, & humanas miſerias augeant; hæc
longiori oratione perſequi , non eſt præſentis
inſtituti ; ante oculos omnia ſunt , & nobis
præcipue re ipſa perſpecta & cognita . Nec
vero alia eſt feminarum conditio ; aut enim
iiſdem, aut parum certe diverſis & moleſtiis,
& angoribus vexantur; nam & iiſdem morbis,
quibus viri, & iiſdem animi perturbationibus
mentiſque erroribus objiciuntur ; eoque miſe-
rior illarum ſtatus eſt, quò mollior natura ,
& ad propulſanda incommoda, calamitateſque
perferendas infirmior; eaſdem , quas viri, ex
parentum, fratrum, ſororum, affinium interitu
moleſtias , & dolores hauriunt : maritos ſæpe
fatuos, parum de re domeſtica ſollicitos , pe-
cuniam profundentes nanciſcuntur ; ex quo
pau-

paupertas, & luctus; quibus malis eò premun-
tur gravius, quòd non, ut homines, indaga-
re poſſunt, qua maxime ratione medeantur
incommodis, rebuſque ſuis conſulant. Quan-
tum Tullia mea ex patris exilio doloris, quan-
tum ex maritorum ærumnis, & difficultatibus
luctus, moleſtiæque percepit? & quamvis op-
tanda etiam minime pauca in vita viderit;
malorum tamen paucorum ſenſus, vel doctiſ-
ſimis hominibus judicantibus, ita acerbus eſt,
ut bonis vel plurimis, & maximis æquetur,
interdum etiam præferatur. Permulta præterea
in hoc genere ſunt, quæ reticere præſtat,
quam edere; ſed magna certe, vel hoc uno
nomine, feminarum miſeria eſt, quòd, quam-
diu vivunt parere ſemper coguntur; aut enim
innuptæ parentibus, & affinibus, aut nuptæ
maritis parent, & ſerviunt; ſic, quò minus li-
beræ, eo magis miſeræ, nec unquam liberæ,
niſi è vita profectæ; ergo mortuæ beatæ cen-
ſendæ erunt. Nec ſane video, quid aptius dici
poſſit; ſed, ut ad nos ipſos redeamus; cui ux-
for contigit, is, præter communes omnium
calamitates præcipuo etiam miſeriæ genere
premitur, quòd non ſolum ſuis, ſed etiam do-
meſticis uxoris, & familiæ moleſtiis, curiſ-
que vexatur; neque enim ab ea, qui cum ar-
ctiſſimo matrimonii vinculo conglutinatus eſt,
aut mente, aut cogitatione ſejunctus eſſe po-
teſt. Itaque tot vexatus calamitatibus, tantiſ-
que miſeriis circumcluſus hominis animus quid
egregium, aut eximium ſuſcipere, aut cogi-
tare poteſt? mirum, ni ſeſe abjiciat, ac veluti
deſperatione perculſus humi jaceat. Redeo igi-
tur ad illud, quod initio dixi, neminem eſſe,
qui ſpiritum ducat, non miſerum, neminem
vere felicem; parumque ſapiunt ii, qui homi-
nem luendorum ſcelerum cauſſa natum, feli-
cem, aut beatum audent nominare; noſtra
enim, quæ dicitur vita, mors eſt, nec un-
quam vivit animus, niſi compage ſolutus cor-
poris, liber æternitate potiatur; itaque mor-
tem in beneficii loco tributam à Diis immor-
talibus iis, quos maxime dilexerunt, traditum
eſt; ut, cum, Herodoto auctore, Argia ſacer-
dos, quod optimum filiis eſſet, à Dea preca-
ta, eos reperit mortuos; mortem autem, tan-
quam optimam, illis eſſe conceſſam, credamus
ſane Apollini Delphico, qui exoratus à Tro-
phonio, & Agamede, à quibus templum ma-
gnifice Apollini exædificatum Delphis erat,
ut, quod eſſet optimum homini, tribueret,
poſt diem tertium exanimes ſunt inventi; quo
munere indicavit Deus, & Deus is, cui divi-
nationis partes à reliquis Diis ſunt relictæ,
mortem homini omnium rerum eſſe optimam;
itaque excutiatur jam, & evellatur funditus
falſa illa multorum opinio, malam eſſe mor-
tem; quandoquidem, vel Deorum judicio,
non modo mala non eſt, ſed omnium rerum
optima, & omnium munerum, quæ humano
generi dari poſſunt, præſtantiſſima; præclare;
nam & miſeriarum omnium, quas viventes
pertulimus, finis eſt in morte, & vitatio fu-
turarum, in quas progredientes in vita incur-
runt; docemur enim exemplis è propagatione
vitæ permultos optimos, & fortiſſimos cives
incredibiles hauſiſſe calamitates; immerentes
dixerit aliquis: ergo non ſunt in miſeriis po-
nendæ; nihil enim miſerum, quod non culpa
contractum; de hoc alias viderimus; ſed cala-
mitates certe fuerunt; quarum etiam unica
cogitatio, quæ prætervolat, & effugit, non
modo ſenſus, qui corpori firmius inhæret,

A acerbitatis habet plurimum; ex quo vere col-
ligi poteſt, ſapienter feciſſe Thraces, qui, ſi
Herodoto credimus, naſcentibus liberis luge-
re, morientibus lætari ſolebant; exitum vide-
licet vitæ, ut miſeriarum finem, & quietis
portum, probabant: vitæ initium, ut ingreſ-
ſum ad moleſtias & dolores, inviti videbant.
Si ergo naſcimur miſeri, morimur beati; quis
in hanc lucem edi velit, ut miſeriis opprima-
tur? quis non potius mori, ut beatam vitam
acquirat? &, ſi hoc nobis metipſis, ut opti-
mum, vellemus; cur liberis, & affinibus, di-
verſum? an melius nobis, quam iis, quos ſum-
me diligimus, eſſe velimus, aut potius beate
nobis, miſere ipſis & infeliciter? hoc certe
B nullo modo; quamobrem amanda mors ſemper
omnibus, cariſſimis etiam optanda. Ac, ſi qui-
bus mori præſtat, quàm vivere, iis præcipue,
quos & acta cum virtute vita claros efficit,
& mors ſatis diuturna vita perfunctos, mole-
ſtia afficere non poteſt. Naſci vero non intel-
ligo, quibus expediat; nam in ærumnas, miſe-
riaſque ingredientes quid gratum, quid hilare
aſpicimus? qua re potius non offendimur?
quod primus ille naſcentium infantium vagi-
tus, & ejulatus ſatis declarat; tributus enim
eſt ab optima parente natura, quæ nihil inane
ſolet efferre, ac potius iis rebus, quas efficit,
admiranda ſemper edit vel pietatis, vel juſti-
tiæ, vel prudentiæ documenta. Ex quo intel-
C ligi licet, non naſci longe optimum eſſe, nec
in hos ſcopulos incidere vitæ; proximum au-
tem, ſi natus ſis, quam primum mori, & tan-
quam ex incendio effugere fortunæ. Sileni quæ
fertur fabula, ſi gravioribus ludicra interdum
admiſcere liceat, idem certe confirmat; qui
captus à Mida, miſſionem doctrina redemit;
docuit autem Regem, nunquam naſci opti-
mum eſſe, ſed celeritatem mortis proxime ac-
cedere; idemque Euripidis teſtimonio, poëtæ
ſapientiſſimi, comprobatur. Sed Crantor no-
ſter patri, filii mortem ægerrime ferenti, re-
ſponſum ait datum eſſe in Pſychomantio, filio
ſuo bene beateque eſſe, utiliuſque futurum
fuiſſe, ſi etiam pater pari ratione fatis conceſ-
D ſiſſet. Quamobrem, ſi dolorum finem mors
affert, ſi ſecurioris & melioris initium vitæ,
ſi futura mala avertit, ſi medetur præſentibus,
ſi nos ex plurimis vel morborum, vel mole-
ſtiarum, vel acerbitatum periculis educit, cur
eam tantopere accuſare, aut dolorem ex ea
derivare velimus, ex qua potius conſolatio-
nem, ac lætitiam haurire fas eſſet? Niſi ſi,
quod mortem ſubſequitur, nos fortaſſe ſollici-
tos habet; de quo libet pauca dicere, ne hic
unus ad moleſtiam, doloremque alendum an-
gulus relinquatur; qui profecto inſipientibus
objiciendus non eſt, nec in tanto argumento-
rum acervo, quibus mortem ipſam nobis ob-
ſtringere conamur, committendum, ut hoc uno
E nomine minus nobis debere videatur; & quam-
quam hæc futuri poſt mortem temporis cura
hominis propria non ſit, ſed Diis immortali-
bus potius relinquenda, quorum nos vel libe-
ralitati, vel ſapientiæ permittere fas piumque
eſſet: qui enim naſcentium curam ſuſcipiunt,
qui viventes protegunt, alunt, tuentur, fo-
vent, cur morientes deſerant? tamen aliquid
etiam modeſte de iis exquirere, non eſt inu-
tile. Neceſſe eſt autem, ſit alterum de duo-
bus, ut aut ſenſus penitus omnes mors aufe-
rat, aut in alium quendam locum ex his lo-
cis morte migretur; quòd ſi morte ſenſus ex-
tinguitur, obituſque noſter ei ſomno ſimilis

eſt, qui nonnunquam etiam, ſine viſis ſomniorum, placatiſſimam quietem affert, quid lucri eſt emori? aut quod omnino tempus reperiri poteſt, quod ei tempori anteponatur, cui ſimilis futura eſt perpetuitas omnis conſequentis ætatis? Sin migrationem malimus eſſe mortem in eas oras, quas è vita profecti incolunt; quid optabilius, quam ad eos proficiſci, quos mortuos vivens dilexeris, & cum iis perpetua vita perfrui, qui, ut nos in laude viveremus, & libenter moreremur, ſuis & præceptis, & exemplis tantopere laborarunt? mihi certe nihil videtur evenire poſſe gratius, quam, ſi mors aditum ad alia loca pateſaciat, ad eos venire, & cum iis eſſe, quos & maxime dilexi, & nunquam non diligere ac laudare poſſum. Ad meos autem & affines, & amicos ut pervenero, quantopere lætabor? quæ jucundior collocutio, qui ſuavior vel congreſſus, vel complexus? O vitam vere vitalem, ut ait Ennius, omnibus bonis, ac gaudiis circumfluentem: ſed beatam etiam mortem, quæ ad beatiſſimam vitam aditum aperiat. Me quidem, etſi dolore vehementer perculſum & afflictum, his tamen monitis, & præceptis non mediocriter allevari ſentio; itaque neminem puto fore, quem non rationes, à nobis tam ſtudioſe è ſapientum libris collectæ, juvent, ac delectent; eoque magis, quo leviores erunt aliorum dolores, quam hic, quo nos tantopere vexati ſumus; nam ſi amor, ſi pietas filiæ, ſi virtus, ſi gravitas, ſi conſtantia, ſi cetera, quæ vix in feminis ſpectari, nedum requiri ſolent, conſideranda ſint; tanta facta jactura, graviſſime dolere debuimus; ſed vincat dolorem conſolatio; nec jam, quid amiſerimus, ſed, quatenus mortalem filiam lugere deceat, cogitemus. Hoc nos in mœrore noſtro; quod certe fortis eſt ægroti, non ſolum accipere, ſed etiam exquirere medicinam. At, ſi quis erit, quem dolor à ratione averterit, cui non ſatis firma videantur ea, quæ jam dicta ſunt; is ſe hominem eſſe meminerit; nihil autem humanius eſſe morte, ut, ſi mors ab ipſo divelli, atque auferri poſſet, diis proprior habendus eſſet, quam hominibus, nec omni ex parte hominis nomen ipſi congrueret, quia communi, & præcipua hominis conditione non uteretur; præterea lacrymis nihil profici, quæ ſi quid adjumenti afferre poſſent, non ſolum effundendæ, ſed ſtudioſe conquirendæ viderentur. Denique, non ſolum injuſte, ſed etiam turpiſſime agere qui immodice doleat; turpitudo enim pejor eſt dolore; ſiquidem dolor homini à natura inſitus eſt, nihilque habet infamiæ; turpitudo autem iccirco vituperanda, quòd aliquid ſemper indecorum continet, culpa contractum; at omnis immodicus dolor turpis eſt, & à viro alienus: quandoquidem, ut immodice, præterque rationem doleas, ſponte efficis; ex quo culpa exoritur: quæ homini maximè fugienda, vitandaque eſt, ne cogitationibus molliſſimis, quales interdum perdite amantes ſuſcipere ſolent, nimium perturbemur, & effeminemur; quin potius nos ad Homerica præcepta referamus:

Corde age ſis firmo, nec te ſubmitte dolori;
Namq; aliquid gravius pejuſq; aliquando tuliſti.

Nemo videlicet ſuorum funera experitur, cui non adverſa multa antea contigerint; ita variis omni ex parte incommodis humana natura concluditur; cur igitur graviora, vel certe A æque gravia fortiter paſſus, cum maximè occalluiſſe, & ad dolorem novum obduruiſſe deberet, deſpondeat animum, ſeque mœrori tradat? quod etiam injuſtum eſſe, paullo ante dicebamus; natura enim uſuram nobis vitæ dedit, tanquam pecuniæ, nulla præfinita die; quod ſi, cum libet, ſua repetit, ea conditione commodata, ut reſtituenda ſint, cur accuſatur? aut, cur non potius naturæ gratias agis, quòd, cum citius potuiſſet, tardius repetierit, quam, quòd aliquando repetierit, injuſta querela inſequeris? certum eſt enim, non habitandi locum, ſed commorandi diverſorium, nobis eſſe conceſſum; è quo cum migramus, alacres tanquam ex hoſpitio miſeriarum atque B incommodorum pleniſſimo, egredi debemus, ac lætiſſimo animo ad futuram vitam, tanquam ad patriam, evolare; quod ſapientes re ipſa præſtitiſſe memorantur; profecto enim, ſi quid eſt, quod morientes perturbet, aut morientium affines habeat ſollicitos, id totum aut ex falſa quadam opinione oritur, quòd vitæ hujus uſum nimis utilem, ac jucundum arbitremur, aut ex nimio in noſmetipſos amore caritateque provenit. Sed opinionem illam, quam rationes adeo firmæ convellunt, libenter deponere debemus; ab hoc vero amore nimio tanto libentius abhorrere, quanto indecentius eſt, vitæ munere perfunctos velle etiam invita, diis invitis, commorari; communemque C omnium, qui ante nos è vita diſceſſerunt, conditionem recuſare; demum, tanta eſſe mollitie, tantaque impudentia, ut ne in morte quidem confirmemur, ac reſipiſcamus. Quòd ſi noſtrorum mortem dolemus, cogitemus aliquando, moriendum ipſis fuiſſe; mortem autem incertam eſſe, nec in hominis arbitrio poſitam, ſed è Deorum voluntate pendere: quos vero lugemus, eos quoque ſuorum mortem vidiſſe, patienterque tuliſſe; ideoque ſuo exemplo, quid nos facere velint, præcipere: denique id, quod ad conſolandum maximum, ac firmiſſimum eſt, non eos nobis penitus ereptos eſſe, nec prorſus amiſſos, ſed ad præfinitum tempus à noſtris oculis, noſtraque con- D ſuetudine remotos; itaque, cum ad eum vitæ terminum, quem natura præſcripſit, nos quoque pervenerimus, ſtatim eorum conſuetudinem reguſtabimus, & ad ſuaviſſimam vel conſuetudinem, vel convictum redibimus. Mortem ſuis acerbam amaramque in moriendo eſſe, nonnulli exiſtimant, atque ideo fortaſſe perturbantur; quod me quidem, ſublatis gravioribus dolendi cauſſis, quas jam ſuperiori diſputatione rejecimus, minime angit; ipſe enim diſceſſus animi à corpore vel cum nullo, vel certe cum modico dolore fit, & interdum ſine ſenſu; nonnunquam etiam, ſi recte ſapimus, cum voluptate. Sed, quidquid ſit, totum hoc ita leve eſt, qualia ſunt ea, quæ pun- E cto temporis fiunt; nec, ſi mors paullo longior alicui contingat, deſperandum eſt de Deorum naturæque benignitate, quin eo quoque tempore properantem è vita diſcedere foveant, atque allevent; cujus rei in morientibus ſæpiſſime ſigna minime dubia cernuntur: cum velut è ſomno exciti, quo tempore extremum ſpiritum edituri ſunt, ita gaudentes & alacres aſpiciunt, ut libentiſſime judices è vita proficiſci. Quamobrem ne hæc quidem ullam æquam doloris afferre cauſſam poſſunt, qui certe comprimendus ac minuendus eſt, quòd, etiam ſi nolis, tempore tamen ipſo extenuatur, & evaneſcit: non, quòd minuendi do-

doloris vis in ipſa die poſita ſit, ſed quòd uſus ipſe cogitatioque diuturni temporis doceat, nihil eſſe in morte mali, ideoque leviter, & patienter ferendam. Sed turpe ſtultumque eſt homini, tanta tamque varia rerum cognitione inſtructo, non à ſe ipſo potius mature, quam ſero ab uſu, & cogitatione doloris remedia expectare: quæ tam firma ſunt, ut neminem fore putem, quem non vehementer non juvent ſolum, ſed etiam permoveant; mihi vero eo magis neceſſaria fuerunt, quo turpius viſum eſſet; me, qui ceteros conſtantiſſime conſolatus eſſem, in meo dolore jacere: voxque illa exaudiri, & fortaſſe non immerito, potuiſſet.

Hiccine ille Cicero; cujus ob os Graji
Ora obvertebant ſua?

Sed nos Philoſophia adverſus omnes vel temporum, vel fortunæ, vel naturæ inſidias munivit; quæ ita fortis, ut nullius injuriæ impetum extimeſcat; ita lenis & ſuavis, ut omnes acerbitates facile mitiget ac molliat; ita demum utilis & fructuoſa, ut totam ſe ad humanas utilitates liberaliſſimè porrigat atque explicet; nec vero ſecus debet; quæ enim humanarum miſeriarum cumulum optimè norit, & acutiſſime perſpiciat, ſi eas patiatur manare longius, neque homini mœrore confecto conſilio præſidioque ſuo præſto ſit, quid illo miſerius? quid vita noſtra laborioſius, aut tætrius? aut quid prodeſſet, adſpectum à natura ad ſupera erectum accepiſſe, ut cœlum contemplari, ut Deorum majeſtatem cogitare, aut à Diis immortalibus mentem, & rationem, ut utilia cognoſcere, honeſta à turpibus ſecernere, æqua amplecti, ab iniquis abſtinere poſſemus, voce denique ipſa & oratione frui, quæ nullis animantibus conceſſa eſt, quaque ceteris omnibus, quæ ſub cœlo ſunt viventium naturis antecellimus? inania hæc videri poſſent, ſi tam multis ex adverſo miſeriis oppreſſa hominis natura neque ſe ad cœleſtia erigere, nec tantis bonis, quibus majora eſſe nulla potuerunt, uti poſſet; ſed profecto, ut contra ſerpentium virus pharmacorum genera multa, contra inopiæ calamitatem ſolertia & induſtria, contra turpitudinis voluptatem pudor & verecundià, ſic contra doloris morſum philoſophia nobis data eſt Deorum immortalium conceſſu atque munere, quam ut nemo ſatis pro dignitate laudare queat, ſic quamplurimi mentis tranquillitatem, animi moderationem, in voluntates imperium, in acerba omnia ſummam quandam vim ac fortitudinem illi uni acceptam referant neceſſe eſt. Neque nos aut in exſilio patientes, aut in honorum curſu temperantes fuiſſemus, aut nunc in tanto mœrore ſapienter & fortiter verſaremur, niſi tuo Philoſophia optima rerum humanarum moderatrix, beneficio. Tu vero felix & beata, Tullia mea, ſi quis tibi in morte ſenſus eſt, quæ tot tantiſque miſeriis, quibus propoſita fuiſſes in vita, una morte perfuncta es; à præſentibus malis expedita, ab impendentibus erepta, & in tuto ac tranquillo quietis portu collocata; merito tibi mortem jucundam fuiſſe putem, cum vel ea bona, quibus viventi frui licuit, animo reputas, vel mala, quæ moriens vitaſti, mente, ac cogitatione complecteris. Ego autem, cum te felicem judicem, ac, ſi dicere liceat, pene oculis cernam, cur tua morte excrucier? potius lætabor, ac tibi, tanquam de re optatiſſima,

A gratulabor; cui niſi moleſtum eſt, me jam ætate confectum in tam perturbata Republica, tamque miſero vitæ genere reliquiſſe, quid jam grave aut acerbum eſſe poſſit? Sed hoc quoque ratione ipſa levius aliquanto efficitur: neque tu nunc, quid me perferre neceſſe ſit, ſed, quam non multo poſt te cum iiſdem bonis uſurus ſim, debes cogitare; nihil enim accidere valde grave poteſt iis, qui ſpe jam propinqua futuri boni recreantur, & aluntur. Sed neſcio qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio veri; non enim tantopere bonis delectamur, quàm malis affligimur; ex quo fit ut hæc etiam nolentes augeamus, bona autem, quæ fruendo, cogitando,
B gaudendo majora efficere expediret, etiam deteramus, quod certe minime oporteret; nam, ſi ſerio diſputare volumus, cur dolores reſque adverſas refugiamus, quæ fortitudinem in nobis gignunt, & efficiunt? quæ ſi nulla eſſent, nulla profecto fortitudo agnoſceretur; cur mortem horreamus, quæ aſſidua ſui memoria, nos ut meliores ſimus, admonet? nec patitur, ad ea nos animum adjungere, quæ aliquam nomini noſtro vel intemperantiæ, vel injuſtitiæ notam poſſint inurere. Bona vero, & ea quæ probantur in vulgus, cur tantopere appetamus? quæ conſecuti, molliores plerunque ac deteriores evadimus; itaque his voluptatum lenociniis obruimur, ut di-
C ſceſſum ex hac vita impendere, vix aliquando recordemur. Sapienter philoſophorum princeps, & magiſter Plato; quæ ſenſus appetit, aut timet, nihil aliud eſſe, quam ſomnia; itaque penitus contemnenda eſſe; mala vero ut vitentur, ad æterna properandum: quò niſi confugias, vitari nunquam poſſe; at ad æterna ne properari quidem poteſt, niſi morte janitore, ac duce. Quorſum hæc? ut intelligamus, non modo à dolore vacuam, quietam, oportunam, bonam denique eſſe mortem, ſed etiam ſummorum atque immortalium bonorum liberalem, ac beneficam miniſtram; itaque Cato ſic è vita diſceſſit, ut lætaretur, cauſſam ſe nactum eſſe moriendi. Jam
D nemini dubium eſſe poteſt, quin vir prudentiſſimus, ſi ſua morte lætabatur, mortem etiam optimam eſſe agnoſceret. Certe enim in re ſua, quæ præſertim ſenſu percipiatur, nemo fallitur; quod comprobare poſſum Artabani Xerſis patrui, viri ſapientiſſimi, teſtimonio; de quo eſt apud Herodotum, cum Xerſes exercitus ſui copias pœne innumerabiles, ante ſe in aciem inſtructas intuens collacrymatus eſſet, neminem ex tot militibus ad centum annos ſuperſtitem futurum, illum Xerſi reſpondiſſe; at tam multa ſunt, tamque miſera, quæ viventes perferunt, ut nemo ſit, quin mori ſæpiſſime cupiat: cum inciden-tes calamitates, & morbi vitam adeo pertur-
E bent, ſollicitamque habeant, ut longiſſima videatur; itaque mortem perfugium eſſe ærumnoſæ vitæ, dubitare nemo poteſt, nec his contentus addidit etiam illud; Deos immortales, cum hominum vitam, quæ adeo miſera ſit, multis bonorum integumentis velarunt & operuerunt, feciſſe quodammodo invidentius, ne mortis ſuavitatem, quanta eſt, omni ex parte deguſtaremus. Amphiaraum fabulæ narrant Jovi atque Apollini fuiſſe cariſſimum, neque tamen illum ſenium attigiſſe; ex quo quid aliud conjici poteſt, quàm mortis celeritatem divinum munus, & lucrum eſſe maximum? itaque ſcitum eſt illud comicum:

Nam

Nam quem tuetur, atque diligit Deus,
Juvenis ſupremum mortis intrat limitem.

Neminem enim, quem dilexerint Dii, patiuntur eſſe miſerum; quare vitam eis, miſeriarum plenam, adimant neceſſe eſt; quid autem contingere homini tam gratum poteſt, quod eum magnopere in vita retineat? voluptas, credo, quam ex alicujus ſive artis, ſive doctrinæ tractatione percipit; at doctrina æmulationem, omnium rerum moleſtiſſimam, ſi quæris, etiam dolorem parit; non tam enim delectamur, aliquid diſcentes, quam angimur, multo plura, ac majora, quæ ſcire vellemus, penitus ignorantes. Artes vero, quas tenuiores tractant, quid habent voluptatis, aut quid non potius moleſtiarum, & mœroris? quanta inter eos, qui illas exercent, perfidia? quantum odium? quanta invidia? aut quis eſt, ſua ſorte contentus, & non alienæ ſive induſtriæ, ſive fortunæ, æmulator, oſor, detractor? Sin civilem vitam quiſquam appetit, & in Reipublicæ luce vivere pulchrum putat, is ſe exigua, ac pene nulla honoris ſpecie magnas comparare calamitates certo ſciat; quotus enim quiſque eſt, cui non publica adminiſtratio vel mœroris, vel jacturæ tantum attulerit, quantum verbis explicare vix queat? ac, ſi de toto vitæ curſu judicare vere volumus, exitum videamus. Ubi optimi Reipublicæ adminiſtratores, ſeu verius parentes, Miltiades, Ephialtes, Cimo, Themiſtocles, Ariſtides? quantum illis fides, charitas, integritas, conſtantia peperit miſeriæ? ut non modo honoribus, dignitate, auctoritate ſpoliarit, ſed etiam in exſilium miſerit; quod contra oportebat; viros optimos, patriæque amantiſſimos honore affici, in oculis ferri. Scipio Africanus apud noſtros optimam cauſſam amplexus, paucorum immoderatæ libidini repugnans mane mortuus in lecto eſt inventus; nec abſuit ſuſpicio, quin ab uxore, quæ Gracchorum ſoror fuit, interfectores eſſent immiſſi. Metello autem Numidico, homine omnium clariſſimo, ac præſtantiſſimo, quid miſerius? qui, ne in legem pernicioſam juraret, in exſilium abire ſit coactus; fateor profecto, inter omnia exſilii genera, atque omnes miſeriarum cauſſas maxime honeſtam Numidici fuiſſe conditionem; cui probitas, integritas, in patriam charitas calamitatis cauſſam attulerit; ſed tamen fatendum eſt, graviſſimam fuiſſe calamitatem, pelli patria, avelli à ſuis, bonorum direptionem, liberorum ſive mœſtitiam, ſive ærumnam videre. M. Regulum, C. Marium, L. Brutum, ob liberandam patriam interfectum, prætereo; nolim, in iis commemorandis nimius videri, quorum exitus nemo eſt, quin ex libris, imaginibus, fama denique vulgari jam didicerit; quæ cum multa maximeque gravia ſint; graviſſimum tamen illud debet videri, quòd homine ambitionis vinculis irretito, quique è popularibus ſuffragiis totus pendeat, nihil uſquam infelicius reperiri poteſt; quantus in eo timor, quanta dubitatio, quantus conatus, quanta ſollicitudo? ut nullam illi à moleſtia vacuam eſſe horam, non immerito ſuſpicari poſſimus; nam, ſi ſervientis ea eſt conditio, ut ex ejus, cui ſervit, moribus, voluntate, ingenio propriam ſibi fortunam fingat; qui populo ſerviet, avido, invido, ignaro, ad mutationem proclivi, &, quod caput eſt, ingrato, num aliquando beatus eſſe poterit? an potius, quo-A ties de ejus natura cogitabit, toties ſuam ipſe calamitatem, ac fortunam conquereretur? præclare vetus Poeta:

Æterno mixtam luctu mortalibus olim
Vitam conſtituit divûm pater, atque hominum Rex.

Itaque quamdiu hac luce utimur, vivere quidem videmur, ſed verius aſſidue morimur, aut ſaltem vitam verbo retinemus, re ipſa amiſimus. Equidem non video, quid in hominis vita valde optandum, aut felix eſſe poſſit; multos potius, ne in majora, quam quæ humana conſuetudo quotidie fert, mala inciderent, mortem ſibi dedita opera conſci- B viſſe ſcio; quod tamen non iccirco dictum velim, quia probandum putem; ſed, ut ex eo appareat, humana vita quam multis undique prematur difficultatibus. Cleomenes Lacedæmoniorum Rex, ejuſque filius, morte ultro appetita, præterea Theogenes Numantinus, qui, ne in hoſtium manus veniret, primum ſuis, deinde ſibi ipſi mortem attulit, quantoperè vita fugienda ſit, ſatis videntur apertè declaraſſe. Ac niſi turpe videatur, homines à mulierculis, multo certè imbecillioribus, fortitudinis exempla petere, reputamus ex hiſtoriis Aſdrubalis uxorem illam, quæ, Carthagine in hoſtium poteſtatem redacta, ſe ipſam cum tribus filiis in conflagran- C tis patriæ incendium immiſit. Sed præter hæc, quæ jam teſtata ſunt, & illuſtria, fateamur ſane ingenue, tantam eſſe humane naturæ miſeriam, & neque genus ipſum hominum, nec è toto genere ſinguli miſeriarum expertes eſſe poſſint; quod eo magis mirandum eſt, quòd non iis ſolum malis, quibus hominis natura aſſidue affligitur, mala noſtra præſcripta ſunt, ſed ipſi nos, quantum in nobis eſt, miſeriores quotidie reddere conamur; nullum enim aliud in toto terrarum orbe genus animantium reperias, præter unum hominem, quod in proprium genus, atque in ſe ipſum ſævitiam exerceat ſuam; meritoque Dicæarchus in eo libro; quem de hominis in- D teritu luculentum & eruditum conſcripſit, nihil habere dubitationis putavit, quin multo plures extincti ſint homines ipſa hominum ſævitia, & acerbitate, quam omni reliquo genere calamitatis; tanta eſt enim in permultis avaritia, tantum ambitionis, imperii, divitiarum ſtudium, ut explendæ cupiditatis gratia nihil ſibi non licere putent; atque hoc malum non jam anguſtis finibus compreſſum videmus, ſed ſuperioribus ſeculis erupiſſe vehementer, & manaſſe latius; non enim certum aliquem hominum numerum, ſed regna ipſa, & totas perſæpe funditus ſuſtulit civitates. At, ſi ad ſingulos homines, quæ proxima ratio eſt, mentem cogitationemque converteris, E ne in iis quidem quidquam reperies, quod valde appetere, aut approbare poſſis; finge enim animo quidquid homini felix, aut beatum ex opinione vulgari poſſit in vita contingere; congerantur divitiæ, bona valetudo, honores, potentia, etiam voluptates accedant; cum hæc omnia in hominem contuleris, nihil tamen tribueris ſtabile, aut firmum, nihil, quod non repentinam, & aſſiduam pati mutationem poſſit; caduca enim & incerta ſunt omnia, non in humanis conſiliis, aut viribus poſita, ſed in fortunæ temeritate, ac temporum viciſſitudine conſtituta; quid autem homini turpius, quam è temporis ac fortunæ muta-

mutatione pendere, & ſecundo illius flatu ſublevari, reflatu deprimi & affligi? aut lætis rerum eventis gloriari, adverſis lugere, nec lacrymis temperare poſſe? quid jam intereſt inter hominem mutamque pecudem, ſi nos perinde atque illa, quibus rationem Natura denegavit, extrinſecus toti pendeamus, in nobis ipſis nihil fortitudinis, nihil firmitatis, nihil habeamus conſtantiæ? quamvis enim homini non mater, ſed verius noverca Natura corpus fragile, infirmumque tradiderit, animum autem & in moleſtiis anxium, & in timore humilem, & ad labores mollem; plurimos tamen inſevit divinos ingenii judiciique igniculos, quorum auxilio & cum dolore luctari, & timori obſiſtere, labores vero omnes nullo negotio vincere, ac perferre poſſemus; itaque tributum divinitus mentis ignem, & prudentiæ non extinguere, ſed ſopitum fovere, atque augere debemus. Mors autem, progreſſis in vita longius ſi immineat, nihil eſt, cur magnopere commoveamur: quæ præſertim aut meliorem, quam quo viventes fruimur, aut certè non deteriorem vitæ ſtatum ſit allatura; quis enim negabit, ſi animus omnino intereat, extincto ſenſu nihil eſſe mali; proptereaque nullam juſtam doloris cauſſam exiſtere, at, ſi vigeat, corpore ſolutus ac liber; quid jam illa vita beatius, quid divinius? ex quo maxima & veriſſima lætitiæ ac voluptatis exoritur occaſio. Itaque nihil jam reſtat, quo minus, optimam eſſe mortem, vere affirmare poſſimus, tantumque abeſſe, ut, cum adeſt, dolenda ſit, ut nunquam fugienda, ſæpe etiam optanda videatur; atque eo magis, quo diutius in vita homo permanſerit; nam, cum iis bonis, quæ afferre vita poteſt, ſatiari cœperit, tum ab humanis moleſtiis ſecedens, in beatiſſimam vitam commigrabit; non enim is ego ſum, qui animum ſimul cum homine interire putem, tantumque mentis lumen è divina natura delibatum, poſſe extingui, ſed potius, certo tempore emenſo, ad immortalitatem redire; quid autem hominem magis deceat, quam tam multis tamque firmis rationibus nixum, virilem animum retinere, femineam mollitiem exſuere? Qui vero mortuos nimis lugent, nec humanam conditionem magno elatoque animo deſpicere poſſunt, in eos illud probri plenum vere dicetur;

Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem;
Illaque virgo viri.

Multæ enim repertæ feminæ ſunt, quæ in domeſtico luctu ſingularem animi præſentiam, ac magnitudinem præſtiterunt. Sed virilis fortitudo, ut libidini, ſic dolori, non aliter, quam ſervo domina, imperare debet, eamque coërcere, ac frangere, tanquam vitioſam & imbecillam animi partem; quam ſi emergere patiatur, ſeque paullo altius efferre, non modo rationi præcurret, ſed etiam victrix in animo exſultabit; quo nihil homini turpius, aut perniccioſius ne excogitari quidem poſſit. Gorgias orator, jam ætate confectus, ac morti proximus, rogatus, num libenter moreretur; Maxime vero, inquit, nam tanquam ex putri, miſeraque domo lætus egredior. O virum egregium, dignumque, cujus vigeat in omnium ore, ac mente ſententia; quid enim potuit præclarius dicere? cum mala, quæ viventem pati neceſſe eſt, cogitaret, miſeriarum

A finem, quis moriens relinquebat, adeſſe lætaretur? ſic par eſt loqui hominem, qui non libidine vexetur, non voluptatis illecebris irretiatur, nulli denique pareat cupiditati; quæ ſumma eſt ratio, & ſapientia, humanæ neceſſitati imperare, non dolori cedere, non deſiderio angi, nihil denique humanum extimeſcere. Angamur liberorum aut affinium interitu? quid ita? ut ſtultos imitemur, qui, quæ mutari non poſſunt, quæque vel nolentes opprimunt, perferre nequeunt; ſaniores, quorum tam multa extant ad æternitatem illuſtria ſive exempla, ſive teſtimonia, negligamus? quid eſt aliud, cæcorum more ambulare, &, cum in celebritate verſari, ac Solis lumine
B uti poſſis, ſolitudinem tamen, ac tenebras quærere? jam enim ad eos, quos æmulari ſatius eſt, quoſque nobis imitandos propoſuit antiquitas, noſtra delabatur oratio. Mortem igitur in malis nullo modo eſſe ponendam, ſed in præcipuis bonis numerandam, dubitaturum puto neminem; ſi enim à miſeriis abſtrahit, ſi in meliorem vitam inducit, ſi neque miſeria ipſa eſt, nec ullius particeps miſeriæ, cur mala cenſeatur? ſin hoc largitur, ut ſempiternis bonis potiamur, vitamque, quam mortalem habuimus, æternam adipiſcamur, quid morte beatius eſſe poſſit? itaque ſapientiſſimos homines accepimus non modo ſuorum morte non perculſos, neque dolore
C ullo affectos, ſed etiam ſæpiſſime lætatos eſſe. Anaxagoræ inter familiares ſuos de natura rerum diſſerenti, filii mortem nunciatam tradunt; nihilque aliud ab eo reſponſum, niſi ſe illum genuiſſe mortalem; præclara vero vox, & vere digna, quæ à tanto viro emitteretur; non enim ſane video, quid ſapientius, aut conſtantius dici poſſet; an adoleſcentem illum eſſe mortuum? fracti hoc animi, nec in rebus adverſis admodum firmi ſignum fuiſſet; an angi ſe ſe, non ſua, ſed filii cauſſa? num igitur ignorare ſe fateretur, quantis è malis elapſus eſſet filius? an ſe quidem dolere, ſed tamen humanum caſum agnoſcere? ubi ergo hominis gravitas, judicium, ſapientia? aut
D quid ab imperitorum turba diſtabit? è quibus tamen ſæpe multi nec iis rebus anguntur, quæ neceſſario eveniunt, nec, quo minus eveniant, cum communes omnibus ſint, laborandum ullo pacto cenſent. Ille verò ſapiens, & vere Philoſophus; quem neque improviſus nuncius perculit, nec à diſputatione abduxit, ſed potius vocem expreſſit, ſummæ indicem fortitudinis, ac ſapientiæ; vellem, & hoc ipſum de pluribus ex noſtris dicere liceret; quos ſi interdum fortunæ oppreſſit injuria, nihil aliud judices, quam proſtratos illos, ac penitus abjectos eſſe; quaſi vero aliquid acciderit, quod vel ante ipſos nemini, aut, quod ipſis, ſi minus hoc tempore, ſaltem paucis poſt annis non eventurum fuerit; ac, cum
E maxime animo vigere deberent, tum præcipue non ſolum præteritæ, patriæque virtutis, ſed etiam humanæ legis, ac pene obliviſcuntur ſui; tantum in eorum animis mollities poteſt, ac ſervitus quædam doloris, atque triſtitiæ. An ego illum judicare liberum poſſim, cui dolor imperat? quem repentinus caſus perturbat, impellit, evertit? qui nihil præ doloris magnitudine cogitare, nihil meditari queat? qui nihil in ſe ipſo, in temporibus, atque in fortuna, quæ ſtabilitatis nihil habet, ſua ponat omnia? ego vero iſtam non modo ſervitutem, ſed pene captivitatem, & quidem mi-

miſerrimam cenſuerim; quid enim intereſt in- A
ter eum, qui vinctus ab hoſtibus, & carceri-
bus concluſus, obſideatur, & eum, qui dolo-
re captus, ſuo prorſus careat arbitrio? at ille
quidem, etſi corpore ſerviat, animo tamen
liber eſt, nec dubitat aliquando fore, ut li-
bertatem aſſequatur; qui vero dolori paret,
nec valet corpore, & animo quam maxime
laborat; non enim amicis frui, non Reipubli-
cæ prodeſſe, non privatas res curare, non pu-
blicis conſulere poteſt, ita in otio, & quidem
moleſtiſſimo, nec cuiquam paret, & tamen
ſibi non imperat; qui cum aſſiduis, & maxi
mis prematur anguſtiis, alterum eſſe neceſſe
eſt, ut quamdiu in dolore verſatur ſemper
miſer ſit, alterum fieri nullo modo poteſt, B
ut, niſi dolere deſinat, à miſeriis eximatur.
Quanto ſapientius Xenophon, qui, cum ſacra
ſolemnia perageret, majoremque natu filium
in prœlio apud Mantineam cecidiſſe audiret,
coronam tantum è capite depoſuit, ſed in ſa-
cris peragendis conſtanter perſtitit; ubi vero
cognovit, fortiter pugnantem occidiſſe, coro-
nam rurſus capiti impoſuit, Deoſque ipſos,
quibus litabatur, teſtatus eſt, majorem ſe ex
filii virtute voluptatem, quam ex obitu mole-
ſtiam cepiſſe; huic ego non dubitarim, quin
omnia, quæcunque accidere poſſent in vita,
nullam eſſent perturbationem allatura; qui
enim uſque eo in deorum cultu conſtans, &
firmus eſſet, ut neque filii morte nunciata, C
ab iis avocari poſſet, cur eum credam filii
morte lugenda à Deorum voluntate diſſenſu-
rum fuiſſe? aut qui virtutem, filii vitæ ante-
ferret, non jure credi poſſit, illum & virtu-
tis ſtudio incenſum, & patriæ charitate im-
pulſum, omnes moleſtias, omneſque calamita-
tes libentiſſime fuiſſe ſubiturum? ſed quo ra-
riores qui hoc modo animati ſunt, hoc præ
clariores viri; nihil enim ad laudem illuſtrius,
quam in æternam gloriam, aut in patriæ uti-
litatem intuentem, aut ſaltem fortiter dolores
perferentem, & cum fortuna luctantem ne-
gligere humana; quæ qui nimium curant, ii
laudis ſtudium, civium commoda, denique
omnia, quæ laudabilia putantur, prorſus è D
mente, ac cogitatione ejiciant, neceſſe eſt;
neque enim humanis curis implicitus toto
animo de patriæ ſalute, atque utilitate cogi-
tare, aut laudem ſibi præclaris actionibus
comparare, vel egregii quidquam ſuſcipere,
ac ſuſtinere queat; ſuis autem commodis, ac
rationibus proſpiciens, & conſulens, cetera
omittet, de ſeipſo dies noctеſque cogitabit;
ita nec boni civis, nec boni viri fungetur of
ficio; bonum enim virum decet, de cetero-
rum commodis æque laborare, ac de ſuis;
bonum vero civem ſua omnia poſteriora ha-
bere, patriæ commoda, prima & maxima du-
cere; à quibus neque dolore, neque ulla
omnino humana avelli perturbatione debemus. E
Periclem narrant hiſtoriæ intra quatriduum
duobus filiis, eximiæ indolis adoleſcentibus,
eſſe orbatum; qui uſque eo fortis, ac conſtans
in luctu fuit, ut nihil prorſus de priſtino ha-
bitu cultuque diminuerit, ſed eundem, quem
antea, in concionibus habendis morem, ri-
tumque ſervarit; nec unquam coronam è ca-
pite depoſuerit; de quo traditum eſt, nihil
eum putaviſſe indignius futurum, quam ſi ali-
quod fracti animi ſignum mœroris cauſſa mu-
liebri more edidiſſet; fortem ſane hominem,
& magna laude æternaque memoria digniſſi-
mum; quem neque naturæ vis, ad nimium

ſæpe amorem trahens, potuerit de ſtatu dimo-
vere, & ad dolorem adducere, nec liberorum
deſiderium, quos tamen ſumme dilexiſſe di-
citur, ulla ratione perturbarit; nec mirum;
vera enim fortitudo inanes ſollicitudines eji-
cit, ac depellit: opprimit cupiditates; impe-
rat timori; nihil autem appetit forti viro in-
dignum; nec ab ulla re vel metu, vel incon-
ſtantia repellitur; & quamvis excelſam, ela-
tamque naturam ratio ipſa, doctrinæ præcep-
tis imbuta, confirmet; quod Pericli doctiſſi-
mo homini, maximoque ingenio prædito ſine
ulla dubitatione contigiſſe, prorſus mihi per-
ſuadeo; ipſæ tamen fortitudinis radices in
animo præcipue inſident, qui cum humana
deſpicit, nec ad humilia, quaſi humi depreſ-
ſus, ullo pacto adhæreſcit; facile fit, ut ube-
riores, & maturiores fructus ferat, cum ad
eum, veluti ad agrum optimum cultura, ra-
tio etiam acceſſerit, conformatioque doctri-
næ; non enim, ſenſu omni doloris caruiſſe
ſummos viros, credendum eſt; qualis enim
nihil ſentientis animi, ſenſuque prorſus ca-
rentis eſſe fortitudo potuiſſet? ſed dolorem
ſentientes, ad eum opprimendum, ac vincen-
dum ſummam animi contentionem adhibe-
bant, tantumque nitebantur, ut è pugna di-
ſcederent ſuperiores, verum enim illud eſt,
nullam animo majorem peſtem una remiſſio-
ne, poſſe contingere; qui ſi intentus eſt, ſeq;
ad reſiſtendum parat, omnia ſuſtinet pondera,
omnia vel firmiſſima tormenta facile diſcu-
tit, ac depellit; at remiſſione enervatus, &
effeminatus, ita deprimitur, & urgetur, ut
ſe ad æquitatem nequeat extollere. Nec vero
quiſquam doloris impetum excipere, ac forti-
ter perpeti poſſet, niſi ſe prius ad obſiſten-
dum comparaſſet; aut fortitudinem acquirere,
niſi prius doloribus multis acerrime, ac for-
tiſſime reſtitiſſet; ex quo conſuetudo fit, quæ
callum obducit animo; noſque contra omnes
vel naturæ, vel fortunæ impetus armat. An
cenſemus Harpagum Medum tantum fortitu-
dinis exemplum, quantum ab Herodoto me-
moriæ mandatum eſt, edere potuiſſe, niſi
prius in patientiæ, ac fortitudinis exercita-
tione ſæpiſſime verſatus eſſet? nec ſine maxi-
mo fructu, magnaque potius cum nominis
ſui gloria; tantum enim fortitudine, ac pru-
dentia præſtitit, ut acerbiſſimam injuriam ſine
ullo plane doloris ſenſu pertulerit, & ſe ſe
cumulate contra Regis immanitatem ulciſci
potuerit; nam, cum ejus filium Rex Aſtya-
ges interfectum ad epulandum apponi juſſiſ-
ſet, caputque ei poſt cœnam allatum oſten-
diſſet, rogans, cujus feræ viſcera in menſa
comediſſet; ille vero nihil perterritus, nec
animo ullam in partem dejecto, agnoſco, in-
quit, quid ſit actum, ac quicquid Regi pla-
cuit, mihi quoque placere pronuncio; hoc
autem immaniſſimum genus injuriæ tam diu
diſſimulavit, quo ad Cyrum ex Perſia in Me-
diam evocare potuit; quo adveniente, cum
exercitus Imperator contra eum à Rege miſ-
ſus eſſet, & Regnum, & Regem illi tradidit:
itaque Aſtyages in Cyri poteſtatem, impieta-
tis ſuæ pœnas daturus, redactus eſt. O factum
omnium gentium, ac ſæculorum memoria
digniſſimum; ex quo non modo qui dolori
cedunt, ad patientiam, ac fortitudinem exci-
tentur, ſed etiam Reges, quique hominibus
imperant, ne quid impium, aut indecens au-
deant, erudiantur; nam adverſus injuſtitiam,
atque impietatem tantum eſt odium, tanta

invi-

invidia, ut ne ipſum quidem cœlum, aut ſydera, etiam ſi homines velint, hujuſmodi ſcelera pati, ac diſſimulare poſſint; ac, ſi ſera deorum vindicta ſit, noluerunt tamen impios ipſo in facinore adeo exſultare, ut non angore conſcientiæ, fraudiſque cruciatu, tanquam domeſticis furiis, aſſidue vexentur; tantumque poteſt impietatis odium, ut Tyrannum extinctum, ac ſæviſſimè excruciatum nemo miſereatur, nemo doleat; nam adverſus hoc hominum genus, nec in ullo præterea, omnem prorſus vim, omneſque ſtimulos amittit dolor, qui ſi ratione comprimendus eſt, quod ſupra diximus, multo etiam magis conſuetudine vincetur: cujus tantæ ſunt vires, ut non modo perturbationem animi ſedare, ſed etiam naturæ vim afferre, eamque ſæpiſſime immutare, ac penitus aliam poſſit efficere; cujus auxilio non modo doloris aculei, ſed etiam fortunæ fulmina depelli, ac contemni facile poterunt. Meditemur igitur, & omnino ſtatuamus, nihil prorſus humanum eſſe dolendum, non mortem, quam jam optimam eſſe cognovimus, non egeſtatem, quæ ſæpiſſime maximi boni cauſſa à diis immortalibus tribuatur, non exſilium, cum orbis terrarum omnibus pateat, non cætera generis ejuſdem, quæ vulgi opinione graviſſimis in malis numerantur; nullum enim tam grave malum apparebit, quin ex eo bonum aliquod multo majus, multoque optabilius magno deorum beneficio aliquando colligatur. Pleni ſunt libri philoſophorum; refertæ argumentis, ac rationibus paginæ fere omnes: tanta autem exemplorum copia, ut nihil poſſit eſſe cumulatius; quæ cum ita ſint, qua jam re terreamur, aut cui dolori cedamus? Dion certè, qui è Platonis ſchola defluxit, cum ejus filius in atrium è tecto delapſus interiiſſet, non modo non doluit, ſed etiam in eo, quod tum forte agebat, conſtanter perſtitit; quo facto indicavit, & vir ſapiens, & Platonis diſcipulus, quid ceteros, qui ſapientes haberi volunt, facere oporteat. At Præxaſpes multo fortius; ſiquidem filii morientis, cum ferro trajiceretur, ſine ullo prorſus dolore ſpectator fuit. Cambyſes enim iratus, & ebrius, cum ejus filium ſagittis peteret, jamque pectus recluſum appareret, patrem juſſit inſpicere, num cor percuſſum eſſet; cui cum pater reſpondiſſet, jam cordi ſagittam eſſe infixam; tum Cambyſes, num quid certam inquit habeo manum? ac pater, nullo doloris ſigno dato, nec uſquam converſa, aut commota facie; ne Apollinem quidem, inquit, certiores ſagittas emiſſurum crediderim; quid hunc patrem putemus facturum fuiſſe, ſi filius in pugna fortiter dimicans occubuiſſet, qui nullius culpæ conſcium filium crudeliſſimè trucidari non doluerit? num credamus, filii mortem honeſtam, ac pro patria ſuſceptam, tali patri futuram fuiſſe jucundiſſimam? nec tamen dubito permultos fore, qui impium illum, ac pene viſcerum ſuorum carnificem vocent; ſed faciant ſane, ut lubet; dum hoc mihi concedant, exemplum hoc fortitudinis, ac devicti doloris eſſe præclariſſimum. Quod ſi ita eſt, ut infirmos animos ſpectata ceterorum virtus erigat, & confirmet, quem cenſeamus jam dolori conceſſurum, cum tam multos audiat, qui ſeipſos in dolore ſuperarint; quo circa, tam multa veterum exempla colligere, vereor ne ſupervacaneum, aut fortaſſe putidum videatur; quod ſi ceteris tantum, & non nobis

A metipſis ſcriberemus, fortaſſe breviores inſcribendo, in exemplis autem recenſendis etiam parciores eſſemus; ſed fit neſcio quomodo, ut ex aliorum caſibus ad mala noſtra ſananda medicinam colligimus; nobis quidem ita videtur; & cum noſtro vulneri medeamur, mirari non debebunt, qui hæc in manus ſument, ſi quid fortaſſe paullo expreſſum uberius invenerint; illud certe propoſitum habemus, ut omnibus nobiſcum prodeſſe, omniumque dolori, quam accuratiſſime fieri poſſit, conſolationem afferre poſſimus; quamobrem his enumerandis noſtram valde imminui, atque allevari moleſtiam experimur, ceteris idem optamus, ac, ſi dicere liceat, etiam B ſperamus; nam in tanta vel argumentorum, vel exemplorum copia, quibus ſe legentes pene obrui ſentient, ecquis ſe immobilem, aut in dolore inexorabilem præbeat?

Deſunt nonnulla.

Nec vero ignoro, nonnulla interdum accidere, quibus ita perturbetur, & opprimatur animus, ut à medicina refugiat; idque ſi ullo in caſu contingit, certe, cum dolore affligimur, maxime ſolet evenire; quod ex eo fit, quod erepti vel amici, vel affinis, vel filii cogitatio adeo nobis grata eſt, quod illum pene ante oculos conſtituere videatur, ut, etiam C ſi dolorem refricet, & lacrymas eliciat, tamen eam deponere nolimus; ac ſi ad conſolandum remedia ſuppetant, tamen nihil minus, quam conſolantium verba, audiamus; falluntur ſane graviter, qui ita agunt: ſed hunc errorem, quo magnopere delectantur, ſibi extorqueri nolunt. Quare ſuum unicuique ſtudium, ſuaque omnibus delectatio relinquatur; non enim vereor, quin, ſi minus in ipſo doloris æſtu remediis utendum homines cenſeant, certe, cum modice dolor reſederit, ac ſe paullum quaſi remittere cœperit, ad extinguendas doloris reliquias monita, præceptaque noſtra adhibeantur; nihil autem utilius eſt, quàm hæc eadem in voluptate, ac lætitia D pertractare, atque in manibus habere; ſic enim & legi, atque ad verbum ediſci, & penitus memoriæ mandari poſſunt, ut cum in animum penitus influxerint, tum exhauriri, ac prorſus elabi, non facile queant; ita fit, ut, cum repente dolor invaſit, tum iis utamur; quæ, niſi ante percepta, & cognita ſint, impetu ipſo doloris incurrente, plane depelli, atque excludi ſolent; ſenſimus hoc in nobis ipſis; nec parum nobis obfuit, hanc univerſam adverſus dolorem commentationem non multo ante animo, ac mente percurriſſe; quamvis enim permultos Philoſophorum libros, vel de luctu, vel de morte ſatis accurate legiſſemus, ut Theophraſti, Xenocratis, aliorum, quos E commemorare nihil attinet; tamen hoc non ideo feceramus, quòd eventurum putaremus, ut iis ipſis in noſtro mœrore uteremur; itaque neque lectionem, quantum oportuiſſet, accuratam, nec memoriam ſatis intentam adhibuimus; caſu autem repentino oppreſſi, non prius ad libros confugere potuimus, quin ante acerbitatis vi proſterneremur; quanquam poſtea tempore ipſo factum eſt, ut dolor, nec, ut antea, acrior, & mens ipſa paullo eſſet ſedatior, & ad medicinam accipiendam magis idonea. Sed pergamus ad reliqua, quæ nec multa reſtant, & ſcitu, ac cognitione digniſſima; fructu autem ipſo, quem præcipuè quærimus,

gia-

A gratiora fortaſſe, & uberiora. Quid eſt ergo, quod aliquam nobis afferre dubitationem poſſit, cur nihil omnino noſtrorum morte dolere debeamus? credo, ſi quando nobis in mentem venit, magnam nos ex eorum, quos amiſimus, opera, ac ſtudio utilitatem, percepturos fuiſſe; at hoc non ad amicos, aut affines, quorum dolere videmur interitu, ſed ad noſmetipſos pertinebit, mercenarius igitur dolor fuerit, quique non ex affinitate, aut benevolentia, ſed ex una proveniat utilitate; quid autem flagitioſius & indignius, quàm eum, qui ſic doleat, fateri oportere, cum tantopere alicujus morte crucietur, quòd aliqua utilitate privatus ſit, ſi nihil ex ejus vita beneficii, ac com-
B modi ſe conſecuturum ſperaviſſet, nihil ſibi omnino dolendum fuiſſe? At videamus, non Perſas, aut Scythas, ſed è media civitate noſtra clariſſimos, & præſtantiſſimos viros, ac cives, qui non modo amicorum, cum quibus conjunctiſſime vixerant, ſed etiam liberorum, & quidem cariſſimorum, interitum ita fortiter, & conſtanter tulerunt, ut cauſſæ nihil ſit, quin eos ſuperioribus Græcis comparare, atque etiam anteferre debeamus; atque hoc multo magis in illis mirandum fuerit, quòd in eorum obitu ſe fortiſſimos, & conſtantiſſimos præbuerunt, qui non modo ipſis utiliſſimi, ſi vixiſſent, ſed penè ſoli utiles, ac jucundi eſſe potuiſſent; quid enim utilius filio?
C quid jucundius unico? at filium, & unicum Q. Fabius, præterea Conſularem, qui jam magnas res geſſerat, & majores cogitabat, amiſit; neque ſolum non doluit, quod fortiſſimi animi fuit, ſed etiam mortuo laudationem in foro dixit; quo nihil fortius, aut laudabilius ne ex omni quidem antiquitate recenſeri poteſt; cujus orationem quis non admiretur, inſignem ingenii, judicii, ordinis præſtantia? quo modo iſte vel ea, quæ dixit, ſine luctu dicere, aut, quæ ſcripſit, ſine dolore cogitare potuit? cum præſertim hoc in illa laudatione, & admirari, & obſtupeſcere ſoleamus, quòd non ut alii, de cæterorum fortitudine diſputat, ut ſuum ipſe dolorem aliorum exem-
D plo minuat, ſed in filio hærens, illius maximè virtutes, propriaſque laudes, quæ vel acerbiorem efficere doloris ſenſum poterant, longiſſimo ſermone proſequitur. Quod ſingularis virtutis exemplum fortaſſe Horatii Pulvilli laudem magna ex parte deminuere videatur: quem tamen ſummum virum ſilentio præterire nefas ducimus, cum in eo ipſo, quòd filii mortem æquiſſimo animo tulit, etiam Jovi Opt. Max. cujus ædem dicabat, gratiſſimum feciſſe videatur; nam Pontifex, inter ſolemnium verborum nuncupationem poſtem tenens, ut filium mortuum audivit, neque manum à poſte removit, ne ſacra dirimeret, nec vultum à populo avertit, ne ſuum potius dolo-
E rem, quam populi utilitatem, ac ſalutem, cogitare videretur. Jam, quid L. Paullo inſignius, quid illuſtrius? qui filios pauciſſimis diebus duos ita perdidit, ut nullum pene doloris paullo acrius indicium ediderit; ac potius in ea concione, quam de rebus à ſe geſtis ad populum habuit, lætatus eſt, quidquid Populo Romano immineret adverſi, totum id in ſe ipſum à Diis immortalibus eſſe converſum. Cum Sulpitio vero Gallo quis neget actum eſſe præclariſſime? cujus innocentiam, ſapientiam, militarem virtutem, etiam inſignis in obitu filii fortitudo illuſtraverit; quem ut nunquam lubens tacitum dimiſerim, ſic ad Catonem properans exſultare videtur animus, & quaſi in portum ex horrida tempeſtate delatus, in ſapientiſſimi viri nomine, atque exemplo conquieſcere; neque enim majori mihi admirationi eſſe ſolent clariſſimi hominis res geſtæ, ac virtus, non ſolum in luce patriæ, ſed etiam in congreſſu hoſtium cognita, quam fuit illa in filii morte Prætoris deſignati, in oculis omnium civium fortitudo declarata. Atque horum egregia in domeſticis miſeriis, atque ærumnis facinora, qui fortiter in civitate noſtra imitati ſint, caſuſque fortunæ graviſſimos patientiſſime tulerint, non difficile fuerit oratione complecti; nam & Q. Martius Rex, cum unicum ſummæ pietatis, ſummæque virtutis filium amiſiſſet, dolorem prudentia pervicit, & eo ipſo die, quo filii rogum ſpectarat, Curiam ingreſſus eſt, Senatumque juſſit convenire. Craſſus vero in eo prœlio, quod cum Parthis commiſit, occiſo filio tantum abfuit, ut doleret, ut etiam exercitum increpaverit, quòd unius militis jactura tantopere commoveretur, hortatuſque ſit, ut patriæ virtutis memores, pro Republica fortiter dimicarent, filii mortui ultionem ſibi uni relinquerent. Sed antiquior P. Craſſus, vir clarus, & conſularis, P. Craſſi filii mortem, & vidit, & moderatiſſime tulit. Nec ab ejus laude abfuit; ac fortaſſe Craſſo præſtitit Cn. Cæpio, qui Cæpionem filium naufragio abſumptum ita non doluit, ut eum ne leviter quidem è vultu, aut ulla corporis parte commotum è familiaribus quiſquam ullo pacto ſenſerit. Jam quid Piſones, Scævolas, Brutos, Marcellos, Metellos, Lepidos, Aufidios enumerem? quorum ſinguli pluribus amiſſis filiis vel uxoribus, vel parentibus, nec lugendum exiſtimarunt, & ſuam in illorum funeribus virtutem, atque conſtantiam non ſibi ſolum, ſed etiam generi, nominique Romano glorioſam fore putaverunt. Pudet in virorum graviſſimis caſibus repetendis longiori uti oratione, cum virorum maximè peculiaris virtus ſit, & in viris effloreſcat, ac vigeat maximè, quamobrem de fœminis potius dicendum eſt, ut cum eas fortiſſimas fuiſſe cognitum ſit, tum pudeat viros, à mulierculis virtutis exempla petere, & ab iis ea virtute, quæ ipſorum propria eſſe debeat, viderit aliquando ſuperatos; nam, ſi verum eſt, quod à Theophraſto alicubi proditum memoriæ mandavimus, orbem terrarum Theatrum quoddam eſſe magnum, divina mente repletum, & cœleſtis indicandæ ſapientiæ gratia tam multis undique collucentibus ornamentis illuſtratum, ac depictum; in eo autem medio collocatos eſſe homines à Deo, ut cum fortuna, dolore, morbis, egeſtate, caſibuſque permultis aſſidue luctentur; Deum vero ipſum, quantum quiſque pugnando valeat, quamque viriliter fortitudine divinitus accepta utatur, deſuper aſpectare; hoc, inquam, ſi verum eſt, dubitari profecto non poteſt, quin, quemadmodum Populus Romanus in muneribus publicis inviſos habet gladiatores, qui omni modo vitam impetrare cupiunt, favet iis, qui contemptum ejus præſeferunt; itidem Dii immortales, ſi quos ex hominibus nimis anxie de vita ſollicitos, ejuſque exitum detrectantes aſpiciant; iis Dii aliquo modo ſuccenſeant; eos vero & caros habeant, & muneribus proſequantur, qui ſi è vita revocentur ipſi, vel ſuos revocari videant, alacres, lætique Deo pareant, nihilque propterea mali ſibi accidiſſe judicent; quod ſi fe-

minas

minas præſtitiſſe intelligimus; cur iis imbecilliores, atque infirmiores videri velint viri? Neque ſolum unam aliquam è multis feminam, ſed totam gentem, ac nationem, ut marium virtute, ſic feminarum eximia quadam magnitudine animi præſtitiſſe accepimus. Lacænas enim matronas traditum eſt, occiſis filiis vulnera inſpicere conſueviſſe, ac, ſi adverſos vulneratos eſſe comperiſſent, lætabundas funus ducere, eoſque in avita ſepulcra inferre ſolitas eſſe; contra vero, quos averſis vulneribus conciſos agnoſcebant, ab iis refugientes, clam ſepeliendos curabant, nec ullo prorſus honore funeris proſequendos ſtatuebant, tantum in femineis quoque animis decus poterat, & ſtudium gloriæ; qua ex gente etiam illud ad nos præclarum dimanavit, matrem quandam filium, ſenis confoſſum vulneribus, ingemere noluiſſe, nec coronam è capite deponere, ſed ad comites converſam, ita locutam: Quanto pulchrius, & optabilius eſt, in acie victorem animam efflare, quam in Olympio certamine parta victoria vivere? at alia filium interfectum audiens, iccirco, inquit, genueram, ut mortem pro patria fortiter occumbere non dubitaret. Quid his feminis facias, aut quo non honore, ac gratulatione dignas putes, quæ de patriæ dignitate, deque gloria ſollicitæ, honeſtam mortem cuivis ſaluti, ac lucro anteponerent? Age vero, num Lacænis Romanarum virtus inferior? par fortaſſe, niſi malis etiam ſuperiorem appellare; quam fortis enim, & quam magnifica illa Corneliæ vox, quæ duodecimo jam fœtu amiſſo, cum Tiberium & Cajum filios interfectos ſpectaviſſet, nullo timore perculſa, nulloque dolore confecta; Nunquam, inquit, ego me non felicem dixerim, quæ Gracchos pepererim; fortem vero feminam, & cuivis ex veteribus mentis præſtantia, ac magnitudine animi conferendam; non enim dolori conceſſit, ſed potius, cum virtute viciſſet, victrix de dolore triumphum egit. Nihil jam Rutiliam miremur, quæ C. Cottam filium in exſilium ſecuta, cum poſtea reverſum in patriam amiſiſſet, nemo eam lacrymantem poſt elatum funus vidit; parique fato Clodia uſa eſt, quæ D. Brutum filium conſulatem mortuum ſuperſtes vidit, neque tamen ejus obitum non fortiter, & patienti animo tulit; quæ virtutis non vulgaria in feminis exempla mirari aliquis poſſit, qui ſexus imbecillitatem, ac mollitiem cogitet; at vero, qui fortiſſimis genitas parentibus, & fortibus etiam avis, majoribuſque prognatas recordatus fuerit, nihilo ab eis minorem vel prudentiam, vel animi magnitudinem requirat. Eſt ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut, illo amiſſo, ne prudentiam quidem retineamus? quæ ſi ulla in nobis reſidet, nos profecto vel avitæ, vel patriæ virtutis admonet, nec de Piſonibus, Fabiis, Brutis, Marcellis cogitantes, quos imitemur, & à quibus ortum ducamus, immemores eſſe patitur. Horum enim armis imperii fines producti ſunt: horum ſanguine parta, ac ſtabilita libertas: horum denique labore, ac ſtudio Reſpublica ad tantam pervenit ſive bellicæ laudis, ſive domeſticæ virtutis gloriam; quorum in veſtigia pedem ponere oportet qui laudabiliter vivere, quique honeſtis in actionibus exerceri volunt, nec ullo mentis errore ad nimium dolorem, atque inſaniam traduci. Nominavimus exter-

nos magnos, claroſque viros; collegimus de noſtris plurimos, quibus mortis ſenſus non modo ingratus, ſed etiam optatus, & jucundus accidit. Addatur, ſi placet, etiam, Theramenes, qui veneno epoto, maxima æquitate animi, ludens in morte, quod erat in poculo reliquum, Critiæ propinavit. Ergo ille in ſua morte vir clarus, & ſapiens ludebat, nos in filiorum, aut affinium morte lugebimus? & veterum dicta quotidie legentes, atque addiſcentes, præclara ducemus exempla, repudiabimus? aut eam vitam, quæ mortem hanc conſecutura eſt, immortalem, beatam, à miſeriis omnibus vacuam, negligemus? quamvis enim nudum corpus, & exanime diſcedens relinquat animus, nec amplius liceat homini, qui è vita diſcedat, ſuis opibus, bonis, divitiis perfrui:

Aſtante, ut ille ait, ope Barbarica,
Tectis cælatis laqueatis.

Tamen multo majoribus & bonis, & opibus, quæ nulla vetuſtas abſumet, nulla vis eripiet, piorum mentes aſſidue potiuntur. Sed dimittamus & exempla clarorum hominum, & illorum virtutis impreſſam hiſtoriis memoriam; veniamus ad id, quod unuſquiſque ſenſu percipit; quantumque ex morte conſequamur emolumenti, ac commodi, re ipſa factiſque probemus; ex qua docendi, ac diſputandi ratione perſpicue veritas eluceſcit, quidque hoc modo ſe habeat, vel illo, facile poteſt perſpici. Si quiſquam eſt, qui ſecundos in omni vita rerum exitus adipiſci, & conſequi poſſit; nihilque timeat adverſi, hunc nemo inficiari poterit, jure dicturum, ſi vitam ſibi morte multis partibus meliorem affirmet; atqui nemo eſt, qui non modo miſerias, atque ærumnas ab humana vita ſegregare, ſed ne ſemihoram quidem felicem ſibi, ac beatam polliceri poſſit. Metelli ſibi fortunam ſperant omnes: Priami ſobolem, ac Regnum exoptant alii: quaſi non & Metellus tam multos nactus filios, ac nepotes, cum maxime beatus eſſe poſſet, invitus obierit; & Priamum non omni orbatum progenie, ſummoque dolore confectum, hoſtilis manus interemerit. His vitam ſi mors aliquot ante annis ademiſſet, è multis eos miſeriis, ac luctibus ſimul eripuiſſet; quos iccirco experti ſunt, quia vitam diutius, quam ipſorum requirebat felicitas, produxerunt; hinc illa miſerabiliter decantata:

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam auferri,
Jovis aram ſanguine turpari:

Quæ non modo viſu, ſed etiam auditu acerbiſſima ſunt; quid putamus miſero Regi, qui omnia & videre, & audire, & experiri coactus eſt? num ei multo melius eveniſſet, ſi vitam omnino multis ante annis, quam hæc acciderent, amiſiſſet? Forſitan quiſpiam dixerit; multa, quæ vivens nactus eſt, bona cito decedens penitus reliquiſſet, ſed à malis etiam multo gravioribus, qualia multa ſæcula non viderunt, feliciſſime liberatus eſſet. Ex quibus omnibus, multiſque aliis perſpicuum eſt, pervertere homines ea, quæ ſunt humanæ fundamenta felicitatis, cum utilitatem à morte ſejungunt, aut cum miſeriam cum morte connectunt. L. Craſſum ex noſtra civitate clariſſi-

riſſimum, & eloquentiſſimum virum, matura
mors, quantis è moleſtiis, quantiſque incom-
modis eripuit? nam, qua in patriam pietate
fuit, ex iis malis, quæ mortem ejus conſecu-
ta ſunt, incredibilem, ſi vixiſſet, dolorem
accepiſſet; flagravit enim bello Italia, exarſit
Senatus invidia, nihil denique in civitate fuit,
quod non ejus temporis calamitatem, luctum-
que perſenſerit. Nam quid fugam Marii,
quid cetera, quæ in illius diſceſſu acciderunt,
maxime luctuoſa, ſummeque miſeranda com-
memorem? quid reditum illum ſanguinarium,
cujus ex recordatione nemo eſt, qui non in-
timis ſenſibus exhorreſcat; tenemus enim me-
moria, aut ſaltem ex patrum ſcriptis accepi
mus, crudeliſſimam omnium cædem illo tem-
pore eſſe factam, trucidatos viros, & cives,
inciſas eorum cervices, in Roſtriſque poſitas,
qui multorum civium ſalutem, ac dignitatem
eloquentia peperiſſent; quam multos ex illa
Reipublicæ tempeſtate commemorare poſſu-
mus, innocentiſſimos homines, atque opti-
mos, ut acerbiſſimam calamitatem effugerent,
libertatem morte quæſiſſe. O acerbum, ac
nemini non pœnitendum Reipub. ſtatum, con-
ditionemque vivendi; cum eos ipſos, qui
Rempub. ſuo labore, ſuoque ſanguine auxe-
rint. juvarint, ſervarint, nuſquam tutos, ni
hilque magis, quam propinquorum manus,
ac gladios, timentes, horreſcenteſque videas;
illorum autem, quorum ope, atque auxilio
ſervatus ſis, cum horribiles, miſeroſque caſus
ſpectes, nulla tamen ratione opitulari, nihil-
que afferre adjumenti queas; quis neget iis
ipſis, qui hæc intueri cogantur, mortem eſſe
non modo detrectandam, ſed etiam optan-
dam? qui autem, ne in horum temporum
flammam incidant, mortis beneficio conſecuti
ſint, eos vero beatiſſimos jure omnes exiſti-
mabunt; qualem fuiſſe L. Craſſum, niſi res
ipſa probaviſſet, nihil eſſet, cur oratione per-
ſuadendum videretur. Sed hæc paullo anti-
quiora, quam, ut omnibus in memoriam re
digi, ac cogitatione comprehendi poſſint.
Pompeji autem noſtri familiaris caſu quid in
civitate notius, quid illuſtrius? aut quid om-
nium oculis, ac mentibus perſpectius, & cla-
rius? hunc, ſi mature extinctus eſſet, nihil
doloris, nihil invaſiſſet mali; quòd tam diu
in vita manſit, iccirco factum eſt, ut ſingu-
laris calamitatis exemplum omnibus præbue-
rit; cui eo luctuoſior fortunæ acerbitas viſa
eſt, quo feliciore, ac ſecundiore fortuna in
omni vita uſus erat; quis enim univerſis civi-
bus aliquando carior? quis in toga, vel rebus
geſtis, vel honoribus extra ordinem delatis
clarior? quis opibus, propinquitatibus, ami-
citiis florentior? cui nihil prorſus ad ſum-
mam, abſolutamque felicitatem, præter hone-
ſtum, ac jucundum vitæ exitum, deeſſet.
Sed videamus, quantum in rebus humanis
fortunæ poſſit injuria; niſi malimus ad pro-
priam mortalis vitæ nimis aſperam, miſeram-
que conditionem omnia mala revocare; qui
enim ampliſſimis fortunis uſus erat; qui nihil,
niſi ſublime, ac beatum nec cogitare, nec
optare conſueverat; cui omnia vel ad uſum,
vel ad voluptatem ſupererant, bellum cum
ſocero ſuſcepit; deſeruit domum, profugit ex
Italia; & cum antea nihil in ceteris bellis,
niſi ſummo conſilio, prudentiaque geſſiſſet,
cum vel maximè ingenio, judicioque excel-
lere debuiſſet, ſui pene oblitus eſt; itaque

A imbelles, & infirmas copias, tirones, colle-
ctitioſque milites cum robuſtiſſimis legionibus
conferre non dubitavit: & amiſſo exercitu,
ereptiſque caſtris, turpiſſime victus, in ſervo-
rum manus vir ſummus, & clariſſimus inci-
dit; vita verò ut miſerabiliter privatus ſit,
commemorare nihil eſt neceſſe: cum eo ipſo,
quòd in tam miſeram fortunam delapſus, vi-
tam cito amiſerit, minus fortaſſe miſer cenſe-
ri poſſit; beatiſſimus autem obiiſſet, ſi, cum
in Republ. florebat, cum valebat auctoritate,
& gratia, cum copiis opibuſque affluebat, è
vita deceſſiſſet, cujus propagatio quantum illi
mœroris, ac luctus attulerit, non modo ſcri-
bendo, ſed vix etiam cogitando conſequi quiſ-
B quam poſſit; itaque hoc ſtabilito, & fixo,
mortem ſæpiſſime beatam homini contingere,
non ſolum, quòd nos in beatam vitam indu-
cat, ſed etiam, quòd multarum, magnarum-
que miſeriarum ſenſu liberet, & à futuris vel
calamitatibus, vel doloribus abſtrahat, quid
jam relinquetur, cur non morte lætari, ac
clarorum hominum virtutem, qui nullius in-
teritu perturbati ſunt, imitari debeamus? An
non optimam beatamque mortem judicabat L.
Brutus, cum Tyrannum arcens, quem expu-
lerat, vitam pro nihilo ducebat? item Decii,
quo tempore, cum Latinis pro patria dimi-
cantes, ſeſe hoſtium telis objiciebant? præ-
terea Scipio, Paullus, Marcellus, Albinus,
C quos vitam in acie juvandæ patriæ cauſſa for-
tiſſime profudiſſe memoriæ proditum legimus.
Et verò nihil fuit, quamobrem elato excel-
ſoque animo homines vitam non deſpicerent,
ut ſempiternam gloriam conſequi poſſent;
nam cum nullo, vel certe minimo doloris ſen-
ſu, quem morientes perferunt, infinitam lau-
dem commutabant; hunc enim locum de exi-
guo, vel nullo potius dolore mortis, quem
ſupra perſtrinximus, paullo uberius percurra-
mus. Neque enim abſurde dixiſſe mihi vide-
tur is, qui morientium mortuorumque homi-
num ſtatum, & conditionem duabus potiſſi-
mum ex rebus percipi, atque intelligi poſſe
affirmavit; quarum unam ſomnum ſtatuit, al-
D teram verò tempus illud, quod noſtrum cu-
juſque ortum anteceſſit; & ſane ita eſt, ut ex
omnibus opinionibus, quarum errore duci vul-
gus ſolet, cum de morte loquitur, nulla planè
ad veritatem videatur eſſe propenſior; ità enim
multi vivunt, ut præſentibus bonis fruantur;
nec ſane cogitent, quid paucis poſt annis vel
ipſis, vel ceteris boni, aut mali poſſit eveni-
re. Itaque ſæpe non opinatis morbis, per-
turbationibus, & angoribus vexantur; mortis
vero, de qua potiſſimum cogitare debuerant,
ita non reminiſcuntur, ut ad ſe minimum il-
lam pertinere, nec ſua quidquam intereſſe exi-
ſtiment; qui, ut Panætius Africanum dicere
ſolitum tradit, ferociores equos domitoribus
E tradendos eſſe, ut paullatim parere, ſeque
mitiores, ac molliores præbere incipiant; ſic
ipſi in gyrum fortitudinis, ac patientiæ redu-
cendi ſunt, ne, ſi mors imprudentes oppreſ-
ſerit, perterreantur, planeque concidant. Sed
neſcio quo modo voluptate, luxuque delinita
hominum conſuetudo de recta majorum via
deflexit, eòque ſenſim delata eſt, ut nihil mi-
nus, quam verum, agnoſcat, nec cum aliquid
agitur, rectum id nec ne ſit, magnopere co-
gitet; qua nulla major peſtis, ac pernicies hu-
manis rebus, valde jam labefactatis, potuit
afferri; atqui, ſi in ullo homine, certe in his

ipſis

ipſis vulgare dictum & verum, & acute cogitatum eſſe deprehenditur; quid enim iſti aliud agunt, niſi totos dies per inertiam perdunt; atque ita vivunt, ut ſtertere potius, quam ullo pacto vivere videantur; dormiens autem ut nihil ſentit, nihil agit, nihilcurat; ſic mortuus quid agere, quid curare, aut ſentire poſſit, haud ſane intelligas; itaque in fabulis, quos Dii maximè adamarunt, eos, ne imminentem aliquam calamitatem ſentire cogerentur, ſi vigilaſſent, à Diis immortalibus conſopitos eſſe accepimus; mortem igitur, ſiquidem ſomno ſimilis eſt, ſingulis noctibus induimus, & cum in ſomno ſenſus ſit plane nullus, nullum etiam in morte futurum eſſe ſenſum, veriſſimè ſtatuere debemus; quod ut ſenſu ipſo plane percipitur, ſic ne de altero quidem dubitari ullo pacto poteſt, quin, quales ante, quàm oriremur, fuimus, tales etiam mortui futuri ſimus; mors enim quemadmodum ad eum, qui nondum ortus eſt, nihil pertinuit, ſic ne ad eum quidem, qui mortuus eſt, ulla ratione pertinebit; ad morientem vero vel nihil, vel parum certe pertinet; ſiquidem tam anguſto ſpacio tamque brevi curriculo coërcetur, ut nec, ſi velit quidem, vires ſuas nimium porrigere, aut explicare poſſit. Quæ eſt igitur eorum oratio, qui tantum in morte dolorem ſe timere, atque expaveſcere dictitant? quamquam non ſane video, quo modo aliter facere poſſint: qui enim mortem nunquam experti ſint, quam ſemel homo ſubiturus eſt, quo modo, bona, mala ne ſit, vere ſentire, ac dijudicare poſſunt? Morientes ajunt cruciari, angi, diſtorqueri, quod in nonnullis fortaſſe animadverti, atque obſervari potuit; in quo tum iſti aliquid dixiſſe videri poſſent, ſi hoc ex ipſo mortis ſenſu penderet; nam, ſi mors ipſa dolore ſuo corpus uſque eo cruciaret, atque angeret, ut hæc doloris edere inditia cogeretur; negari profecto non poſſet, quin dolorem non leviſſimum mors ipſa eſſet allatura. Cum verò hujuſmodi cruciatus pauciſſimos angat, & eos maximè, qui intemperanrer, flagitioſe, nefarie vixerint, nunc dubitari non poteſt, quin tales homines non mors, ſed admiſſorum ſcelerum conſcientia vexet, habeatque ſollicitos; qui enim ſe morituros nunquam crediderint, ac ne cogitarint quidem, cum ad ipſam mortem pervenerint, anguntur, non dolore moriendi, ſed quòd è vita inviti diſcedunt; in qua cum omnia ſecunda feliciaque experirentur, ne ſecus mortuis accidat, valde vereri, ac dubitare coguntur. At bonis, qui mortem ſemper, tanquam præſentis tempeſtatis portum in ore, ac ſermone habuerint, quique ex hujus vitæ procellis, mortis beneficio, aliquando egredi, ſæpiſſime concupiverint, nihil libentius, ac jucundius mentione, ac nomine ipſo mortis accidit. Atque in iis etiam præſtans, planeque admirandum Deorum munus agnoſcitur; bonos enim, & quidem plurimos, non modo cum exiguo dolore, ut optare homines vulgo ſolent, ſed omnis plane doloris expertes ex hac vita egreſſos, ſine ulla dubitatione reperias; ex quibus Q. Fabius Conſulatum adeptus, cum in Curia prætereuntes ſalutaret, nihil dolens, nihil moleſti ſentiens, immo plane gaudens, è vita diſceſſit; atque idem contigit A. Pompejo, cum in æde Jovis Capitolini ſacra feciſſet, itemque Thalnæ Conſuli, Diis immortalibus ſupplicanti; quid hos in ipſo mortis articulo doloris expertos exiſtimes, qui paullo ante læti vivebant, & in eo, quo moriebantur, puncto temporis, nihil lugubre teſtati ſint, nihil flebile dixerint? Morte, inquies, oppreſſi ſunt; at ſapientiſſimi, & optimi viri; quibus mortem, tanquam beatæ vitæ initium, Dii immortales largiri voluerunt; quam eo fortaſſe jucundiorem ipſis fore videbant, quo minus eo tempore tantum boni expectaverant, ac ne ſperare quidem poterant; nam, cum mors è divina voluntate tota pendeat, haud ſane in hominis poteſtate eſſe poſſit, quo potiſſimum die, quaque conditione mori velit. Nec verum eſt quod dicitur à quibuſdam, mortis eundem omnibus hominibus diem, ac terminum divinitus eſſe conſtitutum: ut autem vel citius, vel ſerius moriamur, ſingulorum hominum vel intemperantia, vel negligentia contingere: nam, ut illud veriſſimum eſt, præfinitum eſſe vitæ terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat, ſic illud affirmare nemo poſſit, eundem omnibus, eademque hora vitæ finem impendere, quod ſi agnoſceremus, nihil ſane eſſet, cur homini prudentiam, temperantiam, pietatem, tribueremus; quæ omnes plane virtutes, ſi hoc conſequeretur, non modo inutiles, ſed penitus inanes viderentur; cur enim prudentia uteretur homo, cur abſtinentia, cur temperantia, ſi eodem, quo reliqui omnes, temporis ſpacio vitam eſſet terminaturus? Ut diutius, inquis, vitam producere liceret; at, ſi vitæ terminus fatalis eſt, nec immutari quidem poſſe neceſſe eſt. Sin voluntarius, & in hominis arbitrio poſitus, nihil eſt, cur, eundem omnibus à Deo conſtitutum eſſe, quiſquam affirmet. Sed de his ſtatuat unuſquiſque, ut libet; quid autem verius ſit, Deus ipſe viderit; hominem quidem ſcire arbitror neminem; ſtet modo nobis illud, doloris eſſe nihil in morte; boni autem tantum ex ea ad homines permanare, quantum ſperare multi poſſint, cogitatione quidem aſſequatur nemo; itaque hoc divinitus hominibus datum eſt, ut quoties moleſti aliquid experiantur, tum mortem exoptent, ac votis etiam conceptis ſæpe implorent; quid ita? quia bonam, utilemque eſſe mortem, coguntur agnoſcere; malam autem, aut acerbam eſſe nunquam poſſe, homini à natura inſitum eſt; itaque dolore perculſi mortem imploramus, eamque unam, ut miſeriarum malorumque terminum, exoptamus. Admonet me locus, ut, cum neminem ipſa morte magnopere commoveri debere probatum ſit, iis præcipue dolendum nihil eſſe contendam, quos mors cum laude oppetita conſolari poteſt; ſatis enim diu vixiſſe putandi ſunt, qui vitam honeſte clauſerunt; eoſdemque è vita abeuntes non modo laus, ſed etiam perpetua voluptas, delectatioque proſequitur; quæ ſane eo major in animo exoriri, ac vigere ſolet, quo latior alicujus in colendo officio, vitaque honeſte ducenda manavit induſtria; certe enim, cum ad recte agendum natus homo ſit, ideoque mentis, & rationis munere, præ ceteris animantibus, ornatus, atque inſtructus, unde potius laudem, ac voluptatem, quam ab honeſtis actionibus petat? An, unde ortum duxerit, obliviſcatur? ille vero nec ſui oblitus eſt, qui rectè vixit, nec iniquo animo mori poteſt, cum multos relinquat ſuæ teſtes, memoreſque virtutis; quanto autem gaudio exſultare

tare credendus eſt illorum animus, qui corporis admiſtione ſolutus, in cœleſtes ignes, ſempiternaſque domos, unde exierat, revertit? profecto enim ex divina mente delibatos habemus animos, qui hac mole incluſi, tanquam terræ gravitate, ſic ipſi nimio pondere corporis opprimuntur; ubi autem ſoluti corporibus ad proprias ſedes evolaverunt, tum vere vivunt, nec libidini, voluptati, dolori ſerviunt, ſed ſui compotes, nulla re anguntur, nihil requirunt, omnibus imperant. Recte igitur dictum eſt, corpus terram eſſe, mentem autem ignem de cœlo ſumptum; id quod clarorum virorum acta cum virtute vita, præclaræque actiones facile teſtantur; quo modo enim aut omnia humanæ vitæ commoda contemneret, aut voluptates cunctas pro nihilo duceret, aut vitam ipſam laudis, honeſtatiſque gratia profunderet, qui nihil quidquam ad ſe, præter hæc ipſa mortalia, quæ manibus contrectat, quæ terit pedibus, pertinere cogitaret? verum hæc non ita ſe habent; corpus enim è terra concretum, tamdiu terreſtrium rerum amore ducitur, quoad in terram ipſam, unde ortum duxit, revertatur; animus vero, qui è cœlo ſumptus eſt, ſempiternum quiddam, & cœleſte appetit, nec iiſdem, quibus corpus, finibus cogitationes coërcet ſuas; itaque nunquam quieſcere, nec vere vivere putandus eſt, quamdiu corpore concluſus, invitus propemodum mortali labe, terreniſque vinculis cohibetur. At illa quanti ſunt, graviſſimis vitæ laboribus liberari, in mediis doloribus, & ærumnis obdormiſcere, & quaſi emiſſos è moleſtiſſima vitæ cuſtodia, in jucundiſſimam, ſuaviſſimamque domum remigrare? huc enim pertinent quæ de piorum quiete, deque voluptate illa, qua egreſſi è vita perfrui dicuntur, diſputari à ſapientibus ſolent; qui cum intelligerent, non fortuito, aut temere ſatos, & creatos homines eſſe; nec eadem mereri bonos, qui multis exantlatis laboribus vitam in medio dolore amiſiſſent, & improbos, quorum in patrandis flagitiis ſemper eſt animus, cogitatioque defixa, iccirco non eundem probis, & improbis vitæ terminum, nec eadem mortuis præmia ſtatuerunt. Qua nos recordatione potiſſimum refici, ac recreari decet, qui cariſſimam filiam, optimeque de nobis meritam ita vixiſſe ſcimus, ut ad optimos mores, ſummamque prudentiam nihil poſſet accedere; & ita mortuam, ut in dolore, quem ex partu contraxerat, ſummam animi magnitudinem, ſummamque conſtantiam præſtiterit; cujus mentio nobis dolore jam, ſi non penitus extincto, certe magnopere levato, non ſolum acerba, ſed etiam jucunda accidit; qui enim aliter debet? cum nec ipſi quidquam acciderit mali, nec ego ulla re, quæ tantopere cum natura congruat, & cum omnibus hominibus communicet, angi aut perturbari debeam. Quid ergo mihi reſtat? nihil ſane, niſi cum ea divino potiſſimum beneficio vitæ munere perfuncta ſit, ut ad eam maxime vivendi conditionem cogitationem meam mentemque referam, qua nunc ipſam perfrui credimus, ac ſi, quod æquum eſt, fateri velimus, etiam intelligimus; qua ex meditatione eo majorem voluptatem percepturus ſum, quo meliore illa nunc ſtatu, quam quem vivens experta eſt, ſine ulla dubitatione perfruitur; quid enim boni non merita eſt, quæ nihil unquam egit,

A

ac ne cogitavit quidem mali; & iis angoribus, ac malis, quæ viventi objecta ſunt, ita patienter perfuncta ſit, ut non ſecus de adverſis, quam de ſecundis rebus Diis immortalibus gratulari, gratiaſque agere ſoleret? &, cum nihil, niſi rectum, honeſtumque cogitaret, tamen una conſcientia contenta, nec ſua benefacta in luce collocari, nec ſibi quidquam propterea laudis, aut gloriæ deberi arbitraretur. Quæ ergo ita animata fuerit, ut de ſe quidem minimum, de recta mente, ac de æquitate plurimum laboraret, an non Diis ipſis cenſemus maximè gratam, & probatam fuiſſe? in qua non ficta, & adumbrata, ut in multis, ſed maximè ſolida, & expreſſa

B

virtutis elucebat effigies; nam, cum eam talem natura genuiſſet, ut quod pulchrum, rectumque agnoſcebat, ſua ſponte ſequeretur; tamen eo non contenta, ſumma vi rationis, prudentiæque perfecerat, ut nulla re minus, quam natura duce, egere videretur; itaque qui ejus inſtituta, & mores paullo diligentius inſpexiſſet, qui regundæ familiæ ſollertiam, qui ſummum in cunctis rebus ingenium, ſingularemque doctrinam advertiſſet; haud fuiſſet ſane, quod aut virilem in intelligendis, judicandiſque rebus prudentiam, aut exquiſitam patriſfamilias ſollertiam requireret; itaque quibus maxime rebus egere ſæpe homines ſolemus, fortitudo, & prudentia, hæ ita in

C

muliere abundabant, ut ſui mœroris medicinam non peteret foris, ſed in ſeipſam ſpectans, ex ſua ſemper virtute penderet. Quanto autem graviores, ac difficiliores animi morbi ſunt, quam corporis, eo magis mirandum eſt, talem extitiſſe illam, cujus fortitudini corporis mala parerent, prudentiæ vero omnes animi morbi facile cederent; itaque quanquam ex calamitate, temporibuſque noſtris moleſtiæ plurimum traxerit, nunquam tamen animo perculſam, aut dejectam ſenſimus; angebatur patris exſilio, totiuſque familiæ luctum, bonorumque direptionem invita videbat: ſed màtri tamen conſilio, prudentiaque aderat; & rebus in magnum ſæpe diſcrimen

D

adductis, reditus ſpem nobis afferre nunquam dubitavit; ita, quantum ex calamitate doloris, tantundem ex filiæ ſuavitate, ac pietate ſolatii capiebamus; quod ut eſſet diuturnius, ſi commodum noſtrum, aut eam, quæ omnibus antiquiſſima eſt, liberorum caritatem cogitaremus, magnopere optare debuimus; at, cum illam corporis vinculis ſolutam, omnibus exutam miſeriis, & immortalitatis compotem factam, animo reputamus, non modo in dolore conquieſcimus, ſed etiam præcipue lætamur; quid enim mihi accidere lætius poteſt, quam de immortalitate animorum cogitanti, de filiæ ſimul æterna, beataque vita confidere? animos enim eſſe immortales, ne

E

dubitandum mihi quidem videtur; faciam autem non invitus, ut ſapientiſſimorum hominum percurram hac de re ſententiam, quando me in hunc locum deduxit oratio. Neque vero hæc ita diſputanda cenſeo, ut animos iccirco non interire probari poſſit, quod mortuorum corporibus vis quædam ineſſe veneratione digna putetur, quæ ſignificare debeat, non deleri morte animos, ſed immortalium animorum, veluti ſepulcra quædam mortalia corpora fuiſſe; quaſi non & majora, & firmiora multa ſuppetant, quibus planum fieri poſſit, qui animos ſimul cum corporibus interire

terire

terire contendat, eum contra rationem, nulla
nixum ratione, pugnare; quod ſi auctoritas
quærenda ſit, quem graviorem nominare au-
ctorem poſſum, quam eum, quem Apollo
ipſe ſapientiſſimum omnium pronunciavit?
cujus teſtimonium tale fuit, ut divinos eſſe
hominum animos, & eos, corpore ſolutos,
in cœlum remigrare, unde prius veniſſent, in
omni ſermone aſſeveraret; in quo cum Philo-
ſophis illis conſenſit, quos quondam Italicos
nominavit antiquitas, maximeque nobiles ju-
dicavit; quorum ſemper conſtans fuit opinio,
demitti animos è cœlo, divinæque mentis eos
eſſe non ſolum munus, ſed etiam partem præ-
cipuam, ac propriam; quod ſi ſecus eſſe quiſ-
quam putet; haud ſane facile, quid multis,
& firmiſſimis in hanc ſententiam argumentis
reſpondere poſſit, inveniet. Sic enim planè
cognoſci, ac ſenſu ipſo dijudicari poteſt:
ſummam eſſe peneque incredibilem in animis
celeritatem, ac feſtinationem, cujus ope, quæ
corpus non modo certo menſium, ſed vix
etiam annorum ſpatio perficere, atque exſequi
poſſet, ea ipſi non modo ſemel puncto tem-
poris percurrere, ſed etiam ſæpius excogita-
re, & repetere facillime queant; quod ſi mi-
rum videtur, cur non admirabilius cenſeatur,
meminiſſe animum tam multa, innumerabili-
bus ante ſæculis geſta; quæ futura ſunt, cogi-
tando proſpicere, ac non modo præſentia, ſed
etiam præterita, & futura, veluti deum, om-
nia complecti, ac ſub oculos ſubjicere cona-
ri? quis dubitet, cum hæc intelligat, eadem-
que in ſe ipſo agnoſcat, divinum eſſe ani-
mum, nec, ſi divina æterna ſunt, ipſum eſſe
mortalem? cum præſertim duabus ex rebus,
quæ præcipue in animo ſunt, illius æterna
natura facile intelligi, ac deprehendi poſſit;
hæc autem ſunt, motus, qui in eo præcipuus
eſt, principium, ac perpetuitas; cum enim
ex ſeipſo moveatur, nec aliunde, ut cetera,
principium motus mutuetur, ſumma autem in
eo, quamdiu in corpore eſt, perpetuitas mo-
tus appareat; quippe quæ etiam in dormien-
tibus agnoſcatur, & vigeat; iccirco dubitari
nullo modo poteſt, quin divinus ſit, & ſem
piternus futurus; & ſane ita eſſe ratio vincit,
& rerum probat exitus. Dei enim imago quæ-
dam animus eſt, ex ipſo Deo delibata, ac
profecta; quod ſi Deus immortalitate fruitur,
cur eam partem, quam ex ſeipſo ſumpſit, mor
talem eſſe velit? quin hoc ipſo ſingularem, &
eximiam divinam eſſe vim judicandum puta
vit, quod non ſolum ipſe immortalis ſit, ſed
etiam, quos velit, ſuæ naturæ compotes, &
plane immortales efficiat. Corpus autem vo
luit eſſe mortale; nec immerito; cum è ter-
ra, cujus mutationi ſubjecta natura eſt, ini-
tium duxerit, & in eam ipſam, vitæ curſu
confecto, abire debeat. Sed animus, profe
ctus à Deo, cœlum ipſum appetit: nam in
eum locum, unde diſceſſit, ſemper optat re-
dire; terra autem, ſi cui appetenda, corpori
ſoli eſt; at vero animis æterna cœli ſedes
quærenda, eaque propria illorum patria; ſi-
quidem animorum nulla in terris origo inve-
niri poteſt; nihil enim eſt in animis mixtum,
atque concretum, aut quod ex terra natum,
atque fictum eſſe videatur; nihil ne aut humi-
dum quidem, aut flabile, aut igneum; his
enim in naturis nihil ineſt, quod vim memo-
riæ, mentis, cogitationis habeat; quod & præ-
terita teneat, & futura prævideat, & comple-

A cti poſſit præſentia; quæ ſola divina ſunt, nec
invenietur unquam, unde ad hominem venire
poſſint, niſi à Deo; ſingularis eſt igitur quæ-
dam natura, atque vis animi ſejuncta ab his
uſitatis, notiſque naturis. Ita quidquid eſt il-
lud, quod ſapit, quod vult, quod viget, cœ-
leſte, & divinum eſt, ob eamque rem æter-
num ſit, neceſſe eſt; nec vero Deus ipſe, qui
intelligitur à nobis, alio modo intelligi po-
teſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſe-
gregata ab omni concretione mortali, omnia
ſentiens, & movens, ipſaque prædita motu
ſempiterno; itaque eandem æternitatem ani-
mis quoque noſtris, ex ſe ipſa exortis, im-
partivit; quorum ex cogitationibus, atque
B operibus nihil aliud, niſi divinos eſſe illos, &
ſempiternos, colligere poſſumus; nam ſi ædi-
ficiorum magnitudinem, atque ornatum, ſi
monumenta litterarum, ſi pecuniæ vim infini-
tam in res maximè ſtabiles, & admirandas
effuſam, ſi plurimarum maximarumque rerum
adeptionem cogitare voluerimus, profecto in-
telligemus, hæc nunquam facturum fuiſſe ho-
minem, niſi diuturnitatem temporis, ipſamque
æternitatem plurimum ad ſe pertinere exiſti-
maret. Jam, ipſa gloriæ cupiditas, honorum
ſitis, opum, ac divitiarum aſſidua procuratio
quid aliud indicat, niſi cogitare hominem in
poſterum, nec eodem veſcendi, vivendique
ſtudio, quo ceteros animantes duci videmus,
C humanum animum detineri. Sed hæc abjectio-
ra, atque humiliora, nec ullis, niſi ſane an-
guſtis naturæ terminis, circumſcripta. Quid il-
la in primis gravia, atque præſtantia, nec ulli
planè in terris degenti, niſi ſoli homini, tri-
buta? contemplatorem eſſe ipſum cœli, re-
rumque cœleſtium; frui magnarum, obſcuriſ-
ſimarumque rerum ſcientia, quæ vel ad exco-
lendos ad integritatem, atque innocentiam
mores, vel ad comparandam Solis, aſtrorum-
que cognitionem, vel ad exercendam in ab-
ditis, obſcuriſque rebus memoriam, mentem-
que pertineant; nonne hæc ipſa tanta, ac ta-
lia, divinum eſſe animum oſtendunt, nec il-
lius naturam aliunde, quam è cœlo, deliba-
D tam, ac deductam? An cenſemus, ſi una
cum corporibus animi interirent, aut ſapien-
tiſſimos homines tam æquo animo mori poſſe,
aut tam iniquo planeque invito ſtultos, & fa-
tuos? Socratem ferunt, morti proximum,
de piorum immortalitate, beataque vita,
quæ mortem conſequitur, diſputaviſſe; itaque
læto, ac libenti animo letale illud poculum
hauſiſſe, quaſi non ad mortem, ſed ad re-
gnum, atque imperium vocaretur. At vero,
quorum animus in terra defixus hæret; qui
nihil, niſi mortale, terrenumque cogitant, eos
plane repugnantes, atque invitos è vita di-
ſcedere videmus; nec immerito, cum animo-
rum æternitatem propius jam intuentes, cru-
E cientur mirum in modum, quaſi flagitioſe
actam vitam pœna etiam ſit immortalis con-
ſecutura. Atque illud etiam (o ſtultum ho-
minem dixerit aliquis, & naturæ ſuæ penitus
ignarum) nemini obſcurum eſſe poteſt; ex
ipſis etiam ſacris, cæremoniiſque majorum
æternam hominis vitam facile cognoſci, atque
intelligi poſſe; neque enim illi aut mortuos
tanto honore coluiſſent, aut tam multas,
tamque varias ſepulcrorum cæremonias poſte-
ris tradidiſſent, niſi cognitum, perſpectumque
habuiſſent, vigere animum in morte, nec,
quamquam corpus occidat, hominem ipſum

A penitus evaneſcere; itaque ſtatuiſſe videntur,
mortem ipſam non eſſe humanæ vitæ conſe-
ctricem, nec ex ea ſequi interitum; ſed po-
tius ad aliam multo feliciorem vitam iis, qui
recte vixiſſent, ducem optimam ſolere exiſte-
re; quicunque enim convenienter naturæ vi-
xerint, nec illam ſecuti ſint malæ conſuetu-
dinis corruptelam, quæ divinitus datos igni-
culos extinguit, vitiaque gignit, & confirmat
omnia, eos & viventes gloria, & è vita ex-
cedentes præmiis proſequi oportet; id enim
non ſolum rationi conſentaneum, ſed etiam
veriſſimum, atque æquiſſimum eſt; cui autem
æquitatis antiquior cura, quam Deo? itaque,
cum homo ſolus ex omni propemodum gene-
B re nactus ſit aliquam notitiam Dei, niſi vitæ
iniquitate Deo iniquus, atque inviſus evaſerit,
ad Deum certe evolabit; idque æternitatis hu-
manæ, vel maximum, ac firmiſſimum argu-
mentum eſt, ſolum hominem divinæ volunta-
tis participem, conſciumque exiſtere: ut
quanquam agreſtibus ſilveſtribuſque in locis
natus ſit, tamen, ipſa docente natura, & eſſe
Deum, & colendum, ac verendum eſſe, du-
bitare non poſſit. O rem dignam, in qua non
modo homines, ſed ipſas etiam pecudes ob-
ſtupeſcere, ac, ſi fieri poſſit, etiam erubeſce-
re oporteat: cognatum eſſe hominem Deo,
nullum aliud in terris anima, niſi hominem
ſolum, Dei cognitione imbutum eſſe: nec
C quidquam eſſe aliud, quod animo, è divina
mente hauſto, præditum ſit: tantamque ineſ-
ſe homini cæcitatem, atque ſocordiam, ut
divinæ cognationis immemor, averſetur mi-
grationem ad Deum? nec enim aliud eſſe
mors, quam migratio ad cœleſtes, ſuperaſque
ſedes, exiſtimanda eſt; nec id ſolum ratione
quadam æquitati, veritatique conſentanea,
ſed etiam ſapientiſſimorum hominum maximè
firmo, ſtabilique conſenſu. Atqui eum, qui
hoc pacto vivere, ac pene à ſeipſo diſſentire
velit, meminiſſe certe oportuit, terram ipſam,
omniaque, quæ ſub cœlo ſunt, divina volun-
tate regi, proptereaque quiddam nobis, quod
obſervandum, & addiſcendum videatur, præ-
D ſcribere; quis ergo terram ipſam, aut quot-
annis feracem, aut ſemper optimas fruges,
& nunquam malas inutileſque herbas edentem
efferentemque vidit? quis animalia ſemper
uberes fœtus edidiſſe, nunquam ſterilitatem
paſſa eſſe, recordatur? quòd ſi hæc ipſa ſecus
ſe habent, nihilque in rebus humanis perpe-
tuo firmum, ejuſdemque naturæ optare licet;
cur, quam in omnibus & rebus, & animan-
tibus viciſſitudinem cernimus, eam ab homine
ſejungamus? qui ſi multos annos feliciter vi-
xerit, ſi ſobolem, honores, opes aſſecutus,
diu tantis bonis frui potuerit; præclare ſecum
eſſe actum vere dixerit. Sed adverſi tamen
aliquid ſubeundum perferendumque relinque-
E tur: demum oppetenda mors erit, quæ eo
levior eſſe debet, quòd omnibus communis
eſt, nec cuiquam ſingularis, aut præcipua.
Sed hoc quoque gratior, quod nos à multis
erroribus abſtrahit, quibus, quoad vivimus
in tanta opinionum varietate, aſſiduaque veri
inquiſitione perturbari ſæpe ſolemus, & ad
ipſam cernendam, fruendamque veritatem ju-
cunde traducit; quo nihil beatius homini
poſſe contingere, ſatis, ut arbitror, ex eo
ſuſpicari poſſumus, quod innata eſt homini
cupiditas ſcientiæ; ejus autem præſtantia non
ſane video, qua alia in re, niſi in perfecta
veritatis cognitione poſita ſit; ex quo fit, ut
veritatis cognitionem aſſecuti, perfecta, ab-
ſolutaque ſcientia potiamur; vereque dici po-
teſt, qui veritatem intueatur, ſenſuque perci-
piat, eum voti ſui compotem, vereque bea-
tum eſſe. Quod ſi beata vita quærenda nobis
eſt, nec quidquam fugiendum magis, quam
ne miſeriarum gravitate premamur; quid illo
homine ſtultius, aut ſtolidius reperiri poteſt,
qui ceterorum morte ita angitur, ut beatæ
vitæ oblitus, miſeram, atque infelicem con-
ſectetur? profecto enim ita ſe res habet, ut,
niſi mortis, doloriſque timore liberatus ſit,
etiam ſi multas cognitas, perceptaſque virtu-
tes habeat, rectumque & æquum omni plane
utilitati anteponat, beatus tamen eſſe nemo
poſſit; quid enim aliud dolor eſt, niſi cru-
ciatus animi, iſque perpetuus? quid aliud
timor, niſi aſſiduus inviſarum, ac moleſta-
rum rerum metus? at quo modo felix, aut
beatus eſſe poterit, qui aſſiduo cruciatu,
metuque urgebitur? Quin eo miſerior, at-
que infelicior exiſtimari debet, quod non
ſolum ſibi ipſi moleſtiam, miſeriamque
comparavit, ſed in ceterorum etiam ſermo-
nem, ac vituperationem incurret; nihil
enim nimio dolore deformius, nihil à viro
alienius: &, ſi corporis pravitatibus vitu-
peratio propoſita eſt, vitiis ipſis, quibus la-
borat animus, nihil turpitudinis, nihil inu-
retur infamiæ? Illa vero & graviora ſunt,
& majori animadverſione vindicanda, quo
nobiliorem, quam corpus eſt, ſedem, nem-
pe animum ipſum, occupaverunt; quod ſi
turpis dolor nimius, & vituperatione di-
gnus, certe illud conſequetur, ut, qui ni-
mio dolori ſeipſum tradat, ne laude quidem
ulla dignus cenſeatur; eſt enim ſeries quæ-
dam maxime veritati conſentanea, ut ſen-
tentiarum, ſic rerum; & quemadmodum in
ſermone, diſputationeque noſtra nectitur
aliud ex alio, ita qui ſe una aliqua vel de-
formitate, vel turpitudine implicari patitur,
multis ſtatim miſeriis, ac deformitatibus op-
primetur. Nec vero credi velim; me, quia
dolori nimio repugnem, iccirco dolorem
omni ex parte improbare, omneſque illius
ex animo fibras evellendas exiſtimare; eſt
enim, quatenus homo doleat, & (quod
prudenter à Crantore dictum eſt) ſive ſece-
tur pars aliqua corporis, ſive avellatur, ſen-
ſus tamen adeſſe debet; iſtuc enim, nihil
dolore, fieri non poteſt, quin quemadmo-
dum feritatem corporis quandam, ſic animi
ſtuporem maximum indicet. Sed nimirum
illud eſt, quod improbamus, dolori nos ip-
ſos ita tradere, ut in aliam fortaſſe gravio-
rem ex alia parte vituperationem incidamus;
nam quemadmodum qui nihil prorſus do-
leat, deſciſcere videatur ab hominis natura,
quæ morte perculſa dolorem, ac luctum
aliquo modo indicare cogitur; ita, qui do-
lori nimis indulgeat, humanæ naturæ peni-
tus obliviſci, communemque omnium con-
ditionem recuſare judicabitur; quibus rebus
intelligitur, graviter peccare homines, cum
vel ea, quæ omnibus perferenda, ſubeun-
daque ſunt, detrectare audent, vel, quid
ipſos in vita deceat, quæque ſequi, aut re-
fugere debeant, non cernunt ſatis; quod
proprium prudentiæ munus eſt; quam hu-
manarum actionum moderatricem à Diis im-
mortalibus eſſe conſtitutam, inficiari nemo
po-

A poteſt ; atqui huic tam præclaro , divinoque muneri planè obſiſtit qui nimio dolore ducitur ; non modo enim ſe ipſum ſine ullo fructu lacrymis , ac triſtitiæ tradit , ſed etiam omni planè conſilio , ac judicio vacat ; ubi enim ratio , ſi ſe dolore auferri ſinat ? ubi conſtantia , ſi ſibi ipſe repugnet , & in mœrore jaceat ? ubi denique humanitas , ſi ſe hominem eſſe oblitus , nihil ſibi cum morte commune eſſe contendat ? Jam vero illud ſtultiſſimum , exiſtimare , quæ ceteri homines libenti animo ſubeant , iis ſe non eſſe obſtructum ; quid enim ? an ignorare quiſquam poteſt , quanta inter homines cognatio ſit , quantaque ſimilitudo ? etenim , niſi B hoc verum fateremur, cauſſæ nihil eſſet , cur homo hominem conſilio , re , gratia juvaret , ab hoſtium impetu , ac læſione defenderet ; quod contra videmus accidere ; ut qui ab his actionibus avertat animum , nonmodo in vulgus improbetur , ſed etiam inhumanitatis , ac feritatis accuſetur ; certe enim non è marmore ſculpti , aut è robore dolati ſumus ; eſt in nobis quiddam , quod pietate , miſericordiaque moveatur , nec extingui ſinat illam , qua Diis proximi ſumus, juvandi , ac benefaciendi voluntatem ; itaque inſitum homini , atque innatum videtur , ut , quoties alium hominem quamvis alienum , premi calamitate , atque ærumna C videat , crucietur animo , nec , ſi facultas ſuppetat, dimittendam putet illius ſublevandi occaſionem ; quam enim ipſe , ſi eo loco eſſet, benignitatem ſibi impartiri optaret, ea ut in alium utatur , natura tacita quadam voce monere , ac præcipere videtur ; quæ igitur ſibi evenire poſſe dubitet , ea ſi contingant , cur angi , ac perturbari velit ? aut, cur non potius humana illa eſſe , & omnibus hominibus proclivia fateatur ? quanto rectius ille , qui hominem ſe agnoſcit , nihilque humani à ſe alienum putat ? itaque cum hanc ex animis noſtris opinionem , mala omnia non eſſe humana , veluti immitem quandam , & immanem belluam , extraxeri- D mus , profecto minus miſere , minuſque ſollicite vivemus ; relinquetur enim illa cogitatio , quæcunque accidant , fortiter ferenda eſſe , nihilque poſſe homini evenire , quo funditus proſternatur ; idque ita erit , ſi nobiſmetipſis non aſſentabimur , ſed veritatem , qua nihil præclarius , præſtabilius , uberius eſſe poteſt , toto pectore amplectemur ; hæc enim illa eſt , quam aſſecuti , meliores multo efficimur , & ad perferenda incommoda , præclaraque peragenda alacriores ; cum nihil , niſi quod rectum , & æquum eſt , laudabile arbitramur , nihilque aliud , niſi egregia illa , ex quibus vera gloria naſcitur , expetimus . Ac mihi videor nimis E etiam nunc anguſte , atque exiliter agere ; qui enim latior objici campus queat , in quo fidentius , atque alacrius exultare poſſit oratio ? ſed faciam impudenter , ſi medicinam deferens animorum , quam ex omnibus maximè utilem eſſe intelligo , ad meam unius delectationem ſermonem omnem, mentemque convertam . Dolorem igitur nimis acrem , ac diuturnum fugiendum diximus , & quidem probabiliter ; cum ex eo mala multa , maximeque gravia ſoleant exoriri ; contra vero nihil boni ; neque enim dolor ex illis rebus eſt , in quibus vel ad probandum , vel ad vituperandum , multa & magna contrariarum rationum paria momenta agnoſcantur ; hoc enim ſi accideret , agerem verecundius , neque me in eum locum demitterem , unde nullum plane exitum viderem . Sed , quoniam hæc ita ſe habent , contendo , vincendum eſſe animum , dolorique acriter obſiſtendum ; ſive enim noſmetipſos , ſive amicos , ſive vulgi opinionem cogitemus , id nobis ſine ulla dubitatione faciendum eſt ; at , ſi ad mortuos ipſos animum traducamus , qui poſſumus exiſtimare , gratum illis fore , quòd nimio dolore cruciemur ? præſertim cum ex eo nihil ad illos utilitatis, ſed permultum ad nos dedecoris , atque incommodi permanet . Quid igitur eos ipſos à nobis optare, atque expetere arbitremur? nihil ſane, niſi ut eos illuſtri memoria, ac recordatione decoremus Nemo me lacrymis decoret , ait Ennius; cur ? quia volito vivus per ora virum ; quid igitur eſt cauſſæ, cur fletum lacrymaſque recuſet? nimirum ei gloria, quam ſe adhuc viventem aſſecutum eſſe confidebat; eandem igitur ob cauſſam noſtrum quoque luctum mortuis ingratum, moleſtumque fore ſuſpicemur, nec aliud eos à nobis quidquam flagitare credamus , quàm , ut id ipſum illis , quo maxime delectamur , tribuamus; hæc autem gloria eſt, & aſſidua illorum virtutis recordatio ; quam ſi ſermone, laudationeque noſtra immortalem efficere liceat, hoc uno de mortuis , nos vel optime meritos exiſtimare poſſemus. Quid, quòd eum, qui ſic doleat , ut recreari confirmarique non poſſit, ne divinum quidem numen horrere , ſapientiſſimi homines prodiderunt ? impium autem eſt , quibus debemus omnia , iis peſſimam referre gratiam ; contra vero , qui Deorum voluntati paruerunt , nihilque ſe , quod ab illis ultro daretur , moleſte ferre declaraverunt , eos non ſolum viventes præcipua laude ornavit antiquitas , ſed etiam è vita egreſſos perpetuo coluit honore ; idque eo ſtudioſius , ac libentius, ſi quos intellexit cum Deorum cultu exercitationem virtutis,& præcipuam in mortales beneficentiam conjunxiſſe; ſcite profecto, ut cetera ferme omnia ; quid enim majori laude dignum, ex omnibus rebus humanis commemorare poſſimus, quàm eum, qui vitam ducat cum virtute conjunctam , ad Deorum cultum , atque honorem , perpetuum in homines ſtudium , ac pietatem aggregare ? nec quidpiam tantulum modo in ejus animo exiſtere , quod non vel pietati , vel humanitati , vel denique virtuti ſit conſentaneum ? Nec aliam ſane ob cauſſam perturbari omnem vitam errore inſcitiaque videmus, niſi quòd , quæ in hominis vita præcipua eſſe deberent , pietas erga Deos, in homines beneficentia , virtus in ingeniis, ac moribus, ea fere omnia negliguntur; eademque ratione quæ maxime vitare deberemus , ea ſtudioſe expetimus , cæcoque impetu ferimur ad illa , quibus vita noſtra planè fera, atque immanis efficitur; ex hoc fonte cupiditates inſatiabiles exoriuntur , quibus non modo ſingulos homines , ſed totas familias , & univerſas funditus everſas civitates videmus; præterea ſeditiones, inſidiæ, diſcordiæ, rerumque & hominum clades, & interitus; ex his etiam incredibiles dolores emanant, quibus perturbari vitam , neque ſolum inſuavem, ſed acerbiſſimam effici neceſſe eſt; quod contra probis virtutemque amantibus accidit,

cidit ; nam divinæ voluntati obtemperantes , A
nihil in ſe ipſis , ſed in ea ſe ipſos , ac ſua
ponunt , & locant omnia : neminem lædunt :
omnes liberalitate , benignitate , charitate am-
plectuntur : nulla re cruciantur : nihil appe-
tunt , omnium vitiorum fracto impetu , cupi
ditatumque radicibus ex animo penitus evul-
ſis . Num igitur eos , qui ita vixerunt , ut
ſibi jucundi , Diis grati , hominibus fructuo-
ſiſſimi extiterint , divinis honoribus jure di-
gnos majores noſtri cenſuerunt ; eoſque cum
Diis immortalibus ævum agere ſapientiſſimus
poëta non immerito cecinit ? Nec tamen ic-
circo , quòd eorum corpora in cœlum perlata ,
credere ſapienter quiſquam poſſit ; quod quia
natura non patitur , ut , quod è terra eſt , B
alibi , quam in terra maneat , nec credi qui-
dem debeat , neceſſe eſt ; ſed quòd eorum
animi , tanquam hominum de Diis immortali-
bus humanoque genere optime meritorum , in
cœlum putentur elati ; quod de Romulo , Ur-
bis noſtræ conditore , memoriæ proditum ac-
cepimus ; quem ſingulare in genus hominum
collatum munus tam præclaræ urbis conden-
dæ , in Deorum numero collocavit ; idque eo
tempore , quo litteris , & doctrinis homines
exculti facile fictum à germano , verum à
falſo ſecernebant : ut credi non poſſit , quid
quam illis perſuaderi potuiſſe , quod ullam
ficti , aut falſi imaginem præſeferret ; ſed ,
quod ille mortalis , eximia virtutis , ac bene- C
ficentiæ gloria , conſecutus eſt , ut non ſolum
immortalis , ſed Deus judicaretur ; id ipſum
aliis etiam tributum eſſe , ut inter Deos re-
cepti putarentur , cùm exceſſiſſent è vita ,
annales veterum loquuntur ; quod & apud
Græcos prius contigit , & inde fortaſſe ad no-
ſtros permanavit ; nam & Hercules , & Li-
ber , fratres Tyndaridæ , & fœminæ plurimæ ,
quibus nunc inter Deos locus eſſe præcipuus
creditur , & hominibus nati , & homines fue-
runt . Sed , quòd virtute præſtiterunt , & , ut
ceteris ad recte vivendum , beneque meren-
dum prælucerent , laboraverunt , ideo eos
hominum fama , beneficiorum memor , in
conſeſſu , concilioque cœleſtium collocavit ; D
atque ipſos , quos vocamus majorum gentium
Deos , alioſque quamplurimos , quos in Deo
rum numerum retulimus , hinc à nobis egreſ-
ſos , & in cœlum profectos , facillimum erit
agnoſcere . Maximum vero argumentum eſt ,
quod de illis credimus id eſſe veriſſimum ,
quòd & tantus tot ſæculorum , doctiſſimo-
rumque hominum conſenſus veritatis vox ipſa
eſſe videtur ; & quòd tantæ , tamque præcla-
ræ virtuti , quem alium vere congruentem
locum tribuere oporteat , non ſane reperies ;
quis eſt autem tam demens , ut quos inno-
centia , liberalitate , & ſingulari quadam , ac
præcipua virtute Diis proximos intelligat , iis
ſejunctum à Diis tribuendum locum cenſeat ? E
& , cum hominis animus terrena reſpuat , ad
ſupera ſemper feratur ; qui non ſolum tacito
naturæ impulſu , ſed voluntate , reque ipſa ,
ut quam maximè cœleſtibus ſimiles eſſent ,
præſtiterunt , eos licebit ne , cœlo eſſe pri-
vatos ? Mihi vero eo juſtius in cœlo collo
cati videntur , quo clarior eorum inter homi-
nes vel eluxit liberalitas , vel virtus enituit ;
quis enim Hercule fortior ? quis prudentior ?
quis ab omni cupiditate remotior ? quos ille
labores , ut fortiter ageret , & hominibus
prodeſſet , ſuſcepit , & pertulit ? aut quid non
doloris , & calamitatis exhauſit ? quis ergo
hunc cœlo excludi patiatur , cum ejus vir-
tuti ſempiterna gloria , & laudis patuerit im-
mortalitas ? eademque ceterorum conditio eſt ;
quorum alius alio genere virtutis , omnes ſum-
mis , & ſingularibus , vel in ipſos Deos , vel
in homines meritis præſtiterunt ; itaque tam
egregiis eximiiſque factis non infixas plumbo
ſtatuas , non areſcentes triumphorum coro-
nas ſatis diuturna perſolvere poſſe præmia
judicatum eſt , ſed florentiora , ſtabilioraque
munera quæſita ſunt , quibus ornarentur ii ,
qui virtutem , honeſtatem , gloriam , otio ,
libidini , voluptati , vitæ denique prætuliſ-
ſent ; tamque id æquum eſt , quàm illud de-
corum , maximeque probandum , non eaſ-
dem improbis ſedes , quas bonis , atque in-
tegris , poſt mortem eſſe propoſitas ; intel-
lexerunt enim ex majoribus noſtris complu-
res , qui ſapientia præſtiterunt , cum in Diis
æquitas præcipuè vigeat , eaque in eorum
gubernatione appareat maxime , fieri non
poſſe , quin nequitiam ſceleraque averſentur ,
quique ea in vita exercuerunt , eos à ſe
ipſis longiſſime ſejungant , quod in vulgus
edi , verumque exiſtimari , non modo ratio-
ni conveniens , ſed utile quoque in primis
eſt futurum , nam , ſi quid in hominum ani-
mis pietatis , ſi quid religionis inerit , certo
ob hanc potiſſimum cauſſam ſe à flagitiis ,
ac facinoribus abſtinebunt , quòd impios , ac
nefarios homines à Deorum concilio , ac ſo-
cietate arceri judicabunt . Nec enim omni-
bus iidem illi ſapientes arbitrati ſunt eun-
dem curſum in cœlum patere ; nam vitiis ,
& ſceleribus contaminatos , deprimi in tene-
bras , atque in cœno jacere docuerunt ; ca-
ſtos autem animos , puros , integros , incor-
ruptos , bonis etiam ſtudiis atque artibus
expolitos , leni quodam , ac facili lapſu ad
Deos , ideſt ad naturam ſui ſimilem , per-
volare ; quod ſi ita eſt , certe nobis , quan-
tum conniti animo poſſumus , quantum di-
ligentia conſequi , contendendum , atque
elaborandum eſt , ut ne ab iis ſegregemur ,
quorum eſt proprium , vita frui ſempiterna ,
ac beata ; quod efficere qui voluerit (omnes
autem velle debebunt , qui ſeipſos diligere ,
convenienterque naturæ volent vivere) nun-
quam committet , ut , quæ ceteris exitioſa
fore crediderit , ea ipſe perſequatur ; neque
enim in ſpem venire poterit , aut ignoratu-
ros eſſe Deos quæ ipſe agat , cum divinam
naturam nihil præterire credibile ſit , aut
illa probaturos , à quibus non modo Dii ,
ſed etiam ſani homines abhorreant ; quid
enim turpius libidine ? quid tetrius avari-
tia ? quid deteſtabilius crudelitate ? quæ
quamvis in hominibus aliquando exiſtant ,
tamen ab hominis natura tam aliena ſunt ,
quàm humanum illud erit , ſi omnia nobis
bona , omniaque commoda expetamus ; at-
que in hoc comprimendæ ſunt cupiditates ,
quibus trahimur perſæpe ad ea , quæ virtuti
adverſantur ; quod facillime perficiet , qui
tam glorioſi facinoris exitum ſecum ipſe
aſſidue cogitabit ; tantaque eſt hujus cogi-
tationis ſuavitas , ut , quod libenter , ala-
criterque agimus , etiam ſine labore peraga-
mus ; idque in præſtantibus , laudiſque ap-
petentibus hominibus facile cernitur ; quo-
rum tanta eſſe ſolet , vel in obeundis prœ-
liis , vel in agendis cauſſis , vel in concen-
tioni-

tionibus pro Repub. ſuſcipiendis alacritas, A
tantaque virtus, ut quod in iis rebus peri-
culi, aut laboris eſt, aut non ſentiant,
aut pro nihilo ducant; magnum enim eſt
contendentis, & ad gloriam anhelantis ani-
mi fomentum, magnum ſolatium, ſpes fu-
turæ, ac propinquæ ſive utilitatis, ſive
gloriæ; neque id ſolum in magnis, ſed
etiam in levioribus laboribus, ac ſtudiis.
Quos enim curſus, quos venatio delectat,
eos quamvis de via feſſos, ac pene exani-
mes videas; nunquam tamen minus alacres,
minuſque concitatos animadvertas. Jam,
honorum cupiditas quid non in noſtra civi-
tate laboris, quid non ſollicitudinis, ne-
gotiique faceſſit? quotus tamen quiſque eſt, B
qui ſe vel labore defatigatum, vel prenſa-
tionis moleſtia, curaque confectum audeat
dicere? ſic, quorum oculos virtutis ſplen-
dor occupavit, gloriæque ſtudium animos
delenivit, ii nec laborem ſentiunt, &, ſi
tantus eſt, ut aliquando erumpat, eo ta-
men non magnopere moventur; toti enim
in eo ſunt, ut proſint patriæ, immortalem-
que ſibi nominis memoriam comparent;
quam ſi quis negligendam ducat, omnem-
que hominis felicitatem recte factorum con-
ſcientia metiri velit, is certe divinos hono-
re, qui claris viris tribui conſueverunt,
nunquam negliget; etenim de Diis ipſis,
qui eoſdem ſibi honores aſciverunt, peſſimè C
judicaſſe videretur; tanta autem eorum, qui
hujuſmodi conſuetudine delectati ſunt, &
ſapientia, & æquitas agnoſcitur, ut dubi-
tari non poſſit, quin, ipſi quod egerunt, à
certa ratione proficiſcatur; quales numera-
re Lacedæmonas poſſumus, clariſſimos, &
fortiſſimos viros, qui cives ſuos, mortem
pro patria obeuntes, divinis honoribus affi
cere ſolebant. Quod vero illæ, omnis pla-
nè doctrinæ, omniſque ſapientiæ parentes
Athenæ? non ne Codrum Regem ſuum,
ob pietatem in patriam, meritaque illa,
quibus excelluit, magno conſenſu in Deos
retulerunt? Atque haud ſcio, an recte
ſenſerint viri doctiſſimi, quorum ea fuit opi- D
nio, viros claros, & fortes iccirco Deo-
rum immortalium honore conſecratos, ut in-
citaretur virtus acrius, & acuerentur vehe-
mentius ad obeunda pericula, qui patriæ
amore, ſtudioque tenebantur; vera enim
virtutis merces gloria eſt, nec quidquam
eſt aliud, quo magis ad recte, honeſteque
agendum præſtantis animi homines incendan-
tur; quod optimè agnovit, ac diutiſſime
retinuit, omnium literarum præclara cuſtos,
& altrix Græcia; quæ multos habet virtu-
tis gratia factos ex hominibus Deos; quo-
rum alios fatentur novos; alios multis jam
ſæculis receptos in cœlum, conſecratoſque
contendunt; quam multi autem ſint, qui E
reconditas eorum ſcrutantur literas, noſſe
fortaſſe poſſunt. Neque vero hæc à me
ideo copioſius diſputantur, quòd eos teme-
re, neque ſatis conſiderate tam multos con-
ſecratos eſſe, credi velim; cum eos ipſe
quoque venerer, Deorumque loco habendos
putem; ſed potius, cum tot apud omnes
pene gentes immortalitate, diviniſque ho-
noribus affecti reperiantur, ut exacuam
bonorum mentes ad ea promerenda; quæ
ſapientium judicio ducuntur ampliſſima; ni-
hil enim præſtantius, aut beatius accidere

homini poteſt, quam eo loco donari, in
quem, ut aſcenderent Urbis noſtræ condi-
tores, nullum periculum, nullum laborem,
nullum denique certamen prætermiſerunt;
ac, ſi privatæ utilitatis, & commodi ha-
benda ratio eſt, nullam aliam expetere,
aut optare vir ſapiens, & eruditus, præter
hanc unam, debet. Templa vero publicè
vota, & dedicata, quantum in vulgus di-
gnitatis, quantum habent gloriæ? cum
omnes, qui Deos illos, quibus Templa
voventur, publicè colunt, fateri cogantur,
& fuiſſe homines, & ad Deos, divinoſque
honores, una virtute fretos, aſcendiſſe.
Nec mirandum eſt, Deos illos publicè coli,
eorumque delubra, & Templa auguſte, ſan-
cteque exornari, qui vel patribus nati ſunt
diis, vel matribus; nam, quemadmodum
eorum cultus & ſanctus, & religioſus eſt,
maximeque pietati, atque æquitati conſen-
taneus, ſic admirationis, aut dubitationis
nihil habet; totus enim ex natura oritur;
ut jure ipſo naturæ, qui Deo ſatus, vel
Dea editus procreatuſque ſit, Deus eſſe de-
beat; at vero, qui homine patre, vel mor-
tali matre natus eſt, hunc eſſe Deum, &
magnum quiddam videri poteſt, & dubi-
tandi occaſionem, nec fortaſſe ineptam,
multis afferre ſolet; non enim, ſi eximius
talium virorum virtuti tribuatur honos,
quin id jure fiat, aut dubitare, aut negare
quiſquam poteſt: ſed, quòd tamen virtutis
eſſe vim velimus, ut vel natura ipſa ejus
unius ope immutetur, hoc illud eſt, de quo
quærere doctiores viri non immerito ſoleant;
quibus ita reſponſum eſt, non immutari vir-
tute naturam: nec enim id, ſine prioris na-
turæ corruptione, poſſe evenire: ſed eadem
in illis manente natura, evolare animum ad
Deos, & in eorum adſcribi concilium, cum
immortalis ſit, & immortalitatis divinæ par-
ticeps; corpus autem, ſuapte natura mor-
tale, manere in terra; quodque terrenum
eſt, nullo pacto ſuam exſuere poſſe natu-
ram, ut alienam induat; quamvis enim hæc
ipſa quæſtio perobſcura videri ſoleat, nec
omnino proclives, aut faciles habeat expli-
catus; tamen, niſi auctoritatibus contra
rationem pugnetur, non incommode, opi-
nor, à nobis expoſita cenſeri poteſt. Et
quoniam, quæ in hoc genere præcipua, co-
gnituque digna ſunt, perſequimur omnia
(volumus quidem certe) prætereundum
non eſt, quales, quamque multæ virtutes,
erudiendorum hominum gratia, ſint hono-
re Deorum immortalium conſecratæ; cujus
rei finis eſt, publica utilitas; ut, quo ho-
nore virtutes ipſas decoratas videant, eun-
dem ſe conſecuturos eſſe homines ſperent,
ſi iiſdem virtutibus excellant; quo in gene-
re multum boni eſt in imitatione; libenter
enim ea imitantur, & perſequuntur multi,
ex quibus alios illa eadem, quæ ipſi appe-
tunt; conſecutos vident; atque ex eo ple-
runque accidit, ut multis in rebus, quas
antea ne cogitaverant quidem, cum ad cla-
rorum virorum imitationem ſe contulerint,
multorum vigeat induſtria; quæ cum paullo
manavit latius, quantos progreſſus, quan-
taque acquirat incrementa, nihil neceſſe
arbitror commemorare; conſtat enim inter
omnes, quæ præclara ducuntur, ea fere
omnia à tenuibus initiis ſumpſiſſe exordium,

quod paullatim, imitatione progrediente confirmatum, ita increbuit, ut ne augeri quidem, aut exaggerari magis poſſet; quod ſi ulla in re gratum nobis, atque optatum eſſe debet, certe in complectendis provehendiſque virtutibus non video, quid eſſe poſſit optatius: ſiquidem ex his informatio pendet, educatioque vitæ; quæ cum recte inſtituitur, atque excolitur, incredibile dictu eſt, quantos, quamque uberes juſtitiæ, integritatis, omniſque ampliſſimæ laudis fructus afferat. Sed, cum virtutes multæ merito colantur, quòd & ipſæ cultu dignæ ſint, & multæ ab iis ad univerſum genus hominum utilitates proveniant: quid ſit, cur beſtiæ quoque ipſæ ab Ægyptiis ferme omnes conſecratæ ſint, ſcire ſane velim; ſit Piſcis in cultu, ac Deorum opinione apud Syros, homines nec tanta ingenii acie præditos, nec tantis doctrinarum præſidiis inſtructos, ut, hæc inepta, ridiculaque eſſe, poſſint agnoſcere. Ægyptii vero, omnibus affluenter eruditionis, & ſcientiæ laudibus, quo modo in tam inanem, tamque abſurdam delabi opinionem potuerint, equidem intelligere vix poſſum; quid enim? an boves, canes, lupos, feles, piſces in Deorum numero habebimus? & quos nobis natura præſidii, auxiliique cauſſa animantes genuit, eos per inſcitiam Deos judicabimus? quibus nihil fœdius, obſcœnius, lutulentius ne natura quidem ipſa viderit. Etiam ne animalium monſtra illa, à quibus hominum generi præcipua incommoda inferuntur, crocodilos, aſpidas, ſerpentes, ceteras feras, & immanes belluas, in Deorum numerum referemus? quid erit aliud, naturam invertere, & ima ſummis, ſumma infimis commutare? &, cum tantam in his imperitiam, barbariemque agnoſcamus, tamen ne iſta pen tus inania pertinaciter defendemus? Eademque inſcitia cœpas, allia, fructus ceteros, qui oriuntur è terra, in Deorum numero repoſuit Ægyptus; quæ haud ſcio, cur longiori oratione refellere ſit neceſſe; incredibilis eſt enim eorum abſurditas, ut nulla eſſe poſſit, aut pertinacia tanta, quæ non iſta aſpernetur, atque refugiat. Imbres autem, mihi, procellæ, ſi à noſtris conſe cratæ ſunt, id antiquiſſimis Populi Romani ritibus, ac cœremoniis receptum, & confirmatum eſt; quæ tolli, aut perturbari, cum & ſatis firma ratione nitantur, & uſu jam ipſo confirmata, & approbata ſint, ſine nefario ſcelere non poſſunt. Græciam vero, quam paullo ante laudibus ornavimus, hoc loco non ſanè laudare poſſumus, quæ Cupidines, & Amores ſatis audacter, & temere in Gymnaſiis, ædibuſque publicis conſecrarit; quid enim Cupidini, aut Amoribus cum Gymnaſiis? aut, quid ea conſecratio, vel ad conſiderandum, vel ad imitandum afferre potuit honeſtatis, aut boni? nihil enim temerarium, nihil inſipiens in Deorum conſecratione eſſe debet; nec, quod ullam vel leviſſimam, aut turpitudinis, aut ullius omnino impudentiæ ſuſpicionem afferat; quales videri poſſunt eorum conſecrationes, quorum in rebus probitati, pudorique contrariis numen eſſe, potentiaque creditur. Qui ergo ad hominum vitam vel adjuvandam vel excolendam, atque exornandam aliud attulerunt, quique virtutibus, rerum-

A que geſtarum gloria præſtiterunt, eos nemo dubitet, jure Deos habitos, divinoque cultui affectos eſſe. Neque ego ullo pacto auderem hoc primus prodere; non enim tam ſtudioſe, quæ laudari poſſunt, appeto; quam reformidare ea ſoleo, ex quibus poſſit aliquid, vel levioris culpæ redundare. Cum vero, & mares, & feminas complures in Deorum numero eſſe videamus, & eorum in urbibus, atque agris auguſtiſſima templa veneremur; aſſentiamur eorum ſapientiæ, quorum ingeniis, & inventis omnem vitam legibus, & inſtitutis excultam, conſtitutamque habemus; tantis enim ducibus aberrare non poſſimus; nec à nobis, ſed ab illis ip- B ſis, quos ſequimur rei tam juſtæ, ac debitæ ratio repoſcetur; jure enim feciſſe putandi ſunt, qui ne quem virum, aut feminam præclare meritam debito honore ſpoliarent, eorum memoriam ſanctam, venerandamque eſſe voluerunt; nos autem injuſte ageremus, ſi, quos pari cultu, venerationeque dignos cognovimus, eos pateremur ſilentio præteriri. Neque hoc de te una, mea Tullia, dictum volumus, cujus extabunt virtutis, prudentiæ, doctrinæ, continentiæ, ad omnem æternitatem impreſſa veſtigia, ſed de iis omnibus, quos tali honore dignos, aut ipſi vidimus, aut futuro tempore poſteritas intuebitur. Nunc autem C de te loquar, quam non ego amiſſam, aut mihi penitus ademptam, velim dicere; cum illuceſcat menti meæ quotidie magis præclariſſima nominis tui, tuarumque virtutum gloria. Vigebis autem memoria, quandiu monumenta exſtabunt illa, quibus eximia conſignata ſunt tam excelſæ laudis teſtimonia; quæ ſempiterna fore, cum præſtantiſſima ſint, plane confidere debemus. Tibi igitur nunquam me debitum perſolviſſe officium putabo, niſi de me optime meritam, quam eximie coluiſti, ac de patria, quem ſemper ornaſti, ſupremo honore decoravero. Id autem facile conſequar, cum is locus, quem tibi delegi, ſempiternam habiturus ſit reli- D gionem; noſtra vero ſi qua erit ex ea re conſolatio, quæ magna certe erit; aut, ſi qua laus ex paterna pietate; mihi certe jucundiſſima acciderit; nihil enim aliud, vel audire, vel memoria repetere libentius poſſum, quam me in eam, quam ſumme dilexerim, ſummeque diligendam merito ſuo cenſuerim, quammaxime pium, gratumque eſſe; cum præſertim in alienos, quia de ſe optimè erant meriti, tam prolixos, liberaleſque ſeſe, & majores noſtri, & exteri præbuerint. Quod ſi ullum unquam animal conſecrandum fuit, qualia multa conſecraverunt Ægyptii, quod nullum profecto fuit; ſi Cadmi, aut Amphitryonis proge- E nies, aut Tyndari in cœlum tollenda fama fuit; huic idem honos certe dicandus eſt; quod quidem faciam, teque omnium optimam doctiſſimamque approbantibus diis immortalibus ipſis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium conſecrabo. Tu ergo in eo ipſo fano, quod ad nominis tui memoriam, ac cultum votum, dedicatumque eſt, & laudari te, & coli ſenties; maxime autem lætaberis in eo, quod & eum tibi, quem maxime debui, honorem perſolverim, & me ſimul iniquiſſimo fortunæ imperio penitus exſolverim; no-

ſtri

ſti enim, quam ſemper alacri fortique animo cunctis caſibus reſtiterim; ut ne me quidem, pulſum patria, omnique plane dignitate ſpoliatum, tam acri impetu frangere, ac dejicere fortuna potuerit. Cum inimicis autem quanta contentione decertaverim, quæque mea fuerit in iis refutandis, frangendiſque virtus, & conſtantia, norunt omnes, qui varios civitatis noſtræ caſus curioſe notaverunt. Cum vero, Tullia, te mihi extremo loco fortuna ademiſſet, tum equidem intellexi, quantum illa in rebus poſſet humanis, quantaque adverſus me ipſum vi, ac poteſtate niteretur; itaque nihil habui, quod dicerem, niſi, cedo, & manum tollo, cum tam gravi accepto vulnere, plane dolore perculſus, atque afflictus eſſem. Nunc autem & præceptis ſapientiæ adverſus omnem fortunæ vim confirmatus, &, te conſecrata, in cœlumque recepta, tanta affectus voluptate, ac lætitia, quantam animo capere maximam poſſum; exſultare planè videor, victorque de fortuna, ac de omni prorſus dolore triumpho. Tu ergo, quando me inſigni, & excellenti tuarum laude, memoriaque virtutum, tam præclare juviſti, nunc ab hominibus ſejuncta, non me deſerens, ſed aliquando reſpectans, perduc eo, ubi tua tandem collocutione conſpectuque fruar: ut & parenti tui amantiſſimo, quem potiſſimum optare debes, gratiam referas, & ego multo mihi gratiorem, multoque jucundiorem congreſſum noſtrum futurum intelligam, quam inſuavis, & acerbus digreſſus fuit.

F I N I S.

CAROLI
SIGONII
ORATIONES II.
NECNON
ACCUSATOR
PRO CICERONIS LIBRO
DE CONSOLATIONE;

Omnia à nonnullis mendis expurgata.

Digitized by Google

FRANCISCUS VIANELLUS CAROLO SIGONIO S. P. D.

EX litteris, quas proximis hiſce diebus Paullus Taurellus ad Petrum Bonſium miſit, intellexi judicium, quod de Libro M. Tullii in Conſolatione filiæ nuper edito, feciſti. Et quoniam eæ litteræ verbum injiciunt de aliis Libris, qui poſtmodum edendi ſunt, ne quiſquam ſuſpenſo animo editionem expectet, hoc tibi ſignificandum cenſui, non eſſe eos M. Tullii, ſed aliquorum veterum Scriptorum, quos tamen, ſi promiſſis fides habenda eſt, ſperamus in noſtras manus eſſe perventuros; qui ſi edentur, ad te ſtatim mittentur. Quod autem ad Librum jam editum attinet, ob eam rationem ſine ulla Præfatione, vel Epiſtola editus eſt, ut unicuique liberum judicium relinqueretur cenſendi de eo, quicquid viſum fuiſſet; hoc autem judicium fieri optavimus non ab omnibus promiſcue, ſed à doctiſſimis viris, & à te in primis, cujus judicio omnia, quæ in litteris obſcuriora videntur, jure optimo demandanda ſunt; itaque rem gratiſſimam feceris, ſi ad me reſcripſeris, ut quod ex alienis litteris anguſtè cognovi, à teipſo latius intelligam; non enim cuiquam concedo, qui tui amantior, & obſervantior ſit, aut omnium commodorum, & ornamentorum tuorum cupidior. Vale doctiſſime Sigoni, præcipuum omnium litterarum, & litteratorum decus.

Venetiis Nonis Maji MDLXXXIII.

CAROLUS SIGONIUS FRANCISCO VIANELLO S.

QUod meum de Conſolatione Ciceronis modo edita requiris judicium, res in eum locum adducta eſt, ut mihi ab ea, quam primum dixi, ſententia recedere non ſit integrum. Nam ut Librum legi, ac ſingularem eloquentiæ, ac doctrinæ copiam elegantiamque cognovi, ilico ipſum aut Ciceronis, aut certe præſtantiſſimi alterius videri eſſe ingenii, protuli; neque aliquem ex iis, qui rem perſpexerint, ac judicium ferre poſſint, aliter ſentire poſtea reperi. Quòd autem ubi inventus, & à quo editus ſit, non adjectum ſit, multi haudquaquam rudes, & imperiti fucum propterea factum eſſe verentur. Quare ad eorum advertendum errorem eleganter admodum feceris, ſi ipſe totam hujuſce rei hiſtoriam comiter hominibus expoſueris; quo facto ſpero me facillime aſſecuturum, ut incredulorum iſtorum impetum non ſolum ſuſtineam, ſed etiam feliciſſimè comprimam; cujuſcumque autem opus ſit, quod meum eſt, magnas tibi, & ago, & habeo gratias, quòd illud edideris, nec diutius cœcis latere in tenebris vetuſtatis, permiſeris. Gratiſſimum autem mihi feceris, ſi nomina eorum quoque Scriptorum ad me miſeris, quos te ex ipſo antiquitatis promptuario proditurum propediem, profiteris. Vale, & me, ut facere videris, dilige, pro certo habens, me tibi mutuam benevolentiam, voluntatemque præſtare.

Bononiæ Idibus Maji MDLXXXIII.

CAROLI SIGONII
DE CONSOLATIONE
CICERONIS
ORATIO PRIMA.

TRiceſimus jam prope agitur annus, cum ego Tullianorum fragmenta librorum, tanquam diſperſas aliquot ex ſævo naufragio colligens tabulas, incredibili flagrare deſiderio cœpi Conſolationis ab eo ſcriptæ legendæ, ac præcipuo quodam ſtudio cognoſcendæ; movit autem me cum grave, atque honorificum veterum, qui illam legerant, teſtimonium, tum ipſius, qui ſcripſerat, longe omnibus anteferendum judicium; quem ſæpe admonentem animadverteram, omnia ſe philoſophorum dicta, omnia vetuſtatis exempla conquiſiviſſe, quæque idonea viſa fuiſſent, in eam diligentiſſime contuliſſe, ita ut omnes ante ſe in ejuſmodi ſcriptionis officio ſuperaſſet. Verum, ut ingenue fatear, nunquam eventurum putavi, ut me vivo hic liber in lucem prodiret, quòd omnes jam Bibliothecarum arculas ſatis à doctis hominibus exploratas, omneſque angulos excuſſos exiſtimarem, in quibus ejuſmodi latere, ac contineri theſaurus poſſet. Ecce autem prioribus menſibus ex improviſo liber hoc indice inſignitus Venetiis ad me præclari muneris loco defertur. Quo accepto primum obſtupui, atque alienum eſſe aliquid, ut eſt noſtra ſuſpicioſa natura, duxi; deinde ut legere multis audientibus cœpi, ac ſententiarum gravitatem, verborum ſplendorem, ac ſingularem totius compoſitionis lenitatem ſine ulla negotiorum repugnantia ſenſi, illico ad contrariam ſententiam inclinavi; atque in ea poſt firmius perſtiti, poſtquam rem per ocium, ut ſedatiore, ſic intentiore mente, ac cogitatione luſtravi. Dum autem tacitus certiores aliorum opiniones exploro, litteris ad me multorum affertur, pleroſque fucum ab aliquo temere factum eſſe cenſere. Quod ut audivi, ſuſpicatus continuò ſum, aliquid eos vidiſſe, quod ingenii mei acies intueri non potuiſſet; atque eorum perſpicere conſilia, & rationes optavi. Interim vero rogatus à multis, quorum adverſari voluntati non potui, ut quæ me potiſſimum ad hujus approbationem operis impuliſſent, expromerem, haud gravate feci, ut quæ mihi pro illo dici poſſe viderentur, litteris conſignarem, ne præclarum, atque utile forte opus indicta cauſſa damnatum temere à noſtris Bibliothecis, & Scholis ablegaretur. Atque hoc quidem officium meum ſpero me æquis judicibus omnibus faciliime probaturum; certe, quantum conſequi vetere revocanda harum litterarum induſtria potero, haudquaquam ſuſceptam cauſſam incommoda aliquorum opinione affligi, ac labefactari, permiſero; ita tamen ut facile de propoſito deceſſurus ſim, ſi quem poſthac aut veriora, aut probabiliora vel ſenſiſſe, vel protuliſſe comperero. Quæ

A autem res in controverſiam veniat, quamquam neminem paullo humaniorem eſſe puto, qui neſciat, tamen imperitiorum gratia declarabo. Cæſare quartum conſule in Hiſpania contra Pompeji filios dimicante, Cicero Tulliam filiam, quam caritate eximia diligebat, amiſit, cujus cum ingentem ferre dolorem non poſſet, ut ſapiens remedium à philoſophia petivit; ac contractis in unum omnium, qui de luctu minuendo ſcripſerant, Commentariis, Conſolationem confecit, qua ſe, ac ſimul omnes alios in ejuſmodi caſu diſertiſſime confirmavit. Inde everſa plane Cæſariano dominatu B republica, philoſophiæ tractationem aggreſſus Hortenſium, Academica, de Finibus, Tuſculanas, de Diis, de Divinatione, de Senectute, ac de Officiis edidit. Hæc deinde Conſolatio in manibus hominum diu magna approbatione verſata demum in illa teterrima literarum omnium tempeſtate ſic obruta eſt, ut poſt cum ceteris ejus libris haudquaquam emerſerit. Quare magna nobis adhuc omnibus opinio fuit, eam unà cum Hortenſio, & aliis quibuſdam prorſus evanuiſſe. Tandem ſuperioribus, ut dixi, menſibus liber hujus argumenti nomine Ciceronis exivit is, qui nunc C in quæſtionem adducitur. Ceterum cum de incerta alicujus auctoritate voluminis diſceptatur, illa præcipue docti exquirere conſueverunt, num librum ab auctore ejuſmodi tituli ſcriptum eſſe, conſtaret; num quid in eo hæreret, quod inſignem aliquam perſonarum, ac temporum cum negotiis ipſis diſſenſionem haberet; num qui veteres hujuſce memoriam uſurparent, ex quorum ore ipſis aut ſententiis, aut verbis aliquid affulgere luminis poſſet. Ubi vero hæc inter ſe congruere compererunt, tum de ipſius ſinceritate jure poſſe ambigi, negaverunt. Atqui M. Tullium li- D brum conſcripſiſſe, in quo ſemetipſum de morte filiæ conſolatus ſit, omnes fatentur; hunc vero ejuſmodi eſſe, ut nihil perſonis, nihil temporibus alienum includat, ipſi quoque, ut video, adverſarii aſſerunt; teſtimonia vero ſui fide digna multa habere, ne illi quidem, credo, audebunt inficiari; in quo igitur eſt controverſia? Falſum opus eſſe, atque ab aliquo noſtri temporis homine M. Tullii nomine fictum ajunt, perinde ac priſcis temporibus duæ inter ſe contrariæ Salluſtii, ac Ciceronis orationes, & altera, antequam iret in exilium, ſimulatæ ſunt. Quo de genere E meam ego hoc loco ſic ſententiam interponam, ut non de tota re aliquid aſſeverantius ſtatuam, ſed, quibus potiſſimum rationibus liber hic Ciceronis aſſeri poſſit, oſtendam: neque ut aliquot erroris tenebras eis objiciam, qui adulterinum, ſed ut facem veritatis eis aliquam præferam, qui germanum eſſe exiſti-

mant. Quod ſi forte contigerit, ut opinione, atque conſilio labar, non ego cupidus, aut mendax, ſed humanæ conjecturæ lubricæ, ac fallaces erunt habendæ; ſiquidem fit ſæpiſſime, ut majorem vim habeant probabilitatis, quæ minorem præſeferunt ſpeciem veritatis; quam quidem nos aut in veſtigiis, aut nullis aliis in hoc rerum genere aſſequemur.

Quid igitur iſti potiſſimum dicunt, qui ab hac ratione diſſentiunt? negant, veriſimile eſſe, monumentum ejuſmodi aliquod diuturna, ac cœca adeo caligine vetuſtatis oppreſſum demum poſt tot annorum curricula jam omnibus perluſtratis latebris erupiſſe. Verum quo tandem ſæculo hoc homines acutiſſimi diſſerunt? nempe illo, quo multa ejus generis alia felici doctorum hominum diligentia exierunt. Quid enim? non ne Livii, ac Paterculi hiſtoriæ, & Ciceronis Orator, ac Brutus, atque ipſæ ad Atticum, & aliquot ad Brutum epiſtolæ memoria patrum noſtrorum, & noſtra inventæ eam hodie apud omnes obtinent auctoritatem, quæ veris, incorruptiſque veterum monumentis, ſcriptiſque debetur? Verum illud omitto; ecquando aliàs noſtris, proximiſve temporibus homo tam acri inſtructus ingenio, aut tanta præditus induſtria fuit, qui Ciceronem perite, atque artificioſe adeo ſimularit, ut judicia eruditorum, intelligentiumque præſtrinxerit? at ex veteribus aliquot extiterunt; fateor; verum in alio ſe rerum genere exercuerunt; quippe finxerunt orationes, ideſt actiones eas complexi ſunt, quas neque Cicero attigerat, & ipſi facile conjicere ex propinquitate ſæculi poterant; atque omnino acta illa inſeruerunt, in quibus etiam fallentes, nulla unquam, ſi ſibi conſtitiſſent, refelli hominum memoria valuiſſent; denique ea perſequuti ſunt, de quibus nemo ante loquutus erat, & quæ, cum omnino nulla fuiſſent, liberam ad fingendum ſine mendacii ſuſpicione poteſtatem omnibus tribuebant. At vero qui Conſolationem Ciceronis effingendam hoc tempore ſumpſerit, næ ille non ſolum difficile cum eo certamen inſtituet, qui in hoc genere admirabili excelluiſſe ingenii gloria fertur, ſed etiam ea tractabit, quæ longe à ſua memoria, notitiaque remota ſunt, & ſolida doctrinæ monumenta reſtituet, in quibus nullam, ut ibi, res ipſa materiam ad comminiſcendum ſuppeditabit, quòd tota in veterum varietate dictorum, factorumque poſita ſint, quæ ex ſolis philoſophorum, atque hiſtoricorum ſcriptis poſſunt hauriri; quæ quidem Cicero cognoſcere facile potuit, huic vero ne in quiete quidem videre jam prorſus amiſſa licebit; demum ea perſequetur, quorum multa veterum teſtimonia extant non ſolum eorum, qui ipſa ſtudioſe legerunt, ſed ipſius etiam, qui prodidit, Ciceronis; quorum unum ſi forte omiſerit, continuò falſi reus agetur, ac facile ſive ſtultitiæ, ſive impudentiæ convincetur. Quod ſi illi ſolis ingenii, atque eloquentiæ viribus uſi conſtantiam tamen retinere non potuerunt, ac convicti demum, exploſique ab omnibus abierunt, quid huic, ſi ſanus erit, tumultus objicietur, cui tantus rerum, tantus ſententiarum, tantus exemplorum, tantus verborum delectus, atque apparatus erit inſtruendus, ac congerendus? aut cujus laudis, ac præmii ſpe incitatus in tantas ſe adduci ſcriptionis anguſtias patietur? Age vero, ſi veritatem hujus operis in diſceptationem, judiciumque adductam certiſſimis, ac locupletiſ-

A ſimis hominum teſtimoniis comprobare, ac confirmare velimus, quæ tandem aut graviora, aut veriora alia producemus, quàm vel ejus, qui hoc texuit, vel eorum, qui pertractarunt? Atqui ſi Cicero ipſe longè animo providiſſet, fore aliquando, ut liber hic in lucem editus parum apud homines fidei, atque auctoritatis haberet, nec liquidius, nec certius voluntatis ſuæ teſtimonium, atque argumentum edere potuiſſet, quàm quod pluribus in locis quaſi de induſtria conſignatum, teſtatumque reliquit; quid autem inquit? Librum ſcripſi, in quo memet de morte filiæ conſolatus ſum: audio; num quid amplius? in quo pluribus verbis humanæ vitæ miſerias B deploravi, omnes ſententias philoſophorum collegi, qui mortem bonis omnibus præditam, malis omnibus vacuam oſtenderunt, itemque omnia clariſſimorum noſtræ civitatis virorum exempla, qui aut obitum ſuorum conſtantiſſime pertulerunt, aut ipſi mortem fortiſſime oppetierunt. Num hoc fuit contentus? nequaquam; addidit enim; in quo animorum immortalitatem, atque eorum, qui ſe in vita juſte, caſte, atque integre præſtitiſſent, beatitudinem demonſtravi; quare merito eos à Græcis, tanquam Deos conſecratos, cultoſque oſtendi, ac propterea eorum exemplo filiam meam optimam conſecravi; & quam omnium Græcorum, ac Latinorum ingeniis ad C immortalitatem nominis celebratam, eandem dedicato etiam fano poſteris colendam, venerandamque propoſui. Num plenum adhuc edidiſſe veritatis hujus exiſtimatis indicium? minime; adjunxit enim: Hæc autem omnia adeo varie, copioſe, ac diſerte perſtrinxi, ut nulla à quoquam adhuc conſcripta ſit Conſolatio hujuſmodi. Non ne cum hæc tam diligenter, atque accurate poſteris tradidit, eos tacite viſus eſt admonere, ſi quando liber his virtutibus præditus ex latebris vetuſtatis eruperit, nolite dubitare, ne meus ſit? Quid? non ne idem prope teſtari videtur Lactantius, homo non minore fidei, quàm doctrinæ laude ornatus? cum in hanc ſententiam inquit: Legi D diligenter librum hunc, atque ejus ſententias, & verba longis ambitibus circumſcripta in meos commentarios pro meo commodo retuli; in quo hæc cohærebunt, hunc pro germano Ciceronis habeto; non ne idem ceteri, quorum fides, ut antiqua, ſic integra, atque incorrupta debet exiſtimari? His ergo, & nullis aliis in hoc judicio ſtandum eſſe cenſeo. Audiamus autem ſingulos, ſuum, ut cujuſque rei probatio inciderit, teſtimonium pure, ac ſincere dicentes; &, quod in ejuſmodi cauſſis adhuc ſemper valuit, ut antiquiſſimis teſtibus fides veritatis aſſereretur, faciamus, ut in hac etiam vel maxime valeat; in qua ſuſpiciones, ac conjecturæ nihil, aut parum E habere firmamenti videntur; quæ tamen in ceteris cauſſis cum adſunt, leviſſimæ plerunque reperiuntur; ac ſententias, fragmenta, exempla, & verba hujus libri diligenter adeo excutiamus, ut nihil, quod ad rem pertineat, omittamus. Quærimus igitur de ſententiis? dico, quæcunque Cicero ſe in Conſolatione tractaſſe, aut alii ipſum egiſſe teſtati ſunt, omnia in hoc libro tanta expreſſa diligentia apparere, ut vel ex hoc uno fidem haud dubiam poſſimus germanæ hujus compoſitionis haurire. Audiamus Ciceronem. Is libro XII. ad Att. ſic prodidit: „ Quod me ab hoc mœrore recreari vis, facis, ut omnia, ſed me

„ mihi

,, mihi non defuiſſe, tute teſtis es; nihil enim
,, de mœrore minuendo ſcriptum ab ullo eſt,
,, quod ego non domi tuæ legerim . Sed om-
,, nem Conſolationem vincit dolor . Quin
,, etiam feci, quod profecto ante me nemo ,
,, ut ipſe me per literas conſolarer; quem li-
,, brum ad te mittam ; affirmo tibi, nullam
,, Conſolationem eſſe talem . *Item* : Omnia
,, ſcripta doctiſſimorum hominum , quæcun-
,, que ſunt in eam ſententiam , non legi ſo-
,, lum , quod ipſum erat fortis ægroti , acci
,, pere medicinam , ſed in mea etiam ſcripta
,, tranſtuli, quod certe afflicti , & fracti ani
,, mi non fuit. Quod Cicero ſe feciſſe in Con-
ſolatione ſua inquit, id in hac diſertiſſime fa-
ctum videmus ; quippe omnium philoſopho-
rum, qui de morte luctuque ſcripſerunt, ſen
tentias intextas , ac digeſtas animadvertimus.
Philoſophi autem illi præcipue præter Plato-
nem fuerunt Crantor, Theophraſtus, & Xe-
nocrates; ex quibus Crantor ſcripſit Conſola-
tionem ad Hippoclem , cui mors liberos eri-
puerat , Theophraſtus Calliſthenem, ſive de
luctu , Xenocrates de morte; ut Plutarchus ,
& Diogenes prodiderunt; qui quanquam om-
nino hodie nulli ſunt; de his tamen ſic noſter
hic ſcriptum reliquit, ut eorum ſe libros di-
ligenter evolviſſe , ac cognoviſſe , oſtenderit .
Etenim hoc modo inquit : ,, Quamobrem pru
,, denter à doctis, & ſapientibus viris & co-
,, gitatum, & factum eſt , qui de luctu mi-
,, nuendo ante nos ſcripſerunt ; quorum ex-
,, tant ſatis multa ſane ſapienter litteris man-
,, data, in primiſque à Theophraſto, Xeno-
,, crate , & Crantore ; quorum libros cum
,, ſæpe animi cauſſa ſumpſerimus in manus ,
,, admirati eorum ſaluberrimis præceptis re-
,, fertam , & conditam eloquentiam , tum
,, proxime legimus neceſſario ; caſus enim
,, ereptæ nobis filiæ , quam in oculis fereba-
,, mus, eximiis & virtutis, & prudentiæ lau
,, dibus præſtantem, ita nos vel perculit, vel
,, afflixit , ut ab iis opem ad leniendum , &
,, mitigandum dolorem petere coacti ſimus ,
,, quorum maxime doctrina , atque auctori
,, tate antea movebamur. Itaque multa, quæ
,, ab illis vel acute cogitata , vel eleganter
,, enunciata ſunt, ad dolorem noſtrum abſter-
,, gendum colligemus. Hoc autem loco quæ-
rere ab iſtis hominibus libet , ubi ſint pru-
dentes hi de luctu minuendo commentarii ,
ex quibus imitator iſte ſe præcepta collegiſſe
ad leniendam doloris ſui acerbitatem oſtendit,
& ſi nuſquam exiſtunt, quomodo hæc ab illo
ad veritatem conformata contendunt ? Mox:
,, Atque hic locus à Theophraſto egregie tra-
,, ctatus, & perpolitus eſt, itemque à Xeno
,, crate, quorum uterque eos , qui commu-
,, nes caſus recuſant , imprudentiæ , atque
,, injuſtitiæ condemnat; alter etiam Diis ipſis
,, adverſos non dubitat appellare . *item*: Sed
,, ego Crantorem ſequor, cujus legi brevem
,, de luctu librum. *Inde poſt multa* : Quamvis
,, multos philoſophorum libros vel de luctu ,
,, vel de morte ſatis accurate legiſſemus , ut
,, Theophraſti , Xenocratis, aliorum , quos
,, commemorare nihil attinet, tamen hoc ideo
,, non feceramus , quòd eventurum putare-
,, mus , ut iis ipſis in noſtro mœrore utere-
,, mur ; itaque neque lectionem , quantum
,, oportuiſſet, accuratam, nec memoriam ſa-
,, tis intentam adhibuimus ; caſu autem re-
,, pentino oppreſſi non prius ad libros confu-
,, gere potuimus, quin ante acerbitatis vi pro-

A ,, ſterneremur. Simul etiam volo , ut iidem
mihi reſpondeant , ubi terrarum lateant vete-
res iſti vel de luctu, vel de morte Scriptores,
à quibus ad imitatorem hunc monita hæc tam
præclara manarint, Xenocratem dico, Theo-
phraſtum, & Crantorem , quos quidem con-
ſtat, multis jam ſæculis ex hominum memo-
ria temporis injuria prorſus evulſos. Nec
multo poſt : ,, Nam , ſi verum eſt , quod à
,, Theophraſto alicubi proditum memoriæ
,, mandavimus , orbem terrarum theatrum
,, quoddam eſſe, divina mente repletum , &
,, cœleſtis indicandæ ſapientiæ gratia tam
,, multis undique collucentibus ornamentis il-
,, luſtratum, ac depictum; in eo autem me-
B ,, dio collocatos eſſe homines à Deo, ut cum
,, fortuna, dolore, morbis, egeſtate, caſibuſ-
,, que permultis aſſidue luctentur; Deum vero
,, ipſum, quantum quiſque pugnando valeat,
,, quamque viriliter fortitudine divinitus ac-
,, cepta utatur, deſuper aſpectare. Quin etiam
illud tertium ſcire cupio , unde hunc demum
Theophraſti librum novus hic imitator erue-
rit , aut à quo tandem hanc ille tam præcla-
ram ejus ſententiam ſumpſerit ? Quod ſi his
monumentis jampridem deletis nemo noſtrum
vere has eorum adhibere ſententias potuit ,
quid eſt , cur Ciceronem ſemetipſum aperte
prodentem hac gloria ſpoliemus, ac ſimul illo
repudiando hoc damni ſtudiis noſtrorum ho-
C minum afferamus?

In Tuſculana inde quarta ſic ſcriptum re-
liquit : ,, Sunt, qui unum officium conſolan-
,, tis putent, malum illud omnino non eſſe ,
,, ut Cleanthi placet; ſunt qui non magnum
,, malum , ut Peripatetici ; ſunt , qui abdu-
,, cunt à malis ad bona, ut Epicurus; ſunt ,
,, qui ſatis putant oſtendere , nihil inopinati
,, accidiſſe, nihil mali. Chryſippus autem ca-
,, put eſſe cenſet in conſolando, detrahere
,, illam opinionem mœrenti, ſi ſe officio fun-
,, gi putet juſto , atque debito. Sunt etiam ,
,, qui hæc omnia genera conſolandi colligant;
,, alius enim alio modo movetur , ut fere
,, nos omnia in Conſolationem conjecimus ;
D ,, erat enim in tumore animus, & omnis in
,, eo tentabatur curatio . Urgeo adhuc vehe-
mentius ; ſi omnia conſolandi genera hæc ,
quæ Cicero ſe ferme in Conſolationem conje-
ciſſe denunciavit, hic quoque aperte adhibita,
atque expreſſa eſſe videmus, cur non certum,
atque exploratum hunc illius eſſe commenta-
rium aſſeremus ? uſurpata vero omnes intelli-
gent, qui ea ſibi ſigillatim conquirenda ſuſci-
pient .

Quod ſi imitator hic ea , quæ Cicero à
veteribus ſumpſit , eruere hoc tempore amiſ-
ſis præſertim, ac jam prorſus extinctis eorum
monumentis nequivit , num quæ ille primus
prodidit , expiſcari ſedulitate aliqua valuit ?
E multo minus . Quo modo ergo dicere illud
potuit? ,, Neque ego auderem hoc ullo pacto
,, primus prodere ; non enim tam ſtudioſe
,, quæ laudari poſſunt appeto , quàm refor-
,, midare ea ſoleo, ex quibus poſſit aliquid
,, vel levioris culpæ redundare . Quod à Ci-
cerone factum Lactantius nutu tantum obſcu-
riſſimo denotavit. Singulari nimirum, vel di-
vino potius homine nobis opus eſt, qui tam
longe reſpiciat , ut quæ facta ſunt , omnia
præſtanti quadam animi vi , atque virtute
conſpiciat . Qui ſi fuit aliquis unquam, Cres
ille Epimenides, ſi fabulis credimus, extitit .
Non noſtrorum temporum , non noſtrorum

mo-

A morum, noo hujus occupatæ vitæ, non hujus imbecillæ ætatis eſt tanta ad præterita ſubodoranda ſagacitas; clamet, quantum velit, qui aliquem etiam exiſtere poſſe Ariſtotele melio rem contendit; ego præclare mecum, & cum omnibus actum iri putabo, ſi obſcuriſſima ipſius aſſequi conſilia, decretaque potuero.

Jam vero, ut longius orationem meam diſputando producam, quemadmodum, ſi quis mihi libros Ciceronis de Republ. amiſſos offerret, ſtatim ad explorandam veritatem præcipue partem illam inquirerem, in qua naturalium tractatio rerum hæreret, de qua Atticum apud eum in Bruto ſic loquentem viderem: „ Tuis de Republica libris noſmetipſi B „ ad rerum naturalium memoriam compre„ hendendam impulſi, atque incenſi ſumus, &, ſi non inveoirem, eos ſtatim Ciceronis eſſe, abnuerem, ſic contra hac Conſolatione oblata illico deplorationem illam rerum humanarum inſignem requiſivi, pro maximo veritatis argumento eam ducens, quòd multis teſtimoniis compertam, & confirmatam haberem. Etenim in prima Tuſculana dixit: „ Hæc „ quidem vita mors eſt, quam lamentari poſ„ ſem, ſi luberet. A. Satis tu quidem in Con„ ſolatione es lamentatus, quam cum lego; „ nihil malo, quàm has res relinquere; *& in* „ *quarta*: Quid neceſſe eſt vitam efficere de„ plorando miſeriorem? fecimus hoc io eo li„ C bro, in quo noſmetipſos quantum potui„ mus, conſolati ſumus. Item S. Auguſtinus libro XIX. cap. IV. de Civitate: „ Vitæ hu„ jus miſerias lamentatus eſt Cicero de morte „ filiæ, ſicut potuit. Ubi vero ſumpto in manus libro comperi, Scriptorem hunc in ipſo ſtatim diſputationis exordio omnium ætatum, ſexuum, & conditionum ærumnas copioſe adeo, ac diſerte complecti, ut facile poſſit, ſummum omnibus vitæ hujus faſtidium excitare, atque, ut Cicero dixit, mirificum has res relinquendi deſiderium commovere, quievi, atque omnem omnibus de eo dubitationem abjiciendam exiſtimavi. Quæ doctrinæ laus ſi recentis hujus imitatoris ingenio, facultatique tribuitur, quid aliud, quàm Plato- D ni, & Crantori, ac ceteris, qui hoc argumentum antiquitus perſequuti ſunt, præſtantiſſimis viris homo obſcuriſſimæ, ac nobis adhuc incognitæ induſtriæ adæquatur?

Poſſum minora quædam alia, & quidem non pauca commemorare, quæ Cicero ſe in Conſolatione ſcripſiſſe, teſtatus eſt, hic vero ſcripta licet animadvertere, ut illud XII. ad Attic. „ Quod ſi me ipſum per litteras coo„ ſolatus ſum, non me pœnitet, quantum „ profecerim; mœrorem minui, dolorem nec „ potui, nec, ſi poſſem, vellem. Etenim in hoc libro idem præcepit: „ Nec vero credi „ velim, me, quia dolori nimio repugnem, E „ iccirco dolorem omni ex parte improbare, „ omneſque illius ex aoimo fibras evellendas „ exiſtimare; & illud in ſecundo de Divinatione: „ Quid ego de Conſolatione dicam, „ quæ mihi quidem ipſi ſane aliquantum me„ detur, ceteris item multum profuturam „ puto; in hoc enim: „ Neminem puto fore, „ quem non rationes à nobis tam ſtudioſe è „ ſapientum libris collectæ juvent, & dele„ ctent. Eodem modo in Tuſculana quarta: „ Ægritudinis ſedatio explicata eſt in Conſo„ lationis libro; quodque vetat Chryſippus, „ ad recentes quaſi tumores animi remedium „ adhibere, id nos fecimus, naturæque vim „ attulimus, ut magnitudini medicinæ dolo„ ris magnitudo concederet. At in hac: „ Quanquam recentibus morbis medicinam „ adhibere vetant ſapientes; conemur tamen „ conſulere nobis ipſis; *& poſt*: Hoc autem „ dolore afflicti conſolationem à nobis peten„ tes noſmetipſos in dolore vincemus, ac na„ turæ quandam quaſi vim afferemus. Et libro XII. ad Attic. „ Omnem conſolationem „ vincit dolor. *Hic*: Sed vincat dolorem con„ ſolatio. *Item ibi*: Omnia ſcripta doctiſſimo„ rum hominum, quæcunque ſunt in eam „ ſententiam, non legi ſolum, quod ipſum „ erat fortis ægroti, accipere medicinam, ſed „ in mea etiam ſcripta tranſtuli; quod certe „ afflicti, & fracti animi oon fuit. *Hic vero*: „ Hoc nos in mœrore noſtro, quod certe „ fortis eſt ægroti, non ſolum accipere, ſed „ etiam exquirere medicinam. Quibus in ſingulis ad veritatem excutiendam tantum momenti quiſque conſtituat, quantum proprium judicium, & res ipſa præſcribit.

Jam vero cum integra rerum à ſe in Conſolatione tractatarum capita aliis in commentariis indicata in hac ipſa inveniuntur, quid aliud, quam hoc germanum opus ejus eſſe teſtantur? Io prima enim Tuſculana ſcripſit, ſe io Conſolatione de animorum immortalitate diſſeruiſſe; quod hic cumulatiſſime per multas paginas expletum eſſe videmus. In XII. vero ad Atticum de conſecranda filia egit, idque ipſum io Conſolatione feciſſe, Lactantius affirmavit, hic vero multis adeo verbis eſt factum, ut magnam extremi operis quaſi regionem obſideat. Eodem in loco ſe filiæ fanum conſecrare velle oſtendit his verbis: „ Hoc „ mihi debere videor, neque levari poſſe, „ niſi ſolvero, aut videro me poſſe ſolvere, „ ideſt locum, qualem volo, invenero. Et alio loco: „ Fanum fieri volo; neque hoc „ mihi erui poteſt. At in hoc libro Tulliam alloquens dixit: „ Tibi ounquam debitum me „ perſolviſſe officium putabo, niſi ſupremo „ honore decoravero. Id autem facile conſe„ quar, cum is locus, quem tibi delegi, ſem„ piternam habiturus ſit religionem. Ad extremum ut ibi ſe filiam ſcriptis Latinis, Græciſque celebraturum pollicetur, inquiens: „ Ego, quantum his temporibus eruditis fieri „ poterit, profecto illam conſecrabo omni ge„ nere monumentorum ab omnium ingeniis „ Scriptorum & Græcorum, & Latinorum; ſic in hoc libro ſe id feciſſe teſtatus eſt, ad eam loquens: „ Vigebis autem memoria, „ quandiu monumenta extabunt illa, quibus „ eximia cooſignata ſunt tam excelſæ laudis „ teſtimonia, quæ ſempiterna fore, cum præ„ ſtantiſſima ſint, plane confidere debemus. Atque hæc quidem ipſe Cicero de ſe, cui inſignem profecto injuriam faciamus, ſi aperte pro laude ſua teſtanti fidem non habeamus. Etenim ſi M. Scauro quondam uno verbo objectum ſibi majeſtatis crimen inficianti credidit populus Romanus, cur M. Tullio cauſſam poſſeſſionis pluribus aſſerenti auctoritatem non tribuamus?

Nunc prodeant ceteri. Lactantius libro primo, capite XV. ioquit: „ Tullius in eo li„ bro, in quo ſe ipſum de morte filiæ conſo„ latus eſt, ooo dubitavit dicere, Deos, qui „ publice colerentur, homines eſſe, & ipſe „ eoſdem ſe colere, venerarique teſtatur. Animadvertant quæſo diligenter hunc locum omnes; duas ille res in hoc libro ſuſcepiſſe

Ci-

A Ciceronem affirmat, & Deos homines eſſe aſſeruiſſe, & ſe illos venerari, ac colere; quarum hic utranque intra paucos verſus obivit. Siquidem primum dixit: „ Græcia multos habet factos ex hominibus Deos; deinde addidit: „ Neque vero hæc à me ideo copioſius „ diſputantur, quòd eos temere, neque ſatis „ conſiderate tam multos conſecratos velim, „ cum eos ipſe quoque venerer, Deorumque „ loco habendos putem. Quid hoc teſtimonio poteſt eſſe divinius, niſi ſi à divino illo, cui omnia perſpecta fuerunt, imitatore expreſſum fuiſſe, ſubjiciamus?

Cum autem idem libro tertio, cap. XIII. Conſolationem opus non joculare vocavit, ſane ad id, quod hic ſcriptum eſt, mentem B intendit: „ Si gravioribus ludicra interdum ad„ miſcere liceat; & cum D. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani dixit: „ Crantoris volumen ad conſovendum dolorem ſuum ſequutus eſt Cicero; ſine dubio verba illa hujus libri expreſſit: „ Sed ego Crantorem ſequor, „ cujus legi brevem illum quidem, ſed vere „ aureum, &, ut Panætio placuit, ad verbum ediſcendum de luctu librum.

An igitur hunc tantum ſententiarum, dictorumve contextum, tanquam aut temere initum, aut fucoſe nuper ab imitatore confictum repudiabimus, & locupletiora veritatis teſtimonia, quàm cum aliorum, tum ipſius, C qui ſcripſit, Ciceronis deſiderabimus? aut ipſum ab inferis exploratius, ac ſolidius voluntatis ſuæ monumentum miſſurum, expectabimus? ubi enim in his, poſterius priori, ut ille dixit, non convenit? quod ſequitur non reſpondet ſuperiori? ubi non ſic aliud ex alio nectitur, ut non, ſi ullam litteram moveris, labent omnia? cum ferme imitatorum hujuſmodi eſſe monumenta deprehendantur, ut prius à ſua oratione, quàm à noſtra ſuſpicione damnentur? Videte, quantum inter nos, ac veteres illos interpretes Græcos interſit, & quantum conſuetudo de ſpatio majorum, curriculoque deflexerit; illi librum Ariſtotelis amplexi tenuerunt, licet auctoritatem ibi D prolatam in iis, quos nominavit, libris diſerte expreſſam non invenerunt, nos eum repellimus, in quo plurima alibi teſtata, ac denunciata diſerte, ac ſine ulla dubitatione clauduntur; illi libello uno repudiando ſe deteriorem Peripateticorum diſciplinam effecturos exiſtimarunt, nos uno admittendo Latinæ linguæ præſtantiam polluturos eſſe veremur.

Neque vero ſolum ſententiæ ab ipſo, aut ab aliis ſignificatæ his verbis ſuis inſigniter exornatæ reperiuntur, ſed verba etiam ipſa, quæ uſurpata feruntur, membris, aut ambitibus ſuis apte devincta leguntur, quæ Fragmenta vocamus. Vultis autem, ut rem iterum teſtimoniis affirmemus? procedat primus Cicero, ne forte multitudine aliorum dictorum E ſic poſtea obruatur, ut non appareat. Quid ais M. Tulli? Quod factitare Demoſthenem obſervavi, ut eademmet verba, quoties apte caderent, adhiberet, id nunquam in animum induxi, ut facerem; quòd ea res miram ingenii tenuitatem, & nimiam verborum inopiam indicaret, quibus ego ſic abundavi, ut C. Cæſar me copiæ inventorem, ac principem bene de nomine, ac dignitate populi Romani meritum appellarit. Quanquam autem de induſtria ab hoc inſtituto refugi, tamen cum in Conſolatione perbellam quandam ſententiam de animis non unde cetera genitis intuliſſem, uſque adeo illam probavi, ut de eadem re poſt in prima Tuſculana diſceptans iiſdem verbis repetiverim; quòd elegantius, ac rotundius dici non poſſe cenſuerim; meque è Conſolatione ipſa ſumpſiſſe teſtatus ſim. Age igitur quomodo loquutus es in Conſolatione? „ Animis æterna cœli ſedes quærenda, eaque „ propria illorum patria. Siquidem animorum nulla in terris origo inveniri poteſt; „ nihil eſt enim in animis mixtum, atque „ concretum; & quæ ſequuntur. Quomodo vero in Tuſculana? „ Ut illa natura cœleſtis „ & terra vacat & humore, ſic utriuſque harum rerum humanus animus eſt expers. Sin „ autem eſt quinta quædam natura ab Ariſtotele inducta, primum hæc & Deorum eſt, „ & animorum. Hanc nos ſententiam ſequuti „ his ipſis verbis in Conſolatione hæc expreſſimus. Animorum nulla in terris origo inveniri poteſt; nihil eſt enim in animis mixtum, atque concretum; & cætera ad verbum. Quid vultis amplius? Si Cicero in hoc judicio adeſſet, & librum hunc ſuum eſſe conceptis verbis juraret, num certius hoc dicere teſtimonium poſſet? Quid ergo iſti contra dicunt? Hoc ipſum, opinor, non Ciceronem, ſed imitatorem illum ſuum diligentem, atque induſtrium effeciſſe. O rem indignam, & prope intolerabilem! cum de libro περὶ ἑρμηνείας ambigeretur, utrum ne Demetrii eſſet, ut ferebatur, an alterius, uni Theophylacto neſcio quid hæſitanter de illo proferenti aſſenſi ſumus, Ciceroni fidenter de Conſolatione ſua teſtificanti fidem habere nolemus? atque acriter omnia infirmaſſe teſtimonia exiſtimabimus, ſi, ut tragici argumentum explicare fabulæ neſcientes ad Deum, ſic nos ad novam imitatoris neſcio cujus ſagacitatem, ſolertiamque confugiemus? Introducamus ceteros, quando Cicero, ut video, non ſolum inteſtabilis, ſed etiam deteſtabilis factus eſt.

Plinius ſic ſcriptum in ſua Præfatione reliquit: „ Cicero in Conſolatione filiæ, Crantorem, inquit, ſequor. S. Hieronymus in Epitaphio: „ Crantoris volumen ad conſovendum dolorem ſuum ſequutus eſt Cicero. Hic vero quemadmodum hæc expreſſit? „ Hæc „ autem perite, ut dixi, à multis tractata „ ſunt. Sed ego Crantorem ſequor; cujus „ legi brevem, ſed ad verbum ediſcendum „ de luctu librum. Quid fingi poteſt aptius? quid in hoc vel ipſe reprehenderet Ariſtarchus, homo à judicio inſtructiſſimus, atque hujuſmodi artificii apud veteres peritiſſimus habitus? qui notis appoſitis malos, falſoſve poëtæ verſus diſpunxit, non uno verbo univerſum, ut noſtri, opus exterminavit.

Citate rurſus Lactantium, qui quaſi indignatus, quòd ſuperioribus dictis ſuis habita fides non ſit, nova prolaturus accedit; is libro tertio, cap. XIX. inquit: „ Cum Cicero „ in principio Conſolationis dixiſſet, luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, iteravit id ipſum poſtea, quaſi objurgans eum, „ qui vitam non eſſe malis plenam putet. Negabitis, hæc ab hoc libro abeſſe? non poteſtis. Nam in principio hæc poſita ſunt: „ Ut quaſi luendorum ſcelerum cauſſa naſci „ homines, & in hanc lucem ingredi poſſis „ agnoſcere. Inde poſt deplorationem miſeriarum iterata cum prædicta objurgatione hoc modo: „ Redeo ad illud, quod initio dixi, „ neminem eſſe, qui ſpiritum ducat, non „ miſerum, neminem vere felicem, parum-

A „ que ſapiunt ii, qui hominem luendorum ſcelerum cauſſa natum felicem, aut beatum audent nominare. Quid ergo dicunt, cum ſe urgeri hoc tam manifeſto dicto conſpiciunt? nempe ad ſuam, opinor, arcem, perfugiumque recurrunt. Quod tu à Cicerone factum, nos ab imitatore fictum eſſe aſſerimus. Bone Deus, quis unquam aut facilius, aut felicius omnia contrariorum argumentorum impedimenta removit, ac diſſipavit? Ergo quod Cicero ſcripſit, id quilibet homo repræſentabit? credo. Siquidem ut Herculi exprimendo ſatis eſt, ſi quis clavam effingat, ſic Tullio effingendo, ſi in clauſula, Eſſe videatur, adjungat.

B Tranſeamus ad alia. Idem eodem in loco ſcribit: „ Hinc nata eſt inepta illa ſententia, hanc eſſe mortem, quam nos vitam putamus; illam vitam, quam nos pro morte timeamus; ita primum bonum eſſe non naſci, ſecundum citius mori, quæ, ut majoris ſit auctoritatis, Sileno attribuitur. Cicero in Conſolatione: Non naſci inquit longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere vitæ; proximum autem, ſi natus ſis, quam primum mori, & tanquam ex incendio effugere fortunæ. An vero hæc ipſa in hoc libro deſiderantur? non, ſed ab imitatore illo noſtro inſerta ſunt. Divinum hominem, qui tam acute intexere, tam perite contexere, C immo vero tam providenter omnia retexere didicit. Et hic, cum ejuſmodi ſit, uſque adeo tamen præclara bona iſta ſua adhuc aut ignoravit, aut neglexit, ut terris ſe oſtendere, ac tantam virtutis indolem hominibus patefacere recuſarit? Videamus autem, quo modo hæc interjecerit: „ Naſci vero nos non intelligo, quibus expediat; nam in ærumnas, miſeriaſque ingredientes quid gratum, quid hilare aſpicimus? quare potius non offendimur? quod primus ille naſcentium infantium vagitus, & ejulatus ſatis declarat; tributus eſt enim ab optima parente natura, quæ nihil inane ſolet efferre, ac potius iis rebus, quas efficit, admiranda ſemper edit D vel pietatis, vel juſtitiæ, vel prudentiæ documenta. Ex quo intelligi licet, non naſci longe optimum eſſe, nec in hos ſcopulos incidere vitæ; proximum autem, ſi natus ſis, quamprimum mori, &, tanquam ex incendio effugere fortunæ. Sileni quæ fertur fabula idem certe confirmat, qui captus à Mida miſſionem doctrina redemit; docuit autem regem, nunquam naſci, optimum eſſe, ſed celeritatem mortis proxime accedere; idemque Euripidis teſtimonio poëtæ ſapientiſſimi comprobatur. Num potuit elegantius? non, equidem arbitror. Quare Plutarchus, & Seneca cum hunc locum legiſſent, uterque in ſuam Conſolationem conjecit. Ce- E terum hæc Sileni fabula ab Ariſtotele in libro de Animo, quem Eudemum vocavit, expoſita pluribus verbis à Plutarcho relata eſt.

Quin etiam cap. xiii. reprehendens Ciceronem, qui philoſophiam virtutis magiſtram, & vitæ parentem vocarat, infert demum ſermone ad illum converſo: „ Idem in Conſolatione hanc de philoſophia ſententiam tuliſti. Sed neſcio qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio veri. Hoc vero pariter in hoc libro apte interpoſitum eſt ad hunc modum. Nam cum de philoſophia dicere inſtituiſſet: „ Sed nos philoſophia adverſus omnes vel temporum, vel fortunæ, vel naturæ inſidias munivit, quæ ita fortis eſt, ut nullius injuriæ impetum extimeſcat, ita lenis, & ſuavis, ut omnes acerbitates facile mitiget, & molliat, ita demum utilis, & fructuoſa, ut totam ſe ad humanas utilitates liberaliſſime porrigat, atque explicet; denique infert: „ Nihil accidere valde grave poteſt iis, qui ſpe jam propinqua futuri boni recreantur, & aluntur. Sed neſcio qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio veri; non enim tantopere bonis delectamur, quàm malis affligimur. Quid eſt in his, quod ab officio diſcrepare cernatur? quid eſt, quod ſuam vim, & dignitatem non tueatur?

Rurſus libro tertio, cap. xix. inquit: „ Quod adeo verum eſt, ut idem Tullius in Conſolatione non eaſdem ſedes incolere juſtos, atque impios prædicaverit. Nec enim omnibus, inquit, iidem illi ſapientes arbitrati ſunt, eundem curſum in cœlum patere; nam vitiis, & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno jacere docuerunt; caſtos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam ſtudiis, atque artibus expolitos leni quodam, ac facili lapſu ad Deos, ideſt ad naturam ſui ſimilem, pervolare. Hæc vero non ſolum prudenter intexta, ſed etiam prætexta ita ſunt, ut admiratione intelligentes afficiant: „ Nam ſi quid in hominum animis pietatis, ſi quid religionis inerit, certe ob hanc potiſſimum cauſſam ſe à flagitiis, & facinoribus abſtinebunt, quòd impios, ac nefarios homines à Deorum concilio, ac ſocietate arceri judicabunt. Nec enim omnibus iidem illi ſapientes arbitrati ſunt, eundem curſum in cœlum patere; nam vitiis, &c.

Idem libro primo, cap. xv. ait: „ Cicero in eo libro, quo ſe ipſum de morte filiæ conſolatus eſt, dixit, Deos, qui publicè colerentur, homines fuiſſe. Itaque intra paucos verſiculos duas res nobis dedit. Nam dum imaginem filiæ eodem modo ſe conſecraturum eſſe profitetur, quo illi à veteribus ſunt conſecrati, & illos mortuos eſſe docuit, originem vanæ ſuperſtitionis oſtendit. Cum verò, inquit, & mares, & feminas complures ex hominibus in Deorum numero eſſe videamus, & eorum, in urbibus, atque agris auguſtiſſima templa veneremur, aſſentiamur eorum ſapientiæ, quorum ingeniis, & inventis omnem vitam legibus, & inſtitutis excultam, conſtitutamque habemus. Num vero hæc præteriit? nequaquam, immo vero appoſite admodum attulit. Nam poſtquam homines, & virtutes merito conſecratas, beſtias vero, atque Amores conſecrandos non fuiſſe oſtendit, meritam filiæ conſecrationem illaturus inquit: „ Qui ergo ad hominum vitam vel adjuvandam, vel excolendam, atque exornandam aliquid attulerunt, quique virtutibus, rerumque geſtarum gloria præſtiterunt, eos nemo dubitet, jure Deos habitos, divinoque cultu affectos eſſe. Neque ego ullo pacto auderem hoc primus prodere, non enim tam ſtudioſe quæ laudari poſſunt, appeto, quàm reformidare ea ſoleo, ex quibus poſſit aliquid vel levioris culpæ redundare. Cum vero & mares, & feminas complures in Deorum numero eſſe videamus; & quæ ſequuntur. Num inferere commodius potuit? ne ipſi quidem adverſarii, credo, dicent ſecus.

Age vero ſint hæc omnia imitatoris, quòd

La-

A Lactantii nihil præteriit ; an vero illa non
erunt auctoris, quod hæc à Lactantio præter-
miſſa adjunxit ? „ Tantis enim ducibus aber-
„ rare non poſſumus , nec à nobis , ſed ab
„ illis ipſis , quos ſequimur, rei tam juſtæ ,
„ ac debitæ ratio repoſcetur ; jure enim fe-
„ ciſſe putandi ſunt, qui ne quem virum ,aut
„ feminam præclare meritam debito honore
„ ſpoliarent, eorum memoriam ſanctam, ve-
„ nerandamque eſſe voluerunt ; nos autem
„ injuſte ageremus , ſi, quos pari cultu, ve-
„ nerationeque dignos cognovimus, eos pate-
„ remur ſilentio præteriri . Neque hoc de te
„ una , mea Tullia, dictum volumus, cujus
„ extabunt virtutis , prudentiæ , doctrinæ ,
B „ continentiæ ad omnem æternitatem impreſ-
„ ſa veſtigia , ſed de iis omnibus , quos tali
„ honore dignos aut ipſi vidimus, aut futuro
„ tempore poſteritas intuebitur. Nunc autem
„ de te loquar, quam non ego amiſſam, aut
„ mihi penitus ademptam velim dicere, cum
„ illuceſcat menti meæ quotidie magis præ-
„ clariſſima nominis tui, tuarumque virtutum
„ gloria ; vigebis autem memoria, quandiu
„ monumenta extabunt illa , quibus eximia
„ conſignata ſunt tam excelſæ laudis teſtimo-
„ nia; quæ ſempiterna fore , cum præſtantiſ-
„ ſima ſint , plane confidere debemus . Tibi
„ igitur nunquam me debitum perſolviſſe of-
„ ficium putabo, niſi de me optime meritam,
C „ quem eximie coluiſti, ac de patria, quam
„ ſemper ornaſti, ſupremo honore decorave-
„ ro. Id autem facile conſequar , cum is lo-
„ cus , quem tibi delegi, ſempiternam habi-
„ turus ſit religionem; noſtra verò , ſi qua
„ erit ex ea re conſolatio , quæ magna certe
„ erit, aut ſi qua laus ex paterna pietate ,
„ mihi certe jucundiſſima acciderit;nihil enim
„ aliud vel audire , vel memoria repetere li-
„ bentius poſſum, quàm me in eam , quam
„ ſumme dilexerim , ſummeque diligendam
„ merito ſuo cenſuerim, quàm maxime pium,
„ gratumque eſſe. Cum præſertim in alienos,
„ quia de ſe optime erant meriti, tam pro-
„ lixos, liberaleſque ſe ſe, & majores noſtri,
D „ & exteri præbuerint . Hæc ut dixi, à La-
ctantio, dum duo Fragmenta continuaret, quia
cauſſæ ſuæ non ſerviebant , omiſſa, imitator
ſine dubio non finxiſſet , ſed Lactantio credi-
diſſet; quæ tamen huic loco aptiſſima, ac pro-
pe neceſſaria ſunt; rationem enim reddit, cur
ipſe veterum exemplo filiam conſecrare ſta-
tuerit . Unde ſermone ad illam converſo :
„ Neque hoc de te una, mea Tullia, dictum
„ volumus ; ita poſt pergit in fragmento à
Firmiano citato : „ Teque omnium optimam
„ conſecrabo ; quod ineptiſſime feciſſet, niſi
appellationem illam Tulliæ præmiſiſſet.

Fragmentum inde alterum Lactantius cum
ſuperiore connectit, ſed vulgo imperfectum ,
E atque mendoſum , hoc modo: „ Quod ſi ul-
„ lum unquam animal conſecrandum fuit, ſi-
„ cut profecto fuit , ſi Cadmi , aut Amphi-
„ tryonis progenies, aut Tyndari in cœlum
„ tollenda fama fuit , huic idem honos certe
„ dicandus eſt ; quod quidem faciam ; teque
„ omnium optimam, doctiſſimamque, appro-
„ bantibus Diis immortalibus ipſis, in eorum
„ cœtu locatam ad opinionem omnium mor-
„ talium conſecrabo . Quod hic noſter cum
& perfectius, & emendatius adhibuerit, certe
ſe auctorem, non imitatorem oſtendit; ſic enim
inquit: „ Quod ſi ullum unquam animal con-
„ ſecrandum fuit , qualia multa conſecrave-
„ runt Ægyptii, quod nullum profecto fuit;
ſic vero legendum eſſe perpetuus ipſe diſpu-
tationis contextus docet. Quare hunc locum
præcipue cenſeo eſſe notandum, ut ad detra-
hendam omnem imitatori huic auctoritatem
aptiſſimum.

Item libro tertio , cap. XXVIII. inquit :
„ M. Tullius in ſua Conſolatione pugnaſſe ſe
„ ſemper contra fortunam loquitur , eamque
„ à ſe eſſe ſuperatam , cum fortiter inimico-
„ rum impetus retudiſſet, nec tum quidem
„ ſe ab ea fractum , cum domo pulſus patria
„ caruit . Tum autem, cum amiſerit cariſſi-
„ mam filiam , victum ſe à fortuna turpiter
„ confitetur. Cedo, inquit, en manum tollo.
Hic duo tantum verba ex oratione Ciceronis
allata ſunt, reliqua ſententia ſignificata eſt ,
non expreſſa , & tamen eam in hoc libro iis
verbis exornatam videmus, ut à nemine, niſi
ab ipſo rerum auctore , atque eloquentiæ pa-
rente editam , ac perpolitam eſſe , ſuſpicari
poſſimus ; inquit enim , Tulliam alloquens :
„ Noſti, quam ſemper alacri ,fortique animo
„ cunctis caſibus reſtiterim,ut ne me quidem
„ pulſum patria , omnique plane dignitate
„ ſpoliatum tam acri impetu frangere ,ac de-
„ jicere fortuna potuerit . Cum inimicis au-
„ tem quanta contentione decertaverim, quæ-
„ que mea fuerit in iis refutandis , frangen-
„ diſque virtus, & conſtantia, norunt omnes,
„ qui varios civitatis noſtræ caſus curioſe no-
„ taverunt . Cum vero Tullia te mihi extre-
„ mo loco fortuna ademiſſet , tum equidem
„ intellexi , quantum illa in rebus poſſet hu-
„ manis , quantaque adverſus me ipſum vi ,
„ ac poteſtate niteretur ; itaque nihil habui ,
„ quod dicerem , niſi Cedo, & manum tollo,
„ cum tam gravi accepto vulnere plane do-
„ lore perculſus, atque afflictus eſſem. Macte
virtute Cicero , qui magis nobiſcum loqui
poſſes, ſi eſſes, verſarerique nobiſcum? quis
enim tanta ingenii excellentia exiſteret, qui
hanc ſententiam vix , ut dixi , indicatam tam
acute concipere, tam apte diſponere, ac tam
ornate exprimere præter te potuiſſet ? ſcilicet
nos indocti , & propè barbari , qui vocem
ſæpe unam in præclaris tuis deſideratam ad
perficiendam ſententiam ſcriptis adhuc fingere
animo non potuimus , quam doctorum judi-
cio probaremus, tam præclaros verborum am-
bitus ad hanc abſolvendam aut animo aſſe-
quuti , aut oratione complexi fuiſſemus ? An
vero quiſquam orationis faciendæ tam rudis ,
ac doctrinæ conformandæ tam imperitus arti-
fex eſſe poteſt, qui hæc ipſa componi , ac ſi-
mulari ſine ulla aut rerum, aut verborum re-
pugnantia à quocunque ingenio poſſe exiſti-
met? & quæ ipſe ſe aſſequi non poſſe, neque
à quovis præſtari potuiſſe , intelligat, non
continuò admiretur, & obſtupeſcat?

Venio ad exempla . Seneca in Conſola-
tione ad Marciam ſcripſit, omnes, qui mone-
re aliquem volunt , à præceptis incipere , &
in exemplis deſinere; neque dubitandum eſt ,
quin inter hos præcipue Ciceronem ſignifica-
rit, cujus illuſtris extabat tum Conſolatio, in
qua primum rationibus, deinde exemplis con-
tra luctum pugnavit . Quod item Lactantius
libro primo, capite XV. notavit , cum dixit :
„ Fortaſſe præ nimio luctu dicat aliquis deli-
„ raſſe Ciceronem . Atqui omnis illa oratio ,
„ & doctrina, & exemplis, & ipſo loquendi
„ genere perfecta non ægri , ſed conſtantis
„ animi, & judicii fuit. In primis autem Ci-

cero

cero ſe exemplis uſum eſſe, in Tuſculana tertia demonſtravit: „ Quid? qui non putant „ lugendum viris? qualis fuit Q. Maximus „ efferens filium conſularem, qualis L. Paullus, duobus paucis diebus amiſſis filiis, „ qualis M. Cato, prætore deſignato filio mortuo, quales reliqui, quos in Conſolatione „ collegimus; & in ſecundo de Divinatione: „ Clariſſimorum hominum noſtræ civitatis gra„ viſſimos exitus in Conſolatione collegimus; & D. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani: „ Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, „ Piſones, Brutos, Scævolas, Metellos, Marcios, Craſſos, Marcellos, atque Aufidios; „ quorum non minor in luctu, quàm in bellis, virtus fuit; & quorum orbitates in „ Conſolationis libro Tullius explicavit. At hic liber cum aliis Græcorum, & Barbarorum exemplis multis, tum potiſſimum etiam Romanorum abundat, atque eorum potiſſimum, quos D. Hieronymus à Cicerone commemoratos fuiſſe aſſeruit; uſque adeo ut ipſe ſcribere auſus ſit: „ In tanta vel argumentorum, „ vel exemplorum copia, quibus ſe legentes „ pœne obrui ſentient, ecquis ſe immobilem, „ aut in dolore inexorabilem præbeat? Neque vero hoc, credo, abnuunt, qui à nobis diſſentiunt, verum ea ab imitatore ſtudioſe collecta, digeſtaque ſubjiciunt. Fateor, hoc fieri potuiſſe. Eſt enim multo facilius priſca exempla eruere, atque ornare, quàm aut Fragmenta ſupplere, aut ſententias expolire. Verum multis adeo indiciis oſtendere poſſumus, hæc non ab imitatore, ſed à Cicerone conſcripta fuiſſe, ut plane futurus pertinax videatur, qui huic ſententiæ refragetur. Primum Valerius, qui librum ſuum ex aliorum libris ita concinnavit, ut prima verba ex oratione de Aruſpicum reſponſis intulerit, hiſtoriam Pulvilli iiſdem prope verbis narravit, quibus in hoc libro refertur: „ Pulvillus, *inquit*, cum in Ca„ pitolio Jovi Opt. Max. ædem Pontifex de„ dicaret, interque nuncupationem ſolemnium „ verborum poſtem tenens mortuum eſſe fi„ lium ſuum audiſſet, neque manum à poſte „ removit, ne tanti templi dedicationem in„ terrumperet, neque vultum à publica reli„ gione ad privatum dolorem deflexit, ne „ patris magis, quàm pontificis partes egiſſe „ videretur. *Hic vero*: Pulvillus Pontifex in„ ter ſolemnium verborum nuncupationem „ poſtem tenens, ut filium mortuum audivit, „ neque manum à poſte removit, ne ſacra di„ rimeret, nec vultum à populo avertit, ne „ ſuum potius dolorem, quàm populi utili„ tatem, ac ſalutem cogitare videretur. Deinde Seneca in Conſolatione ad Albinam idem fecit: „ Rutilia, *inquit*, Cottam filium ſe„ quuta eſt in exilium, nec ante in patriam, „ quàm cum filio, rediit; eundem jam redu„ cem, & in republica florentem tam forti„ ter amiſit, quàm ſequuta eſt; nec quiſquam „ lacrymas ejus poſt elatum filium notavit. „ *Hic vero*: Rutilia C. Cottam filium in exi„ lium ſequuta cum poſtea reverſum in pa„ triam amiſiſſet, nemo eam lacrymantem poſt „ elatum funus vidit. Neque vero negari poteſt, quin Seneca è Ciceronis Conſolatione hæc hauſerit, cum Cicero Rutiliæ hiſtoriam primus inveſtigarit. Siquidem ſic de ea ad Atticum libro XII. ſcripſit: „ Velim me facias „ certiorem, Rutilia, vivone C. Cotta filio ſuo „ mortua ſit; pertinet ad eum librum, quem „ de luctu minuendo ſcripſimus. Atque hoc A idem dico de exemplo Corneliæ, quod Seneca iiſdem prope verbis in eandem Conſolationem ſuam traduxit. Quin etiam P. Craſſi, Cn. Cæpionis, Lepidi, & Clodiæ exempla ut primus Cicero indagavit, ſic primus in hoc commentario prodidit; indagavit conſulens Atticum his verbis: „ Velim me facias certiorem, „ Cn. Cæpio Servilii Claudiæ pater vivone „ patre ſuo naufragio perierit, an mortuo; & „ Vinuliæ filius vivone P. Craſſo Conſulari „ patre ſuo mortuus, an poſt. *Item*: Quæro „ de Regillo Lepidi filio, recte ne meminerim, patre vivo mortuum. *Item*: De Rutilia, quoniam videris dubitare, ſcribes ad „ me, cum ſcies. Sed quam primum num B „ Clodia D. Bruto conſulari filio ſuo mortuo „ vixerit. Prodidit his verbis: „ Sed anti„ quior P. Craſſus, vir clarus, & conſularis „ P. Craſſi filii mortem & vidit, & modera„ tiſſime tulit. Nec ab ejus laude abfuit, ac „ fortaſſe Craſſo præſtitit Cn. Cæpio, qui Cæ„ pionem filium naufragio abſumptum ita „ non doluit, ut eum ne leviter quidem è „ vultu, aut ulla corporis parte commotum „ è familiaribus quiſquam ullo pacto ſenſerit. „ *Item*: Nihil jam Rutiliam miremur, quæ „ C. Cottam filium in exilium ſequuta, cum „ poſtea reverſum in patriam amiſiſſet, nemo „ eam lacrymantem poſt elatum funus vidit. „ Parique fato Clodia uſa eſt, quæ D. Bru C „ tum filium conſularem mortuum ſuperſtes „ vidit, neque tamen ejus obitum non forti„ ter, & patienti animo tulit. Quid dicam, quòd loquens de Q. Fabio in primis laudationem ejus extulit, quam in foro filio mortuo dixit, non ſingularem ſolum oratoris conſtantiam, ſed eximias etiam virtutes orationis exponens? Quod qui aſſequi potuit, niſi qui eam orationem legit, quæ jampridem prorſus evanuit? „ Neque ſolum non doluit, *inquit*, „ quod fortiſſimi animi fuit, ſed etiam mor„ tuo laudationem in foro dixit, quo nihil „ fortius, aut laudabilius ne ex omni quidem „ antiquitate recenſeri poteſt; cujus oratio„ nem quis non admiretur inſignem ingenii, D „ judicii, ordinis præſtantia? quo modo ille „ vel ea, quæ dixit, ſine luctu dicere, aut „ quæ ſcripſit, ſine dolore cogitare potuit; „ cum præſertim hoc in illa laudatione & ad„ mirari, & obſtupeſcere ſoleamus, quod non, „ ut alii, de cæterorum fortitudine diſputat, „ ut ſuum ipſe dolorem aliorum exemplo mi„ nuat, ſed in filio hærens illius maxime „ virtutes, propriaſque laudes, quæ vel acer„ biorem efficere doloris ſenſum poterant, „ longiſſimo ſermone perſequitur. Quis, quis, inquam, imitator has hujus orationis opes tantas explicuiſſet, quas non noviſſet? noſſe autem qui poſſet, quas non legiſſet? Ipſum Ciceronem accepimus, cum ad dicendum in E vitaretur, reſpondere ſæpe conſueviſſe, ſe parum idoneum eſſe, quia pridie non legiſſet, nunc meliorem Tullio aliquem nacti ſumus, qui non ſolum dicere, ſed etiam ſcribere, nulla præcedente lectione aptiſſime, cauſſa etiam ipſa prorſus incognita, poſſit.

At ſententias graves ex amiſſis ſapientium commentariis ſepoſuerit, ambitus Ciceronianos peritiſſime intexuerit, infinitam ignotorum exemplorum copiam ex tota antiquitate collegerit, num vero tantis vel ingenii, vel ſtudii inſtructus præſidiis erit, ut hoc totum corpus ſuſtinere ſine firmis eloquentiæ viribus poſſit? &, ſi exempli gratia veſtem nactus ora-

A oratoriam erit, num propterea etiam nervos
oratore dignos habuerit ? Præclare enim Ju-
lianus Cæſar cuidam inimicum ſuum de affe-
ctato imperio deferenti, ac pro indicio pur-
pureum ſibi indumentum ex ſerico pallio com-
parare dicenti, reſpondit, purpurea quoque
pedum ad illum tegmina deferto, ut ſciat,
ſine maximis viribus pannulos leves nihil pro-
ficere. Præcipuum igitur verborum delectum,
copiam, ornatum, lenitatem, numerum, at-
que aptam illam, & quaſi rotundam conſtru-
ctionem neceſſe eſt afferat, qui Ciceronem
ipſum ſibi tractandum ſuſcipiat. Etenim ut
Pythia illa quondam malos verſus, ac mini-
me Homericis, aut Heſiodis pares effundens
B ſatis aperte eos ſuos eſſe, non Apollinis Mu-
ſarum principis oſtendebat, ſic hic, ſi ſuum,
non divini oratoris ornatum attulerit, ſemet
verſiculo primo prodiderit, ita ut facile quili-
bet audiens dicere poſſit : Non hæc vox Dei
eſt, non ſonus, non dictio, non numerus,
ſed mulieris longo intervallo Dei majeſtatem
ſimilitudine conſectantis. Hunc vero magnifi-
cum, ac ſplendidum orationis apparatum à
Tullio in Conſolatione ſua fuiſſe adhibitum,
docet Lactantius libro primo, cap. xv. „ Non
„ puto, illum tam varie, tam copioſe, tam
„ ornate ſcribere potuiſſe, niſi luctum ejus,
„ & ratio ipſa, & conſolatio amicorum, &
„ temporis longitudo mitigaſſet; eundem ve-
C ro etiam in hac, quæ reprehenditur, enitere,
omnes profecto probabunt, qui ſingulas com-
prehenſiones orationis hujus notabunt, quæ
adeo inter ſe aptæ, atque ornatæ ſunt, ut il-
lud pro meo jure auſim aſſerere, ipſum ſemet
interdum videri ſuperaviſſe. Quod contentio
ne inſignium duorum locorum inter ſe facta
lubet oſtendere. In Tuſculana prima cum do-
ceret, Cn. Pompejum, ſi mature extinctus eſ-
ſet, multa mala, quæ poſtea contigerunt, ef-
fugere potuiſſe, ſic ſcripſit: „ Pompejo fami-
„ liari noſtro, cum graviter ægrotaret Nea-
„ poli, melius eſt factum ; coronati Neapoli-
„ tani fuerunt; nimirum etiam Puteolani vul-
„ go ex oppidis publice gratulabantur; inep-
„ tum ſane negotium, & Græculum, ſed ta
D „ men fortunatum ; utrum igitur, ſi tum eſ-
„ ſet extinctus, à bonis rebus, an à malis di-
„ ſceſſiſſet ? certe à miſeris; non enim cum
„ ſocero bellum geſſiſſet, non imparatus ar-
„ ma ſumpſiſſet, non domum reliquiſſet, non
„ ex Italia fugiſſet, non exercitu amiſſo nu-
„ dus in ſervorum ferrum, & manus incidiſ-
„ ſet, non liberi defleti, non fortunæ omnes
„ à victoribus poſſiderentur ; qui, ſi tum
„ mortem obiiſſet, in ampliſſimis fortunis oc-
„ cidiſſet, is propagatione vitæ quot, quan-
„ tas, quam incredibiles hauſit calamitates ?
Belle, atque ornate; quis negat ? at in hoc
libro, quanto omnia uberius, ſplendidius, ac
E prope magnificentius? „ Pompeji noſtri fami-
„ liaris caſu quid in civitate notius, quid il-
„ luſtrius, aut quid omnium oculis, ac men-
„ tibus perſpectius, & clarius? hunc ſi ma
„ ture extinctus eſſet, nihil doloris, nihil in-
„ vaſiſſet mali; quòd tam diu in vita manſit,
„ iccirco factum eſt, ut ſingularis calamitatis
„ exemplum omnibus præbuerit ; cui eo lu-
„ ctuoſior fortunæ acerbitas viſa eſt, quo fe
„ liciore, ac ſecundiore fortuna in omni vita
„ uſus erat ; quis enim univerſis civibus ali-
„ quando carior? quis in toga, vel rebus ge-
„ ſtis, vel honoribus extra ordinem delatis
„ clarior? quis opibus, propinquitatibus, ami-
„ citiis florentior? cui nihil prorſus ad ſum-
„ mam, abſolutamque felicitatem, præter ho-
„ neſtum, ac jucundum vitæ exitum, deeſſet.
„ Sed videamus, quantum in rebus humanis
„ fortunæ poſſit injuria, niſi malimus ad pro-
„ priam mortalis vitæ nimis aſperam, miſe-
„ ramque conditionem omnia mala revocare;
„ qui enim ampliſſimis fortunis uſus erat, qui
„ nihil, niſi ſublime, ac beatum nec cogi-
„ tare, nec optare conſueverat, cui omnia
„ vel ad uſum, vel ad voluptatem ſupererant,
„ bellum cum ſocero ſuſcepit, deſeruit do-
„ mum, profugit ex Italia, &, cum antea
„ nihil in ceteris bellis, niſi ſummo conſilio,
„ prudentiaque geſſiſſet, cum vel maxime in-
„ genio, judicioque excellere debuiſſet, ſui
„ pene oblitus eſt. Itaque imbelles, & infir-
„ mas copias, tirones, collectitioſque milites
„ cum robuſtiſſimis legionibus conferre non
„ dubitavit, & amiſſo exercitu, ereptiſque
„ caſtris turpiſſime victus in ſervorum manus
„ vir ſummus, & clariſſimus incidit ; vita
„ vero ut miſerabiliter privatus ſit, comme-
„ morare, nihil eſt neceſſe ; cum eo ipſo,
„ quòd in tam miſeram fortunam delapſus,
„ vitam cito amiſerit, minus fortaſſe miſer
„ cenſeri poſſit; beatiſſimus autem obiiſſet, ſi
„ cum in republica florebat, cum valebat au-
„ ctoritate, & gratia, cum copiis, opibuſque
„ affluebat, è vita deceſſiſſet; cujus propaga-
„ tio quantum illi mœroris, ac luctus attu-
„ lerit, non modo ſcribendo, ſed vix etiam
„ cogitando conſequi quiſquam poſſit. Hoc
mihi vere videor eſſe dicturus, Ciceronem
nullo in loco uberius flumen eloquentiæ pro-
fudiſſe, quàm in prooemiis librorum de Ora-
tore, & tamen cum ibi, & hic argumentum
idem tractavit, hic videri omnia majore or-
natur, ac copia explicuiſſe, ac neſcio quo
modo inſigniorem verborum florem, ac lumen
orationis adhibuiſſe. Etenim ſic ibi: „ Ut mihi
„ non erepta L. Craſſo à Diis immortalibus
„ vita, ſed donata mors videatur; non vi-
„ dit flagrantem bello Italiam, non arden-
„ tem invidia Senatum, non ſceleris nefarii
„ principes civitatis reos, non luctum filiæ,
„ non exilium generi, non acerbiſſimam C.
„ Marii fugam, non illam poſt reditum ejus
„ cædem omnium crudeliſſimam, non deni-
„ que in omni genere deformatam eam civi-
„ tatem, in qua ipſe florentiſſima multum
„ omnibus gloria præſtitiſſet. *Hic vero*: L. Craſ-
„ ſum ex noſtra civitate clariſſimum, & elo-
„ quentiſſimum virum matura mors quantis è
„ moleſtiis, quantiſque incommodis eripuit?
„ nam qua in patriam pietate fuit, ex iis ma-
„ lis, quæ mortem ejus conſequuta ſunt, in-
„ credibilem, ſi vixiſſet, dolorem accepiſſet;
„ flagravit enim bello Italia, exarſit Senatus
„ invidia; nihil denique in civitate fuit, quod
„ non ejus temporis calamitatem, luctumque
„ perſenſerit. Nam quid fugam Marii, quid
„ cetera, quæ in illius diſceſſu acciderunt,
„ maxime luctuoſa, ſummeque miſeranda
„ commemorem? quid reditum illum ſangui-
„ narium, cujus recordatione nemo eſt, qui
„ non intimis ſenſibus exhorreſcat? tenemus
„ enim memoria, aut ſaltem ex patrum ſcri-
„ ptis accepimus, crudeliſſimam omnium cæ-
„ dem illo tempore eſſe factam, trucidatos
„ bonos viros, & cives, inciſas eorum cervi-
„ ces, in Roſtriſque poſitas, qui multorum
„ civium ſalutem, ac dignitatem eloquentia
„ peperiſſent; quàm multos ex illa reipublicæ

,, tempeſtate commemorare poſſumus, inno-
,, centiſſimos homines, atque optimos, ut
,, acerbiſſimam calamitatem effugerent, liber-
,, tatem morte quæſiſſe. O acerbum, ac ne-
,, mini non pœniteodum reipublicæ ſtatum,
,, conditiooemque vivendi, cum eos ipſos,
,, qui rempublicam ſuo labore, ſuoque ſan
,, guine auxeriot, juverint, ſervarint, nuſ-
,, quam tutos, nihilque magis, quàm propin-
,, quorum manus, ac gladios timentes, hor-
,, reſcenteſque videas; illorum autem, quo-
,, rum ope, atque auxilio ſervatus ſis, cum
,, horribiles, miſeroſque caſus ſpectes, oulla
,, tamen ratione opitulari, nihilque afferre
,, adjumenti queas; quis neget, iis ipſis, qui
,, hæc iotueri cogaotur, mortem eſſe non
,, modo detrectandam, ſed etiam optaodam?
,, qui autem ne in horum temporum flam-
,, mam iocidaot, mortis beneficio conſequuti
,, ſint, eos vero beatiſſimos jure omnes exiſti-
,, mabunt, qualem fuiſſe L. Craſſum niſi res
,, ipſa probaviſſet, nihil eſſet, cur oratione
,, perſuadendum videretur. An vero credimus, aut veriſimile exiſtimamus, ſine majore quadam ingenii vi tantam fluere eloquentiam potuiſſe abundantem, ut Ciceronis vocibus utar, ſonantibus verbis, uberibuſque ſeotentiis? aut quenquam taotam copiam, & facultatem in dicendo conſequi præter Cicerooem alium potuiſſe? cujus ingenium vix ſatis Quiotilianus admirans habuit, ſi divinum, ac cœleſte vocavit; niſi forte acriora apud nos hoc tempore, quàm olim apud Græcos, exoriuntur ingenia; apud quos Iſocrates non ſolum orator bonus, ſed etiam orandi magiſter præſtantiſſimus, cum extrema ætate ad eam orationem ſcribendam ſe contuliſſet, quam Panathenaicam appellavit, duodecim anoorum ſpatium ab omni publico munere liberum depoſcit. Quod eò fuit admirabilius, quòd is omne ætatis ſuæ tempus contraria opponendo, paria paribus referendo, ac ſimiliter cadentia, & ſimiliter deſioeotia conſectando conſumpſerat; uſque adeo ut io ooſtrum hunc intueotes illud dicere de Iſocrate vere poſſimus, quod, teſte Platone, ſculptores olim de Dædalo uſurparunt, ipſum, ſi ab inferis excitatus ejuſmodi opera perfeciſſet, qualia fuerant ea, unde ſibi tantam gloriam peperiſſet, riſus eſſe maximos allaturum. Sed ſtulti ſumus, qui in re tam

A clara, ac manifeſta longiore argumentatione contendimus. Equidem ſi libri de officiis omnium præſtantiſſimi nuper inventi in eandem diſquiſitionem adducerentur, vix me tam multa teſtimonia comparare poſſe ad eos confirmandos idooea ducerem, quibus hæc Conſolatio comprobatur; neque enim aliud eſt opus, de quo plura fortaſſe aut aliorum, aut ipſius auctoris monumenta loquantur. Quare cum ita coofecta ſit, ut non, quemadmodum orationes illæ, declamatorie oota omnibus de contemptu mortis argumenta complexa ſit, ſed nullum veterum, quos nos non novimus,
B philoſophorum huc pertinens præceptum omiſerit, nullum antiquitatis, quam nos non perſpeximus, opportunum exemplum reliquum fecerit, cum porro hic omnia, quæ Cicero de ſe, aut alii de ipſo tradiderunt, accurate, ac diligenter effinxerit, ac cuncta ea ratione, ordineque, eaque ingenii ubertate, & copia comprehenderit, ut facile appareat, à nemine alio, quàm à Tullio, eodem modo ſcribi, dicique potuiſſe, nemo adeo à vero averſus, aut publico bono, ne dicam, ſecundæ Ciceronis ipſius infeſtus eſſe fortunæ debet, quin ipſam, tanquam vere Tullianum fœtum acci-
C piat, atque aſſiduo, & ſummo ſtudio foveat, haudquaquam temere eorum orationi, opinionive conſentiens, qui monumeotum hujuſmodi ab imitatore induſtrio conformari, ac confici potuiſſe, cootendunt; neque enim aliqua tam accurata ſuſcipi veritatis imitatio poteſt, quæ numeros omnes expleat veritatis; nec ſi locus unus apte, ac congruenter intextus, aut ſcite, & prudenter expreſſus fuiſſet, propterea cuncti componi, & tractari eadem arte, ac ſolertia potuiſſent; &, ſi non operoſum, nec difficile fuit, fingere, quæ nulla omoino extabant, multo proclivius, atque expeditius
D extitit, cum aliis multis invenire, quæ facta erant. Ac quibus quidem rationibus defendi edita Ciceronis Conſolatio poſſit, nobis, quatenus rogati ſumus, ut noſtram ſententiam ederemus, eſt demonſtratum; quibus ſuadeo tandiu unuſquiſque aſſentiat, donec in contrariam partem probabiliora, ut dixi, atque ad veritatem propenſiora inveoiat. Hoc ſi evenerit, tum *Arbitrium veſtrum, veſtra exiſtimatio valebit*.

CAROLI SIGONII
DE CONSOLATIONE
CICERONIS
ORATIO SECUNDA.

QUæ pro aſſerenda Conſolationis auctoritate adverſus eos, qui illam ſimulatam eſſe dicebant, indicia edi, & dari teſtimonia potuerunt, ea ſuperiore oratione ſatis multa à nobis, & ſatis firma, credo, prolata ſunt. Reliquum eſt, ut eorum rationibus occurramus, qui imitationis vitia colligentes, eandem temere, ac parum ſcite confictam eſſe contendunt; neque enim iis ſtantibus ſuperior noſtra ſtare defenſio poteſt. Hoc autem eò libentius faciemus, quòd hanc unam viam ad verum eliciendum idoneam arbitramur; neque enim, ſi quis ex noſtris extitit, qui hæc tam præclara, ac tam magnifica peperit, ipſe poſthac ſeſe occultare voluerit, ubi opus ſuum non omni ſolum crimine liberari, ſed ſumme quoque probari, laudari, ornarique perſenſerit. Utinam autem qui ingenium, doctrinamque ſuam ad hujus reprehendendam induſtriam contulerunt, uno mecum ad eam collaudandam animo conſpiraſſent; nam aut imitatorem jam ex latebris mira optatæ laudis dulcedine delinitum eduxiſſemus, aut certe populo librum Ciceronis eſſe perſuaſiſſemus, ac præclaro hoc quoque Latinam linguam monumento cumulaſſemus. Quod quia factum non eſt, quæ ſecunda navigatio eſt, argumenta, ut dixi, diſſentientium expendamus, eo animo, ut ſi gravia, & vera eſſe deprehenderimus, ultro illorum nos partibus aggregemus, ſin minus, in noſtræ quaſi ſtationis præſidio maneamus; ceteris vero, qui quaſi ſpectatores liberalis hujuſce contentionis aſtiterint, cauſſam certioris, ac ſincerioris de re tota judicii præbeamus; neque enim verum elucere, niſi cauſſarum utrinque facta contentione, poteſt.

Quid igitur iſti ajunt? nempe quæcunque de Conſolatione à veteribus ſcripta ſunt, ea tanta ab imitatore ſolertia eſſe expreſſa, ut plane lux ipſa veritatis nobis ſit imprudentibus infuſcata. Quod quidem, ut novum, etiam, atque etiam arbitror attendendum. Neque enim hujuſmodi nunc quæſtio de hujus libri veritate in diſceptationem vocatur, qualis priſcis temporibus de multis aliis eſt adducta; ſiquidem non cujus hic commentarius ſit, quæritur, ſed verus ne, an ſimulatus ſit, diſputatur; neque opere probato ipſe ad laudem opifex indagatur, ſed ars inventa unà cum ipſo ad ignominiam artifice condemnatur. Olim illa controverſia præclara doctorum hominum ingenia vehementer exercuit, utrum dialogi quidam Platonis eſſent, an Æſchinis, quorum utrumque operam Socrati diligentiſſime dediſſe, conſtabat; aut utrum nonnulla ſcripta Ariſtoteli, an Theodecti eſſent attribuenda, qui diſcipulus ejus fuiſſe ſtudioſiſſi-

A mus ferebatur. Nimirum ſic tum de auctoribus quærebatur, ut de laude operum nihil omnino detraheretur; nunc vero nova, atque ante hunc diem inaudita quæſtio inſtituitur, num emerſa è tenebris Ciceronis nomine Conſolatio vere à Cicerone conſcripta, an per ludum, temere ab erudito aliquo ocio abundante conficta ſit; in quo non modo fucatum opus, ſed etiam opifex ipſe adulterinus arguitur. Quod qui faciunt, ſane ſcribendi rationem plurimis, ac maximis anguſtiis, & ſalebris impeditam inducunt. Etenim qui imitationem iſtam ipſorum ſibi judicio depopoſcit, B non ſolum univerſam quæſtionem de morte, & luctu neceſſe habuit explicare, ſed ipſius etiam Ciceronis mores, atque animi perturbationes, factorum, & conſiliorum rationes, temporum, caſuumque varietates exprimere; atque ut hæc ſumma inter ſe conſenſione congruerent, enixe operam adhibere. Quam laudem aſſequi, lubricum, ac difficile adeo eſt, ut etiam Cicero, ſi quando ab ipſo vigilantis, atque accurati Scriptoris defecit officio, tum maxime ſui diſſimilis viſus ſit, cum ad ejuſmodi imitationem ſe contulit. Quare, quoniam qui Ciceroni hujus libri auctoritatem C eripiunt, non ſolum imitationem adhibitam eſſe ajunt, ſed vitia etiam imitationis quædam adducunt: contemnamus cetera, & pro nihilo ducamus, atque inſtituto ſententiarum, fragmentorum, exemplorum, ac verborum ordine conſervato, ad ea perpendenda, quæ à pluribus, prout accepimus, adverſus ſingulas hujus libelli partes allata ſunt, accedamus.

Negant quidam, ut exordiamur à primis, ejuſmodi à Cicerone ſuſcipi principium potuiſſe: „ Quanquam recentibus morbis medicinam adhibere, vetant ſapientes; *& ajunt:* D „ Si Cicero principium hoc feciſſet, veriſimile eſt, eum in Tuſculana diſputatione fuiſſe id ſignificaturum, ut ſolet, ac ſcripturum in hunc fere modum. Quodque vetat Chryſippus, ut in ejus libri principio ſcripſimus. Quare quod eſt illius diſputationis proprium, non videtur Conſolationis libro fuiſſe tribuendum. Ego vero, etſi invitus facio, ut ab amicorum, & quidem doctiſſimorum hominum, opinione diſcedam, tamen veritatis cauſſa, quæ omnibus eſt gratiis præferenda, dico, primum illam ſententiæ Chryſippeæ in Conſolatione uſurpatæ repetitionem haudquaquam E conſuetudini, ut ajunt, Ciceronis accommodatam futuram; neque enim quoties ille alicujus Scriptoris auctoritatem repetiit, eam ſe alibi quoque adhibuiſſe, ſignificavit, ſed quoties aut totum libri argumentum, aut inſignem aliquem ejus locum attigit, ea ſe alibi tractaſſe, oſtendit, ut ſe præſenti longioris

de

de ea re diſputationis onere liberaret; exempli gratia contigit, ut in libris de Officiis mentionem eloquentiæ, amicitiæ, & gloriæ faceret, de iis ſe in Hortenſio, Lælio, & in libris de gloria copioſe ſcripſiſſe, ſignificavit; fuit eidem etiam agriculturæ, Probabilium, & ſumptuum publicorum commemoratio inferenda, ea ſe loca perpurgaſſe antea in Catone, in Academicis, & in libris de republica monuit; at ſententiis Scriptorum alibi ſenſum, ferme neque dixit unquam, neque id facere opus habuit; quod ex his cognoſci locis poteſt. In ſecundo enim de finibus ſcripſit: „ Ut ad Architam ſcripſit Plato, non ſolum „ ſibi natum eſſe meminerit, ſed patriæ, ſed „ ſuis; at in primo de Officiis: „ Ut præclare „ ſcriptum eſt à Platone, non nobis ſolum „ nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria, „ partem parentes vindicant. *Ibidem*: Oculorum, „ inquit Plato, eſt in nobis ſenſus acerrimus, „ quibus ſapientiam non cernimus, „ quàm illa ardentes amores excitaret ſui, „ ſi videretur? *Hic vero*: Formam, & tanquam „ faciem honeſti vides, quæ ſi oculis „ cerneretur, mirabiles, ut ait Plato, amores „ ſui excitaret. *Ibidem in quinto*: Jubet „ nos Pythius Apollo noſcere noſmetipſos; *at* „ *in prima Tuſculana*: Monet Apollo, ut ſe „ quiſque noſcat. *Item in Bruto*: Heſiodium „ illud laudatur à doctis, quòd eadem menſura „ reddere jubet, qua acceperis, aut etiam „ cumulatiore, ſi poſſis; *at in primo de officiis*: „ Ea quæ acceperis utenda majore menſura, „ ſi poſſis, jubet reddere Heſiodus. In his certe locis nuſquam elucet iſta familiaris Ciceroni, quæ dicitur, repetitæ auctoritatis ſignificatio; deinde addo, Ciceronem non potuiſſe ſcribere: „ Quod vetat Chryſippus, ut „ in Conſolationis principio ſcripſimus, „ quia hic non nominarat Chryſippum, ſed ſapientes, quæ vox cadere in alios etiam poterat, quàm Chryſippum. Hanc vero Chryſippi ſententiam ab illo in hoc commentario uſurpatam, ex eo liquere, quæ poſt dixit in Tuſculana: „ Quod „ vetat Chryſippus, ad recentes quaſi tumores „ animi remedium adhibere, id nos fecimus; „ ubi enim fecit, niſi in Conſolatione? Sapientes autem hic dixit pro Chryſippo, quo modo poſtea quoque ſapientes pro Socrate. „ Non omnibus, *inquit*, arbitrati ſunt iidem „ illi ſapientes, eundem curſum in cœlum „ patere, *in Tuſculana vero*: Socrates diſſeruit, „ duas eſſe vias, duplicesque curſus animorum „ à corporibus excedentium; & quæ ſequuntur.

Quod autem ipſam quoque ſententiam: „ Non eſſe medicinam morbis recentibus ad„ hibendam, „ probabilem eſſe negant, quia repugnet illi alteri: „ Principiis obſta, ſero „ medicina paratur, „ ac propterea ex præceptis Ariſtotelis, ratione muniendam fuiſſe ajunt, vereor, ut illis poſſim concedere. Etenim ſi Probabile, auctore Ariſtotele, dicitur illud, quod ab omnibus, aut pleriſque, aut certe à ſapientibus approbatur; certe & hæc quoque ſummam probabilitatem habeat, neceſſe eſt, quæ ſummorum virorum Hippocratis, Platonis, & Chryſippi auctoritate firmatur. Quid dixit Hippocrates? „ Concocta medicari, „ & movere, non cruda, neque in „ principiis, modo non turgeant; plurima „ vero non turgent. Quid Plato? in Timæo: „ Morbi, niſi periculoſiſſimi ſint, medicamentis „ non ſunt irritandi; nec difficile malum „ pharmacis inſtigandum. Quid Chryſippus? „ Recentibus tumoribus non ſunt admovenda „ remedia. Quod deinde diſertius explicuit Plinius: „ Crudum vulnus medentium „ manus reformidat, deinde patitur, atque „ ultro requirit. Itaque neque Plutarchus, neque Seneca in Conſolationibus ſuis hanc culpam exhorruerunt, verum ambo in exordiis eandem ſententiam nulla ratione fultam adhibuerunt. Plutarchus: „ Quando peritiſ„ ſimi medici confertim ingruentibus vitioſo„ rum humorum fluxionibus non ſtatim medicamenta „ applicant, ſed tumorem inde „ ortum patiuntur foris illitis remediis ipſum „ ultro concoctione quadam emolliri. *Seneca*: „ In morbis quoque nihil eſt magis periculoſum, „ nec pernicioſum, quàm immatura medicina. Ex quibus intelligi licet, & hanc ſententiam hujus loci eſſe maxime propriam, &, quia illi aperte eam quoque Conſolationis ſuæ in exordio poſuerunt, librum hunc vel ex hoc Ciceronis eſſe, concludi poſſe, à quo illi multa etiam alia mutuati ſunt; nec Ciceronem tantum, ut medicum, de veritate hujus propoſitionis, quàm ut oratorem, de probabilitate elaboraſſe.

Quod vero addunt: „ Cum ageret de „ conditionibus ætatum, mire ſenectutem vi„ tuperavit; quod ſi feciſſet Cicero, de ea re „ in libro de Senectute, quem paullo poſt „ ſcripſit, ſe excuſaſſet, ubi ipſam ſenectutem „ magnis laudibus extulit, & à quatuor illis „ accuſationibus defendit. Solet enim Cicero „ diligenter cavere, ne ſibi ipſe adverſari „ quodammodo videatur. Itaque in libro de „ Amicitia, cum Scipionem in eo felicem ce„ lebraret, quòd ſenectutis moleſtiam mini„ me expertus eſſet, de ipſa ſenectute mode„ rate egit in hunc modum. Senectus, quam„ vis non ſit gravis, ut memini Catonem „ anno uno, antequam mortuus eſt, mecum, „ & cum Scipione diſſerere, tamen aufert „ eam viriditatem, in qua etiam nunc erat Sci„ pio. Jam apparet, quanta cautione Cicero „ progrediatur, quam ſine dubio non adhi„ buiſſet, ſi quam ſenectutem maximopere „ vituperaſſet, paullo poſt ſine ulla excuſa„ tione laudaſſet; aperte confiteor, me hujus argumenti vim non perſpicere: „ Si Cicero „ in Conſolatione ſenectuti male dixiſſet, poſt „ in Catone eam laudans excuſationem adhi„ buiſſet; quippe non video, quomodo Cato, qui apud Ciceronem ſenectutem ab illis quatuor criminibus vindicavit, ſe excuſare potuerit, quòd Cicero eam in Conſolatione vituperaſſet. Hæc enim dixiſſe Cato inducitur multis annis ante, quàm Cicero naſceretur, centum amplius, quàm Conſolationem aggrederetur; ſimul etiam non reperio, quando alìàs hoc Cicero fecerit, ut per antiquas perſonas rationem ſuorum factorum, conſiliorumve reddiderit; fecerit? immo qua ratione potuerit; ſiquidem Paterculus in primo ſcripſit: „ Tragicis non concedendum, ut loca vetera „ novis hominibus appellent; nihil enim ex „ perſona poëtæ, ſed omnia ſub illorum, qui „ illo tempore vixerunt, dixerunt. Quod præceptum item ad eos, qui dialogos veterum perſonarum inducunt, eſt transferendum. Nam quod in Lælio inquit Scipio: „ Senectus „ quamvis non ſit gravis, ut memini Catonem „ anno, antequam mortuus eſt, mecum, & „ cum Scipione diſſerere, „ nihil ad hanc ſententiam pertinet. Etenim uterque ſermo cum

ab

A ab eodem Lælio, tum ante ortum Ciceronis,
eſt celebratus, ita ut nullæ ibi partes ipſius
eſſe potuerint. Conſolationem autem ipſe per
ſe tradidit, non per alios attulit. Atqui Ci-
ceronem miſerias humanæ vitæ in Conſolatio-
ne deploraviſſe, & ipſe, ut diximus, & ve-
teres alii prodiderunt; inter calamitates verò
ejus incommoda etiam eſſe ingraveſcentis æta-
tis, liquet ex Axiocho, quem non Platonis,
ſed Æſchinis Socratici Diogenes eſſe oſtendit.
Quare ut dubitandum non eſt, quin Cicero
in Conſolationem ſenectutis accuſationem in-
tulerit, ex auctoritate ipſius, quem imitatus
eſt, Crantoris, ſic pro explorato habendum
eſt, non potuiſſe Catonem excuſationem ejuſ-
B modi afferre defenſionis. Nam ſi ita eſſet,
etiam L. Craſſus in primo de Oratore ratio-
nem expoſuiſſet, cur tantopere juris civilis
profeſſionem, ac ſcientiam collaudaret, quam
Cicero conſul in oratione pro Murena facete
admodum irriſiſſet. Quid? ſi ne fuit quidem
ulla purgatio neceſſaria, quia defenſio Cato-
nis accuſationi Ciceronis non repugnavit? Ci-
cero enim lamentatus eſt miſerias ſenum, quòd
propter imbecillitatem ea gerere non poſſent,
quæ intelligerent; Cato vero excuſavit eos,
quòd quanquam viribus corporis carent, ta-
men ne eas quidem deſiderant, quia res ſuas
non viribus corporis, ſed animi adminiſtrant.
Verùm faciamus, ipſum contraria ſtatuiſſe,
C nec culpam deprecatum eſſe, quoties id ipſe
tempori ferviens fecit quod Pedianus, & alii
meliores interpretes obſervarunt; Quæ vero in
ejuſmodi occaſione dicta ſunt, quis unquam
judicii, & auctoritatis, non autem cauſſæ ju-
dicavit, & temporis?

Verum quid ad ea dicam, quæ à non-
nullis aliis contra illam ſententiam afferuntur?
„ Quia communi, & præcipua hominis con-
„ ditione non uteretur; ſic enim illam repre-
hendunt, quaſi communis, & præcipua con-
ditio ſimul hærere, atque in eodem domici-
lio habitare non poſſint; quid? rationem, at-
que auctoritatem opponam, quibus allatis am-
plius quærere nihil ſolemus. Rationem hoc
D modo. Si mors divelli ab homine poſſet, diis
propior habendus eſſet, quàm hominibus,
nec ex omni parte hominis nomen ei congrue-
ret, quia communi, & præcipua hominis con-
ditione non uteretur; ideſt, ſi mortalitas è de-
finitione, ſeu natura hominis eximi poſſet,
homo non eſſet homo, qui dicitur eſſe ani-
mal rationis, mortiſque particeps; quæ defi-
nitio eſt adeo propria ſpeciei humanæ, ut in
nullam aliam conveniat, communis adeo ſin-
gulis hominibus, ut cunctos amplectatur, qui
ipſa ſpecie concluduntur. Auctorem vero
adhibebo Cæſarem; qui ſic loquutus ad ver-
bum eſt, teſte Priſciano lib. XVII. „ Cum
„ dico, quid eſt animal rationale mortale,
E „ ſpeciem mihi volo manifeſtari, ideſt homi-
„ nem, quæ quamvis videatur eſſe communis
„ omnium hominum, tamen eſt propria ſpe-
„ ciei incorporalis.

Lis inde gravis de repetitione hiſtoria-
rum, fabularum, verſuum, & ſententiarum
infertur, qua in explicanda quoniam iſti ma-
gnam orationis ſuæ partem conſumpſerunt,
non erit mirandum, ſi & nos multa de ea
verba faciemus, cum illuſtrandæ veritatis gra-
tia neceſſario faciamus. Objicitur ergo, & ma-
gni cujuſdam quaſi criminis loco ponitur,
quòd multæ hic fabulæ, atque hiſtoriæ ſint
expoſitæ, quæ in prima quoque Tuſculana

A legantur, atque ex eo inane imitationis ſtu-
dium elucere, concluditur. Quod ut factum
confitemur, ſic rectiſſime factum eſſe defendi-
mus. Etenim Cicero Conſolationem primum,
deinde Tuſculanam conſcripſit, atque utroque
in loco quæſtionem de contemptu mortis ex-
plicuit; cum autem in Conſolationem omnia
eò pertinentia intuliſſet, tum verò in Tuſcu-
lana multa repetere opus habuit; neque enim
nonnulla prætermittere ſine ſummo quæſtionis
ejus detrimento, neque nova omnia excogi-
tare ſine maximo ingenii periculo potuit.
Quam verò rationem adhibuit? nempe quæ-
dam ex Conſolatione decerpſit, ſed eorum
ordinem immutavit. Nam ibi primum mor-
B tem nihil habere mali oſtendit, ſi animi cum
corporibus interirent, deinde plurimum boni,
ſi poſt eorum interitum remanerent; atque
ita animorum æternitate firmata apte ad filiæ
conſecrationem acceſſit. In Tuſculana verò
contra; prius animorum immortalitatem, quàm
mortalitatem induxit, ac judicia Deorum de
morte ibi in principio expoſita epilogo reſer-
vavit, atque ita pro arbitrio ſuo fecit in ce-
teris, ibi quidem, tanquam orator in foro
cauſſam cum inſigni aliqua orationis amplitu-
dine agens; hic vero, tanquam magiſter in
ſchola, omnia ſpiritu aliquanto ſummiſſiore
complectens. Quòd ſi juſtam habet rerum
repetitio criminationem, certe non Conſola-
C tioni, in qua memoria eſt uſurpata, ſed Tu-
ſculanæ, in qua eſt renovata, debetur. Bene
enim Lyſias, cum quidam orationem ab illo
ſcriptam ad ſe referret, atque eam ſibi pri-
mum legenti admirabilem, deinde relegenti
languidam, mollemque viſam eſſe aſſereret,
ridens dixit: Quid? non ne ea ſemel tantum
apud judices eras uſurus? quaſi vero ſignifi-
care vellet, ſi quid in re vitii reſideret, id non
in uſurpatione, ſed in repetitione locatum
eſſe.

Ceterum hiſtoriæ fuerunt illuſtria quæ-
dam Græcorum, & Romanorum exempla, qui
aut vitam ſuam contempſerunt, aut ſuorum
obitum æquiſſimo animo tolerarunt, Decio-
D rum nempe, Scipionum, Pulvilli, Fabii, Ca-
tonis, Socratis, & Theramenis, quæ tempo-
ribus illis ſic claritate ſua lucebant omnibus,
ut nemo, qui illis uteretur, mutuatus eſſe ab
alio jure poſſe argui videretur. Quòd ſi repe-
tita in Tuſculana Catonis fortitudo Conſola-
tionem propterea commentitiam eſſe convin-
ceret, etiam inſignis illa Themiſtoclis memo-
ria ſemel in Lucullo, iterum in ſecundo de
Finibus uſurpata fictum eſſe ſecundum de Ora-
tore probaret; in quo ita ſcriptum eſt: „ Ad
„ Themiſtoclem quidam doctus homo acceſ-
„ ſiſſe dicitur, eique artem memoriæ, quæ
„ tum primum proferebatur, pollicitum eſſe
„ ſe traditurum; cum ille quæſiſſet, quidnam
E „ illa ars efficere poſſet, dixiſſe illum docto-
„ rem, ut omnia meminiſſet; & ei Themiſto-
„ clem reſpondiſſe, gratius ſibi illum eſſe fa-
„ cturum, ſi ſe oblivisci, quæ vellet, quàm,
„ ſi meminiſſe, docuiſſet. Etenim ſic poſtea
in Lucullo iteravit: „ Themiſtocles pollicenti
„ cuidam ſe artem ei memoriæ, quæ tum
„ primum proferebatur, traditurum, reſpon-
„ diſſe dicitur, obliviſci ſe malle diſcere:
& ſecundo de Finibus: „ Themiſtocles, cum
„ ei Simonides, aut quis alius artem memo-
„ riæ polliceretur, oblivionis, inquit, mallem.
Eadem ratione ductus, cum de conſecratione
hominum ageret, Herculem, Liberum, Ca-

ſtorem, & Pollucem, Leucotheam, & Romulum Deos ex hominibus conſecratos in Conſolatione, & Tuſculana commemoravit; quod idem ante quoque in Legibus fecerat, cum eandem conſecrationis materiam de induſtria perpoliret, neque diſputationem ſuam ad exitum ſine his commode perducere poſſet; ſunt enim hæ probationes artis expertes, quas oratores dicuntur non invenire, ſed uſurpare, ac varie pro cauſſæ commodo, atque animi ſui judicio pertractare.

Fabulæ autem trita quædam, ac prope decantata judicia Deorum de morte fuere, quam ipſi præclari muneris loco hominibus impertiſſent; in quibus Argiæ ſacerdotis filii, Trophonius, & Agamedes, Elyſius, ac Silenus præcipue prædicantur ab Herodoto, Æſchine, & ceteris, qui in hujus argumenti tractatione verſati ſunt. Quas cum ille contuliſſet in Conſolationem, repetiturus in Tuſculana, ſemel quodammodo excuſavit, inquiens: „ Num etiam rhetorum epilogum deſideramus? Deorum immortalium judicia ſolent in ſcholis proferre de morte, nec vero ea fingere ipſi, ſed Herodoto auctore, aliiſque pluribus, primum Argiæ ſacerdotis filii prædicantur; nota fabula eſt. Quare neque Plutarchus eas in Conſolatione ſua præteriit.

Hactenus hiſtoriarum, fabularumque repetitionem reprehenſione carere, docuimus. Nunc quoniam imitatione expreſſas eas eſſe, objectum eſt, num imitator auctore fuerit inferior, videamus. In Tuſculana dixit: „ Fertur etiam de Sileno fabella quædam, qui cum à Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur, docuiſſe regem, non naſci homini longe optimum eſſe; proximum autem, quàm primum mori. An vero quiſquam deteriora illa putabit, quæ ſunt in Conſolatione perſcripta? „ Sileni quæ fertur fabula idem certe confirmat; qui captus à Mida miſſionem doctrina redemit; docuit autem regem, nunquam naſci optimum eſſe, ſed celeritatem mortis proxime accedere. Item ibi ſcriptum eſt: „ Simile eſt quiddam in Conſolatione Crantoris; ait enim, Terinæum quendam Elyſium, cum graviter filii mortem mœreret, veniſſe in Pſychomantium quærentem, quæ fuiſſet tantæ calamitatis cauſſa; huic in tabellis treis ejuſmodi verſiculos datos:

Ignaris homines in vita mentibus errant,
Euthynous potitur, fatorum munere, læto,
Sic fuit utilius finiri ipſique, tibique.

In Conſolatione vero ut brevius, ſic quodammodo etiam elegantius: „ Sed Crantor noſter patri filii mortem ægerrime ferenti reſponſum ait datum eſſe in Pſychomantio, filio ſuo bene, beateque eſſe, utiliuſque futurum fuiſſe, ſi etiam pater pari ratione ſatis conceſſiſſet. Totam autem rem Plutarchus pluribus verbis in Conſolatione ſua eſt perſequutus. Eadem ratio reliquorum exiſtimatur, in quibus Conſolatio certe à Tuſculana non ſuperatur.

Verſus porro quoſdam veterum poëtarum ex aliis libris hic repetitos objiciunt; mirum; Quid enim? nonne alios etiam Cicero alibi ſine diſcrimine repetivit? Etenim *Egregie cordatus homo* nonne in primo de Oratore, & prima Tuſculana perlegitur? & *Verſus, quos olim Fauni*, nonne in Bruto, & primo de Divinatione? & *Quem aiunt populi primarium fuiſſe virum*, nonne in Finibus, & Catone? Quare ſi *Nemo me lacrymis decoret* in Tuſculana opportuno tempore, & loco adhibuit, cur non in Conſolatione quoque oblata occaſione potuerat uſurpaſſe? At aliter hic protulit, quàm in Tuſculana; nam ibi dixit: *Priamo vi vitam evitari*, hic vero: *Priamo vi vitam auferri*. Quid? nonne idem aliàs hoc quoque fecit, & quidem ita, ut dubitari de vitio haud poſſit? Nam in ſecundo de Finibus verſum Sophoclis recitavit: *Quod ejulatu, queſtu, gemitu*, referens ad ſaxum, in Tuſculana vero ſecunda: *Qui ejulatu, queſtu, gemitu*, referens ad Philoctetam. Neque vero ſolum hac libertate uſus eſt in alienis, ſed etiam in ſuis. Siquidem in Piſonem dixit: *Concedat laurea laudi*, at de Officiis: *Concedat laurea linguæ*; neque tamen quiſquam adhuc fuit, qui propterea ab Officiis, ut commentitiis, abſtinendum eſſe monuerit.

Jam vero illud etiam vitio vertunt, quòd ſententias aliquot verbis paullulum immutatis huc ex aliis Ciceronis fontibus derivarit; ut illud ex oratione pro Archia: *Cum ad eum, veluti ad agrum optimum cultura, ratio etiam acceſſerit, conformatioque doctrinæ*; & illud ex Somnio Scipionis: *In cœleſtes ignes, ſempiternaſque domos, unde exierat, revertit*. Vere; poterant autem multo etiam plura, & multo illuſtriora proferre, quæ hic aliis item in libris adhibita celebravit. Verum ipſum jure hoc quodam ſuo feciſſe, ſi conſideretur attentius, apparebit. Etenim ſi aliena ad nos traducere nobis licet, cur non multo juſtius noſtra identidem uſurpare? Quæro enim, num Scriptor poſſit pro re nata ſua dicta, conſiliaque repetere? ſi negabunt, auctorem opponam Platonem, qui lepidum ſane proverbium in Philebo, & Gorgia celebravit: *Bis, & ter etiam, quæ pulchra ſunt, dicere, pulchrum eſt*; & Symmachum, qui dixit: *Præſtat aures iterando obtundere, quàm reticendo fraudare*; teſtes autem Homerum, & Demoſthenem, qui prope putide illud nulla ferme coacti neceſſitate fecerunt. Si dabunt, rogabo, num iiſdem id plane verbis complectatur, an aliis? Si iiſdem, orationis inopiam arguam, retentum tamen arbitrium non reprehendam; ſi diverſis, quid laboramus, ac tantopere angimur?

Verum nemine hujus litis diſceptatore alio uti, niſi ipſomet Tullio, libet. Velim ergo ipſe rogetur, cur in aliis libris non compulſus hoc frequentarit; neque enim abnuere poteſt; loci ſunt in promptu omnibus; profecto ſe id feciſſe reſpondebit, quia ſecus agere non potuerit; neque enim fieri poſſe, ut in ejuſdem cauſſæ, & rei tractatione nova ſemper argumenta, nova exempla, nova verba, nova ornamenta, & quidem idonea omnia ſuppetant, cum quæ ſemel ſub mentis, ſtylique acumen ſubierint, præſtantiſſima, & maxime illuſtria ſint. Itaque ſe dixiſſe in primo Academicorum: „ Socrates mihi videtur primus à rebus occultis, & ab ipſa natura involutis avocaſſe philoſophiam, & ad vitam communem adduxiſſe, ut de virtutibus, & vitiis, omninoque de rebus bonis, & malis quæreret; at Tuſculana quinta: „ Socrates primus philoſophiam devocavit è cœlo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & cœpit de vita, & moribus, rebuſque bonis, & malis quærere. Item in ſecundo de Finibus: „ Na-

„ tura

„ tura cupiditatem ingenuit homini veri inve- A
„ niendi; quod facillime apparet, cum vacui
„ curis etiam quid in cœlo fiat, ſcire avemus;
verum in prima Tuſculana: „ Quodque nunc
„ facimus, cum laxati curis ſumus, ut ſpe-
„ ctare aliquid velimus, & diſcere; & primo
de Officiis: „ In primis hominis eſt propria‿
„ veri inquiſitio. Itaque cum ſumus neceſſa-
„ riis negotiis, curiſque vacui, tum avemus
„ aliquid videre, ſcire, addiſcere. Item pro
Archia: „ Illi ipſi philoſophi etiam in illis
„ libellis, quos de contemnenda gloria ſcri-
„ bunt, nomen ſuum inſcribunt. Tuſculana
vero prima: „ Philoſophi non ne in iis ipſis
„ libris, quos ſcribunt de contemnenda glo-
„ ria, ſua nomina inſcribunt? Eodem modo B
in oratione poſt reditum ad Quirites: „ In‿
„ officio perſolvendo diſſimilis eſt ratio, &
„ pecunia debita, propterea quòd pecuniam‿
„ qui retinet, non diſſolvit, qui reddidit,
„ non habet, gratiam & qui retulit, habet,
„ & qui habet, diſſolvit; at vero pro Plan-
cio: „ Diſſimilis eſt pecuniæ debitio, & gra-
„ tiæ; nam qui pecuniam diſſolvit, ſtatim‿
„ non habet id, quod reddidit; qui autem‿
„ debet, is retinet alienum; gratiam autem‿
„ & qui refert, habet, & qui habet, in eo
„ ipſo, quod habet, refert. Quam iterationem
ſi aut criminoſam eſſe, aut ſuſpectam ejus li-
bri, in quo celebrata eſſet, ſidem facere poſſe,
judicaviſſet, nunquam profecto in animum‿ C
induxiſſet, ut in ſecundum de Officiis librum
traduceret: „ Commode quicunque dixit, pe-
„ cuniam qui habeat, non reddidiſſe, & qui
„ reddiderit, non habere; gratiam autem &
„ qui reddiderit, habere, & qui habeat, re-
„ tuliſſe. Si ergo ſententiarum ſuarum repe-
titio culpam non habet, cur demum huic Con-
ſolationi aliquam infamiæ notam inuret?

Accedit, quòd quæ in hoc libro allata‿
ſunt, aut paribus, aut clarioribus orationis
luminibus illuſtrata ſunt. Quod & ipſum de-
monſtrare conemur, ne qua in parte huic de-
fuiſſe cauſſæ videamur. Lactantius libro pri-
mo, cap. xx. dixit: „ Magnum Cicero, au
„ daxque conſilium ſuſcepiſſe Græciam dicit, D
„ quòd Cupidinum, & Amorum ſimulacra‿
„ in Gymnaſiis conſecraſſet; adulatus eſt vi-
„ delicet Attico; at quanto idem hic uberius,
quantoque ſplendidius eſt complexus? „ Græ
„ ciam vero, quam paullo ante laudibus or
„ navimus, hoc loco laudare non poſſumus,
„ quæ Cupidines, & Amores ſatis audacter,
„ & temere in Gymnaſiis, ædibuſque publi-
„ cis conſecrarit; quid enim Cupidini, aut
„ Amoribus cum Gymnaſiis? aut quid ea‿
„ conſecratio vel ad conſiderandum, vel ad
„ imitandum afferre potuit honeſtatis, aut
„ boni? nihil enim temerarium, nihil inſi-
„ piens in Deorum conſecratione eſſe debet,
„ nec quod ullam vel leviſſimam aut turpi- E
„ tudinis, aut ullius omnino impudentiæ ſu-
„ ſpicionem afferat; quales videri poſſunt eo-
„ rum conſecrationes, quorum in rebus pro-
„ bitati, pudorique contrariis numen eſſe,
„ potentiaque creditur. Itemque in primo de
Natura dixit: „ Atqui in pleriſque civitati-
„ bus intelligi poteſt, acuendæ virtutis gra-
„ tia, aut quo libentius reipublicæ cauſſa‿
„ periculum adiret optimus quiſque, virorum
„ fortium memoriam honore Deorum immor-
„ talium conſecratam. Quid? num in Conſo-
latione expreſſum hoc putamus eſſe deterius?
„ Atque haud ſcio, an recte ſenſerint viri
„ doctiſſimi, quorum ea fuit opinio, viros
„ claros, & fortes iccirco Deorum immorta-
„ lium honore conſecratos, ut incitaretur
„ virtus acrius, & acuerentur vehementius
„ ad obeunda pericula, qui patriæ amore,
„ ſtudioque tenebantur; vera enim virtutis
„ merces gloria eſt; nec quidquam eſt aliud,
„ quo magis ad recte, honeſteque agendum‿
„ præſtantis animi homines incendantur. Eo-
dem modo in Tuſculana prima ſcriptum eſt:
„ Natura dedit uſuram vitæ, tanquam pecu-
„ niæ, nulla præſtituta die; quid eſt igitur,
„ quod querare, ſi repetit, cum vult? ea‿
„ enim conditione acceperas. Quis eſt, qui
negare poſſit, quin hæc in Conſolatione dicta
ſint ut copioſius, ſic ornatius? „ Natura uſu-
„ ram nobis vitæ dedit, tanquam pecuniæ,
„ nulla præfinita die; quod ſi cum libet, ſua
„ repetit, ea conditione commodata, ut re-
„ ſtituenda ſint, cur accuſatur? aut cur non
„ potius naturæ gratias agis, quòd, cum ci-
„ tius potuiſſet, tardius repetierit, quàm‿,
„ cum aliquando repetierit, injuſta querela‿
„ inſequeris? Hæc autem ſententia, teſte Plu-
tarcho, fuit Euripidis:

Res procuramus à Diis nobis creditas;
Arbitrio repoſcunt illi quas ſuo.

Unde ſubjicit, ſed jejunius aliquanto, Plu-
tarchus: „ Vita nobis contigit, Diis eam‿
„ apud nos fatali neceſſitate deponentibus;
„ neque certus eſt definitus terminus, ad quem
„ reddendum illud ſit depoſitum. Item in pri-
mo de Legibus: „ An corporis pravitates, ſi
„ erunt perinſignes, habebunt aliquid offen-
„ ſionis, animi deformitas non habebit? & in
tertio de Officiis: „ Turpitudo, ſi in defor-
„ mitate corporis habet aliquid offenſionis,
„ quanta illa turpitudo, & fœditas turpificati
„ animi debet videri? Hic vero. „ Si corpo-
„ ris pravitatibus vituperatio propoſita eſt,
„ vitiis ipſis, quibus laborat animus, nihil
„ turpitudinis, nihil inuretur infamiæ? Num
potuit luculentius? Rurſus in Tuſculana‿:
„ Senſus adſit, ſive ſecetur quid, ſive avella-
„ tur à corpore; nam iſtuc nihil dolere non
„ ſine magna mercede contingit immanitatis
„ in animo, ſtuporis in corpore. Nec vero in
Conſolatione incommodius: „ Eſt, quatenus
„ homo doleat, & quod prudenter à Cran-
„ tore dictum eſt, ſive ſecetur pars aliqua‿
„ corporis, ſive avellatur, ſenſus tamen adeſ-
„ ſe debet; iſtuc enim non dolere fieri non‿
„ poteſt, quin quemadmodum feritatem cor-
„ poris quandam, ſic animi ſtuporem maxi-
„ mum indicet. Neutro vero in loco ſenten-
tiam Crantoris ad verbum expreſſit; nam Græ-
ca verba, quæ ſunt apud Plutarchum, hoc va-
lent: „ Efferari enim par eſt, ibi quidem cor-
„ pus ejuſmodi, hic vero animum. Pariter in
Lucullo illud Homericum: „ Non enim eſt
„ ex ſaxo ſculptus, aut è robore dolatus,
„ habet corpus, habet animum, movetur
„ mente, movetur ſenſibus, ut ei multa vera
„ videantur. Quid? num in Conſolatione ad
animos afficiendos non aptius? „ Certe enim
„ non è marmore ſculpti, aut è robore do-
„ lati ſumus, eſt in nobis quiddam, quod
„ pietate, miſericordiaque moveatur. Item‿
in ſexto de Republica: „ Illa divina virtus
„ non ſtatuas plumbo inhærentes, nec trium-
„ phos areſcentibus laureis, ſed ſtabiliora‿
„ quædam, & viridiora præmiorum genera‿
„ de-

„ deſiderat ; at quanto uberius, atque orna-
tius in Conſolatione ? „ Itaque tam egregiis ,
„ eximiiſque factis non infixas plumbo ſta-
„ tuas, non areſcentes triumphorum coronas
„ ſatis diuturna perſolvere poſſe præmia ju-
„ dicatum eſt, ſed florentiora, ſtabilioraque
„ munera quæſita ſunt, quibus ornarentur ii,
„ qui virtutem , honeſtatem , gloriam ocio ,
„ libidini, voluptati, vitæ denique prætuliſ-
„ ſent. Item in Tuſculana prima dixit ex A-
pologia Platonis: „ Neceſſe eſt autem ſit alte-
„ rum de duobus , ut aut ſensûs penitus om-
„ nes mors auferat , aut in alium quendam
„ locum ex his locis morte migretur. Quam-
„ obrem ſive ſenſus extinguitur , quid lucri
„ eſt emori? ſin verum eſt, migrationem eſſe
„ mortem; & quæ ſequuntur . Hic vero ea-
dem ad verbum omnia ; ſed illud ut diſſimi-
lius, ſic ad Latinæ linguæ conſuetudinem
aptius. „ Quod ſi morte ſenſus extinguitur.
Quorſum enim illud , *ſive*? quis Latinorum
unquam dixit , *ſive*, *ſin*? Quæ cum ita ſint ,
quid eſt, quòd huic commentario tam acriter
oblatremus, ac tantas propterea tragœdias ex-
citemus, quia nonnullas ſententias paullulum
immutatas habeat , quas Tuſculana quoque
contineat? cum idem utriuſque voluminis ar-
gumentum, eadem doctrina, eadem inſtitutio,
eadem imitatio ſit , nec Cicero ſecus facere
potuerit, atque ita ſe quoque in aliis ſapien-
tiæ commentariis geſſerit.

Jam quòd ex eo falſi argumentum eli-
ciunt , quòd ſententias aliquot attulerit cum
Chriſtiana diſciplina convenientes , veluti ,
*Animum ad futuram vitam , tanquam ad pa-
triam, evolare*, & *Præfinitum à Deo vitæ ter-
minum eſſe* , id multis, ut video, refelli, aut
certe infirmari rationibus poteſt. Etenim ſive
Ciceronem ut philoſophum , ſive ut Platoni-
cum accipiamus, profecto abſurdi nihil facie-
mus, ſi quid ipſum Chriſtianæ theologiæ con
gruenter protuliſſe dicemus . Etenim ut Deus
legem Hebræis dedit , ſic philoſophiam Græ
cis ad Chriſtum impertiit, ut Clemens libro
primo Stromatum prodidit: „ Philoſophia ,
„ *inquit*, principaliter Græcis data fuit, priuſ-
„ quam Dominus Græcos quoque vocaſſet ,
„ nam ipſa quoque Græcos pædagogi more
„ docebat, ſicut lex Hebræos, ad Chriſtum;
„ præparat ergo philoſophia ei viam muniens,
„ qui à Chriſto perficitur . Platonem porro
conſenſiſſe cum Moſe idem indicat, cum ad
dit: „ Quid eſt Plato, niſi Moſes, qui loqui
„ tur Attice ? & libro v. „ Dicit Plato in
„ Epinomide: Non dico fieri poſſe, ut omnes
„ homines ſint beati, & felices, præterquam
„ pauci ; donec vixero, hoc definio; bona
„ autem ſpes eſt , fore, ut poſtquam exceſſe
„ ro, omnia conſequar. Eadem ſibi volunt ,
„ quæ dicuntur apud Moſen : Nemo videbit
„ faciem meam, & vivet; clarum eſt enim ,
„ neminem unquam vitæ tempore poſſe Deum
„ evidenter comprehendere; qui ſunt autem
„ mundi corde Deum videbunt, poſtquam ad
„ extremam pervenerint perfectionem . Hæc
Clemens. Quin etiam Platonicos in eadem ,
qua Chriſtiani, peregrinationis ſimilitudine
permanentes præſentem , ut nos, vitam hoſ-
pitium, ac diverſorium, futuram vero domi-
cilium, ac patriam appellaſſe, ex multis locis
Platonis, ac Ciceronis, eſt manifeſtum; unde
etiam Æſchines in Axiocho : „ Num tecum
„ reputabis verbum illud , quod dici ſolet ,
„ Peregrinationem eſſe vitam? ut merito hic

A ſcripſerit: „ Animis æterna cœli ſedes quæ-
„ renda, & propria illorum patria. De fatali
vero vitæ termino ſic ille in Timæo: „ Sane
„ animalium compoſitio ab ipſo generationis
„ exordio certis temporum curriculis termi-
„ natur, idque & genus univerſum patitur ,
„ & animal unumquodque ab ortu fatale vi-
„ vendi ſpatium in ſeipſo exceptis neceſſariis
„ paſſionibus continet . Etenim trianguli ab
„ ipſo initio ſingulorum vim poſſidentes uſque
„ ad certum tempus ſufficienter ad uſum vitæ
„ cohærent, ultra id vita nemini prorogatur.
Unde poſt dictum eſt à poëta:

Stat ſua cuique dies.

B Quæ cum legiſſet Cicero, atque ea in ſuos &
ipſe commentarios cum multis ejuſmodi aliis
tranſtuliſſet, cauſſam attulit, teſte Arnobio ,
ut eos multi quondam per Senatum Roma-
num cenſuerint abolendos , ut quibus religio
Chriſtiana comprobaretur, & auctoritas vetu-
ſtatis opprimeretur. Quibus poſitis non video,
quamobrem ejuſmodi ſententiis in hoc libro
permoveamur, atque ipſum à Chriſtiano ſcri-
ptum eſſe propterea cenſeamus? Ac de ſen-
tentiarum quidem defenſione hæc hactenus.

Deinceps ſequitur , ut cauſſam Fragmen-
torum agamus; de quibus eò acrior nobis erit
cum noſtris neceſſariis concertatio, quòd gra-
viore videantur à nobis in his, quàm in aliis,
C diſſidere diſſidio . Etenim quæ nos tanquam
firmiſſima cauſſæ hujus fundamenta ſtatuimus,
eadem ipſi ad eam radicitus evertendam op-
ponunt; eamque diligentiam hoc uno nomine
labefactant, quod imitator hæc à Sigonio, &
Patricio ſumpſerit, quorum labore, induſtria-
que collecta , digeſta, atque expoſitionibus
illuſtrata ſint . Quod mihi auditu uſque adeo
mirabile accidit, ut adhuc hujus reprehenſio-
nis vim, & rationem excutere , atque expli-
care nequiverim. Ut enim qui mare neſciunt,
amnes influentes duces ſequuntur, ſic nos Tul-
lium ignorantes, iis, qui ipſum perſpexerunt,
veteribus aſſentimur . Itaque, quemadmodum
ſi fragmenta Ciceronianæ Conſolationis , quæ
D apud priſcos iſtos diſſipata leguntur, ab hoc
libro abeſſent , omnino hunc Ciceronis eſſe
reclamaremus, ſic, cum omnia adſint, quæ à
diligentiſſimis , ut ajunt, indagatoribus diu-
turna erui opera potuerunt , nullum pro eo
majus afferri poſſe argumentum exiſtimamus.
Etenim ſi hæc ratio ad veritatem inveſtigan-
dam, & comprobandam parum nervorum ,
ac virium habet , quo tandem modo verum
opus, ſi quando in apertum evaſerit , inter-
noſcemus à falſo ? Quippe ſi fragmenta hæc
intexta non erunt, ego ipſum germanum eſſe,
negabo , ſi erunt, hi ab imitatore ſtudioſe
concinnatum, ac perpolitum eſſe, pugnabunt.
Ita fiet, ut noſtra culpa jacturam indignam
E operis pulcherrimi faciamus . Quare eorum
officium fuit, non fragmenta, quia hic inte-
xta ſint , condemnare , ſed ea aut alieno loco ,
aut incommoda ratione incluſa oſtendere; cum
autem apte adeo interjecta ſint, ut, quemad-
modum dixi, ſedem ſuam videantur, ac pro-
priam obtinere, ita ut ibi nata, non agnata ,
aut inſita poſſimus agnoſcere, certum eſt, ea
non imitationi , ſed veritati teſtimonium per-
hibere; neque enim in facto, ſed in ratione
facti debet hærere ſuſpicio ; de qua illi ne
verbum quidem ullum omnino fecerunt . At-
que hæc quidem in univerſum de toto ipſo
fragmentorum genere dicta ſint , de quibus
la-

latius in ſuperiore oratione eſt diſputatum.

Nunc ad ſingula crimina veniamus, eaque ipſa quàm ſint juſta, diſpiciamus. Vitio dant, quòd cum Cicero ſcripſiſſet, homines luendorum ſcelerum cauſſa naſci, hic de ſuo addiderit, *Quaſi*; ſic enim ajunt: „ Hic de Crantore ſic inquit. Crantor humanæ vitæ incommoda ita diligenter, & accurate expreſſit, ut quaſi luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, & in hanc lucem ingredi poſſis agnoſcere; addidit ergo vocem Quaſi; quam non videtur Lactantius fuiſſe omiſſurus, ſi in verbis Ciceronis fuiſſet; quanquam ipſe creditur à Sigonio accepiſſe ſic ſcribente: Miſerias hominum mihi videtur deploraſſe, qui quaſi luendorum ſcelerum cauſſa in hanc lucem prodierint. Quod totum moneo, ut iterum ad rationem accuratius revocent. Sic enim credo efficient, ut liquidiorem ipſius Scriptoris ſenſum, ac certius conſilium aſſequantur. Sententia nimirum Crantoris fuit hæc his apud Plutarchum expreſſa verbis: „ Multi, iique ſapientes viri non nunc primum, ſed pridem deploraverunt res humanas, ſupplicium judicantes vitam hanc eſſe, & ſummæ calamitatis loco ducentes, hominem naſci. Dixit ergo Cicero, Crantorem accurate adeo humanæ vitæ incommoda docuiſſe, non, „ ut poſſis agnoſcere, hominem quaſi luendorum ſcelerum cauſſa naſci, *ſed*, ut quaſi poſſis agnoſcere, hominem luendorum ſcelerum cauſſa naſci, quod eſt, adeo aperte humanæ naturæ calamitates explicuit, ut quodammodo pro vero habere poſſis, quod à nonnullis ante, tanquam admirabile, traditum fuerat, homines luendarum pœnarum gratia eſſe natos. Atque hunc quidem ſenſum clare expreſſit idem in Hortenſio, teſte S. Auguſtino contra Donatum Pelagianum libro quarto: „ Ex quibus humanis vitæ erroribus, & ærumnis fit, ut interdum veteres illi ſive vates, ſive in ſacris, initiiſque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pœnarum luendarum cauſſa natos eſſe dixerunt, aliquid vidiſſe videantur, verumque ſit illud, quod eſt apud Ariſtotelem &c. Itaque idem ipſe poſt repetens dixit: „ Redeo ad illud, quod initio dixi, hominem luendorum ſcelerum cauſſa naſci; neque enim dixit: *quaſi luendorum*, facturus nimirum, ſi tantum in ea voce momenti conſtituiſſet. Dices. Si ergo ille *Quaſi* non adjecit, cur Sigonius addidit, cum dixit? „ Miſerias hominum mihi videtur deploraſſe, qui quaſi luendorum ſcelerum cauſſa in hanc vitam prodierint: quæris, quamobrem? nempe, ut doceret, ſe migrationem illam animorum ex corporibus in corpora non probare, quam illi conſtituerunt, qui homines luendorum ſcelerum cauſſa naſci dixerunt; neque enim cum fide Chriſtiana conſentit, ut pluribus Lactantius in eodem loco diſſeruit. Quod ſi Sigonium huic ſententiæ adjunxiſſe *Quaſi*, deforme eſt, cur non Ciceroni probro tribuatur, quòd in Lælio perverſe Empedoclis ſententiam recitavit? cum dixit: „ Agrigentinum quidem doctum quendam virum carminibus Græcis vaticinatum ferunt, quæ in rerum natura, totoque mundo conſtarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, diſſipare diſcordiam, cum dicere debuiſſet, ea contrahere diſcordiam, diſſipare amicitiam. Etenim, ut tradit Ariſtoteles in

A primo de ortu, & interitu, & Græci ejus confirmant interpretes, diſſoluto per diſcordiam ipſo elementorum ſphæro omnia, quæ natura conſtant, generari, redactis omnibus per concordiam in ſphærum elementis, eadem diſſipari, atque interire putavit. Quod ſi hic in Conſolatione dixiſſet, quis ferre eruditos iſtos homines poſſet, qui non ſolum falſas, ſed etiam improbabiles propoſitiones ad hanc infirmandam valere oportere exiſtimant?

Jam quod addunt, eundem quoque de ſuo adjeciſſe, *& in hanc lucem ingredi*, tanquam gloſſema ejus vocis *naſci*, ac propterea Ciceronem hunc non eſſe, contendunt, non eſt, quòd ego refellam; hanc curam ipſi Lactantio, à quo illa ſunt ſumpta, relinquam.
B Is ſcribit libro tertio, capite XIX. hoc modo: „ Cicero in Conſolatione, Non naſci inquit longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere vitæ, proximum autem, ſi natus ſis, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere fortunæ; crediſiſſe illi vaniſſimo dicto exinde apparet, quòd adjecit aliquid de ſuo, ut ornaret. Cum enim ita ſcribit, ſatis perſpicue docet, ut Cicero ornandi cauſſa adjunxit de ſuo, *Non naſci, nec in hos ſcopulos incidere vitæ*, ſic poſtea illi *Naſci* ornandi gratia adjeciſſe, *& in hanc lucem ingredi*. Quod ſi ita eſt, quis recuſare poſſit, hunc locum à Cicerone, vel ipſorum diſſentientium judicio eſſe compoſitum?
C
Sequuntur inde illuſtria fragmenta tria ſuperiore quoque à nobis oratione commemorata; quorum primum poſitum eſt à Lactantio: *Cum vero mares, & feminas complures in Deorum numero eſſe videamus*; alterum, quod huic annectitur, ab hoc eſt allatum: *Tantis enim ducibus aberrare non poſſumus*; tertium à Lactantio cum primo, ſecundo omnino prætermiſſo, conglutinatum: *Quod ſi ullum unquam animal conſecrandum fuit*; ſecundum autem ipſi ſic excipiunt, ut totum ab imitatore fluxiſſe dicant, quia neque à Lactantio ſit allatum, neque à Sigonio, Patricioque ne minima quidem ſuſpicione quæſitum. Quarum
D rerum facilis ſane eſt, atque expedita defenſio; nimirum enim prætermiſit Lactantius, quia cauſſam ſuam non adjuvabat, neque integram paginam explicare ſine aliquo diſputationis emolumento volebat; deeſſe Sigonius, Patriciuſque non ſenſit, quia uterque expers vaticinii fuit, atque ipſi Lactantio credidit; auctor vero adhibuit, ut rationem redderet ejus, quod dicere cœperat, ſe velle exemplum veterum in conſecranda filia conſectari, & ut illam ſermonis ad Tulliam converſionem inferret: *Neque de te una, mea Tullia, dictum volumus*, cui deinde in tertio reſpondere poſſet: *Teque omnium optimam conſecrab*; & ut, quod Attico ſe facturum oſtenderat,
E ſolveret; promiſerat autem, ſe Tulliam Græcis litteris, Latiniſque celebraturum; hic vero ſe celebraſſe inquit: „ Vigebis autem memoria, quandiu monumenta extabunt illa, quibus eximia conſignata ſunt tam excelſæ laudis teſtimonia, quæ ſempiterna fore, cum præſtantiſſima ſint, plane confidere debemus. An vero, ſi imitator eſſet, aliquid Lactantio addidiſſet, aut præſcriptum ejus ulla ratione pervertere auſus eſſet? nunquam, opinor.

Tertium vero fragmentum apud Lactantium vulgo ſic legitur: *Quod ſi ullum animal conſecrandum fuit, ſicut profecto fuit*; in Conſola-

ſolatione vero cum illuſtri acceſſione, & emendatione hoc modo: *Quod ſi ullum animal conſecrandum fuit, qualia multa conſecraverunt Ægyptii, quod nullum profecto fuit*. Atque hæc quidem & recte addita, & rectius emendata eſſe, ex ſuperioribus liquet, in quibus Ægyptii reprehenſi ſunt, quòd beſtias in Deorum numero collocarint. Itaque cum vulgata lectio contrariam menti Scriptoris ſententiam reddat, noſtri tamen ſic accipiunt, ut certum inde ſpecimen ſtulti imitatoris eliciant, quòd à vulgata Lactantii lectione diſceſſerit, ac longius aliquanto, quàm Patricius, viderit, quem inter multas hæc correctio fugit. Quæ omnia quàm idonea ſint, res ipſa per ſe etiam me tacente declarat. Etenim cum hic & vacantia explevit, & depravata correxit, ſane in eo ſe auctorem vel maxime demonſtravit. Si enim imitator eſſet, nec mederi tam deſperatis vulneribus potuiſſet, neque à Lactantio, neque à Patricio receſſiſſet; qui vir quam valde, licet ingenio, doctrina, & judicio præſtantiſſimus, in eis verbis *Sicut profecto fuit* hæſitavit? quantopere in elicienda ſententia elaboravit? quàm multum in corrigendis, ſupplendiſque verbis, quæ deſiderari credidit, deſudavit? quàm longe à ſinceritate veræ lectionis abſceſſit? ex quo apparet, ſi unum ſupplere verbum nequimus, qua felicitate volumina, ut iſti volunt, integra ſuffecerimus? Si autem, quia melius hic aliquid attulit, quàm quod excogitare Patricius potuit, ea re imitatorem eſſe volunt, anguſtum ſane locum nobis defenſionis relinquunt. Si enim hic Lactantium cum Sigonio, Patriciove repræſentavit, ineptæ imitationis inſimulant, quòd nullam mutationem attulerit; ſi eos reliquit, atque ægro neceſſariam quaſi curationem admovit, ne ita quidem laudem germani auctoris concedunt, quia ſe ab eorum auctoritate removit.

Jam illud quanti faciendum eſt, quod adjungunt. Hic fragmenta Ciceronis omnia illo ordine intexuit, quo digeſſit Sigonius, argumentum libri eo modo explicuit, quo conjecit Sigonius, ergo Cicero eſſe non poteſt. Sit ita ſane, quoniam ita volunt. Non ſit Cicero, quia Sigonii auctoritatem, judiciumque ſequutus eſt; ergo Cicero erit, ſi quod fragmentum Ciceronis expreſſerit, quod non præmonſtrarit Sigonius. At ſi hoc fatentur, prout fateri neceſſario debent, habemus, quod volumus. Extat fragmentum hoc apud Senecam de tranquillitate vitæ: „ Gladiatores, ait Ci- „ cero, inviſos habemus, ſi vitam omni modo „ impetrare cupiunt, favemus, ſi contem- „ ptum ejus præferunt. Hoc, ſuppreſſo à Seneca Ciceronis libro, ubi eſſet, neque Sigonius, neque Patricius potuit expiſcari; neque id ſine cauſſa; quis enim divinare potuiſſet, ipſum in Conſolatione exiſtere, quæ tum nuſquam extabat? Audiamus nunc eam: „ Hoc „ ſi verum eſt, dubitari non poteſt, quin „ quemadmodum populus Romanus in mune- „ ribus publicis inviſos habet gladiatores, qui „ omni modo vitam impetrare cupiunt, favet „ iis, qui contemptum ejus præferunt, iti- „ dem Dii immortales &c. Quam autem apte hanc ſimilitudinem intexuerit, cognoſcere operæ pretium eſt, ut ſimul hujus operis veritas, & præſtantia cognoſcatur. „ Si verum „ eſt, *inquit*, quod à Theophraſto alicubi „ proditum memoriæ mandavimus, orbem „ terrarum theatrum quoddam eſſe magnum, „ divina mente repletum, & ceteris indican- „ dæ ſapientiæ gratia tam multis undique „ collucentibus ornamentis illuſtratum, ac de- „ pictum; in eo autem medio collocatos eſſe „ homines à Deo, ut cum fortuna, dolore, „ morbis, egeſtate, caſibuſque permultis aſſi- „ due luctentur; Deum vero ipſum, quan- „ tum quiſque pugnando valeat, quamque „ viriliter fortitudine divinitus accepta utatur, „ deſuper aſpectare, hoc, inquam, ſi verum „ eſt, dubitari profecto non poteſt, quin, „ quemadmodum populus Romanus in mune- „ ribus publicis inviſos habet gladiatores, qui „ omni modo vitam impetrare cupiunt, favet „ iis, qui contemptum ejus præferunt, iti- „ dem Dii immortales, ſi quos ex hominibus „ nimis anxie de vita ſollicitos, ejuſque exi- „ tum detrectantes aſpiciant, iis aliquo modo „ ſuccenſeant, eos vero & caros habeant, & „ muneribus proſequantur, qui ſi è vita revo- „ centur ipſi, vel ſuos revocari videant, ala- „ cres, lætique Deo pareant, nihilque pro- „ pterea mali ſibi accidiſſe judicent. Quid his verbis politius, & ornatius, quid hac ſententia commodius, & argutius, quid hac auctoritate gravius, & reconditius eſſe poteſt? an inſulſi hujus imitatoris potius, quàm ipſius Ciceronis eſſe dicemus? Scilicet hoc ſuo labore profecit Sigonius, ut ſi quando Ciceronis libri de philoſophia, aut de republica amiſſi reperiantur, atque aliquas habeant laudes ex iis, quibus ipſe illos floruiſſe conjecit, continuò tanquam ſubdititii partus abjiciantur? Non ſunt hoc loco contenti; dabo alterum, quem neque Sigonius, neque Patricius aut attulit, aut vidit. Inquit hic: „ Nemo „ ſuorum funera experitur, cui non adverſa „ multa antea contigerint; cur igitur gravio- „ ra, vel certe æque gravia fortiter paſſus, „ cum maxime occalluiſſe, & ad dolorem no- „ vum obduruiſſe deberet, deſpondeat ani- „ mum, ſeque mœrori tradat? Hanc ſententiam tranſtulit Petrarca in librum decimum Senilium; atque illa verba *Occalluiſſe*, *atque obduruiſſe* ſe à Cicerone ſumpſiſſe ſignificavit, inquiens: „ Me tenuit meæ reſpectus ætatis; „ nam cum virum, tum præcipue ſenem flere „ mortalia turpe eſt, quem tempore, & ca- „ ſuum obſervatione ſimilium contra omnes „ inſultus obduruiſſe (utar peculiaribus Tul- „ lii verbis) atque occalluiſſe conveniat. Si igitur hæc ſententia, qua docetur, mœrorem cum viro, tum ſeni minime convenire, his duobus verbis *obduruiſſe*, atque *occalluiſſe* à Cicerone comprehenſa in aliis libris Ciceronis non reperitur, cur non in quo invenitur, is eſſe Ciceronis aſſeritur? At Petrarca Conſolationem non habuit; quis pro certo affirmare hoc poteſt? præſertim cum eam juvenis indagarit, hæc vero jam maturus ætate prodiderit? ac libro quarto de rebus familiaribus ſcripſerit: „ Fecit hoc primus in mortem dile- „ ctiſſimæ filiæ M. Cicero divino, & inacceſ- „ ſibili ſtylo.

Atque pro fragmentis quidem hæc diximus; quæ tantum hucuſque ſecum ponderis attulerunt, ut germanam librorum ſinceritatem oſtenderint, etiam ſola cum affuerunt. Quid enim aliud Rhetorica ad Alexandrum ab Ariſtotele ad Anaximenem traduxit, niſi fragmentum unum, nempe ſeptuplex cauſſarum diviſio, quam Quintilianus Anaximeni attribuit? quid aliud Rhetorica ad Herennium Cornificio tradidit, quàm figura Traductio, cujus

A cujus idem auctorem Cornificium fecit? Ergo Anaximenes, & Cornificius uno fragmento, aut una ſententia tantum à Quintiliano prolata injuſtam fortaſſe laboris alieni poſſeſſionem acquirent, Cicero multis à Lactantio, aliiſque prolatis jus induſtriæ ſuæ vetus amittet?

Tranſeo ad exempla; neque enim dubium eſſe arbitror, quin omnes intelligant, quantum in ſuperioribus inſit firmitatis, ac roboris. Hujuſmodi exempla & Romanorum, & Græcorum, & Barbarorum ſic amici Tullii perſequuntur, ut paucis tantummodo leviſſime tactis, ipſam propterea ab imitatione dimanaſſe concludant. Quod quàm juſte faciant, B demus operam, ut demonſtremus.

Decios ſcriptum eſt cum Latinis pugnantes ſe devoviſſe; hoc factum eſſe perperam inquiunt, quia in prima Tuſculana proditum ſit, Decium patrem cum Latinis decertaſſe, filium vero cum Etruſcis; magnum & inexpiabile crimen. Quid vero, ſi probem, recte hic, in Tuſculana vero perperam eſſe factum? Etenim quo modo hic ſcripſit, eodem etiam in ſecundo de Finibus fecit, ut Latinos nominarit, Etruſcos omiſerit, „ P. Decius cum ſe „ devoveret, in mediam aciem Latinorum ir- „ ruebat; quod factum imitatus eſt quarto „ conſulatu filius; & primo de Divinatione: „ P. Decius devovit ſe, & in aciem Latino- C „ rum irrupit armatus; cujus mors ita glo- „ rioſa fuit, ut eam concupiſceret filius; & Valerius libro v. ipſum, ut ſolet, ſequutus: „ Decius Latino bello corpus ſuum pro ſalute „ populi Romani devovit; filius in quarto „ conſulatu patris exemplum ſequutus. Decius autem filius in Etruria quidem pugnavit, ſed cum Gallis, non cum Etruſcis, ut aperte ſcribit libro decimo Livius. Ex quo apparet, Ciceronem in Tuſculana memoria lapſum, quo vitio ipſum ſæpenumero laboraſſe, docti viri juſte notarunt. Quare caveant quæſo; ne hanc rationem argumentationis inducant. Hic liber mendoſam ex aliqua parte habet hiſtoriam, ergo non eſt Ciceronis, ne fortaſſe D mox confiteri cogantur, paucos libros exiſtere Ciceronis, quod in pleriſque ejuſmodi reſideat aliquid, quod eo modo reprehendi poſſit; quod ne cui mirum accidat, legat, quid Vopiſcus in Aureliano de principibus hiſtoricorum memoriæ tradat, Livio, Salluſtio, Tacito, & Trogo. Accedit, quòd ſi imitator tantum in hanc ſcriptionem ſtudii, ac diligentiæ contulit, ut duo etiam illorum judicio ex Plinio verba Ciceronis expreſſerit, non videtur veriſimile, eundem mox tanta incuria extitiſſe, ut locum inſignem Tuſculanæ de Latinis, atque Etruſcis omiſerit. Verum auctor, & non imitator hic fuit, qui fortaſſe, ut Scipionem, non Scipiones dixit, & Gracchum E præteriit, quem alio loco commemoravit, ſic Decium quoque, non Decios ſcripſit, ac demum in ſua oratione addidit, dempſit, & mutavit, prout animus tulit, quemadmodum etiam cum in Divinatione duos Decios, in Tuſculana tres ſemel pro patria devoviſſe, ſcriptum reliquit; merito; neque enim Scriptor aliquis unquam extitit, qui arctis iſtis ſe regularum vinculis in referendis antiquitatis exemplis obſtrinxerit; verum varia in ſcribendo conſilia, rationeſque nobis occultas ſpectavit. Quod eis facile concedimus, modo nihil eos edere falſi comperiamus; quale dixiſſe ipſe in libro de Senectute, & in oratione pro Murena videtur; duo enim duces cum Antiocho rege Syriæ depugnarunt, Acilius Glabrio, qui Catone viro conſulari legato aſcito ipſum è Græcia depulit, & L. Scipio, qui fratre Africano in Aſia debellavit, teſte Livio, & ceteris ſine ulla controverſia omnibus. Hic vero in libro de Senectute Catonem tribunum militarem cum Glabrione fuiſſe, pro Murena vero in Aſia cum L. Scipione verſatum eſſe prodidit, nimirum eo deceptus, quòd Scipio Glabrionem exceperit. Et tamen cum hæc ita ſint, nemo ea tanti eſſe ponderis unquam putavit, ut propterea ſcripta illa Ciceronis eſſe abnuerit.

Arguunt inde, quòd Xenophontis ante meminerit, quàm Periclis, cum tamen Pericles natu grandior fuerit, & S. Hieronymus exempla Ciceronis hæc referens Periclem omnibus præpoſuerit. Quod cum faciunt, næ illi ſe plumbeum plane pugionem inferre non ſentiunt. Neque enim Cicero hoc loco temporis ordinem, ſed diſputationis ſeriem, nexumque reſpexit, ut qui non hiſtoriam, ſed Conſolationem ſcribere, nec facta, ſed præcepta litteris prodere inſtituerit. Nec S. Hieronymus exempla Ciceronis exacte ſibi recitanda, ſed rem tantum indicandam conſtituit; ſiquidem neque omnia, neque eodem ordine protulit. Neque idem cum Periclem propoſuit, eum ſe à Cicerone ſumpſiſſe, ſed à Græcis oſtendit; ſic enim ſcripſit: „ Legimus Crantorem, Pla- „ tonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, „ Poſſidonii ad ſedandos luctus opuſcula per- „ currimus; proponunt innumerabiles viros, „ & maxime Periclem, & Xenophontem. Quod ſi ferrum dederimus, tum eos amice monebimus, ut videant, quo modo utantur, ne eodem ictu Catonem, & quintam Tuſculanam conficiant, quo Conſolationem hanc perculerunt. Etenim ſic dixit in Catone: „ Num Heſiodum, Simonidem, Steſichorum, „ num quos ante dixi, Iſocratem, Gorgiam, „ num Homerum? in Tuſculana vero: „ Xe- „ nocrates, Crantor, Arceſilas, Lacydes, „ Ariſtoteles. Quis eſt autem priſcæ adeo memoriæ rudis, qui non videat, Homerum, ut natu maximum, omnibus anteponendum fuiſſe, ac S. Hieronymum, ut debuit, eundem epiſtola ſecunda præpoſuiſſe? & Ariſtotelem Crantore, & Arceſila eſſe antiquiorem? &, ſi hæc ratio valeat, neceſſario effici, eos libros Ciceronis non eſſe?

Cum autem inſtant: *Hic nominat Harpagum, Dionem, & Praxaſpem*, quos nemo à Cicerone commemoratos eſſe teſtatus eſt, ergo Cicero eſſe non poteſt, video quid agant, cui rei ſtudeant, quò conſilia referant; quippe ancipitem jam mucronem intentant, ut celerius imitatorem conficiant, ſi duplices evadere non poſſe ictus ſuos intelligant. Nam ſi hos ab aliis nominatos dixerimus, ipſum arguent furti, ſi abnuerimus, impudentiæ; hoc autem quid eſt aliud facere, quàm omnibus Ciceronis operibus auctoritatem una argumentatione detrahere.

Item *Meminit*, inquiunt, *Cæpionis, Lepidi, & C. Cottæ, de quibus ſe dubitare Cicero ſignificavit, cum Atticum conſuluit*. Eſto; quid mirum? dubitavit, re incognita, affirmavit, perſpecta; conſuluit, cum hærebat, ſcripſit, cum exploratum habebat; illud quidem mirabile accidiſſet, ſi C. Cottam filium mortuum pro exemplo fortitudinis attuliſſet, & non Rutiliam matrem, quæ filium ſibi ereptum æquiſ-

A æquiſſimo animo pertulit; quod video obſervatores ejus egiſſe, cum animadvertere potuiſſent, ejuſmodi exemplum ab hoc, & à Seneca inter feminas eſſe relatum; cur autem non eodem modo auctoritatem libris de Finibus abrogamus, quòd exemplum L. Tibuli afferant, de quo ipſe ita dubitavit, ut pariter Atticum conſuluerit? Quo in loco repetere volo, ne diſſentientium aures fortaſſe prætervolet, Senecam in ſua Conſolatione Rutiliæ factum iiſdem verbis, quibus hic, prodidiſſe, ut firmiſſimum argumentum ad oſtendendum, hunc librum Ciceronis eſſe germanum, cum conſtet, ipſum in eruenda Rutilia primum elaboraſſe, neque res ſit adeo memorabilis, ut aut à gravioribus Scriptoribus memoriæ pro- B ditam, aut à Seneca aliunde, quàm è Ciceronis arca depromptam, veriſimile ſit.

Atque hoc quidem modo illi adverſus opportunam exemplorum prolationem invecti ſunt, contra quæ nemo unquam paullulum ingenii ſui aciem incitavit, quin ſtragem ingentem ediderit. Nam cum omnis facti eſt perobſcura cognitio, tum nulla difficilior ſuſcipitur, quàm certa de antiquitate, & re pridem geſta oratio. Equidem ubi eruditiſſimos viros quæſtionem exemplorum aggredi ſenſi, ſtatim falſum eos aliquod, aut contrarium, aut repugnans, aut alienum, aut inane, aut ridiculum, aut ſupervacaneum prolaturos eſſe C pertimui. Verum, quod bene ſit, in maxima eorum frequentia nullum crimen hujuſmodi objectarunt, nullum omnino finxerunt; quod præcipue poteſt hujus operis integritatem arguere. Quin etiam eandem partem uſque adeo titubanter, ac timide tetigerunt, ut, quo judicio præditi ſunt, ne ipſi quidem ſibi ſatis confidere, aut plurimum in ea momenti ad victoriam conſtituere videantur.

Extremus elocutionis eſt locus, quam iidem præcipue ſibi oppugnandam, tanquam ſummam hujus controverſiæ arcem, exiſtimarunt; neque id injuria. Etenim, ſi verum eſt, quod dixit Cicero, mandare litteris cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare D poſſit, hominis eſſe turpiter ocio abutentis, & litteris, profecto ſi hunc aut neutrum horum feciſſe, aut alieno loco feciſſe, docebunt, merito auctoritate Tulliana nudabunt. At tantum abeſt, ut aliquid horum, quæ graviſſima eſſent, & omni ipſum prorſus laude eloquentiæ ſpoliarent, objiciant, ut omnes in verborum tantummodo aucupiis, ac notationibus animadverſionis ſuæ vires, conatuſque conſumant. Cujus rei non minimo illud ſit argumento, quòd quidam hoc dicendi genus, ut parum Ciceronianum accuſent: „ Caſtos animos, & puros leni quodam, & facili lapſu ad Deos, ideſt ad naturam ſui ſimilem, pervolare; alii vero illa à Mureto ſumpta E eſſe objiciant: „ Cupiditates inſatiabiles exoriuntur, quibus non modo ſingulos homines, ſed totas familias, & univerſas funditus civitates everſas videmus, „ quòd ille aliquando ſcripſerit: „ Non ſingulos modo perdiderunt homines, ſed integras funditus afflixerunt, ac everterunt civitates. Quod cum dicunt, non ne ſtatim contrario ipſius Ciceronis teſtimonio, ne dicam infeſto convitio, revincuntur? quem modo ridentem, modo ſtomachantem mihi videre, modo magna voce inclamantem audire videor: Deſinite mihi maledicere, & quæ mea ſunt mihi detrahere; quæ vos pro alienis damnaſtis, pro certo mea ſunt, priora ex libro meo de Conſolatione, amici mei Lactantii auctoritate firmata, atque omnium adhuc aſſenſione probata, poſteriora ad verbum ex ſecundo meo de Finibus: „ Cupiditates inſatiabiles non modo ſingulos homines, ſed univerſas familias evertunt; non ne meam conſuetudinem perſpexiſtis, ut, ſi res poſtulet, eaſdem ſententias, atque eadem dicendi genera repetam, neque id luminibus eloquentiæ meæ officere poſſe ducam? Quod vos in primis homo quidem Hiſpanus, ſed mei in primis obſervantiſſimus, potuit docere Quintilianus. Verum Ciceronem ipſum quieſcere patiamur, atque omnino ex hac diſputatione mittamus; vereor enim ne, ſi longius orationem ſuam provexerit, juſta iracundia incitatus durius, atque acrius ejuſmodi obſervatores ſuos excipiat, quàm eos à nobis accipi æquum eſſe cenſemus; qui paucis quibuſdam verbis reprehendendis ipſum tanquam non Ciceronianum auſi ſunt poſtulare. Quid autem arguunt? nolite exiſtimare, ejuſmodi aliquid eos objicere, quale optimus dicendi magiſter Libanius orationi de Haloneſo vitio vertit: „ Si modo vos cerebrum in temporibus, & non in calcaneis geritis; neque enim ille cerebrum, aut calcaneum reprehendit, ſed meras ſententiæ inde fluentis ineptias Demoſthene ipſo graviſſimo viro indignas, ac contumelioſam non orationis libertatem, ſed linguæ procacitatem damnavit. Verum ſingulas voces ſic ponderant, ut ad calcem uſque perveniant. Hæc autem indicabo, ſi prius, ut debeo, gratulatus huic maxime ſæculo ſuperbum illud aurium ne, an animi judicium fuero. Nondum enim centum fortaſſe anni ſunt, cum ipſæ ad Atticum epiſtolæ in Italia ſunt inventæ ita laceræ, ac deformatæ, ut non ſolum cerebrum, ſed ne calcem quidem Latinitatis haberent. Hoc tanto invento theſauro, nemo tum extitit, qui multorum verborum, non dicam novitate, ſed fœditate offenſus ſimulatas eas eſſe inſimularit; immo vero raptim, inquit Blondus, libros eos lætabundi deſcripſimus, atque omnibus exempla per Italiam diſtribuimus; noſtri vero multo, quàm illi, ſtudio, ac doctrina præſtantes Conſolatione reperta uſque adeo pauca quædam verba faſtidiunt, ut totum volumen, licet omnibus luminibus ingenii, induſtriæ, judicii, & eruditionis inſigne repudient; repudiant? immo vero arceſſunt, accuſant, ac ſine crimine, ſine teſte, ſine patrono, ſine judice incognita cauſſa condemnant, nec Roma ſolum, ſed univerſa etiam Italia, ac Scholis, & Gymnaſiis omnibus pellunt, ejiciunt, ablegant, atque uſque ad Barbarorum oras amandant. Etenim ne quis me temere ita dixiſſe opinetur, hic ea adhibuiſſe genera verborum arguitur, quæ neque Cicero unquam, neque Latinus aliquis uſurparit; grave profecto crimen, ſi verum ſit; etenim delectus ipſe verborum, ut fontem, ſic laudem omnem eloquentiæ continet; neque orator alia re magis, quàm verborum ſplendore, ac copia commendatur. Sed tamen multo gravius, ſi temere ſimulatum ſit; quod me facillime demonſtraturum eſſe, polliceor; ita tamen, ut ſi quibus minus hæc mea placuerint, cum eis nullum mihi eſſe certamen velim; ac libenter eorum ſtaturus judicio ſim, qui plus in hac obſervatione aut operæ, aut induſtriæ conſumpſerunt. Ac de Latinis quidem poſtea; de Cicerone in præſenti.

Equi-

Equidem, ſi Ciceroniana non ſunt, quæ A non in omnibus Ciceronis libris impreſſa ſunt, male actum iri cum ipſo Cicerone opinor, quòd ſinguli ejus libri novum aliquod verbum afferant, quod non contineatur in aliis; cujus rei documento eſt, quòd teſte Cariſio, Statilius Maximus commentarium olim texuit de ſingularibus apud Ciceronem qua qua poſitis, & Nonius Marcellus caput de iis, quæ nove à Cicerone, aliiſque Latinis dicta ſunt, edidit. Inter quæ Statilius retulit *Repentino*, *Rarenter*, *Stomachoſe*, *Salutariter*, *Stirpitus*, *Oſtiatim*: Nonius vero „ Condocefacere, diloricare, „ exanclare, fortunare, eluvionem, colluvio„ nem, excandeſcentiam, fallaciloquentiam, „ magniloquentiam, ſuperbiloquentiam, infi B „ nitatem, inſulſitatem, mulieroſitatem, ſur„ ditatem, excelſitatem, purpuraſcere, puti„ ſcere, repueraſcere, vaſteſcere, & vetera„ ſcere. Quod illi nunquam feciſſent, niſi Ciceronianam eloquentiam ex uno etiam tantum hauriri poſſe fonte judicaviſſent. Quin etiam Seneca notavit, ipſum *Reapſe*, ſuaviloquentem, breviloquentem, & alia quædam nova verba in libris de Republica adhibuiſſe; & Quintilianus eundem primum *Beatitatem*, ac *Beatitudinem*; Sidonius vero *Indoloriam*, atque *Eſſentiam*, intuliſſe. In fragmentis certe librorum ejus cum alia ſingularia multa leguntur, tum *adjutorium*, *conſitura*, *quotidiano*, *anxitudo*, *impigritas*, *opprobrium*, *captivitas*, & C *ſanctitudo*; in oratione vero pro domo *ignitus*, pro Plancio *debitio*, pro Sextio *Mulionicus*; pro Cluentio *Materiatus*, in Rhetoricis, teſte Priſciano, *menſurus* pro *menſtruus*.

Quid quod niſi librum ille de Fato ſcripſiſſet, vox *principalis* ab ejus monumentis abeſſet? & ſi libros de Oratore, & Tuſculanas haud nacti eſſemus, *Animi confiſionem*, & *verba anhelata* non haberemus, ſi Oratore, & Officiis careremus, *Adipatæ dictionis*, & *Turpificati animi*, deſiderio æſtuaremus. Quare quamquam in hoc libro nonnulla vocabula ſunt, quæ fortaſſe non extant in aliis, non tamen efficitur neceſſario, illa non eſſe Ciceronis. Etenim fieri poteſt, ut alia ab ipſo tum D primum factitata, alia tum primum facta, alia vero cum aliis monumentis extincta ſint. Tantum autem abeſt, ut hac animadverſione libri hujus infringi, aut lædi auctoritas poſſit, ut nullum firmius argumentum afferri poſſe ad eam conſtituendam exiſtimem. Nam ſi quis eſſet, qui luculenta imitatione nobis imponere voluiſſet, nullum, niſi notum, Ciceronis vocabulum attuliſſet, niſi plane totius hujus artificii expers, atque ignarus fuiſſet. Quid autem ſi doceo, eorum aliquot etiam Ciceronis eſſe, quæ reſpuuntur? proferam, ſed permiſte, atque conſuſe; ne quis hoc hujus, illud illius eſſe poſſit arguere. Etenim *captivitatem*, dixit in illa nobili pro Cornelio, teſte E Aſconio: *Atque omnibus gentibus finem diuturnæ captivitatis, turpitudinis, & ſervitutis afferret*. *Confectricem*, alio loco, auctore Lactantio libro ſeptimo, capite ſecundo: *Nihil eſt, quod non ad interitum redigatur, vel injuria hominum, vel ipſa confectrice omnium vetuſtate.* *Filium perdidit* epiſtolarum libro quarto: *Cato ſumma virtute filium perdidit: Turpitudo pejor eſt dolore*, VIII. in Antonium: *Turpis fuga mortis omni eſt morte pejor*. *Suus* pro ejus à Cicerone uſurpatum eſſe, multis exemplis prolatis Budæus decreta Vallæ infirmans demonſtravit.

Adeo quod ab hoc dictum, qui arguunt, immerito ſane faciunt, quia *adeo ut*, dixit; verba ejus ſunt: ,, Erepti filii cogitatio adeo „ nobis grata eſt, quòd illum pene ante ocu„ los conſtituere videatur, ut etiam ſi dolo„ rem refricet, & lacrymas eliciat, tamen „ eam deponere nolimus. Filii cogitatio, inquit, grata eſt, quòd illum ante oculos conſtituat, grata adeo, ut eam deponere nolimus.

Qui vero: *Metellus, ne in legem pernicioſam juraret, in exilium abire coactus eſt*, monent, dici debuiſſe, *quòd in legem pernicioſam juraret*, plane ſe neque hiſtoriam intelligere, neque Ciceronis conſilium aſſequi, docent; neque enim Metellus in exilium ire coactus eſt, quia jurarit, ſed quia jurare noluerit; pro Sextio: *Unus in legem per vim latam jurare noluerat, ceſſit*.

Qui vero: *Dolorem cruciatum animi perpetuum* eo nomine damnant, quòd dolorem cruciatum æternum fecerit, ſane non attendunt, *Perpetuum* hic non eſſe æternum, ſed aſſiduum, continentem, non interruptum, non intermiſſum; ut perpetua oratio, perpetui montes, febris perpetua, & quinto epiſtolarum: *Qui à perpetuis ſuis hiſtoriis ea bella ſeparaverunt*.

Cum vero vitio vertunt, quòd dixerit: *Animum ſimul cum homine interire*, interpretantes animum ſimul cum animo mori, quòd homo ipſe ſit animus, argutius loquuntur aliquanto, quam verius. Etenim cum dicimus hominem mori, non ne intelligimus, mori partem ejus mortalem, nempe corpus? nimirum; ergo qui dicit, animum interire cum homine, inquit animum interire cum corpore. Siquidem dixit in prima Tuſculana: *Neque exceſſu vitæ ſic deleri hominem, ut funditus interiret*; & Plato in Phædone: *Num eodem die animus deletur, quo homo moritur?* Hic quis eſt tam agreſtis, indoctive ingenii, qui animum cum animo extingui interpretetur?

Quod autem injiciunt, ſe Latinitatis ſtudioſis illud judicandum relinquere: „ Lacænas „ mulieres traditum eſt, occiſis filiis vulnera „ inſpicere conſueviſſe, ac ſi adverſos vulne„ ratos eſſe comperiſſent, lætabundas funus „ ducere, eoſque in avita ſepulchra inferre „ ſolitas eſſe; contra vero, quos averſis vulne„ ribus conciſos agnoſcebant, ab iis refugien„ tes clam ſepeliendos curabant, ac *curaſſe* dici oportuiſſe ſignificant, quid aliud admonent, niſi, ut judicemus, an Cicero in primo de Oratore Latine dixerit: „ Dici memini lu„ dorum Romanorum diebus, L Craſſum quaſi „ colligendi ſui cauſſa ſe in Tuſculanum con„ tuliſſe; veniſſe eòdem Q. Mucius dicebatur, „ & M. Antonius; exierant autem cum ipſo „ Craſſo adoleſcentes C. Cotta, & P. Sulpi„ cius; ideſt *exiſſe autem*; & in tertio: „ Nam„ que latus tum ei condoluiſſe, ſudoremque „ multum conſequutum eſſe, audiebamus; ex „ quo cum cohorruiſſet, cum febri domum „ rediit, ideſt *rediiſſe*. Demetrii autem Phalerei præceptum eſt, afferre amplitudinem in figuris, ſi non in eodem caſu maneatur; idque probat exemplo Thucydidis.

Eodem modo cum hortantur, ut ab eo dicendi genere, tanquam impuro, abſtineamus: *De quo eſt apud Herodotum, illum Xerſi reſpondiſſe*, quid aliud hortantur, quàm, ut Ciceronem in Bruto impure loquutum eſſe, arbitremur? qui ſic dixit: *De quo ſit memoriæ proditum, eloquentem fuiſſe, & ita habitum eſſe, primus eſt Cethegus.*

Jam vero cum illud alterum, ut Cicerone
indignum notant, quòd duobus verſibus Apol-
linem repetierit, ſimul illud alterum notant,
quod in principio orationis pro Domo uno,
atque eodem bis rempublicam uſurparit: *Ut
ampliſſimi cives rempublicam bene gerendo, reli-
giones ſapienter interpretando rempublicam con-
ſervarent*; & pro Cluentio: *Locum à majori-
bus traditum ſic tuetur, ut majorum conſtantiam
aſſequatur*; & in prima epiſtola ſexti, quòd
intra octo verſus quater *etſi*, & *tamen* poſue-
rit; & quinta in eadem periodo bis *virtutem*.

Ad extremum pro inſigni quadam fœdio-
ris eloquentiæ labe afferunt, ipſum *Cum na-
tura*, & *Cum nullo* dixiſſe, idque ipſo invito,
ac repugnante Cicerone in Oratore ita ſcri-
bente: „ Quid illud non olet, unde ſit, quod
„ dicitur Cum illis, Cum autem nobis non
„ dicitur, ſed nobiſcum? quia ſi ita dicere-
„ tur, obſcœnius concurrerent litteræ, ut
“ etiam modo, niſi Autem, interpoſuiſſem,
„ concurriſſent; ex eo eſt mecum, & tecum,
„ non cum me, & cum te, ut eſſet ſimile
„ illis, Vobiſcum, atque Nobiſcum. Probe;
non nego; at ego idoneus ad nullam cauſſam
ſim, ſi huic tam gravi impreſſioni tam multas
ac tam magnas objicere moles, ac quaſi ma-
chinas, neſciam, ut ipſam aliqua ratione
avertam. Primum igitur dico, Ciceronem hoc
præcepto id videri tantummodo monuiſſe, ne
præpoſitionem *Cum* jungeremus cum vocibus
inchoantibus à *No*, ne forte videremur obſcœ-
ne dicere *Cunno*, atque hoc, quod dico, Quin-
tiliano interprete dico, qui ſic præcepit:
„ Junctura deformiter ſonat, ut ſi cum homi-
„ nibus notis loqui nos dicimus, niſi hoc ip-
„ ſum Hominibus, medium ſit, in præfata
„ videmur incidere, quia ultima prioris ſyl-
„ labæ littera, quæ exprimi niſi labiis coëun-
„ tibus non poteſt, aut interſiſtere nos inde-
„ centiſſime cogit, aut continuata cum ſe-
„ quente in natura ejus corrumpitur; & Pri-
ſciano, qui libro XII. ita ſcriptum reliquit:
„ Antiquiſſimi in plurali primæ perſonæ ca-
„ cephati cauſſa ſolebant per anaſtrophen di-
„ cere, nobiſcum pro cum nobis; itaque pro-
„ pter hoc reliquarum quoque perſonarum
„ ablativos ſimiliter præpoſtere proferre cœ-
„ perunt, teſte Plinio, qui hoc in ſecundo
„ ſermonis dubii oſtendit. Noluimus cum me
„ & cum te dicere, ne eidem computationi
„ adjungendum eſſet, cum nobis, ſed potius
„ mecum, & tecum, & ſecum, & nobiſcum
„ diximus cum præpoſitione, quæ facit ob-
„ ſcœnum, poſtpoſita. Antiqui tamen abſque
„ obſervatione naturali ordine hæc protuliſſe
„ inveniuntur. Quod ſi ita eſt, ſequitur, ut
recte *Cum natura* dicamus. Quod ſi vitioſum
ad eo Virgilius cenſuiſſet, profecto nunquam
Numerum cum navibus æquet, dixiſſet; nec ſo-
lum *Cum natura*, ſed etiam *Cum nullo*, quia
ſi ex his Cunna, & Cunnul fecerimus, nihil
turpe dicturi ſimus. Quare quod addunt, eo-
dem modo peccatum eſſe, cum dictum eſt:
Cum noſtro vulneri medeamur, *Cum neminem
ipſa morte commoveri debere, proditum ſit. Cum
nec ipſi quidquam acciderit mali. Cum nihil niſi
rectum cogitaret*, id totum, ut apparet, ut
longe diſſimile, ſic propterea ad explicandum
expeditiſſimum eſt. Etenim, ſi uſum quæri-
mus, Cicero ſic interdum loquutus eſt in iis
etiam libris, quos iſti hujus prorſus expertes
eſſe pravitatis affirmant; ut in Lælio: *Cum ne
id quidem adoleſcentes effugere poſſint*; & in ſe-
A cundo de Officiis, in veteribus Aldinis: *Præ-
ſertim cum nec neceſſitati ſubveniatur, nec di-
gnitas augeatur*; & in tertio de Legibus: *Cum
nullo magiſtratu juvante diem tolli, utile eſt*.
Quid quod poëtæ quoque, qui multo dili-
gentius aurium judicio ſtudent, quæque of-
fenſionem afferre poſſint, evitant, hoc vitium
non ſenſerunt, aut certe non declinarunt?
Etenim Pomponius apud Gellium libro x. ca-
pite XXIV. dixit: *Dies hic ſextus, cum nihil
egi*; & Plautus Captivis: *Hic eſt ille dies, cum
nulla vitæ meæ ſalus ſperabilis eſt*; & in Me-
nœchmis: *Vidi aſtare, cum negabas mihi eſſe
ſanum ſinciput*; & in Sticho: *Cum nihil quam-
obrem faciam, meruiſſe arbitrer*; & Terentius
B in Andria: *Cum nihil obſint doli*; & Horatius
in Sermonibus: *Cum nil procedere lintrem,
ſentimus*. Sin autem auctoritatem grammati-
corum veterum hoc præceptum interpretan-
tium intuemur, alienam prorſus eſſe notatio-
nem illam intelligemus. Qui vero ſunt iſti?
Victorinus, Vindex, & Valerianus; qui con-
ſtantiſſime in hunc modum ſcripſerunt: *Cum,
quando præpoſitio erit, per C. ſcribi debet, ut eſt
illud: Diviſum imperium cum Jove Cæſar ha-
bet; quando autem adverbium eſt, per Q. ſcri-
bendum; veteres enim Quum ſcribebant; ut eſt:
Quum navis ex Aſia venerit*; Ex quibus per-
ſpici poteſt: *Quum na*, *Quum ne*, *Quum ni*,
& *Quum no*, nihil offenſionis habere, ſi hanc
C vocem ita, ut oportet, & ſcripſeris, & edi-
deris. Quod ſi quis judex acrior his ſpretis
hunc ejuſmodi errato uſque adeo ſe irretiſſe
pugnarit, ut omnino ſe explicare non poſſit,
tum eò deſcendam, ut dicam, ipſum, cum
hæc ſcribebat, nondum eam partem Oratoris
compoſuiſſe, in qua hæc tam ſubtilia præce-
pta dabat, quia eodem anno, licet non iiſdem
fortaſſe Conſulibus, utrunque opus in manibus
habuit. Quod ſi illum adhuc ab abſolutione
averſum inveniam, demum ad excuſationem
confugiam, atque ipſum præ doloris magni-
tudine ſuorum præceptorum memoriam abje-
ciſſe, ſubjiciam. Si hæc idonea non videbun-
tur, ad extremum rogabo omnes, quorum
D ingenium ſtudio aliquo, atque doctrina excul-
tum eſt, ut ſi qua in hoc corpore ejuſmodi
vulnera cernant, eandem huic opem adhi-
beant, quam ceteris Ciceronis monumentis
docti viri jampridem adhibuerunt, in quibus
addendo, detrahendo, ac mutando & hæc,
& ejuſmodi alia vitia ſanaverunt.

Tranſeo nunc ad ea, quæ tanquam pa-
rum Latine dicta inſimulant; quo loco viden-
dum etiam, atque etiam cenſeo, quibus ter-
minis ipſius Latinitatis limites circumſcribant,
ne, dum Latinitatem tueri, ac conſtituere vo-
lunt, prorſus exterminent; num enim Latinus
Salluſtius, num Livius, Tranquillus, & Ta-
citus, aut his antiquiores Plautus, Terentius,
E Lucretius, & Varro? Atqui horum illi ver-
borum, quæ reprehenduntur, auctores ſunt.
Improbant enim quod de Pulvillo loquens di-
xit: *Inter ſolemnem verborum nuncupationem*,
& *Ne ſacra dirimeret*, non attendentes, utrun-
que dixiſſe Valerium libro quinto à Cicerone,
ut dixi, ex hoc libro deſumptum. Livium
autem libro octavo: *Sicut verbis nuncupavi pro
populo Romano Quiritium*; & ut Cicero *vota
nuncupare*, ſic Tacitum *votorum nuncupationem*
uſurpaviſſe. Valerius autem ratus, *Sacra diri-
mere*, quod legebat in Conſolatione, obſcurius
accidere mentibus noſtris poſſe, id declaravit,
inquiens: *Ne tanti templi dedicationem inter-*

rum-

rumperet, quòd ſciebat, *Dirimere*, eſſe interrumpere; quomodo dixit Cæſar, & Livius: *Noctem prælium diremiſſe*. Vituperant etiam: *Duodecimo fœtu* pro duodecim liberis; quod Ciceronis eſſe, apparet ex eo, quia Seneca in Conſolatione ejuſdem Corneliæ exemplum à Cicerone ſuſcipiens dixit, *duodecim fœtus*.

Faſtidiunt porro *Vagitum*, licet à Lucretio, & Virgilio uſurpatum, cum hic inquit: *In ærumnas, miſeriaſque ingredientes quid gratum, quid hilare aſpicimus? qua re potius non offendimur? quod primus ille naſcentium infantium vagitus, & ejulatus declarat*. Sed injuria. Etenim ſi vocem reſpuunt, reſpuunt quoque Plinium ita loquentem: *Natura hominem nudum, & in nuda humo natali die objicit ad vagitum ſtatim, & ploratum*; ſi ſententiam, etiam Æſchinem in Axiocho ſic ſcribentem: *Quæ vitæ pars non eſt plena moleſtiarum? non ne à primo ortu infans plorat, & à moleſtiis vitam auſpicatur?* Quanquam illud mihi quidem abſurdum videtur, Ciceronem grunnitum ſuis dixiſſe, vagitum pueri dicere nequiviſſe, aut nos eundem vagientem puerum in ſecundo de Finibus dicentem audire, vagitum pueri in Conſolatione prodentem ferre non poſſe. Ergo ſi vagitus à nobis abeſſe debent, quia à Tullio abſunt, ſimul etiam *ſcreatus, & tuſſis*, ut dixit Terentius, nobis non aderunt.

Pœnitendum porro cum rejiciunt, quid aliud faciunt, quàm Livium, Tranquillumque rejiciunt? quorum ille dixit in primo: *Sub haud pœnitendo magiſtro*; hic in Veſpaſiano: *Flavia gens reipublicæ haudquaquam pœnitenda*.

Jam *Detractorem* Tacitus dixit libro XI. *Nam ipſe haudquaquam ſui detractor*. *Lacedæmones* Vegetius libro tertio: *Athenienſes, Lacedæmones, & Macedonas rerum potitos*. *Imperitiam* Salluſtius in Jugurthino: *Jugurtha cognita vanitate, & imperitia legati*. *Immerentem* Terentius in Hecyra: *Inſcitum offerre injuriam tibi, immerenti iniquum eſt*; & Svetonius in Tito: *Eripi vitam ſibi immerenti*. Reliqua à quibus uſurpata ſint, Baſilius, & Robertus docebunt, quorum obſervationes huc transferre noſtri non fuit conſilii. Ex iis *Compago* eſt Livii, & Taciti. *Infeliciter* Terentii, & Livii; itaque ut Cicero alias dixit Miſer, & infelix, ſic hoc loco Miſere, & infeliciter. *Deſpondere animum* Plauti, Varronis, & Livii. *Indecens* Martialis, *Oſor* Plauti. Si porro Cicero *Lætabundum* alibi non dixit, at hujus generis alia dixit; ut in II. de Republica: *Cupido autem, & expetenti, & libidinoſo, & volutabundo in voluptatibus*; & Salluſtius Hiſtoriarum tertio apud Nonium: *Vitabundus claſſem hoſtium ad oppidum pervenit*. *Vitabundus*, inquit Nonius, ideſt vitans, ut hic *Lætabundus*, ideſt Lætans; & Livius ſæpe *Populabundus*, ideſt populans, ut inquit Gellius. Ab abſurdo autem *abſurditatem*, ut à ſurdo *ſurditatem*, ab inſulſo *inſulſitatem*, ab inſano *inſanitatem* deflexit; ut autem hic abſurdam opinionem, & abſurditatem Ægyptiorum beſtias conſecrantium dixit, ſic S. Auguſtinus de eadem re loquens lib. VII. cap. XXXIII. de civitate Dei hujus fortaſſe imitationem adhibuit. Ex quibus efficitur, puram illam, ac candidam Latinorum, quam quærunt, orationem ab hoc haudquaquam abeſſe.

Quærant alia argumenta, ſi qua poſſunt; neque enim his hoc opus Ciceronis non eſſe, aliquando poterunt extorquere. Quod ſi ne his quidem rationibus moti omnino, ut cœ-

A perunt, imitatorem hunc eſſe, & quidem noſtri temporis aliquem inſiſtent aſſerere, quæram primum de iſto tam præſtantis ingenii viro, ubi tandiu hominibus ignotus latuerit? cur tantam induſtriæ laudem, tantam virtutis indolem tandiu nobis inviderit? num ſemet perpetuo occultaturus, an aliquando tandem indicaturus ſit? Etenim ſi nomen ſuum æterno obrui ſilentio volet, ingentem ſperatæ ex labore ſuo gloriæ fructum, ac voluptatem amittet; ſi in tempore prodet, næ ille in magnum exiſtimationis diſcrimen incurret. Nam hi continuò tanquam victores incumbent, atque ipſum univerſa præmonſtrati argumenti gloria exuent; ego vero avidior Crantorem

B etiam, Xenocratem, Theophraſtum, alioſque ab eo prolatos philoſophos repetam, ac multorum ſimul exemplorum, dictorumque rationem repoſcam; quorum ſi locupletiſſima teſtimonia non ediderit, non dubitabo, ipſum judicio ſurreptæ Ciceroni Conſolationis arceſſere, atque ad eam in publicum edendam impenſe urgere. Inde ipſo ſtultitiæ ſimul, atque impudentiæ condemnato, ad iſtos, qui ſic loqui, ac ſcribere poſſe quemlibet hominem, jactant, iterum me convertam, eoſque orabo, primum, ut ipſi, quibus expedita adeo, ac facilis tota hæc ſcribendi ratio, fingendique videtur, vires aliquando ſuas experiantur, ingenium periclitentur, ſtudium adhibeant, be-

C ne de nobis mereri ne ulterius parcant; ſi tantum animi ſuppetit, Ciceronis nobis Hortenſium repræſentent, cujus argumentum, ſententias, ordinem, ac fragmenta eodem modo Sigonii Opera expoſita, & illuſtrata habent. Si totum reſtituere abnuunt, partem moliantur; ſi operis confectionem defugiunt, ſaltem aggrediantur, ſi negotium operoſum nimis, atque arduum ducunt, quod erit explicatius, tam multas labes, quibus adhuc ſcripta Tulliana commaculata ſunt, deleant, loca vacantia ſuppleant, quam laudem adhuc aſſequi tot viri ingenio, atque eruditione florentes non potuerunt, ipſi ſibi vindicent; tum demum periculo ſui facto intelligent, quanto procli-

D vius ſit præſtantia aliorum monumenta notare, quàm mediocria fingere. Si vero ab his refugerint, quòd hoc ſit vaticinari, non ſcribere, ad extremum majoribus eos precibus fatigabo, ut aut aliò ingenii ſui vim, atque induſtriæ conferant, aut ſaltem paulliſper animum ad divinas hujus libelli virtutes mecum recognoſcendas ſine præjudicio referant. Etenim ſi partes ſingulas nulla jam ſuffuſi malevolentia intuebuntur, tum denique ſumma, atque admirabilia bona, quibus ille eſt refertus, agnoſcent; primum quidem ſingularem veterum philoſophorum de luctu deponendo, & morte negligenda doctrinam, quæ à nullo, ut dixi, hujus ætatis homine potuiſſet exco-

E gitari, deinde infinitam priſcorum exemplorum in eam ſententiam copiam, quæ ne Cicero quidem tum quivit ſine alieno, & quidem diligentis hiſtorici præſidio perſcrutari, tum quæſtionem de immortalitate, ac divinitate animorum hic multo ab ipſo uberius, ac ſplendidius, quàm ullo in loco alio pertractatam. Nam quæ de hominibus, & virtutibus divino honore afficiendis ſcripta ſunt, ac magnificam illam, & prope divinam Tulliæ laudationem, ac conſecrationem nemo certe tam varie, tam erudite, ac tam diſerte complecti potuiſſet, niſi par ingenium, ſimile ſtudium, atque eandem doloris, atque acerbita-

tis

A tis in filiæ morte ſenſum adhibuiſſet. Quod ſi ab illis obtinuero, poſtremo eos, qui horum auctoritate adducti ab hujus adhuc libri lectione ſe averterunt, monebo, ne incommodis aliorum ſermonibus incitati ſalubrem hujus libri eloquentiam, doctrinamque faſtidiant, mulierum illarum exemplo, quæ fœcunditatis odio ſterilitatem præbibunt, ac fœtum ante necant, quàm in utero conceperunt, neque in hoc genere viatorum, ſed agricolarum ſtudium ſibi ad imitandum conſtituant; quorum illi quæcunque à terra ſumma varietate feruntur, inſpicientes inſignes præcipue arborum magnitudines, umbras, ac ſtirpium omnium flores, coloreſque mirantur, hi ſaniore B judicio nulla re alia, niſi ipſorum ubertate, ac pulchritudine fructuum capiuntur; illud in memoriam revocantes, quibus hic liber hodie doctorum virorum criminationibus agitatur, iiſdem nonnullos quoque eorum, quos ante dixi, ab eruditis hominibus fuiſſe conciſos, atque in odium & contemptum adductos; verum demum comperta veritate, rejectis illorum opinionibus ab omnibus pro ſinceris, & puris eſſe receptos, ac ſummo, ut nunc quoque, in pretio habitos, neque in hunc uſque diem deeſſe, qui Commentarios Cæſaris non ſolum belli civilis, ſed etiam, quod mirabilius eſt, Gallici Julii Cæſaris eſſe reclament, ac Julio cuidam Celſo attribuant. Quæ cum ita ſint, ſequitur, ut interim dum melius aliud afferatur, magnis gratiis eorum humanitati, atque induſtriæ actis, qui tantum nobis Conſolationis his, quibus minime ſperabamus, temporibus attulerunt, hic liber ab omnibus ultro in ſinu, oculiſque feratur, ideſt, ut magnus ille Imperator dixit:

Laudetur, placeat, vigeat, relegatur, ametur.

CAROLUS SIGONIUS
FRANCISCO VIANELLO
S.

Quod à me petiſti, ut judicium meum de libro Conſolationis edito ferrem, id, ut arbitror, cumulatiſſime præſtiti; neque enim ſolum expoſui, quæ me potiſſimum ad eam approbandam impulerint, ſed etiam, quæ me ab aliena non probanda ſententia deterruerint; reliquum eſt, ut & tu mihi perſolvas, quod litteris ad me vernacula lingua ſcriptis promiſiſti, te, unde hic liber erutus ſit, prolaturum, aut eum, à quo hæc accepiſti, cauſſam ſuam, quam indignè oppugnari conqueritur, ſuſcepturum, ac juſtæ meæ, omniumque cupiditati ſatisfacturum. Quod ſi evenerit, næ ille maximam ab omnibus gratiam, quantum aſſequi conjectura poſſum, inibit. Vale.

CARO-

CAROLI SIGONII ACCUSATOR, SEU DE CONSOLATIONE CICERONIS.

ACcuſator. Legiſti ne ſecundum meū de Conſolationis libello Judicium? *Defenſor*. Sane legi. *Acc.* Quid ais? non ne tibi ſatis diſerte videor priſtinum meum tibi, ceteriſque probaviſſe conſilium? *Def.* Quodnam? *Acc.* Qui librum hunc ediderunt, eos ſcriptum adulterinum, perinde ac teſtamenta teſtamentarii, ſubjeciſſe; qui vero illum confecit, plane inſulſum imitatorem, ac parum Latinum ſcriptorem, neque ullo modo aut ingenii, aut doctrinæ laude cum M. Tullio comparandum oratorem eſſe. *Def.* Aliis fortaſſe, mihi nequaquam. *Acc.* Quid? tu tuis rationibus haud ſatis occurſum exiſtimas, quibus tu illum eſſe Ciceronis aſſeruiſti, meque, qui id abnuerem, arguiſti? *Def.* Haud prorſus. *Acc.* Cur igitur ad mea hæc ultima non reſpondes, ac ſimul nonnulla ex prioribus argumentis, quæ tu in Orationibus tuis intacta præteriiſti, refutas? *Def.* Quia ab ejuſmodi officio præcipue propter nimiam hujus diſputationis, ut vere dicam, tenuitatem abhorreo; veruntamen, ſi me vis reſpondere, voluntati, ſtudioque tuo parebo. *Acc.* Atqui nihil mihi facere gratius potes; neque enim ego nomen tuum, cum ipſe meum ſuppreſſiſſes, enunciaſſem, niſi te hac ratione ad reſpondendum elicere, atque acuere voluiſſem. *Def.* Age igitur, ſi libet, expone brevi, quibus tu rationibus, & quaſi machinis illum in his Judiciis oppugnaris; ego enim contra, quæ ipſe aut pro eo attulerim, aut mihi afferri videantur poſſe, eadem brevitate ſubjiciam. Etenim ſi in iis rebus, quæ certiores ſunt, patimur, eruditos à nobis homines pro arbitrio diſſidere, in re tam cæca, atque obſcura, graviter te accepturum, mecum diſcrepare, non arbitror; præſertim vero cum ſola argumentorum contentione inter ſe facta futurum ſit, ut omnis error ex animis hominum evellatur, & veritas ipſa prodatur, quam non teſtimoniis, & auctoritatibus, ſed ipſa re, & ratione debemus exquirere. *Acc.* Faciam haud gravate, & quidem eo, quo in meis Judiciis inſtitui, ordine. Primum enim docebo, in principio ſententiam eſſe imperfectiorem, quam ut Ciceroni tribui debeat; deinde quæ in hoc libro vituperata eſt ſenectus, in Catone majore ſine ulla excuſatione laudatam; tertio loco adhibita multa eſſe in aliis etiam locis uſurpata, cum parva mutatione, & magna plerunque depravatione; quarto, inſerta eſſe fragmenta eodem ordine, quo à fragmentorum inveſtigatoribus edita ſunt, & interpoſita quædam, quæ non ſunt Ciceronis, & addita nonnulla, quæ rei veritati repugnant; quinto, quædam exempla clariſſimorum virorum aliter commemorata, quàm à Cicerone fuiſſe narrata videantur, & quædam prolata, quæ incertum

A eſt, an ab eo comprehenſa fuerint; ſexto, verba quædam minus eſſe Ciceroniána, alia minus proprie dicta, nonnulla etiam minus Latina. *Def.* Audivi; verum dic quæſo, quæ tua tandem fuit in his reprehenſionibus afferendis mens, quæ ſententia? *Acc.* Quippe ut docerem, ſi Cicero hic eſſet, eum neque hæc ſcripturum fuiſſe, neque hoc modo. *Def.* Etſi ea inter nos conjuncti vetuſtate ſumus, ut noſter amor nulla exhauriri opinionum diverſitate poſſit, tamen pace amicitiæ noſtræ, quam ad ſummum perductam perpetuam eſſe cupio, dixero, ejuſmodi iſta accuſationis ratio parum mihi afferre momenti videtur ad abrogandam huic commentario Ciceronianam

B auctoritatem. *Acc.* Et quonam tu modo hanc inſtitui oportere cenſere? *Def.* Non eſt, quòd ſus Minervam. Verum, ut mea fert opinio, quemadmodum ego ſcripſi, hunc librum Ciceronis videri, quæ omnes ſententiæ, fragmenta, exempla, verba, quæ Conſolationis olim fuiſſe conſtaret, in hoc ipſo admirabili quodam ordine, & ſingulari conſtantia legerentur, ſic tu oſtendere debuiſti, aut omnia, aut certe aliquid horum abeſſe, quæ aperte germani hujus libelli laudem, & gloriam continerent; quod tu nulla in parte animadverſionum tuarum feciſti, verum eorum exemplo, qui cum partum ſubdititium arguunt, nulla tamen deeſſe ſigna legitimi parentis

C oſtendunt, totum corpus relinquens, ac nævos tantum, atque crepundia intuens hoc pacto in tota actione tua ſcripſiſti. Si Cicero hic eſſet, hoc, aut illo modo ſcripſiſſet, aut non ſcripſiſſet. Quod quis affirmare pro certo poteſt, niſi is, qui aut plus, quàm ſatis ſit, conjecturæ ac judicio ſuo tribuat, aut cui Cicero in aures arcana ſua inſuſurrare conſilia ſoleat? Sed age, imperfectam iſtam tandem principii ſententiam explica; me enim poſthabitis aliis gravioribus curis attentiſſimum auditorem habebis, hac tamen lege, ut ſi tibi reſpondendo ad arbitrium ſatisfecero, ne me hoc nomine quaſi importune tuis laudibus obtrectantem, aut parum amici munere, officio-

D que fungentem accuſes. Quid enim ego aliud ago, quàm quòd te in ſcriptorem incognitum infeſtius invadentem, ac ſævum tui mucronem ingenii diſtringentem, quaſi intercurrens à conatu illo non omnibus fortaſſe probato deterreo, inquiens: Cave ne irruas, hominem ignoras, nobilis eſt, amicus eſt, valet ingenio, excellit doctrina, &, quod caput eſt, bonitate præſtat & innocentia? Quas voces quis erit unquam tam agreſtibus inſtitutis, ac moribus, qui aut improbare audeat, aut alienas à boni, atque amici hominis eſſe officio ducat? Quibus ſi ipſe mihi interdixeris, næ tu iniqua admodum conditione me obligabis, ut tu hunc librum me non probante integra amicitia Ciceroni poſſis detrahere, ego

vero te reluctante, niſi violato officio, nequeam conſervare. Verum aliquando aggredere.

Acc. Si Cicero tale principium Conſolationis ſuæ feciſſet: *Quanquam recentibus morbis medicinam adhibere vetant ſapientes*, profecto id poſtea in quarta Tuſculana ſignificaſſet, ut alias facere conſuevit. Nempe cum ſcripſit: *Quodque vetat Chryſippus, ad recentes quaſi tumores animi remedium adhibere*, ſine dubio ſcripſiſſet: *Quodque vetat Chryſippus, ut in Conſolationis principio ſcripſimus.* *Def.* Duas res oratione, ut video, tua complexus es, familiare Ciceronis in repetendis iiſdem ſententiis inſtitutum, & proprium ejuſdem in hoc principio inſtituendo conſilium. De quarum utraque quoniam ſuo cuique judicio eſt utendum, vix poſſum ſentire, quod tu ſentis. Nam quod ais, Ciceronem, quoties ſcriptoris alicujus uſurpatam alias à ſe ſententiam repetivit, toties ejus rei ſignificationem aliquam edere aſſueviſſe, nequeo tibi aliqua ratione concedere; neque enim is ejuſmodi ſignificationes præbere ſolitus fuit, quoties aliquam alicujus ſcriptoris ſententiam iteravit, ſed quoties aut totum libri argumentum, aut inſignem ejus diſputationis locum aliquem retractavit, ut multis ejus prolatis locis in Orationibus meis oſtendi. *Acc.* Ea vero tam multa neceſſaria non fuerunt, quia hoc præceptum non attuli, ut rem, quæ perpetuo ſervaretur, ſed ut veriſimilem, & quæ plerunque ita ſe haberet. *Def.* Ego vero dico, non ſolum non plerunque, ſed ne ſemel quidem obſervatam. Quod vero addis, Ciceronem in Tuſculana ita ſcripturum fuiſſe: *Quodque vetat Chryſippus, ut in Conſolationis principio ſcripſimus*, multo tibi minus aſſentior; quia in Conſolatione non nominarat Chryſippum, ſed ſapientes, quæ vox cadere poterat in alios etiam, quàm Chryſippum. *Acc.* In quos, ſi ſententia erat Chryſippi? *Def.* In Hippocratem, & Platonem, quos ante Chryſippum ejuſmodi ſententiam prodidiſſe, monſtravi. *Acc.* Cur non potuit dicere, illam ſententiam fuiſſe Chryſippi, etiam ſi in Conſolatione ſapientes nominarat? *Def.* Jam dixi, quia non ſolum Chryſippus ſapiens ita cenſuerat, ſed etiam Hippocrates, & Plato. *Acc.* At illud, *ut in principio Conſolationis ſcripſimus*, non referebam ad id, quod præceſſit, *vetant ſapientes*, ſed ad id, quod ſequitur, *recentibus morbis medicinam adhibere*. *Def.* Vide, quàm hoc facile recta adhibita diſtinctione poſſis. Nam cum dici debuiſſe moneas: *Quodque vetat Chryſippus, ut in Conſolationis principio ſcripſimus, ad recentes quaſi tumores animi remedium adhibere*, quo tandem modo referre potes, *ut in principio ſcripſimus*, alio, quam ad id, quod anteceſſit: *Quodque vetat Chryſippus?* quod reſpondet illi alteri, *vetant ſapientes?* *Acc.* Diſtingue quid, & quantum velis, non repugnabo; neque enim de hac re contendere volo; neque verò quid quam moleſtius tuli, quàm te à me in hac tota re diſſentire. Itaque ubi opinionem tuam perſpexi, vim ſæpe mihi attuli, an poſſem animo meo perſuadere, quod ipſe putares. cumque, quo magis cogitabam, eo magis mihi in priſtina mea ſententia permanendum eſſe intelligerem, tamen, vide quid hominis auctoritati tribuam, maluiſſem profecto, ut Cicero cum Platone, ſic ipſe tecum errare, quàm cum tam multis vera ſentire, meque tuis partibus aggregaſſem, ſi mihi licuiſſet à meo ipſius judicio jam edito recedere. Cui quando ipſe multas erroris tenebras duabus luculentiſſimis Orationibus objicere conatus es, quarum altera Conſolationem, de qua controverſamur, plus nimio laudas, atque in cœlum effers, altera in meis præcipue conjecturis refellendis verſatur, quoniam relinquere auctoritatem, ſequi rationem, neceſſe habeo, non, ut cum homine amiciſſimo, & quidem præſtantiſſimo contendam, ſed, ut veritatem defendam, quæ omni eſt hominum dignitati præferenda, cauſſam meam agam. *Def.* Magnas tibi profecto gratias habeo, quòd me tanto honore proſequeris, ut te judicium meum, ſi poſſes, libenter antelaturum fuiſſe tuo, profitearis; contra verò quantum ego ſemper ingenio tuo faverim, laudique ſtuduerim, tute ſcis. Laudo porro, quòd, me poſthabito, veritatem, qua nihil eſt ſpecioſius, arctius, tanquam filiolam, amplexeris; ſed quid in meis illis, quas luculentiſſimas vocas, Orationibus tandem fuit, quod judicii tui officere luminibus quiverit? quando enim alias luculenta, ideſt lucis plena, quæ eſſent, rebus ullis tenebras offuderunt? *Acc.* Cognoſces, ſi inſtitutam diſputationem attendes. *Def.* Perge igitur.

Acc. Si Cicero ſcripſiſſet: *Quanquam vetant ſapientes, recentibus morbis medicinam adhibere*, ſane rationem hujus ſententiæ reddidiſſet, quia repugnat vulgari illi alteri: *Principiis obſta, ſero medicina paratur*. Ariſtoteles autem in II. Rhet. inquit: *De controverſis, aut iis, quæ ſunt præter opinionem, non ſine epilogo uti ſententia oportet.* *Def.* Atqui hæc probabilis ſententia eſt; ſiquidem probabile dicitur, quod probatur aut omnibus, aut pleriſque, aut certe ſapientibus; ſapientes autem fuere Hippocrates, Plato, & Chryſippus; quare non eguit ratione. *Acc.* At multa probabilia ſunt, & tamen egent ratione, ut non poſſe mentiri quemquam, aut contradicere, neque de rebus duabus iiſdem contrarias orationes habere, quia id probabatur Antiſtheni, & omnia, quæ ſunt in hac rerum univerſitate, eſſe unum, quia probabatur Meliſſo, & alia ejuſmodi, quæ attuli, & tamen egebant ratione, ut crederentur. *Def.* Non eſt mea quidem ſententia. Hæc enim, & ejuſmodi alia, quæ protuliſti, theoremata, erant illa quidem improbabilia, antequam ſuis ab auctoribus probarentur, verum poſtquam confirmata fuerunt, probabilia evaſerunt. Itaque eis uti ſine ratione poſt licuit, quia à ſapientibus jam auctoritatem acceperant. Ut Paradoxa Stoicorum, antequam ab eis probarentur, fuêre incredibilia, ubi probata ſunt, credibilia eſſe cœperunt. Quare Cicero in Paradoxis tractans tanquam Stoicus Paradoxum illud: *Peccata hominum eſſe paria*, etiam ſubjecta ratione firmavit; *quia peccata*, inquit, *non eventis, ſed vitiis hominum metienda ſunt. In quo peccatur, id poteſt aliud alio majus eſſe, aut minus, ipſum illud peccatum, quoquo te verteris, unum eſt*; at in oratione pro Milone eo uſus eſt pro argumento probabili, neque ulla ratione munivit: *Cur de Africani morte quæſtio nulla lata? quia non alio facinore clari homines, alio obſcuri necantur.* Quod cum ſit falſum, tamen eſt probabile, quia Stoicis eſt probatum. Scimus autem, verum, & falſum vim ſuam ab ipſa rerum natura ſumere; Probabile autem, & Improbabile ab hominum,

ac

ac præſertim ſapientum opinione. *Acc.* Cum Ariſtoteles egit de addenda, & non addenda ſententiæ ratione, non intellexit, quod tu ſignificas, tum rationem reddendam, cum improbabilis eſſet, ſed tametſi probabiles exiſterent ſententiæ, eas tamen ratione muniendas, ſi controverſæ viderentur, aut præter opinionem. *Def.* Quæ tu vocas *præter opinionem*, ille Paradoxa vocavit; ſic enim ſubjecit: *Sententiæ ratione egentes ſunt, quæ aliquid Paradoxum dicunt.* Quid eſt autem παράδοξον, niſi improbabile, quia ἔνδοξον eſt probabile? quæ ille inter ſe ſic oppoſuit, ut Cicero incredibilia probabilibus reddidit. Hæc autem ſententia: *Recentibus morbis medicinam non eſſe adhibendam*, non eſt paradoxa, quia congruit cum ſententia ſapientum; quare non deſiderat rationem, &, ſi paradoxa eſſet, tamen probabilitatem ab auctoritate ſapientum, quos hic nominavit, acciperet. *Acc.* Non negavi, hanc propoſitionem probabilem eſſe, ſed dixi, adverſari ei alteri: *Principiis obſta, ſero medicina paratur.* *Def.* Atqui quo modo hæ inter ſe pugnare ſententiæ poſſunt, cum non ex eadem artium ambæ officina prodierint? Ariſtoteles enim ubi loquitur de ſententiis ratione aliqua fulciendis, ſententias eas intelligit, quæ γνῶμαι dicuntur, quas definit univerſalia pronunciata de iis rebus, quæ aguntur in vita, ideſt, de moralibus, non de iis, quæ tractantur in artibus. Itaque, neque ſuperiora theoremata Antiſthenis, & aliorum philoſophorum à te prolata ejuſmodi ſententiæ ſunt, quia de Phyſicis ferme, non de Ethicis derivata ſunt, neque Aphoriſmi Hippocratis eodem modo, quia è media medicina petiti ſunt. Quare *remedium non eſſe morbis recentibus admovendum*, cùm ex Aphoriſmis ductum ſit, proprie ſententiæ hujuſmodi nomine decorari non poteſt. *Principiis* autem *obſta*, cum tota moralis ſit, poteſt; valet enim ad omnia, ſi principiis eorum obſtiterimus, incommoda propulſanda; nam ibi medicinæ nomen tranſlate pro quocumque remedio, aut mali ſubſidio ponitur. Quis enim hanc ſententiam cudit? antiquus Medicus? minime verò. Ovidius poeta, minor multo natu, quàm Cicero, ita ut ipſe ejus ſententiæ compos eſſe nequiverit, quorſum? ut obviam eundum eſſe Amoris principio declararet; quod præceptum aliis etiam verbis aliunde, quàm à medicina, per ſimilitudinem promptis expreſſit, hoc modo.

Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine ſiſte pedem.

Item:

Opprime, dum nova ſunt ſubiti mala ſemina morbi,
Et tuus incipiens ire reſiſtat equus.

Demum:

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

Morbum ſcilicet appellavit non corporis, ſed animi, nempe, ut Cicero dixit in Tuſc. quarta, ipſius Amoris inſaniam. Qui verò morbi in principiis coercendi ſint, & quomodo, Medici ipſi docebunt, qui multa, ut tu præclare dixiſti, ut morborum, ſic medicinæ genera ſtatuerunt. Hoc enim ego tantum nunc ago, ut doceam, has propoſitiones aut non ejuſdem generis eſſe, aut ſi ſint, inter ſe non niſi in ſpeciem diſcrepare. Quo conſtituto efficitur, ut una alteram haud redigat controverſam, & propterea prior illa ne hac quidem de cauſſa fuerit aliqua ratione corroboranda. *Acc.* At Cicero in quarta Tuſc. nonnullam Chryſippeæ ſententiæ rationem ſignificavit, inquiens: *Quod vetat Chryſippus, ad recentes quaſi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus, naturæque vim attulimus.* *Def.* Cave ita exiſtimes, neque enim hoc *Naturæ vim attulimus*, eſt ratio, ſed declaratio ejus, quod dixit: *Id nos fecimus*, nempe Naturæ vim afferendo, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet. *Acc.* Item Hippocrates, & Plato rationem aliquam attulerunt. *Def.* Si rationem Hippocrates reddidit, officio ſuo functus eſt, nempe Medici, & quidem cum de medicina præciperet; at Orator, qui propoſitionem illam per ſimilitudinem adhibet, quoniam accepit ut probatam, propterea non tenetur ejus ſubjicere rationem, ut Medicus. Quòd ſi Plato rationem aliquam tibi viſus eſt attuliſſe, pro arbitrio, & diſputationis ſuæ commodo fecit; neque enim ille ſapientum, ut hic, nomen, auctoritatemque prætendit; quid plura? ſi ille rationem protulit, tanto illam probabiliorem effecit, ut huic poſt ſatis fuerit dicere: *Vetant ſapientes*; quemadmodum, cum in primo de Divinatione dixit: *A natura Deorum, ut doctiſſimis, ſapientiſſimiſque placuit, hauſtos animos, & delibatos habemus*; neque enim rationem hujus ſententiæ tam admirabilis attulit, quòd ſatis ſapientum, ideſt Socratis, auctoritate probatam eſſe putaret, præclare. *Tantis* enim, inquit hic, *ducibus aberrare non poſſumus, nec à nobis, ſed ab illis ipſis, quos ſequimur, rei ratio repoſcetur.* Plutarchus autem, & Seneca, qui eandem, ut dixi, ſententiam in ſuarum Conſolationum principium contulerunt, nulla parte te adjuvant; nam ille, ut hic, peritiſſimos Medicos nominavit; Seneca verò, aut ſi quis eſt alius, ſi modo rationem ullam ejus ſignificavit, jure quodammodo fecit, quia ſapientum teſtimonio abſtinuit. *Acc.* Procedo longius, ac dico, hanc propoſitionem neque probabilem eſſe, neque veram, neque Hippocratis, neque Platonis, neque Chryſippi ſatis auctoritate firmatam. *Def.* Memento, te paullo ante dixiſſe: Non negavi hanc propoſitionem probabilem eſſe. Sed age, cur non eſt vera? *Acc.* Quia tres ſunt medicinæ partes, quarum prima victus ratione, altera manu, tertia pharmacis medetur; itaque falſum eſt illud, ut generatim dicatur, recentibus morbis medicinam non eſſe adhibendam, ſi non tertiam, aut ſecundam, at ſaltem primam. *Def.* Hæc ſcilicet Medicus curat; Orator verò de exacta veritate hujus propoſitionis non laborat, neque quemadmodum intelligenda ſit, quærit; ſatiſque habet ſcire, ita ſapientibus placuiſſe. Itaque non erat, quòd tu propterea conſuleres Medicos; neque enim hic dixit: *Quanquam recentibus morbis medicina non eſt adhibenda*, ſed, *Quanquam vetant ſapientes, recentibus morbis medicinam adhibere.* Quomodo verò intelligenda ſit, ſi quis ſcire avebit, Medicos ipſos, ut te quoque video feciſſe, adibit. Quamobrem fixum manet illud, quemadmodum ille hic dixit: *Quanquam vetant ſapientes, recentibus morbis medicinam adhibere, conemur tamen, ſi qua ratione poſſumus, mederi nobismetipſis*, ſic poſtea in Tuſculana repetiiſſe, ſe, quod vetaret Chryſippus, recentibus tumoribus animi remedium admoviſſe, & ſe ipſum, quantum potuit, conſolatum eſſe, &

ut

ut in Conſolatione dixerat: *Nos autem dolore afflicti conſolationem à nobis petentes noſmetipſos in dolore vincemus, ac naturæ quandam quaſi vim afferemus*, ſic poſt in Tuſculana: *Id nos fecimus, naturæque vim attulimus, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet*. Verum veniamus ad Senectutem.

Acc. Si Cicero hunc librum ſcripſiſſet, & ſenectutem, ut hic fecit, vituperaſſet, ea de re poſt in Catone ſe excuſaviſſet, ubi ipſam ſenectutem à quatuor illis accuſationibus defendit, quòd avocet à rebus gerendis, quòd corpus faciat infirmum, quòd privet omnibus voluptatibus, quòd haud procul abſit à morte. *Def.* Ain tandem? Hoc Cicero facere potuit in Catone? Non ne memoria tenes, qui ſenectutem ab illis quatuor vitiis vindicavit, non Ciceronem eſſe, ſed Catonem, centum ante annos natum, quàm Ciceronem? *Acc.* Ohe, deſinat amicus cavillari; eſſet meum caput tota dignum Anticyra, ſi id fieri potuiſſe in dialogo exiſtimarem. Intelligo, Ciceronem hanc excuſationem adhibere in proœmio, ubi ex perſona ſua loquitur, potuiſſe, ut fecit in proœmio de Oratore, quòd Rhetoricos libros rudes, atque agreſtes edidiſſet. *Def.* Omitte, quæſo, cavillationes iſtas, & ſcenam. Illud verò etiam, atque etiam attende, ne iſtud quidem, quod ais, ipſum efficere in proœmio potuiſſe; neque enim ille dedita opera, primum vituperationem ſenectutis, deinde laudationem conſcripſit, ut in proœmio ſe purgare debuerit, quòd, ut in illis, librum libro, argumentum argumento objecerit, quemadmodum fecit, cum Gabinium aliàs à ſe oppugnatum defendit, ſed in Conſolatione inter ærumnas humanas obiter etiam ſenectutis incommoda retulit, in Catone verò de induſtria ſenectutem per Catonem à quatuor illis vulgatis criminibus liberavit. Quæ ſi, ut tu ſignificas, in proœmio attingere voluiſſet, ne ille prorſus argumentum ſequenti Catonis diſputationi præripuiſſet. Quis autem adeo imperitus orator fuit, ut in exordio argumenta futuræ confirmationis oſtenderit? Quòd ſi præceptum iſtud perpetuo cuſtodiendum eſſet, etiam in proœmio Paradoxorum rationem adhibere aliquam debuiſſet, cur demum ſpinoſam illam Stoicorum diſciplinam probaret, quam in defenſione Murenæ Conſul egregie deriſiſſet. Adde, quòd illa excuſatio non fuit neceſſaria, quia accuſatio, quæ adhibetur in Conſolatione, non repugnavit defenſioni, quæ poſt ſuſcepta eſt in Catone. *Acc.* Atqui hoc falſum eſſe, multis prolatis utrinque ſententiis declarabo. *Def.* Libenter audiam. *Acc.* Non ne hic dicitur ſenectutem languoris eſſe pleniſſimam, ibi verò ſenectutem fortunatam, quòd à voluptatibus abſit? *Def.* Sane, verum cave putes, hæc eſſe contraria, quia idem poteſt ſimul & languere, & voluptate carere. *Acc.* Non ne hic dicitur, ſenes corpus habere infirmum, ibi verò ſenes miſeros non eſſe, ſi vires adoleſcentum non habeant? *Def.* Ne hæc quidem inter ſe diſcrepant; quis enim non intelligit, eundem ſimul & imbecillo corpore eſſe poſſe, & vires adoleſcentis non habere? *Acc.* Non ne item hîc dicitur, ſenem eſſe aut morientem vivum, aut viventem mortuum, ibi verò miſeros non eſſe ſenes, quòd non procul abſint à morte? & ſenem dolere, quòd quæ optime intelligat, perficere nequeat, atque eundem vires non deſiderare, quia res ſuas non corporis, ſed

A animi viribus adminiſtret? *Def.* Multo minus hæc inter ſe pugnant, quia ſimul in eundem cadere omnia poſſunt. *Acc.* At quo tu tandem modo probabis, Ciceronem in Conſolatione ſua tanta ſenectutis incommoda perſecutum, cum id haud aliunde appareat, & Plinius cum ceteras ætates ærumnoſas afferret, unam tamen hanc ſenilem omiſerit? *Def.* Ergo niſi probavero ſingula, quæ ſunt in hoc libro, fuiſſe in Conſolatione Ciceronis, cauſſa cecidero? ſi probaro, tum demum ineptæ reus imitationis ero? non ne ſatis id tibi argumenti videtur, quòd Plato in Axiocho, cum item de contemnenda morte diſſereret, ætatum, ut hîc, ſingularum miſerias perſequens, ſummas B ipſius quoque ingraveſcentis ærumnas expoſui? quòd Plinius a te prolatus fortaſſe non fecit, quia in re clariſſima ſibi non eſſe laborandum exiſtimavit, cui enim non notæ hujus ætatis calamitates ſunt, quæ morbus, & quidem perpetuus, atque inſanabilis dicitur? Sed expone deinceps, quæ tu tertio loco propoſuiſti, eum verò de repetitione arbitror eſſe.

Acc. Si Cicero hunc librum confeciſſet, nunquam eaſdem ex aliis libris ſuis hiſtorias, fabulas, verſus, & ſententias paullulum immutatas, & depravatas plerunque, repetiviſſet. *Def.* Huic quæſtioni ſatisfacere, ut ſcripſi, cumulate non poſſum, niſi duo mihi maxime neceſſaria præſidia comparem, unum, C ejuſmodi repetitiones in vitio ponendas non eſſe; alterum, ſi vitioſæ ſint, huic tamen libro fidem non abrogare, quòd à Cicerone ſint in aliis etiam commentariis uſurpatæ. Quam rationem poſt ad alia etiam defendenda, in quibus tu offenderis, adhibebo, ut Ciceronem iiſdem, quæ tu infers, criminibus ſe obſtrinxiſſe in aliis quoque ſuis monumentis oſtendam, atque id valere præcipue ad partum hunc legitimum oſtendendum exiſtimem. Etenim ſi quis aliquem alicujus filium eſſe iccirco abnueret, quòd pater integer eſſet, filius autem fortaſſe aut pedum, aut oculorum vitio laboraret, ego, ſi ad me ejuſmodi cauſſa delata eſſet, cum alia, tum hoc in D primis afferrem, eundem patrem alios quoque ejuſmodi aut claudos, aut luſcioſos liberos ſuſcepiſſe, meque putarem præclare operam meam navaſſe. Itaque his quaſi fundamentis jactis venio ad rem. Tu Ciceronem repetiiſſe inquis. Hic primo arrepto telo, dico, ſi repetiit, pro ſuo jure fecit. Etenim ſi aliena nobis adhibere conceditur, quia, ut dixit Epicurus, quidquid ab ullo dictum eſt, non alienum, ſed noſtrum eſt, quanto magis noſtra? & præſertim philoſophis, de quibus ſic Cicero in Tuſculana V. *Philoſophi quæcunque rem habent in manibus, in eam, quæ conveniunt congerunt omnia, etſi alio loco diſputata ſunt*. Quod autem is docuit, id etiam obſer- E vavit, quemadmodum ego multis commemoratis locis oſtendi. *Acc.* Atqui non fuit illis tam multis opus, neque enim ego hoc negavi, ſed tantum objeci, multa fuiſſe leviter immutata. *Def.* Quid? non ne ego quoque docui, eundem aliis quoque in libris leviter commutata multa repetiiſſe, &, cum idem argumentum extiterit Conſolationis, & Tuſculanæ, recte eadem utrobique, vel paullulum variata tractaſſe? *Acc.* Concedo iſta; ſed in Conſolatione dico multa eſſe depravata. *Def.* Expone iſta. *Acc.* Ordiar ab hiſtoriis; in Tuſculana dixit, Decium patrem pugnaſſe cum Latinis, filium cum Etruſcis, nepo-

nepotem cum Pyrrho, in Conſolatione vero ſcriptum eſt, Decios pugnaſſe cum Latinis, cum pater tantummodum decertarit. *Def.* Sic alibi quoque loquutus eſt, ut docui, Cicero, ut cum de Deciorum patris, & filii devotione diſſereret, Latinos tantummodo memorarit; at in Tuſculana, ubi tres devotiones patris, filii, & nepotis expreſſit, tria etiam nomina hoſtium protulit, Latinorum, Etruſcorum, & Pyrrhi; cum tamen commodius pro Etruſcis Gallos reponere potuiſſet, quòd Decius filius cum ſolis Gallis, Livio teſte, conflixerit. *Acc.* Licet cum ſolis Gallis certatum ſit, tamen quoniam in Etruria res geſta eſt, cum Etruſcis pugnatum dici poteſt. *Def.* Scite; ergo quoniam Cæſar pugnavit cum Pompejo in Macedonia, pugnavit cum Macedonibus. Sumo nunc ſecundum telum, ac dico, non procedere. Hic liber mendoſam aliquam habet hiſtoriam, ergo non eſt Ciceronis; quia nullus eſt ferme liber Ciceronis, in quo non ejuſmodi aliquid hæreat labis. *Acc.* At hic liber non unam continet vitioſam hiſtoriam, ſed multas. Scipionem enim dixit occubuiſſe in Hiſpania, cum Scipiones dicere debuiſſet, quia duo fuerunt. *Def.* Quis non videt, id aut librarii vitio, aut pro Ciceronis arbitrio factum? neque enim quia Scipionem dixit, alterum excluſit. *Acc.* Gracchum etiam præteriit, quem poſt in Tuſculana repoſuit. *Def.* Fortem virum in uno libro præterire, in altero nominare, non eſt mendoſam hiſtoriam adhibere; nam idem Cicero, ut dixi, modo duos Decios, modo tres ſeſe pro patria devoviſſe, notavit. Quod ſi tu hunc ſcribentem audire non potes, quo tandem modo Livium æquo legere animo potes? qui libro XXXIV. L. Valerium trib. pl. ſic contra Catonem conſulem loquentem induxit, ut ſe Origines ejus adverſus eum revoluturum eſſe denunciarit; quas conſtat Catonem non ſolum ante conſulatum non confeciſſe, ſed vix poſt annos XL. ideſt extrema jam ætate inſtituiſſe; quod & Probus in Vita prodidit, & ipſe apud Ciceronem de ſe paucis ante mortem diebus teſtatus eſt, inquiens: *Septimus mihi Originum liber eſt in manibus*. Quod vitium ſi imitator hic concepiſſet, quas tu bone Deus ſtrages hujus libelli etiam me probante feciſſes? Verum veniamus ad fabulas.

Acc. Fabulam Sileni deterius retulit in Conſolatione, quàm in Tuſculana. *Def.* Cur tandem? *Acc.* Quia in Conſolatione ſcripſit: *Sileni, quæ fertur fabula, idem certe confirmat*; at in Tuſculana: *Fertur etiam de Sileno fabella quædam*; hoc autem eſt numeroſius, & elegantius, quia incipit à pæane, & nitidior eſt fabella, quàm fabula; item in Conſolatione dixit: *Qui captus à Mida*; in Tuſculana vero: *Qui cum eſſet captus à Mida*; item ibi: *Miſſionem doctrina redemit, docuit autem regem*. Hic vero: *Hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe dicitur, docuiſſe regem*. Frigidum illud Conſolationis, quia omittitur *Hoc muneris*, ideſt hoc munus; quod magnam habet elegantiam. Item ibi: *Nunquam naſci optimum eſſe, ſed celeritatem mortis proxime accedere*. Hic: *Non naſci homini longe optimum eſſe, proximum autem quamprimum mori*. *Def.* Vere dicam; putavi à principio, te portenta aliqua poëticæ, atque æloquentiæ prodituturum. Hæc tu igitur aut prava, aut depravata appellas? atque hoc nomine hunc ſcriptorem ex finibus Latinorum exterminas? *Acc.* Quid ni?

A Dixit enim *Miſſionem doctrina redemit*, pro doctione. *Def.* Atqui neque illa, neque hoc ejuſmodi ſunt, ut quenquam de recta debeant ſententia dimovere. Etenim non ne Cicero etiam *Doctrinam* uſurpavit pro *doctione*? ut de off. primo: *Medicina, architectura, doctrina rerum honeſtarum ſunt iis, quorum ordini conveniunt, honeſtæ*; & primo de Oratore: *Jus civile ſummatim percipi ſine doctrina poteſt*. Verum deinceps alias perſequere fabulas. *Acc.* Exiſtimo item illud melius dictum in Tuſculana: *Simile eſt quiddam in Conſolatione Crantoris; ait enim Terinæum quendam Elyſium, cum graviter filii mortem mæreret, veniſſe in Pſychomantium quærentem, quæ fuiſſet tantæ calamitatis cauſſa; huic in tabellis tres* B *hujuſmodi verſiculos datos:*

Ignaris homines in vita mentibus errant,
Euthynous potitur fatorum munere letho.
Sic fuit utilius finire ipſique tibique.

In Conſolatione vero deterius: *Sed Crantor noſter patri filii mortem ægerrime ferenti reſponſum ait datum eſſe in Pſychomantio, filio ſuo bene, beateque eſſe, utiliuſque futurum fuiſſe, ſi etiam pater pari ratione fatis conceſſiſſet*. *Def.* Num vero hoc tibi videtur deterius, an potius ut brevius, ſic quodammodo etiam elegantius? *Acc.* O mirum ingenium, ac vero C oratorium, quod etiam humilia extollit! An vero quiſquam erit alius præter te, quem magis ex ingenio, quàm ex ſententia loqui arbitror, qui dicat hoc, quàm illud elegantius eſſe? brevius quidem hoc, ſed non elegantius, ubi etiam de Latinitate, ne dum elegantia dubitatur, illud vero illuſtrius, dilucidius, ſuavius. *Def.* Noli quæſo rhetorum, ideſt noſtra, myſteria aperire, aut me ipſum nimis laudando corrumpere. Ego vero, etſi de re levi hæc eſt diſſenſio, tamen, ut tibi obſequar, quæro, quid tu nomines elegans? ſane, ut expoſuiſti, illuſtre, dilucidum, ſuave; & quidem elegantiam rhetores nominant, cum latine, & plane dicimus; latine, ideſt D emendate; plane, ideſt dilucide, atque aperte; quod verbis præcipue conſequimur uſitatis, & propriis. Cur autem elegantior eſt fabella, quàm fabula? nitidior eſt, inquis; at non quæ nitidiora, ſed quæ uſitatoria, ea quoque elegantiæ pleniora; cur item ſuavius *Hoc ei muneris pro ſua miſſione dedit*, quàm, *Miſſionem doctrina redemit*? Cur porro dilucidior eſt ille verſus:

Euthynous potitur fatorum munere letho.

in quo ignorata diſtinctione longe quidam à ſententia diſceſſerunt, quàm hoc: *filio ſuo bene, beateque eſſe*? Cur denique illuſtrior, qui E ſequitur:

Sic fuit utilius finiri ipſique tibique.

quàm hoc *Utiliuſque futurum fuiſſe, ſi etiam pater pari ratione fatis conceſſiſſet*? *Acc.* At parum Latine locutus eſt; dixit enim *filio ſuo* pro ejus. *Def.* Quæſtio eſt hæc ſatis inter grammaticos agitata; verum ego unum tantum adverſus te revolvam exemplum Ciceronis ad Atticum: *Conſules flagrant infamia, quòd C. Memmius candidatus pactionem in Senatu recitavit, quam ipſe ſuus competitor Domitius cum conſulibus feciſſet*. Etenim ſi tu ibi expo-

exponis *ſuus*, ideſt proprius ſui ipſius C. Memmii competitor, cur non item hìc potes interpretari, *filio ſuo bene beateque eſſe*, *ſuo*, ideſt proprio ſui ipſius patris? ſed tranſeamus ad verſus.

Acc. Verſus quoque eoſdem ex libris ſuis aliis repetivit. *Def.* Quid? non ne id in aliis quoque libris fecit? *Acc.* Verſus quidem adhibuit, ſed non mutavit; nam cum ſcriptum eſſet in Tuſculana: *Priamo vi vitam evitari*, hìc ſcripſit *Auferri*. *Def.* Immo vero idem quoque & ſuos, & alienos leviter, ut dixi, alias immutavit. *Acc.* Mutavit ille quidem, ſed non depravavit; nam depravatum eſt *Auferri* pro *evitari*. *Def.* In quo tandem hæret hoc vitium, in ſignificatione, an in uſu? ſane dices in neutro; etenim *Auferri* uſitatiſſimum eſt, *evitari* pro eripi alias nunquam auditum. *Acc.* Antiquitatem redolet quandam. *Def.* Afferendus eſt antiquorum uſus, ut odorem hunc hauriam. Vides ne quàm repente magna illa depravatio à te tantopere exprobrata diffluxerit?

Age nunc, expone ſententias, quas corruptas inſimulas. Nullam affers. Ego etiam unam emendatius ex Apologia Socratis expreſſam in Conſolatione, quàm in Tuſculana, cujus cauſſa tu prorſus hanc Conſolationem explodis; ſic ſcriptum eſt in Conſolatione: *Quòd ſi morte ſenſus extinguitur*, &c. *Sin migrationem eſſe volumus in eas oras*, &c. In Tuſculana vero: *Quòd ſive morte ſenſus extinguitur*, &c. *Sin vera ſunt quæ dicuntur*. Quis enim Latine dixit unquam, *Sive*, *Sin*, quis contra non dixit, ut hic, *Si*, *Sin*, Quod cum ita ſit, quid eſt quod huic commentario tam acriter oblatremus? *Acc.* Excuſandus eſt Cicero, non culpandus; nam apud Platonem εἴτε ſignificat Sive; & Plato cum poſt, *ſive morte ſenſus extinguitur*, multa interjeciſſet, quaſi oblitus ſui intulit *Sin*. cum alterum *Sive* deberet inferre. *Def.* Eadem eſt ratio in Cicerone, qui Platonis locum convertit, ſed correctius in hoc, quàm in illo libro expreſſit. *Acc.* Si hoc non placet, dic librarii vitium extitiſſe, atque in utroque membro legendum eſſe aut *Sive*, *Sive*, aut *Si*, *Sin*; & noli imitatorem Ciceroni in linguæ candore præferre, cui ne dignus quidem foret, qui matellam porrigeret. *Def.* Ejuſmodi ingenii illud quoque in primo Judicio, hunc ad cunnum nitum hominem eſſe. Sed tu, qui librarii in Tuſculana mendum agnoſcis, cur non idem aliquando in hac quoque Conſolatione ignoſcis? *Acc.* Nos autem ſi vera, & probabilia afferimus, cur dicimur oblatrare? non enim latramus, quia nondum furem vidimus. *Def.* Quid? an tu Livianam verbi hujus tralationem nobilem non agnoſcis, qua Catonem dixit Africani magnitudinem allatraſſe? an te majore Scipione majorem fingis? nam ſi deſpecto Livio ſimilitudinem quæris, quid poteſt eſſe ſimilius? ut enim canes allatrant ignotos, ſic tu ſcriptorem incognitum arguis, ut illi reclamant furibus, ſic tu imitatori, ideſt furi alienæ, ut vis, induſtriæ maledicis; ſin autem hoc reſponſo facetus eſſe voluiſti, næ tu incaſſum feciſti, quia riſum ex alieno, & quidem notiſſimo joco quæſiſti.

Acc. Si Cicero eſſet, non Muretum in orationibus expreſſiſſet. *Def.* Haudquaquam faciam, quod ante feci, ut Ciceronem à mortuis excitem, qui te acrius hæc dicentem objurget, ac Muretum à ſe ſumpſiſſe oſtendat,

A nam video te graviter illud tuliſſe, verum ut Cleanthes quondam à magiſtro ſuo defeciſſe condiſcipulum audiens, terra pede percuſſa dicam:

Audis ne hæc Amphiarae ſub terram abdite?

Sed veniamus ad quartam quæſtionem, quæ propoſita eſt, de fragmentis.

Acc. Si Cicero hic eſſet, haudquaquam fragmenta hujus libri eo, quo digeſſit Sigonius, ordine collocaſſet; neque enim Ciceronis diſpoſitionem divinare Sigonius potuit. *Def.* Adhuc cauſſam alienam defendi, quoad potui; nunc mea mihi erit tuenda; quæ ut B ſentio, non aperte, ſed occulte quaſi quibuſdam cuniculis oppugnatur. Sigonium divinare potuiſſe negas; ſcilicet reconditum tu aliquid attuliſti; ne ipſe quidem tale de ſe aliquid profitetur; neque enim ſe divinaſſe ait, ſed ratione duce verum quædam quaſi per veſtigia conjeciſſe. Cum enim ex fragmentis Conſolationis videret, quattuor ibi quæſtiones eſſe tractatas, miſeriarum humanarum querelam, mortis deſpicientiam, animorum immortalitatem, & filiæ conſecrationem, cumque in principio ærumnas deploratas, in extremo filiam conſecratam eſſe perſpiceret, haud ægre intellexit, tractationi immortalitatis orationem de conſecratione continentem C fuiſſe; neque enim niſi poſita immortalitate conſecratio ipſa poteſt exiſtere; quo facto neceſſario conſequi vidit, diſputationem de morte ſecundum locum obtinuiſſe. Hæc Sigonii quondam divinatio fuit, quam unuſquiſque aſſequi ſine ulla Apollinis ope poteſt. Huic certe hic, quicunque fuerit, ſcriptor prorſus ſic aſſenſit, ut dixerit: *Si mors à miſeriis abſtrahit, ſi in meliorem vitam inducit, ſi neque miſera ipſa eſt, nec ullius particeps miſeriæ, cur mala cenſeatur? Sin hoc largitur, ut ſempiternis bonis potiamur, vitamque, quam mortalem habuimus, æternam adipiſcamur, quid morte beatius eſſe poſſit?* *Acc.* At quemadmodum Sigonius tunc, ut fragmenta ordinem aliquem D haberent, ea ex ingenio ordinavit, non ita tamen, ut jurare merito poſſet, nullum alium revera ordinem, quemadmodum nonnulli illius ſectatores aſſeverant, nec ſervatum eſſe, nec ſervari potuiſſe, ſi ego nunc, ut libere dicam, quod ſentio, non minus ejuſmodi ordinem, quàm iſtam Conſolationem ſuſpectam habeo. Itaque ego profecto hunc ordinem ſervaſſem in ipſis Conſolationis fragmentis ordinandis, atque ſi in fingenda ejuſmodi Conſolatione me exercuiſſem, eundem ex præſcripto Ciceronis retinuiſſem, ac primum de immortalitate animorum, deinde de miſeriis hominum, poſtremo de conſecratione filiæ diſputaſſem. *Def.* At quomodo ad hanc tu E potuiſti opinionem delabi, cum deploratio miſeriarum ex eo Crantoris loco accepta ſit, ubi homines luendorum ſcelerum cauſſa natos ſignificavit. Lactantius autem auctor ſit, Ciceronem in principio Conſolationis illam ſententiam uſurpaſſe? aut quomodo potes te aliter hoc tempore facturum fuiſſe, jactare, cum alias in commentario tuo de hiſtoria ſcriptum ita reliqueris? *Cicero in Conſolatione miſeriis hominum deploratis leviſſime omnia eſſe ferenda oſtendit, ac de æternitate animorum, ac de filia inter Deos conſecranda diſputavit*; ita ut ordinem ipſum Sigonianum ex omni parte probaris? Sed fac, Ciceronem potuiſſe, ut tu

vis,

vis, commodius diſtribuere; num iccirco quoties aliquid tibi melius dici potuiſſe ab eo repeties, toties librum illum Ciceronis auctoritate multabis? An vero qui Oratorem, atque officia ejus nuper maledictis multo acrioribus proſciderunt, eos libros propterea Ciceronis eſſe negarunt? præclare Julius quondam Florus, vir eloquentiæ ſingularis. Is cum Julium Secundum fratris ſui filium triſtem, atque obducta fronte videret, cauſſam mœſtitiæ intempeſtivæ quæſivit; reſpondit ille: Tertius jam dies eſt, quo omni labore materiæ ad ſcribendum deſtinatæ exordium non invenio. Tum Florus arridens: Nunquid tu, inquit, melius dicere vis, quàm potes? quam vocem ſic Fabius approbavit, ut ſtatim ſubjunxerit. *Curandum eſſe, ut quam optime dicamus, ſed dicendum eſſe tamen pro facultate*. Quamobrem noli tua iſta ſaniora ad corrigendum non minus prudentiæ, quàm eloquentiæ parentem conſilia adhibere, ne quis te forte parum ſano eſſe conſilio putet; & quæ bona ſunt, cave ne, quia meliora excogitari alia poſſint, accuſes. Quibus expoſitis, ſimul etiam locus ille, qui ſequitur, ſatis eſt, ut video, perpurgatus, cum addis, Si Cicero eſſet, non omnia fragmenta præmonſtrata à Sigonio, & Patricio intexuiſſet. Verum ſi non eſt Cicero, quia fragmenta præmonſtrata intexuit, ergo erit, ſi non indicata injecerit; injecit autem fragmentum à Seneca citatum, nec certi loci notatione inſignitum, hoc modo: *Gladiatores, ait Cicero, inviſos habemus, ſi omni modo vitam impetrare cupiunt, favemus, ſi contemptum præſeferunt*. *Acc.* At Seneca hauſit non ex libro Conſolationis, ſed ex oratione pro Milone: *In gladiatoriis pugnis, & infimi generis hominum conditione, atque fortuna timidos, & ſupplices, & ut vivere liceat, obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus, fortes & animoſos, & ſe alacriter ipſi morti offerentes, ſervare cupimus; eorumque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quàm qui illam efflagitant*. *Def.* Qui tandem in mentem tibi venit hoc affirmare? non ne vides, verba omnia inter ſe diſcrepare? Senecam vero cum dixit, *Gladiatores ait Cicero*, verba ſe prolaturum ejus innuiſſe? ut Cicero in Catone: *Etenim, ut ait Homerus, ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio*. Sed progredere.

Acc. Si Cicero hæc ſcripſiſſet, profecto *Luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines*, ut teſtatur eum dixiſſe, Lactantius, non *Quaſi luendorum*, ut hic ex Sigonio protulit, edidiſſet, cum ſcripſit: *Crantor humanæ vitæ incommoda ita accurate expreſſit, ut quaſi luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, poſſis agnoſcere*. *Def.* Probarem equidem, ſi ita eſſet; verum non dixit: *Ut poſſis agnoſcere, homines quaſi luendorum ſcelerum cauſſa naſci*, ſed *Ut quaſi poſſis agnoſcere*, ideſt, ut quodammodo agnoſcere queas, verum id eſſe, quod à veteribus dictum eſt, homines luendorum ſcelerum cauſſa natos, ut illud ad Sulpicium: *Meum quodam modo dolorem agnoſco*. *Acc.* Nequaquam, etenim ſi ita dicas, diſtorqueas ſententiam, non explices. *Def.* Immo mirifice illuſtrabis, quia pulchrum illud ex Hortenſio ejuſdem expreſſeris: *Ut interdum veteres illi, qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pœnarum luendarum cauſſa natos eſſe dixerunt, aliquid vidiſſe videantur*. *Acc.* Sigonius fuit, qui fragmento à Lactantio allato addit illud *Quaſi*, cum in commentario Fragmentorum ita ſcripſit: *Miſerias hominum mihi videtur deploraſſe, qui quaſi luendorum ſcelerum cauſſa in hanc lucem prodierint*. *Def.* Sigonius aliò ſpectans, *quaſi luendorum* dixit, ne aſſentiri videretur pravæ illi gentilium ſententiæ, atque ibi à Lactantio exagitatæ. *Acc.* Hoc durum mihi admodum videtur. *Def.* Cave tamen ne reprehendas, nam tu eodem in loco iiſdem verbis eandem ſententiam es complexus: *Cicero in Conſolatione, ut philoſophus ſemetipſum, quantum potuit, conſolatus eſt, miſeriis hominum deploratis, qui quaſi luendorum ſcelerum cauſſa in hanc vitam prodierint*. Quod, verumne an falſum ſit, poſtea cogitabis; nunc quod eſt in manibus. Pergis enim. Si Cicero hic eſſet, nequaquam veteri ſententiæ de ſuo aliquid adjeciſſet, ut fecit, cum ſcripſit: *Ut quaſi luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, & in hanc lucem ingredi poſſis agnoſcere*. Immo verò, quia eſt Cicero, illud oratorio more, ideſt ſuo, adjecit, ut exornaret. Indicavit hoc Lactantius inquiens: *Cum Cicero dixit; Non naſci longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere vitæ, aſſenſiſſe ei vana dicto videtur, quia adjecit aliquid de ſuo, ut ornaret*; ut ergo ibi adjecit. *Et in hos ſcopulos incidere vitæ*, ſi hîc: *Et in hanc lucem ingredi*, ornatus oratorii cauſſa. Nam materiam quidem ipſam Conſolationis à philoſophis ipſis accepit, tractationem verò ab oratoribus. *Acc.* Non eſt hoc ſimile. Nam Cicero ad illud: *Non naſci longe optimum*, addidit. *Nec in hos ſcopulos incidere vitæ*, ut cauſſam afferret, cur eſſet optimum, non naſci, ne ſcilicet in hos vitæ ſcopulos incideretur. Naſci verò, & in hanc lucem ingredi, idem ferè videtur; adde quòd qui naſcitur, editur non in lucem felicitatis, ſed tenebras miſeriarum. *Def.* Quod dicis, totum eſt à te. Neque enim in hos ſcopulos incidere vitæ, ipſe tanquam cauſam attulit, cur non ſit optimum naſci, neque enim hoc tum intendit; ſed ſimpliciter ſapientis ſententiam retulit, qui dixit; *Optimum eſſe non naſci*; idque auctore Lactantio more ſuo ornavit. Illa verò, quæ tu eadem eſſe adjungis, ſunt illa quidem, ut exiſtimas, naſci inquam, & in hanc lucem ingredi, verum à Cicerone more ſuo, ideſt oratorio, duobus verbis eandem rem explicantibus exornata. Cujus moris multa proferre in hoc eodem naſcendi ſenſu exempla poſſum. Primo de legibus: *Cujus cauſſa nati, & in lucem editi ſumus*, & ſecundo: *Hoc ſolum, in quo tu ortus, ac procreatus es*, & prima Tuſculana: *Non temere, nec fortuito ſati, & creati ſumus*, & tertia: *Simulatque in lucem editi, atque ſuſcepti ſumus*, & de Aruſp. *Eodem tempore ſuſcipimur in lucem, & hoc cœleſti ſpiritu augemur*, & pro Quinctio: *Ex quo hæc omnia nata, & profecta ſunt*, & contra Rullum: *Ante extingui, atque opprimi, quàm plane exortum, ac natum eſſet*, & ſecundo de Finibus: *Sed ipſum à ſe oritur, & ſua ſponte naſcitur*; & v. *Qui ad laudem nati, ſuſcepti, inſtituti ſumus*; denique in hoc libro: *Fac naſci hominem, & in lucem edi*, &c. *Quid ea editus, procreatuſque ſit*; numquid hac conſuetudine oratoria poteſt inveniri conſtantius?

Acc. Niſi imitator hic eſſet, nunquam fragmentum Conſolationis allatum à Lactantio divulſiſſet, nec verba alia intexuiſſet, quæ deeſſe Sigonius, & Patricius non ſenſerunt. *Def.* Immo verò ſi imitator hic eſſet, nunquam ejuſmodi aliquid auſus eſſet. Quid autem? Tu

facti

facti hujus præclaras, quæ omnibus lucent, rationes non perſpicis? Quippe Lactantius verba, quæ in Conſolatione interjecta illi fragmento reperiuntur, dedita opera prætermiſit, ne integram fruſtra paginam recitaret, & ad rem ſuam non pertinentia verba proferret, cum ipſe ſatis haberet, Ciceronem eodem modo filiam conſecraſſe, oſtendere, quo Hercules, & Tyndaridæ fuerant à Græcis veteribus conſecrati. Hæc porro verba neque Sigonius, neque Patricius abeſſe ſenſerunt, quia nimis Lactantio, quippe vaticinii expertes homines, crediderunt; neque ſuperiora, neque inferiora tum, ut nunc, legere potuerunt. Hic verò addidit, ut rationem ſui conſilii redderet, quo dixerat, ſe velle filiam exemplo veterum conſecrare, & ut proximam ſermonis ad eam converſionem inferret, & quod Attico ſe facturum promiſerat, de eadem Græcis, Latiniſque litteris celebranda perſolveret. Ultima verò fragmenti pars, quæ apud Lactantium imperfecte, ac mendoſe legitur, cum in hoc libro abſoluta, atque integra inveniatur, quid aliud docet, quàm hunc librum ab auctore, non ab actore eſſe conſcriptum? *Acc.* Mihi verò nihil horum probatur. Etenim ſi Lactantio veniſſet in mentem ea præterire, quæ cauſſam ſuam non adjuvabant, ejus rei ſignificationem aliquam reliquiſſet. Imitator vero addidit, quia delectatus eſt hujuſmodi additionibus. *Def.* Lactantius & indicare, & diſſimulare pro arbitrio potuit, quippe nulla officii hujus aut obeundi, aut prætermittendi lege conſtrictus. Cicero quidem certe, cum orationem Socratis ex apologia commemoravit, multa è medio ſine ulla ejuſmodi ſignificatione removit. *Acc.* Jam vero Cicero ibi neceſſe non habuit, addere cauſſam, cur majorum, aut ſapientum vellet exemplum in conſecranda filia imitari; quia omnibus patebat. *Def.* Patebat? at erat obſcuriſſima, atque omnino raritate ſua, & vetuſtate ipſa temporis exoleta; ecquando enim alias Romani poſt Romulum non dico feminam, ſed virum inter Deos retulerant? quod S. Auguſtinus lib. XVIII. de civitate Dei literis etiam conſignavit. Certe quod fecit Cicero, ut mulierem in Deorum numero collocaret, novo prorſus exemplo ſuſcepit. Quare merito multas rationes ſibi ad hanc rem probandam adhibendas putavit, quas in hoc libro prudentiſſime, ac diſertiſſime explicatas omnes videmus. Quibus peroratis tandem intulit: *Cum vero mores, & feminas complures in Deorum numero eſſe videamus, aſſentiamur eorum ſapientiæ, quorum ingeniis, & inventis omnem vitam legibus, & inſtitutis excultam conſtitutamque habemus*, continenter addens id, quod tu ſupervacaneum, ac temere invectum eſſe contendis: *Tantis enim ducibus aberrare non poſſumus, nec à nobis, ſed ab illis, quos ſequimur, rei tam juſtæ, ac debitæ ratio repoſcetur*; & quæ ſequuntur; quæ qui tollat, is lucem omnem huic loco ſine dubio adimat. *Acc.* Immo ipſam ponere rationem veterum ſufficiebat. *Quod ſi ullum animal conſecrandum fuit, homo profecto fuit*. *Def.* Bona tua venia dixero, longe alia fuit ſententia Ciceronis, quàm ut diceret, ſi ullum animal conſecrandum fuit, maxime hominem conſecrandum fuiſſe. Neque enim beſtias ullas, neque omnes homines conſecrandos putavit, ſed cum ſe juſte Deorum cœtui aggregare mulierem oſtendere vellet, illud præpo-

A, ſuit, atque in eo ſe multis verbis jactavit, excellentis virtutis, ac præſtantis animi homines, ac bene de mortalibus meritos jure in cœlum hominum eſſe opinione ſublatos. Inde addidit, veteres eadem de cauſſa ipſas etiam conſecraſſe virtutes. Ægyptios vero belluas, nempe boves, canes, lupos, & feles, itemque Romanos imbres, nimbos, & procellas, ſed injuſte. Græcos autem Cupidines, & Amores, omnino abſurde; inde repetens concludit: *Qui ergo ad hominum vitam vel adjuvandam, vel excolendam, atque exornandam aliquid attulerunt, quique virtutibus, rerumque geſtarum gloria præſtiterunt, eos nemo dubitet, jure deos habitos, divinoque cultu affectos eſſe*. B Poſtremo ad juſtam filiæ conſecrationem accedens, infert: *Quod ſi ullum animal conſecrandum fuit, qualia multa conſecravere Ægyptii, quorum nullum fuit, ſi Cadmi, aut Amphytrionis progenies in cœlum tollenda fama fuit, huic idem honos certe dicandus eſt*; ideſt, ſi ulla beſtia conſecranda fuit, quemadmodum non fuit, ſi ex hominibus fortiſſimi præcipue viri Hercules, Caſtor, & Pollux, conſecrandi fuerunt, idem etiam honos huic Tulliæ, licet feminæ, eadem de cauſſa tribuendus eſt; quia hujus extabunt virtutis, prudentiæ, doctrinæ, continentiæ ad omnem æternitatem preſſa veſtigia. Nunquid fingi poteſt hæc ſententia melius? nunquid propoſito Ciceronis accommodatius? C Tu verò vulgatam Lactantii, eamque Patricii teſtimonio depravatam lectionem conſectans interpretaris. Quòd ſi ullum animal conſecrandum fuit, illud profecto fuit, ideſt homo; neque attendis, ipſum animalia beſtias appellaſſe, homines autem non omnes conſecrandos dixiſſe, ſed eximia tantum virtute ornatos. *Acc.* Supervacanea porrò fuit illa, quam tu dicis, ſermonis ad Tulliam converſio. *Def.* Immo neceſſaria. Quomodo enim potuiſſet continenter ad Tulliam orationem traducere, inquiens: *Teque omnium optimam ac doctiſſimam conſecrabo*, niſi præpoſuiſſet id, quod tu tollis: *Neque hoc de te una mea Tullia dictum volumus*. *Acc.* D Neque eo modo ſolvitur quod Attico promiſſum fuerat, ſed ſolutum eſſe ſignificatur. *Def.* Hoc te video, non ex animi ſententia, ſed eliciendi reſponſi gratia protuliſſe. Neque enim dubito, quin Lactantium legeris, qui libro primo cap. XV. inquit: *Deorum memoriam ſi eadem ratione veteres conſecraverunt, qua ſe imaginem, nomenque filiæ conſecraturum eſſe dicit Cicero, ignoſci mœrentibus poteſt*. Duo enim inquit, ſe conſecraturum eſſe, Ciceronem dixiſſe, nomen, & imaginem Tulliæ; nomen autem conſecravit, cum dixit: *Nunc autem de te loquor, quam ego non amiſſam, aut mihi penitus ademptam velim dicere, cum illuceſcat menti meæ quotidie magis præclariſſima* E *nominis tui, tuarumque virtutum gloria; vigebis autem memoria, quandiu monumenta extabunt illa*, &c. imaginem autem, cum ſubjecit: *Te vero in Deorum cœtu locatam ad opinionem omnium mortalium conſecrabo*. Nam ni dicas, his verbis conſecrationem eſſe confectam, quomodo mox inferre poterit: *Nunc autem te conſecrata, in cœlumque recepta exultare plane videor*? Sed ſive promiſſum ſolverit, ſive ſolutum ſignificarit, parum refert, dummodo hanc partem neque ocioſam, neque inanem, ut tu inquis, ſed recte additam ab auctore, atque emendatam, appareat.

Acc. Ad ultimum meum de fragmentis

ar-

argumentum nihil prorſus reſpondiſti , quod A
mihi breviter repetendum videtur, cum in eo
ſolo tota victoriæ ſpes conſtitui merito poſſe
videatur . Si Cicero hunc librum ſcripſiſſet ,
non ita ſcripſiſſet : *Exultare plane videor , vi-
ctorque de fortuna , ac de omni prorſus dolore
triumpho* ; quia Lactantius ſcriptum reliquit
ita : *Cicero cum amiſit cariſſimam filiam , victum
ſe à fortuna confitetur , Cedo , inquit , & ma-
num tollo , quid hoc homine miſerius , qui ſic
jaceat ?* non ne hæc inter ſe pugnant , confiteri
ſe à fortuna victum , & de fortuna dicere
triumphare ? an ne Lactantium mentiri dice-
mus , & injuſte Ciceronem animi imbecillita-
tis arguere ? *Def.* Obſequar ſtudio tuo ; ve-
rum attende quæſo ; tu à me honoris cauſſa B
repetis id , quod ego honoris cauſſa diſſimu-
laram , meque ad oppugnandum eum locum ,
ut inexpugnabilem , evocas , quem ego pro-
pter imbecillitatem intactum , inviolatumque
dimiſeram . Quippe horum alterum neceſſa-
rium eſſe ais , ut aut Lactantius , aut Cicero
mentiatur . Agam tecum , ut debeo , ac cœ
pi , ingenue : neutrum eſt horum . Etenim
Cicero repentina filiæ morte oppreſſus , inops
conſilii , antequam ad remedium philoſophiæ
confugeret , ſe tum demum à fortuna victum ,
cui nunquam antea ceſſerat , exclamavit ; ne-
que enim , ut ipſe alio loco inquit , ſapientis
tum officio fungebatur ; ubi vero prudentiam
in conſilium advocavit , & rationes leniendi C
mœroris à philoſophia petivit , tum monitis
ejus inſtructus , & conſecrata jam filia recrea-
tus , dixit : *Nunc autem præceptis ſapientiæ
adverſus omnem fortunæ vim confirmatus , & te
conſecrata , in cœlumque recepta , tanta affectus
voluptate , ac lætitia , quantam animo capere
maximam poſſum , exultare plane videor , ac de
omni prorſus dolore triumpho* . *Acc.* Minime
verò . Etenim ſi Cicero deſperatione debili-
tatus aliquando reſipuiſſet , Lactantius juſtam
ejus accuſandi cauſſam non habuiſſet . *Def.*
Vide quæſo , quàm facile ſuſceptæ tuendæ
opinionis cauſſa labamur ? immo verò in
errores interdum non leviſſimos rapiamur ?
An te fugit , Lactantium philoſophis gentili- D
bus in illis libris infeſtum , & Chriſtianis ami-
cum ex quacunque re occaſionem inſectandi ,
ac carpendi præcipue Ciceronis arripuiſſe ? ut
qui etiam philoſophiam vitæ parentem eſſe ,
optimum eſſe non naſci , noſtram vitam mor-
tem exiſtere , virtuti in cœlum portam pate-
re , licet non inſipientiſſime ab eo dicta , ve-
hementius reprehenderit , damnarit , exagita-
rit ? Non vides porrò , eundem , ut diſcri-
men inter Gentilem , & Chriſtianum inferret ,
probare voluiſſe , Gentilem exemplo Cicero-
nis deſperatione fractum aliquando dolori ce-
dere , & fortunæ ſuccumbere , quaſi omnia ab
ea mala proveniant , Chriſtianum vero nullo
tempore vi acerbitatis proſterni , & fortunam E
perpetuo averſari ? Quòd ſi , ut tu vis , ipſe
ſe à fortuna afflictum , & dolore confectum
jacere , confeſſus eſſet , neque mœroris leva-
tionem , ac glorioſam de fortuna victoriam
ſubjeciſſet , quomodo ſe , & alios in hoc libro ,
qua de re præcipue gloriatus eſt , confirmaſſet ,
atque illa in Tuſculana dixiſſet ? *Ægritudinis
ſedatio in Conſolationis libro explicata eſt , quem
in medio , non enim ſapientes eramus , mœrore ,
ac dolore conſcripſimus ; quodque vetat Chryſip-
pus , recentibus quaſi morbis remedium adhibere ,
id nos fecimus , naturæque vim attulimus , ut
magnitudini medicinæ doloris magnitudo concede-*

ret . Quomodo porrò Lactantius ipſe hæc
vere de illo dicere potuiſſet ? *Fortaſſe præ
nimio luctu dicat aliquis delíraſſe Ciceronem .
Atqui omnis illa oratio & doctrina , & exem-
plis , & ipſo loquendi genere perfecta , non ægri ,
ſed conſtantis animi , ac judicii fuit . Et hæc
ipſa ſententia* (nempe ; Teque omnium opti-
mam , doctiſſimamque approbantibus Diis im-
mortalibus in eorum cœtu locatam ad opinio-
nem omnium mortalium conſecrabo) *nullum
præfert indicium doloris ; neque enim puto , il-
lum tam varie , tam copioſe , tam ornate ſcribe-
re potuiſſe , niſi luctum ejus & ratio ipſa , &
conſolatio amicorum , & temporis longitudo mi-
tigaſſet* . Sed quid ego pluribus argumentor ?
receſſiſſet à conſuetudine ſua Cicero , ſi ſecus
feciſſet ; ut enim timorem numquam attulit
ſine confirmatione , ſic neque mœrorem ſine
conſolatione . Quippe deploravit in tertio de
Oratore obitum L. Craſſi , in Bruto Q. Hor-
tenſii , in xi. Philippica C. Trebonii , addidit
tamen ad extremum ea , quæ vim acrioris il-
lius leniendi doloris morſum haberent : Nam
de Craſſo dixit : *Fuit hoc luctuoſum ſuis , acer-
bum patriæ , grave bonis omnibus , ſed ii tamen
rempub. caſus ſequuti ſunt , ut mihi non erepta
L. Craſſo à Diis immortalibus vita , ſed donata
mors videatur* ; de Hortenſio : *Sed quoniam per-
petua quidam felicitate uſus ille ceſſit è vita ,
ſuo magis , quàm ſuorum tempore , noſtro in-
commodo potius doleamus , illius vero mortis op-
portunitatem benevolentia potius , quàm miſeri-
cordia proſequamur* ; de Trebonio autem : *Ma-
gno in dolore ſum , vel mœrore potius , quem
ex crudeli , & miſerabili morte C. Trebonii opti-
mi civis , moderatiſſimique hominis accepimus ;
ineſt tamen aliquid , quod reipub. profuturum
putem* ; atqui ſic quoque fecerat ante Thucy-
dides , ſic Plato in eis orationibus , in quibus
laudes eorum complexi erant , qui in acie pro
patria occubuerant ; quorum exemplo & ipſe
poſt propinquos eorum , qui prœlio Mutinen-
ſi ceciderant , ſibi conſolandos eſſe putavit ;
tantumque hæc conſuetudo profecit , ut eam
etiam tenendam eſſe , Dionyſius ſcriptum in
Arte reliquerit . Verum jam perſequere vitia
exemplorum .

Acc. Si Cicero hic eſſet , ordinem tempo-
ris in referendis exemplis ſervaſſet , quem ſer-
vavit S. Hieronymus , qui Periclem Xeno-
phonti , Pulvillum Fabio præpoſuit , contra
quàm hic fecit . *Def.* Hoc ipſum quàm ad
refutandum facile ſit , noſti . Neque enim ut
brevi repetam , Cicero in hac Conſolatione
hiſtoriam texuit , ſed diſputationem de officio
oratoriis pigmentis expreſſit ; nec S. Hierony-
mus exacte omnia exempla Ciceronis comme-
moravit , nec ſe Periclem ſumpſiſſe à Cicero-
ne ſignificavit , ita ut ejus ordinem cuſtodire
debuerit , ſed à Græcis . *Acc.* At Cicero alias
temporum ordinem tenuit . *Def.* Si tenuit ,
recte ; ſin minus , ne illud quidem abſurde ;
etenim utrunque pro commodo licuit . *Acc.*
Ne ipſe quidem dico , ſemper ſervaſſe , ſed
plerunque . Quæro autem , cur non potuerit
præponere Periclem Xenophonti , & Pulvil-
lum Maximo ? *Def.* Grave nimis mihi onus
imponis , cum à me tertio quoque verbo ra-
tionem alieni conſilii exigis . Dicam tamen ,
ut ſuccurrit . Potuit , ſed noluit , quia Xe-
nophontem Anaxagoræ jungere voluit propter
aliquam utriuſque dicti affinitatem . Ut enim
Anaxagoras mortuo filio nunciato dixerat , ſe
genuiſſe mortalem , ſic Xenophon , majorem

ſe ex filii virtute voluptatem, quàm ex obitu moleſtiam percepiſſe. In Pericle nulla vox præclara commemorata, ſed ſolum eximia in obitu filii conſtantia collaudata; ex Romanis autem à Fabio potiſſimum orſus eſt, propter inſignem fortitudinem in laudando filio mortuo declaratam; & quia Fabium in omnibus ſuis libris virtutis admiratione captus præcipue celebravit. Cui tamen Pulvillum ita ſubjunxit, ut eum tamen ætate ſuperiorem ſignificarit, inquiens: *Quod ſingulare virtutis exemplum fortaſſe Horatii Pulvilli laudem magna ex parte diminuere videatur*. Ad ſummam uterque ſuam in ſcribendo commoditatem eſt confectatus, ut Cicero in Paradoxis: *Quid Africanus minor? quid major? quid horum ætatibus interjectus Cato?* & Seneca in Conſolatione: *Sylla*, *Pulvillus*, *Pericles*, *Paullus*; & Virgilius in ſexto: *Decii*, *Druſi*, *Torquatus*, *Camillus*. Quid hoc ordine, ſi te reſpicimus, fingi poteſt perverſius? *Acc.* Non nego, ut dixi, ſed veriſimile videtur, S. Hieronymum, cum illa ſcribebat, habuiſſe in manibus Conſolationem. *Def.* Habuerit; non tamen ille Ciceronem de Græcis loquens nominavit, ſed Græcos. *Acc.* Non dixi, S. Hieronymum Periclem à Cicerone ſumpſiſſe. *Def.* Si ergo non ſumpſit, ab eo recedere potuit; ſumpſiſſe tamen ſignificas, cum ipſum in manibus habuiſſe tum dicis, cum hæc literis, poſteritatique mandavit.

Acc. Hic exempla Harpagi, Dionis, & Præxaſpis attulit, quæ certum non eſt, à Cicerone eſſe adhibita; tu autem hoc proba; ſi non potes, noli tantum confidere iſtius Conſolationis auctoritate, niſi prius eam Ciceronis eſſe omnibus perſuaſeris. *Def.* Neque hæc exempla Ciceronis eſſe, probare neceſſe habeo; nam etiam Ciceronis eſſe ſine ejuſmodi probatione hic liber poteſt; & ſi forte laborem probandæ omnibus Conſolationis ſuſcepero, fruſtra ſuſcepero. Etenim tu re comperta ſtatim, ſicut de Socrate inquit apud Platonem Clitipho, tanquam aliquis è machina tragica Deus exclamabis, Quò ruitis? Cavete ne hanc Ciceronis eſſe credatis; hoc eſt inepti opus imitatoris, & ad cunnum nati hominis. Quomodo autem perſuadere, te tam acriter reclamante, atque ad omnes locos occurrente potero? non ne vides, quàm me undique circumveneris ita, ut laqueos evadere tuos non poſſim? Etenim ſi præbeo, reſpuis, ſi abnuo, repetis; quæ ſuppetunt, faſtidis, quæ deſunt, vehementius expetis; neque ante finem cœlum terra miſcendi facis, quàm me herbam dantem plaudente populo conſpiceris.

Acc. Quid? tu Ciceronem exemplis Cæpionis, Lepidi, & Cottæ uſurum fuiſſe putas, de quibus ſe dubitare ſcripſit ad Atticum? *Def.* Quidni? ſignificavit enim, ut ſcripſi, ſe de his ambigere, antequam eos exploratos haberet; at vero poſtquam ex Attici reſponſo cognovit, eos, ita ut ſunt, in ſuo libello reliquit. *Acc.* Quis hoc tibi narravit? *Def.* Ipſemet Cicero, qui eodem tempore cum ſcriberet libros de Finibus, L. Tubulum, de quo pariter hæſitans ad Atticum retulit, in ſecundo repoſuit. *Acc.* Non eſt hoc ſimile; libri enim de Finibus ſunt certi, Conſolationis incertus. *Def.* Si incertus, tu effeciſti; etenim ab eo ſic abhorres, ut ne legere quidem ſtudio paullo intentiore volueris; neque enim ſi animum attendiſſes, C. Cottam filium pro Rutilia matre exemplum fortitudinis inverſo plane totius rei ordine protuliſſes. Exemplum autem Rutiliæ Seneca ab hoc libro in ſuum tranſtulit iiſdem prope verbis; ex quo apparet, hunc librum eſſe Ciceronis. *Acc.* Non ſunt eadem Senecæ verba, & hujus Conſolationis. *Def.* Non ſunt eadem? videamus. In Conſolatione ſcriptum eſt: *Rutilia C. Cottam filium in exilium ſequuta*, apud Senecam: *Rutilia Cottam filium ſequuta eſt in exilium*. In Conſolatione: *Nemo eam lacrymantem poſt elatum funus vidit*, apud Senecam: *Nec quiſquam lacrymas ejus poſt elatum filium notavit*. Tu hæc eſſe ſimilia negas? quid poteſt magis? *Acc.* Non Seneca ſumpſit à Cicerone, ſed imitator à Seneca. *Def.* Jampridem agnovi ſibilum, ideſt, ſenſi te iſtud eſſe dicturum; nam hoc modo gravioribus omnibus petitionibus meis occurris, hoc modo vim earum eludis, hoc modo inſiſtis, hoc modo fugis. Ego autem dico, Senecam non aliunde, quàm à Cicerone ſumere potuiſſe. Satis enim conſtat, neminem ante Ciceronem de Rutilia litteris prodidiſſe; quia ipſe conſulto Attico eam primus inveſtigavit; neque poſt eum; quia, ut inquit Pædianus, *auctores rerum non perinde in domibus, ac familiis, feminarum, niſi illuſtrium, ac virorum nomina tradiderunt*; hæc autem illuſtris non fuit, ut quæ Ciceroni incognita fuerit. Si ergo neque ab iis, qui ante Ciceronem, neque ab iis, qui poſt eum ſcripſerunt, petere exemplum Rutiliæ potuit, ſequitur, ut à ſolo Cicerone acceperit. *Acc.* Ego veriſimilia ſequor, ulterius, quò progrediar, non habeo. *Def.* Et ego; quid eſt autem, quòd tam prope ad ſimilitudinem veritatis accedat, quàm Senecam, ut prooemium ſuæ Conſolationis ab hac mutuatus eſt, ſic hoc exemplum quoque ſumpſiſſe? *Acc.* Ego in his tractandis dubitanter egi, quia ultra veriſimilia nihil habeo, & nihil affirmo. *Def.* Præclare. Dubitare te dicis, & tamen victoriam te ſperare adjungis; nihil affirmare te addis, & tamen aſſeveranter omnibus adverſaris; neque unquam vehementius reſiſtis, quàm cum te cedere fingis. Verum, quoniam de rebus ſatis dictum eſt, ad verba diſputationem jam conferamus.

Acc. Dixi demum, elocutionem mihi vehementer eſſe ſuſpectam, quæ quanti facienda ſit, docuit Socrates, qui cum hominem eleganti forma conſpicuum diutius tacentem intueretur, loquere inquit, ut te videam, ſignificans, ex ipſa potiſſimum locutione homines eſſe conſiderandos. Quo loco tu miris tragœdiis excitatis contendis, nec me, nec alios, qui elocutionem iſtius Conſolationis minime Ciceronianam eſſe putarunt, verum putaſſe, ac gratularis huic maxime ſæculo ſuperbum noſtrarum aurium judicium, qui pauca quædam verba faſtidiamus, noſque temeritatis accuſas, quòd falſum crimen temere ſimulaverimus. *Def.* Equidem de quærenda, atque obſervanda dignitate, atque elegantia dictionis tibi vehementer aſſentior; dictum verò illud Socratis quorſum pertineat, haud facile animo aſſequor; ille enim ex ſermone adoleſcentis certum prudentiæ ſpecimen elicere ſtuduit; tu de oratorio ornatu, atque adeo de ipſius orationis, ut ais, munditia diſſeris. Duas porrò, ut video, res tibi à me objectas eſſe expoſtulas, ſuperbiam aurium, & ſimulationis temeritatem; verum utramque injuſte. Gratulari quidem me huic maxime ſæculo La-

tina

rina quædam verba faſtidienti ſuperbiam au-
rium judicium dixi, non nego. Hoc ad tuam
contumeliam pertinere, maxime abnuo. Ete-
nim cum Cicero in oratore: *Aurium judicium*
ſuperbiſſimum, ad Herennium; *Aurium ſenſum*
faſtidioſiſſimum eſſe tradiderit, tu id propriæ
ignominiæ loco accipies, & quod omnibus à
natura hominibus eſt tributum, ipſe præcipue
recuſabis, ac communem humanæ naturæ con-
ditionem tu potiſſimum aſpernaberis? Vide,
ne dum te verecundum eſſe defendis, omnem
illam, quam aucuparis, modeſtiæ commenda-
tionem hac una expoſtulatione corrumpas.
Nam illud quidem alterum te prorſus ſine ra-
tione moleſte tuliſſe video, quòd dixi, obla-
tum huic ſcriptori neglectæ Latinitatis, atque
elegantiæ crimen grave eſſe, ſi verum eſſet,
multò gravius, ſi temere ſimulatum, quia re-
ſpondens temerarium te ſimulatorem eſſe ne-
gaſti; à qua ſententia non minus mens mea,
quam à ſcripto manus abhorruit. Ego enim
crimen temere ſimulatum vocavi, fortuito, ac
ſine longa, ut ſæpe fit, animi meditatione
conflatum, atque, ut dixit Cicero, temere
effutitum, quale potiſſimum illud eſſe non ne-
gas, quod tibi in extremo Judicio tuo excidit
haud admodum attendenti. Itaque ut ſine
acerbitate illud ſcripſi, ſic reſponſum tuum
non ſine aliquo doloris aculeo datum eadem
animi moderatione accepi. Tantum autem
abeſt, ut, quod alienum erat, tragœdias,
quas objicis, excitaverim, ut ne honeſtum
quidem, quem mihi interdum res concede-
bat, riſum captarim; niſi verò opportune in-
terrogare, reſpondere, inſtare, diſſimulare,
augere, minuere, loquentem inducere, quæ
aut ſola, aut præcipua eloquentiæ ornamenta,
ac lumina ſunt, tu tragœdias invidioſo voca-
bulo appellabis. Verum hæc, ut ex animis
noſtris, ſic ex ſermone removeamus, & quæ
dicimus, omnia ad communem utilitatem ho-
minum revocemus, ut ſi in tanti erroris, at-
que inſcientiæ tenebris veritatem nos fortaſſe
reperire non poſſumus, ſemitam ſaltem ali-
quam ad eam inveſtigandam ceteris common-
ſtremus. Perge igitur, & quæ habes de vitiis
hujus elocutionis, expone.

Acc. Quid igitur? Num tu librum illum
Ciceronis eſſe tibi perſuadere poteris, in quo
verba multa non Ciceroniana legantur? *Def.*
Quæ tu tandem verba non Ciceroniana vocas?
Acc. Quæ in aliis libris Cicero non adhibuit.
Def. At nullus tam puſillus liber eſt Cicero-
nis, qui non aliquot vocibus textus ſit alibi
ab ipſo non uſurpatis. Teſtis eſt de veteribus
Statilius Maximus, qui librum compoſuit de
ſingularibus apud Ciceronem ubique poſitis,
teſtes Quintilianus, Nonius, & alii, qui apud
illum nova, ut alibi docui, multa magno ſtu-
dio collegerunt. *Acc.* Haud quaquam hæc mihi
incognita ſunt; illo uno offendor, quòd in
ceteris libris unum, aut duo ſingularia verba,
in hoc omnium breviſſimo multa legantur.
Def. Ergo ſi quis liber exiſtet Conſolatione
anguſtior, qui pluribus affluens ſit vocibus
haudquaquam Tulliana conſuetudine tritis, tu
illum in controverſiam revocabis? Age verò,
non ne brevior eſt multo Cato, quàm Conſo-
latio? certe, eſt enim dimidio minor, at mul-
to plura ſunt in eo nova, quàm in hac. Re-
pete quæſo verba Conſolationis, ego deinde
ſubjiciam illa Catonis. *Acc.* Jam dixi, Con-
ſolationis hæc eſſe, *Compage*, *Immerentes*, *In-*
feliciter, *Vagitum*, *Deſpondere animum*, *Inde-*
A *cens*, *Oſorem*, *Detractorem*, *Captivitatem*, *Læ-*
tabundum, *Lacedæmones*, *Abſurditatem*, *Impe-*
ritiam. *Def.* Audio. At hæc ego omnia
multiplici tum auctoritate, tum ratione de-
fendo. Etenim ſi auctoritatem quæris, Capti-
vitas eſt Ciceronis in oratione pro C. Corne-
lio, reliqua ſunt, ut ſcripſi, Plauti, Terentii,
Lucretii, Salluſtii, Livii, Svetonii, Taciti, &
aliorum illius memoriæ ferme æqualium; unde
præclara jandiu à literatis Latinæ linguæ exem-
pla, ac documenta promuntur; ex quo conje-
ctura probabile eſt, ea potuiſſe quoque à Tul-
lio factitari. *Acc.* Captivitate ſemel tantum
uſus eſt Cicero, reliquis alii. Tu verò cum
de re nihil haberes, quod diceres, aliquid ex-
B tra rem attuliſti. *Def.* Num verò illa tibi à
propoſito aliena videntur, cum integros libros
à grammaticis olim eſſe confectos de vocabu-
lis ſemel tantum adhibitis à Cicerone oſtendi?
& cum has, quas tu culpas, voces ſuperio-
rum, & proximorum Ciceroni ſcriptorum uſu,
atque auctoritate defendi? Quod ſi rationem
requiris, jus translationis, atque analogiæ op-
pono; translationis, quæ eſt libertas vocis à
propria ſignificatione ad alienam per ſimilitu-
dinem traducendæ, quia placet Ariſtoteli,
translationes à ſe excogitari, non aliunde aſ-
ſumi. Quo poſito, apparet, abſurde admo-
dum eos facere, qui ut propriorum, ſic tranſ-
latorum frequentem uſum, ac repetitum ex-
C poſcunt, nec translationis bonitatem, ac ſimi-
litudinem intuentur, quam ut invenire, aut
videre acuti in primis, ac perſpicacis hominis
eſt, ſic mutuari, non niſi hebetis, atque tardi;
cum translatorum teſtimonia, atque exempla
requirere ne quidquam aliud ſit, quàm pror-
ſus noſtrorum aciem ingeniorum obtundere,
ut quæ ſua quiſque induſtria architectari de-
bet, ea aliena opera fabrefacta recipiat. Qua-
re tu *Deſpondere animum* aſpernaberis, quod
cum acute translatum eſt, tum ante Tullium
dixit Plautus, poſt Tullium Livius, ætate
Tullii, & quidem ad Tullium ſcribens M.
Varro? Quod ſi analogiam tantopere à magi-
ſtris Latinæ linguæ probatam rejeceris, ideſt,
D ſi neque caſum, neque tempus, neque nume-
rum, neque derivationem ullam aut nominis,
aut verbi, niſi ſcriptorum conſuetudine fre-
quentatam, admiſeris, bone Deus, quàm an-
guſtis finibus ampliſſima Latinæ linguæ ſpatia
circumſcripſeris; neque enim ſi Cicero dixe-
rit Cogitantem, & Exultantem, tu Agitan-
tem, & Inſultantem dicere poteris, niſi apud
eum inveneris. Convenit inter grammaticos,
quædam nomina eſſe verbalia, quæ terminan-
tur in bundus, ut vitabundus, populabun-
dus, & errabundus; an non igitur ſi conſtat
Ciceronem dixiſſe, *Volutabundus*, & *Queri-*
bundus, *Lætabundum* etiam dicere eadem ra-
tione potuerit, licet apud eum non invenia-
E tur? Quod idem de Vagitu, & infeliciter, &
aliis dici, atque intelligi poteſt. *Acc.* Non
dico, Ciceronem hæc dicere non potuiſſe, ſed
non dixiſſe. *Def.* Probe verò; ergo qui liber
ea verba complectetur, quæ Cicero uſurpare
quidem potuit, ſed, quod conſtet, non uſur-
pavit, nullo modo erit Ciceronis. At Cato
verba continet ejuſmodi plurima, quorum
jam, ſi libet, numerum ineamus, quando tu
eorum, quæ ſunt in Conſolatione, multitudi-
nem mirabaris. Ea verò ſunt, *Suſpicor*, *me*
commoveri, *accuſant adeptam*, *deplorare quere-*
las, *agere orationem*, *ſtudiorum agitatio*, *funa-*
le, *magiſteria*, *rorantia pocula*, *refrigeratio*,

deſi-

deſideratio, *ſimiles*, *ut ſi*, *inſomnia*, *& cruditate*, *diritas*, *occatum*, *occatio*, *herbeſcens*, *geniculatus*, *erraticus*, *ſylveſcere*, *acinus vinacens*, *repaſtinationes*, *conſitiones*, *inſitiones*, *ſuccidia*, *appeti*, *decedi*, *aſſurgi*, *coaceſcere*, *recoquere*, *peractio ætatis*. Non ne hæc ſingularia in multo breviore libro multo plura conſpiciuntur, quàm quæ tu in ampliore notaſti? & tamen nemo eis unquam ſic offenſus eſt, ut eum propterea, tanquam parum Ciceronianum, abjecerit. Sed pergamus ulterius.

Acc. Quid? tu Ciceronem eo animo futurum exiſtimas, ut contra præcepta ſua in Oratore, & conſuetudinem in ceteris libris jungeret *Cum* vocibus incipientibus à littera N? *Def.* Etſi hoc refellere pæne idem eſſe puto, ac tela pennigero in corpore exercere, tamen, quoniam tu ita vis, ita, ut ante, reſpondeo. Locus Oratoris intelligendus eſt de præpoſitione *Cum* juncta cum vocibus incipientibus à *No*, ne obſcœne dici videatur *Cunno*, id quod ipſa exempla ab eo, & Quintiliano, & ceteris allata demonſtrant. Quare neque cum hic ſcripſit, *Cum natura*, aut *Cum nullo*, neque cum Virgilius dixit, *Cum navibus*, obſcœne loquuti ſunt. *Acc.* Non eſt ita; idem enim eſt obſcœnitatis, ſi dicas, *Cum na*, & *Cum nu*, atque ſi *Cum no*, quia Quintilianus ſignificat id præceptum eſſe generale. *Def.* Si Quintilianus verba illa ſua tibi videtur ad alia retuliſſe, at exemplum certe ad *Cum no* tantum accommodavit. *Acc.* Accedit, quòd Servius notavit apud Virgilium *Cum navibus*. *Def.* Ergo tu Servii magis, quàm Virgilii auribus ac judicio ſtabis? præſertim verò cum ille idem etiam *Dorica caſtra* apud eundem animadvertit, & alia omnia ejuſdem generis, quibus tamen videmus Virgilium eſſe plurimis delectatum? *Acc.* Quid de ceteris, ut *Cum noſtro vulneri medeamur*, & ſimilibus? *Def.* Quid? niſi Ciceronem de illis non eſſe loquutum, neque enim in iis *Cum* eſt præpoſitio, ſed adverbium *Quum*, quod teſtibus priſcis grammaticis à me prolatis, & alia littera ſcribebatur, & alio ſono efferebatur, cujus rei exemplum ipſimet afferunt: *Cum navis ex Aſia venerit*, haud quaquam facturi, ſi obſcœnum illum concurſum eſſe duxiſſent. Itaque & ipſe Cicero, & reliqui Latini ſic aliquando ſcripſerunt. *Acc.* Non negavi, Ciceronem, alioſque ſic interdum eſſe loquutos, ſed dixi, non ſæpe. Addo nunc, Ciceronem eandem obſcœnitatem exiſtimaſſe, ſi dicas *Quum nos*, ac *Cum nos* in epiſtola ad Pætum. *Def.* Vide, quæſo, ne ſecus ſit. Cicero enim ibi nullam nec in re, nec in verbo hærere obſcœnitatem contendit; ſiquidem ita ſcripſit. *Quid cum vulgo dicimus, cum nos te convenire volumus, num obſcœnum eſt?* quaſi dicat, minime. Inde addit: *Memini, in ſenatu diſertum conſularem ita eloqui. Hanc culpam majorem, an illam dicam? potuit obſcœnius? non inquis, quia non ita ſenſit, ut dixit; non ergo in verbo eſt obſcœnitas*. Quippe declaravit, ſe nec *Cum nos*, neque *An illam* obſcœne edita reputaſſe, quia qui id dixerunt, non id voluerunt. Quare ſi in ſermone nulla erat ſita deformitas, multo minus in ſcripto.

Acc. Neque Cicero in eadem clauſula bis vocem *Apollinis* poſuiſſet, ſed ſecundo loco *ipſi*, non *Apollini* collocaſſet. *Def.* Proh dii immortales, hæc crimina ejuſmodi ſunt, ut aut tu inferendo, aut ego depellendo fatiger! Non ne Cicero alibi idem, ut docui, fecit? atque ea loca ejuſmodi ſunt, ut in iis docti pariter prænomen ſecundo loco libentius exaudirent? Sed jam veniamus ad ea, quæ tu parum propria nominaſti.

Acc. Ex iis hoc præcipuum ſtatuo: *Animum ad futuram vitam, tanquam ad patriam, evolare*; ſic enim Chriſtiani loquuntur. *Def.* At multæ Chriſtianæ ſententiæ ſunt apud Ciceronem, ut noſtri theologi confitentur. *Acc.* Tu ſententiam defendis, ego verba accuſo, de ſententia non laboro; quæro enim, ubi nam Cicero dixerit, vitam, quæ poſt mortem habetur, patriam. *Def.* Si ſententia eſt Ciceronis, bene haber, nam vocem ipſam non propriam, ſed translatam eſſe confiteor; translationis autem auctor fuit Plato, qui dixit, præſentem vitam eſſe peregrinationem, ex quo ſequitur, ut Cicero futuram, *tanquam patriam* appellare potuerit. Conſtat enim, omnia licere per ſimilitudinem efferre, maxime adjecta particula *Quaſi*, aut *Tanquam*. Sed de hac re ſatis ante eſt dictum.

Acc. Alterum illud eſt: *Præfinitum eſſe terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat*; ſunt enim verba Job. *Def.* Quis non hanc etiam ſententiam eſſe Platonis, & aliorum gentium novit? *Acc.* Ne hoc quidem in loco me ſententia torquet, ſed verba; oſtende, ubi aliàs Cicero dixerit: *Præfinitum eſſe à Deo terminum, qui præteriri non poſſit*, &c. ſi oſtenderis, de hoc amplius non controverſabimur. *Def.* Non eſt, quòd planum faciam, hæc verba eſſe Ciceronis, quia ad rem non pertinet; ſatis eſt, ut oſtendam, non eſſe Job, quod ex translatione liquet, quæ utriuſque ſubire acumen ingenii potuit, ſic enim Job de homine loquens: *Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*; at hic: *Præfinitum eſſe terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat*. Cur autem potius dicemus, Ciceronem ab interprete Job, quàm interpretem à Cicerone illud *Præterire terminum* accepiſſe? præſertim verò cum conſtet, ipſum Ciceronianum fuiſſe; ſiquidem eo modo liber primus de natura Deorum non erit Ciceronis, quia ibi ſcriptum ſit: *Nihil ſemper in ſuo ſtatu manet*; at verò apud Job eodem loco: *Homo nunquam in eodem ſtatu manet*.

Acc. Tertium eſt: *Animum ſimul cum homine interire*: Nam cum homo ſit animus, ſequitur, ut dixerit, animum ſimul cum animo interire, quod eſt abſurdum. *Def.* Homo non ſolum pro animo uſurpatur, ſed etiam pro corpore, ut apud Platonem in Phædone: *Num eodem die animus diſſolvitur, quo homo moritur?* *Acc.* Hoc falſum eſt, quia Plato in Gorgia definivit, mortem eſſe diſſolutionem animi, & corporis, & locus Platonis non eſt ſimilis, quia ibi homo accipitur pro compoſito. *Def.* Nego ita eſſe. Sed ſive diſſolutio fiat, ſive extinctio, ſatis perſpicuum eſt, animum cum corpore non occidere; item ſive accipias hominem pro corpore, ſive pro compoſito, non eſt dubium, quin pereunte homine, ſi animus, quæ eſt pars ejus, vigeat, altera, nempe corpus, intereat. Quare cum dicimus, animum interire cum homine, intelligendum eſt, animum non cum animo, ut dixiſti, ſed cum corpore mori. Sed, ut video, reſtant, quæ tu minus Latina vocaſti.

Acc. Recte admones. Dico verò, ne ipſum quidem ſe adduci paſſurum fuiſſe, ut diceret, *Suus* pro ejus, nec *Pœnitendus*, quòd

pa-

rum Latina ſint. *Def.* De *ſuo* ſupra dictum
eſt. *Pœnitendus* autem vox eſt à Livio, ut
docui, & Svetonio optimis in primis Latini-
tatis auctoribus uſurpata. *Acc.* De iſtis, quos
tu optimos vocas, reſpondebo tibi, ut alii
quoque doctiſſimo viro reſpondi. Livio olim
objecta eſt Patavininitas, ideſt peregrinitas,
ac verboſitas. Svetonii ſtylus grammaticum
magis, quàm hiſtoricum, ſonat. *Def.* Pro
amicitia noſtra te rogo, ne hæc dicas, aut
ſaltem ne edas, ne gravia aduerſus te docto
rum hominum judicia concites, quos conſtat
ab iſta tua opinione averſos eſſe, & de his
ſcriptoribus præclare, ac pro illorum dignita
te ſentire. Ita ne vero? tu poſthac poteris
ſuperbas te aures habere negare, aut ſi quis
fortaſſe id dixerit, inſignis contumeliæ loco
accipere, cum Livium, Svetoniumque contem-
nas, quos ipſa in primis eſt admirata antiqui
tas?

Acc. Addo etiam, neque illud ex ore
Ciceronis emanaturum fuiſſe: *Se hominem
eſſe meminerit, nihil autem humanius eſſe mor-
te, ut ſi ab ipſo avelli, atque auferri poſſet,
diis propior habendus eſſet, quàm hominibus*;
&c. ſed *poſſit*, *habendus ſit*. Cui meæ repre
henſioni tu nihil adhuc reſpondiſti. *Def.* Vi
de quæſo, in quas ſalebras me impellas; jam
per te non poſſum nec in re graviſſima hiſce-
re, nec in leviſſima obmuteſcere. Etenim ſi
ſententiam dico, refutas, ſi taceo, efflagitas,
reſpondentem oppugnas, in ſilentem, quaſi in
fugientem, inſultas. Dico igitur, recte iſta
omnia ſe habere; atque ita exponenda eſſe,
*ſe hominem eſſe meminerit, nihil autem huma-
nius eſſe morte*; ideſt nihil magis proprium
hominis eſſe morte, ut, ideſt uſque adeo ut,
ſi mors ab ipſo avelli poſſet, diis propior ha-
bendus eſſet, quàm hominibus. Verum fac
aliquas in hoc libro labeculas reſidere incuria
librariorum contractas. (Etenim ut vetus di-
xit poëta. *Cuivis accidere poteſt, quod cuiquam
poteſt*;) cur non eas docti adhibito ſtudio de
lent, ut ceteras aliorum librorum ejus pluri
mas eluerunt? *Acc.* At hic multo pluribus
vulneribus eſt affectus, quàm ut ſanari poſſit.
Def. Quid mirum? modo evaſit è prœlio, ve-
rum num pluribus, quàm epiſtolarum quon-
dam ad Atticum, aliorumque librorum volu-
mina erant, quæ amicæ medicorum induſtriæ
commendata, adhuc tamen igne, ferroque
incaſſum admoto tacitam Muſarum opem im-
plorant? Quis enim exempli cauſſa legens lo
cum illum Catonis non ſanum, atque inte-
grum arbitretur? *Iſocrates eum librum, qui
Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo
anno ſcripſiſſe dicitur, vixiſſe quinquennium
poſtea*. Conſule veteres manuſcriptos, ſtatim
ulcus agnoſces; *ſcripſiſſe ſe dicit, vixitque
quinquennium poſtea*. Probabis autem, ſi prin-
cipium ipſius Panathenaici legeris, in quo
Iſocrates ipſe diſerte ſe totidem annos, tum
cum ea ſcribebat, natum eſſe oſtendit. Cur
ergo illa in illis jam pridem pervulgatis tam
facile connivemus, hæc in hoc nuper è tene-
bris emerſo non ferimus? ſed perge.

Acc. Addo etiam minus Latinum illud
eſſe. *De quo eſt apud Herodotum, illum Xerſi
reſpondiſſe*. *Def.* At ſic dixit Cicero in Bru
to: *De quo ſit memoriæ proditum, eloquentem
fuiſſe*. *Acc.* Locus non eſt ſimilis, &, ſi ſi-
milis, ſolus. Et illud: *Lacænas matronas tra-
ditum eſt, occiſis filiis vulnera inſpicere conſue-
viſſe; contra verò quos averſis vulneribus conci-
ſos agnoſcebant, ab iis refugientes clam ſepelien-
dos curabant*; dixiſſet autem, *curaſſe*. *Def.* At

A ſic loquutus eſt in primo de Oratore: *Diò
memini L. Craſſum in Tuſculanum ſe contuliſſe;
veniſſe eodem Q. Mucius dicebatur; exierant
autem cum Craſſo Cotta, & Sulpicius*; item in
tertio: *Nanque latus ei condoluiſſe, ſudoremque
multum conſequutum eſſe audiebamus; ex quo
cum cohorruiſſet, cum febri domum rediit*.
Accedit, quòd Demetrius ſcripſit, mutatio-
nem caſuum amplitudinem orationi afferre.
Acc. Neque horum quidquam eſt ſimile.
Def. Quæ malum eſt iſta ratio, ut omnia fer-
me argumenta, una atque eadem reſponſione
refellas? ut ſemper ſimilitudinem abnuas? ſi-
milia verò, quæ prope gemina ſint, quæras?
quod lumen ex ejuſmodi reſponſione elucere
B putas ingenii? quid enim expeditius, ne di-
cam obtuſius, eſſe poteſt, quàm aut aliquam
vocem Latinam eſſe negare, aut exemplum
eſſe diſſimile reſpondere? his armis facile,
vel infirmiſſimus quiſque congredietur; onus
enim probandi imponis ei, qui contradicere
ſtudeat, cogiſque, eum univerſa Latinorum
volumina unius, atque ejuſdem locutionis in-
veniendæ cauſſa pervolutare, atque illa de-
mum inventa injuſtum crimen ineptæ imita-
tionis ſuſcipere. Sed video finem. Extremum
enim illud eſt, quod objeciſti, ipſum *Adeo
quòd* minime Latine dixiſſe; quod tu temere,
ut dixi (jam enim falſi repellendi criminis
cauſa libere loqui liceat;) ei vitio tribuiſti;
C neque enim ille *Adeo quòd* dixit, ſed *Adeo ut*,
cum ſcripſit: *Erepti filii cogitatio adeo nobis
grata eſt, quòd illum pene ante oculos conſtitue-
re videatur, ut eam deponere nolimus*.

Quoniam omnibus reſpondi criminibus,
quæ tu ad hujus libri labefactandam, ac de-
formandam dignitatem in primo Judicio col-
legiſti, atque in ſecundo confirmaviſti, age,
ſi placet, huic diſceptationi faſtigium impo-
namus, ac judices tandem in conſilium ire
ſinamus. *Acc.* Imponemus, ſi breviter me-
moriam eorum, quæ utrinque dicta ſunt, rei
magis aperiendæ cauſſa, refricuerimus. *Def.*
Repete, ut lubet; ego enim tua, ut cœpi,
veſtigia ſubſequar. *Acc.* Oſtendi, ſententiam
D in principio poſitam contra præceptum Ari-
ſtotelis ſua ratione indigere, & quanvis pro-
babilis eſſet, falſam exiſtere. Vituperationem
ſenectutis in hoc libro factam minime repu-
gnare iis, quæ in Catone ſcripta ſunt. Mul-
ta, quæ in Ciceronis libris leguntur, fuiſſe
in hunc translata, & leviter immutata, ac
plerumque depravata, nonnullaſque hiſtorias,
fabulas, verſus, ſententias deterius comme-
moratas, ac Muretum quoque imitatione ex-
preſſum eſſe, ſed deterius expreſſum. Sigo-
nianum ordinem in eodem libro perpendi; fie-
ri non poſſe argumentatus ſum, ut Sigonius
omnia prorſus fragmenta ſuo ordine digeſſe-
rit; probavi, cum omnia ex Sigonii præſcri-
E pto expreſſa ſunt, cenſendum eſſe, potius li-
brum novi alicujus ſcriptoris exiſtere, quàm
Ciceronis; quædam nonnullis fragmentis ad-
dita eſſe aperui, atque, ſi concluſa ita fuiſſet
Ciceronis Conſolatio, ut iſta eſt, Lactantium
expoſui non reprehenſurum fuiſſe Ciceronem,
quemadmodum reprehendit; confirmavi exem-
pla quædam clariſſimorum virorum ordine
perturbato narrata eſſe, & nonnulla comme-
morata, quæ incertum eſt, an Cicero in ſua
poſuerit Conſolatione. Demum quædam vo-
cabula non Ciceroniana, ac nonnullas vocum
juncturas contra præcepta Ciceronis adhibi-
tas, alia dicendi genera parum propria, non-
nullas etiam voces parum Latinas exiſtere.
Quæ cum ita ſint, quid eſt, quòd Judicium

à me factum tantopere reprehendatur? *Def.* Ego verò demonſtravi, ſententiam illam in principio poſitam ſive probabilis, ſive improbabilis, ſive certa, ſive controverſa, ſeu vera, ſeu falſa eſſet, rationem ullam non poſtulaſſe, ac ſapientum, quos ille nominavit, auctoritate contentam fuiſſe. Quæ verò tu maxime contraria (nam *minime* pro *maxime* temere te video effudiſſe) in Catone dixiſti, ea nequaquam ejuſmodi eſſe. Quæ ex aliis Ciceronis libris translata notaſti, omnia ex conſuetudine Ciceronis allata, pro arbitrio immutata, & ſine depravatione adhibita eſſe. Ciceronem autem non à Mureto, quem virum ego non minoris, quàm tu, facio, ſed Muretum à Cicerone, vel te concedente, ſumpſiſſe. Veterem autem Sigonianum fragmentorum ordinem certiorem eſſe, quam eum, quem tu modo à te ipſo recedens oſtentandi ad tempus ingenii gratia confinxiſti; quæque Sigonius paullo ante conjecit, quoniam ratione, non vaticinatione, continerentur, fieri poſſe, ut olim à Cicerone perſcripta ſint; quemadmodum tu in aliis tuis commentariis alias approbaſti. Quæ ſunt addita, ea hujus maxime libri veritatem confirmare, ac recte Conſolationem eo modo, patefacta Lactantii ſententia, peroratam eſſe. Exempla porro omnia idoneum ordinem obtinere; neque ex iis librum ſimulatum eſſe, argui poſſe. Vocabula, & juncturas illas, quas tu tanquam à Ciceronis præceptis alienas notaſti, non item eſſe. Quæ verò tu parum propria, aut parum Latina dixiſti, eadem rationibus atque auctoritatibus ejuſmodi omnino crimine liberavi. Quæ cum ita ſint, non eſt, quod queraris, Judicium tuum, ut ais, tantopere reprehendi. Nam qui reprehendunt, nequaquam credo, ingenium tuum improbant, aut induſtriam accuſant, aut ſtudium vituperant, aut operam damnant, ſed ſi quid, illud, ut reor, vitio dant, quòd iſto ingenio, ac prudentia præditus non perſpicias, aut aliter hanc cauſſam tibi agendam fuiſſe, aut ex his omnibus haud effici, hunc librum Ciceronis non eſſe; qui verò tecum, ut gloriaris, conſentiunt, eos aliis, & quidem fortaſſe firmioribus rationibus ad eam ſententiam deſcendiſſe; te verò in hujus libri judicanda quaſi pictura non colorem ipſum, unde maxime ſimilitudo elucet corporis, ſed extrema tantum lineamenta ſpectaſſe. Ego verò, qui in iſta tua præpropera libelli hujus ne tibi quidem ſatis, ut video, probata accuſatione damnanda clementior, & propter meam erga te benevolentiam in tuis ſcriptis judicandis ſum ceteris aliquanto remiſſior, illud doleo, quod cum te nihil aſſeveranter, ſed omnia dubitanter egiſſe dicas, atque ex ea re magnum modeſtiæ ſpecimen quæras, tamen ne minima quidem mihi largiri præcipui ſaltem beneficii loco volueris, meque hominem tui ab ineunte ætate ſtudioſiſſimum crebris tuis provocationibus quaſi moleſtum aliquem adverſarium invitum ad hanc reſponſionem attraxeris. Etenim cùm ego aliud prope agens dixiſſem, propter unam figuram Traductionis à Quintiliano prolatam Rhetorica ad Herennium à Cicerone ad Cornificium eſſe translata, tu te repente intuliſti, inquiens: Non una figura traductio, ſed res quindecim à me collectæ hoc effecerunt. Quod ubi ipſe tradideris, fateor, me adhuc ignorare. Verum hoc nihil ad cauſſam. Me verò, ut ita ſciberem impulit, quòd ſcriptum in Rhetoricis ita videbam: *Traductio eſt, cum idem verbum modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc modo. Amari jucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari*; apud Quintilianum verò hoc pacto: *Aliter quoque voces, aut eadem, aut in diverſa ſignificatione ponuntur, ut Amari jucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari. Cornificius hanc traductionem vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum.* Nomina verò figurarum quindecim, quæ tu infers, in utroque illa quidem libro, & Herennii, & Quintiliani reperiuntur; verum neque exemplis eiſdem, neque Cornificii nomine inſigniuntur, unde certo Rhetorica ea eſſe Cornificii colligatur.

Acc. Quæ tua de primo meo Judicio ſit ſententia, habeo. Ageſis reſponde ad ea, quæ in ſecundo graviora, & firmiora adjunxi. Etenim licet ea, quæ adhuc dicta ſunt, alicujus eſſe ponderis, ac momenti demonſtratum ſit, tamen vide, quid concedam, vel ipſis ſepoſitis, novorum tantummodo argumentorum claritate iſtud opuſculum non eſſe Ciceronis, luce clarius apparebit. *Def.* Equidem graviora, ac firmiora te allaturum eſſe, non dubito; novi enim ſingularem ingenii tui ubertatem, novi eximiam ſcientiæ copiam, at contra tamen uſuvenire animadverti, ut, quemadmodum ex amphora primum liquidiſſimum, deinde turbidiſſimum quidque effluit, ſic primus quiſque ingeniorum quaſi fœtus perfectiſſimus ſit. Verum ut ut ſit, haudquaquam committam, ut hæc poſteriora refellendo attingam; quia illud moleſtius te, quàm par erat, video pertuliſſe, quòd ego non me tibi ſocium ad alienam induſtriam improbandam, ac lacerandam adjunxerim; ſiquidem nonnullis tuarum diſceptationum in locis me tecum diſſentiente ſic exarſiſti, ut neque præceptoris, neque patroni, ſic enim me pro tua humanitate appellas, habita ratione, ad maledicta eadem plane humanitate indigna prolapſus ſis, quemque te admirari, ac ſequi præcipue profiteris, eum tanquam æqualem ad ſummum certamen doctrinæ, atque eloquentiæ provocaris. Et quidem ego nunquam illo animo ad hanc diſputationem acceſſi, ut præcipue te refellerem, cujus laudes aſſentiendo majores efficere, quàm diſſentiendo deterere mallem, præſertim vero cum ex eis aliquid etiam ad meam videam redundare; ſed ut quis meus de hoc libello, tanquam de aliquo expoſito puero in variis hominum ſermonibus ſenſus eſſet, quaſi unus è multis oſtenderem; atque omnino, uti (libet enim proprium aliquando tandem aperire dolorem) vetus illud meum in argumento hujus libri tam longe concipiendo non vaticinium, ſed conſilium à te omni ope ingenii refutatum, irriſumque defenderem. Quamobrem Judicium iſtud tuum quam grave, aut firmum ſit, tute videris; ego certe non quæram; neque enim hæc me res admodum aut ſolicitat, aut angit; ut qui librum hunc neque ſcripſi, neque edidi, neque auctor cuiquam edendi fui, ſed tantum editum ita probavi, ut ad veritatem propenſiora multo mihi videri dixerim ea, quibus confirmaretur, quàm quibus everteretur; quorum illa priore mea oratione complexus prorſus in hoc ſermone præterii, quoniam tu de illis nullam mihi ferme occaſionem diſſerendi dediſti. De his autem illud venit in mentem ſubjicere, quod Biantem, qui ſapiens fuit unus è ſeptem, dixiſſe quondam accepi. Non vereor, ne adverſus te judicetur, ſed ne mihi, id ut videam, concedatur. Id quod certe evenerit, ſi homines, ipſi dum loquantur mortui, expectabunt, eorum vero, quæ vivi ſcripſerunt, auctoritatem repudiabunt.

F I N I S.

CAROLI SIGONII DE REI ROMANÆ SCRIPTORIBUS *JUDICIUM.*

AD LECTOREM
PHILIPPUS ARGELATUS
S. C. C. M. A SECRETIS.

QUum primùm edendis Caroli Sigonii Operibus animum adjeci, arbitratus ſum utile, acceptumque futurum Reipublicæ Litterariæ, ſi lucubrationes ejus ſingulas, quæ majori luce viderentur indigere, notis illuſtrari ſedulo diligenterque curaſſem. Aliquot eapropter Clariſs. Viris ad ornatum adhibitis, ſelegi mihimet atque propoſui inter cetera Judicium de Hiſtoricis qui res Romanas ſcripſerunt ab U. C. ad Caroli M. Imp. tempora, *in quo ingenioli mei vires exercerem. Quamobrem impoſitum mihi penſum abſoluturus, manus jam operi admovere decreveram, confidebamque futurum, ut bene feliciterque res mihi contingeret. Verum quum pœnitius opuſculum ipſum perſcrutarer, deprehendi, adeo mancum eſſe atque jejunum, ut ſi vel aliquantùm pro induſtriæ viriumque mearum modulo voluiſſem exornare, integrum mihi opus refingendum fuiſſet, meuſque pro Sigonii fœtu ſupponendus. Hoc ipſum agnovit olim Balthaſſar Bonifacius, quo adnitente primùm opella hæc (legatur ejus Epiſtola ad lector.) publicam lucem anno MDCXXVI. inſpexit. Quum enim videret Authoris noſtri judicium, quod ceterum magnis laudibus extollit, tanta brevitate comparatum, ut aliquo auctario ſuppleri omnino poſtularet, maluit, intacto Sigonii opere, uberius de iiſdem Hiſtoricis ex Bodino, Voſſio aliiſque differere, opuſque ſuum Dominico Molino Nobili Veneto inſcripſit.*

Nemo tamen miretur, velim, qui potuerit Sigonio excidere judicium adeo exile, tamque feſtino calamo delineatum, ut dubitarint nonnulli, quos inter Cl. Muratorius in Sigonii vita huic editioni noſtræ præfixa, an genuinus eſſet Sigonii partus? Iſtud ego non inficias ivero, quum neminem offenderim, qui lucubratiunculam hanc aperte Sigonio abjudicet. Verum id aſſero, numquam ei mentem fuiſſe, ut publicam lucem indipiſceretur, atque ideo neglectam incomptamquam, quoad vixit, inter privatas Schedas aſſervaſſe. Paraverat enim ſibi hujuſmodi catalogum, quantum conjectura aſſequi poſſum, proprios in uſus, memoriæque juvandæ cauſſa, ut illico ex una vel altera pagina, quoto quiſque Scriptor tempore floruiſſet, agnoſceret: vel forte id operis brevi concinnaverat manu, ut Tyronibus, quos in Hiſtoria erudiebat, Scriptorum Chronologicam ſeriem, & delectum paucis oſtenderet. Si enim typis donatum aliquando voluiſſet, majorem ſane adhibuiſſet diligentiam, vir accuratiſſimus, & exactiori criterio de Rei Romanæ Hiſtoricis judicium efformaſſet. Quæ ita quum ſint, re melius perpenſa, ſuadentibus etiam viris judicio & doctrina præſtantibus, ſatius exiſtimavi, à propoſito meo diſcedere, atque opuſculum nullis adjectis notis recudere, ne lectoribus plus mei, quàm Sigoniani laboris ingererem.

DE ROMANÆ HISTORIÆ SCRIPTORIBUS.

Romanæ Hiſtoriæ Scriptores, prout quiſque eorum vixit.

POlybius Megalopolitanus	Græ. 1
C Julius Cæſar	Lat. 2
C. Saluſtius Criſpus	Lat. 3
Diod. Siculus	Græ. 4
Dionyſius Halicarnaſſeus	Græ. 5
T. Livius	Lat. 6
M. Valerius Maximus	Lat. 7
P. Vellejus Paterculus	Lat. 8
C. Plinius Secundus	Lat. 9
Plutarchus Chæroneus	Græ. 10
P. Cornelius Tacitus	Lat. 11
Sex. Julius Frontinus	Lat. 12
C. Plinius Cæcilius	Lat. 13
C. Svetonius Tranquillus	Lat. 14
Appianus Sophiſta Alexandrinus	Græ. 15
Æmilius Probus	Lat. 16
L. Annejus Florus	Lat. 17
Juſtinus	Lat. 18
Dio Caſſius Nicæus	Græ. 19
Hærodianus	Græ. 20
C. Julius Capitolinus	Lat. 21
T. Ælius Lampridius	Lat. 22
Trebellius Pollio	Lat. 23
Flavius Vopiſcus	Lat. 24
Ælius Spartianus	Lat. 25
Vulcatius Gallicanus	Lat. 26
Flavius Eutropius	Lat. 27
Ammianus Marcellinus	Lat. 28
Sex. Aurelius Victor	Lat. 29
Paulus Oroſius	Lat. 30
Sex. Rufus	Lat. 31
Zoſimus	Græ. 32
Procopius Rhetor Cæſarienſis	Græ. 33
Agathias Scolaſticus	Græ. 34
Jornandes Gothus	Lat. 35
Marcellinus Comes	Lat. 36
Beda Anglus	Lat. 37
Paulus Diaconus Longobardus	Lat. 38
Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius	Lat. 39
Joannes Zonaras.	Græ. 40

Ordo Hiſtoriæ Romanæ, ut à quoque ſcriptore per temporum ſeriem petenda eſt. Qui res ante Reges in Italia, & ſub Regibus Romæ geſtas per Annos 244. ſcripſere.

Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 4
T. Livius lib. 1
L. Florus lib. 1
P. Vellejus Paterculus lib. 1
Flavius Eutropius lib. 1
Plutarchus in Romuli, Numæ, & Publicolæ vitis.
Plinius de Viris Illuſtribus.
Paulus Oroſius lib. 1
Sex. Rufus.
Joannes Zonaras tom. 1.
Solinus cap. 1. & 2. Polyhiſtoris.

Ab exactis Regibus ad leges 12. Tabularum 58. Annis, quæ conſcribi cœptæ ſunt Anno ab Urbe condita 303.

Dionyſius lib. 5. 6. 7. 8. 9. 10
A T. Livius lib. 2
L. Florus lib. 1
Eutropius lib. 1
Plutarchus in Pyrrhi, Marcelli, & Fab. Max. vitis.
Plinius de Viris Illuſtribus.
Paulus Oroſius lib. 2
Sex. Rufus.
Joannes Zonaras tom. 1
Diodorus Siculus nonnihil libris 11. & 12

A 12. Tabulis ad bellum Tarentinum, & Regis Pyrrhi, qui Anno ab Urbe condita 474. in Italiam venit Annis 171.

B Dionyſius pauca libris 10. & 11
T. Livius à lib. quarto ad 10
Epitomæ Livii lib. 11. & 12
Florus lib. 1
Eutropius lib. 1. & 2
Plutarchus in Camilli vita.
Plinius de Viris Illuſtribus.
Paulus Oroſius lib. 2. & 3
Sex. Rufus.
Joannes Zonaras tom. 1

A Pyrrho ad ſecundum bellum Punicum, quod cœptum eſt Anno ab Urbe condita 435. Annis 62.

C Polybius lib. 1. & 2
Epitomæ à lib. 13. ad 20
Florus lib. 1. & 2
Eutropius lib. 1. & 2
Plutarchus in Camilli vita.
Plinius de Viris Illuſtribus.
Paulus Oroſius lib. 2. & 3
Sex. Rufus.
Joannes Zonaras tom. 1

A Pyrrho ad ſecundum bellum Punicum, quod cœptum eſt Anno ab Urbe condita 535. Annis 62.

D Polybius lib. 1. & 2
Epitomæ à libro 13. ad 20
Florus lib. 2
Eutropius lib. 2
Plutarchus in Pyrrhi, Marcelli, & Fabii vitis.
Plinius de Viris Illuſtribus.
Paulus Oroſius lib. 4
Sex. Rufus.
Joannes Zonaras tom. 1

A bello Punico ſecundo uſque ad tertium, quod fuit ab Anno ab Urbe condita 605. Annis 70.

E Livius à 20 libro ad 40
Polybius tertio, quarto, quinto, ſexto, & fragmentis reliquorum.
Eutropius lib. ſecundo, tertio, quarto.
Sylvius Italicus lib. 8
Plutarchus in Fab. Max. Marcelli, Catonis Majoris, Pauli Æmilii, & Flaminii vitis.
Plinius de Viris Illuſtribus.

Æmi-

Æmilius Probus in Annibalis vita, A
Appianus in Syrio.
Paterculus lib. 1
Paulus Oroſius lib. 4
Sex. Rufus.
Joannes Zonaras tom. 1

A bello Punico tertio ad Cæſarem Dictatorem, qui fuit Anno ab Urbe condita 706. Annis 10.

Florus lib. 2. & 3
Appianus in Lybico, Hiberico, Mithridatico, & primo, & ſecundo bellorum civilium.
Eutropius lib. 4. & 5. & 6 B
Plutarchus in Græcorum, Marii, & Syllæ Sertorii, Pompeji, Luculli, Craſſi, Cæſaris, Ciceronis, Catonis, Mar. Antonii, & Bruti vitis.
Cornelius Nepos in Attici vita.
Saluſtius in Jugurtino, Catilinario, & concionibus.
Dio lib. 37. 38. 39. & 40
Svetonius in Cæſaris vita.
Lucanus.
Cæſaris Commentarii,
Paterculus lib. 1. & 2
Plinius de Viris Illuſtribus.
Paulus Oroſius lib. 4. 5. & 6 C
Joannes Zonaras tom. 1

A Cæſare Dictatore ad obitum Auguſti, qui fuit ab Anno ab Urbe condita 761. Annis 62.

Dio à libro 40. uſque ad 56.
Svetonius in Cæſaris, & Auguſti vitis.
Appianus lib. 2. 3. 4. 5. bellorum civilium, & in Parthico.
Vellejus Paterculus lib. 2
Cæſaris Commentarii de bello civili cum Hirtio.
Florus lib. 3. & 4 D
Plutarchus in Cæſaris, Ciceronis, Antonii, Bruti, & Catonis vitis.
Eutropius lib. 6. & 7
Cornelius Nepos in Attici vita.
Tacitus initio lib. 1
Paulus Oroſius lib. 6
Sex. Rufus.
Sex. Aurelianus Victor.
Zonaras tom. 6
Zoſimus lib. 1. hiſtoriarum.
Joſephus Judæus lib. Antiquit. 14. & 15. & 16. & 17.

Ab obitu Auguſti ad Domitiani necem, quæ fuit Anno Urbis 849. Annis 82. E

Dio lib. 57. & 58
Joannes Xiphilinus in Epitoma Dionis.
Tacitus lib. 21

Svetonius in reliquis 10. Imp. vitis.
Eutropius lib. 7
Sex. Aurelius Victor.
Sex. Rufus.
Zoſimus lib. 1
Paulus Oroſius lib. 7
Zonaras tom. 20
Joſephus lib. 17. 18. 19. 20. antiquitat. & de bello Judaico lib. 7

A Nerva Principatu ad Conſtantini Imperium quod fuit anno ab Urbe condita 1058. Annis 210.

Eutropius lib. 8. & 9
Sex. Aurelius Victor.
Sex. Rufus.
Xiphilinus in Epitoma Dionis.
Paulus Oroſius lib. 2
L. Ælius Spartianus.
Julius Capitolinus.
L. Ælius Lampridius.
Herodianus Alexandrinus
Vulcatius Gallicanus
Trebellius Pollio
Flavius Vopiſcus.

A Conſtantino ad Juſtiniani Imperatoris obitum, qui fuit anno Chriſti 455. Urbis verò conditæ 1317. Annis 261.

Eutropius lib. 10
Euſebius Pamphili Cæſarienſis in vita Conſtantini lib. 5
Paulus Oroſius lib. 7
Sex. Aurelius Victor
Sex. Rufus
Ammiani Marcellini libri poſteriores 18
Zoſimus à lib. ſecundo ad 6.
Paulus Diaconus ab 11. ad 28.
Socrates Scholaſticus in Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 6
Evagrius Scholaſticus in Hiſtoria Eccleſiaſtica. 6.
Hiſtoria tripartita
Jornandes Gothus in Chronicis
Sancti Hieronymi Chronica Euſebio adjecta.
Proſper in Chronicis
Procopius lib. 7
Agathias Scholaſticus lib 5
Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius in vitis Pontificum Rom. & Hiſt. Eccleſiaſt.
Theophanes Iſſaurus
Nicephorus Caliſtus Xantoplus in Hiſt. Eccleſiaſtica.

A Juſtiniano Imperatore deinceps.

Evagrius Scholaſticus
Beda Anglus
Paulus Diaconus
Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius in vitis Rom. Pontificum, & in Hiſt. Eccleſiaſt.
Zonaras tom. 3

JUDI-

JUDICIUM DE HISTORICIS,

Qui res Romanas ſcripſerunt ab Urbe condita ad Caroli Magni Imperatoris tempora.

Polybius.

VEtuſtiſſimus omnium, qui ſuperſunt, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum eſt Polybius ex Megalopoli Arcadiæ civitate P. Africani minoris præceptor, ac perpetuus ejus in Militia comes. Hic bella Punica, & quæ eodem tempore in Græcia, Aſia, & Lybia geſta ſunt, libris XL. ſcripſit, quorum priores quinque integri, reliqui imperfecti ſuperſunt. Ptolemæo Evergete in Ægypto regnante ſcripſit. Sed ea ſunt ita crebris egreſſionibus interrupta, ut qui ſe præceptorem hiſtoriarum conſcribendarum profitetur, hiſtoriæ leges quaſi negligere videatur.

C. Cæſar Dictator.

C. Julius Cæſar belli Gallici & Civilis Pompejani Commentarios rerum à ſe geſtarum ſcripſit genere orationis eleganti, & puro. Hujus cum perſpicuitas, elegantia & numeri mire placent, tum latior ſingularum rerum, temporum, locorum, conſiliorum, atque actionum ſuarum explicatio.

C. Saluſtius.

C. Saluſtius Criſpus, qui Cæſaris Dictatoris tempore vixit, nobis totus periit, quod ad libros Hiſtoriarum attinet, quas Rerum Rom. temporum ſuorum ſcripſit, conjuratio Catilinæ, & bellum Jugurthinum integra ſuperſunt. Brevis eſt, ſed nihil non ea brevitate comprehendit, ſententiis gaudet, & antiquis verbis, acumine non inepto, de eo Martialis Criſpus Romana primus in Hiſtoria Thucydidi ex Græcis opponitur à Quintiliano, elegantia dicendi, Attica brevitate, ſententiarum crebra uſurpatione; Aſinio ut nimis antiquarius, & ex Catonis originibus verba mutuatus; Trogo autem Pompejo diſplicet quod orationibus nimis longis, & directis utatur ſicut etiam Thucydides.

Diodorus Siculus.

Diodorus Siculus Triumviris in Rempublicam ſævientibus libris XL. quibus Bibliothecæ nomen indidit, omnium temporum hiſtoriam Græcè amplexus eſt, res Rom. minus diligenter perſequens; ex his ſex primi Antiquorum geſta fabuloſa ante Trojanum bellum continent, in 11. ſequentibus quæ à bello Trojano ad Alexandri Macedonis Principatum geſta ſunt, referuntur; in reliquis autem tribus & 20. recenſentur, quæ uſque ad bellum Gallicum C. Cæſaris Dictatoris acta ſunt.

Dionyſius Halicarnaſſeus.

Dionyſius Alexandri filius Halicarnaſſeus, cujus extant libri decem Græcè, & undecimus male verſus, res geſtas ante & poſt Urbem conditam uſque ad bellum Tarentinum,

A & Regis Pyrrhi ſcribere aggreſſus eſt. Diligens antiquitatum inveſtigator, Rempublicam Rom. dilucide ante oculos ponit, quibus initiis, quo ordine, quo conſilio, quo eventu ſingula geſſerit egregie ratiocinando recenſet.

Tit. Livius.

T. Livius Patavinus ab Urbe condita ad Neronis Druſi obitum, qui fuit anno Urbis 712. libros 142. hiſtoriarum conſcripſit, ex quibus 35. tantum extant eorum quæ ante Pyrrhum, & bellis Punico ſecundo, Philippico, Antiochino, & Perſico geſta ſunt. B Vixit eiſdem Auguſti temporibus, in quibus hiſtoriæ finis eſt; ubertate, & prudentia maxima, à Principe Cajo tanquam verboſus & negligens notatus, Pollio ei Patavinitatem objiciebat: à Quintiliano autem magnopere laudatur, & cum Herodoto in concionibus præſertim comparatur, & ediſcendus pueris proponitur ut Ciceronis imitator.

M. Valerius Maximus.

M. Valerius Maximus exemplorum novem libros ſcripſit, in quibus ex omnibus hiſtoriis exempla in certos locos conjecit. C Utilis eſt eo ipſo ordine, & quod ad ſimilem utilitatem unicuique uti liceat exemplo. Sed dum ex omnibus elicit, qui ſæpe varii inter ſe ſunt, fit ut ſæpe etiam non ſibi conſtet. Melius fuiſſet ſi nomina Hiſtoricorum ex quibus ea decerpſit addidiſſet. Tiberii Cæſaris tempore ſcripſit, mira in eo laudandi ratio.

Paterculus.

Vellejus Paterculus Tiberii Cæſ. etiam temporibus vixit, è fragmento duorum librorum cognoſcimus, eum epitomen hiſtoriarum D Rom. ſcripſiſſe, pleraque omnia placent quod res ipſæ dignæ ſint, neque à melioribus conſcribantur, alioqui verbis, & ordine non ſatis accuratus, adulationis, ſupra quam credi poteſt, vitio laboravit, præſertim Auguſti, & Tiberii Cæſaris.

Plutarchus.

Plutarchus Cheroneus Trajani poſtea Rom. Principis præceptor, vitiis inſignium virorum ſcribendis res geſtas à Græcis atque Romanis prodidit, rerum, ac ſententiarum ubertate magna, ſed dum ſingulis plura, quam ad eorum vitam pertinet, tribuit, hiſtoria ſæpius E repetita, atque conciſa, non efficit tamen ut vel ex omnibus diſcamus quæ geſta ſint, nec quo conſilio, neque quo ordine, mire tamen rerum ubertate utilis.

Tacitus.

P. Cornelius Tacitus optimus Hiſtoricus ea quæ poſt Auguſti obitum uſque ad tempora ſua acciderunt, optima fide, atque diligentia recenſens, conſilia, mores, res, & rerum ge-

A geſtarum ordinem uſque ad Trajani Principatum egregie ſcripſit. Aulicæ vitæ rationem in Aula Palatina Domitiani, Nervæ, atque Trajani diu verſatus eleganter explicuit: ſtilus magis gravis, quam elegans, aſper enim, & duriuſculus eſt. Si meliores tamen Reipublicæ res geſtas conſcripſiſſet, proculdubio haberet Livius æmulum, Paulo Dionyſio, & Saluſtio inferiorem; periere autem libri aliquot.

Frontinus.

Sex. Julius Frontinus ſtratagematum libros conſcripſit, in quibus ex omnibus hiſtoriis exempla in certos locos deſtinata enumerat copioſe, & magna cum utilitate, licet
B pleraque librariorum errore inepte ſint repetita. Nervæ & Trajani temporibus vixit.

Plinius Cæcilius.

C. Plinius Cæcilius, ſeu quis alter Romanorum Illuſtrium virorum geſtas res ſcripſit. Is ut elegantia Romana haud mirabilis eſt, ita propter magnitudinem materiæ valdè nobis utilis, licet non ſemel erret, & pleraque dicenda omittat: Floruit ſub Trajano Taciti amiciſſimus.

Svetonius.

C C. Svetonius Tranquillus 12. Cæſarum vitas potius quàm hiſtorias conſcripſit: hic eorum mores, domeſticas res, ac publicas magna diligentia, ordine certo atque perpetuo ſcripſit, ſtylo alioqui tenui, & qui grammaticum magis quàm hiſtoricum ſonet. Vixit ſub Adriano Principe, cujus etiam epiſtolarum magiſter fuiſſe dicitur.

Appianus.

Appianus Alexandrinus Sophiſta Ægyptius ſub Adriano Imp. duobus & viginti libris alia ratione quàm cæteri hiſtorias Romanas perſequutus eſt, provinciarum devicta
D rum ordinem ſequutus res geſtas in ſingulis Provinciis enumerat. Item bella civilia, quæ extant, libris quinque: multa omittit, ſed diligenter legendus quod pleraque ex hiſtoricis acceperit qui perierunt.

Æmilius Probus.

Æmilius Probus eleganter Græcorum Ducum, & Punicorum vitas ac breviter ſcripſit.

L. Florus.

L. Flori, qui ejuſdem Hadriani Impera-
E toris Principatu vixit, Hiſtoria rerum Rom. quatuor libris diſtincta, declamatoris mihi non hiſtorici videtur; dum ſingula bella deſcripſit, in ſingulis ineptus eſt.

Juſtinus.

Juſtinus Pii Imperatoris tempore floruit. Is Trogi Pompeji librorum epitomen eleganter conſcripſit, externarum nationum poſt hominum memoriam res diſerte enumerat, ordine non ita exacto, rerum Romanarum mira tenuitas, atque, ut ex quadam oratione apparet, odium non leve.

Dio.

Dio è Bithynia Urbe Niceæ oriundus Aproniani filius, iterum Conſul ſub Alexandro Severo Principe fuit. Is juſſu Severi Imp. rerum Roman. ab initio Urbis hiſtoriam ſcribere aggreſſus, eam uſque ad Alexandri Imp. tertium Conſulatum libris 80. perduxit, ex quibus priores ſex & 30. & 23. poſteriores nobis deſunt; præclare autem nobiſcum actum eſt, quod Joannis Xiphilini Conſtantinopolitani Monachi Epitome ex poſterioribus Dionis libris confecta ſuperſit, quæ vitas Imperatorum omnium, excepto Pio, continens, non modicum auxilium rebus cognoſcendis præbet. Ipſe ut dixi Aſiaticus eſt, in concionibus plus nimio loquax, narratione verò ſatis diligens, multaque docet à Latinis prætermiſſa.

Herodianus.

Herodianus Alexandrinus Grammaticus Apollonii etiam Grammatici filius & diſcipulus, libros octo Hiſtoriæ Rom. principium ſui temporis Græcè confecit ob ortu M. Aurelii ad Gordiani minoris initium. Imp. ſingulorum actiones, & geſta diligenter, & certo ordine enumerat, concionibus gaudet, ſed brevibus, acumine, brevitate, & ſententiarum gravitate Saluſtio comparandus, ſi meliorum temporum res tanto ordine, & ea dicendi copia ſcripſiſſet, inter Græcos Hiſtoricos, qui Latina memoriæ mandarunt, principem locum ſine dubio obtinuiſſet.

De Julio Capitolino, Ælio, Lampridio, Trebellio, Pollione, Flavio Vopiſco, Ælio Spartiano, & Vulcario Gallicano, qui uno ferè tempore ſub Diocletiano, & Conſtantino Magno Imp. Rom. Principum vitas conſcripſere, vix habeo quid dicam, adeo temporum injuria, & librariorum indiligentia ſunt mutili, & corrupti; ex his tamen, quæ extant facile colligere poſſumus, eos pro temporum conditione ſatis diligentes in hiſtoria conſcribenda fuiſſe, ſed rerum diſpoſitio, qua hi uſi ſunt, minus apta, ſtyluſque tenuis. Pleraque etiam dicenda omittunt, multis inepte, quæ ad rem nihil vel parum pertinent additis, & cum brevitati ſtudent in nimiam verboſitatem incidunt minuta quæque perſequentes. Nobis tamen chari eſſe debent, cum eorum temporum meliores ſcriptores non habeamus.

C. Julius Capitolinus.

Julius Capitolinus omnium Principum Rom. vitas in duas partes diſtinctas, priorem Diocletiano, poſteriorem Conſtantino Imp. conſcripſit. Nam ſoli extant Pii, Marci, Veri, Pertinacis, Macrini, Albini, duorum Maximinorum, trium Gordianorum, Maximi, & Balbini; reliqui periere. Ipſe citatur à Flavio Vopiſco in Probi Imp. vita.

T. Ælius Lampridius.

T. Ælius Lampridius eiſdem Diocletiani temporibus Rom. vitas explicavit, Commodus, Alagabalus, Alexander nobis tantum ſuperſunt. Citatur à Flavio Vopiſco in Probi vita

inter

A inter eos; qui Rom. Principum vitas ſcripſere.

Pollio.

Trebellius Pollio ſub Diocletiano & Maximiano Imperatore Conſtanti Cæſari patri magni Conſtantini, omnes Imp., qui à duobus Philippis uſque ad Claudium; item Quintilium fuerunt, tam claros, quàm obſcuros, ut in Aureliani vita refert Flavius Vopiſcus, ſcripſit; deeſt hiſtoria à Philippis ad Valerianum, nam quod extat ab eo exordium habet.

Flavius Vopiſcus.

B Flavius Vopiſcus ſub eiſdem Principibus ad Celſum quendam vitas eorum Principum conſcripſit, qui ab obitu Claudii, & ejus fratris Quintilii fuerunt, uſque ad initium Imperii Diocletiani. Scripſit autem paulo ante bellum, quod cum Perſis geſſit Maximianus, extant omnia, ſed librariorum errore depravata.

Spartianus.

C T. Ælius Spartianus Diocletiano Imp. omnium eorum, qui non ſolum in Rom. Imperio principem locum tenuere, Auguſtique appellati ſunt, verum & illorum, qui vel Cæſarum nomine, vel quolibet alio genere ſive in famam, ſive in ſpem venerunt Principatus, ut ejus verbis utar, vitas enarravit, Galerio, & Conſtantino Cæſaribus jam creatis; Hadrianus, L. Ælius, Julianus, Severus, Niger, Caracallus, & Geta tantum extant.

Gallicanus.

Vulcatius Gallicanus, qui etiam eiſdem temporibus Imp. vitas ſcripſit, nobis penè totus periit, Avidii Caſſii vita tantum excepta.

Flavius Eutropius.

D Flavius Eutropius ſub Valentiniano majore vixit, minus quidem elegans, ſed cum ex Livio, & Saluſtio res nobis ignotas decerpſerit, & omnem hiſtoriam Rom. breviter ab Urbe condita uſque ad Juliani Principis mortem lib. decem perſequatur, magni à nobis fieri debet.

Ammianus.

E Ammianus Marcellinus, ut ipſe de ſe loquitur, Græcus miles, & in Latino ſermone, qui ſuo tempore corruptiſſimus erat, parum verſatus, Latine hiſtoriam Rom. ſcribere aggreſſus eſt ab obitu Domitiani ad Valentis Imp. ſub quo vixit interitum lib. uno & 30., ex quibus priores 13. interciderunt, ubi ad temporum ſuorum hiſtoriam, quæ libris qui extant continetur, devenit, diligentiſſime atque optima fide ſcripſit; verum adeo duro, aſpero, inepto, & plane barbaro ſermone, ut vix quid dicat conſequi lector poſſit, librariorum errore mutilus, & depravatus; utilis tamen eſt ubi intellexeris, nam ea ſcribit, quæ meliores auctores non habent.

Victor.

Sex. Aurelius Victor vir Conſularis breviter ab Auguſto ad Theodoſii ſenioris mortem, ſub quo vixit, Imp. vitas memoriæ mandavit. Nonnulla alia præter ea perſequutus eſt.

Sex. Rufus.

Quid de Sex. Ruſo dicam vix habeo, uſque adeo conciſus eſt, ut nullam habeat hiſtoriæ ſimilitudinem. Victorias Provinciarum Pop. Rom. breviter perſequitur, enumeratis locis, ac Ducibus, tenui alioqui, & plane corrupto ſtilo: vixit ſub Valentiniano Imp.

Oroſius.

Paulus Oroſius Hiſpanus indignus Hiſtorici nomine, nonnihil ex Eutropio, & Floro collegit; primæ illi partes in Religione Chriſtiana laudanda, veterumque ſuperſtitione explodenda. Vixit ſub Honorio Principe, D. Auguſtini, cujus diſcipulus fuit, temporibus.

Zoſimus.

Zoſimus Gateus græce ſeptem libris, quorum ultimus integer, cum pleraque alia in cæteris manca ſint, hiſtoriam Rom. temporum ſuorum confecit, ſeu à Conſtantini Imp. temporibus, Gothis aliiſque barbaris Italiam, & cæteras Provincias vaſtantibus. Ipſe totus in Chriſtianæ Religionis pietate oppugnanda, Principibus Rom. qui in ea initiati fuerant, lacerandis verſatur, ideò ſæpe falſa ſcribens indignus eſt hiſtorici nomine, à quo amor, & odium abeſſe debet, ut veritati locus ſit utilis, quod tamen pleraque, aut ab aliis non ſcripta aut temporum injuria amiſſa perſequitur.

Procopius.

Procopius Rhetor Cæſarienſis à Paleſtina oriundus Juſtiniani temporibus vixit, Beliſarii præſtantiſſimi Ducis à ſecretis omnibus ejuſdem expeditionibus, quæ multæ fuerunt, interfuit, Bellorum Gothici, Italici, tribus Perſici, duobus Vandalici, totidem libris hiſtorias optima fide græce conſcriptas nobis reliquit. Diligens ipſe eſt in ſcribenda hiſtoria, verum mediocri ſtilo, ac plane naturali dictione, quæ Aſiaticæ propior eſt quàm Atticæ, ipſe enim Aſiaticus fuit. Conciones & epiſtolas quaſdam breves interponit, haud prorſus in eo genere ineptus.

Agathias.

Agathias Scholaſticus Smirneus quinque libris res Juſtiniani Principis, ejuſque Ducum Beliſarii, & Narſis in Italia, Africa, Perſide, & apud Bizantium geſtas poſt Procopium conſcripſit ſtylo tenui, & crebris interpoſitionibus confuſo, verum utilis eſt, quod ea perſequutus ſit, quæ meliores ſcriptores non habent.

Jornandes.

Jornandes Gothus Epiſcopus, omnium temporum Chronica potius, quam hiſtoriam ſcri-

ſcripſit ab Urbe condita ad Juſtiniani Imperatoris tempora, ſtylus barbarus, verum hiſtoria utilis, quod multa ab aliis omiſſa perſequatur.

Marcellinus.

Marcellinus Comes U. C. Chronica, ſeu Annales ſcripſit ab obitu Valentis uſque ad Juſtiniani Imperii 20. annum, in his breviter illorum temporum hiſtoriam, ſeu potius commentarium, eſt ſatis diligenter complexus.

Beda.

Beda Anglus Chronica, ſeu Annales ſcripſit à Mundi initio ad Imp. Leonem Iconomachum, qui Cononis cognomen habuit, cujus ætate vixit. Cum ad tempora ſua devenit, latius res explicavit, diligens, & pius Scriptor.

Paulus Diaconus.

Paulus Forojulienſis Longobardus, cognomine Varnefridus Diaconus Ticinenſis Eccleſiæ, octo hiſtoriarum libros Eutropio addidit, ab obitu Juliani Imp. ad Leonis Iconomachi Conſtantinop. Principis Imperium, ſatis diligens in iis, quæ literis mandavit, verum tenui, & quaſi barbara dictione, pleraque etiam dicenda omittit; vixit Caroli Magni Imperatoris temporibus.

A

Anaſtaſius.

Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius, Vir pro temporum conditione Græcis, & Latinis literis eruditus ex Theophane Iſauro, & Nicephoro Patriarcha Conſtantin. Græcis Scriptoribus fide, diligentia, hiſtoriam decerptam Latinè conſcripſit, à Chriſti Natali, ad Michaëlem Seniorem, cognomine Bangaben, Conſtantinopolis Imper. nobis valde carus eſſe debet, quod ea, quæ nec meliores, nec pejores Scriptores habent, literarum monumentis tradidetit.

B

Zonaras.

Joannes Monachus Conſtantinopolitanus, ex Ordine S. Baſilii, cognomento Zonaras, qui olim Bizantii magnus Drungarius Biglæ, ſeu excubiarum, & Prothoſecretarius Imperatoris Alexii, & Johannis Comnenorum fuit, hiſtoriam univerſam Græce à Mundi primordio uſque ad obitum Alexii Comneni Conſtantinop. Imperatoris, ſub quo ipſe vixit, tribus libris perſequutus eſt, quorum primus agit de rebus Judaicis, ab exordio Mundi, uſque ad Hieroſolymitanum excidium; alter hiſtoriam Romanam ab Urbe condita, uſque ad Conſtantinum Magnum Imp. breviter complectitur; tertius Imperatorum res geſtas, à Conſtantino Magno, uſque ad obitum Alexii Comneni continet; ineptè, & parum diligenter de rebus Latinis loquitur, à Conſtantino Imp. deinceps utilis eſt, nam diligenter enarrat, quæ meliores Scriptores non habent.

C

F I N I S.

VITA
ONUPHRII
ZARRABINI
COTINEOLENSIS,
CANONICI REGULARIS E CONGREG. SALVATORIS;

CAROLO SIGONIO
AUCTORE.

MONITUM EDITORIS.

CLariſs. Muratorius *in Vita* Caroli Sigonii *ab ipſo conſcripta, & noſtræ huic Editioni præfixa, monuit, inter alia celeberrimi hujuſce Scriptoris Opera recenſendam eſſe P. D. Onuphrii Zarrabini Vitam, Latinis literis concinnatam; ea propter omni, licèt incaſſum, diligentia niſus ſum, ut illius exemplar nanciſcerer, cæteris Sigonii lucubrationibus adjungendum. Cùm igitur ſors mihi non obtulerit hoc parvum Opuſculum, ne prorſus jejunum Lectorem dimitterem, iſtius Vitæ translationem in Italicam linguam hìc ſaltem edere decrevi, quam* Borgarucius de Borgaruciis *à ſe patrio idiomati donatam præpoſuit Concionibus Quadrageſimalibus ejuſdem Zarrabini, in publicam lucem eductis: ex qua niſi verba, procul dubio mentem Auctoris noſtri, poteris Humaniſſime Lector dignoſcere; atque abundè percipere, me nihil prorſus omiſſum velle, quod ad Sigonii Opera noverim pertinere.*

VITA
DEL P. DON ONOFRIO
ZARRABINI
SCRITTA
DA CARLO SIGONIO,
E TRADOTTA IN LINGUA VOLGARE
DA BORGARUCCIO BORGARUCCI.

COtignola nobil Terra della Romagna, & aſſai più antica di quello hanno penſato alcuni, in ogni tempo havendo havuto nobili Famiglie, ha prodotto anche huomini & in armi, & in lettere à niuno altro ſecondi. Et fra gli altri la nobile & antica Famiglia de' Zarrabini diede a' tempi noſtri un raro certamente moſtro di natura, e per lettere, e per bontà di vita, e per religione degno di eſſere ammirato, e commendato da più prudenti penne, e da più colti ingegni: perciò che di Domenico de' Zarrabini huomo di facoltà allo ſtato ſuo convenienti, e di candidi coſtumi, e di molta bontà, e lealtà di animo; & di Margarita de' Corteſi, Donna nella Patria ſua, ſi come più bella delle altre della ſua età, così altretanto caſtiſſima e prudentiſſima, nacquero ſei figli maſchi, & una femina, l'uno de' quali, di cui ho preſo a ſcrivere la Vita, nato l'anno MDXXXV. adì VIII. del meſe di Settembre, fu al batteſimo nominato Bartolomeo; il quale fin da i primi anni diede continovi & evidenti ſegni, ch'era per darſi in modo alle lettere, alla religione, al ſervitio & culto di Dio, che ſarebbe eſempio a molti, & un raro ornamento, & di ſua Patria, & della ſua Religione; onde circa anni XIII. della ſua età, che fù l'anno MDXLVIII. alli XX. di Luglio veſtito dell'Habito de' Canonici Regolari della Congregatione del Salvatore in Bologna nel Monaſterio di S. Salvatore dal Reverendo Padre Don Floriano Cedropiani cittadino Bologneſe, & all'hora prencipaliſſimo in quella Congregatione, ſecondo l'uſo, & il conſueto de' Regolari, laſciato il nome primo, fù detto Donn' Onofrio, & poi dal loco ſopranomato, quaſi per additamento della eccellenza dell'huomo, IL COTIGNOLA. Nelle prime lettere, che dicono piacevoli, & humane, hebbe per precettore Don Giuſeppe Bergomi del detto Ordine, mà di Patria Mirandolano, huomo eloquentiſſimo, & di belliſſime lettere Greche, & Latine; oltra la conveniente cognitione della Filoſofia, & della Sacra Theologia; & quello, che molto importa, havendo in sè gran bontà di vita, rara pietà, & religione; fù molto amato da quel ſantiſſimo & beatiſſimo Papa Pio V. ottimo Pontefice. Mà ne più ſeveri ſtudj, cioè nelle Arti, per Precettore hebbe in Bologna Gian' Antonio Delfini da Caſal Maggiore dell'Ordine de' Minori, Theologo, & Filoſofo maſſimo, che oltra l'haver letto molti anni publicamente nello ſtudio di quella Città, Metafiſica, e Theologia, eſſendo Regente nel ſuo Convento, laſciò ſcritte alcune gravi Opere in diverſe ſcienze, & maſſime in Theologia; & finalmente morì Vicario Generale di quel ſuo Ordine. In Perugia gli fu Precettore Franceſco Piccolomini, Filoſofo celebratiſſimo, che hora con gran faſto leggendo nello Studio di Padoa, vi tiene il primo luogo, per eſſere uno de i primi, & più rari Filoſofi della noſtra età; ſi come finalmente nella Sacra Theologia vi hebbe Precettore Tomaſo da Monte Lupone, & Bonaventura da Meldula, amendui dell'Ordine pur de' Minori; Egidio Perugino, & Ambrogio Bologneſe Heremitani, Theologi preclariſſimi: per lo che non è meraviglia, ſe ſotto la diſciplina di tali e tanti Huomini hà fatto quella riuſcita nelle lettere, che hoggi dì è tanto chiaro per le Opere di eſſo publicate, che niſſuno dubita, lui eſſere arrivato al colmo delle ſcienze, al monte delle quali molti aſpirando, appena ſi ripoſano a' piedi, & ponno arrivare alle radici di quelle; percioche eſſo Reverendo Padre in età di anni XXIII. ſcriſſe un Compendio di Logica; & quattro anni dopo ſcriſſe la prima parte delle Homelie Domenicali; & in età di anni XXVIII. la ſeconda; e trè anni dapoi la terza parte; & ſendo di anni XXXVI. ſcriſſe le due Parti delle Prediche ſopra tutta la Quadrageſima, & di anni XL. compoſe la quarta parte delle Homelie ſopra le feſte principali de' Santi, non oſtante, che quaſi in tutto quel tempo foſſe occupato nel governo della ſua Congregatione: Opere in vero gravi, e tanto grate al Mondo, che fin' hora ſono ſtate riſtampate quattro fiate. Non tralaſcierò di dire ancora, che non molto da poi, che fù l'anno della ſua età XLII. e XLIII ſcriſſe con ſua gran gloria XXXI. Libri di Materie, & de Soggetti Predicabili, diſtinti in trè parti ſopra i ſei primi verſi del Salmo 50. *Miſerere mei Deus &c.* oltra di che nel ſeguente anno XLIV. ſcriſſe la Hiſtoria delle Grandezze, Baſſezze, & Varietà dell'humana Vita, con alcune Rime Spirituali, & di anni XLVI. ſcriſſe trè Libri molto curioſi, & utili, uno dello ſtato Verginale, l'altro dello ſtato Maritale, & il terzo dello ſtato Vedovile, & l'anno ſeguente com-

compoſe IV. Libri della Civile, & Chriſtiana Nobiltà, oltra un'Opera intitolata: *Ameniſſimo Giardino per qualunque ſtato di perſone* &c. & oltre otto Libri latini, il Soggetto de' quali io non hò potuto ſapere da niſſuno de' Padri del ſuo Ordine, con i quali hò io di lui ſpeſſe volte ragionato, per informarmi della vita ſua, delle ſue maniere, de' ſuoi coſtumi, della ſua converſatione, & de' ſuoi ſtudj: ſi come finalmente in diverſe occaſioni mi ſono informato; & oltra trè parti de' Ragionamenti Famigliari ſopra tutte le Domeniche, & Feſte de' Santi, per ſervitio particolarmente de' Curati: à tal che ſi vede, eſſo di quel ſuo ingegno fare ciò, che vuole, per averlo ottenuto dalla natura per dono speciale della larga mano del benigno Iddio, atto nato ad imparare, & ſpiegare facilmente ogni coſa: perche nel coſpetto de' ſuoi Canonici, eſſendo veramente tale, ſi rende irreprenſibile, oſſervante, & ſtudioſo, non che zelante della Regola del Padre S. Agoſtino, & delle Traditioni de i ſuoi Padri, anzi dimoſtra in sè una certa majeſtà, per la quale in detti, & in fatti è conoſciuto, non ſolo da' ſuoi per loro eſempio, & degno di ogni riverenza, ma dagli eſtranei ancora: perciò che nel converſare non ſi vede in lui leggierezza, ne diſſolutione di mente, ne di corpo, mà una certa honeſtà, (così è ben compoſto di coſtumi) fermezza, & egualità, che in ogni tempo lo rendono ammirabile, & venerando di maniera, che alle fiate dimoſtrandoſi lieto in viſta, mà non già mai diſſoluto, rompe quell' allegrezza con innata gravità, & modeſtia, & negli affari ſi vede circonſpetto, & per giuditio de' Savj prudentiſſimo, & per natura, & per arte così facondo, & fecondo, sì nel priſco favellar latino, come nel ſermon volgare moderno, che nell' uno, & nell' altro dire, par tra' ſuoi non habbi pare, & uſa tutti queſti ornamenti, & colori convenevoli, che rendano pura, viva, vaga, facile, e chiara la oratione; ſi abbaſſa con gli eſempj, s'innalza con la dottrina ſpecolando, & à loco, e tempo, quando con certa honeſta allegrezza, tal' hora con pietoſo dolore, & quando con giuditioſa meraviglia muove, e tira gli animi delle perſone, & uſa finalmente tutti quei modi, tutte quelle forme, e tutte quelle maniere, che à dotto & eloquente Dicitore non ſolo, mà à pio Chriſtiano convengono. Da i buoni egli è perciò amato, & riverito, & benche da' triſti, & invidioſi (come è il lor coſtume) ſia odiato, mal veduto, e perſeguitato; egli nondimeno con prudenza grave, & ſtabile conſtanza, con ſofferenza in tutte le coſe avverſe talmente ſi porta, che ſe non può ſuperare o vincere la invidia, che è di ogni virtù nimica, almeno la vien di modo à domare, & fiaccare, che non hà ardire di alzar così di leggiero contra di lui le venenoſe corna. Egli è di ſtatura più toſto grande, & convenientemente formato, ha faccia longa, ſpatioſa fronte, occhj bianchi, debil viſta; è per natura più toſto ſanguigno, di moto grave, & di aſpetto venerando, & alquanto ſevero; mà rieſce tuttavia nella famigliare converſatione aſſai più piacevole, & affabile, che altri non crede. Non laſcierò poi finalmente di dire, che oltra queſto rariſſimo ornamento, & gran ſplendore di queſta nobil Famiglia de' Zarrabini, vi ſiino ſtati anche altri perſonaggi, & in lettere, & in armi preclari; perciò che Ugo Dottor di Leggi, & Zaccaria Zarrabini Notaro, per le loro rare qualità, furono frequentemente adoperati da Franceſco Sforza Duca di Milano, & ſpecialmente in Ambaſciarie gravi, & importanti a molti, & varj Signori. Di Zaccaria ſudetto nacquero Ugo ſecondo, e Gian Filippo amendui Notari fideliſſimi. Et di Ugo ſecondo nacque Ludovico prudente & valoroſo Guerriere; & di queſti Gianantonio Dottore di Legge, il qual leſſe publicamente nello Studio di Bologna, & laſciò dopo sè un figlio detto Marco Antonio Flaminio, che per eſſere letteratiſſimo, onde ſcriſſe alcune Opere aſſai grate al Mondo fù molto caro à Reginaldo Polo Cardinal d'Inghilterra Illuſtriſſimo; ma ſopra il tutto huomo di grandiſſima ſcienza, & de' Letterati grande amatore; di cui fù anche Auditore un' altro pur de' Zarrabini Dottor di Legge, & Prete, detto Ceſare. Et Benedetto anch' egli de' Zarrabini, & Dottor di Leggi moſtrò il valor del proprio ingegno, & la nobiltà della Famiglia in varj, & diverſi ufficj, & ſpecialmente nel governo di Ceſena, mantenendo quel popolo in oſſequio, quantunque foſſe in quei tempi dedito alle diſcordie, & partialità; ſi come anco Aleſſandro, anch' egli della medeſima Famiglia de' Zarrabini, cognominato Groſſetto, per eſſere alquanto corpolento: per lo valor ſuo, nel meſtier dell' Armi, fù fatto Capitano della Chieſa. Vi fù oltra i ſopradetti Pier Carranto huomo di molte lettere, ſi come ſi vede nelle ſue Opere ſtampate, & publicate al Mondo in proſa, & in verſi. Et Sebaſtiano pur della iſteſſa Famiglia Medico, & Filoſofo, più volte Gonfaloniere d'Imola, laſciò anch' eſſo un figliuolo, nominato Onorio, herede delle virtù paterne, perche anch' egli fù Dottor di Medicina eccellentiſſimo nella Città di Fiorenza, dove morì queſti anni à dietro; talche dalle coſe fin quì viſte, ſe piacerà al Signore Iddio di concedere à queſto Reverendo Padre, del quale hò ragionato ſin' hora, quel honeſto ocio, & quella vita, che ogn' uno deſidera, & in che ſi può in queſto Mondo havere ripoſata, tranquilla, & longa, debbiamo penſare di vedere, & leggere altre Opere, che ſiino per apportar' utile al Mondo, & à lui medeſimo honore, & gloria.

I L F I N E.

CAROLI
SIGONII
OPUSCULA II.
ADHUC INEDITA,

NEMPE

DE DONATIONE CONSTANTINI M.

ET

DE SCHOLIS BONONIENSIBUS,

NECNON EJUSDEM

EPISTOLÆ,

Omnia nunc primùm prodeunt

E MANUSCRIPTIS CODICIBUS

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ,

CUM PRAEVIA PRAEFATIONE

CL. V. JOSEPH ANTONII SAXII

EIDEM BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI.

JOSEPH ANTONIUS SAXIUS

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS

LECTORI BENEVOLO.

STrenuus labor, omnique laude digniſſimus, quem ad evulganda Caroli Sigonii, *immortalis nominis viri, Opera, cum ſuis, tum aliorum adnotationibus illuſtrata, ſuſcepit* D. Philippus Argelatus, *Bonarum Artium Cultor eximius, me quoque excitavit, ut Bibliothecæ Ambroſianæ codices manuſcriptos evolverem, exploraturus, num aliquis inter illos ejuſdem fœtus lucem adhuc exoptans, lateret, qui augere poſſet celebrem tanti Auctoris memoriam, cenſumque Literarum. Equidem haud omnino ex voto cura & ſedulitas ceſſit; vix enim occurrêre tenuvia quædam Fragmenta ejuſdem laborum à* Hieronymo Mercuriali *accepta, ut in fronte codicis ſignati* E. 9. *in fol. adnotatur, quæ tamen iterum damnare tenebris antiqui Plutei religioni duxiſſem, cum quidquid ex aureo tam illuſtris Auctoris calamo decidit, fodinarum in morem, aureis venis ſcatentium, in pretio apud Eruditos omnes futurum, nemo arbitrari non valeat. Itaque quod primùm ſe ſe obtulit, ſcriptio eſt ad Scholas Bononienſes ſpectans, quarum originem, uſque à Juniore Theodoſio derivatam volunt, producto etiam Diplomate, quo memoratus Imperator illas erigere, atque ornare contendit. Id ſibi admodum fide laborans viſum eſt, nec incautè admittendum cenſuit Sigonius, ſuaſque ideo animadverſiones in Auguſtale illud Reſcriptum digeſſit. An verò, cum Hiſtoriam Bononienſem conderet, validioribus fortaſſe argumentis permotus ſententiam illam abjecerit, in incerto jacet, cum minimè conſtet, quo anno haſce criticas adnotationes Sigonius conſcripſerit. Procul dubio ſtetit ille pro inſigni hoc Urbis Bononiæ ornamento, recenſens in edita ſua Hiſtoria ad annum CCCCXXX. jus publicæ Scholæ à Theodoſio impetratum. Præſtat tamen diligens hoc examen Sigonii in lucem emittere, ut inde in tanti Auctoris laudem id præclarius innoteſcat, non cæca illum adulatione, ſed candido veritatis amore ductum, res omnes, quas ſcriberet, expendiſſe; Nihil autem imminui poſſe crediderim de tam decora Bononiæ prærogativa; ſiquidem dilutis, quæ Sigonius objecerat, dubiis, veluti diſciſſis nubibus, quibus aliquando ſol obtegitur, ſplendidior veritas eluceſcit, quemadmodum à ſe jam præſtitum, vulgata, publico Decreto, S. P. Q. B. Auguſtalis Diplomatis Apologia in ſuis ad eundem annum adnotationibus Alexander Macchiavellus teſtatur.*

Huic Cenſuræ, qua veterem illam Chartam oppugnare Sigonius videtur, aliud in Codice Ambroſiano ſcriptum ſubnectitur, ex quo compertum ſit, opus eidem fuiſſe, ut ad ſui ipſius tutamen calamum verteret. Cum enim Hiſtoriam De Occidentali Imperio *texuiſſet, non defuere qui in eundem inſurgerent, monerentque, expungenda omnino eſſe, quæ de Conſtantino Magno, ſub Melchiade jam ad Chriſtianam fidem converſo, & Cathecumenis adſcripto, retulerat. Siquidem hanc gloriam, quod illum ab Idolorum cultu ſubmoverit, ſacroque Baptiſmate abluerit, S. Sylveſtro, Melchiadis ſucceſſori, intactam prorſus ſervandam aſſeverabant. Conquerebantur inſuper quòd Melchiadi, è vivis erepto, martyris titulum ademiſſet, ſuamque Hiſtoriam, aut omiſſis quæ recenſenda erant, aut adjectis quæ fuerant omittenda, peſſimè concinnaſſet. In eos Sigonius validè pugnat, accuratam rerum à Conſtantino geſtarum Chronologiam, inſtituens, veterum Scriptorum teſtimoniis ac Conciliis firmatam, quibus feſtinata, & conſtans Auguſti illius Pietas ante S. Sylveſtri Summi Pontificis tempora vindicetur, ſingulaſque Adverſariorum criminationes egregiè ſubvertit. Hæc quoque digna cenſui, quæ typis donarentur, teſtatura poſteris, quanta Sigonius ingenii præſtantia, atque Eruditionis ſoliditate polleret; præcipuè cum viderim, non abſimilia ejuſdem reſponſa, cenſuris aliis reddita, ad calcem Hiſtoriæ Bononienſis, novæ editionis, fuiſſe evulgata.*

Demum nonnullas Epiſtolas, Sigonii manu conſcriptas, ſparſim ex Ambroſiana collegi, datas ad Paulum Manutium, & Vincentium Pinellum, cum quibus eidem inerat neceſſitudo ſtudiorum, necnon ad Onuphrium Panvinum, virum omni ævo memorandum, quem ipſe veluti lumen, atque oraculum in obſcurioribus Rei literariæ ambagibus conſulebat. Eas non ingratas Eruditis futuras reor, cum refertæ ſint argumentis, antiquam hiſtoriam & monumenta explanantibus, atque inde plura dignoſci

poſſint

poſſint de ſtudiis conſiliiſque celeberrimi bujus Scriptoris. Propediem aliæ quoque quamplures Onuphrii Panvini, aliorumque ad ipſum archetypæ Epiſtolæ, quæ Ambroſiana tenet, proferentur in lucem, inſerendæ ejuſdem Operibus, quorum inſignem integram editionem Mediolani curandam meditatur Argelatus noſter, promovendis Literis ære, ſtudio, curiſque ſuis impigrè ſemper addictus. Interim ſereno vultu qualecumque hoc donum excipe Lector, & ſaltem facilis animi deſiderium uberiora producendi, ſi quæ licuiſſet in manuſcriptis noſtris offendere, benignus commenda. Vale.

Dabam Mediolani VII. Cal. Novembres MDCCXXXVII.

CAROLI SIGONII
DE DONATIONE CONSTANTINI
SENTENTIA.

QUo uſque actum eſt de baptiſmo & de donatione Conſtantini in Hiſtoria intexenda aſſenſus ſum propter reverentiam Romanæ Eccleſiæ, quæ illa approbat. Nunc vero quoniam id agitur, ut inferendæ donationis cauſa omnes veræ hiſtoriæ, quæ huic officiant, omittantur, ac pervertantur, non videtur eſſe ſilentio prætereundum; itaque reſpondebo objectis ea libertate, qua decet eum, qui ſtudio veritatis movetur ad ſcribendum, memor, primam legem hiſtoriæ eſſe, ut ne quid falſi audeat, ne quid veri non audeat, item Deum eſſe veritatem, & Deum veritatis, quam nunquam ultro, aut oppugnabo, aut omittam.

Moneor ut omnibus in locis tollam mentionem Milciadis cum Conſtantino de fide negotiantis; video, quorſum hoc pertineat, ſatis enim apparet totum Pontificatum Milciadis deſtruere edictum Conſtantini, nam ſi Conſtantinus fuit Chriſtianus, & Cathecumenus ſub Milciade, falſum erit, ipſum à gentilitate, & Idololatria ad fidem traductum eſſe à Silveſtro: at verò tantis, ac tam multis auctoritatibus patet, Conſtantinum ſub Milciade fuiſſe Cathecumenum, ut nemo dubitare poſſit, quod ita probatur.

Melciades ſuccedit Euſebio anno 311. Anaſtaſio Auctore.

Conſtantinus viſa Cruce anno Chriſti 312. in Gallia fit Cathecumenus, & cum exercitu cruceſignato, & Crucis vexillo prælato venit adverſus Maxentium, & eo occiſo VII. Cal. Octobris, Urbem ingreditur, ac Chriſtum nunciat, leges pro Chriſtianis fert, Epiſcopos honorat, Crucem extollit (Auctor Euſebius), Milciadi donat Lateranum, & Baſilicam Salvatoris inchoat, & alio habitatum ſe confert; teſtes Milciades capitulo 8. de primitiva Eccleſia (Authore Burcardo Ivone, & Gratiano.)

(Idem) anno 313. ludos ſeculares Chriſtianæ fidei adverſos abrogat, (Zoſimus) legem renovat pro Chriſtianis, (Euſebius) qui verba legis ponit. In Galliam regreſſus rogatur à Donatiſtis Africanis hæreticis, ut cauſam ſuam contra Catholicos cognoſcat, (Euſebius) extat libellus Donatiſtarum apud Africæ Proconſules.

(S. Auguſtinus) extat epiſtola Dontiſtarum ad Conſtantinum, item reſponſio Conſtantini rejicientis à ſe tale judicium. (Optatus) extat epiſtola Conſtantini apud Euſebium, qua committit eam cauſam Milciadi Pontifici, in qua loquitur de reverentia, qua proſequitur Eccleſiam Romanam. Extat Concilium Milciadis, & nomina Epiſcoporum apud Optatum, ſententia Milciadis in Donatiſtas, (Optatus) Concilium dicitur habitum eſſe in Laterano, quaſi in domo Pontificis. (Optatus) extat appellatio à ſententia Milciadis. (S. Auguſtinus, Optatus, Euſebius) indictio alterius Concilii (Arelato) in ſe- A quentem annum per Conſtantinum, (iidem) pridie Cal. Decembris Conſtantinus legem fert pro clericis Catholicis, (Codex Theodoſii.)

Anno 314. Concilium Arelatenſe confirmavit ſententiam Milciadis. (Idem) rurſus rogatur Conſtantinus, ut cauſam cognoſcat, rejicit, verum victus precibus Mediolani cognovit, & confirmavit ſententiam Milciadis concilii Arelatenſis (iidem.)

Milciades IIII. idus Decembris moritur teſte Anaſtaſio, nulla martirii mentione facta; IIII. Cal. Januarii; ideſt poſt dies XVII. creatur Silveſter Pontifex.

B 315. Conſtantinus gentilis Idolatra, & perſequutor Chriſtianorum, & Silveſtri Pontificis, neſciens, qui eſſent SS. Petrus, & Paulus, baptizatur IIII. Cal. Aprilis, & poſtridie ſcribit edictum, & donat, & inquit, inter cætera fabricaſſe templa SS. Petri, & Pauli.

Nunc rogo ut æquus Judex judicet, an ſuperioribus manentibus hæc eſſe poſſint, quæ nullam habent antiquam autoritatem, quam edicti Conſtantini quod apocryphum eſſe conſtat.

Deleanturque ſcripta Sancti Auguſtini, qui ſæpiſſime ſuperiorem hyſtoriam repetit, C ac diſputat, & inquit, ſe acta legiſſe eorum judiciorum, & Euſebii, qui vixit cum Conſtantino, & Optati, qui rem ex inſtituto tractavit contra Donatiſtas, & Milciadis ipſius, qui ita ſcriptum reliquit, & Conſtantini, cujus conſtitutio extat in Codicibus Theodoſii.

Dico igitur, cautè procedendum eſſe in Donatione, & ea tantum dicenda, quæ non repugnant ſuperiori hiſtoriæ, non ſuperiorem hiſtoriam omittendam; neque enim ſi ego illa prætericro, propterea repugnantia erit ſublata. Quod dicitur ut ſcribam Milciadem martyrio affectum. Dico, hoc non eſſe in vita ejus apud Anaſtaſium, neque in Breviario, D & in libro Bibliothecæ Vaticanæ appellari confeſſorem, nec potuiſſe occidi, niſi à Conſtantino, quod eſſet abſurdum ex ſuperioribus, ſed legatur Onuphrius. Addo, abſurdum eſſe, Conſtantinum occidiſſe Milciadem, cum ſcribat Euſebius eum ſtatim coluiſſe Epiſcopos. Quod dicitur concilium Arelatenſe factum eſſe ſub Silveſtro, reſpondeo: illa duo, quæ ſunt ſub Silveſtro longe alia eſſe, nam acta eſſe poſt Concilium Nicenum, nec pertinere ad Donatiſtas, & alios Epiſcopos interfuiſſe, id quod collegi ex ipſis conciliis. Quod moneor, ut ex narratione baptiſmi re- E moveam verba illa, *perſequutiones tuas fugiens*, dico removenda eſſe, quia repugnant hiſtoriæ ſuperiori, ſed non removenda eſſe ei, qui defenderit edictum, nam ſunt verba Sancti Petri, recitata à Coſtantino, quæ ſi repugnant veritati, arguunt ſolam illam hiſtoriam eſſe falſam. Quod dicitur, Conſtantinum fuiſſe Arrianum, propterea perſequutum eſſe Pontifices, primum hoc nemo tradit, neque eſt

in edicto, & veritati adverſatur, quia Arrius cœpit loqui in principio Epiſcopatus Alexandri Epiſcopi Alexandrini anno 319. teſtibus Socrate, & aliis; Addo quod hæreſis Arriana non tetigit Occidentem poſt annos quinquaginta. Quomodo ergo Conſtantinus anno 315. potuit eſſe Arrianus? Hæc ejuſmodi confinxerunt, qui temerè voluerunt defendere omnes partes edicti, & nullam hiſtoriam tenuerunt, inter quos Principatum habet Epiſcopus Eugubinus, qui maledicit potius, quàm defendit. Quid igitur cenſes ne Eccleſiæ Romanæ auctoritas contemni videatur, & ut repugnantia hiſtoriarum tollatur? ita ſcribendum cenſeo.

Eodem anno Conſtantinus in morbum lepræ fœdiſſimum lapſus cùm idoneum, ac præſens nullum tantæ peſti remedium reperiret, in ſomnis ab Apoſtolis Petro, & Paulo divinitus eſt admonitus, ut Silveſtrum Pontificem ad ſe vocaret, ab eoque ſacrum baptiſmum acciperet; ſic enim conſequuturum ut lue ejuſmodi mundaretur. Divino viſo ſtatim Conſtantinus obtemperavit, atque à Silveſtro de iis, quæ ad fidem, & pœnitentiam pertinebant, diligenter edoctus, ac ritu Eccleſiæ expiatus poſt trinam merſionem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti adhibitam, continuò mundatus evaſit. Quare gratiis Deo actis poſtridie ejus edicti, ut gratiam Silveſtro referret, Baſilicas Sanctis Petro, & Paulo Apoſtolis inchoavit, eaſque poſſeſſionibus, & donariis eximiis exornavit, atque ipſum Pontificem donatione magnificentiſſima muneratum, ornamentis præterea ad Pontificatus decus ampliſſimis honeſtavit. Oſtenditur hodie quoque baptiſterium ab eo egregio quodam opere conditum, extat etiam Conſtantini ipſius edictum græcis, latiniſque litteris ſcriptum, in quo ipſe hanc totam de ſe prodit hiſtoriam, 3. Cal. Aprilis ſe quartum Conſule datum, quod inter concilia edictum ſatis conſtat auctoritate Romanæ Eccleſiæ comprobari.

337. Hoc demum anno (Euſebius) refert Conſtantinum ſacra unda infectum, quod reticendum (licet ab Eccleſia Romana, ut diximus, alienum) fidelis Scriptoris officio ſervientis in controverſia, non tam vetere, quàm vulgata non duximus; verba verò ejus, ne mentiri temere videamur, hæc ſunt. *

** Hic explicit Codex MStus.*

CARO-

CAROLI SIGONII
JUDICIUM
DE SCHOLARUM BONONIENSIUM ANTIQUITATE.

1. NOn invenitur, Imperatorem Orientis indulſiſſe privilegium Civitati alicui Occidentis, neque contra, ergo non eſt veriſimile, Theodoſium dediſſe Bononienſibus.

2. Juſtinianus qui imperavit poſt Theodoſium in Oriente, Gottis obtinentibus Italiam, juſſit ut digeſta legum tantum exponerentur Conſtantinopoli, Romæ, Beryti, & non in aliis Civitatibus, ſicut à retro Principibus conſtitutum erat, ex quo apparet Theodoſium non indulſiſſe privilegium Bononiæ in proœmio Digeſtorum.

3. Nulla memoria, neque clara, neque obſcura, neque vera, neque falſa, habetur de Gimnaſio Bononienſi ante annum 1100. poſt Theodoſium per annos 700. continuos, ergo affert dubitationem.

4. Bartolus in proœmio Digeſtorum inquit, Gymnaſium Bononienſe inſtitutum fuiſſe à Lothario Imperatore, qui imperavit anno 1136. & non à Theodoſio, ut fama erat.

5. Odofridus in idem proœmium ait Gymnaſium Bononienſe prius fuiſſe artium, quàm juris, & Ireneum in eo docuiſſe prius Philoſophiam, quàm Jus civile. At Ireneus vixit tempore Lotharii ſupradicti, ergo non videtur Theodoſius dediſſe privilegium Juris docendi.

6. Privilegium, quod datur Archidiacono doctorandi, eſt novum, & ante trecentos annos conceſſum ab Honorio Tertio Pontifice, cujus etiam bulla in plumbo extat apud Canonicos;

Perſonæ non conſentiunt.

1. Quia inquit in titulo ſe conſtitutum eſſe in Imperio ab Honorio, quod eſt falſum, quia fuit relictus Imperator à patre, & conſervatus iu Imperio ab Iſdigerte Rege Perſarum tutore ex teſtamento patris, ex Hiſtoria, imo Procopius negat Honorium potuiſſe Theodoſio opem ferre.

2. Quia inquit ſe veniſſe Romam, & Bononiam, & hoc repugnat hiſtoriæ, quæ docet eum ſemper manſiſſe in Oriente, & conſtitutionibus ejus, ex quibus apparet eum nunquam fuiſſe in Italia.

3. Quia inquit ſe interfuiſſe concilio generali Romæ ſub Cœleſtino Pontifice, quod eſt falſum, tum quia nunquam adiit Italiam, tum quia ſub Cœleſtino nullum concilium generale Romæ eſt habitum, ſed Epheſi contra Neſtorium.

4. Quia inquit ſe dominatum adeptum eſſe Gothorum, quod eſt falſum.

5. Quia repugnat vitæ Sancti Petronii, ubi dicitur Sanctum Petronium, abſente Theodoſio, urbem reædificaſſe, at ipſe inquit in privilegio ſe affuiſſe ei inſtaurationi.

6. Quia teſtes qui dicuntur interfuiſſe ſcribendo privilegio Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Comites multis ſæculis vixerunt poſt Theodoſium.

Loca non conſentiunt.

1. Nominat multa loca, quæ tempore ſuo tale nomen non habuerunt, ſed multis ſæculis poſt, ut Cumaniam, Valachiam, Sclavoniam, Lombardiam, Marchiam Veronenſem, Romandiolam.

2. Nominat multa regna, quæ nondum erant inſtituta, ſed multis ſæculis poſt fuerunt, ut Dux Tarſiæ, Rex Sciavoniæ, Africæ, Siciliæ, Comes Flandriæ inter teſtes.

3. Quia inquit ſe Regem, ſive Dominum fuiſſe multarum regionum, quarum non fuit, ut Indiarum, Perſiæ, Babyloniæ, Ruſſiæ.

4 Quia inquit Bononiam fuiſſe in medio Lombardiæ, Tuſciæ, Marchiæ Veronenſis, & Romandiolæ, cum tempore Theodoſii non fuerint talia nomina, nec talis Diviſio Italiæ.

5. Quia nominat flumen Panarium, quod tamen non habuit hoc nomen.

6. Quia cum inquit, ſe quacumque in parte Imperii ſui velle conſtituere Gymnaſium, perperam de Bononia dicit, quæ erat Valentiniani, & pertinebat ad Occidentem.

Tempora non conſentiunt.

1. Quia nominat Reges Chriſtianos interfuiſſe concilio, cum nullus tamen eſſet Rex Chriſtianus.

2. Quia nominat dignitates, quæ nondum conſtitutæ erant, ut Ducem, Principem, Marchionem.

3. Quia nominat ſe Regem Sclavoniæ, Africæ, & Siciliæ, cum illa Regna nondum eſſent inſtituta.

4. Quia nominat nomina locorum, & fluminum, quæ tunc nulla fuerunt.

5. Quia nominat Dominos, & Poteſtates locorum in Italia; at tempore Theodoſii nullus erat alicujus loci Dominus, ut poſtea, ſed Imperator erat dominus omnium, & Poteſtates, qui vulgo dicuntur *i Podeſtà delle Città*, multis ſæculis poſt fuerunt inſtituti.

6 Nominat Ferrariolam, at qui extollunt res Ferrarienſes, non faciunt Ferrariam tam antiquam, & certè nulla memoria hoc probat.

Cauſæ non conſentiunt.

1. Quia inquit ſe moveri miſericordia artium, quæ deflendo oraverint, ut conſtituat Gymnaſium, & tamen artes ante Theodoſium, & tempore Theodoſii floruerunt ſi quando alias.

2. Quia inquit ſe veniſſe in Italiam concilii

cilii cauſa, quod eſt falſum, quia nullum fuit concilium Romæ, nec venit in Italiam.

3. Quia repugnat hiſtoriæ Sancti Petronii. qui dicitur hoc privilegium impetraſſe à Theodoſio, cum eſſet profectus ad eum, non autem Theodoſium profectum in Italiam motu proprio hoc conceſſiſſe Bononienſibus.

Modus ſcribendi & largiendi Privilegii non conſentit.

1. Quia titulus eſt falſus ex omni parte, Imperatores enim ſic titulos ſuos ſcribebant ante Theodoſium, & tempore Theodoſii. Imperator Cæſar Theodoſius Pius, felix, Victor, ſemper Auguſtus, quod eſt ita apertum ut non egeat probatione. Si addebant aliquid, victorias addebant, ita Gothicus, Alamanicus Anticus, ut patet maximè ex titulis Juſtiniani, at hic titulus eſt contra conſuetudinem, & multa continet falſa, ſed in primis quod ſe Ducem, & Principem, & Regem vocat, cum

A neque in Imperio Reges fuerint, neque Imperatores Reges ſe inſcripſerint, niſi poſt Carolum Magnum.

2. Quia illud, Dei gratia, non eſt uſitatum in titulis, niſi poſt Longobardos, & Francos.

3. Quia non adeſt quo anno datum ſit, cum ſubſcribi ſoleat annus Chriſti, Indictio, Annus Imperii, aut Pontificatus.

4. Quia totum Privilegium non ſolum non eſt Latinum ut ſunt Privilegia, & conſtitutiones Theodoſii, quæ leguntur in ſuo Codice, ſed eſt ita barbarum, ut neque verba, neque locutiones pluri mæ, neque conſtructiones à grammatico ferri poſſint, & eſt deterius quam

B ſcriptura Gothorum, Longobardorum, Francorum, & Germanorum, quorum multa adhuc privilegia leguntur.

Adde quod Andreas Alciatus, Ach. Borchius, Leander Albertus, Gaſpar Sardus in ſuis libris apertè teſtantur falſitatem, & nemo eſt doctus qui non idem ſentiat.

LET-

LETTERE
SCRITTE
DA CARLO SIGONIO
AL PADRE
ONOFRIO PANVINIO.

Molto Rever., & Honorando Sig. mio.

IO penſava di ſcrivervi, quando ecco la voſtra à me dolciſſima lettera, alla quale, meſſa ogni ceremonia da parte, riſpondo, che mi ſaranno cari le Tribu, e le Colonie, & ogni altra coſa, che ella mi manderà, ſe ella il farà ſenza ſuo molto diſcomodo. Quando ella haveſſe Meſſi fidati per Modona, ella ſi potrebbe aſſicurare, che non ſi perderebbe nulla, perche ordinarei in Modona, B che non mi foſſe mandata coſa alcuna, ſe non per perſona fidatiſſima. Volendo ſcrivere, ella può ſcrivere à Meſs. Aleſſandro Milano, perſona letterata, & da bene, & che informato da me delle rare qualità voſtre, v'ama molto. Se io vedrò il Fiamengo, farò l'ufficio, & ragionerò con Meſs. Paolo dell' opinione del Padre Ottavio; percioche ſubito ricevuta la voſtra, hò preſa la penna per la riſpoſta, havendo commodità di meſſo. Mi A piace della Ocriculana; io la metterò in luogo della Papia, la quale non è molto fondata. Salvo ſe voi non havete alcun ſaſſo di eſſa: hora vi prego à mandarmi la copia di queſti marmi della Ocriculana, percioche importa, & della Papia, ſe ce ne ſono. Udendo la fantaſia del Padre Ottavio intorno agli Autori dei noſtri Faſti, non ſono rimaſo ne morto, ne vivo, così mi è quadrata. Quel *Praneſte* mi piacerebbe più, *pedeſtrem*, ſecondo l'opinione di Monſignor Agoſtino. Queſto dubbio per hora mi occorre; ſe Vernio Flacco viſſe anchora ſotto Tiberio, perche non ſeguitò egli i Faſti inſino agli anni di Tiberio. Et ſe furon ſcritti, & ordinati da un ſolo, perche ſono ſcritti da diverſe mani, quaſi in diverſi tempi? ma mi rimetto però al giudicio di coloro, che gli hanno viſti. Ella è una bella fantaſia. Appreſſo vi prego à ſcrivermi la voſtra fantaſia intorno à queſta Inſcrizione antica:

C. SATVRIVS SATVRI PICENTIS P. P.
FILIVS FAB. SECVNDVS EQVO PVBLICO
EX V DECVRIS PRAEF. COH. II. ASTYRVM
AVGVR. PATRONVS COLONIAE ASCVLANORVM
VIX. ANN. XIX. DIEBVS XXVII.
PATER FIL. PIENTISSIMO FEC.

C Dico ſpecialmente, come ragionevolmente ſi può interpretar quelle lettere P. P. & ſe havete altri ſaſſi, dove ſia menzione di quello, *Equo Publico*. Si è preſa licencia di ſtampar il voſtro *de Laudis ſecularibus*. Meſs. Paolo il ſtamperà, ma com'è amalato va tardi, come io vi pronoſticai. Io vi impongo tante coſe ſenza haver da far coſa alchuna per voi, ch'io mi vergogno. Ma ſappiate che non havete perſona, à chi potiate più liberamente commandar ogni coſa, che à me, & così vi prego à farvi à credere. Anchora non ſono uſciti i voſtri Faſti, mà ſi dice, che toſto uſciranno. Il Robortello ſtampa, ſecondo ch'io intendo, contra di me, & di Meſs. Paolo, & D del Maggio Filoſofo. Io gli vuo riſpondere ſubito. Vi manderò le ſue obbiettioni, acciocche me ne diciate il parer voſtro. Et forſe anche conferirò con voi parte delle riſpoſte, anzi ſenza forſe; tanta è l'opinione, ch'io hò della dottrina, & della bontà voſtra, & meritamente. Raccommandatemi à Meſs. Annibale Caro, & perſuadetegli ch'io l'amo, anchora ch'io ſia da Modona, & al Signor Tagliaferro, & ſopra tutti à voi medeſimo.

In Venetia il 3. di Maggio 1557.

Serv. Voſtro Carlo Sigone.

P. S. Vi raccommando alcuni Faſti a penna; di che mi parlaſte; non quei di Sicilia; ma altri; perche importa.

Al Rever. Padre Frate Onofrio da Verona Signor mio Oſſervandiſſimo.

Parma;

Un baiocco.
In Corte dell' Illuſtriſs. & Reverendiſs. Farneſe.

Honoratiſſimo Sig. mio.

PArlai con quel Fiamengo intorno alla promeſſa fattavi di venirvi à trovare, egli mi riſpoſe d'averli il giorno avanti riſoluto; & appreſſo che frà otto dì ſi volea veſtir Frate. Il Tramezzino m'hà dato una lettera, che io vi mandi. Meſſer Paolo alla fine m'hà detto, che non può ſtampare il voſtro *de Ludis ſecularibus*, & ch'è coſa detta barbaramente; & m'hà rimandato à caſa il detto libro; quaſi come io ſia ò voſtro agente, ò pur voi medeſimo. Io l'hò preſo volontieri per amor voſtro, & lo farò ſtampare ad ogni mia poſſanza il meglio che potrò; parendomi, che così ricerchi l'amicitia, ch'è trà noi. Per un' altra hò ſcritto più al lungo.

A Ricordatevi di quei Faſti, che mi promette-
ſte, & delle Tribù, & delle Colonie.
In Venetia li 9. di Maggio 1557.

Serv. Carlo Sigone.

Rev. Sig. mio.

HEbbi la voſtra lettera, dove mi pregate
à non far ſtampar il libro *de ludis*. Io
hò fatto quanto deſiderate; percioc̀che aven-
dolo già dato à Giordano che il ſtampaſſe,
egli già havea cominciato il primo foglio, &
l'hò fatto reſtare con alcun ſuo danno, & ve
lo mando. Queſto vi ſarà un piccolo ſegno
B del deſiderio mio di farvi piacere, il quale è
grandiſſimo. E' uſcita in luce l'hiſtoria del
Zonara Greca & Latina, diviſa in trè Tomi,
l'uno *de Rebus Judaicis à primordio Mundi
uſque ad excidium Hieroſolymitanum*, l'altro,
*ab Urbe condita uſque ad Conſtantinum Impera-
torem*, il terzo, *à Conſtantino uſque ad Ale-
xium Comnenum*. E' breve, ma non ſenza al-
cuna utilità delle coſe Romane. Deſidero le
promeſſe voſtre, & l'opinione voſtra intornoà
queſto Epigramma.

C. Saturius Saturi Picentis P. P.
Filius Fab. Secundus Equo Publico
Ex v Decuris Praef. Coh. II. Aſtyrum
C Augur, Patronus Coloniae Aſculanorum
Vix. ann. xix. diebus xxvii.
Pater filio pientiſſimo fec.

Maxime deſidero l'eſpoſitione voſtra di queſte
lettere P. P. & di queſte voci. *Equo Publi-
co*, le quali trovo in molte altre Inſcrizioni
antique; di queſto io hò ſcritto un'altra vol-
ta, mà temo per le voſtre lettere ultime, che
voi non l'habbiate havute. Mi ritiro per que-
ſti caldi à Murano, & vi prego à conſervar-
mi nella voſtra gratia, & ſalutar in mio no-
me i Magnifici Meſs. Girolamo Tagliaferro,
& Meſs. Annibale Caro, i quali io honoro
molto.
D In Venetia il 2. di Luglio 1557.

Serv. Carlo Sigone.

Molto Rev. Sig. & Patron mio.

LE voſtre Tribù mi trovaron in letto con
la febre, ma mi fecer queſto bene, che
me la diſcacciaro. Io lo leſſi con mio piace-
re, & lodai la diligentia voſtra. I dubbj, che
mi occorſero ſono queſti. Parmi che la Su-
barana ſia fatta prima da Varrone & Plinio,
& forſe altri; ma voi ſeguite l'ordine delle
Regioni, & ponete la Palatina. La Claudia
non può havere il luogo xxi. per eſſer ſtata
E fatta da Tullio, ma haver mutato nome per
la venuta di Ap. Claudio. La Ocriculana mi
fà dubitar ſe ſia delle xxi. percioche l'anno,
che ſecondo Livio, furono compiute le xxi.,
anchora non ſi erano portate l'armi ad Ocri-
coli, il che ſi fece tardi, ne sò come ſi poteſ-
ſe prender queſto nome di là in quel tempo,
eſſendo Ocricoli lontano fuori dell' agro R.
non come il Vejentino, & Cruſtuminio; la
Veturia hà per teſtimonio Livio, il quale nel
lib. 26. diſſe più volte *Veturia Juniorum*., *&
Seniorum*., come nel 27. *Galeria Junior*., *&
Senior*., che ſignifica la Centuria *Juniorum*,
preſa dalla Tribù Galeria, & Veturia, & così
hanno i libri per mano ſcritti: hò anchor io
letti due ſaſſi, dove è VOT, & credo ſia
per *Voturia*; percioche Feſto dice *Voturii
pro Veturiis dicebantur*. Vi prego à mandar-
mi la copia fedele di tutti i ſaſſi di queſta
Veturia. Anchora fù un'altra Tribù, laſcia-
ta da voi, detta Ulpia, la quale hà & ſaſſi
letti da me, & libri, ſe ben mi raccordo,
nominata così, per adular all' Imperatore. Vi
ringratio dell' amor, che mi moſtrate, &
pregovi à conſervarlo. Il Robortello v'aſpet-
tò in Padoa, perche lo viſitaſte, & ebbe per
male, che nol faceſte, come era deſiro vo-
ſtro, nè ſente molto bene perciò di voi. To-
ſto ſarà in luce il ſuo diſfido contro me, &
il Manutio, al quale io riſponderò. Vi riman-
dai i voſtri Secolari; aſpetto riſpoſta à quel
P. P., & attendo che mi comandiate, &
raccomandiate al Caro, & al Tagliaferro, i
quali honoro, come vi diſſi. Vi baſcio la
mano.
In Venetia il 22. Luglio 1557.

Serv. Carlo Sig.

Molto Honor. Sig. mio.

USerò la via, che mi moſtrate nel man-
darvi lettere, poiche quella di Modona
non rieſce. Quando vorrete ſtampare il libro
de ludis ſecularibus, vi farò ſervire da chi vor-
rete, fuori Meſs. Paolo. Le mando la copia
dell' Epiſtola, che ella richiede, della quale
non havea mutate ſe non alcune parole, & il
numero. Vi rimando le voſtre Colonie, & vi
ringratio. Non hò avuta quella lettera, dove
mi dite dell' opinione del P. Ottavio intorno
alla Veturia. Ma ſenza quella lettera, io vi
hò ſcritto, come io ſentiva che ella foſſe una
delle 35., ſicome Galeria, delle quali fà men-
tione Livio lib. 26., & 27. V'hò ſcritto, che
mi mandiate que' trè, ò più ſaſſi di Veturia,
percioche il Robortello contendendo con me,
ripone in Livio in luogo di *Veturia*, *& Ga-
leria*, *Centuria*. Vi mando il Zonara per la
via di Modona. Egli ſarà in Modona Mer-
cordì, cioè alli tre Agoſto. Hò commeſſo,
che vi ſia mandato, ſe così toſto non ſi fa-
ceſſe forſe per careſtia di meſſo fedele, man-
datelo à pigliare. Egli è in mano di Meſs.
Aleſſandro Milano, amico cariſſimo di Meſs.
Giovanni Falloppia, il quale sò che è ſervi-
tore grande del voſtro Cardinale.
Io non credo che la Publilia, & Popil-
lia ſieno il medeſimo, ma diverſe. Ma eſclu-
do la Ocriculana dalle 35. per una mia certa
ragione. L'Epitafio, che vi mandai, è per
conto della diſputa del Robortello, al quale
vi riſponderò *immediate* che è uſcito il ſuo
libro, che già quattro meſi ſi ſtampa contro
me, & Manutio, il quale ſubito vi manderò,
che ſia uſcito, acciocche m'ajutiate in alcuna
coſa di quelle, che credete, ch' io non ſia
per credere, ò haver viſto, maſſime de' ſaſſi.
Io vi conſiglio da amico ſenza una invi-
dia al Mondo, perche v'amo da fratello, &
mi par d'eſſere amato da voi, che riſtampiate
i voſtri Faſti, mà che voi ſiate preſente al
correggerli, percioche mai ſi farà coſa buona
altrimenti. Anchora non ſono uſciti, ne sò
ciò che ne ſia. Scriverò ad ogni Correro,
poiche così vi piace, ma domeſticamente, &
quidquid in buccam. Venne in luce un libret-
to *de legibus R.* di Franceſco Ottomano, &
uno

A uno *de migrationibus gentium*, di colui, che fece quel gran libro, *de Repub. Romanorum*. Di gratia conſiderate un poco queſte parole nella 2. *Philippica de Cic.* à carte 172. al 22. d'Aldo: *Tum exiſtimavit ſe ſuo jure cum Hippia vivere, & equos vectigales Sergio mimo tradere*, che coſa ſieno *equi vectigales*. Egli è parola di Meſs. Antonio, *Magiſter equitum Cæſaris Dictatoris*. Dov' io poſſa ſervirla, la prego à commandarmi. Io anchora ſenza commandamento ſuo farò, ſe vedrò il biſogno. Vi mando alcuni ſfogli del Robortello, rubbatigli alla Stampa in Padoa, i quali mi avanzano. Onde vederete la poca modeſtia di coſtui, dagl' altri vedrete l'ignorantia infinita.

B In Venetia il 28. Luglio 1557.

Serv. Carlo Sig.

Al Molto Rever. Padre Frate Onofrio da Verona ſuo Sig. Oſſervandiſſimo.

Parma.

Appreſſo Monſig. Reverendiſs. Farneſe.

Molto Honorando Sig. mio.

VI mando alcune lettere del Tramezzino, & con queſta occaſione vi faccio à ſapere, come vi mandai ſubito per il C Correro di Ferrara per la via di Modona il Zonera: già dee eſſer là; non ſo ſe l'avrete avuto inſieme con uno de' voſtri libri Cardenaleſchi; ſe non l'avete avuto, egli dee eſſere in mano di M. Aleſſandro Milano, il quale aſpetterà meſſo fedele. Il libro monta alla bottega del Tramezzino ſcudi due, & la portatura del Correro ſoldi 8. Vi raccordo i faſſi della Tribu Veturia, & l'interpretatione di quell'epitafio, perchè ogni coſa è per il Robortello, al quale voglio riſpondere ſubito che avrà mandato in luce il ſuo libro, il quale s'aſpetta di dì in dì. Non mancate di grazia. Vi mando non ſo che fogli, che io hò, acciochè abbiate anche voi qualche ſpaſſo di D queſto pazzo: vi baſcio la mano. La via del Pero è ottima.

In Venetia il 16. Agoſto 1557.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Rev. Padre Frate Onofrio Panvino ſuo Sig. Oſs.

Parma.

Honoratiſs. Sig. mio.

E' Gran pezza ch'io non ho voſtre lettere. Vi rimandai le voſtre colonie. Vi mandai il Zonera, il quale monta 2. ſcudi. Il voſtro libro de' Cardinali; non ho riſpoſta. Il Zonera e in Modona in mano di E M. Aleſſandro Milano. Se non ve l'ha mandato, non dee potere, per le ſtrade non ſicure. Altro non poſſo. Aſpetto di dì in dì la copia di que' tre faſſi è più della Tribu Veturia, & l'eſpoſitione di quel epitafio & riſpoſta alle mie, ma toſto, perciochè ſono per dar fuori toſto contro il Robortello, il libro del quale è uſcito. Mi vi raccomando.

In Venetia il 21. di Agoſto 1557.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Rev. Padre Frate Onofrio Panvino da Verona ſuo Oſs.

Parma.

Appreſſo l'Illuſtriſs. & Rev. Farneſe.

MOnſignor Michele hor hora mi ha detto, che v'è meſſo; però per non perder queſta occaſione, vi ſcrivo, che ho ſcritto di nuovo à Modona, che procurino di mandarvi il voſtro Zonera. Vi prego a mandarmi il voſtro parere de Equis vectigalibus, & quelle altre coſe, che mi promettete, ma ſpecialmente l'Equi. Hoggi ho cominciato a ſtampare contro l'Amico; vi manderò poi la moſtra. Mi vi raccomando.

In Venetia il 7. Settembre 1557.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Rev. Padre Frate Onofrio Panvino ſuo Oſs.

Parma.

Cariſsimo Sig. mio.

IL Padre Ottavio, & Monſ. Agoſtino mandarono lettere, le quali io credendo alle voſtre parole, cioè che già doveſte eſſere in Parma, mandai per il Pero à Parma il primo di queſto. Hora intendo per una voſtra à me cariſſima, che ſiete in Verona, & vi ſete per ſtare, ſicchè hò fatto errore, & voi ne ſiete cagione, che non fate quello che dite. Monſ. Agoſtini mi mandò il Feſto, il quale è un teſoro, oh quanto vi hò deſiderato à communicar inſieme alcune rotture, perciochè ve ne ſono de migliara. Sarà longo libro, & io havea dato ordine di cominciarlo oggi; ma poi mi ſono intratenuto, veggendo che non è coſa da fornir in tre meſi & più, ne conoſco ſe non tre perſone atte ad eſſerne correttori; voi, il Manutio, & me, ne io ſe anderò come ſpero à Padoa, poſſo farlo, ond'io me diſpero. Il Manutio ſi diffida per la difficultà de i fragmenti, che, vi sò dire, è una geometria non minore di quella de i faſti, & vi biſogna il compaſſo del cervello, degli occhj, & della ſchiena. Se non anderò, il che ſaprò fra un meſe; laſciate poi la cura à io. Così hò riſpoſto à Monſ. Se il libro veniva un meſe fà, quando voi, & noi ci potevamo attendere, era ſua ventura. Da Padoa ſi aſpetta queſto Navagero. Hò da dirvi una coſa d'importanza. Il Marcheſe di Maſſa hà mandato un ſuo agente à Venetia, à far che il Manutio ſcriva contro di voi nel tenor che vi dirò. Parmi che voi habbiate ſcritto che PP. Innocentio ſuo preceſſore foſſe figliuolo d'un Medico per nome detto Aron Cibo. Coſtui non lo può comportar, & dice che è falſo, dice che ve l'hà fatto ſapere, & pregato à mutar la partita, & che vene ſiete riſo, perciò vi minaccia nella vita, ſe non lo mutate, nè contento di queſto vuole che il Manutio come perſona di più autorità ſcriva il contrario. Hò parlato con queſto ſuo agente, il quale in teſtimonio di ciò, che dice, mi hà moſtrate alcune ſcritture antiche di queſto Aron, dove è chiamato Mag., e per queſto vuol concludere, che non era medico. Sia come ſi voglia. Intendo, che queſto Marcheſe è giovane e ſuperbo, & veggo che

che l'hà per male. Vedete di pacificarlo, & di giuſtificarlo, & ve ne conſiglio, & ve ne prego, nè ve ne fate beffe di gratia, che queſto non è da ridere, cioè l'haver à far con giovani ricchi, & ſdegnati. Altro non hò che dirvi, ſe non che quì in caſa vi attendiamo ogni hora. Se havete col Cl. Mula tenuta la parte mià io non meno l'hò tenuta con queſtò agente, il quale è male informato della natura voſtra.

In Venetia il 3. di Ottobre 1558.

Serv. Carlo Sigone.

PAdre mio Cariſſimo, l'agente del Marcheſe non è più in Venetia, ma io manderò la voſtra lettera in parte che gli pervenirà. Il Manutio, col quale hò parlato ſubito ricevuta la voſtra, m'ha moſtrato come parla di queſta coſa. Hà meſſo in luce alcuni libri di piſtole ſue, & le dedica al detto Marcheſe con ſperanza d'un dono honorato, & nella piſtola dedicatoria lauda la ſtirpe della Caſa Cibo, & maſſimamente di Papa Innocentio, & di ſuo Padre, ne dice, che ſia ſtato medico, ne lo nega, anzi avendo inteſo dalla voſtrà lettera, che ſi dica *ordinis equeſtris* in loco di medico ve l'hà gionto in mia preſenza. Contra di voi non dice coſa alcuna, anzi m'hà detto, che non lo farebbe mai, & m'hà moſtrato in una di queſte ſue piſtole ſcritta à non sò chi, come fà honorevol mention di voi, & appreſſo hà detto, *io voglio vedere ſe egli avrà fatto così ne' ſuoi libri di me*, moſtrando di dovere haver per male, ſe voi non lo nominate nei voſtri libri, & di queſto s'è detto aſſai.

La libreria dell'Academia s'aperſe Luni paſſato con gran faſto, nella quale trovandomi io Mercore paſſato preſi la voſtra difeſa con quell'agente, moſtrando che voi non havreſte ſcritto il falſo, & poteva eſſere, che foſſe ſtato perſona di maneggio, & anchora Medico: nel che tutti coloro, che aſcoltavano, m'aſſentivano, ſi che egli m'hà fatto pregare per M. Paolo, ch'io non voglia ragionare in quel modo del ſuo Padrone. Del Feſto farò tanto quanto mi ſcrivete, perciochè deſidero, che ci faciamo honore. Di Padoa io non vi sò anchor dir niente, perciochè il Navagero non è ancor tornato, ma s'aſpetta ſenza fallo frà otto dì. Se non anderò non accade à dubitare del Feſto. Aſpetto di dì in dì, che l'annotationi mi ſiano mandate dal Sig. Horatio Orſino, il quale le copia, perciochè Monſ., già ſono quindici dì, partì di Roma per andare al ſuo Veſcovado. M. Paolo noſtro vi ſi raccomanda & inſieme con me vi prega à fargli dove vi s'appreſenti occaſione, favore appreſſo l'Illuſtriſs. Cardinale ſuo Padrone, & voſtro.

Vi rimando la lettera, della quale non mi ſono ſervito in altro, ſe non in moſtrarla al Manutio; altro non hò che dire, ſe non che non mi viene in mente coſa buona per quel voſtro faſſo. Mi rallegro che ſiate ſano, & che habbiate ſervito à Dio queſti giorni, che ſete ſtato coſtì in Verona, & mi raccomando ſenza fine.

Di Venetia alli IX. d'Ottobre MDLVIII.

Serv. Carlo Sigone.

A Si dice che 'l Robortello vorrebbe ritornare ſe non à Padova, quì à Vinegia nel mio loco.

Al Molto Rev. P. Maeſtro Onofrio
Panevino mio Oſs. in
Verona.

Molto Reverendo.

CRedo che la voſtra lettera, ch'io mandai all'agente del Marcheſe ſarà ſtata d'efficacia, però che era ſecondo che deſiderano per hora, & ſecondo che io gli havea promeſſo. Mà altro non hò inteſo. Non sò
B come proveder alla lettera mandata à Monſ. Agoſtino; mà non credo, che poſſa andar à male, perciochè mi ſcriſſe, che in ſua abſenția mandaſſi lettere à Roma, come prima, che gli ſarrebbono mandate da ſuoi. Alle voſtre Città, e Tribu mandatemi, è biſogno di teſtimonio, però aſpetto la copia dei ſaſſi. Stò al ſolito. Anchora non è tornato il Navagero, il quale mi riſolva. Non hò anchora comminciato à leggere in Venetia, mà non venendo, comincierò. Non sò ſe havete avvertito mai à queſte parole nel Bruto di Cicerone: *Q. Nobilior M. F. Q. Ennius, qui cum patre ejus in Ætolia militaverat, civitate donavit, cum Triumvir Coloniam deduxiſſet*.
C Che Colonia è queſta? ò come donò egli la Città à Ennio? dubito, che non intenda di *Rudia* Patria di Ennio fatta Colonia Romana, & perciò Ennio ſia fatto cittadino, ò pur poichè hebbe dedotta la Colonia, faceſſe Ennio cittadino *nominatim*, pure non ne havete detto niente. Altro non hò; andate felice, & ſcrivetemi ſpeſſo.

Di Venetia il 25. di Ottobre 1558.

Serv. Carlo Sigone.

Molto Reverendo Sig. mio.

D NOn vi maravigliate della mia negligentia nello ſcrivervi, perciochè verſo gli altri è per natura, verſo voi è per neceſſità. Sono ſtato occupato, & ſono nella dimanda della lettura di Padoa; perciochè di due Reformatori, i quali erano al tempo voſtro, uſcì il Moroſino mio Amico, & fù fatto un Giorgio Amico de miei nemici, ſi che ci è ſtato da contraſtare, ne hò fatto nulla. Vedete come ſi veggono le coſe del Mondo. Il Faſuolo è ſtato licenziato à ſeguitar ut ſupra, ſi che la coſa anderà tanto in lungo che ſarà difficile, anzi impoſſibile coſa il conſeguirla. Hor ſia con Dio, poichè non potiamo legger *in concione orbis terrarum*, ſcriveremo *orbi terrarum*. Queſto mi dimenticava che importa
E aſſai. Tutto il ſtudio di Padova ſi è moſſo per mè. Prima il Rettore, poi la natione Milaneſe, poi la Fiamenga, ultimamente la Polacca. Tutti hanno mandati Ambaſciatori in nome pubblico i più honorati Scolari del ſtudio, & hanno trovato i Signori, & gli è ſtato promeſſo, ne gli è ſtata oſſervata la promeſſa, mà di queſto ſi è detto aſſai. Torniamo à dar due paſſeggiate per portico. Frà otto dì, credo che ſarò riſoluto, & quieto dell'animo. Subito mi voglio mettere à ſcrivere, maſſime i libri *de Jure*; voglio ancora raccoglier tutti i Fragmenti delle Opere di Cicerone, che non ſi trovano, & farne un libretto

bretto bello, & utile, & forſe ſtamperò un Valerio Maſſimo, & prima di tutti il Feſto, di che aſpetto riſpoſta, & vedete, ſe havete in che giovarmi ò di conſiglio, ò d'opera. Tutte le Botteghe di Venetia ſono cariche de' voſtri libri, & mi ſcrive il Maggio da Roma che ſono lodatiſſimi. M. Paolo Manutio ſi è doluto con me, che voi non l'habbiate nominato ne' voſtri libri, non sò ſe io hò altro. Ricordatevi ſopra ogni coſa di far che io abbia quelle correttioni *ad Atticum*. Cavo un corrolario da quel luogo di Bruto, che chi era di Colonia era *Civis R.* Ma credo che s'intenda Colonia Romana; *Ergo ſi Civis erat, ſuffragium ferre poterat Romæ, nec ne? an vero Civis ſine ſuffragio?* Parmi che ſi poſſa dire, che ſi come erano *municipii ſine ſuffragio, & cum ſuffragio*, così foſſero Colonie *ſine ſuffragio*, cioè le Latine, *cum ſuffragio* le Romane; mà vorrei mò uno eſempio, che le Colonie Romane habbiano ſuffragato in Roma; queſto vi dirò per empire il foglio, & ſatisfare all'altre volte, non perchè io habbia la mente là hora, eſſendo trè meſi, ch'io chiuſi i libri, come ſapete, ne mai gli hò riaperti. Giordano non è anchor venuto. Hoggi e Venere & è feſta. Non poſſo parlar al Valgriſio tanto a tempo, che per dommani habbia il voſtro ſervitio; però rimanetevi con queſto, & fate che le voſtre lettere ſieno piene di qualche bella coſa, perciochè come torno à ſtudiare farò il medeſimo. Il Sig. Barbarigo vi ſaluta: vi baſcio la mano.

In Venetia il 28. Ottobre 1558.

Serv. Carlo Sigone.

Molto Honorando Sig. mio.

ALle voſtre. Come ſaranno venuti i libri d'Alemagna farò quanto deſiderate. Di Feſto anchora non ſi è incominciato per la tardità de' Signori Loredani. Circa al confine d'Italia, Formione, & Aſſia, così mi par d'havervi detto altre volte fondato nelle parole di Plinio. Se avete autorità più certa, ſcrivetemelo, & quando mi dite una coſa, ditemela con l'autorità ſua, ò la conjettura, altrimente laſciate ſtare. Q. Fabio Pittore è detto da Dioniſio nel primo libro haver ſcritto in greco, mà s'inganna, perciochè nel primo *de Legibus* Cicerone lo numera fra gli Hiſtorici, che hanno ſcritto in latino. Gellio lo cita più volte, & cita le parole latine, come dove parla *de duo & viceſimo anno*. Nonio il cita parlando della voce *Picumnus*, & di queſto ve n'è più di quattro eſempj. Coſtui *fuit æqualis belli Punici ſecundi, & interfuit bello Gallico Ciſalpino, quod geſſit M. Marcellus primo Conſulatu*. E un luogo nel primo, ò nel ſecondo *de divinatione talis*. *Extat in numerum Fabii Pictoris Græcis annalibus*, & credo, che ſi debba leggere. *Extat in Numerii Fabii Pictoris*, & queſto ſia quello che hà ſcritto Greco. Sapete come Numerio è peculiare de' Fabii, & Fabii Pittori. Fà mentione anchora Cicerone nel Bruto d'un *Ser. Fabius Pictor, juris, & antiquitatis bene peritus*, i quali credono alcuni goffi, che ſia *Q. Fabius Hiſtoricus*, perchè dice *antiquitatis bene peritus*, mà non è, perchè coſtui è minor d'età di Catone, & Quinto è maggiore, mà queſto è *Servius Fabius* citato da Macrobio terzo libro *de Jure Pontificio*. Anchora Nonio dice *Fabius Pontifex Juris* libro terzo, & ſi dee dire *Pontificii Juris*. Credo che ſia nella voce *Picumnus*, & che eſſo confonda Quinto con Servio, mà è una pecora.

Sono intorno à que' Fragmenti di Cicerone: il capriccio m'è venuto, non per conto d'eſſi, mà per honorar un mio amico toſto toſto di qualche coſa, perciochè voglio conſiderar meglio l'Italia, & darla ad altri. Scrivetemi ſpeſſo, mà di qualche coſa utile, & ricordatevi delle promeſſe. I Polacchi bravano con voi, come vedrete per una lettera, ch'io vi mando; di grazia impariamo à vivere, & non ſtucicchiamo i veſpai, & parliamo di quel forſante di Catelina à noſtro modo, & ſe ci vien voglia anchora di Silla, anchora che foſſe Dittatore, & crudele, & laſciamo ſtar coloro. *Alia tempora nunc alii mores*. Io gli hò promeſſo di ſcrivervene, di gratia ſcuſatemi, ò difendetemi in una lettera, perciochè tengo molto conto di coſtoro, perchè n'amano. Saluto il Sig. Annibal Caro, il libro del quale commincierò à leggere dommani, perchè anchora non era legato: mi vi raccomando.

In Venetia il 26. Novembre 1558.

Serv. Carlo Sigone.

Molto Reverendo.

NOn hò havute voſtre lettere dopo che ſete à Parma. Deſidero d'intendere come ſiate ſtato accolto dal patrone, & da tutti gli altri, & come v'avviate à ſtudiare. Io ſeguito pure quell'impreſa, di che vi diſſi, de' Fragmenti di Cicerone, & già ſi è cominciata à ſtampare da Giordano. Ancora non ſi è cominciato il Feſto per la lentezza di queſti gentiluomini, & dubito che havrò toſto à menar l'orſo à Modena, cioè havrò fatica, e faſtidio, ne ſoddisfarò nè à me, nè ad altri. Non hò mai havuto lettere da Monſ. Agoſtini, nè ſo ſe ſia tornato à Roma, ò nò. Temo che non gli diſpiaccia queſta tardità; mà voi ſapete come vanno le coſe del Mondo. Credo pure che ſi comincierà di quà da Natale.

Vi mandai per la via di Modena quattro libri, Dione due, uno Commentarj, & quel picciolo *de Urbe, & Civitate, vel de Republica*, perche ſarebbono coſtati un'occhio à mandargli per il Corriero. Saranno in mano di Meſſer Hortenſio Grillenzone fratello di Meſſer Paolo, il quale ve li manderà ſubito, che potrà; altrimenti ingegniatevi mò voi di haverli. Ancora non ſono venuti i Libri di Giordano. Frà un meſe mi metto intorno all' Italia; ricordatevi di ciò, che io hò fatto per voi, & di ciò, che m'havete promeſſo, & non atteſo. La riſpoſta del Caro è lodata, & havuta cara da tutti, & per me m'hà ſoddisfatto à pieno, poiche hà laſciato ſtare la Patria, che non gli hà colpa. Intendo, che il Caſtelvetro hà detto di dovergli riſpondere, & dover ſatisfar al Mondo. Staremo à vedere. Il Tramezzino havea de' voſtri Libri degl'Imperadori, mà non altri. Come ſaranno venuti, farò quanto m'havete commeſſo. Scrivetemi un poco ſpeſſo hora che ſiete in regno voſtro, & maſſime coſe da poter conſolar quei Polacchi;

chi; di che io vi ſcriſſi: mi vi raccomando.
In Venetia il 10. di Decembre 1558.

Serv. Carlo Sigone.

Meſſ. Paolo vi ſaluta infinitamente.

Molto Reverendo Sig. mio.

ALla lettera della Rev. Voſtra riſponderò havendo più comodo, che io non mi trovo havere al preſente; baſta per hora, che io le dichi ſolo, che io hò havuto da Giordano due Libri ſoli, perciochè egli dice, che non ne ſono venuti altri di Germania, mà che egli ne aſpetta toſto aſſai; di queſti due, uno hò mandato à Roma, l'altro mando à voi. Perdonatemi ſe ſono ſtato troppo tardi, perche io gli hò havuti per queſta mattina, con che facendo fine mi vi raccomando di cuore.
Di Vinegia alli 17. di Decembre 1558.

Di Voſtra Reverentia

Serv. Carlo Sigone.

VOlſi mandarvi un de' voſtri Libri per la via del Pero, & ve lo ſcriſſi, mà trovai, che il Pero, ò non lo volle mandare, ò non potè; ſi che ſarà forza ad andar alla lunga, cioè, ò per la via di Modena, ò di Verona, uſerò quale ſarà migliore, ò mi verrà più comoda; quell'altro fù dato al Segretario dell' Ambaſciatore. Il Corriero dimandò di portatura quattro ſcudi, ſi che mi riſolſi di laſciar la cura al Segretario, & la preſe. Circa il Feſto, non ſi è ancora cominciato per la milenſagine de' Loredani in comprar la carta. Se dopo le Feſte non la finiſcono, ve lo manderò, poiche lo volete; mai più, mai più, mai più non m'impaccio di ſimili coſe per far piacere ad altri, & honore, ò tutto il contrario, & ſe non foſſe il riſpetto, che io gli hò, ſenza dir altro, vel manderei. Non hò havuto riſpoſta ancora da' Polacchi, perche ſono ſtato tardi à ſcrivergli. Circa il *Jus Italicum*, voi ſete vicino alla verità, mà ſete poco certo, & parmi, che ciò, che diciate di bene, il diciate à tentone, mà alla venuta voſtra, ne parleremo. Hò finiti i Fragmenti, & Comentarj, & vedrete qualche bella coſa, ma un poco lontana delle altre mie compoſitioni, per non eſſere d'antichità, cioè d'hiſtoria in tutto. Di queſto volea ſubito honorar un gentiluomo Polacco, & queſto volea dirvi in quella mia. Circa Petaſi vi libero, vi dò la mia aſſolutione. Non me ne voglio impacciar ſalvo ſe non ci andaſſe l'intereſſe voſtro. Il Libro del Sig. Caro piace à me, & a tutti infinitamente. Vien ſcritto che il guſſo s'apparecchia, & di più alcuni di que' barbagianetti, mà queſti ſono ſottiventi. Credo, che il Caſtelvetro riſponderà ſenza fallo, percioche è ſofiſta ſottile. Più non vi dico. Vi baſcio la mano, & pregovi à non farmi autore di queſte ciancie.
In . . . . . . 24. di Decembre 1558.

Serv. Carlo Sigone.

PEr la voſtra dei XXIII. Dec. hò compreſo, che nè io hò tutte le voſtre, ne voi tutte le mie, nè vi sò provedere; Con una mia era una di F. Giacomo, nella quale v'avviſava, come l'Imperadore havea commeſſo, che vi ſi deſſe un preſente, & di ciò vi ſcriveva l'Ambaſciator dell'Imperadore. Giordano aſpetta il reſto de' libri, non me n'hà dato, ſe non due; Uno hò mandato à Roma in mano del Vargas, l'altro à voi per Verona, degl'altri ſarò il medeſimo. Hò finiti i Fragmenti di Cic., & ſi ſtampano. Sono intorno all' Italia. Il Feſto è in procinto; ma io hò da far tanto d'altri, che è un ſtupore. Leggo privatamente delle lettioni più di quattro. M'era rimaſa la ſera libera, la quale mi leva in parte il Sig. Maſſimo de' Maſſimi, che mi vien à trovar ogni ſera per ordinario. Vi aſpetto à Paſqua. Vi libero de' Petaſii, non voglio far più per altri, perchè di ciò non aſpetto nè honor, nè utile, mà fatica, & biaſimo. Ditemi ſe le Curie erano in Roma, i ruſtici non erano in Curia? ſe non; adunque tutto il Popolo non ſuffragava nei Curiati Comitii? De' Polacchi v'hò ſcritto, come deſiderano d'eſſer lodati da voi, di gratia ſcrivetemi una lettera, dove moſtriate di voler far ogni coſa per honor loro, acciochè gliela poſſa moſtrare. Fate ogni opra di non mancar di venire à Paſqua. Se poteſſimo eſſere inſieme in qualche ſolitudine due meſi, ſarebbe fatto ogni coſa. De Jure Italiæ vi ſcriſſi benchè mi rimiſſi à bocca. Io ne ſon chiaro, così del Quiritium. Baſcio la mano al Sig. Caro & à voi. In Venetia il 3. Genaro 1559.
Il Pero mi ſolecita.

Serv. Carlo Sigone.

Molto Rev. Sig. mio.

IO v'aſpettava con grandiſſima devotione frà quattro giorni, ſecondo che mi davate ſperanza, quand' ecco un' altra voſtra mandata al R. P. F. Giacomo, che non partirete più prima del ſecondo dì di Quareſima. Voi facete molto del grande con quelle coſe, che mi dite d'aver trovate à noſtro propoſito; io non sò, come i fatti, quando ſarete quì, corriſponderanno alle parole, che mi dite nella voſtra lettera; pure io v'aſpetto con deſiderio, anzi vi prego, che v'affrettiate di venir più toſto che vi ſia poſſibile per riſpetto mio, & d'altri. Intendo, che ſi fa un gran preparamento addoſſo al Sig. Caro, del quale udirete poi, mà voi ſete un homaccio, nè fate mai coſa, che mi dite, ò non la fate, quando la dite di far. Se uſate il ſolito modo non ſarete quì infino à Maggio. Et così queſto ſarà un panno teſſuto à vergato, con che facendo fine amendue baſciamo la mano alla R. V. alla quale ſenza fine ci raccomandiamo.
In Vinegia alli 21. di Genaro 1559.

Di V. River.

Serv. Carlo Sigone.

Molto Rever. Sig. mio.

HOggi hò havuto la voſtra lettera ſcritta alli VII. del preſente, nella quale mi domandate quel libro, che vorreſte, ch' io vi fa-

faceſſi havere alli 18. del medeſimo; perchè paſſato quel termine non ſete per eſſere in Parma; alla qual coſa non vedendo io poſſibilità alchuna, cioè, che in quattro giorni vi venga alle mani un volume grande mandatovi di quà, dove le voſtre lettere non arrivano in ſpatio ſe non di ſette dì, non voglio mettere il detto libro à queſto pericolo, mà più toſto aſpetterò voi quà a godervi queſto carnevale; però habbiatemi per ſcuſato, nè mancate di venir ſecondo che ſcrivete, pieno di novelle, che io v'aſpetto, inſieme con il ſcrittore di queſta, & amendue vi ci raccomandiamo ſenza fine.

In Venetia alli 14. di Gennaro 1559.
Di V. River.

Ser. Carlo Sigone.

Molto Rev. Padre mio honorando.

M'Erano ſtate portate alcune lettere non eſſendo io in caſa, le quali furon poſte, dove era queſto voſtro piego mandatomi dal R. P. F. Giacomo, onde eſſendo io venuto à caſa, & eſſendomi detto, che le predette lettere erano ivi, così in fretta ſenza leggere li ſopraſcritti aperſi il voſtro piego; però perdonatemi, che io vi prometto, che ancor che io l'habbia aperto non n'hò letto niente. Ricordatevi di non mancar della promeſſa che mi fate ultimamente di venire à Venetia alla più lunga al principio di Quareſima, con che facendo fine, mi vi raccomando.

In Venetia alli 24. di Gennaro 1559.
Di V. Rever.

Ser. Carlo Sigone.

Al Molto Rev. P. Maeſtro Onofrio
Panevino mio Signore Oſs.
In Corte dell' Illuſt. & Rev. Farneſe.

Parma.

Molto Rever. Padre.

AVanti, che Fra Giacomo mi parlaſſe per voſtro nome, io havea già ſcritta la lettera al Molto Rever. P. Ottavio in colera, pregandolo à farvi un ribuffo, che non mi ſcriviate: poi aſcoltato Fra Giacopo mi ſono placato alquanto; mà non però hò voluto guaſtar la partita. Il mio libro fù finito, mà non lo poſſo mandare, per non eſſerci Giordano. Il Maggi ſcrive, che parrebbe al S. Horatio Orſino, che io l'intitolaſſi al Car. S. Fiora, vi prego ad intendere il ſuo fundamento particolarmente, & datemi avviſo ancora delle letture di Humanità di Roma, come ſi dianovia, & à chi tocchi; ſolamente per ſaperlo, lo cerco, non per altro per hora. Fate queſto Papa, & fatelo buono, & levatevi di ſtento, & ſcrivetemi ſe volete, & ſe non volete poi anche.

In Venetia il 30. di Settebre 1559.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Rever. P. Maeſtro Onofrio
Panevino ſuo Sig. Oſs.
In Corte dell'Illuſt. e Rev. Farneſe.

Roma.

Molto Rever. Sig. mio.

NE' Maeſtro Niccolò mi volle dare un de' miei libri, nè poi Giordano, che è tornato; egli teme, che non gli ſia riſtampato, maſſime poi che hà veduto, che in Alemagna gli è ſtato mandato à dimandare da diverſe parti, come da Polonia, di Fiandra, & altri, come eſſo dice. Egli era in opinione di farlo ſtampar in foglio in Germania, & tenerſi queſti in quarto per Italia. Io hò abbandonato per hora queſto ſtudio per altro humore, perciochè il ſtar tanto in una materia fa che tu ti dimentichi l'altre, & quel Modoneſe, che ſecondo la voſtra dipintura, ſi chiama il Conte Jacopo Boſchetto, havrebbe poi troppo ragione, ſe io non attendeſſi ad altro. Vi ringratio della ſpanpanata. In effetto queſti Signori non pare che ſi vogliano riſolvere di mandarmi à Padoa, & udite perchè, perciochè io non habbia à mettere in maggior ſedizione quel ſtudio eſſendo amico, & compatriota del Falloppia: *Oh rem ridiculam!* Ecco come io ſono ancora temuto; Ma ſia lodato Dio; Se non potrò andarvi, nemeno ſtarò quì, ma per hora non biſogna dir altro. Se non foſſe, che non mette conto il prender garra, direi il Diavolo di queſto Faerno; che pazzie ſon queſte? come poſſo io havere le ſue correttioni, non l'havendo mai viſto? di M. Paolo, come? egli me ne diſſe da tre, ò quattro, nelle quali lo nominai; ſe queſte ſono del Faerno, non ſo. Di quelle migliaja, ſe ne accorgeremo al fatto: che accade tante parole? Chi ſi ſon queſti, che vogliono, che ſi riſpettino i ſuoi penſieri anchora? ma di queſto non dite nulla, anzi raccomandatemegli, acciochè ſe il ſuo Patrone &c. Fate queſto Papa, & baſciate la mano in mio nome al P. Ottavio. Altro non hò. Sono creſciute l'aque di Venetia intanto che ſono venute nelle caſe, & hanno fatti gran dauni, & perciò non hò potuto paſſar commodamente alla Carità per quel ſervitio, ma vi anderò.

In Venetia il 5. Ottobre 1559.

Serv. Carlo Sigone.

Molto Rev. Sig. mio.

RIſpondo per ordine alla voſtra; il Breviario è ſalvo; ſcrivete, che volete, che io ne faccia. Il mio libro non uſcirà ſenza la riſoluzione, che ſapete; è finito, dalla tavola infuori; ma non ſi può avere, per non eſſervi Giordano. I Faſti miei d'Alemagna, ſe verranno, non verranno prima di Natale, o più là, allora farò il debito. Di quel *de legibus*, poſſo ſervirvi quando volete. M. Paolo partì poco dopo voi verſo Modena, e toſto ſarà à Roma, ſe di già non vi è. Dell' Itinerario vi ſervirò. Dell' Inſcritioni, cioè di farle copiar, lo farò, per ora non poſſo. Ditemi, ſe il Rev. Padre Ottavio havrà viſto l'argomento del mio libro, che ne dice, un' eſempio n'hò mandato a Monſ Fiordebelli, l'altro al Rev. Monſ. Gio. Falloppia, famigliari dell'Illuſtr. Camerlengo. Fate bene à difendere il Mureto amico noſtro à ſpada tratta, come ſapete; Ma non fate miga bene non mi ſcrivendo coſa alcuna, almeno per dimoſtrare di ricordarvene; delle mie commiſſioni datevi, & da voi accettate quì, ſo che direte da ga-

A

galantuomo; di che? io non ſono intorno à niente. Chiamo niente, quando io ſtudio altro, che antichità, la quale hò tralaſciata per le lettioni, che s'appreſſano, ciò è à S. Luca. Se volete, che vi ſcriva, ſcrivete. Intanto tenetemi in grazia del Padre Ottavio, & raccomandatemi al Signor Oratio Orſino, & fate quell' ufficio con Monſ. Fiordebelli, che per dirla voi non ſete da niente, ſe non à Venetia.

In Venetia il 7. di Ottobre 1559.

Serv. Carlo Sigone.

Al Rever. Padre Maeſtro Onofrio Panevino
Suo Sig. Oſſervandiſſimo.
In Corte dell'Illuſtriſs. Farneſe.

Roma.

Molto Rever. Sig. mio.

ALla voſtra. Meſs. Nicolò Stampatore hà in commiſſione da Giordano di non dar fuori ſenza lui alcun mio libro; & così ſono ſtato pregato à fare da Giordano, e da' ſuoi. Temono, che alcuno non ne lo mandaſſe in Alemagna, & che non ſi ſtampaſſe prima della Fera ſeguente; Però aſpettarete, che ſi deliberi di lui: Voſtro danno, ve lo dovevate far dar al Valgriſio. Della mia dedicatione, aſpetteremo il nuovo Papa, & li conſigli d'alcuni miei amici, tra' quali farete ancor voi. Hò inteſo del Mariliano, & mi par gran coſa, che coſtui abbia da aggiongere tanto alle fatiche fatte, che meriti la ſpeſa, che ſi ſtampi il libro; Mà poiche egli vuole entrare in ballo, io ſono apparecchiato di farlo ſaltare più, che non vorrebbe. Meſs. Paolo riſtampa il mio Livio, però ſiate contento à ſpiare, ò col Rever. Padre Ottavio, ò con altri alcuna coſa, ò contro di me, ò per me, percioche ſarà utile, dovendo riſtampar le Scoglie, che io la ſappia. Ancora ſiamo tornati in sù le prime. Alcuni vorrebbono pure, ch'io andaſſi à Padoa, mà io gli penſo poco; pure gli laſcerò fare, poiche non importa molto il ſtare à vedere. E' venuto fuori un libretto di queſto titolo: *Chriſtophori Ruſi antexagemata*, dove ſcrive contro il Maggio, Robortello, Vicomercato, Mureto, & altri nelle eſpoſitioni d'alcuni luoghi d'Ariſtotele; è ſtampato in Padoa. Per ora hò laſciati i ſtudj delle antichità, & attendo à Rettorica, & queſto per le lettioni; mà frà un meſe ſe io non andaſſi à Padoa, mi biſognerà ritornare à Livio, & ai fragmenti. Altro non hò. Meſſer Paolo non verrà inſino che non ſi vede, che Papa ſarà. Baſcio la mano al Rev. Padre Ottavio.

Di Venetia il 21. Ottobre 1559.

Serv. Carlo Sig.

Al Molto Reverendo Padre Maeſtro Onofrio
Panevino ſuo Oſſervandiſſimo.

Roma.

Molto Rev. Sig. mio,

QUeſto Papa ſi farà pur un dì, accioche io poſſa deliberar di queſto libro. Vi prometto, che hò il più maggior faſtidio del Mondo da ogni banda per queſto conto, & Giordano m'afferma, che egli è ſtato addimandato là trà coloro infinitamente. Io vedrò di far tante feſte à Giordano, che mi conceda di mandarvene uno, ancora che m'abbia pregato à non voler darne fuori alcuno inſino à mezzo Gennajo; mà non lo voglio mandar, ſe prima non hò rifatto un foglio. In effetto non hò matteria, nella quale reſti meno ſodisfatto, che del numero delle Tribù, & quali foſſero le vere 35., nè ſento in tutto con voi ancora, che ſia piccola la differenza, & queſte ſono cauſa di queſta ſpeſa. Voi non mi ſcrivete coſa, alla quale riſpondendo poſſa far una lettera, però ſarò breve, maſſime che non hò da dir coſa alcuna dei noſtri ſtudj, li quali fornito queſto libro, hò abbandonato in

B

tutto. Dell' Italia non mi ricordo più, come ſe non foſſe al Mondo; In effetto biſognerebbe chi voleſſe ſaper bene una coſa, attender à quella ſola, mà queſti maligni dicono poi, *egli non sà altro che Cajus*, i quali ſe n'accorgeranno toſto. Datemi qualche avviſo di qualche faſſo, ò altra coſa, accioche non mi dimentichi l'arte. Se vi foſſe più carta riſponderei volentieri à quei Pavoni, dei quali baſterà queſto: buon prò vi faccia, io feci nozze la vigilia di S. Vito, come ſapete, & mangiai tante fiche, che mi fecer male nel ſtomaco, in guiſa che mai più me ne ſono curato; mà mi è ſtato detto il Diavolo della maniera di quei fichi, cioè, che hanno fatto

C

pelare alcuni. Ringratio Dio, che non ſono ſtato di quelli.

Di Venetia li 24. Novembre 1559.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Rever. Maeſtro Onofrio Panevino
Suo Sig. Oſſervandiſſimo.
In Corte dell'Illuſtriſs. Farneſe.

Roma.

Molto Rever. Sig. mio.

D

FAte queſto Papa, che vi venga il bene, & guardatevi di farlo Oltramontano, & poi fate come volete. M'havete detto d'haver raccolto tutti gli Arconti di Attene, & ve l'hò creduto; ora che ſono venuto io al cercarli, non ve lo credo più, percioche ſopra la 75. Olimpiade, d'onde comincia l'11. di Diodoro, non ne trovo, ſe non alcuni pochi in Dioniſio nei Rè, & nei primi Conſoli; mà queſti nè ſono molti, nè ſono continuati, ſicchè ſe havete gli altri, ſcrivetemi d'onde gli havete preſi. I Decennali ſono in Euſebio. Gl'Annui, dei quali il primo fù Creante, dove ſono inſino alla 75. Olimpiade? Se li trovo, voglio far una fatica intorno alle

E

coſe Greche; ſe non, non me ne voglio impacciare. Era coſa da Herodoto, ſe ſapeſſe ſcrivere, mà è una pecora. Raccomandatemi al Molto Rev. Padre Ottavio.

Di Venetia il 15. di Decembre 1559.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Rever. Sig. mio Oſſervandiſſimo
Maeſtro Onofrio da Verona.

Roma.

Mol-

Molto Rever. Sig. mio.

AVete torto à credere, ch' io non voglia mandarvi una copia di quel libro; non ſono io, è il Libraro, anzi i Librari, i quali per il riſpetto, che ſapete, lo tengono ſtretto. Io ne volea da Meſs. Nicolò, ma per eſſer ancora per caſa, non è ſtato in ordine. Ancora non hanno voluto far il foglio degl' errari, & riſſare un mezzo foglio delle Tribù, dicendo, che come ſarà finito, non ſi potrà tenere, & che ſarebbe à me ſebbene ce ne foſſero in Roma dieci copie? Ora ſono sforzato à riſolvermi ſenza Papa, percioche à mezzo Gennaro mandano à Francfort, e lo vogliono mandar compito; ſicche, ſe dai quindici di Gennaro in là, ò come ſia meſſo inſieme, prima non ve ne mando uno, & il primo che venga à Roma, lamentatevi di me. Circa il mio venire à Roma, havrò caro quel voſtro diſcorſo, dico circa la ſervitù, percio che di venir à veder Roma ſono riſoluto ſenza il voſtro diſcorſo, mà non poſſo più toſto che à Settembre. Io m'era meſſo intorno alle coſe Greche, mà credo che per il voſtro ribuffo, & per finirla una volta, mi ridurrò all' Italia. Scrivetemi poi la verità circa il mio libro, altramente ſe io me n'accorgo, non ſaremo amici; dico ciò che & voi, & altri ne ſentano. Non poſſo credere, che in Roma vi ſia il ſeſto libro di Diodoro infino all' un decimo, mà ſe vi foſſe, come mi piacerebbe, farebbe forza che me ne faceſte copiare il nono, e decimo almeno; da queſti in fuori abbiamo infino al 21. excluſivè: Egl' è un buon libro per noi, ma non nelle coſe Romane, che è una pecora. Mi vi raccomando.

In Venetia il 30. di Decembre 1559.

Serv. Carlo Sig.

P. S. Vennero i miei Faſti d'Alemagna molto belli, ancora che con alcune ſcorretioni. Giordano n'hà mandato uno à Roma, & à mia inſtantia hà ordinato che vi ſia moſtrato.

Al Molto Rever. Sig. mio Oſſervandiſſimo
Maeſtro Onofrio da Verona.
In Corte dell' Illuſtriſs. Farneſe.
Roma.

Molto Rever. Sig. mio.

HO inteſa la voſtra concluſione, che è bene ch'io vegna à Roma, & laſci Venetia; io verrò bene volentieri, mà voglio far di quello, che fece quel Giudeo Parigino, che non ſi volle far Criſtiano, prima che non vedeſſe il Papa, & i Cardinali. Verrò, & verrò ſenza fallo frà otto meſi, poi mi riſolverò; frà tanto queſto è aſſai, ch'io pendo più alla Corte, che à Venetia. Quì è venuta nuova, che il Papa vuole abbracciar i letterati: Dio il voglia, anche noi potreſſimo ſperar qualche coſa. Circa il libro, mi ſono rimeſſo alla riſolutione de' miei Amici Modoneſi, li quali vorrei che conoſceſte intrinſecamente. Mi rallegro col Padre Ottavio, che ſia amico di S. S., teneremegli in gratia. Mandarò il libro, come l'hò. Farò ancora forza d'andarlo à mettere inſieme io, mai non hò voluto infino à quì far queſto, accioche

A alcuno ſotto queſta coperta non me ne dia fuori, & non dica poi, che io ſono ſtato quello. Mandatemi un poco un qualche particolare aviſo hora, che ci ſaranno delle nuove. Altro non hò. Vi baſcio la mano. Dite, che farete voi? Debbo far ſtampar la mia Italia prima che venga à Roma, ò poi che ſarò tornato?

Il 6. di Gennajo 1560.

Serv. Carlo Sig.

Al Molto Rever. Sig. mio Oſſervandiſſimo
Il Padre Maeſtro da Verona.
Roma.

B Molto Rever. Sig. mio.

CHe diſgratia è la mia! Sono quattro meſi & più, che non faccio altro, che ſcrivere, & conſigliarmi con amici di queſto mio benedetto libro, nè mai hò trovato perſona, ch' ardiſca di conſigliarmene, ſe non tutti in un tempo. Il Cardinale propoſtomi da voi mi piace, & per altre qualità, & per le ragioni allegatemi da voi, credendo che non vi moviate ſenza fondamento. Mà quando leſſi la voſtra lettera, havea già riſoluto per lettere, & conſiglj d'altri, di che mi vien voglia di diſperarmi. Vero è, che mi conforta, che frà ſei meſi, ò forſe meno, havrò ſtampato
C l'Italia, & quando aveſſi alcuna chiarezza di commodità, potrei ſeguir in ciò il conſiglio voſtro. L'Italia è maggior libro, & dottrina più nuova aſſai, ſicche vi prego à non laſciar queſto penſiero, mà però à non determinare, ſe non ſappiamo come. Circa l'acconciarmi con alcun Cardinale, v'hò ſcritto, che non lo voglio fare, ſe prima non vengo à Roma, & così ſarà; voglio veder il fatto mio. Chi sà, ſe Roma mi piacerà? Vi ringratio mille, & mille volte dell'amorevolezza. Scrivetemi un poco in che credito è il Moreto, & qualche particolare, accioche io poſſa ſodisfare ad un mio Amico, che me ne domanda. Non sò, ſe havete viſto un libro del Robortello
D *de vita, & victu Populi R.*, vedetelo, & fate ſaper, come è conveniente il giudicio noſtro in Roma di detto libro. Il Maggi mi hà fatto tante moine intorno, che gli hò mandato in più volte quaſi tutto il primo libro; potreſte farvene ſervire da parte mia. Fra' venti di credo, che ſi haverà tutto quello, ch'io hò mandato, e la mia copia, che voi vedeſte ſtrapacciata per caſa. Altro non hò, ſe non che mi vi raccomando di cuore.

Di Venetia il 13. di Gennaro 1560.

Serv. Carlo Sig.

Al Molto Rever. Sig. mio Oſſervandiſſimo
E Il Padre Maeſtro Onofrio da Verona.
In Corte dell' Illuſtriſs. Farneſe.
Roma.

Molto Reverendo Sig. mio.

VOi mi farete diſperare, a dir tu non havrai. Vi dico, che poiche per molti Cardinali, che m'erano propoſti, di niuno v'era certezza di coſa alcuna, m'è parſo che ſia meglio, havendoſi a mettere alla ventura, metterſi nel Papa, che in un Cardinale. Ho havuto non meno piacer d' intendere, che Meſs. Giulio Faggiano ſi ſia accommodato, che ſe io mi foſſi accommodato. Non credo

 di

di venir' à Roma con gli Ambaſciadori , ſe non foſſi ſforzato , ma à Settembre. Non dubitate, Dio benedetto, d'eſſer l'ultimo ad haver il Libro, non ſarà così; ma ben' è vero, che vi coſterà la portatura , perchè per la via del Maggio non è ſicura, & l'ho provato nel Feſto, & in altro. Il Mula vi ringrazia . Vi mando ſette Orationi mie ſtampate hora, più toſto accioche abbiate qualche coſa di nuovo, che per mandarvi coſa di voſtro guſto. Di gratia fatemi ſaper qualche particolare del giuditio di queſti Letterati intorno a queſte . Io ſon voſtriſſimo . Faccio à voſtro ſenno . Sono intorno all' Italia. Ho laſciato gli Archonti: in effetto voi foſte cauſa, ch' io forniſſi quel *de Jure Civium*, & fatete ancora di queſto. Saranno tre Libri . Come ſaranno forniti, non credo di potermi tenere di non ſtamparli. Mi vi raccomando.

In Venetia il 27. Genn. 1560.

Serv. Carlo Sigone .

Le Orationi vi ſaranno date da alcuni Fiammenghi , perciò che non vi voglio far ſpendere .

Al Molto Rev. Sig. mio Oſſervandiſs.
Il P. Maeſtro Onofrio da Verona.

Roma.

Molto Rever. Sig. mio.

VEnendo certi Fiammenghi , de' quali il maggior ſi nomina Meſs. Antonio Cacco, à V. S., vi prego à farle quelle carezze, che potete maggiori, ſenza diſconcio voſtro, accioche habbiano da dir bene di noi in quei ſuoi paeſi; ne dico altro , per aver ſcritto un' altra per la Poſta . Mi vi raccomando.

Il 27. di Gennajo 1560.

Serv. Carlo Sig.

Al Molto Rever. Sig. mio Oſſervandiſſimo
Il Padre Maeſtro Onofrio da Verona.
Appreſſo l'Illuſtriſs. Farneſe.

Roma.

Molto Reverendo Sig. mio.

V'Hò mandate ſette mie orationi per alcuni Fiammenghi, & per il Corriero il mio Libro inſieme con quel del Papa , nè credo gli habbiate havuti, percioche non me ne ſcrivete niente. Dovete ſapere , che il mio Libro ſi vende tanto bene , che non ne ha più di cento , sì che non è ordine di rimuovere la dedicazione ne' publicati . Dice di riſtamparlo fra due meſi; allora leverò via ogni coſa; ma ſarebbe leggerezza grande , levar via uno, & mettervi un' altro . Poſſo ſoddisfar al Popolo Romano con trè Libri d'Italia , i quali per voſtro ſtimolo ho finito a punto hieri; reſta ſolamente andarli leccando: in ſomma ſono tali, che ſi può cominciar à ſtampar quando ſi vuole. Sono diſcordante da voi in alcune coſe . Ho trovato di gran faccende . Oh perche non potiamo dar una paſſeggiata per portico di quattro hore! Fatemi uno piacere: Sono due Fragmenti di Leggi, una Judiciaria, l'altra Agraria nell' ultimo del Libro *Epigrammata Urbis* , ma ſono ſcorrettiſſimi ; non è poſſibile, che in Roma non ve ne ſia copia migliore? ſe poteſte ajutarmi in ciò, mi

A fareſte piacere, percioche ſono del tempo della Republica, e ſono molto belli; & ſe altro aveſte per me , ricordatevi delle promeſſe . Quei Saſſi non voglio che mi ſervano, ſe non dove nel Saſſo ſi fà menzione della Città , & della Tribù , gli altri non gli approvo. Non mi ſcrivete, che coſa facciate. Se havrete il mio Libro , aſpetto il voſtro parere da Amico , & quel degli altri ſcrittomi da voi, accioche me ne ſerva nell' Italia , ſe ſarà buono. Ricordatevi di me in ſomma , percioche io ſon tutto voſtro.

In Venezia il 17. di Febrajo 1560.

Serv. Carlo Sigone.

B Molto Reverendo Signor mio.

HO inteſo come havete havuto il mio Libro: di grazia ſiate diligente in ſcrivermi il giudizio particulare, che udirete fare , percioche, ſe ſarà buono, io lo ſeguirò nell' Italia , la quale è in tale ordine , che ſi potrebbe cominciar a ſtampare; ma credo, che aſpetterò Giordano che torni dalla Fiera . L'Italia in alcune coſe m'è riuſcita meglio , che non credea, & in alcune peggio; ma è un miracolo, che vi ſiano così poche autorità C del governo particolare delle Città; nondimeno ho fatto un Libro , che mi piace ancora più di queſto uſcito . Come vi ſcriſſi . non è poſſibile, ſenza perpetue riſa di tutta Europa, & mio ſcorno grande , transferir la Dedicazione dal Papa ad altri ; o tu non havrai chi il preſenterà : non ne poſſo altro, baſtami di queſto almeno, ch' io ho fatto un Libro degno di eſſere intitulato al Papa , & che in ciò hò diſcorſo ragionevolmente, come vi dirò poi una volta . Vi ringrazio dell' amorevolezza voſtra in conſigliarmi , & ſon certo, che vi ricordate quanto v'amo ancor' io , & honoro . D A Roma poſſo venire & con gli Ambaſciatori , & con l'Arciveſcovo di Cipro , per eſſer' invitato; ma non credo di voler venire, & ſe io voleſſi, non ſon certo di poter haver licentia da i Riformatori, nè io me ne curo molto. Se io aveſſi negata tutta la poteſtà Pontificia, ò commentato la Priapeja , non ſi dovea far' il romore, che ſi fa per queſta Dedicazione, la quale è giudicata & graviſſima, & convenientiſſima, & ornatiſſima di quà . Mi farò dar' il Diario da Frà Giacomo, & ve lo manderò queſt' altra volta franco , perchè è coſa piccola. Quei Fiammenghi ſono galant' huomini , non vorrei già haverli data coſa di maggior' importantia. Frà Giacomo ſi lamenta , perchè non gli ſcrivete mai . Mi vi raccomando.

E In Venezia il 23. Febraro 1560.

Serv. Carlo Sigone.

Molto Reverendo Sig. mio.

MEſs. Carlo m'ha ſcritto d'haver preſentato il mio Libro a N. S , & ch'il Signor Faerno ſi è portato eccellentemente. Io l'ho ringratiato con una Epiſtola , & vi prego , che in mio nome fate il medeſimo , & che me gli offeriate, come perſona mia dimeſtica , & che mi conoſcete; & di gratia non fate tanto deſiderar le voſtre lettere , che ſe voi verrete più a Venetia , ve la rendo in fè di Dio . Se havete notato , o udito da altri

al-

A alcuna coſa nel mio Libro, ſignificatemela, accciocchè me ne emendi, & ſon voſtro.
In Venetia il 30. di Marzo 1560.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Rev. Padre Maeſtro Onofrio
da Verona ſuo Sig. Oſſerv.

Roma.

Molto Reverendo Sig. mio.

PRima mi doglio del voſtro male, poi vi ringratio del favore fattomi col Faerno. Or ſu queſta è ſpedita, ma l'Italia? vi pro
B metto, che non ſcriverò più, ſe queſta va fallita. Comincierò a ſtampare al principio di Giugno. M'havete promeſſo di mandar non ſo che, me lo mandarete poi quando havrò ſtampato. Deſidero di ſaper il parer di voi altri, perciò che credo, che lo riſtamperò con queſto; ma ſpecialmente quel del Padre Ottavio. Spero, ſe queſto è piacciuto, queſto altro parrà maraviglioſo, perciò che è una materia ſtravagantiſſima ad ogn' uno, ſe non a voi, & forſe ad alcuno altro, ma pochi. Il Manutio è in Padoa, gli è morto un figliuolo, del quale io gli era Compadre. Di nuovo non v'è coſa per voi. Giordano dee tornare. Mi vi raccomando. Amatemi come ſiete
C amato da me.
In Venetia il 21. di Aprile 1560.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Rev. P. Maeſtro Onofrio
da Verona ſuo Oſſervandiſs.

Roma.

Molto Rever. Pad. mio.

IO ſono per riſtampar i miei *de Jure Civium* con l'Italia. Hora vi prego à reſcrivermi ciò che o voi, o altri, che ſappiate, vi deſideri, o in particulare, o in univerſale: non
D è poſſibile che piaccia in tutto: ſarebbe un moſtro, ſe così foſſe. Deſidero di mutar qualche coſa ſecondo che v'aggiungerò alcuna altra. Se non mi fate queſto piacere, io vi levo dell'albo de' miei amici, & à . . . . . ſia. Se potete tornar à Venetia, ci rivedremo: or non più non accaderà dire: tu ſei un Re in queſta profeſſione, Se poteſſi haver una copia del p. . . del lib. di Frontino *de Coloniis*, l'havrei caro, perciò che non è poſſibile, che non cavaſſi qualche coſa di più, che non cavo da quelle voſtre citationi, che ſono di poco momento al mio diſegno. Però uſate di gratia diligentia, ch'io l'abbia. Non deſidero
E gran ſcrittura, ma un foglio ſolo, & con queſto vi baſcio la mano. Scrivetemi poco. Se vedrete il noſtro R. che è con gl'Imbaſciatori, io dico quel che perſeguita i *Cajus*, i *Cnæus*, & quei Compagni, & ſcrivetemi, potta del Cielo. Mi vi raccomando.
In Venetia il 10. Maggio 1560.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Rever. Padre Maeſtro Onofrio
da Verona ſuo Sig. Oſſerv.

Roma.

Molto Rever. Sig. mio.

VOi ſete pure ſtato una volta galant' huomo, vi ringrazio degli avvertimenti mandatimi, & molto quel gentilhuomo, che ve gli hà dati. Havete fatto torto alla ſua dottrina, à non nominarlo, & à me à non farmi ſapere il nome, per poterlo honorare; ma *certe eſt unus inter paucos*. Gli avvertimenti ſono tali, che perciochè vengono da amico, ne terrò conto, & con una, ò due, ò più parole in dichiarazione della mia intenzione, moſtrerò, che ne hò fatto ſtima; ma acciochè non mi ſtimiate perſona non atta à difendere ciò ch' io ſcrivo, vi voglio ancora mandare la difeſa, & già l'havrei ſcritta, ſe non foſſi ſtato occupato in un penſiero d'importanza, & vel dirò. Il Magnif. Meſ. Carlo Gualteruzzi mi fà proporre una lettura in Roma con trecento ſcudi, & confortar ad accettarla. Dovendomi riſolvere à qualche riſpoſta, è ſtato forza, che mi conſigli con alcuni amici, tra' quali io voglio, che ſiate uno. Però vi prego ad informarvi minutamente della qualità di queſte letture, chi le dà, e chi paga, come ſi paga, come ſono buoni denari, ſe altri humaniſti ci ſono, & ogni coſa, che appartiene à ciò, perciochè io non ſo niente. I denari di Venezia ſono molto ſpediti: la lettura quieta. Io hò poi come certezza di Padoa, per ottime ragioni, le quali non poſſo ſcrivere; dall'altra banda mi ſi rappreſenta la noſtra Roma con i ſette colli, & quelle altre coſe, che ſapete; ſicchè, ſe il partito non foſſe qualche coſa vaga, ma ſtabile, io dubito, che direi à Dio à Venezia; ma però guardatevi di non communicar queſto mio animo con perſona, che il poſſa rapportar all'Ambaſciator di Venezia ò alli ſuoi; perciochè lo ſcriverebbono quà. Vi ſcriſſi del Frontino; ve nè replico. Io voglio che reſtiate ſtupefatto della mia Italia. In queſto non perdete tempo, dico nell'informatione della lettura, & commandatemi. Saluto il Molto Rever. P. Ottavio.
In Venezia il 25. Maggio 1560.

Serv. Carlo Sigone.

Molto Rever. Signor mio Oſſerv.

VI mando la difeſa delle oppoſizioni fatte al mio libro, penſando d'havervi à far coſa grata; maſſime poi, che dite d'haverne copia. Vi repplico, che le oppoſizioni ſono di perſona intelligente, & che non gli riſpondo per oſtinazione, ma per voſtro amore, perciò guardate bene di che natura è queſto gentil'Uomo, nè gliele moſtrate, ſe lo conoſcete ſtizzoſo, acciochè non nè naſca una lite ſimile à quella del Caro. Vi prego a mandarmi una piena informazione di queſte letture di Roma, & il voſtro parere; come ne debbo accettar una, ò ſe la debbo accettare, ſecondo che mi è ſtata proferta. In ſomma vorrei pure che mi ſcriveſte; ma voi non la volete intendere. Raccomandatemi infinitamente al Molto Rever. e dotto P. Ottavio. Son voſtro.
In Venezia il 25. Maggio 1560.

Serv. Carlo Sigone.

Al

Al Molto Rev. Sig. mio Oſs.
Il Padre Maeſtro Onofrio da Verona.
In S. Agoſtino, ò in Corte dell'Illuſtriſs.
e Rever. Farneſe.

Roma.

QUoniam Tribuum partes erant Curiæ). Addendum fuiſſe ait. Veterum trium priorum tribuum. Recte ille quidem; ſed nemo eſt tamen, qui mea verba attendens, dubitare poſſit, quin ego priores tres veteres intellexerim.

Civis autem nemo fuit, qui non Tribum, Curiam, Claſſem, & Centuriam). Hoc multis modis falſum eſſe ait, neque enim de municipibus, proletariis, libertinis, novis civibus, antiqui cenſerentur vere dici potuiſſe. Ne hoc quidem abſurdè, intelligendum eſt tamen, me, cum civem dico, optimo jure civem intelligere. Hunc enim quæro in his libris in primis, eaque deſcribo; quod ex primo capite primi libri patet. In hunc autem ea cadunt omnia. Reliqui, ut municipes, non optimo jure cives fuerunt.

Nec poſt niſi Imperatoribus). Negat, ſe intelligere, quod dico, formam reipublicæ, quæ erat in populi poteſtate, dominantibus Imperatoribus commutatam. Quod quia ſatis planum eſt, cur neget, non video.

Non ingenui cives Romani, ſed municipes). Dubitat, in quam ſignificationem ego cives Romanos ingenuos dixerim, ac negat, ingenuum civem pro genuino, & proprio dici, nec meminit ita locutum eſſe in Bruto Tullium. Cæſar ad hanc elegantiam verborum latinorum, quæ etiam ſi orator non ſis, & ſis ingenuus civis Romanus, tamen neceſſaria eſt, adjungit illa oratoria ornamenta dicendi. Ingenuum civem me dixiſſe, non novum, & aliunde aſcriptum, ſed antiqua origine civem, nec municipalem.

Atque in Tribus, Curiaſque deſcripſerunt). Cives novos à Romulo, ceteriſque regibus, & populo Romano in Tribus, Curiaſque deſcriptos dixi. Occurrit ille, conſtare de tribubus, non conſtare de curiis; nec meminit Dionyſius de Romulo, Cœninenſes & Antemnates in Civitatem aſciſcente, ita ſcribere, εἰς φυλὰς, καὶ φράτρας, ἃς βασιλεὺς κατέγραψεν. 77. & 83. de Sabinis εἰς φυλὰς καὶ φράτρας ἐπιδοθέντας; & de Tullo Hoſtilio Albanas Familias recipiente: εἰς φυλὰς, καὶ φράτρας καταμερίζειν. 127. Non videri præterea, ſi Curiæ partes ſunt Tribuum, quod ne ipſe quidem negat, qui in Tribus ſunt conjecti, eoſdem in Curias etiam eſſe translatos.

Octavio Mamilio). Octavo ſibi magìs placere ait. Sic & ipſe olim ſenſi, ac ſcripſi; at Libri Græci, & Latini omnes repugnant: & hoc prænomen eſt in hoc Tuſculano homine ſingulare. Itaque nunc ſequor conſuetudinem librorum.

Sempronius, vel Pictor neſcio quis). Miratur, me fidem habere Commentariis Rerum Italicarum, qui dicuntur Pictoris, Sempronii, & Catonis nomina non probare. Cui reſpondeo, me Pictoris, Sempronii, & Catonis nomina non probare; veterum tamen Commentariorum aliquot eſſe fragmenta exiſtimare; & quidem aliquanto locupletiora, quàm Oroſii, Eutropii, & Rufi, & aliorum quorundam, quibus vulgò auctoritatem tribuimus.

A *Tribum partem quamdam eſſe Urbis Romanæ*). Negat, ſe hoc credere Gellio dicenti: At ego hoc primis temporibus verum fuiſſe Gellio, auctori in primis bono, ac diligenti credidi. Huc adde, Dionyſium, qui Tribus Servianas vocat locales, nimirum à locis Urbis, agrique nominatas.

Juliam, Flaviam, Ulpiam). Hic me non recordari ait, apud Dionem eſſe de Tribu Julia, neque videri, me non de Julia, Flavia, Ulpia, dubitare, nam de iis, unde dicta eſſent, conſtare dixi, ſed de Papia, Horatia, & Camilla.

Sacra Tuguria). Hæc verba Dionyſii negat propria eſſe ejus loci. Cui reſpondeo,
B me, cùm locum Dionyſii de Tribubus Urbanis, & Ruſticis recitarem, integrum, non mancum, perpetuum, non interpolatum, afferre voluiſſe.

Nam ſi Julia gens à Tullo Hoſtilio). Juliam gentem dixi à Tullo Hoſtilio Romam translatam. Notat ille, hoc factum à Romulo, quia Proculus Julius cum Romulo vixerit; nec videri Proculum Julium cum Romulo Urbi condendæ adeſſe; reliquos Julios Albæ remanere potuiſſe, eoſque à Tullo Hoſtilio poſt everſâ Albâ Romam univerſos eſſe translatos, quod Livius, ac Dionyſius memoriæ prodiderunt.

Quaſi præmium Cruſtumina Tribus fuiſſet
C *conſtitutum*). In hæc verba ita ait: Cicero pro Balbo non aſſerit, eam Tribum omnibus pro præmio dari, ſed Balbo datam fuiſſe. Cui reſpondeo, ne me quidem ſecus dixiſſe, ſed cùm tamquam invidioſa Balbo objecta ſit, ex eo nobilitatis aliquid colligi poſſe. Cur enim, ſi pares eſſent dignitate Ruſticæ Tribus, Cruſtumina Balbo, peregrino homini, creare invidiam poſſet?

Duodecim Legum Tabulas). Duodecim, inquit, Tabularum Leges. Hoc certè eſt uſitatius; non tamen video, cur non rectè dicatur, Decemviros conſcripſiſſe duodecim Tabulas Legum, eaſque in Foro propoſuiſſe, æquè atque duodecim Tabularum Leges; non enim
D *duodecim* refero ad *Legum*, ſed ad Tabulas.

Cujus Viri, & Scriptoris auctoritati). Hoc loco Svetonii verba tantùm interpretatur, non defendit: quare in priſtina mea maneo ſententia.

Cum eo, ut manumitteretur). Vituperat hoc dicendi genus, *Cum eo ut*, pro *ea conditione, ut*. Quod latinè dicitur eſſe, pudet me confirmare, cùm ex Commentariis Latinæ linguæ ſatis hoc pateat.

Hanc Legem M. Porcius). Semper de latore Legis Porciæ dubitavi; nummus autem Lææ ab eo prolatus, ut magìs addubitem facit.

Gracchum hæc tum in concione dixiſſe).
E Negat, ſibi videri, Gracchi verba ad Legem Porciam pertinere; at mihi videntur; Scimus enim, Gracchum Legem tuliſſe de libertate Civis Romani; ille autem tum Orationem habebat de Legibus à ſe promulgatis, & municipes Romanos queſtus eſt, verberatos à Magiſtratu Romano, ideſt Legem Porciam negligi. Ita Cicero conqueritur, Municipem Compſanum in crucem actum à Verre Prætore, contra Leges Porciam, & Semproniam.

Petitionem Conſulatus). Ille delet *Conſulatus*; verba autem ſunt Ciceronis pro domo, apud quem, vocem *Conſulatus* neceſſariam eſſe ſi negaverit, probabo.

Si

Si Magiſtratibus Patricii) Et hæc verba Ciceronis, in quibus rectè notat Librarii mendum, *Magiſtratibus* pro *Magiſtratus*.

Tamen hanc nominum obſervationem ſæpe eſſe neglectam) Negat, me recordari eorum, quæ à Juriſconſultis dicuntur: de quibus ego non laboro, dummodo ab eorum ſententia, & à veritate nihil diſcrepans dixerim.

Hæc ex Lælio) Ex Gellio, reponit; probè, mendum autem eſſe librarii, verba ſuperiora oſtendunt.

In XII. autem Tabulis, duobus potiſſimùm in locis, de tutelis ſcriptum eſt.) Ille ait, uno tantùm; reliquum eſſe ex interpretatione ejuſdem legis. Habeo ego Auctores, qui, ut ego ſcripſi, ſentiant, nec res etiam ratione videtur carere, ego tamen non pugnavero, quemadmodum ne de eo quidem, quod ait, ſcribendum eſſe: Ulpianus lib. L. Pandectarum.

Quoniam Tribuum partes, claſſes diximus) Negat, hoc veterum quemquam dixiſſe, nec fallitur; ac quàm multa ſine veterum teſtimonio in his artibus ſunt ſæpe dicenda? Claſſes autem partes Tribuum hoc ſenſu docui, quòd in quaque Tribu Cives eſſent aliquot ex quinque Claſſibus, quod ne ipſe quidem negat.

Patriciis exemptis) Negat, ſe credere, Patricios excludi à tributis Comitiis, nec Livium audit, qui id tradit.

Sorte enim Tribum, & ex Tribu ſorte centuriam eduxerunt) Ego primùm Tribum ſorte eductam dixi, inde ex Tribu Centuriam. Hoc enim rationi videtur conſentaneum, ut ante totum educatur, quàm pars totius. Ita fit, ut tributis Comitiis, ubi Tribum eduxerint, nihil ultra quæratur; in Centuriatis ex educta Tribu Centuriam præterea ſortiantur; quod ordine ſummo fieri videtur. Ille verò in Tributis Tribum educi ait, in Centuriatis Centuriam, & ex Centuria Tribum cognoſci, cujus illa eſſet Centuria. Res agitur utrinque ſine teſtibus; uterque ſuâ delectari ſententiâ poteſt.

Aliquando etiam reſcinderent) Negat, prærogativæ ſententiam aliquando à jure vocatis eſſe infirmatam, quia Cicero dixerit, ſemper omen valuiſſe prærogativæ. Cui reſpondeo, Ciceronem aptè ad cauſſam, ita in Oratione pro Murena dixiſſe; at in Planciana apertè, prærogativæ omen eſſe neglectum oſtendiſſe.

Primarum Tribuum nomen fuit, ac Centuriarum) Negat, Ramnenſes, Tatienſes, & Luceres eſſe Centurias; At Livius, quas in primo Libro tres Centurias dixit, eas in nono tres Tribus appellavit: & quæ tres Centuriæ à Livio dicuntur, eæ tres Tribus à Dionyſio appellantur. At ſunt Centuriæ Equitum, inquit; non nego. At Equitum Centuriæ partes fuerunt claſſium; Claſſes autem, ut diximus, quodammodo partes Tribuum; ergo Tribus, & Centuriæ idem nomen habuerunt: ita ut, ſi Tribus erat Ramnenſium, eſſet etiam Centuria Ramnenſium.

Deinde, ut aſſolet, ſuffragia) Hic legit apud Ciceronem *ſuffragatum*; Ego tamen, cur quid mutetur, nihil video cauſſæ.

Cùm uniuſcujuſque Tribus quinque eſſent claſſes) Ex his verbis colligit me putare, claſſes fuiſſe 175. parum fideliter; qui enim id putare poſſum, cùm quinque fuiſſe claſſes probaverim? Senſus autem meus hic fuit, in A quaque Tribu Cives fuiſſe ex quinque claſſibus; quod ne ipſe quidem improbat. Cum autem prima claſſis vocaretur, quicumque ex prima claſſe erant, in XXXV. Tribubus, ſuffragia iniſſe, itemque in ceteris; Non autem claſſes CLXXV. fuiſſe.

Ut neque P. Naſica.) Ineptum vocat Valerium, qui hæc ſcripſerit, qui alio loco defendetur à nobis.

Romulus enim, & Priſcus.) Ait, ſibi videri, Dionyſium dicere, Romulum habuiſſe in Senatu aliquot, præter Patricios, quod ipſe non reperio.

Illos autem in Civitate Senatoribus.) Negat, ſe aſſentiri huic opinioni; cauſſam quæro.

B *Cùm quotannis duodeni pro ſingulis.*) Ait, dicendum *duodeni pro centenis*; nec videt, me intelligere, duodenos pro ſingulis centenis; nam de centeſima agitur.

Ea vetitam eſſe verſuram.) Negat, eamdem eſſe legem, ne fœnerari liceat, & ne verſura fiat. Reſpondeo, idem eſſe poſſe. Nam verſuram facere ſæpe dicuntur etiam ii, qui pecuniis fœnori acceptis æs contrahunt alienum, ex quo ſequitur, fœnerari, & verſuram facere, idem eſſe re, ratione diverſum. Qui autem prohibet, ne quis verſuram faciat, ideſt fœnori pecuniam accipiat, eumdem etiam, ne tradat, cavere.

M. Cicero de creditarum pecuniarum.) Inquit, C Ciceronem intelligere, conjurationem factam, ne æs alienum ſolveretur; atque oppreſſa conjuratione æs alienum diſſolutum eſſe, quod longè eſt aliter; non enim ipſe videtur, meminiſſe, quemadmodum in Conſulatu Ciceronis Tribunus quidam legem de novis Tabulis promulgaverit, quod ſcriptum eſt in Græca Dionis Hiſtoria. Huic ergo rogationi ſignificat ſe occurriſſe conſilio, quod factum eſt ante conjurationem patefactam.

Tinctorum.) Ille fullonum. Ego inter fullones & tinctores plurimum arbitror intereſſe; fullones enim maculas eluiſſe; tinctores pannos coloribus infeciſſe; itaque illi γναφεῖς, hi Βαφεῖς à Græcis dicuntur, ut Plutarchus, D unde hæc hauſimus.

His adde hæreditates.) Ait, nomine teſtamentorum comprehendi hereditates, quod non nego; at quia alia etiam multa continentur, hoc mihi præcipuè viſum eſt exprimendum.

Quis autem in Senatore.) In hæc ille: Si Senatoris cenſus eſt DCCC. millium, Equitis CCCC, non opus eſt altero cenſu. Cui ego: Si Senatoris eſt cenſus DCCC., Equitis CCCC., nec Judex legi poteſt ex ordine Senatorio, aut Equeſtri, niſi ſit ampliſſimo cenſu; ampliſſimus autem cenſus eſt in Senatore ampliùs DCCC., in Equite ampliùs CCCC. ergo alius cenſus eſt Senatoris, E alius Judicis Senatoris; ille enim eſt DCCC, hic ampliùs DCCC. itemque in Equite. Quod addit ille: In pedite, cujus cenſus multiplex fuit, ampliſſimus cenſus fuit primæ claſſis: ei ego: Si concedo, peditis, ſive plebeji hominis cenſum eſſe centum millia, quæ fuit primæ claſſis, tamen vincam neceſſe eſt, pediti quoque, cùm Judex legeretur, cenſum præfinitum eſſe. Antonius enim Conſul Centurionum tertiam addidit Decuriam, qui quocumque cenſu eſſent; quoniam, ut ait Cicero, Legibus Julia, Pompeja, & Aurelia, Centurioni Judici cenſus præfinitus eſſet, ut etiam Equiti Romano.

Molto Rever. Sig. mio Oſſerv.

IO non v'hò mandate quelle riſpoſte, ſe non perchè voi mi ſcriveſte d'aver tenuta copia delle oppoſizioni; mà nel vero mi ſono ſtate gratiſſime, & ſarò obbligato à chi m'avertirà ſempre. Perciò farete bene à non moſtrargli le mie difeſe, ſalvo ſe non è galantiſſimo Uomo, come un Monſ. Antonio Auguſtino; mà mi fate torto à non mi dire il nome, poichè è mio Amico. Vi raccomando il Frontino; non è poſſibile, che nel principio, e nella dedicazione, ò in qualche parte non dica altro, che quello che avete ſcritto; onde ſi poſſa cavare alcuna dottrina. Saprei ancora volontieri il parer del Molto Rever. P. Ottavio ſopra quel luogo *Senones ab Uſente ad Æſim prius habuere, vel &c.* di Livio i Libri ſcritti hanno *Utente*. Alcuna volta, come ſapete, dubitai d'un fiume, *Vitis*, nominato da Plinio, vorrei, come voi, che foſſe il Rubicone, ò come io deſidero queſto particolare; Spero ancora, che il Padre mi ſoddisfarà, & di queſto lo prego per la ſua humanità. Il Manucio dice, che à ragion di 500., prenderebbe otto lire per foglio, à ragione di mille e cento lire 12. Feci con diligenzia, che il Valgriſio vi riſcriveſſe, & così fà; di grazia ſcrivetemi, perciochè ſono in colera con voi, ancora che uno anno hà in così fatto giorno, & in così fatta hora mi ricordo, che eravamo à tavola inſieme con chi ſapete. Leggete l'Epiſtola *Accubueram ora nona*, & m'intenderete. Ritenetemi in grazia del Molto Rever. Padre Ottavio, per il quale ſolo deſidero veder Roma, & delle letture ſcrivetemi ogni coſa, per ogni buon riſpetto.

In Venezia la mattina di S. Vito 1560.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Reverendo Padre Maeſtro
Onofrio da
Verona.

Molto Reverendo Sig. mio.

VIx tandem accepi tuas litteras. Mi rallegro di quanto ſperate, perciochè poichè vi farete accomodato, vi raccordarete più degl'Amici. Voi m'havevate da riſpondere à mille dimande, & mi ſcrivete ciò ch'io non v'addimando, cioè del Mureto, del quale quì ſi sà, non quanto eſſo ſia mal ſatisfatto della Corte, mà quanto la Corte ſia mal ſodisfatta di Lui; or come per forza, & non per voſtra perſuaſione ſi parte. *Tu autem me invitas in locum demortui*. Io deſidero certo d'eſſere in Roma, nè sò perchè non venga ora, che il Papa non ſi muova. Mà la cauſa ſi è, che queſti Signori trattano con me di Padoa, & per l'abſenzia di uno di loro, la coſa và in longo. Saprei volontieri, come paſſano le coſe di codeſto ſtudio, che ſi dee riformare. La mia Italia è finita; ſe non che *de conſecranda agitur*. E' una difficil materia, più che non credetti da principio, come vedrete poi, ſi che m'hà ſtancato in maniera, che vò ſtare due anni ſenza penſare à ſimil freneſie. Scrivetemi, & amatemi; altrimenti

A io vi levo di sù il mio libro d'Italia, dove io vi hò meſſo con voſtra laude, & faccio rifar quel foglio più toſto. Mi vi raccomando.

In Venezia il 31. d'Agoſto 1560.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Reverendo Sig. mio Oſſerv.
il P. Maeſtro Onofrio da Verona.
In Corte dell'Illuſtriſs. Farneſe.

Roma.

Molto Honorando Sig. mio.

B HO havute due voſtre lettere, una della Veturia, l'altra conſta di non sò che: non hò ancora havuto quella dell'*Equi vectigales*, che dite haver mandata, il che mi duole, perchè è coſa contro l'Amico. Delle Colonie, & delle Tribu, non mi riſolvo ad altro per ora, per haver da riſpondere à queſto animale, il libro del quale uſcì alli 20. di Agoſto. La riſpoſta ſi comincierà à ſtampare alli 6. di Settembre; & vela manderò à foglio à foglio. Della Vetturia ſi farà come ſi potrà; mi ſervo del teſtimonio voſtro in queſta Tribu, & ne' ludi ſecolari, de' quali egli fà un gran rumore; io gli riſpondo molte coſe che io ſapea, & una voſtra, ch'io non ſapea,
C cioè il luogo di Acrone; perdonatemi ſe prima di voi il faccio, perciochè vederete il biſogno, la mentione di voi è, come dee eſſere honoratiſſima. Hebbi da Modana, che per le ſtrade, che non erano ſicure, i libri non ſi poteano mandare; voi potreſte forſe per mezzo del Cardinale, cioè della Corte, mandarli à pigliare. Sono in mano di M. Aleſſandro Milano. Hò mandato à M. Gioſefo la lettera voſtra, cioè la partita, che appartiene à lui. Io vi ſono molto obbligato, & perciò commandatemi, ancora ſcrivendomi brevemente dell'*Equi vectigales*, ſcriverete à tempo; però non mancate. Non sò ſtrada da mandar di quà libri, & per corrieri coſterebbero troppo,
D però non vi mando quello del Robortello. Riſalutate il Caro, & il Tagliaferro in mio nome.

In Venezia il 4. di Settembre 1564.

Serv. Carlo Sigone.

Molto Reverendo Sig. mio Oſſerv.

VI mando ſecondo che mi ſcrivete, che io faccia, tutti quelli Epitafii, che mi deſte, i quali io incolai in sù una carta, per non perderli, & così li hò ſervati di voſtra mano. Vi averei mandato l'Itinerario, mà non l'hò trovato, & credo, perchè l'hò im-
E preſtato in Padova à molti, che alcun di loro non mel'habbia reſo, come m'è avvenuto d'altre coſe ancora. Se lo potrò rinvenire, l'avrete, come coſa mia, & non voſtra, perciochè me lo donaſte, & non impreſtaſte, ſe ben vi ricorda; onde io ſono ſtato men diligente in conſervarlo, che non ſarei ſtato. Deſidero d'intendere più minutamente de' fatti voſtri, maſſimamente che coſa ſcriviate ora. Io hò per le mani quattro libri *de Republ. Athenienſium*, i quali credo riuſciranno meglio dell'opinione di molti, i quali ſtimano impoſſibile il ſapere di coſe così antiche, io

era

era al fine. Mi ſono doluto molte volte, ch'io v'abbia ſcritto, nè m'abbiate dato riſpoſta, mà poi hò tribuito ogni coſa alla natura voſtra libera. Io ſono al ſervizio voſtro, come già, & vi baſcio la mano...

In Bologna il 22. d'Aprile 1564.

Serv. Carlo Sigone.

Molto Reverendo Padre Sig. mio.

MI duole infinitamente, che V. P. patiſca del libro, mà à queſto forſe vi ſarà rimedio, mà con un poco di tempo, percio chè mi ricordo, che il Sig. Proſpero Speciano ne preſe una copia in Caſa mia in Padoa, io gli ſcriverò, & vedrò d'averla, mà come dico v'anderà un poco di tempo. Mà quanto più mi dolgo di queſto, tanto più mi rallegro della buona fortuna voſtra, e della virtù premiata: in effetto concludo che altro vi vuole, che ſaper far il libro, biſogna ſaperlo vendere, & domandare, & importunare, il che io non sò fare, nè però biaſimo chi lo fà, per ciochè io per queſto non ebbi mai niente. Deſidero ſapere, ſe queſti libri, che mi ſignificate, ſono ſtampati, & dove, percioche io non hò viſto del voſtro coſa alcuna dopo quel li ſtampati in Venezia, quando io vi era, & deſidero d'aver ogni coſa per eſſere affettionato alla voſtra dottrina, ſiano ò Papi, ò Conſuli, ò Imperadori, ò ciò, che ſi voglia. Quanto al mio libro, ſono come diſſi, 4 libri, dove ragiono del Regno, & della Democratia Athenieſe; del Regno brevemente quanto ſe ne può ſapere, per eſſer coſa antica ancora à Thucidide; della Democratia copioſamente in modo che vi ſtupirete, ordine infinito, oltre ancora, che non è tanto nella materia della Repub. Romana toccata da tanti diligentia d'autorità, ſtile temperatiſſimo. In ſomma hò opinione, che poco meglio ſi poſſa fare. Ancora non hò dedicato, nè promeſſo, & da galantuomo mi rimetterei del tutto al parer voſtro, ſe foſſi ſicuro di non fare, come quando mi remiſi alla volontà del Sig. Horatio Orſino; perciochè, non ſolamente non hò avuto pur parole buone dal Popolo Romano, mà hò perſa l'amicizia del Signor Horatio, il quale come ſapete mi ſoleva ſcrivere, ora non mi ſcrive più. Così voglio dire, forſe che avete animo à qualche Signore, & vi credete, che doveſſe far il debito, & poi vi ingannerebbe, & io parrei una beſtia, come ſon parſo col Popolo Romano; mà però intenderò volontieri i voſtri fondamenti; il libro non può eſſere più nobile nè più utile, nè più dilettevole; Vene mando due fogli, che tanto ne ſono ſtampati; ſarà da 35. di queſta lettera minuta; datemi avviſo, che mi coſterà una certa Roma grande ſtampata in Roma. Farò il debito col Meſs. Gulielmo. Sono alli ſervitii voſtri, come ſempre fui.

In Bologna il 2. Giugno 1564.

Affet. Serv. Carlo Sigone.

Molto Rever. & Honorando Sig. mio.

RIſpondendo alla lettera voſtra, dico che hò ordinato à Meſs. Paolo Manutio, che vi dia uno de' miei *de Temporibus*, acciochè non abbiate cagione di ſpendere nella portatura. Vi mando l'Itinerario copiato dal voſtro per un gentil Uomo Tedeſco del Ducato di Mechelburgo, il quale è venuto in Italia per conoſcer molti, & frà li altri voi, è perſona d'ogni ſorte di lettere, mà ſpecialmente Poeta laureato. Egli mi hà richieſto, che gli dia queſta à voi, per poter aver adito nella grazia voſtra, & così hò fatto d'un viaggio due ſervizj. Fategli adunque carezze, ſe volete, che non dica male de' Frati, & ſcrivetemi un poco più ſpeſſo, che non fate; Mi vi raccomando di cuore.

In Bologna il 19. di Gennaro 1565.

Serv. Carlo Sigone.

Honoratiſſimo Padre Maeſtro.

HO inteſo con mio piacere, che V. R. ſia giunta in Roma à ſalvamento. Aſpetto con deſiderio i diſegni. I Pataſii ſaranno tutti quelli, dove ſia mentione di *Juridicus, & Corrector in Italia*, mà avanti Conſtantino & d'altro Magiſtrato di que' tempi, mà avertite, che ſieno Pataſii non meſſi da voi ne' voſtri libri, perciochè io li poſſo cavar di là. Hò avuto notitia *utriusque Imperii*, non trovo quello *Annales Conſtantinopolitani*. Si è per riſtampare il mio *de Jure Civium, & de Jure Italiæ*. Se avete alcun dubio, ò voſtro, ò d'altri, ſcrivetemi di grazia, perciochè gli provederò. Sapete l'humor mio, ajutatelo quanto potete, e comandatemi. Vi baſcio la mano. Salutate il Sig. Mureto in nome mio, dicendo à S. Sig, che feci il debito col Sig. Anton Franceſco.

In Bologna il 15. di Novembre 1566.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Rever. Sig. mio Oſſervandiſſimo
Il P. Maeſtro Onofrio Panevini
In Corte dell'Illuſtriſs. Farneſe.

Roma.

Sig. mio Oſſervandiſs.

NOn hò riſpoſto à V. S. d'haver ricevute le ſue pitture, per eſſer ſtato abſente in Modena, per il Moglicidio, che hà fatto un mio Parente, con gran travaglio di tutta la ſua Famiglia. Vi ringratio aſſai, & vi prego à rimandarmi le mie ſcritture, perche ne patiſco, & ne hò patito aſſai, maſſimamente di quella parte de' Pretori, con tutto che ſia così mutilata, & di gratia non mancate. Se non potete ajutarmi nei Magiſtrati avanti Conſtantino, patienza, forſe che per adeſſo non mi intricherò in quei tempi, ò li laſcierò ad altri. La fatica è grande, & la gloria tenue; mi chiariſco ogni dì più, e di me, e di voi, e di Meſs. Paolo, & di tutti noi; mi vi raccomando, & offro.

In Bologna il 9. di Gennaro 1567.

Serv. Carlo Sigone.

Al Rever. Padre Maeſtro Onofrio Panevini
Sig. ſuo Oſſervandiſſimo.
In Corte dell' Illuſtriſs. Farneſe.

Roma.

Molto

Molto Rev. Sig. mio Oſſervandiſs.

ASpetto con devotione i miei Scartafacci, de' quali con tutto che non ſiano perfetti, hò biſogno, come quello, che gli intendo meglio di voi, cioè à naſo, & giuſterò qualche coſa, che non gli avete inteſo. Hò ſcritto due libri *de Provinciis* ſolamente, infin al tempo di Auguſto, per fornir il trattato *de Italia*, che non paſſa quel tempo, & perche trovo grandiſſima diſſimilitudine, & chi non ſà così inviluppa il Paradiſo. Queſti ſarà chiaro tanto, che il Sole non è più. Son certo, che vi meraviglierete, vedendo le belle notizie, & così ordinate. Credo, che ſi comincierà à ſtampar ſubito dopo Paſqua. Biſogna farlo reſcrivere, nè io voglio queſta fatica. Vi ringratio del favore fattomi coll' Illuſtriſſimo Morone, mi è ſtato cariſſimo. Hò in animo di ſcriver ſeparatamente dell' Imperio, da Auguſto, infino à Teodoſio, parlando di nuovo dello Stato della Città di Roma, dell'Italia, e delle Provincie, ſecondo quei tempi. Hò tante belle coſe delle Provincie de' tempi degl' Imperatori, che non le voglio gettar via, mà però queſte ſono coſe, che hanno da eſſere, & queſti ſtudj non hanno premj, dico i miei, & baſti; mi vi raccomando.

Il primo Febbrajo 1567. in Bologna.

Serv. Carlo Sigone.

Al Molto Rever. Sig. mio Oſſervandiſſimo
Il Padre Maeſtro Onofrio Panevini.

Roma.

Molto Magnif. & R. Sig. mio Oſſerv.

PEr un' altra mia hò fatto ſapere à V. S., come hò ricevute le mie ſcritture. Quanto V. S. mi conforta à ſeguitar l'impreſa infino ad Onorio, io accetto in ottima parte la ſua ammonizione, & voglio, che Ella ſappia, ch' io hò laſciato quella materia, & rimeſſa ad altro tempo per due riſpetti, uno, perche mi parea di confondere il Paradiſo, meſchiando le coſe della Republica con quelle degl' Imperatori, le quali, come ſapete, ſono diverſiſſime; l'altro, perche mi ſono accorto, che non ſi può ragionar del Stato delle Provincie ſotto gl' Imperatori, che non ſi ragioni ancora del Stato d'Italia, & della Città di Roma, & così mi ſono riſoluto di comprendere in trè Volumi il Stato ſotto la libertà, i quali ſaranno queſti: *de Jure Civium Romanorum*, *Italiæ*, *& Provinciarum*, & in uno altro Volume ſpiegare il Stato dell' Imperio, parlando pure della Città di Roma, d'Italia, & delle Provincie. Hò fatta la fatica delle Provincie, da Auguſto, infino à Conſtantino, ſpero ancora di far facilmente il reſto, mà voglio prima far riſtampare quei due Volumi: *de Jure Civium Romanorum*, *& Italiæ*. Sono ſtato cinque anni ſenza penſare alle coſe Romane, ora vi ſono ritornato con tanto ardore, che non mi partirò ſenza laſciare alcun ſegno del mio ſtudio. Se V. S. non è per venire così toſto, come io deſidererei, che veniſſe, pregola à ſcrivermi l'opinion ſua circa la forma, & portamento della Toga Romana, percioche m'è venuto un nuovo capriccio intorno all' habito Romano. Baſcio la mano di V. S., & la prego à far riverenza in mio nome al Rev. Padre Ottavio.

In Bologna il dì 21. Febbrajo 1567.

Di V. S.

Serv. Carlo Sigonio.

Molto Rev. Sig. Oſſervandiſſimo.

HEbbi il mio libro mandatomi da V. S., & hò preſo gran piacere di havervi ſervito, purchè l'habbiate inteſo. Se vi trovate falſità, ſcuſatemi, perchè vedete che ſorte di ſcrittura ella è. Hierſera cenai col Signor Camillo Paleotto, & per intrattenimento portai le voſtre carte, le quali piacquero à tutti, & foſte ſtimato un grande valent'huomo. Mi è intrato capriccio di ſcriver à un certo propoſito della maniera del veſtito Romano; nè in ciò mi ſodisfa punto il Baifio. Sò che voi mi potete ajutare molto, vi prego à farlo, è coſa da ſpedirmene preſto, & perciò v'entro volentieri. Se io nel riſolvermi troverò difficoltà, ve lo ſcriverò.

Hò ſcritto à queſti dì un trattato *di Eculeo* per un ragionamento havuto con il Cardinale. Se in Roma vi foſſe ò pittura, ò ſcultura della figura ſua, l' havrei piacere intendere. Da quì inanzi havrò più commodità di ſcrivervi, & così agl' altri, percioche mi ſono riſoluto di tener un Scrittore, & però ſe mi ſcriverete ſpeſſo, vi tenerò ginoco. Vi baſcio la mano.

In Bologna il primo dì Quareſima 1567.

Serv. Carlo Sig.

Al Molto Rever. Sig. mio Oſſervandiſſimo
Il Padre Maeſtro Onofrio Panevini.
Appreſſo l'Illuſtriſs. Farneſe.

Roma.

Molto Rev. Sig. mio Oſſervandiſs.

HO ricevuta l'immagine del voſtro Romano, il quale ſe è Conſole, non hà la Toga pura in doſſo: mà la Preteſta, & queſta ſotto il braccio deſtro, & credo, che detta Preteſta non copriſſe il braccio deſtro, & che le ſtatue, che ſi veggono in queſto modo infinite, ſiano de' Magiſtrati. Però ſcrivetemi ſe n'havete viſte alcune, le quali habbiano tutte due le braccia coperte, come credo, che portaſſero tutti li privati. Quanto alla mia fatica, io non ceſſo dì, & notte, mà la lettione, come ſapete, è infinita, & i dubbj, che occorrono, quaſi più; pure ſono al fine, & faccio copiare i due libri delle Provincie, della Republica, & credo, che fatto Paſqua, ſi ſtamperanno; & le baſcio le mani.

In Bologna il dì 7. Marzo 1567.

Di V. S.

Serv. Carlo Sigonio.

Al Magnifico Sig. mio Oſſervandiſs.

LE pitture delle Toghe mandatemi, mi ſono piacciute, benchè più toſto mi inviluppano il cervello, che altramente, vedendo tanta diverſità di portatura. Non sò che coſa

ſia

ſia quella faſcia, ſe non è la porpora, di che era orlata la preteſta. Ma mi meraviglio, che non ſi vegga queſta faſcia in tutti li Magiſtrati, eſſendo tutti preteſtati. Ogni coſa però, che mi manderete in queſto genere, mi ſarà cara, nè io vi mancherò di contracambio dove poſſa, & ſappia. Il libro *de Provinciis*, ſi ſtampa, eſſendo ſtato un pezzo ſotto l'Inquiſitore à render conto di ſe, l'havrete ſubito. Di dì in dì ſtò per dirompere nella vita del Doria. Saluto il Padre Ottavio, & Meſs. Latino, & voi ſtate ſano.

In Bologna il 9. Giugno 1567.

Serv. Carlo Sigonio.

Al Molto Rever. Sig. mio Oſſervandiſſimo
Il Padre Maeſtro Onofrio Panevini.
Appreſſo l'Illuſtriſs. Farneſe.
Roma.

Molto Rev. Sig. mio Oſſervandiſs.

SEnto infinito piacere, che il mio libro vi piaccia tanto, quanto voi mi ſcrivete, ſtimando più il giuditio di voi ſolo, che di tutti gli altri inſieme. Non vi crediate, che io non habbia in animo di ſeguitare il libro,

A che io prometto, maſſimamente havendone fatta la maggior parte, nè mi reſtando altro, che voltare i libri di legge, & poi ornarlo; mà io non poſſo già ſeguitarlo per queſti ſei meſi, per infinite cagioni. Tenetevi dunque à mente ciò, che mi ſcrivete, & poi parlatemi allora, che forſe io sbizerirò così voi, come voi me. Hò ricevuto quella parte d'Italia, & la depingerò, il che non hò potuto fare ſin quì, per eſſere occupato in queſto principio di ſtudio. Vi baſcio la mano.

In Bologna il dì 5. Novembre 1567.

Di V. S.

B Dite à Meſs. Paulo Manutio, che gli hò mandati due libri, ſenza haver riſpoſta alcuna.

Serv. Carlo Sigonio.

Al Molto Rever. Sig. mio Oſſervandiſſimo
Il Padre Maeſtro Onofrio Panevini.
Roma.

Ex MSto Bibliothecæ Ambroſianæ, ſignato D. num. 501. in folio.

LETTERE

Di Carlo Sigonio ſcritte ad Aldo Manuzio, ed a Vincenzo Pinello.

Sig. mio Oſſerv.

FUi in Venezia alla Senſa per ſpaſſo, & per comprar libri, ſe ci era alcuna coſa di nuovo d'oltre i monti, non trovai nulla. Fui ben viſto da chi mi laſciai vedere. Che dite? Mi piace hor più Bologna, che Venezia, oh quanto io ſon tornato volontieri. Il Stampatore è ito a Venezia anch'eſſo dopo me, ſi che la Retorica ſi riposa. Non gli hò fatte annotazioni alcune, ma ſolamente diviſione de' Capitoli col contenuto della materia, il che con la chiarezza della traduzione ſarà aſſai. Deſidero di ſcriver quei *de Provinciis*, & lo farò, come vorrò. Se mi mandarete alcun oſſo da rodere intorno le famiↄ liari, farò quanto mi commetterete, mà di grazia non tralaſciate, poichè ſete tanto avanti, & ſapiate che queſto libro ſi venderà come ſale. Lodo il conſiglio voſtro di far ſtudiar Meſ. Aldo in legge. Foſſi io in età che farei il medeſimo, & farei le ficche in ſul moſtaccio alla lingua greca, & latina, & a chi l'ama, ma patientia. Son molto ſpeſſo col Sig. Fulvio Orſino, & quando poſſo, corteggio il Cardinale, il quale ſodisfa pienamente a tutti in ogni parte d'ufficio. Dio lo conſervi, vi baſcio la mano & ſaluto Meſ. Aldo.

In Bologna il dì 18. di Giugno 1565.

Serv. Carlo Sigonio.

C Al Molto Magnif. Sig. mio Oſſerv.
Meſs. Aldo Manutio.
A S. Paterniano Venezia.

Molto Magnif. Sig. mio Oſſerv.

VI ringratio prima in nome di tutti i ſtudioſi, che abbiate durata così bella fatica, & così utile; poi in nome mio, che me l'abbiate donata. Io ancorche ſlegato il Libro, l'ho ſcorſo più volte, & quaſi devorato, & mi è piacciuto aſſaiſſimo, e però mi rallegro con voi, con voſtro padre, con le lettere medeſime, percioche veggio che ſono per ricevere giovamento, & lume da voi infinito, ſe Dio vi concederà, che dall'anno 19. voſtro

D perveniate al Senio, come ſpero, & deſidero per bene comune, & piacere particolare, che ſapete quanto ſon amico di voſtro padre, & voſtro. Vi rimando in contracambio queſto mio. Voſtro padre mi fece rivedere Livio, & gli Scolj, & darli à Meſs. Niccolò Bevilacqua, & lo feci con molto mio diſcomodo, & ſpinto da voſtro padre, & non voglio già dir che aſpettaſſi mercede da Meſs. Niccolò, mà ben un poco di riconoſcimento. Hor egli hà ſtampato il Livio, ſenza mandarmi niuno Libro, ſe non che avviſato da Meſs. Bernardino Loredano hà detto di darmene due, ne l'ave fatto, che havendogli io data la mia copia, & diſcomodatomi per eſſervi pratico ſu, ſe egli come dee, me la vuol rendere, non viene à dare di mia fatica, ſe non uno, il che moſtra che cura poco, & me, & la fatica,

poiche la pretia coſì poco, ſalvo ſe non ſi perſuadeſſe che io, & tutti li Letterati foſſimo obligati a dar ogni noſtra coſa à loro con obligo. Voſtro padre non fece già così, dal quale io n'ebbi più di ſei copie, & tra le altre, due in foglio reale, ſenza qualche altro riconoſcimento. Vi dico queſto, accioche lo debbiate trovar in mio nome, eſſendo negotio di voſtro padre, e far sì che me ne dia cinque, altrimenti ſcriverò à voſtro padre, & mi lamenterò. Benche credo che Meſs. Niccolò come ſarà avvertito meglio, non aſpettarà di eſſer ſollecitato, altramente egli potrebbe deſiderar da me coſa, che io procederei più chiaro. Vi baſcio la mano.

In Bologna il 18. di Marzo 1566.

Serv. Carlo Sigonio.

Al Molto Magnifico Sig. mio Oſſerv.
Meſſer Aldo Manutio.
Venetia.

Mol. Magn. Sig. mio Oſſerv.

IL libro di che mi ſcrivete hà queſto titolo: *Rei grammaticæ: Rhemuſius Palæmon de ſumma grammatica, C. Terontius Scaurus de Orthographia, Ælius Donatus de barbariſmo pedibus, ſonis, Ser. Honoratus in Ælium Donatum, & de ſillabarum quantitate. Marius Victorinus de enuntiatione litterarum orthographia, & metris comicis, Papirii Prætextati fragmentum de orthographia. Cornelius Fronto de differentiis vocabulorum. Quæ jam nunc in lucem protulit Adamus Petrus. Baſileæ: Menſe Auguſto Ann. MDXXVII. cum privilegio Cæſareo.*

Mi rallegro che ſtate in Venezia, perciochè credo che ci ſarete con utilità delle lettere, ſecondo che è antico uſo della voſtra famiglia, mi vi raccomando di cuore, e vi prego a comandarmi. Vi baſcio la mano.

In Bologna il 23. Giugno 1567.

Serv. Carlo Sigonio.

Molto Magnifico Sig. mio Oſſerv.

HO' uſato un poco di libertà con V. S. di portar meco il ſuo Libro, mà Meſs. Giordano m'hà promeſſo di riſarla, & così l'hò pregato; ſi che V. S. alla venuta de' Libri d'Alemagna l'avvertiſca che non mancherà. Parlando col Sig. Pinelli dell'impreſa voſtra intorno le Inſcrittioni antiche, l'hò trovato molto facile à favorir il diſegno voſtro, & m'hà promeſſo di darvi ciò, che hà, il che è molto, ſe V. S. ſi riſolve di ſtampar ogni coſa preſto. Le coſe ſue furon raccolte già con molta diligentia dal padre di Meſs. Caſimiro, le quali ſaranno al comando voſtro. Il predetto Sig. Pinelli ſarà in Venetia toſto. Mi vi raccomando.

Il dì 5. Settembre 1568. di Padoa, Eſſendo per partirmi.

Serv. Carlo Sigonio.

Molto Magnifico Sig. mio Oſſerv.

IO vorrei far ſtampar ora una vita latina di Scipione Emiliano, fatta già da me, & ultimamente reviſta, & queſto per ſoddisfar ad alcuni Signori d'una mia Dedicazione, So

A che Meſs. Giordano non è in Venetia, & oltre di queſto è obbligato à ſtamparmi delle altre coſe ſenza queſta; però ſe M. Domenico Guerra la vuole ſtampare, gliela manderò, non ſarà più di dieci foglj ſu quella lettera dove è fatto il Libro *de Provinciis* in quarto. Certo V. S. mi farà ancora piacere a farmi ſervire, & di grazia ella mi dia riſpoſta, accioche mi poſſa riſolvere in altro modo, non potendo, o volendo ſervirmi. Li baſcio la mano. In Bologna il 23. Novembre 1568.

Serv. Carlo Sigonio.

B Al Molto Magnifico Sig. mio Oſſerv.
Meſſer Aldo Manutio.
A S. Paterniano.
Venetia.

Molto Magnifico Sig. mio Oſſerv.

IO hebbi il Vellejo, & il Privilegio, & dell' uno, & l'altro mi rallegro, & vi ringratio. Havete corretto di belli luoghi in Vellejo, vero è, che molti erano ſtati corretti prima, mà queſto poco importa, la gloria voſtra oſcurirà quella d'ogni altro. Seguitate allegramente. Io aſpettavo almeno un foglio per moſtra, & per certezza, che ſi ſtampa, come V. S. ſcrive; mà poiche ella per molto
C dimandare, non mel vuol mandare, non reſterò io di ubbidire à quanto ella mi commette. Mandovi adunque il reſto del teſto di Livio, & delle Scolie. Mi penſava di dovere fare aſſai maggior coſa, mà in effetto tutte le età hanno i ſuoi ſtudj accommodati. Il ſtudio delle correttioni hora mi puzza. Reſtano alcune correttioni difeſe contro il Robortello, & Glareano, coſa di non poco momento, le quali manderò poi ad ogni ſua requiſitione. Saluto Meſſer Paolo, & voi, & mi vi raccomando.

In Bologna il 17. di Luglio 1571.

Serv. Carlo Sigonio.

D V. S. uſi di gratia diligentia in metter quelle gionte al ſuo luogo, & corrette, perciochè dubito che queſta non ſia l'ultima editione di queſti Scolj, dico per quanto io deſidero, & forſi per quanto al termine della mia, la qual camina al fine.

Molto Magnifico Sig. mio Oſſerv.
Meſſer Aldo Manutio in
Venetia.
S. Bartolameo alla Libraria
della Salamandra,
Di Porto due Giulj.

Molto Magnif. Sig. mio Oſſerv.

E HO havuto i due Livii, & le due notazioni, di che vi ringratio; havete fatto più honore a quelle notazioni, che io non deſiderava, a ſtamparle in lettera così groſſa. Hò medeſimamente havuto il Scauro, ed hò viſto il luogo corretto che mi piace, parimente la ringrazio delle Scolie alle Familiare. Se V. S. havrà in animo mai di riſtampar Aſconio, me lo faccia ſapere, perciochè metterò inſieme molte correzioni notate in varii tempi, le quali aſcenderanno ad un volume per la metà, o almeno il terzo dell' Aſconio. Vero è che vorrei che V. S. mi ſcriveſſe una epiſtola, invitandomi a darvi alcuna

cuna

cuna coſa ſopra Aſconio ſe ne hò, & io poi con un'altra moſtrerò di farlo ad inſtantia voſtra. La cauſa è, che non mi par convenirſi alla mia età il far ſcholj ſopra Aſconio, ma far coſe di maggior importantia, & pur mi pare utile che quel libro ſia corretto, & inteſo. Però mi rimetto a lei, che in ciò non hò più che tanto d'ambizione. Ultimamente vi faccio ſapere che voſtro padre, il quale ancora vive, mi hà ſempre dato quattro Livii in riconoſcenza della mia fatica, & che voi che di animo l'avanzate, non gli dovete cedere in liberalità, che vi raccomando eshortandovi a caminar per la ſtrada cominciata della laude.

Di V. S. il 14. di Febraro 1572.

Serv. Aff. Carlo Sigonio.

Al Molto Egr. Sig. mio Oſſerv. Meſs. Aldo Manutio.

Venezia.

Molto Magnifico Sig. mio Oſſervandiſs.

IO mi trovo in Villa, lontano da Bologna ſei miglia, per far l'Indice alli Libri de *Jure*, & però riſpondo tardi alla Inſcritione di Roma, & dico, che tengo con quelli, che vogliono, che quella Inſcritione ſia à
C Santo Dio Fidio, *aliàs* Hercole, percioche hebbe appreſſo i Latini queſti nomi; Ovidio *in Faſtis*:

Quærebam Nonas Sancto, Fidiove referrem,
An tibi ſemipater. Tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo;
Nomina terna fero. Sic voluere Cures.

Dionyſius lib. 4. *ἐν ἱερῷ Δίος πιςίου, ἐν ῥυμῷ βαγκῶν καλῶσιν*, ideſt in Templo Dii Fidii, quem Romani Sanctum vocant. Feſtus lib. 14. Herculi, aut Sango, qui ſcilicet idem eſt Deus.

D Et hò di avertire, che ſi ſcrive Sancus, Sanctus, & Sangus, credo, percioche altri ſcrivono ſecondo la ragione, come Sancus, altri ſecondo la prononția del Popolo, Sangus, ò Sanctus, & così ſi trova ſcritto ne' Greci, come ne' Latini. Nel medeſimo dì mi è ſtata mandata la medeſima Inſcritione da Roma, con le medeſime queſtioni, & però riſpondo penſatamente. Laſciai in Bologna il Niem, & il Contio, che ſi deſſero ad Hercole, come tornaſſe. Io tornerò à Bologna alli 20., nè più mi partirò per villeggiare. Da Giordano non hò coſa alcuna, & dubito di non mi diſperare.

Dalla Longara alli 14. di Settembre 1574.

E

Serv. Aff. Carlo Sigonio.

Al Molto Magnifico Sig. mio Oſſervandiſſimo Il Sig. Gio. Vincenzo Pinelli.

Padoa.

Molto Magnifico Sig. mio Oſſervandiſs.

IL *Fanucius Campanus*, &c. è un libro, che è in Napoli, il quale hò commeſſo, che mi ſia copiato, mà dubitando, che non foſſe

A qualche coſa ſtampata già, la quale io non ſapeſſi, honne ſcritto à Roma, & quei di Roma à V. S., & V. S. à me. Mando à V. S. una carta da mandar al Sig. Abate Delbene, pregandolo à mandarla à quelli Stampatori, e pregarli, che per ogni modo facciano, che ſia così ſcritto, & ſebene haveſſero ſtampato, riſtampino queſti quattro fogli in queſta maniera, & con queſta giunta. Il primo errore del *Pontificem*, è ſtato colpa de' Stampatori di Venetia, nè io me ne ſono accorto negli errati. Gli altri quattro appartengono à chi può comandare. Ne ſupplico V. S. Il medeſimo ſi fa à Venetia; Un' altra volta poi ſi parlerà di queſto, ſe ci vedremo. Della Cro-
B nica di Bernardo..... con comodità, che per hora io ſon ſtuffo di Croniche, e di Hiſtorie. Hò viſto hieri quì Don Germano, che la ſaluta. Le baſcio la mano.

In Bologna il 3. di Gennajo 1575.

Ancora non hò inteſo della licentia di Venetia.

Affetionatiſs. Serv. Carlo Sigonio.

Al Molto Magnifico Sig. mio Oſſervandiſſimo Il Sig. Gio. Vincenzo Pinelli.

Padoa.

Molto Magn. Sig. mio Oſſerv.

VI mando ciò che io hò ſopra *pro Milone*, fatto da me per mio uſo, e ſon certo che nè V. S. nè altri è per ritardar ciò che io voglio dire, percioche quelli ſono ſommarii, li quali io poi diſtenderò, come occorrerà. V. S conoſcerà di quì, che ſe io aveſſi di meglio, almeno per honor mio io manderei, mà hò voluto poco curar l'honore, per moſtrare l'amore. V. S. ſi faccia patrona della Rhetorica d'Ariſtotele, percioche non v'è dottrina nè più grave, nè più pratticabile. Con tutto che ſiano così coſe di poco momento, deſidero però che mi ſiano rimandate per molti riſpetti. Dio vi conſervi &c.

Bologna il 25. Febraro 1573.

Serv. Aff. Carlo Sigonio.

Al Molto Magnif. Sig. mio Oſſerv. Il Sig. Aldo Manutio.

Venezia.

Con un invoglio raccomandato al Sig. Aluiſe Buccio Maſtro della Poſta.

Molto Magnif. Sig. mio Oſserv.

TOrnato da Roma, dove andai alli 5. di Settembre, hò trovato diverſe lettere con la voſtra oratione, e percioche ſono tornato di Novembre, mi ſono imaginato che V. S. dovea aver recitata detta orazione, & che poco importava la mia correzione. S' è anchora aggiunto che ſono incapato nel colmo delle occupazioni & publiche, & private, in modo che quando haveſſi voluto, non haverei potuto attendere a ſimil lezione, or però ve la rimetto. Sò che haverete inteſo

degli

A degli honori ſattimi in Roma, & dell'impreſa datami da N. S. Et io ho più caro che l'intenda d'altri che da me. Mi piace che habbiate cominciato a leggere con honore, & ſatisfazione della Città. Haverete un poco da fare inſino a tanto, che habbiate fatto l'habito nel leggere, poi non ſarà niente, & maſſime a Venezia, dove il lettore non vien diſturbato da' ſcolari, come negli altri luoghi. Aſpetto le mie ſcritturaccie, & qualche avviſo delle eſpedizioni delle 40. tavole, & me le offro &c.

Bologna il 10. Novembre 1578.

Serv. Aff. Carlo Sigonio.

B *Deeſt in MSto nomen illius, ad quem hæc epiſtola eſt miſſa.*

Molto Magnif. Sig. mio Oſſerv.

TOrnato da Modena, dove ſono ſtato 18. giorni per dar principio ad una fabrica in villa, per potermi ritirare, quando mi piaccia, hò trovato una di V. S. del 21. Aprile, alla quale hora riſpondo, & dico, che ringrazio infinitamente Monſ. Illuſtriſs. Santiquattro, che ſi ſia degnato di leggere il mio libro, che ſi degnò di giudicarlo, & di avviſarmi del ſuo giudicio, & ſopra ogni coſa della difeſa preſa per queſto libro, nell'altre coſe ſe V. S. mi manderà gli avviſi, di che mi ſcrive, me ne ſervirò, perciochè il libro dubito degno di eſſer riſtampato, per eſſere già ſpedita la prima edizione. V. S. ſi compiacerà di baſciarli la mano a S. S. Illuſt. in mio nome, & mi aviſerà del tutto, con che io ringraziandola me gli raccomando.

Di Bologna il 12. Maggio 1584.

Serv. Aff. Carlo Sigonio.

Al Molto Magnif. Sig. mio Oſſerv.
Il Sig. Camillo Boſio.

Roma.

IL FINE.

CONTINUATIO
AD
HISTORIAM BONONIENSEM
Ab Anno MCCLVIII. ad MCCLXXV.

AUCTORE

CAROLO SIGONIO,

Nunc primùm prodit

EX MSto CODICE BONONIENSI.

EDITORIS MONITUM.

BOnonienſis Hiſtoria Caroli Sigonii jam ante vulgata fuerat, biante lacuna, quæ res geſtas integro decennio abſorbuerat, ignotum ſane mihi unde hoc proceſſiſſe dicendum ſit. At quoniam difficile ac ferme impoſſibile judicaveram Auctorem diligentiſſimum adeo dormitaſſe ne Hiſtoriæ ſuæ filum ordine continuato producere ſtuduerit; eo me verti, ut ſi Codicem MS. ejus Hiſtoriæ invenire poſſem, facultas comparandi cum edito præberetur. Hoc mihi commodum præſtitit patria Bibliotheca Acad. Inſtituti Scientiarum quam vocant, opera literatiſs. Viri Ab. Alexandri Branchettæ eidem Bibliothecæ Præf. & ex eo Cod. non tantum ſupplementum eorum temporum, quod nuſquam apparuerat, nactus ſum, ſed & latiorem Hiſtoriæ continuationem ad annum uſque MCCLXXV. Optime itaque de patriis rebus meriturum eſſe me illico putavi, ſi hæc omnia in hac mea editione vulgarem, etiamſi loco minus apto; ſed neceſſitati parendum fuit, hæc enim ſero nimis allata ſunt. Præterea quod in MS. Cod. altera ſit initii lectio: eam quoque trado ne quid Sigonianum prætermiſiſſe viderer. Vale.

CAROLI SIGONII
HISTORIÆ BONONIENSIS
LIBER PRIMUS.

A INter omnes Italiæ Civitates, quæ aut opum illuſtrium facultate, aut virorum copia, aut liberalium artium dignitate præcellunt, nemo dubitat, quin præcipuè Bononia ut clara, ſic juſta hominum commendatione concelebretur. Hæc ab Etruſcis late quondam omnia ad Apenninum terra, marique tenentibus condita primum Etruſcorum, deinde Gallorum, qui illos finibus expulerunt, imperium pertulit. Tum Gallis Romanorum armis exterminatis, eadem & Populo Romano, à quo eſt colonia conſtituta, & Imperatoribus, à quibus non mediocriter eſt B ornata obtemperavit. Inde Imperio ipſo labefactato ſævas & ipſa cum ceteris ingruentium bellorum tempeſtates ſubivit, per quas modo Gotthicis regibus paruit, qui Romanos peſſundederunt, modo Græcis Imperatoribus, qui Gotthos exturbaverunt. Poſt Longobardis in Italiam cum armis invectis, neque ipſa prorſus illius expers periculi fuit, verum ad eos cum Flaminia, quæ tum Exarchatus nomine eſt inſignita, tranſivit. Ut autem Exarchatus inde Longobardis extortus Francorum Regum beneficio ad Eccleſiam Romanam pervênit, ſic Bononia tum C quoque ditionis eſſe Eccleſiaſticæ cœpit; atque in ejus poteſtate tamdiu manſit, quo ad Italici Principes diris certaminibus editis variè inter ſe poſſeſſionem Italiæ diſtraxerunt; quorum ultimus Berengarius extitit, homo cum cætera nefarius, tum ab ipſis Eccleſiæ rationibus alieniſſimus. Quo demum extincto omnis res Italica ad Othonem Magnum, ac ſubſequentes Germaniæ Reges, unà cum ipſo Imperii titulo recidit; quare tribus Othonibus, ac deinceps Henrico, Conrado, & Henrico altero imperitantibus, ipſa non modo jus idem, quod Civitates reliquæ, uſurpavit; ſed etiam optatum diuturnæ pacis fructum adepta ſumma ope cum eis contendere ad omnem laudem magnæ, atque opulentæ Civitatis inſtituit; ad extremum autem cum univerſa Italia, Henrico III. Imperatore per Gregorium VII. Pontificem piorum communione depulſo, libertatem, vetere jurejurando ſoluta, inſtituiſſet, & ipſa eodem ſibi decore vindicato, demum ad ſummum faſtigium potentiæ, atque honoris aſcendit; neque enim illo tempore tempus aliud ullum ipſi Italiæ nobilius, atque ad memoriam poſteritatis magnificentius accidit. Siquidem ab eo Civitates omnes, quæ poſt aliquo in honore fuerunt, perinde atque ſi tum primum ex diuturnis tenebris ſervitutis emerſæ lucem aſpicere, atque intueri dignitatem inciperent, armis tractandis, ſociis parandis, opibus cumulandis, finibus prolatandis, publicis ædificiis moliendis, ſcholis ingenuarum artium celebrandis, ac denique laudi propria, non aliena virtute, acquirendæ incubuerunt. Qua ratione nos adducti, cum res Populi Bononienſis vindicare pro virili noſtra ab inveterato litterarum ſilentio cuperemus, eas in primis ſelegimus, quæ tum demum ab eo domi foriſque adminiſtratæ ſunt, cum liber conſilia, auſpiciaque ſua ſequutus virtutem factis late extendere inſtitit; quod ducentorum annorum curriculum arbitramur illi, ut rebus magnis bello, pace

paceque gerendis pulcherrimum, ſic ad lau-
dem, gloriamque parandam omnium am-
pliſſimum illuxiſſe; qui anni quoniam à Gre-
gorio VII. Pontifice ad Nicolaum III. quo-
rum ille libertatem parentis Imperio Civi-
tatis conſtituit, hic ſalutem domeſticis affli-
ctæ certaminibus cuſtodivit, pertinuerunt,
faciendum nobis videtur, ut inde ſcribendi
exordium capiamus, atque eò uſque, bene
juvante Deo, deinceps reliqua contexamus,
atque in hoc ſpatium univerſam hanc Hi-
ſtoriam includamus. Res autem acta eſt in
1073 hunc modum. Anno Chriſti milleſimo ſep-
tuageſimo tertio Alexandro II. Pontifice
Maximo ex humanis rebus exempto Gre-
gorius VII. ſubrogatus pro cætera ipſius
ſanctitate grave, atque intolerandum arbi-
tratus, Henricum Regem Eccleſias Sacris
Legibus omnibus adverſantibus vendere,
neque rectis Alexandri ſuper ea re præce-
1074 ptis obtemperaſſe. Sequenti anno Legatos
in Germaniam ad eum amice monendum
miſit. Legati profecti mandata Pontificis
ediderunt, cumque reſponſum inclementius
tuliſſent, in contumeliam ejus Epiſcopos
Bambergenſem, & Conſtantienſem turpi Si-
moniæ crimine maculatos ab Officio remo-
verunt. Gregorius autem Concilio Romæ
habito, rem univerſam decreto ſeveriore
notavit, ac ſe Henricum, niſi paruiſſet,
piorum Communione ſummoturum oſten-
dit. Hac de cauſſa conventu peracto Cin-
cius civis Romanus, ut gratiam ab Hen-
A rico iniret, Giberti Archiepiſcopi Raven-
natis impulſu animum ad nocendum adje-
cit, ac captato tempore, quo Gregorius 1075
media Natalis Domini nocte rem divinam
de more omni humana cura ſolutus facit,
ipſum in æde B. Mariæ ad Præſepe corri-
pit, atque in ſuam turrim munitiſſimam
conjicit, verum populo ſtatim arma pro Pon-
tifice capiente turri Cencii ſolo æquata, ac
Gregorio liberato, propoſito excidit. Grego-
rius inde, profecto Roma Giberto, ſperans,
Henricum opinione ſua dejectum poſt hac in
Eccleſiæ auctoritate futurum, neque quid-
quam adverſus ſe amplius moliturum, ad
lenitatem ſe dedit. Verum cum paulo poſt
fœdus adverſus ſe cum Roberto Viſcardo
B Apuliæ Duce iniri per Gibertum compe-
riſſet, repente alterum in Laterano Conven-
tum accivit, atque eo peracto Gibertum,
& omnes Henrici fautores Epiſcopos, quod
accerſiti non affuiſſent, quorum præcipui
fuere Sigifridus Bononienſis, & Herebertus
Mutinenſis, exauctoravit, & Bambergen-
ſem, quod per biennium ad cauſſam de Si-
monia dicendam, citatus non acceſſiſſet,
piorum Communione privavit, ac per Le-
gatos Henrico, ut Romam ad cauſſam de
criminibus, quorum argueretur, dicendam
adeſſet, edixit. Ea re Henricus accenſus Le-
gatos aſpere appellavit, ac poſtero anno 1076
Vormaciæ Concilium procerum Germaniæ
convocavit, atque ad eos de Gregorio re-
tulit, & cetera.

Reliqua proſequitur Sigonius, uti legitur in Tomo III. hujus Editionis.

CAROLI SIGONII
SUPPLEMENTUM
AD
HISTORIAM BONONIENSEM
AB ANNO MCCLVIII. AD MCCLXXV.

anno 1258 SEquenti Albertus Græcus Bergomas Bononiæ, ex Bononienſibus autem Lambertinus Samaritanus Faventiæ, Loderengus Andalus Regii, Hugolinus Lambertinus, & Arimundus Bernardus Mutinæ præturam geſſere. Romæ gravis ſeditio concitata eſt, quia Madius Senator mutato inſtituto populares Romanos variis injuriis afficiebat, & nobilitatis inſtinctu, multis eos modis exhauriebat, & ſolis nobilibus, & præcipue Hanniballenſibus placere ſtudebat. Igitur conciti populares, ex auctoritate ejuſdem Matthæi Anglici magno impetu proceſſerunt ad carcerem, in quo prior Senator Brancaleo tenebatur, eoque effracto ipſum exemerunt, ac Senatorem conſtituerunt, atque ei fidelitatem vetere Civitatis inſtituto jurarunt. Confirmatus autem Brancaleo popularibus adjuvantibus inimicos ſuos ex urbe dejecit, atque Hanniballenſes duos patibulis obtulit, neque in ea re ullam rationem habuit Pontificis, ſe ipſum cum fautoribus ſuis piorum communione pellentis, negans ſe vetere lege communione privari poſſe, atque ipſis, & Cardinalibus extrema omnia intentavit. Quibus territus Pontifex Urbe exiit, ac Viterbium, ut inde Aſſiſium ſe referret, conceſſit. Inde Brancaleo, Manfredo Siciliæ Rege omnia adverſus Pontificem ſubſidia miniſtrante, Anagniam oppugnavit, arces, ac turres nobilium Romanorum, quæ erant quaſi ſpoliatorum carceres, circiter centum quadraginta ad ſolum evertit. Quare disjectis prædonibus, & facinoroſis hominibus tam in urbe, quam in vicinis agris extinctis, pax inde civitati, ac quies priſtina reſtituta eſt, neque ita multo poſt ille cum magno omnium deſiderio vitæ finem impoſuit. Quod ut audiit Pontifex, Romanos ſtatim admonuit, ne quem injuſſu ſuo Senatorem deligerent; cujus auctoritatem illi adeo contempſerunt, ut patruum Brancaleonis Caſtellanum, quem Pontifex oderat, ſubſtituerint, ac caput Brancaleonis pretioſo vaſe reconditum ſuper marmoream columnam ſtatuerint, virtutis, ac benevolentiæ ergo, quam ille erga Populum Romanum præſtiterat. Eodem anno triplex detrimentum acceptum eſt inopiæ, ſeditionis, reique parum proſperè geſtæ. Atque univerſam quidem Italiam penuria conflictaſſe adeo perdita dicitur, ut Bononiæ corbs frumenti libris tribus venierit; hæc erat illorum temporum ratio, ut in maxima caritate impenſum illud pretium putaretur, quod nunc in ſumma vilitate leviſſimum ducitur. Seditio porrò ea fuit, quæ poſtea gliſcens civitatem ipſam prope funditus perdidit. Hic fuit peſtifer ille morbus, quem civitas jampridem contraxerat; namque aliquot ante annis ex variis cædibus mutuò perpetratis alienari, ac disjungi multarum familiarum animi cœperunt; quæ procedente tempore cum inimicos ſuos opibus ulciſci ſeparatis non poſſent, vires inter ſe, ac patrandarum rerum conſilia contulerunt; atque in duas factiones ſecretæ, quarum una Eccleſiæ, altera Imperii partes, more in Italiam accepto, ſuſceperat, hoc anno occultam, ac jamdiu conceptam flammam evomuerunt; quippe contractis propinquorum, & clientum ſuorum viribus arma inter ſe contulerunt; ac magna cæde utrinque facta, & civili ſanguine urbe imbuta tranquillum ſtatum Reipublicæ in omnes annos, qui conſequuti ſunt, perturbarunt; neque enim hoc loco libido ſtetit, ſed nullis coërcita frenis in dies ad aſperiora, atque iniquiora proceſſit. Contendêre autem Hieremæi cum Lambertaciis, Gallucii cum Carboneſiis, Lambertini cum Scannabeccis, Artenifii cum Caſtrobrittis, aliique cum aliis. Quam ſeditionem poſtquam Prætor concilianda pace in perpetuum ſedare non potuit, induciarum pactione, ac magnarum pecuniarum mulctatione in præſens lenire contendit. Huic vero ſeditioni altera prope major, ac deterioris exempli acceſſit; quippe Raymundus Genuenſis juvenis, qui in urbe ſtudiorum gratia verſabatur, fervido ætatis æſtu eo audaciæ eſt provectus, ut armis Vexilliferum populi appetierit, ac vulnere periculoſo affecerit. Quare correptus, atque in carcerem conditus, cum facinus diffiteri non poſſet, à Prætore ultimo ex legibus ſupplicio deſtinatus eſt. Id ubi Scholares ſenſerunt, cauſſam in eo agi omnium arbitrati, primum jure, deinde precibus hominem ſupplicio magis, quam crimini eximere contenderunt. Quod ubi à Prætore jura communia in civitate ſervari, & magiſtratum adverſum vim omnem tutum eſſe debere docentem, impetrare non potuerunt, ut eſt ætas illa ad ſeditionem facilè, cum arbitrio, ac libidine uti ſua non poteſt, excitandam propenſa, tumultum ingentem commoverunt, ac ſe urbe diſceſſuros, ſcholamque auditoribus exhauſturos pro re magna atque ingenti Urbis detrimento minati ſunt; Prætor autem ſubjiciens, injuriam illam non privato homini, ſed univerſæ Reipublicæ factam eſſe, quæ maleficia multò minora armorum, bellique contentione vindicare ſoleret, neque aliter ſe civitatis majeſtatem tueri poſſe, niſi illi præſenti ſontis, & confeſſi hominis pœna ſatisfeciſſet, quæ ad exiſtimationem ſui pertinere puta-

ret tantum facinoris haud impunitum di
mitti, quò facilius cæterorum animi, qui
ab ſuo alieni eſſent obſequio, frangerentur,
demum eos ad æquitatem adduxit. Ac No-
nis Aprilis die Dominico ex eorum volun-
tate intempeſtivam protervi juvenis inſolen-
tiam detruncatione capitis caſtigavit. Bel-
lum autem id fuit, in quo Legatus Pontifi-
cis Philippus re Patavina egregie admini-
ſtrata inſignis eſt captus. Quippe audiens,
Brixiam ab Uberto Pallavicino Cremonæ
agente aſſiduis eruptionibus premi, illuc ire
contendit, & cum Brixianis, & Mantuanis
adverſus eum in aciem prodiit. Quo peri-
culo cognito Icilinus confeſtim, & ipſe Ve
rona cum ſuis copiis exiit, ac ſe ſe cum
Uberto conjunxit. Hoc verò ut Legatus co-
gnovit, primum pedem referre, & adven-
tantes Ferrarienſium, ac Bononienſium cum
Azone expectare copias voluit, deinde ſuo-
rum auctoritate permotus, hoſtium in ſe ve-
nientium impetum ſolus excipere ſtatuit, ac
continuò prœlium infeliciſſimum iniit; nam
pleriſque ſuorum amiſit ipſe captus in ma-
nus Icilini cum Caſſadoca Epiſcopo Vero-
nenſe, Prætoribus Brixiæ, & Mantuæ, &
pleraque nobilitate pervenit; qui omnes Ve-
ronam in cuſtodias miſſi ſunt. Qua calami-
tate perterriti Brixiani, qui innumerabilia in-
commoda ſervandæ fidei cauſſa pertulerant,
antequam bellum, atque excidium imminens
paterentur, VIII. Kal. Octobris Icilino in
ſtanti ſe dediderunt: atque ab eo non minus
impotenter, atque avare, quàm Patavini, Vi-
centinique tractati ſunt. Ea re plurimum ner-
vorum de Pontificia parte detractum. Genuen-
ſes, & Veneti, cum in Syria mutuis ſe inju-
riis affeciſſent, res inter ſe componere cu-
pientes, legatos utrinque Bononiam ad rem
tranſigendam miſerunt. Verum cunctanti-
bus Genuenſibus Veneti indignatione ac-
cenſi jus ſuum armis ſibi repetendum,
non jure quærendum ſtatuerunt. Atque
hæc aſperrimi, quod poſt inter eos diu
geſtum eſt, belli primordia extiterunt.
1259 Poſtero anno Bononienſes ad præturam ge
rendam Jacopinum Rangonum virum bello,
paceque egregium Mutina evocarunt. Lam-
bertinum autem Samaritanum Prætorem
Faventini dederunt. Mutinenſes vero con-
tra, poſtquam nulla ratione Frinianum à
Bononienſibus recuperare, ut in pactis pa-
cis ſancitum fuerat, potuerunt, ne ipſi qui
dem prætores Bononienſes ſibi recipiendos
putarunt. Itaque pro duobus prætoribus
uno contenti, Vidonem Petram-Sanctam
Mediolano vocarunt; qui egregiam eis in
primis operam præſtitit; ſiquidem latroni
bus in agro conquiſitis, captis, atque extre-
mo ſupplicio ad reliquos deterrendos affe
ctis, ſæva latrocinia, quæ ſuperiore incre-
buerant bello, coërcuit. Eodem anno Ro-
mani nobiles, quorum Brancaleo turres,
arceſque disjecerat, in unum convenerunt,
ac tumultu concito duos Senatores ſibi crea-
verunt, ac ſtatim impetum in patruum
Brancaleonis Senatorem ei ſuffectum fece-
runt, atque ipſum in quadam arce Romæ
obſederunt, ut ſi in poteſtatem adducerent,
repente contrucidarent; ille autem confiſus
ſacramento, quo ſe populus obligarat, &
obſidibus, quos Brancaleo Bononiam miſe-
rat, acriter ſe defendit, neque à nepotis
nobilitate virtuteque defecit. Qua ex re

A magnum urbs Romana detrimentum acce-
pit. Eo anno Bononiæ, atque in tota Lom-
bardia peſtilentia vehementiſſime labora-
tum; quam æquiore animo omnes tule-
runt, quod tum demum ſæviſſima peſte al-
tera liberati ſunt, à qua jam per viginti
amplius annos miſere vexabantur. Is fuit
Icilinus à Romano, qui cum ingenti ſpe,
atque animo concepiſſet, ac Mediolanenſes
quoque ad ſervitutem animo deſtinaſſet,
tum cum maxime ſe florere putavit, repen-
te divino judicio inopinantibus omnibus eſt
oppreſſus. Is re occultè cum nonnullis Gi-
bellinis Mediolanenſibus ita compoſita, ut,
ſi propius acceſſiſſet, portam ad introëun-
B dum apertam haberet, X. Kal. Septembris
Brixia cum expeditis ſuarum Civitatum
militibus movit, atque in itinere caſtrum
Urceorum, eo de induſtria veniſſe videri
volens, invaſit. Jam Ubertus Palavicinus,
& Boſo Dovaria diritatem hominis averſati
ſe ab illo removerant, & cum Azone Ate-
ſtino in ejus exitium conjurarant. Quare
ubi Urceos adortum, quorum ipſi tutelam
ſuſceperant, acceperunt, & ipſi Cremona
eduxerunt. Quo audito Martinus Turrianus
Mediolani præfectus, & ipſe urbe, ut ſe
cum Pontificiis jungeret, exiit. Icilinus au-
C tem comperto, Martinum urbem, quem-
admodum animo præceperat reliquiſſe, ſta-
tim Abduam tranſiit, atque eo iter inten-
dit. Qua re cognita Martinus id, quod
erat ſuſpicatus, extemplo ante illum in
urbem ſe cuſtodiæ cauſſa recepit. Ob eam
rem Icilinus ſpe occupandæ urbis dejectus,
iram ſuam adverſus agrum convertit, atque
ipſum ferro, igneque vaſtavit. Atque inde
Caſſianum progreſſus, illico pontem in Ab-
duam, ut liberum haberet tranſitum, fecit.
Interim conjurati Principes cum delectibus
civitatum fœderatarum, inter quas erant
D etiam Bononienſes, venerunt, atque Icilini
veſtigia perſecuti, pontem, quem ille præſi-
dio tuebatur, ceperunt. Quæ ubi Turria-
nus cognovit, & ipſe extemplo Mediolano
cum ſuis accurrit. Ita Icilinus ſero de im-
minenti periculo cogitans, undique, ita ut
non poſſet evadere, circumventus eſt. Poſt
autem, cum recuperandi pontis gratia prœ-
lium commiſiſſet, ſagitta in pedem illata
grave vulnus accepit. Cujus dolore permo-
tus Vaprium relicto ponte ſe retulit, at-
que ibi amnem vulnere ipſo abluto tranſ-
vit; ac Bergomum verſus iter ſuſcepit; ve-
rum à conjuratis perſequentibus ſtatim op-
preſſus, rurſus in aleam novi certaminis
deſcendere eſt compulſus; in quo ſuis in
fugam converſis ipſe tandem captus III.
E Kal. Octobris in poteſtatem Palavicini per-
venit. Inermi inde in tentorium ducto,
vulgo milites ad eum viſendum, perinde
atque ad egregium aliquod in terris ſpecta-
culum confluxerunt; ac varia in eum pro-
bra, & contumelias ingeſſerunt; quin etiam
ſtimulantibus odiis ſuis manibus diſcerpturi
parricidam erant, niſi Palavicini eos auctori-
tas ab ejuſmodi conatu deterruiſſet. Inde à
principibus Soncinum ſub cuſtodia miſſus
eſt; ubi poſt dies undecim ex dolore rei
adverſæ, & partium fractarum contracto,
annos ſexaginta quinque natus eſt mortuus.
Quæ res ubi percrebuit, Lombardia ingen-
tia gratulationis, ac lætitiæ ſigna edidit,
teſtantibus omnibus nullum unquam homi-

nem

nem humano generi perniciorem, ac peſtilentiorem natum in terris eſſe, adeo ut vulgo non homine natus, ſed dæmone putaretur. Hac re audita Veronenſes præſidio Icilini depulſo Comitem Sanbonifacium, ceteroſque exules revocarunt, ac recepta libertate ſtatum civitatis formarunt. Vicentini autem à Patavinis oppugnati haud gravate ſe dediderunt, atque ab eis Prætorem acceperunt. Quibus rebus permotus Albericus Icilini frater, parum ſe tuto eſſe Tarviſii ratus in arcem S. Zenonis refugit, ibique ſe cum familia ſua & rebus omnibus adverſus hoſtium impetum confirmavit. Tarviſini vero prætorem à Venetis petierunt, atque ei, & Epiſcopo civitatis ſuæ conſtituendæ poteſtatem fecerunt. Brixia Uberto Palavicino permiſſa. Philippum legatum Gerardus Cambius Regienſis è cuſtodia liberavit, reſte è ſuperiore domus, in qua ſervabatur, contignatione ad fugam inſtruendam demiſſo, quo beneficio ab eo poſt Cardinalis Eccleſiæ Ravennatis eſt factus. Per eoſdem dies Parmenſes Gibertum de Gente, qui per ſex annos apud ſe prætor fuerat, ac Parmæ dominatus quodammodo fuerat, Magiſtratu, & Urbe depulerunt, Uberto Palavicino, quòd ſe in Urbem recipere noluiſſet eorum animos incitante.

1260 Anno inde ſupra milleſimum ducenteſimo ſexageſimo Lanfrancus Uſumarius Genuenſis Bononiæ ex Bononienſibus Philippus Aſinellus Urbeveti, Caſtellanus Andalus Placentiæ præturam, Viducius Ramponus Senis præturam, & præfecturam adminiſtrarunt. Jacobo Epiſcopo, cum ex ædibus Maſſæi medici Maxumatici forte lapſus ruiſſet, intempeſtiva morte extincto Octavianus Ubaldinus patrui Cardinalis ope locum obtinuit. Accurſius legum doctor, atque interpres inſignis periit, extat adhuc illius ad S. Franciſcum ſepulchrum cum hoc elogio. *Accurſius gloſſator*. Siquidem ingentem ex ea re laudem omnium conſenſione erat adeptus; quod extremus gloſſas ſuperiorum collegit, quaſque maxime probavit, reliquis rejectis, accepit. Tabularium etiam ad tabulas publicas conſervandas eſt conditum, eique curatores præfecti. Pontifex tandem diuturnis Romanorum precibus victus, poſtquam repetitis monitis Bononienſes ad reddendos Romanis obſides adducere ſuos non potuit, vim ſibi adhibendam putavit, atque eis ſacra, & ſtudia interdixit. Et hoc anno ſuperiur ſeditio civilis exarſit, veteribus privatis odiis, quæ extingui infeſto jampridem legum terrore debuerant, multo magis recenti ſuſcepto publicarum factionum ſtudio inflammatis. In die Paſchatis hæc inita concertatio eſt. Cum una pars alteram urbe deturbare ſtuderet, tamen neutra prævaluit; prætor enim intercurrens tumultum in præſens ſedavit, ac Gallucios, ceteroſque turbarum auctores ſexdecim librarum millibus mulctavit; ea tum graviſſima mulcta eſt habita; ob eam cauſſam cum Forolivienſes ad arma veniſſent, Bononienſes, ne ea res civitatem ad nova imperia traheret, veriti, ſtatim ad eos exercitum adduxerunt, ac Gibellinos quieſcere nolentes prœlio ſubegerunt, ac novis conditionibus ſibi obnoxios reddiderunt. Ex iis captivorum ingens numerus Bononiam in cuſtodias eſt reductus. Hoc demum etiam anno familia à Romano, quæ per multos annos ſuperbe, avare, crudeliterque in Lombardia tyrannidem exercuerat, à ſtirpe deleta eſt. Patavini enim, Vicentini, Tarviſini, & cæteri Marchiæ populi, memoria injuriarum, quas ab Alberico Icilini fratre acceperant, revocata, communicatis conſiliis ipſum cum tota Sobole extinguere decreverunt; atque ita menſe Martio junctis armis caſtrum S. Zenonis oppugnatum ierunt. Atque ibi in obſidione uſque ad Auguſtum, caſtrum diverſis rationibus pertentantes manſerunt. Ad extremum milites Alberici, variis contentionibus prœliorum fracti, atque omnibus incommodis obſidionis afflicti, cum ſe diutius ſuſtinere non poſſent, XIII. Kal. Septembris caſtrum hoſtibus dediderunt, cum eo, ut ſibi impune cum ſuis armis, & equis exire, ac quocunque liberet, abire liceret. Quo cognito Albericus, ſe non tam proditum, quam perditum cernens, in turrim cum uxore, & liberis contulit; inde poſt triduum cum ipſam quoque ſuffodi turrim videret, deſperata ſalute, uxori, & familiaribus ſuis, ut ſibi in extremo ſuo diſcrimine quoquo modo conſulerent, auctor fuit, monens ut ſe, ac familiam ſuam hoſtibus dederent, atque eos Azoni Ateſtino affini ſuo præcipue commendarent. Quo mandato accepto Lodovicus Bononienſis, qui erat familiarium intimus, ſignum hoſtibus deditionis ineundæ fecit, ac Marco Baduario Prætore Tarviſii accerſito ſe illi tradere Albericum, & familiam ſervata incolumitate oſtendit. Quod cum ille non accepiſſet, ipſe, ne ſui conſervandi occaſionem amitteret, Albericum cum familia, Tarviſino, Vicentino, ac Patavino populo tradidit. Qui poſtquam eos in poteſtate habuerunt, extemplo ultimo omnes ſupplicio affecerunt. Ac primum quidem in conſpectu Alberici filii ſex occiſi, atque eorum cadavera lacerata, & per caſtra dilata ſunt. Uxor autem, & filiæ duæ ita necatæ, ut cruore quoque os Alberici aſpergerent, concrematæ ſunt; ipſe poſtquam peccata ſua rite confeſſus eſt, ad caudam equi alligatus, per tota caſtra eſt tractus; reliquiæ vero lupis, ceteriſque feris objectæ. Hæc X. Kal. Auguſti ſunt geſta. Poſtridie tumultu populari concito, caſtrum S. Zenonis everſum eſt, atque inde Romanum quoque ſolo æquatum. Hic fuit exitus potentiſſimæ à Romano familiæ, quæ, niſi Pontificia diligentia reſtitiſſet, facile imperium conſequuta Lombardiæ fuiſſet. Gibellinorum res in Marchia inclinatas contra Senenſes in Etruria erexerunt, prœlio cum Florentinis ad Montem Apertum commiſſo, in quo Florentinos, ceteroſque eorum ſocios Guelfos, inter quos & Bononienſes fuiſſe Joannes Villanus memoriæ prodidit, occidione occiderunt. Eodem anno mirabile quoddam, ac plane novum religionis ſtudium animos Italorum inceſſit, ut ſe verberibus in expiationem peccatorum Urbes paſſim, agroſque obeuntes afficerent. Initium autem hujus rei à Peruſinis inductum. Quippe Eremita quidam vir ſpectatæ ſanctitatis, ſpiritu divino inſtinctus, ad populum dicitur proceſſiſſe, eumque Dei nomine monuiſſe, niſi ad pœnitentiam ſe conferrent, ac ſupplices pacem ejus & miſericor-

A cordiam poſtularent, fore, ut brevi univerſi miſera, fœdaque morte conciderent. Quæ vox adeo in pectoribus eorum inſedit, ut nulla interpoſita mora præcepta Eremitæ, tamquam à Deo miſſa, exhauſerint. Etenim ſeneſcente jam Autumno, viri, fœminæque omnis ætatis ordiniſque repente corpora, perinde ac re compoſita, uſque ad umbilicum nudarunt, ac ſe ſumptis ad id loris cædere per Urbem inſtructo agmine incedentes cœperunt, Sanctam Virginem, ut ſibi à Filio ſalutem impetraret, ſummis clamoribus obteſtantes, atque interim veteribus odiis poſitis pacis inter ſe mutuis oſculis adhibitis ſancientes. Inde B Urbe longo agmine, vexilla præferentes, egreſſi ad vicina oppida prodierunt, eaque cum ingenti illorum admiratione ingreſſi in viis, ac templis eandem pietatem exercuerunt. Qua re populi illi permoti, & ipſi pariter ejuſdem ſanctitatis ſtudium aſciverunt, ac ſe verberantes, ac pacem, & miſericordiam ingeminatis vocibus implorantes catervatim ad Urbes proximas acceſſerunt. Atque ita ex Tuſcia in Marchiam, ex Marchia in Romaniam paſſim incendii more ea religionis contagio tranſiit, ut ſinguli populi Epiſcopis, ac Magiſtratibus ſuis præcedentibus, Urbes, agroſque ea æmulatione injecta luſtrarent, ut nullius ſexus, ætatis, ac conditionis homines eſ- C ſent, quin hujus verberationis participes eſſe vellent. Ita fiebat, ut paſſim incondita carmina in Dei, & Sacræ Virginis laudes compoſita canerentur peccatorum confeſſiones vix ſuppetentibus ad audiendum Sacerdotibus celebrarentur, atque omnino recta, quæ jampridem exoleverat, Chriſti diſciplina revocaretur. Hæc vero religio ex Urbe in Urbem traducta, cum populos paſſim tanquam ſerpente quodam igne comprehendiſſet, demum ab Imolenſibus excepta, & quaſi per manus Bononiæ tradita Civitatem ipſam mirabiliter inflammavit. Itaque & ipſi nudati ſeſe mulctarunt, ipſi divinam D opem ſuppliciter popoſcerunt, ipſi cum inimicis in gratiam redire, & reliqua pietatis officia, quæ ceteri, ſuſcipere contenderunt, ac demum manu facta hominum amplius viginti millium ante diem Feſtum omnium Sanctorum ſub Vexillis Mutinam proceſſerunt, ibique pie Baſilica S Geminiani Epiſcopi viſitata ſolemnem ſui verberationem poſitis veſtibus inierunt. Qua pietate Mutinenſes accenſi eandem diſciplinam continuò ſuſcepere, ſuſceptamque Regium, ac Regienſes Parmam detulere. Cum autem Parmenſes Cremonam adire pararent, ab Uberto Palavicino malum, ſi accederent, intentante deterriti ſubſtiterunt. Inde E ea ſanctitas ad reliquas ſubinde Urbes tranſlata, ab omnibus, paucis admodum exceptis, recepta eſt. Ceterum hi homines vulgo Devoti, & hic annus Generalis Devotionis annus eſt appellatus. Manſit inde in multis Civitatibus clara hujus religionis memoria Sacris verberantium Sodalitiis ejus rei monumento aliquot inſtitutis. Præcipue autem Bononiæ hoc anno Sodalitas inchoata eſt, quæ ab recenti ſtudio Devotorum Societas appellata, poſt ab ipſa erga pauperes hoſpitalitate aſcita Hoſpitalis S. Mariæ Vitæ nomen accepit, B. Rainerio Peruſino in Urbem veniente, ac magna ad rem illam adjumenta ſubminiſtrante, quod nomen Eremitæ illius fuiſſe exiſtimatur, quo auctore illa Devotorum inſtituta mulctatio creditur. Is certe in hunc uſque diem propterea ab ea Sodalitate, cunctoque populo ingenti pietatis ſtudio celebratur. His temporibus ſucceſſere in Gymnaſio juris interpretes Franciſcus, & Gulielmus Accurſii, Albertus Odofredi juris interpretum filii, Martinus Solimanus, Fridericus Scala, & Thomas Peverada Mantuanus, quorum adhuc multæ de Jure quæſtiones in Scholis diſputatæ leguntur. Jam enim Juriſperiti ſe ut à gloſſis ſcribendis ad Summas, ſic à Summis ad Quæſtiones differendas, ac ſuo judicio decidendas, quippe opera magnificentiore, contulerant, à quo tempore auditores libros ſecum ferre, quod primi factitaverant, deſierunt, cum ſæpe interpellationis gratia codicibus tum increpuiſſe reperiantur. Sed præter ceteros hoc tempore magni Vido Suzaria nominis fuit, quem hoc anno à Mutinenſibus ſummo cum honore conductum in eorum Actis invenio, quod in hos Annales inde re ad hæc illuſtranda tempora libuit.

„ Anno MCCLX. Indictione tertia VIII. Idus Aprilis Vido de Suzaria legum doctor promiſit fratri Venerio ex Ordine Minorum Syndico Communis Mutinæ ad hoc præcipue conſtituto, ſe pro cive geſturum, & perpetuò vitam acturum Mutinæ ad regendum, & docendum in legibus, & juvenes Civitatis, ac Comitatus audire cupientes inſtructurum, & aſſidue, pro ut moris eſt, docturum, niſi juſtum impedimentum obſtiterit, ita ut à Scholaribus Civitatis, & Comitatus nihil mercedis accipiat; item ſe daturum conſilium prætori, & Antianis, qui ſunt, aut pro tempore erunt, ſine mercede, ſi requiſitus fuerit, neque alibi docturum, neque habitaturum, quam Mutinæ, neque patrocinium, niſi ſuis ſcholaribus, præſtiturum. Syndicus autem repromiſit ei nomine Communis Mutinæ bis mille ducentas quinquaginta libras Mutinæ, nempe mille præſentes, reliquas ad menſem Julium proximum; de quibus mille libris Vido pro arbitratu ſtatuere poſſet, ex aliis poſſeſſionem emere teneretur. Vido autem ſpopondit, ſi ad præſcriptam diem ex promiſſo non veniret, ſe omnem pecuniam præter libras trecentas reſtituturum, atque inde Pagano Petræſanctæ prætori ſe obligavit. Poſtero 1261

anno Matthæo Corrigio Parmenſi prætore Bononienſes ſacrorum, & ſtudiorum detrimentum ferre nolentes, legatis miſſis ad Pontificem, ſe obſides retentos dimiſſuros oſtenderunt, atque ita remiſſionem rerum interdictarum obtinuerunt. Legatorum nomina fuere Dionyſius Garirſendus, Geminianus Balduinus, Apollonius Gozadinus, & Rambertus Ghiſolerius. Ex quibus Geminianus Romæ eſt mortuus. Hac re accepta Octavianus Cardinalis ex Francia, quo legatus à Pontifice miſſus fuerat; ſe recipiens Bononiam adiit, ac Pontificia auctoritate poſt annum ſacra, ſtudiaque Civitati reſtituit. Ac III. Kal. Majas Altare S. Petri præſente Philippo Archiepiſcopo Ravennate, aliiſque finitimarum Civitatum Epiſcopis multis conſecravit. Alexandro inde

Pon-

Pontifice VIII. Kal. Junii vita functo poſt tres amplius menſes, nempe IV. Kal. Septembris Urbanus quartus Trecenſis eſt ſubſtitutus, ac pridie Nonas conſecratus. Ab eo Ordo militum S. Mariæ, quem ſupra inſtitutum commemoravimus, approbatus eſt. Leges autem attulit Frater Gurgo Placentinus Pontificis pœnitentiarius, quas ſcripſerant huic Ordini ſe dicantes viri aliquot divitiis, ac nobilitate præſtantes Catellanus Malavolta, Loderengus Andalus, Gruamons Caccianimicus, & Hugolinus Lambertinus Bononienſes, Sclanca Liazarius Regienſis, & Rainerius Adelardus Mutinenſis. Erant autem ut tunicam albam, & ſubcinericiam togam induti Crucem purpuream in campo albo duabus ſupra poſitis Stellis præferrent, ac viduarum, & pupillorum tutelam ſuſciperent, ac paci, & concordiæ inter homines conciliandæ ſtuderent. Quoniam autem ſuis quiſque in ædibus uxoribus, & filiis vitam egerunt, propterea vulgo Fratres Gaudentes vocati ſunt, ut Joannes Villanus, & Frater Salimbenus in ſuis Chronicis prodiderunt. Hujus autem ordinis magiſter ipſe Loderengus Andalus fuit. Interim Manfredo rege opibus in Italia ſuperante, atque ut Eccleſiam, ſic Eccleſiæ ſocios, armis varie perſequente, res ubique partis Eccleſiaſticæ in dies deteriores infirmioreſque fiebant; præcipue autem in Tuſcia male cum ea eſt actum, quod Guelfi prœlio ſuperiore ad Montem Apertum afflicti Florentia ultro ceſſerunt, ac ſe Lucam, quæ partes Eccleſiæ tuebatur, contulerunt. In Lombardia pariter Martino Turriano Mediolani, Maſtino Scaligero Veronæ, & Uberto Palavicino Cræmonæ, ac Brixiæ principatum gerentibus, factio Gibellina adhuc ſuperior erat. Solus prope Azo Marchio Ateſtinus, qui Ferrariam, & Bononienſes qui Romaniolam obtinebant, licet non ſine variis civitatum diſcordiis, dignitatem Eccleſiaſticam ſuſtinebant. An-
1262 drea inde Zeno Veneto Bononiæ prætore, Azolinus Lambertacius Regii, Albertus Caccianimicus Mutinæ præturam Bononienſes ambo geſſerunt. Eo anno ceteris rebus in Urbe quietis ingens nefas commiſſum, eo quo decuit, ſupplicio eſt vindicatum. Sacrarium Eccleſiæ S. Petri furto ſeptem nefarii homines inierunt, atque Henrico æditruo cum nepote illius Bernardino oppreſſo, veſtes ſacras holoſericas, atque inſtrumenta rei divinæ aurea, atque argentea ſuſtulerunt. Quod facinus cum omnibus curam non minimam injeciſſet, diligenti per Magiſtratus adhibita quæſtione tandem erutum eſt. Sacrilegis quatuor captis, atque confeſſis vita fœdo ſuſpendio eſt adempta. Unus ex Epiſcopii tecto ſe ſalutis quærendæ cauſſa præcipitavit. Cum duo è cuſtodia evaſiſſent, cuſtos diu, ut factum proderet, cruciatus doloris impatientia expiravit. Devotorum vero Societas cum cereis accenſis Mutinam ſub Vexillo religionis cauſſa proceſſit; eos vero Antiani, & Populus, ut adventare ſenſerunt, cum ipſo Urbis Epiſcopo obviam uſque ad Caſtrum Leonis progreſſi exceperunt, atque inſigni pompa in Urbem introduxerunt. Cum in Eccleſiam ingreſſi poſitis genibus adorabundi manerent, ab Epiſcopo de more illius Eccleſiæ brachio S. Geminiani ſignati ſunt; ad cujus conſpectum mulier, quæ in concione malo correpta ſpiritu vexabatur, præſentibus, atque acclamantibus omnibus liberata eſt. Ejus ſupplicationis cauſſa ingens ſiccitas deſiit, qua illo anno vehementiſſime laboratum eſt.
Poſtero Anno Jacobo Tabernario Parmenſi 1263
Bononiæ, & Liazaro Liazario Bononienſi Genuæ Præturam adminiſtrante, Guelfi Florentini, quos Lucam commigraviſſe ſcripſimus, à Gibellinis prævalentibus inde exire coacti, Bononiam ſe cum uxoribus, & liberis receperunt, atque omnium rerum anguſtiis in exilio conflictati, ibi vitam miſere admodum inierunt. In Romaniola quoque Guelfi pariter aut urbibus à Gibellinis exacti, aut certe miſerandum in modum afflicti. Præcipue Petrus Paganus Lambertaciorum amicus, vir Imolæ potens Mindulorum opibus Bricios expulit; ac multis turribus, atque ædibus eorum everſis obſequio Bononienſium Civitatem illam exemit. Quos ſequuti Faventini ſimiliter Accariſios ejecerunt. Qua re nunciata Bononienſes ut cum ſua factione ſimul partum in eas urbes imperium conſervarent, exercitum conſcripſerunt, eoque Imolam adducto per octo dies obſeſſam Urbem imperata facere coëgerunt. Nova illis conditio eſt impoſita, ut eidem Prætori, cui Bononienſes, parêrent, atque ei Salarii nomine quingentas libras Bononienſes annuas darent. Quin etiam immiſſis agreſtibus terra foſſæ Urbis expletæ. Inde Faventiam idem terror armorum traductus. Civibus ad deditionem ipſa tantum belli oſtentatione compulſis pariter ipſæ foſſæ complanatæ, ac clauſtris vicorum amotis arx, quam Fridericus Imperator conſtruxerat, diruta.

CAROLI SIGONII HIST. BONONIENSIS
LIBER VII.

SEquens liber depreſſas tandem Guelforum in Italia opes, & Bononienſium populum, tum cum maxime Guelforum in partibus aſſerendis potentia, atque auctoritate florebat, perculſum, afflictumque commemorabit. Quæ res omnibus humanarum rerum viciſſitudinem ignorantibus magnam admirationem incutere poterit; prudentes vero, ne ſumma rerum proſperitate inflati immodice ſuperbia efferantur, veriſſime admonebit. Res autem geſta eſt in hunc modum.

Urbanus Pontifex, ut, acriter inſtante Manfredo, præcipites ferri res Eccleſiæ vidit, opportunum, ac neceſſarium ſuſtinendis illis ſubſidium quærens, ſolemne Patrum Romæ concilium advocavit. Atque ibi ex communi eorum ſententia crucem adverſus Manfredum indixit, omneſque Chriſtianos, perinde atque contra Icilinum, promiſſis Eccleſiaſticis ingentibus incitavit. Præcipue autem ſtatuit, ut Carolus Comes Andegavenſis Ludovici Regis Francorum frater, vir bello inclytus, ad auxilium partium acciretur, ac, legato ad eum miſſo, ſe illum Regem Siciliæ, atque Apuliæ inſtiturum, ſeq; illi auxilio futurum ad Manfredum communem hoſtem ejiciendum, oſtendit, ſi validis præſidio pereuntium Guelforum in Italiam copias adduxiſſet. Quod ille, re cum fratre communicata, reſpondit, ſe ſine cunctatione facturum. Quæ ubi fama percrebuit, mirificè admodum ipſorum Guelforum animos langueſcentes erexit, melioreſque ſubinde res eorum in dies effecit. Itaque
1264 ſequenti anno Andrea Zeno iterum Prætore Gibellini paſſim ab iis deturbari Urbibus cœpti, tanta mutatione fortunæ facta, ut qui diù ante firmi ſtetiſſent, jam plane concuſſi præcipiti rapi impetu viderentur. Ac primum quidem Mutinæ Jacopinus Rangonus, & Manfredus Saxolus cum parte Aigonorum, quos Guelforum principes diximus, Guelfis Bononienſibus, & Florentinis, qui Bononiæ degebant, aſcitis die S. Luciæ Graſulfos, & Gorzanos, ideſt ipſam Gibellinorum factionem, aggreſſi prœlio memorabili in foro facto Urbe omnes, paucis interfectis, exterminarunt. Poſtridie vero Opizo Marchio Ateſtinus, qui Azoni avo Februario menſe defuncto ſucceſſerat, & Comes San-Bonifacius cum Ferrarienſium, & Mantuanorum manu firmiſſima accurrerunt, ſeque auxilio eorum futuros, qui in Urbe remanſerant, oſtenderunt. Mutinenſes autem poſtridie ad Caſtrum adverſariorum Gorzanum progreſſi ipſum funditus everterunt, atque Urbis procurationem uſque ad Kal. Januarias præfectis quatuor Gulielmo Rangono, Simoni Boſchetto, Azolino Rodiliæ, & Rainerio Nonantulæ permiſerunt. Ac remiſſo Ro-
A dulpho Malexardo, qui Prætor deſignatus in proximum annum fuerat, Guidoderum Gallucium, & Bartholomæum Guidizanum Bononiâ advocatos jus dicere partitis Semeſtribus præceperunt. Eodem anno crinitam Stellam, quæ Julio, Auguſto, & Septembri menſe ſplendide fulgens, ac fumum inſignem edens, oculos in ſe univerſorum converterat, mors Pontificis Urbani excepit, quæ VI. Nonas Octobris contigit.

Proximo autem, quo Guglielmus Seſ- 1265
ſius Regienſis Bononiæ, & Liazarus Liazarius Bononienſis Florentiæ prætores egerunt, Regii eadem, qua Mutinæ, con-
B tagione ſeditionis eſt laboratum. Hi fuere Foliani, atque Roberti, ceterique Guelfi, qui exemplo Mutinenſium, ut Seſſios, ideſt Gibellinos, Urbe dejicerent, civile cum eis in foro prœlium commiſerunt; cumque eos vi ſe magna mœnibus exturbare non poſſent, Mutinenſes, Guelfos auxilio advocarunt, quibus ſe Florentini quoque extorres nondum Mutina profecti, Foreſio Adimato duce ſibi delecto, junxere. Atque ita pridie Kal. Martias per vim in Urbem ingreſſi rurſus graviſſimo in foro prœlio conflixere. Erat autem inter Gibellinos vir unus, quem Cacham cognomine nuncupabant, qui ea corporis proceritate, ac robore erat, ut prope gi-
C gantem æquaret, ac clavam ingentem manu tenens ita adverſariis minabatur, ut nemo præ illius timore prope ad eum adire auderet. Quod ubi Florentini viderunt, tanti petendi decoris avidi, duodecim ex ſuis in eum manu promptiſſimos juvenes immiſerunt, qui virum ſtrictis gladiis undique appetentes, brevì haud magno negotio confecerunt. Gibellini vero ut propugnatorem ſuum cæde ſtratum viderunt, ſtatim in fugam ſe dantes Regio abierunt. Cachæ Regienſis, ut etiam Pottæ Mutinenſis in hunc uſque diem non injucunda in jocis memoria celebratur. Hac re geſta, qui reſtiterunt in Urbe, Gibellinos Razolum progreſſos citra tria millia paſſuum
D accedere vetuerunt. Ac Marco Gradonico Veneto Prætore abdicare coacto Jacopinum Rangonum ad jus in reliquum anni dicendum accerſiverunt. Bononienſes autem veriti, ne ſimili tabe, qua Mutinenſes, & Regienſes, perirent; neque enim deerant, qui arrepta occaſione ſimultates, atque odia partium inflammarent, ad pacem tuendam, & ſeditionum materiam adimendam, publicum decretum fecerunt, quo Loderengo, & Caſtellano fratribus S. Mariæ, viris in Civitatibus, & familiis pacificandis illa ætate exercitatis, ſimul Lambertino Rampono eximio Juris conſulto ſummum totius rei componendæ arbitrium tradiderunt. Qui cum alias familias hoc morbo affectas ad concordiam addu-

adduxerunt, tum in primis Aſinellos, & Baſacomatres jampridem inter ſe capitali odio ſævientes. Clemens autem IV. ex Epiſcopo Sabino nonis Februarii Peruſio abſens Pontifex ſubſtitutus Viterbium venit, atque ibi VIII. Kal. Martii conſecratus Carolum iiſdem, quibus Urbanus, promiſſis ad arma adverſus Manfredum transferenda ſolicitavit. Carolus autem Paſchate cum Lodovico fratre Maſſyliæ peracto, exercitu terra ſubſequi juſſo, conſcendit, ac navibus menſe Majo Romam acceſſit, & Clemente Viterbii conſidente à Romanis non ſolum benigne exceptus, ſed etiam Senatoria dignitate, quæ tum in Urbe florebat, ornatus eſt, atque ibi uſque ad extremum anni ſuum per Lombardiam adventurum exercitum expectavit. Interim autem Giufredus Belmontius legatus Pontificis Bononiam adiit, ac concione advocata, omnes ad arma adverſus Manfredum capienda hortatus, cruce ex Pontificis auctoritate indicta, addidit, ſe remiſſionem omnium peccatorum omnibus indulgere, qui peccata confeſſi huic ſe militiæ devoviſſent, ac tutum iter adventanti Caroli exercitui præſtitiſſent. Quibus vocibus erecti Bononienſes ad decem millia * nomina illi expeditioni dederunt. Inter quos ipſa ſodalitas Devotorum eluxit, cujus qui Magiſter erat, Vido Lamberrinus, idem etiam univerſi dux exercitus fuit. Atque ita rebus neceſſariis comparatis una cum Legato Mantuam proceſſerunt; quò ille ſocios omnes juſſerat convenire Mediolanenſes, Bergomates, Veronenſes, Mantuanos, Mutinenſes, Regienſes, & Ferrarienſes.

Ad extremum Ubertus Comes Flandriæ menſe Novembri in Lombardiam cum exercitu Caroli venit, quem Legatus Pontificis excepit, ac licet Ubertus Pallavicinus, & Boſo Dovaria cum Cremonenſibus, & Brixianis iter impedire contenderent, tamen ſubſidio fœderatorum accurrente facile omnia clauſtra perrupit; atque oppidis quibuſdam inimicorum potitus, Mantuam, & trajecto Pado Ferrariam, atque inde Bononiam venit, à Bononienſibus omnibus rebus ad victum, & iter opportunis inſtructus. Huic autem expeditioni operam quoque egregiam exules Florentini navarunt, qui ex Gibellinorum ditati ſpoliis erant, quos Mutinâ, Regioque dejecerant; ita exeunte anno incolumis Romam pervenit, quod neque nix, neque glacies, neque gelu aliquod fuit. Eodem anno Gymnaſium, ingens ex morte Odofredi detrimentum accepit. Is ſuperioris Odofredi nepos avum longe Juris ſcientia ſuperaſſe judicatus eſt, quod non ſolum voce docuit, ſed etiam ſcriptis, ut iis temporibus non abſurdis illuſtrare contendit; ac magno Scholæ & Civitatis honore elatus inſigni, quod adhuc viſitur, in ſepulchro ad S. Franciſcum non longe ab Accurſio ſitus eſt. Cum Gulielmus ſupremo menſe prætura ſe abdicaſſet, in reliquum anni Philippus Belignus Venetus illo eſt officio
1266 functus. Proximo anno Joanne Dandulo Veneto Prætore, Albertus Caccianimicus, & Jacopinus Prendipartius præturam Mutinæ adminiſtrarunt. Carolus autem die Epiphaniæ juſſu Clementis per duos Cardi-
A nales Legatos Romæ Rex Siciliæ, & Apuliæ coronatus, mox in Apuliam infeſto exercitu abiit, & ponte Ciperani ſuperato, cum occurrente Manfredo ad Beneventum conflixit, nec ſolum exercitum ejus disjecit, ac fudit, ſed ipſum etiam pridie Kal. Martias interemit, ac ſubinde regnum utrumque ſibi aſcivit. Quo nuncio accepto ſingulæ amicæ Civitates Legatos ad eum, & ad fratrem Regem Franciæ gratulatum miſerunt. Hac tam clara Caroli, Guelforumque victoria opes Gibellinorum ſubito conciderunt; ſiquidem ubique à Guelfis uſque ad internecionem exagitati ex pleriſque Urbibus exire compulſi ſunt. Ac
B primum quidem VI Nonas Maji Mutinenſes Bononienſibus, Florentinis, Regienſibus, & Parmenſibus advocatis ad Montem Vallarium acceſſerunt, quò ſe Cives ſui Gibellini receperant, atque inde magnis incommodis agrum Mutinenſem afficiebant; ac caſtrum maxima multitudine circunfeſſum tribus trabuchis, gattiſque multis verberare cœperunt. Erant autem in eo caſtro ex factione Graſulforum, Ægidius Pius Manfredi filius, Matthæus Gorzanus cum pleriſque aliis virtute, ac nobilitate præſtantibus, ac ſuo prætore Gulielmo Montebellio. Hi vero primò caſtrum mutua cæde patrata, & gattis obſidentium
C duobus incenſis egregie defenderunt. Deinde inopia aquæ, qua nec ſe, neque equos ſuos alere poterant, ac fœtore quoque incluſarum pecudum laborare cœperunt; neque Manfredus, Pius, Bonaccurſius, Montecuculus, & Graſulfi extorres cum Lambertacciis Bononienſibus ex inſperato ſe oſtendentes tanto eos eximere periculo potuerunt. Itaque IV. Nonas Julias vallum à Guelfis captum, atque incenſum, poſtridie caſtrum, dedentibus ſe, qui intus erant, in ditionem conceſſit. Hugolinus Giulia, qui Caſtrum Aigonis defectione à Graſulfis facta prodiderat, cum ægrotus inde exportaretur, à populo ira incitato
D crudeliter in campo confectus eſt. Eadem ratione Brixiani ab Uberti Pallavicini auctoritate ſe ſe ad partes Eccleſiæ contulerunt. Quin etiam Cremonenſes Ubertum ipſum, cui *præturam*, *vel potius* dominatum exerceenti adhuc in Imperii partibus obediverant, Urbe depulerunt, ac ſe Boſoni Dovariæ, cujus ope rem tantam peregerant, tradiderunt. Ubertus ad ſua caſtra in agro Placentino ſita contendens, haud quaquam ſe in tanta rerum iniquitate deſeruit. Florentini pariter cum Loderengum, & Caſtellanum fratres S. Mariæ Bononia ad ſe Prætores vocaſſent, atque eis & rempub. gerendam, & Civitatem pacificandam com-
E miſiſſent, eorum opera Guelfos in Urbem Gibellinis exeuntibus reduxerunt; quæ mala ut Ubertus Boſo, & ceteri Gibellini viderunt, Conradinum Conradi Regis filium, & Friderici nepotem ex Germania in Italiam ad partium ruentium ſubſidium advocarunt. Bononiæ quieſcente à veteribus tumultibus Civitate populus novis ſeditionum procellis eſt agitatus. Plebs enim Gulielmi, & Brandelyſii Lambertinorum domos populata ſubvertit, quod Scannabeccum Scannabeccium virum præclarum morte affeciſſet. Sutores correptis temere armis prætorio incendium intulerunt, ac Joannem Suto-

to·

torem captum prætori Dandulo eripuerunt, A
in eum animadvertere ex lege paranti, quod
adulterum cum uxore depreheaſum intere-
miſſet. Eo præturæ honore depulſo, viginti
duobus diebus Antiani Reipub. præfuerunt,
inde reſtitutus, Sutores duobus librarum
millibus condemnavit. Aibertus Cacciani-
micus cum Vidone Gruamontis fratris ſui
filio altercans uſque adeo iracundia exarſit
ut Venetico, & Caccianimico filiis illum
occidendum mandarit. Quo ſcelere perpe
trato populus Alberium hoſtem judicavit,
atque ædes igne ſubdito inflammavit. Joan-
1267 ne inde Dandulo iterum Prætore, & Vido-
ne à Ponte Carali Brixiano præfecto, Hen-
ricus Gallucius Regii, Philippus Aſinellus B
Urbeveti, Petrus Paullus Ramponus Pata
vii, & Nicolaus Dominæ-Doctæ, Bono-
nienſes omnes, præturam exercuerunt. Eo
anno pariter Gibellini in Lombardia de-
preſſi. Quippe Amantinus Amantus jam-
pridem Cremona exactus legato Pontificio,
qui in Lombardia verſabatur, agente Boſo-
nem Dovariam cum tota Gibellinorum fa-
ctione, Urbe menſe Februario deturbavit,
ac Cremonenſes, ut Imperii partibus, quas
ſemper ſequuti fuerant, derelictis, Eccleſiaſti-
cas ſuſciperent, impulit. Boſo inde in Ca
ſtrum ſuum, quod Rocchettam appellabant,
ſe contulit, atque inde agrum Cremonenſem
infeſtum habere inſtituit. Qua re perciti C
Cremonenſes, auxilio Guelforum è Lombar
dia, & Tuſcia advocato ad Rocchettam
acceſſerunt, eamque per Julium, Augu-
ſtum, & Septembrem obſeſſam oppugna-
runt. Cui expeditioni Hieremæi quoque
Bononia centum equites cum trinis equis
ſingulos ſummiſerunt. Interim Conradinus
Conradi filius, & Friderici quondam Im-
peratoris nepos ab Uberto Pallavicino, ce-
teriſque Gibellinorum principibus excitus
in Italiam ad Manfredi mortem ulciſcen-
dam, & labentes fulciendas Imperii partes
adverſus Regem Carolum movit, ac traje-
ctis Alpibus, Veronam menſe Octobri ac-
ceſſit, ibique hyemavit. Cujus metu Cre- D
monenſes cum ſociis ſuis à Rocchettæ ob-
ſidione ſe removerunt. Carolus autem in
Etruriam contra Gibellinos advenit, eiſque
magna ex parte delectis Caſtrum Podii-Bo
nicii firmiſſimum, quò plerique eorum
confugerant, diuturna obſidione Idibus
Decembris recepit. Eo anno Henricus
frater Regis Hiſpaniæ Senator à Romanis
aſcitus eſt. Bononiæ vero illo etiam anno
tumultuatum, ut ſatis omnibus appareret
ex continenti turbarum Civilium flamma
ingens propediem incendium erupturum,
quo univerſa Reſpublica conflagraret, at-
que humani generis hoſtem, ut civilibus
ſeditionibus vicinas Civitates attriverat, ſic E
hanc etiam novis in dies certaminibus mi-
ſcendis, ad ſervitutem, & exitium deſtina-
re, nullamque conciliandorum odiorum, &
irritandorum animorum occaſionem omit-
tere. Tertio ergo Idus Maji novam Scan-
nabecci cum Lambertinis rixam in Urbe
commiſerunt; in qua præter ceteros Bar-
tholomæus Guidizanus interiit. Quare tu-
multu graviſſimo concito, ne ad extrema
deſcenderetur, Antianis, & Prætori man
datum eſt à Communi, ut adhibitis Ar-
morum Collegiis per octo dies domos ea-
rum familiarum obſervarent. Inde Lamber-

A tini Mantuam, Scannabecci Florentiam re-
legati ſunt. Simul etiam Loderengo, &
Caſtellano negotium datum, ut familia-
rum diſcordias tollerent, qui re ſuſcepta,
pacem compoſuerunt, eamque opportune
multarum nuptiarum fœdere confirmarunt,
exules è tabulis exemerunt, & multas, quas
Prætor iis intulerat, qui ad rixam conflu-
xerant, deleverunt. Cum autem Bartholo-
mæus Butrigarius Antianus, cum aliis ex
Vico S Vitalis, in Palatium progreſſi ju-
dices ad inducendas Tabulas coëgiſſent, ira-
tus Prætor, depoſito Magiſtratu, Urbe ex-
ceſſit. Arca inde Turriano Mediolanenſi 1268
Prætore Lambertinus Dominæ Samaritanæ,
B & Gucius Liazarus Mutinam, & Henricus
Gallucius Regium Prætores rexerunt. Eo
anno factio Gibellina clade Conradini, tan-
quam mortifero aliquo vulnere accepto,
plane concidit. Is enim IV. Idus Januarii
Verona profectus Rochettam adiit, & tra-
jecto Abdua per Laudenſem, Papiam, at-
que inde poſt duos menſes Piſas Majo men-
ſe advenit; inde Senis commoratus, ac præ-
fecto Caroli cum exercitu ſe offerente, de-
victo, Viterbium, & Pontificem prætergreſ-
ſus Romam Junio menſe pervenit, à Ro-
manis, & Henrico Senatore ſummo ſtudio
animorum exceptus. Inde IV. Idus Auguſti
in Apuliam progreſſus, die viceſimo præ-
C lium cum eo infelici eventu commiſit. Si-
quidem non ſolum exercitus in fugam actus,
atque conciſus, ſed ipſe etiam poſt captus
juſſu Caroli ipſius eſt obtruncatus. Ea vi-
ctoria audita, filia Ducis Burgundiæ ma-
gno principum comitatu ſtipata, menſe
Octobri in Italiam venit, ut ad Carolum
victorem, cui deſponſa erat, accederet, ho-
norifice ab omnibus Civitatibus ſui ſtudio-
ſis excepta; præcipue autem Bononienſes
carrocium purpura ſtratum cum omnibus
Artium, atque Armorum Collegiis obviam
uſque ad pontem Rheni miſérunt, ac ma-
gnifico pompæ ordine in Urbem introdu-
xerunt. Vido Caccianimicus fugam Hencio
D Regi adhuc in cuſtodia verſanti paravit.
Verum cum vinifer Cuparius ipſum cupa
incluſum efferret, indicio mulieris, quæ il-
lum ex feneſtra conſpexit, eſt proditus, qua-
re Henricus arctiori cuſtodiæ datus, Vido
capite eſt mulctatus. Eodem anno ſemina
novi, ejuſque magni cum Venetis belli ja-
cta ſunt. Laurentius Teupulus Dux Vene-
tiarum cum magna rei frumentariæ penu-
ria premeretur, Legatos Patavium, Tarvi-
ſium, & Ferrariam pro idonea commeatus
impetranda copia miſit, nec quidquam æqui
obtinuit. Quare ira permotus ex Senatus
conſulto mercibus, quæ ultro citroque de-
vehebantur, vectigalia nova impoſuit, ſimul-
E que addidit, ut commeatus, qui à promon-
toriis, & Ravenna mare intrarent, Venetias
deferrentur, & ſolito diligentius portus ob-
ſervari mandavit, ſæpe etiam mercatores
ultro citroque commeantes male tractati fe-
rebantur. Eam vero rem cum ceteri ægre
tulerunt, tum præcipue Bononienſes, qui
illa navigatione libera, uti ad neceſſarios
exportandos Romaniola commeatus ſole-
bant, ac propterea Oratores duos Venetias
ſuper eo negotio deſtinarunt, Creſcentem
Creſcentium, & Paullum Thebaldum, qui
& ipſi nihil profecerunt. Creſcentem vero
Venetiis mortuum Commune Bononiæ in

Ur-

Urbem referendum curavit, ac ſumptibus A publicis in æde S. Franciſci ſepelivit, atque illius gratia Philippum majorem natu filium, equeſtri dignitate ornavit. Eodem anno turris prætorii, unde nunc quoque populus ad concionem vocatur, quatuor pilis egregio ſtructuræ artificio nixa perfecta eſt. III. Kal. Decembris Clemens Pontifex Viterbii diem ſuum obiit, vacavitque Sedes, diſſentientibus Cardinalibus, annis duobus, & menſibus novem. Alberto inde
1269 Fontana Placentino Prætore, & Riccardo Villa Mediolanenſi præfecto eadem quæ ſupra, & foris, & domi rabies factionum exarſit. Mutinæ Jacopinus Rangonus Prætor Urbis Graſulfos patria extorres, qui B inter Mutinam, & Rhenum ſedes poſuerant, inde ne aſſiduis agrum excurſionibus lacerarent, per Prætorem Bononienſem ſummovit; eoque facto Lambertacios Bononiæ Gibellinos graviter irritavit. Cremonenſes item menſe Julio ad Rocchettam, ubi Boſo erat, oppugnandam cum ſociorum auxiliis redierunt, eamque tandem expugnatam ſubverterunt. Bononiæ vero novis ſeditionibus graviſſime laboratum; Ajardus Pretus, qui auctor Conſilio fuerat, uti tributum nomine mutui populo indiceretur tumultu populari diſcerptus eſt. Soldo Gallucio, qui Philippino ex Collegio Branchæ militi mortem attulerat, collegæ domos in Urbe, C agriſque vindictæ gratia concremarunt. Simul etiam optimatibus plebem aſſidue deprimentibus, ab Collegiis militaribus Branchæ, Griſonis, & Lombardiæ denuntiatum eſt, ne ad villas ſuas adirent, ſi capiti ſuo conſulere vellent. Beccatelli etiam, & Salæ ſæviſſimo inter ſe certamine conflixerunt. Cauſſam rixæ attulit Bartholomæus Beccatellus à Hieronymo Sala, quem præire in ducenda chorea voluit, in faciem ſauciatus. Concurſu enim ab utriſque familiis illico facto multi utrinque occiſi, ac vulnerati ſunt; majorque nimirum ſubſequuta clades fuiſſet, niſi Prætor cum cohorte ſua intercurrens ſævientem ſeditionis flammam com D peſcuiſſet, ac Hieronymum comprehenſum in carcerem conjeciſſet, ubi tamdiu habuit, donec pace compoſita, in gratiam ipſæ inter ſe familiæ redierunt. Quin etiam cum Albertus Prætor in Conſilio gravem in cives quoſdam ſententiam recitari juberet, populus ingeminatis clamare vocibus cœpit: Moriatur Prætor. Qua re accepta, Comacius Galluccius repente ſublato vexillo ſe in forum proripuit, ac ſe auxilio Communis adveniſſe oſtendit. Occentu vero campanæ audito quatuor Collegia ſubito advolarunt, ac Prætoris caput cuſtodierunt, ne populus vim illi afferret, qui opprimendi ejus cauſſa portas moliri Palatii nitebatur. E Eodem anno arca è marmore Pario candidiſſimo facta, eaque variis hiſtoriis affabre diſtincta ſepulchro oſſium Sancti Dominici dedicata eſt, opus adeo egregium, ut hodie quoque inter res, ut dixi, hujus Urbis viſendas præcipue referatur. Imbres quoque è cœlo adeo continui, & vehementes manarunt, ut Rhenus aquarum abundantia inflatus duos fornices Pontis ad Caſalechium deturbarit, atque Argellatam, Maxumaticum, & Centum ipſa prope illuvione obruerit.

1270 Sequens annus milleſimus ducenteſimus ſeptuageſimus, qui Vidonem Corrigium Parmenſem Prætorem Bononiæ & Philippum Aſinellum Mutinæ habuit, bello cum Venetis inito fuit inſignis omnium, quæ à Bononienſibus geſta ſunt, maxime memorando. Cum enim ultra pati non poſſent, ſibi lege à Venetis de portoriis lata externi commeatus copiam intercluſam, ac maritimæ navigationis uſum ademptum eſſe, neque ſalem, neque frumenta ex Romaniola provincia ſua devehere, niſi graviſſimo ſoluto portorio, ad alienum arbitrium poſſe, conſilium ſæpe de adhibendo remedio habuerunt. Demum re in utramque partem agitata placuit, caſtrum ad oſtium Padi, quod Primarium dicitur, in agro Ravennati extruere, idque caſtro S. Alberti, quod Veneti decennio ante quinque millibus paſſuum longe à mari extruxerant in ulteriore ripa opponere; ſic enim ſe conſequuturos putabant, ut liberum Padi ingreſſum, atque ita vel invitis Venetis, immunem navigationem haberent. Ut tamen jure potius, quam vi agere viderentur legatos Venetias miſerunt, qui abrogationem legis de portoriis poſcerent, atque interim ædificationem caſtelli, atque una exercitum ad eam defendendam ſi prohiberetur, pararunt. Dux ex Senatus auctoritate, cum nihil eorum, quæ peterentur, concedere decreviſſet, nullum reſponſum legatis dedit. Sed legatos ſe, qui voluntatem ſuam aperirent, miſſurum Bononiam dixit; miſſi vero Joannes Dandulus, & Nicolaus Quirinus cum civitatem revocare à propoſito nequiviſſent, domum redierunt, atque offenſos animos Bononienſis populi retulerunt. Ita his rebus exactis arma ſumma ope utrimque parata, à Bononienſibus, ut pro arbitratu caſtrum extruerent, à Venetis, ut operi impedimentum afferrent. Vido Prætor ad Primarium cum quadraginta hominum millibus ceteroque bellico apparatu ipſo Autumno profectus caſtri fundamenta jacere ex architectorum adhibitorum ſententia inſtituit. Contra verò Marcus Baduarius cum claſſe novem triremium, multorumque præterea lemborum ad S. Albertum progreſſus, ipſum caſtrum in omnem hoſtilis irruptionis eventum confirmare contendit, ac mox prohibendis Bononienſibus, ne caſtellum in margine ripæ ſibi oppoſitum conderent, ſe ſe tradidit, ac manganis, trabucchis, aliiſque quas de induſtria adduxerat machinis lapides, aliaque omnis generis tela jacere in Bononienſes inſtituit. Quæ cum illi propullare cuncta non poſſent, Prætor conſilium paululum à ripa ſecedendi cepit, atque ibi, ut tutiore ab hoſtili infeſtatione loco, turrim excelſam ex tabulis excitavit, eamque tectorum multorum corona magni inſtar Suburbii cinxit; ac totum opus vallo ex ſtipitibus, ligniſque ad tempus compacto firmavit; ac demum præſidio militari ad tuendum locum impoſito domum receſſit. Quo facto Baduarius quoque Pancratio Barbo ſucceſſore accepto Venetias redit. Res foris geſta domi quietiorem populum habuit. Sequenti anno, quo Lanfrancus 1271
Malocellus Genuenſis Prætor, & Anſelmus Tiburtinus præfectus Bononiæ, Venedicus autem Caccianimicus Alberti Iniquitatis filius Mediolani, & Nicolaus Bucciaſerius pri-

primus populi præfectus Mutinæ fuit, varie cum Venetis, Mutinenſibus, & Forolivienſibus dimicatum, atque ubique bene pugnatum. Apud S. Albertum Jacobus Dandulus, Hermolaus Juſtus, & Hermolaus Teupulus Barbum deinceps exceperunt, ac bellum pro viribus gerere, Bononienſes loco depellere contendentes, ſtuduerunt. Demum Girardinus Longus advenit, ſed quia exercitum peſtilentia inceſſerat, quieſcendum ſibi putavit. Ea re animadverſa Prætor Bononienſium occaſione uſus exercitu in lembos ſuos impoſito tacite ad hoſtes acceſſit, atque improviſos adortus in tantum tumultum conjecit, ut repente loco ceſſerint, ac navibus in portum Volanæ reſugerint. Bononienſes autem lembis aliquot, ac tentoriis & præda non parva potiti ad caſtra ſua læti ſe retulerunt. Hoc ita ſcriptum Venetorum in Chronicis reperitur. In Bononienſium vero, Venetos à ſe mari terraque devictos eſſe. Cui victoriæ Blondus quoque, & Sabellicus aſſentiuntur. Succedens inde Longo Andreas Zenus, non ſolum caſtra relicta recuperavit, ſed etiam ultro laceſſere Bononienſes perrexit. Cum Mutinenſibus porro ita actum. Lambertacii graviſſime paſſi Graſulſos Aigonorum opera ex agro inter Rhenum, & Mutinam deturbatos, ut officium factioni ſuæ laboranti præſtarent, omni ope contenderunt, Mutinenſibus indiceretur, ut caſtra cis Scultemnam diruerent, quæ ex fœdere diruta haberent. Ex altera parte Hieremæi Faventinis, & Forolivienſibus irati, quod Guelfis exactis Gibellinos exules recepiſſent, duriora eis quædam alia in ſpeciem imperarunt; bellum ambobus intentatum, niſi mandata mature feciſſent. Illis autem parere detrectantibus, exercitus utroque eſt deſtinatus. Menſe Auguſto Anſelmus præfectus cum exercitus parte Sabinianum Mutinenſium caſtrum adiit. Lanfrancus vero Prætor Alberum Forolivium duxit; ita utrumque oppidum oppugnari magna mole eſt cœptum. Cum autem populo tribus bellis graviſſimis occupato res in anguſtum locum eſſent adductæ, duo delectibus militaribus adhibita remedia ſunt; primum enim novum militare collegium ex optimis Civitatis conſtituerunt, idque ſocietatem Juſtitiæ appellatum tribus veteribus Collegiis Branchæ, Griſonis, & Lombardorum adjecerunt; deinde præfectus populi, Antiani, & Conſules ſtatuerunt, ut omnes homines urbis agrique ab octodecim annis uſque ad ſeptuaginta irent ad caſtra Primarii, aut Sabiniani, aut Forolivii, nec inde ſine Domini permiſſione diſcederent; qui ſecus feciſſet, is neque in Conſilia legi, neque Magiſtratum capere poſſet; neque ei in cauſſis pecuniariis jus uſque ad quinquennium redderetur, nec pro cive haberetur, neque damna accepta, niſi poſt quinquennium, ſarcirentur. Sabiniano capto inde bellum ad Montem Albanum, & Montem Umbranum, aliaque Mutinenſium caſtra translatum, eaque recepta ſubverſa ſunt. Tum San-Cæſarium in poteſtatem adductum. Dum autem opera caſtro illi diripiendo datur, ecce repente populus Mutinenſis ad arma, ut in re trepida occentu Campanæ vocatus intervenit; ac commiſſo cum Bononienſibus prœlio eos caſtru excedere compulit. Ita San-Cæſario relicto ad Pontem S. Ambroſii, & Pontem Navicularum eodem impetu provolarunt, eo conſilio, ut amne Scultemnæ trajecto in agrum eorum infeſtius procurſarent: verum à Mutinenſibus cum auxilio Parmenſium accurrentibus ſumma ope repulſi ſunt. His à Lambertaciis adverſus Mutinenſes adminiſtratis, Hieremæi eadem, ac multo graviora agro Forolivienſium rependerunt. Atque hæc quidem initia ſequentis ſeditionis fuerunt, cui ut occurrerent, neque enim obſcura concertatio erat, civitatis Rectores octoginta viros turbarum, ac tumultuum in primis auctores Urbe exegerunt, ac certis finibus incluſerunt. Eo etiam anno Philippus Rex Franciæ revertens ex Africa Bononiam adiit, atque ad Cœnobium Prædicatorum divertit. Is duas ſecum arcas deferebat, quarum in una erat Corpus S. Ludovici Regis patris ſui, in altera Triſtani fratris; quorum uterque cum ad Tunetem Saracenis eripiendum armatus acceſſiſſet, Carthagine diem ſuum obierat. Eodem anno inopia rei frumentariæ laboratum, atque ei triginta tribus millibus libris ad frumenta coëmenda à privatis hominibus mutuo datis opportune ſubventum. Poſt varias Cardinalium in Pontifice creando diſſenſiones tandem omnes in Theobaldum Vicecomitem Placentinum tum legatum in Syria conſenſerunt. Atque ita Kal. Septembris renunciatus in Italiam per legatos eſt revocatus. Luchino vero Catalucio Ge- 1272
nuenſi Prætore, & Anſelmo Lanzavecchia iterum præfecto, Sarracinus Lambertinus Prætor, & Veneticus Caccianimicus præfectus Mutinam procurarunt. Eo anno Veneti, ac Bononienſes mutuis ſe belli detrimentis afficere inſtituerunt. Quippe Marcus Gradonicus, & Jacobus Dandulus in Ravennatem ripam, ac Luchinus in Venetam exſcenderunt, ac valla invicem, & Suburbia ferro, igneque lacerare conati ſunt. Ravennates cum Venetæ prædæ partem ſibi aſciſcerent, eamque Bononienſes abnuerent, Luchinus Prætor appellatus eam ex fœdere deberi, decrevit. Idem etiam multorum Bononienſium, qui in prœliis vulnerati Ravennæ deceſſerant, ad ſe bona trahentes hæredibus eorum ſingulis centenas libras ſolvere debere judicati ſunt. De Mutinenſi inde, & Forolivienſi bello ipſarum potius partium, quam civitatum crimine conflato agitatum. Lambertacii enim bellum Mutinenſe urgentes, Legatos Parmam miſerunt, petitum ne agrum tueri vellent, qui eſſet à Sicla amne uſque ad Rhenum; nam & ſe Agrum, qui pertineret à Sicla ad Parmam fluvium dimiſſuros: qua oratione poſcebant ut ſibi citeriorem Mutinenſium agrum relinquerent, nam & ſe Regienſem eorum libidini permiſſuros. Quibus Parmenſes reſponderunt, non eſſe moris, ut vicini vicinis bellum internecinum inferrent, ſe ſocios ſuos dubiis eorum in rebus nequaquam deſerere in animo habere; atque eis eamdem fidem præſtare, quam ſuis ipſi patere temporibus perſpexiſſent. Hoc reſponſo accepto Conſilium Generale, ac Populi habuerunt, ac bellum facere Mutinenſibus, & Caſtra, agrumque cis Scultemnam eripere decreverunt, ac Præ-

to-

torem, & præfectum in id decretum ſacramento adegerunt; quod lapide inciſum in pariete Palatii eſt collocatum. Mutinenſes autem cum de agro dando rogati, ſe ne glebam quidem daturos, niſi armis coacti, reſpondiſſent, continuò ſocios ſuos auxilio advocarunt. Ex quibus Cremonenſes centum equites cum trinis equis ſingulos miſerunt: Parmenſes duo millia peditum, & magnam manum equitum. Opizo Ateſtinus cum omnibus Ferrarienſium copiis affuit, multi etiam Regio Guelfi voluntate non juſſu civitatis, ultro ejuſmodi ſe militiæ obtulerunt; atque omnes exeunte Aprili Mutinæ magno ſtudio convenerunt. Delectu habito, & carrocio in forum educto, cum ibi omnes inſtructi ſtarent, Hieremæi inſurrexerunt, ac ſe contra Mutinenſes ituros negarunt, adjicientes, ſi Lambertacii pertinacius in propoſito permanerent, ſe Marchionem Ateſtinum cum ſociis Mutinenſium accituros, ac domos Lambertaciorum, & ſociorum eorum appetituros, ac ferro, igneque diſſipaturos, eoſque urbe deturbaturos. Et ſi illi Mutinam violaſſent, ſe Forumlivium vexaturos, quo ſe contuliſſent, qui præſenti ſtatui Civitatis adverſarii eſſent. His verbis auditis Lambertacii perterriti ſecum cogitare de ſua, & Forlivienſium incolumitate cœperunt; atque utriuſque ſervandi cauſſa, de bello Mutinenſi omittendo in præſens aſſenſerunt; ac carrocio in ædem S. Petri reducto decreti lapidem amoveri è pariete permiſerunt. Quieta inde civitas funeri Regis Hencii celebrando vacavit. Is pridie Idus Maji, poſtquam viginti duos annos in cuſtodia fuerat, è vita deceſſit. Funus Commune ſuis ſumptibus egit; quippe veſte, & capitio ſcarlateo pellibus Varis ſuffulto cum aurea corona gemmis pretioſis intexta induerunt, & ſceptrum aureum tenentem, & duobus ſtragulis, uno ſcarlateo, altero holoſerico tectum, atque unguentis, quæ balſama vocant, imbutum exiulerunt, atque in æde S. Dominici magno honore ſepeliverunt. Extant adhuc inſtaurati ſepulchri veſtigia. Gregorius X. Pontifex in Italiam reverſus Viterbii VI. Kal. Aprilis eſt conſecratus.

1273 Poſtero anno, quo Videſtus à Ponte Carali Brixianus Prætor, & Jacobus Amorotus Lanzavecchia Alexandrinus præfectus Bononiæ, & Comacius Gallucius præfectus Mutinæ præfuerunt, pax demum cum Venetis eſt compoſita. Quippe exercitus Bononienſis ad Primarium ſedens laborare quadam quaſi peſtilentia cœpit. Etenim ex intemperie marini aëris quingenti perierunt, reliqui autem propter multitudinem pulicum, culicum, muſcarum, & aſilorum ſævientium varie conflictati ſunt. Quare civitatis animis jam ad concordiam inclinantibus per religioſos viros pax tractari utrinque cœpta brevi ad exitum eſt perducta. Auguſto vero menſe res in hæc verba convenit, ut in Actis eſt ſcriptum, unde hæc hauſimus.

„ Anno MCCLXXIII. Idibus Auguſti cum
„ inter Laurentium Teupulum Ducem Ve-
„ netiarum, Dalmatiæ, & Croatiæ, ac
„ Commune Venetiarum ex una parte,
„ itemque Commune Bononiæ ex altera
„ bellum, ac diſſenſio orta eſſet, & offenſ
„ ſiones utrimque ac damna illata, atque
„ accepta, tandem poſt multos tractatus
„ utrinque habitos per religioſos viros Fr.
„ Bonaventuram de Iſeo, & Fr. Peregrinum
„ Bononienſem Ordinis Minorum Fr. Bon-
„ vicinus procurator egregiorum virorum
„ Videſti de Ponte Carali Prætoris Bono-
„ niæ, & Imolæ, & Jacobi Amoroti de
„ Lanzavechiis præfecti populi Bononiæ pa-
„ cem compoſuit legibus infraſcriptis. Die
„ nono Auguſti Conſilium, & maſſa popu-
„ li dederunt poteſtatem Prætori, & Præ-
„ fecto populi ad procuratorem creandum
„ ad pacem componendam; poſtridie ideſt
„ decima Auguſti Videtus de Ponte Carali
„ Prætor Bononiæ, & Imolæ, & Jaco-
„ bus Amorotus de Lanzavecchiis præfe-
„ ctus populi . . . . ex auctoritate
„ omnium Antianorum, & Conſulum Po-
„ puli Bononiæ, & Decreto Conſilii &
„ maſſæ Populi facto die nona Auguſti
„ conſtituêre Fr. Bonvicinum Ordinis Mi-
„ norum ad pacem & inducias faciendas
„ inter Commune Bononiæ & Commune
„ Venetiarum de omnibus bellis, ac diſcor-
„ diis, quæ inter ſe interceſſiſſent, aut in-
„ tercederent, promittentes, ſe rata omnia
„ habituros, quæ ille egiſſet. Procurator
„ autem ſpopondit, Prætorem, & homines
„ Bononienſes munitionem cuſtodum, quos
„ habebant ac Primarium, in poſterum re-
„ moturos, ac caſtrum deleturos, neque
„ amplius refecturos, ita ut intra duos
„ menſes omnia everſa haberent, neque
„ moleſtiam Communi Venetiarum, aut
„ hominibus allaturos, quin Dux, & ho-
„ mines Veneti Vicedominum in Civitate
„ Ravennæ habeant, quem habere debent
„ ex pacto inter Ducem, & Commune
„ Venetorum, & Commune Ravennæ ini-
„ to. Item promiſit, Ravennates iis con-
„ ditionibus cum Communi Venetiarum
„ junctos, fore, quibus erant, antequam
„ bellum inciperetur. Die quinto decimo
„ menſis Auguſti Laurentius Teupulus Dux
„ Venetiarum conſtituit procuratorem Lau-
„ rentium Pugnam ad pacem faciendam
„ remiſſis omnibus banno, & injuriis al-
„ latis à Communi Bononiæ Communi Ve-
„ netiarum per cauſſam belli; & promiſit,
„ ſe ratum habiturum, quod ille ſtatuiſſet.
„ Item promiſit, ſe conceſſurum, ut quot-
„ annis Bononienſes per ſuos miniſtros
„ poſſent extrahere ex Marchia Anconita-
„ na, & Romaniola viginti millia corbium
„ frumenti, & per mare, & per Portum
„ Primarii, & per aquam Bononiam pro
„ uſu ſuo devehere, & ut quotannis de
„ ſale Cerviæ poſſent per mare, & per
„ portum Primarii, & per aquam Bono-
„ niam devehere triginta millia ſalis pro
„ uſu ſuo, ita ut ad Caſtrum S. Alberti
„ ad Primarium ſedere poſſint tres homi-
„ nes, qui nomine ſuo id frumentum, &
„ ſalem explorent, & bona fide æſtiment;
„ de captivis vero utrinque factis res inte-
„ gra maneat uſque ad Feſtum S. Andreæ
„ proximum, ad quem diem, ſi nihil erit
„ tranſactum, res ſint in eo ſtatu, quo
„ nunc ſunt.

His hoc modo tranſactis Bononienſes caſtrum removerunt, atque omnia ligna fratribus minoribus Ravennæ donarunt. Utrique autem domum copias reduxerunt. Eodem anno Hieremæi Lambertaciis fruſtra reſiſtentibus, tenuerunt, ut exercitus tandem Forumlivium duceretur;

atque

atque eò profecti caſtra ad Urbem poſuerunt, atque inde excurſionibus, ac certaminibus Urbem, & agrum eorum infeſtum reddere inſtiterunt. Bello autem ardente accidit, ut Odoardus Rex Angliæ à bello Sarracenico rediens eò acceſſerit. Cum autem cauſſam belli cognoviſſet, atque incitatos utrinque temere animos cerneret, officii ſui eſſe putavit, ut ambas partes ad concordiam pacemque redigeret. Ubi vero rem aggreſſus nihil ſe proficere obſtinatis ad exitium animis ſenſit, utroſque dimiſit. Hieremæi inde vaſtato agro, ſegetibuſque corruptis domum regreſſi ſunt. Eo anno Gregorius Pontifex Lugdunum, quò Reipublicæ cauſſa Concilium Epiſcoporum indixerat proficiſcens, Septembri menſe Bononiam adiit ingenti totius obviam egreſſæ Civitatis honore exceptus.

RODULPHO CÆS. REGNANTE.

TErtio inde Idus Octobris Rodulphus Comes Habſpurgenſis à Germanis Principibus poſt diuturnum interregnum eſt conſtitutus.

1274 Gulielmo autem Puſterla Mediolanenſi Prætore, & Jacobo Lanzavecchia Præfecto iterum Bononiam; Matthiolo verò Gallucio Mutinam Prætore regentibus, ventum eſt ad eas anguſtias, quas evitare prudens Civitas, ipſo volente Deo, non potuit. Namque ſerius cæteris Civitatibus, eò truculentius ſua in ſemet arma convertit, ut vere illud Iſaïæ in illam conveniat: *Bibiſti de manu Domini calicem iræ ejus, & potaſti uſque ad fæces*. Quippe Hieremæos gloriantes, quòd novum Populi decretum elicuiſſent, ut Forum-Livium, Lambertaciis invitis, exercitus duceretur, Lambertacii dolore, atque iracundia incitati armis aggreſſi ſunt; atque univerſo populo ad capienda arma progreſſo, ex feneſtris & tectorum culminibus lapides temere in adverſarios jacere inſtituerunt. Quare Populus ira percitus ad Prætorem contendit, orans ut tumultûs auctoribus dignam tanto ſcelere pœnam infligeret, atque ita Prætoris juſſu quatuor ædes Lambertaciorum, & duæ Hieremæorum everſæ ſunt. Neque vero ea res ſeditionem ſedavit. Verum utraque pars ſubſidiis extrinſecus accerſitis aſſidue inde die, nocteque dimicare perſeveravit, ferro, igne, ac machinis non aliter, atque ſi in Caſtris cum acerbiſſimis hoſtibus acie inſtructa decertaretur; nec ſolum in foro, aut in viis conflixerunt, verum etiam ex turribus alter alterum appetere, atque oppugnare contenderunt, tanta cædis, ac ſanguinis civilis cupiditate ardentes, ut vix ſomno, aut cibo capiendo ſtuderent; Matronæ vero viriles veſtes, animoſque indutæ pugnantibus ſuis arma, ac cibos maxima animorum alacritate ſubminiſtrarent. Quo fiebat, ut plurimis quotidie cadentibus, aut vulnera accipientibus, multis etiam tectis incendio conflagrantibus ingens ubique tumultus triſti mœrore, luctuque mixtus ineſſet. Interim ſuum utriſque ſociale ſubſidium venit. Ea re comperta Collegia Branchæ & Griſonis, ut Populum, & Commune defenderent, ad portam S. Felicis prodierunt, ut ſubſidiis Guelforum aditum intercluderent. Inde porta S. Iſaïæ egreſſi certamen in alveo Rheni cum Florentinis ediderunt, cum dicerent, nolle, eos urbem Bononiæ perdere, perinde ac Florentiam perdidiſſent; in quo multi capti cæſique ſunt. Maginardus autem à Panico, qui in ea Urbis regione ſedebat, Collegiorum metu perculſus, erat enim Gibellinus, aufugit. Qui vero ſubſidio Lambertaciorum ex Romaniola venerunt, Faventia, Imola, & Solarolo in poteſtatem adductis, uſque ad Caſtrum S. Petri effuſa populatione venerunt. Inde nuncio de ſubſidiis Guelforum repulſis accepto ſe Faventiam receperunt. Ad extremum Collegia cum Tribunis plebis juſſerunt, ut rei componendæ gratia obſides ſibi ab utraque parte darentur. Qui dati, & cuſtodiæ Collegii Branchæ commiſſi, in quo ambæ partes confidebant, Caſtrum Francum traducti ſunt, ut ibi manerent, quouſque Imola, Faventia, & Forumlivium redderentur. In aliis Chronicis obſides Hieremæorum dimiſſos, Lambertaciorum vero cuſtoditos reperio. His rebus ita compoſitis, ab armis receſſum, ac conſenſu partium Carrocium in forum eſt perductum, ut Faventia, & Forumlivium ex manibus Gibellinorum extorquerentur. Quod ubi Lambertacii conſpexerunt, vetere, ac nova ira exſtimulati, ipſum repentino impetu invaſerunt, ac præſidio interempto certamen multò, quàm ante, acrius inſtaurarunt. Collegiis autem armorum cum reliquo populo in Lambertacios tanquam perfidos incurrentibus, atque omnes promiſcua cæde ſternentibus, Lambertacii tempori cedere ſtatuerunt, ac die S. Joannis Baptiſtæ relicta patria Faventiam ad duodecim millia hominum confugerunt, ubi Theobaldus Accariſius civis Bononienſis princeps factionis agebat. In ea pugna Peregrinus Ruſticanus, Magarotus Magarotius, Bonifacius Arioſtus, aliique multi ceciderunt; reliquis exilium indictum, & bona publicata ſunt. Gulielmus, & Jacobus prætura, & præfectura depulſi. Rolandinus Pontalius Parmenſis in locum prætoris ſucceſſit. Ea ſeditio per quadraginta dies exarſit. Profectis Lambertaciis Hieremæi ſubinde victoria uſi eos perſequi decreverunt. Itaque Octobri menſe Mutinenſibus, cæteriſque ſociis, quos ſupra diximus, advocatis, exercitum Imolam adduxerunt, eâque receptâ inde Faventiam contenderunt, agroque vaſtato urbem obſidione ſeptam vario machinarum genere oppugnarunt. Verum quia egregie à Lambertaciis defendebatur, ſe potiri diffiſi, imminente hyeme reliquerunt. Eo anno Gregorius Pontifex Concilio Lugduni IV. Nonas Auguſti peracto, in quo de bello contra Sarracenos ſuſcipiendo, Italia pacanda, & Græcorum Eccleſia Latinæ conciliãda eſt actum, in Italiam rediit, atque in omni civitate de concordia, ſed fruſtra, diſſeruit. Deletis Lambertaciis, ſoli, ut opes Bononienſium frangerentur, Hieremæi relinquebantur, qui civitatem prope adhuc incolumes obtinebant; quare ſuccedente Anno, quo Nicolaus Baluganus Æſinus prætor, 1275 & Malateſta Malateſtus Ariminenſis præfectus fuerunt, funditus eorum quoque potentia eſt disjecta; bis enim collatis caſtris cum Lambertaciis, tanta clade certarunt, ut prorſus reliquos nervos Civitatis inciderint. Quippe eis viſum eſt bellum

Fa-

Faventinum continuare, quod imperfectum ſuperiore Anno reliquerant, ut una & ſuos adverſarios premerent, & illorum receptores Faventinos unà cum cæteris, quæ defecerant, Civitatibus ad Reipublicæ auctoritatem redigerent. VII. igitur Idus Aprilis Malateſta Præfecto populi duce cum magna equeſtrium, pedeſtriumque copiarum manu ad Faventiam prodierunt, ac caſtris ante portam poſitis quadraginta Faventinos cæde ſtraverunt. VII. vero Kal. Maji cum inde ſe reciperent, inciderunt in ducentos equites, & quingentos pedites Lambertaciorum, copiaſque Faventinorum, quæ à Caſtris, agriſque Bononienſium populandis ad Urbis defenſionem ſe referebant. Quibus viſis Hieremæi ſine cunctatione prœlium commiſerunt. Verùm à Lambertaciis præpotentibus pulſi, in fugam ſe dare coacti ſunt. Quare fugientes uſque ad Rivum Sanguinarium tanta clade affecti ſunt, ut majorem non meminiſſent. Siquidem, ammiſſo carrocio, quod Faventiam eſt perductum, præter eos, qui Senio amne hauſti ſunt, duo millia hominum cæſa, capti quingenti ſunt, unà cum tribus millibus curruum, qui res exercitui, & obſidioni neceſſarias deferebant. Ex principibus periere Nicolaus Baccialerius, Henricutius Gallucius, Thomaſinus Arioſtus, Hugolinus Zambonus, Gulielmus Malavolta, Albertus Sala, & Bartholomæus Baſacomatra. Reliqui domum reverſi haudquaquam animum demiſerunt. Verum ſubito exercitum refecerunt, & carrocium cum reliquo belli apparatu inſtituerunt, & poſt dies quadraginta cum copiis ſuis, ſociorumque, qui omnes tria millia equitum expleverunt, iterum ad Faventiam contenderunt. Faventinis aderant Forolivienſes Vidonem Monteſeltrium virum rei militaris peritiſſimum ducem cum mille equitibus peregrinis habentes. Igitur III. Idus Junias, qui dies S. Antonio Patavino ſacer erat, cum ad Pontem S. Proculi perveniſſent, populatoribus ad ſegetes incendendas immiſſis, ipſi equites ſuos inſtructos in conſpectum Urbis dederunt, pedites vero longo ſe ſubſequi intervallo juſſerunt. Hoc ubi Monteſeltrius comperit, locum ſibi rei bene gerendæ datum ratus, copias ſuas numero quidem inferiores, ſed vallo equitum firmiſſimo ſeptas, educit & contra hoſtes procedit. Neque verò Malateſta prælium detrectavit. Itaque commiſſa pugna acriter decertari eſt cœptum. Equites autem impetum Lambertaciorum non ſuſtinentes terga verterunt, ac ſe ſe inſequentibus hoſtibus cædendos, & capiendos obtulerunt nobilibus id æquo animo patientibus, quibus plebs ſuperbe admodum inſultabat. Itaque Comes à Panico, ut populum in fugam actum conſpexit, ipſum convicio excepit, ac ſuæ illum inſolentiæ admonuit. Peditatus autem, ut ſuos equites in fugam converſos vidit, in unum collatus ad Vexillum Carrocii conſtitit, atque ibi ſe confirmavit. Vido vero ſuperveniens poſtulavit, ut ante ſe dederent, quam ferro conciſi omnes perirent. Quod illi facere recuſarunt, atque ita ſiti, metu, & mœrore confecti per aliquot horas in armis ſteterunt, ubi vero laceſſiti pugnare coacti ſunt, baliſtis uſi multos hoſtium peremerunt. Verum inter ſe conſtipati, cum locum ad vibrandos gladios non haberent, miſere cædebantur. Acceſſit, quod Vido ad alias baliſtas magnam unam præ ceteris adduxit, quam ei Comes Novellus olim Prætor Florentiæ dederat, qua cuneos Bononienſium prorſus disjecit quare multis occiſis, captiſque; reliqui conſilii inopes ſe ſine certamine dediderunt. Ea pugna à Nona uſque ad Veſperas eſt pugnata; quatuor millia deſiderata, capti mille ſexcenti ſunt; tentoria, & currus cum inſtrumentis bellicis ad quatuor millia in poteſtatem hoſtium pervenerunt. Lambertacii ex ſpoliis Hieremæorum locupletati egregie ſuum ſe ultos eſſe exilium putaverunt. Is nuncius in Urbem relatus ingenti omnem Civitatem mœſtitia, luctuque replevit. Inde eodem impetu hoſtes in Bononienſium agrum invecti, caſtra eorum multa ceperunt, atque ea diripuerunt, agrumque late vaſtarunt. Cervienſes vero, qui adhuc in fide ſteterant, ac Forolivienſes ſe contulere, Princivalli Stuffa cive Bononienſi arcem, cujus ipſe cuſtos erat, prodente. His detrimentis acceptis continuo in Urbe remedia conquiſita ſunt, neque enim res moram pati videbatur, cum Civitas duabus partibus, una ejecta; altera afflicta, in maximum, ſi quando alias, diſcrimen ſervitutis eſſet adducta, ſi vicini conſociati armis una ad ipſius perniciem conſpiraſſent. Multis in Conſilio dictis utrinque ſententiis, demum eo deſcenſum eſt, ut auxilium à Rege Carolo peteretur iſque partium tutor, ac patronus aſciſceretur. Legati miſſi Urbis ſtatum, & Civitatis poſtulatum expoſuerunt. Neque ille voluntati ejus aliquid abnuit, ſed eos ſe in fidem recipere dixit, ac Ricardum à Beluaro Burgundum Prætorem cum præſidio miſit.

F I N I S.

ANONYMI
CENSURÆ
IN VARIA CAROLI SIGONII OPERA,

NEMPE

IN OCCIDENTALE IMPERIUM, IN REGNUM ITALIÆ,
IN NOTAS AD HIST. SACRAM B. SULPICII SEVERI,
ET IN REMPUBLICAM HEBRÆORUM,

CUM AD EASDEM CENSURAS RESPONSIONIBUS;

QUIBUS PRÆMITTITUR

OPUSCULUM

CLARISSIMI VIRI

AUGUSTINI VALERII
S. R. E. CARDINALIS,
ET VERONENSIS EPISCOPI

DE UTILITATE CAPIENDA EX HISTORIIS CAROLI SIGONII
DE REGNO ITALIÆ;

Omnia nunc primùm in lucem prodeunt

EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ,

ET AB ALTERO

BONONIENSI.

EDITORIS MONITUM
AD CENSURAS
IN LIBROS CAROLI SIGONII
DE OCCIDENTALI IMPERIO, DE REGNO ITALIÆ, DE NOTIS IN HIST. SAC. SULP. SEVERI, ET DE REPUBLICA HEBRÆORUM.

JAm fermè ad umbilicum Sigoniana editio noſtra pervenit, cui ne quid ornamenti deeſſet, beneque de litteraria Republica mereremur, induſtriâ omni contendimus, ut cuncta Sigonio elucubrata, quæ antidhàc vel ſeorſim vulgata fuerant, vel obſcuro in pulvere latitaverant, in unum corpus collecta publicæ uſuræ committerentur. Et ſane, abſit invidia verbo, in perquirendis quaquaverſum ſoliciteque indagandis ſingulis Cl. Authoris operibus, quorum veſtigium ac memoria ſuperſtes adhuc erat, fœlices adeo ac fortunati fuimus, ut omnes Sigonii lucubrationes ad lucem rediiſſe jure gaudere, ac merito gloriari poſſimus. Reſtare tamen videbatur unum, quod tamquam Coronidem Editioni huic imponeremus, Cenſuras videlicet aliquot, quas in Sigonium jampridem exaratas in Bibliotheca Vaticana percepimus aſſervari. Movit illico animum cupído eas quoque juris noſtri factas in vulgus emittendi. Vota quamobrem noſtra nobiliſſimo præſtantiſſimoque viro ſignificavimus, laborum noſtrorum fautori, Patrono, ac Mæcenati optimo, qui quum tunc temporis Romæ degeret in haud mediocri honoris gradu conſtitutus, auctoritate ſua effecit, ut paucis menſibus, quod fuerat nobis exoptatum, obtineremus. Has vero Cenſuras dum edere meditamur, Bononiâ per virum ſummâ nobis neceſſitudine conjunctum nuntiatur, inter privatas litterati Viri ſchedas deprehendiſſe ſe quaſdam in Sigonium cenſuras, quibus præterea Sigonii tuendi cauſsâ ſubjectæ reſponſiones viſebantur. Operæ pretium duximus nullâ interjectâ morâ, enixè amicum rogare, ut MSS. brevi ad nos tranſmitti curaret. Precibus diu fatigandus non fuit vir humaniſſimus: per eum enim, elapſo vix dum menſe, Bononienſes Cenſuras, bono Sigonii & editionis noſtræ fato percepimus. Cum Vaticanis ſtatim conferentes, eaſdem ad verbum cum illis eſſe deprehendimus, hac unâ re Vaticanis præſtantes, quod Sigonianas vindicias ad cujuſque Cenſuræ calcem exhiberent. Has ergo integras, ut fuerant ad nos tranſcriptæ, prælo ſubjici mandavimus, paginarum tantùm citationibus, lectorum commodo, huic editioni noſtræ accommodatis.

Cenſuras porro ac reſponſiones dum legebamus, in id etiam intendimus animum, ut ipſarum auctorem expiſcaremur; quod tamen minus aſſequuti ſumus. Id collegimus unum, Cenſorem, qui non ſemel hominem Clericali ordini adſcriptum præſefert,

inani timore perculſum, ne Sigonius pravè de Catholica Religione ſentiret, in Pontificem Romanum iniquus eſſet, patrocinium hæreticorum ſubinde ſuſciperet, aliaque id generis præter Chriſtiani hiſtorici munus aſtutè moliretur, extra oleas non raro abreptum fuiſſe, & quá ſcrupulis vaniſſimis, quá dicteriis atrocibus, Sigonium rabido prorſus calamo mordentem, ea loca cenſurá vexaſſe, quæ nullam patiebantur reprehenſionem, adeo ut illud heic uſurpari queat:

Dimittit corvos, vexat Cenſura columbas.

Quod vero Vindiciarum auctorem reſpicit, Sigonium ipſum eſſe definire non audemus, maxime quum eo caractere ſcriptæ ſint, qui à Sigoniano diſcrepat, ut ex autographis Sigonii Epiſtolis, quæ ex Ambroſiana Bibliotheca erutæ hoc ipſo tomo inſertæ ſunt, perſpicue cognovimus. Verum quiſquis tandem fuerit, id de eo affirmare citra controverſiam poſſumus, hominem fuiſſe ſatis moderatum, & Cenſori nequaquam pro meritis gravem ac moleſtum. Studuit ille quidem impactas Sigonio calumnias abſtergere, & vexata loca tueri, ſemper tamen Cenſori, quoad fieri poterat, parcens, neque in ea convertens ſtylum, quibus Cenſuræ infarciebantur, ſi minus Sigonium tetigiſſent. Hæc vero dicta nolumus de auctore reſponſionum pro vindicandis Commentariis in Hiſt. Sac. B. Sulp. Severi. Hunc enim eſſe Sigonium *ipſum ex adjectis reſponſionum confutationibus apertiſſime liquet.*

Ceterum an Cenſori ſatis ſit factum, dijudicabunt facilè Lectores, ſi animum advertent, objectas Cenſuras nullius ferme momenti eſſe, plerumque grandem excitari tragædiam de verbulis, quæ minus ad Cenſoris palatum ſapiebant, tandem leviſſimis de rebus Sigonium vapulare, quas æquos graveſque viros notare puduiſſet. Doctiſſimi ſane viri luſtrarunt Sigonii Opera, qui adeo ab eorum reprehenſione abfuerunt, ut magnis potius laudibus extollere non dubitaverint. Hos inter merito recenſetur Auguſtinus Valerius *Veronenſis Epiſcopus & S. R. E. Cardinalis, vir apud omnes ſuorum temporum litteratos, ob animi candorem, ac ſingularem eruditionem paſſim celebratus. Clariſſimi hujus viri Manuſcriptum opuſculum ex Vaticana Bibliotheca accepimus, quod quum Sigonii libros de Regno Italiæ juſto encomio afficiat, ipſumque Sigonium poſteritati commendet, duximus opportunum heic lectoribus exhibere; ut videant eos, qui Sigonium æſtimabant, viros fuiſſe dignitate ac doctrina conſpicuos, nec eos erubuiſſe nomina ſua opuſculis, quibus Sigonium honore ac laude proſequebantur, inſcribere: at vero Cenſores noſtros, quum mortalium ineptiſſimi forent, in apertum prodire campum formidantes, robore ac virtute adverſarii exterritos, Sigonio clanculùm, quod inertium hominum eſt, detraxiſſe. Sed jam ſatis ſuperque præfatum.*

AUGU-

AUGUSTINI VALERII
EPISCOPI VERONENSIS,
NECNON S. R. E. CARDINALIS
QUÆDAM DE UTILITATE CAPIENDA EX HISTORIIS DE REGNO ITALIÆ
AD NICOLAUM BARBADICUM
PRÆTOREM,
ET AD ALOYSIUM CONTARENUM
EQUITEM
PRÆFECTUM VERONÆ,
UNANIMES RECTORES.

Hiſtoriam Caroli Sigonii Mutinenſis de Regno Italiæ, hominis, quem omnes nos, & novimus, & diligimus, cum ad multorum Schiſmatum originem cognoſcendam, & ad varios Eccleſiæ Ritus, atque ad Eccleſiaſticam peritiam percipiendam, plurimum conferre à Viris bonis, & doctis audiverim, tantum nocturnæ quieti meæ, & Epiſcopalis muneris occupationibus, demendum putavi, ut totum librum, pulchritudine etiam Caracteris illectus, legerim, cujus conſilii me certè non pœnitet; nam legi pulchram Hiſtoriam, eleganter admodum conſcriptam, & non ſinè magna voluptate legi, quam pariebat rerum varietas, Regnorum, & Imperiorum mutatio, Sanctæ Matris Eccleſiæ, Pontificiſque Romani, Chriſti Vicarii, naſcens, & creſcens Majeſtas ab externis nationibus cognita, atque etiam culta. Homo Italus variis Italiæ caſibus, & calamitatibus plurimis interdum ſum commotus, ſed ut in tragœdiis fit, commotio illa aliquo voluptatis ſenſu non carebat. Juſtini minoris, qui Juſtiniano in Imperio ſucceſſerat exemplo obſervavi, Homo Homini quid præſtet, & quantum momenti ſit poſitum in irritandis præclaris ingeniis, cum Narſes Eunuchus, cujus opera Juſtinianus ejus Pater Italiam à Gotthis liberaverat, & nobiliſſimæ Provinciæ imperaverat, à Juſtino injuriis affectus, & in Græciam revocatus, Sophiæ conjugis procacis feminæ contumelioſis verbis laceſſitus, tantum ignem accenderit, tot tumultus moverit, tot, & tam variarum perturbationum, non ſolùm in Italia, verùmetiam in univerſo Orbe ſemina jecerit, cùm Langobardos primum in Italiam magnis pollicitationibus vocaverit, cujus gentis feritatem, ut cœleſtis ultionis baculum, & Divini furoris virgam, Italia, quæ multis, & variis calamitatibus oppreſſa eſt, & Imperium Orientale peſtiferis hæreſibus, Arii, Neſtorii contaminatum, expertum eſt, Sancta Mater Eccleſia calamitatibus crevit, quæ cùm videtur expugnari, tum maximè vincit, tum maximè extollitur, cùm eam jacere inſipientes homines arbitrantur, Chriſti Vicarios Religionem confirmaſſe in Langobardis, in exteris hominibus, cùm admirabilem pietatem, & amorem erga Sedem Apoſtolicam animadvertebam, ſuſpiciebam Divinam bonitatem, & lugendum eſſe putabam, pauciſſimos in ea, in qua natus ſum Provincia, quam præſtantiſſimam prædicamus, extitiſſe, qui Albuini, & Agilulfi, & quorumdam aliorum egregias virtutes æquaverint; & qui in Sedem Apoſtolicam illuſtria, ut ipſi, beneficia contulerint. Cùm verò legebam Rachim, depoſito Regno, Stephani Pontificis Sanctitate commotum in Monaſterium ſe abdidiſſe, admirabam ipſe, & exemplum etiam devotionis nobis à Chriſtianis Imp. Regibus Langobardis peti potuiſſe, intelligebam. Augebat admirationem Theodolinda, qua in muliere Regias omnes virtutes extitiſſe obſervabam, cui Sanctus Gregorius Pontifex multas litteras ſcripſit, ad cujus feminæ eximiam pietatem pauci Reges, & pauci Imperatores proximè accedere potuerunt, nata ad regendos alios, educata ad omnium virtutum exem-

exempla exhibenda, miſſa à Deo ad pacem Eccleſiæ procurandam Theodolinda videbatur, Dei organum Gregorii Pontificis Chriſti Vicarii, & Sanctæ Eccleſiæ miſeris temporibus unum ſolatium fuit Theodolinda: cum muliere Langobarda Italiæ Regina conferebam ea, quæ de omnibus feminis, penès quas Imperium fuerit à Chriſti adventu, & nullam reperiebam, quam ipſi anteponerem, inſtabilitatem hujus ſæculi, incertas, & varias hominis cogitationes, & ſpes rerum, quæ infra Lunam ſunt miram inconſtantiam obſervabam; cum poſt ducentos amplius annos, quo tempore in Italia Langobardi imperaverant, Regnum Italiæ ad Francos translatum eſt, diſtributorem Regnorum, & Imperiorum arbitrum, & Dominum in terris ex Hiſtoria colligebam eſſe Romanum Pontificem Chriſti Vicarium Zacchariam, qui cùm Childerichum Regem Franciæ tanto honori ferendo inutilem eſſe judicaſſet, Regno privavit, & Pontificia ſua auctoritate Pipinum ei ſuffecit. Caroli Magni eximium Religionis ſtudium, & obſervantiam erga Romanos Pontifices, & varia, ac illuſtria beneficia, quibus Sanctam Matrem Eccleſiam, Sanctam Sedem Apoſtolicam Romanam ornavit, gratiſſima memoria proſequebar. Juſtitiam Omnipotentis Dei, qui zelum Principum ſæpiſſimè latitudine Imperii, & ſecundis rebus, ſoboliſque fœcunditate ſolet remunerari, venerabar. Ego, & mutationes incommodaque, quæ paullo poſt apud Francos conſecuta ſunt, conſiderans, partim ab immoderata regnandi cupiditate, partim à Regnorum diviſione, & à multitudine regnantium profecta eſſe animadverti: varia Francorum Regum diſſidia, & multiplicia bella animadvertens non ita mirandum eſſe putavi, ut mirantur multi cum Galliam hujuſmodi diſſidiis, & privatis diſcordiis maximè perturbari intelligunt. Rem potius dignam multis lacrymis exiſtimaverim, nobilem Provinciam à Chriſtianiſſimis Regibus de Apoſtolica Sede, deque Chriſti Vicariis, de Italia etiam optimè meritis adminiſtratam, regnantibus Regibus, nobiliſſimo illo Titulo dignis, quibus eorum Proavis tributum eſt, tam longis, tamque inteſtinis, & planè tragicis caſibus vexari; ſed hujuſmodi calamitatibus ſperandum eſt futurum finem, Orbem terræ cœleſti illo Domino, in cujus manu ſunt omnia, moderante, & illis, qui Sanctam Catholicam fidem tuentur ſtudium, & pietatem ſuam oſtendentibus, incredibili lætitia afficiebar, cùm tam ſæpe, & tam facilè, ex Gallia in Italiam Reges illos potentiſſimos ad deferendam Sedem Apoſtolicam venire ſolitos legebam, indeque non minimo dolore commovebar, Chriſtianiſſimorum Regum ſucceſſores ejuſdem Catholicæ fidei amatores tot, ac tam longis perturbationibus ab illis, à quibus amari, & coli deberenr, divexari. Jam verò cùm Gregorium VII., Victorem III., Urbanum II., & Paſchalem II. Pontifices Romanos, graviſſima ſuſcepiſſe pro Eccleſiæ Rom. libertate certamina, neque ullum etiam vitæ periculum pro ejuſdem auctoritate retinenda diffugiſſe legebam, mirificè animo afficiebar; præſertim verò cum optimum Pontificum conſilium feliciſſimo tandem exitu terminatum, ac comprobatum viderem, pace à Caliſto II., cum Enrico Imperatore litem, quæ animos diſtraxerat, remittente, compoſita, mecumque ita ſtatuebam, ſolam Dei Eccleſiam adverſùs omnia humana tela invictam manere. Urbanum verò, & Eugenium III. Summos Pontifices indixiſſe Crucem cùm legerem, & Catholicos Reges, & Principes ad Sepulcrum Domini Noſtri Jeſu Chriſti recuperandum excitatos animadverterem, vixque lacrymas continebam, & mecum ipſe ita loquebar: ubi nunc illa tam neceſſaria deploratis temporibus concordia Principum, ubi illud ſtudium, ubi zelus Chriſtianæ Religionis conſervandæ, & propagandæ? Salvatoris noſtri Sepulcrum, Sancta illa Terra, ubi myſterium Redemptionis humanæ operatus eſt Dominus, fœde conculcatur à Miniſtris Satanæ, plebs Dei, Populus Chriſtianus, Catholici Reges, hæc ſciunt, hæc audiunt, hæc vident, & ferunt, & tacent: non defuit qui Urbani, Eugenii, Pii etiam Secundi, & Cœleſtini Pontificum exemplo ad expeditionem contra Turcos, Chriſtianos Principes hortatus fuerit, Pius Quintus, qui miſerrimis temporibus divinitus fuit datus Pontifex, qui fœdere inito cum Philippo Potentiſſimo Hiſpaniarum Rege, & cum Veneta Republica, quorum Principum conſervandæ, & propagandæ Chriſtianæ Religionis, & ornandæ Sanctæ Sedis Apoſtolicæ par, idque eximium ſemper fuit ſtudium, alios etiam Chriſtianos Principes magna diligentia, ſummaque auctoritate ſua ad idem fœdus hortari, & impellere ſtuduit; ſed miſerum, & deplorandum Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum! nec Vir Dei Pontifex Sanctus hortationibus ſuis multum profuit, nec victoria divino beneficio, ex illo fœdere profecta, Chriſtiano nomini multum ſolatii, & exiſtimationis attulit, ſilentio maximus dolor eſt comprimendus, nec tamen deſperandum fore aliquando, ut imminentia pericula, & calamitates edoceant Reges, & Principes concordiam, quæ unicum afflictis his tem-

temporibus remedium eſſe poterit. Multas Eccleſias obſervavi à Langobardis Regibus, & Imperatoribus magno ſplendore ædificatas, Sancto Petro Apoſtolo, Sanctæque Sedi Apoſtolicæ multa munera oblata, quæ magnopere pietatem illorum, qui vivunt, Italorum præſertim, debent excitare; quoſdam etiam, ſi qui ſunt, confundere; qui non ornant, ſed deſtruunt Eccleſias; non ditant, ſed ejus potius bona prædantur, atque dilapidant, quos dira manent ſupplicia. Legebam Arianam hæreſim, qua Imperatores Græci fuerint interfecti, hæreſim etiam contra Imagines Chriſti, Beatæ Virginis, & Sanctorum deplorandas in Eccleſia Dei tragœdias excitaſſe, ut excitatas etiam ſcimus, nec excitatas ſolùm, ſed actas à Luthero, & ab aliis Hæreticis in Germania, ab Hugonotis in Gallia, ita ut perturbationum, & miſeriarum matrem, & Maumethanæ tyrannidis altricem rectè nominaverimus hæreſim, quam ſic poſſumus deſcribere, ſceleſtam novitatem, qua impuriſſimi Sathanæ Miniſtri populum Dei vexant, & Sanctam Matrem Eccleſiam perturbant: Cùm verò à Francis ad Italos translatum Regnum legerem, multa mihi ante oculos notatu digna ſeſe offerebant, quorum hæc ſunt Capita, inteſtinis diſcordiis Gallorum, & Civilibus bellis illam mutationem factam eſſe Caroli, & Ludovici, & multorum Regum eximias virtutes ſum admiratus, inſanos, & ſceleſtos filiorum quorumdam impetus, fraternas diſſimulationes, fraterna odia à cupiditate regnandi profecta obſervabam, quarum rerum utinam nulla ſimulacra apparerent! Dum Itali regnarunt Guido, & Berengarius, animadvertere potui, quantum ſemper invidia nobilem Provinciam Italiam debilitaverit, & vicinorum Populorum inimicitias conſiderans, Mediolanenſium cum Comenſibus, & Laudenſibus; Mutinenſium cum Bononienſibus; nobiles Romanorum in primis cum Pontifice ingenia Itala præclara, illa quidem ad res maximas nata, libertatis ſtudioſiſſima, acria tamen nimis, & vehementia, & difficiliora ad parendum, quam neceſſe ſit, fuiſſe animadverti; hanc urbem Veronam commoditate Fluminis, montium amœnitate, ingeniorum ſobole, Cœli etiam temperie amabilem, fuiſſe ſedem Langobardorum, Regum aliquorum Hiſtoria indicabat, Albuini, qui primus Regum Langobardorum fuit, ſepulchrum fuiſſe, Theodolindam egregiam feminam nuptias in Agro Veronenſi celebraſſe, Lucium Pontificem in ea eſſe commoratum legebam, Italis Regibus regnantibus multa ab eis beneficia accepiſſe, eorum etiam cupiditatibus ſe opponere interdum eſſe auſam. Mathildem etiam heroicam feminam Theodolindæ imitatricem egregiam admirabar, innumerabilia ejus in Sanctam Apoſtolicam Sedem officia, quibus omnes Chriſtiani Principes ad amandam, & omnibus ſtudiis fovendam Sanctam illam Sedem poſſunt excitari, mira cum voluptate obſervabam. Feminæ liberalitatem, aut magnanimitatem conſiderans, ſapientiam Dei admirabar, hac ratione multorum hominum ſuperbiam reprimentis, qui muliebrem ſexum in rebus gerendis minimè idoneum contemnunt, ſed quid ſingula perſequor? faciem deformatam Italiæ, cum in tota hac Hiſtoria contemplarer, & mihi ante oculos conſtituerem, Vicarios Chriſti interdum contumeliis variis affectos eſſe, & depulſos aliquos, in carcerem detruſos, nobiliſſimam Provinciam in multos Ducatus à Langobardis diviſam, & multorum annorum ſpaciis populatam potiùs, quam rectam. Cum Patriarchas Aquilejenſes, Archiepiſcopos Ravennates, & Mediolanenſes Romano Pontifici interdum adverſatos eſſe, cum tot ſchiſmata, tot anathemata, totque mutationes, & calamitates, cum Mediolanum præſtantiſſimam Civitatem dirutam, & plane extinctam, deinde reſtitutam, & ad eamdem, in qua erat, amplitudinem redactam legerem, ſtupore affectus deturpatæ Provinciæ faciem dolebam, ſed cum dolore conjuncta erat non minima voluptas, cum ad contemplandam nunc Italiæ faciem animus traduceretur meus, cujus faciei contemplationem aliquantulum retardabat cogitatio rerum Germanarum, cum tantam pietatem in Deum, tantam charitatem, tantumque, & tam eximium ſtudium amplificandæ Sedis Apoſtolicæ in Germanis Imperatoribus, atque in omnibus illius Provinciæ viris obſervabam, idem in iis, qui in Imperio ſucceſſerunt, manere ſtudium veræ Religionis lætabar, in eiſdem eſſe Sanctam & Catholicam Fidem, ſed quis non maximè doleat, cum ſecum conſideret potentiſſimam Provinciam, in qua tanta eſt vis ad debellandas Populi Chriſtiani inimicas gentes, & gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ, tam miſerabiliter eſſe divulſam, tam fœdè variis hæreſibus eſſe contaminatam, falſis libertatis titulis veteris roboris, & antiquæ dignitatis oblitam, de inimicis Crucis Chriſti, de immaniſſimo Turcarum Tyranno non cogitare imminentibus, & prope vicinis calamitatibus non ſe opponere. Veniebat in mentem, cogitare inde potiſſimum Reipublicæ Chriſtianæ calamitatem ortam, & impiam Maumethi ſucceſſionem propagatam,

atque intolerabilem ſuperbiam, & Satanicam audaciam profectam, quod magnam partem Germaniæ quieti ſe dediſſe, & præſentibus, ad nimium propriis commodis ſervire effera illa Turcarum gens in animo perſuaſum habuit, & utinam falleretur. Catholicos Imperatores Germanos, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Romanæ conſervandæ, & ornandæ ſtudioſiſſimos, ex hac hiſtoria potui colligere, aliquos etiam eorum regnante cupiditate, & inanibus quibuſdam titulis deceptos legi, Fridericum in primis Imperatorem, qui elatè nimium ſe Summi Pontificis beneficio factum Imp. nolebat fateri, atque inde Lucio III. Pontifici magnam attulit moleſtiam. Societatem Civitatum Lombardiæ conſiderans dicebam: Quid ſi omnes Chriſtiani Principes, & Reges, penes quos non ſolum Italiæ, ſed multarum aliarum Provinciarum imperium eſt, idem ſentirent, Maumethi ſuperſtitionem tollendam, & horribilibus Turcarum conatibus reſiſtendum ſibi proponerent, imminentem calamitatem unanimes viderent, & formidarent: quæ omnia cogitans dicebam magis quod hæc vident, & ferunt quod vicinum eſt exitium, & tam pauci de eo propulſando cogitant. Qua in re non defuit Sanctiſſimus Vir Pius V., cujus ſanctitatis, & zeli eximii propagandæ Eccleſiæ Dei, & exterminandæ Maumethanæ ſuperſtitionis nulla unquam ætas non recordabitur. Catholici Regis voluntatem, & ſtudium nemo ſanæ mentis non laudabit, qui niſi tam longis itineribus abeſſet, & variis bellis implicitus non fuiſſet, Vicarii Chriſti præclariſſimam voluntatem illuſtribus etiam ſignis majore celeritate eſſet ſecutus; quid Veneta Reſpublica Patria noſtra, quid inquam facere potuit, & non fecit? ſed nolo pluribus hac de re agere homo in officio Paſtorali occupatus. Tu Prætor, qui unus è Conſultoribus militiæ difficillimo belli tempore Reipublicæ Conſilio, & opera tua ſerviſti, hoc quod dico noſti optimè, qui pluribus verbis interdum commemoras, quantam vim pecuniæ Patria noſtra pro Chriſtiani nominis Religione tuenda, & pro defendenda libertate impenderit, quam magnos ſumptus fecerit, quos labores, quas vigilias Veneti homines periculoſiſſimis temporibus ſuſceperint. Una eſt reliqua ſpes in Auctore bonarum omnium rerum Deo collocanda fieri non poſſe, ut quod violentum eſt, ſit perpetuum, & quin tyrannicum Turcarum Imperium ſæpe occiſione parentum, filiorum, fratrum acquiſitum, & ſtabilitum nefandis, & horribilibus vitiis enutritum, crudelitate, violentia, ſed maximè Chriſtiani Populi peccatis, & diſcordiis auctum, mole, & magnitudine corruat, diu crudelitatem regnare, diu impietatem fines Imperii extendere Divina Juſtitia non patiatur, Sponſam ſuam, Matrem noſtram, tot Sanctorum hominum Sanguine propagatam Eccleſiam, domum Dei non deſeret potentiſſimus omnium Rex Chriſtus, virgam projiciat in ignem; non obliviſcatur] miſereri, ignoſcant, modo miſericordiæ ejus viſcera horribilibus peccatis, & animo impœnitenti Populus Chriſtianus non clauſerit. Jam nos Itali illuſtria Clementiſſimi Patris Dei experimur beneficia, jam præcipua in Italiam ejus clementiæ apparent indicia, nam ſi legerimus, quibus diſcordiis Italia multos annos afflicta fuerit, quibus ſchiſmatibus perturbata, quibus inteſtinis ſeditionibus, & crudeliſſimis bellis fuerit vexata, hoc in primis tempore maximas nobis gratias agendas eſſe intelligemus, quod multorum annorum ſpacio pace fruamur. Multæ jam ætates præterierunt, quibus memorabilibus cladibus nobilis hæc Provincia perturbata non fuit, bella, quæ in ea excitata ſint, aut non magna, aut non multo tempore duraverint. Unam Fidem, unam Eccleſiam, unum Vicarium Chriſti Romanum Pontificem univerſa jam Italia fateatur, omnes hæreſes, omnia ſchiſmata deteſtetur; jam nullus, aut pauciſſimi reperiantur, qui vel minima hæreſum labe ſint infecti, ſed cum hac Italorum juſta lætitia non poteſt non eſſe conjunctus dolor, quem percipere neceſſe eſt ex aliarum Provinciarum incommodis, & calamitatibus, quas commemorare non eſt neceſſe, & quæ niſi ſanentur vicinitate aut commertio, timendum eſt, ne hanc etiam Provinciam poſſint inficere. Legebam conatus, & impetus, atque potentiam Federici Imperatoris Lombardos retardaſſe ad inducias primum; deinde ad pacem eumdem fuiſſe redactum, ſæpe honorificentiſſima memoria nobiliſſimi congreſſus, qui eſt habitus Venetiis inter Federicum Imperatorem, & Alexandrum III. delectabar, & hæc mecum ipſe non ſine animi voluptate cogitabam: Patria mea fuit domus pacis, hoſpitium Pontificis, & Imperatoris, ibi terminus poſitus longis diſcordiis, ibi ſchiſma Reipublicæ Chriſtianæ exitiale ſolutum, ibi ad Pontificis Romani Vicarii Chriſti pedes potentiſſimus Imperator ſe dejecit, ibi deformata Italia priſtinum decorem ſuum viſa eſt recuperaſſe, ibi Catholica Reſpublica inſignibus Regiis ornata, ibi eo tempore Senatus Venetus veluti Chriſtianæ Reipublicæ arbiter inter Pontificem, & Imperatorem eximii cujuſdam Judicii, quo in primis excellit, dedit documenta,

menta. Cum autem principia, & incrementa Venetæ Reipublicæ, in qua nati nos ſumus animo perpendiſſem, Ariſtotelicam regulam veriſſimam intellexi, quibus oriuntur creſcere, & amplificari Reſpublicas ſolere; tempus multum afferre commodi conſueviſſe ad gubernationis formas expoliendas, quod accidit in Magiſtratuum electione, præſertim in principium, quando quidem mutata illa forma ſubſtituendorum ſibi filiorum, aut fratrum, qua interdum Patria noſtra graviter fuit perturbata, egregia quædam adminiſtrandi forma ſit conſtituta, qua nullam Philoſophi præſtantiorem excogitare potuerunt. Lætabar interdum cum legerem ex noſtris Principibus aliquos in Monaſteria ſe addidiſſe, quorum Principum ſanctitate, & interceſſione, quis ſcit, an non Veneta fortaſſe Reſpublica ſit propagata; multum enim valent ſanctorum hominum aſſiduæ orationes, multum clamant ea conſilia divinitus impetrata, quæ humana prudentia ſubminiſtrare nequit; ab initiis Reipublicæ à Venetis Miſſam Claſſem animadvertebam ad liberandam obſidione Ravennam à Longobardis obſeſſam, idque hortatu potiſſimum Romani Pontificis, cujus ſemper ut Principis Apoſtolorum, & legiptimi Chriſti Vicarii defenſionem ſuſcepit Patria noſtra, quam cum à Pipino miris modis, & variis conatibus perturbatam legerim, Dei ſummam providentiam, qui potentiſſimi Regis conatus irritos fecerit, & ſedem illam nobilitatis portum, quietis, & ſanctæ religionis tutum domicilium eſſe voluerit, agnoſcebam, & prædicabam: ſed hæc, & alia nonnulla, quæ de Venetiis in hac hiſtoria de Regno Italiæ narrata ſunt, diligentius conſiderans, mecum ipſe dicebam, inter tot incendia Italiæ, inter tot diſſidia, inter tot ſchiſmata, priſci Veneti Apoſtolicam Sedem ſemper ſunt ſecuti, quod fuit omnis innocentiæ, & juſtitiæ caput, legibus Patriam ornaverunt, libertatem defenderunt Rempublicam etiam propagaverunt, non tam armis, quam prudentiæ, & Juſtitiæ fama. Cogitabam, quibus modis res tantas, & tam eximias conſegui potuerint, Religione, innocentia, Juſtitia, induſtria, ſobrietate, Templorum, multorum Monaſteriorum, & Hoſpitalium ædificationibus, locorum Piorum inſtitutionibus, cultu Dei eximio, cum interiore, tum exteriore, hæc conſequi potuerunt, his armis potentiſſimos impetus retardarunt, & retardarunt Chriſto Duce, auſpice Chriſto, cujus vexillum in primis ſequuntur, quo Imperatore nullus Populus vinci poteſt, niſi ab eo tempore deficiat, deficiat peccatis, deficiat impietate, injuſtitia, avaritia, & aliis ſceleribus, quibus clariſſimi, fratres liberet, Clementiſſimus Pater Deus Patriam noſtram bonam, quæ adhuc floret, Rempublicam liberet, univerſum Chriſtianum orbem, ut incipiat vincere, & cum victoriæ ipſi divinitus conceduntur, diſcat uti victoriis, amet concordiam, hæc humana commoda, hos inanes ſplendores, caducam demum, & miſeram hanc vitam, cum de Dei gloria, & de Chriſtiano nomine propagando agitur, diſcat contemnere. Edeſſam captam legebam urbem in Meſopotamia, quia Saracenis apertum fuerat oſtium à quodam; cujus filiæ ille qui civitati præerat ſtrupum intulerat, & incontinentiam cauſam defectionum, & mutationum in rebus pub. & in Regiis obſervabam, quod Ariſtotiles etiam in Politicis obſervavit; argumentabar autem, & angebar dolore: Edeſſa capta, indicta Crux eſt, omnes Chriſtiani Principes contra Sarracenos fœdus inierunt, nunc captis tot Regnis deletis, tot Imperiis imminentibus, tot periculis, cur Chriſtiani Reges, & Principes unanimes contra immaniſſimum Turcarum tyrannum non ſe armant? ſinguli ſibi ipſis videntur conſulere Principes communis periculi obliti. Collegeram alia quamplurima documenta, ad inconſtantiam rerum humanarum, & ad deplorandam Populi Chriſtiani calamitatem pertinentia, quæ hoc loco commemorare non puto neceſſe: ceterum cum Sancti Bernardi vitam, mores, miracula, ab eo divina ope edita, reſque ejus pro Chriſtiana Republica geſtas nuſquam elegantius expreſſas legebam, quia incredibiliter ſanctiſſimi illius viri ſcriptis delector, ejuſdem etiam laudibus egregie commemoratis commovebar, cum porro duo illa Eccleſiæ Sanctæ Dei illumina Beatos Dominicum, Franciſcum trecentis & quinquaginta annis orta inſpiciebam, ſummam Dei benignitatem venerabar, familias ab illis patribus profectas, familias Dei Sanctæ Catholicæ Fidei propugnacula, omnium bonarum litterarum, & optimorum morum veluti officinas, ab hominibus tanta ſanctitate præditis profectas gaudebam; ad extremum hominis Mutinenſis hornatam legens hiſtoriam, dolebam in tanta copia bonorum ingeniorum, quæ ſemper noſtra tulit, & aluit Patria, fuiſſe tam paucos, qui res illius Reipublicæ, in qua ſunt nati, & cui omnia debent, ſcripſerint. Inde ſæpe factum eſt, ut illuſtria ejus officia in Eccleſiam Dei, & præclara multorum facinora obſcuraverit oblivio in fovendis, & ſibi conciliandis hiſtoricis, Poëtis, aliiſque ſcriptoribus, nunquam elaborandum ſibi eſſe Veneta Reſpublica putavit, quod con-

conſilium, ſi veræ virtutis amatores fortaſſe non improbarent, ut pote ab omni fuco abhorrentes; ad tuendam tamen exiſtimationem, quiſpiam non omninò laudandum dixerit Sabellicum virum bonum, non tam beneficiis, quam conſcientia, & Judicio Veneti nominis amantiſſimum ſcimus, præter ipſum paucos reperies Venetæ gloriæ cupidiſſimos. Hic certè Sigonius ſui in Venetam Rempublicam ſtudii non obſcura dedit indicia. Ab Andrea Navagerio viro ut noſtis magni nominis contexta hiſtoria de rebus Venetis periit ipſiuſmet culpa, qui febri acuta laborans hiſtoriam ſuam conſcindi juſſit, non minima, ut opinor, jactura: vos cur ceſſatis? unicuique, qui hiſtorias horum temporum ſcripſit, ſua relinquitur laus, cur Prætor ingenio, judicio, dicendi, & ſcribendi facultate prædite non ſcribis hiſtoriam, cur Polybium imitandum non tibi proponis, non res Civiles ſcribens philoſopharis, cur illo tuo ſtilo tot luminibus diſtincto concionibus illam vim ingenii tui non infundis? Non delectat continuato ... hiſtoriam texere? Vitas illuſtrium virorum Plutarchum imitatus conſcribe, ut jam cœpiſti ornatu Matrem tuam bone fili illuſtra ſcriptis tuis, & monumentis litterarum Venetum nomen creſcenti tuæ laudi ne deſis, cum præſertim poſſis cum Dei gloria, & cum utilitate eorum, qui tuis laboribus ad res præclaras excitabuntur, laudem tuam conjungere, non erunt hoc ſæculo, qui Barbaros, Contarenos, Navagerios imitentur, qui in Republica etiam litteralia Venetorum exiſtimationem tueantur, nullam potes afferre excuſationem. Reſpublica ipſa à tuo ingenio utrumque poſtulat, ejus ut commodis ſervias variis, & ampliſſimis in Magiſtratibus tuis etiam lucubranibus tuum, & ejus nomen poſteritati commendes. Te Præfecte alloquor optimis litteris excultum hominem, qui uſum rerum legationibus tibi comparaſti, tu Cæſarem imitare lenitate, & elegantia ſermonis, inimitabilem Xenophontis, & Cæſaris ſcribendi rationem tibi præpone. Prima ſequentem pulchrum eſt in ſecundis, aut in tertiis poſſe conſiſtere, ut diſcipulum Mamutii nos, qui multos jam annos tecum amicitia juncti ſumus agnoſcimus, per jocum ſæpè verè tamen decoris Pater appellaris, oſtende tuum in ſcribendo decorem. Venetum Atticum te rectè quiſpiam appellaverit, virum mitiſſimis, & amabiliſſimis moribus præditum, minimè ambitioſum, ab omni æmulatione, & invidia alieniſſimum, literis deditum, divitiis moderatè utentem, inter fluctus ambitionis animi æquabilitatem retinentem, nemini detrahentem, præclaris ingeniis faventem, & illis etiam ſinè ullo imperio ſuavitate ingenii imperantem. Domeſticam patrui Cardinalis laudem imitare: ſcribe omninò aliquid, ſcribe paræneſim ad fratris tui filium magnæ ſpei puerum, ſed in primis Xenophonteo more Patriæ tuæ, aut potiùs noſtræ, cujus familia tua, tu etiam ipſe magnis ornatus es honoribus, aliquod ornamentum tuis ſcriptis affer. Docete ambo libellis, quod re ipſa docuiſtis, quam laudabilis, quamque utilis ſit in gubernanda Republica, & in regendis Populis concordia, ſed quid laudo? Vera dico, & ſi laudo, laudo & hortor, ut excitem, ut impellam, ut omnem excuſationem vobis adimam, ſi nimium ſtudia doctrinæ, & ſcriptionem intermiſeritis acriter etiam reprehenſurus, ſi veteram meam in vos benevolentiam, & fraternam hanc cohortationem nihil profuiſſe animadvertero, ut legationum ad Principes, & ad Reges à Legatis confici ſolent commentarii, ita etiam præturarum, & præfecturarum, aliorumque munerum, quæ pro Republica geruntur, quibus veluti libellis Civitatum mores, fides in Rempublicam, munitiones, & reliqua, quorum cognitio aliquam poſſit utilitatem, aut etiam voluptatem afferre, commemorantur, nobilem Patavinæ Præturæ memini ſcriptum commentarium à Bernardo Navagerio Avunculo meo, qui poſtea Cardinalis fuit, quem ſæpè non ſine magna voluptate legi. Multam certè, & illam quidem præclaram dicendi, atque ſcribendi materiam præbet nobis Verona, mirabilis ſitus, fluminis commoditas, amœnitas montium, varietas proſpectuum pulchritudinem, Civitatis commendant Cœli etiam temperies, urbis latitudo, incontaminata in primis fides in Chriſtum, & eximium erga Sanctam Sedem Apoſtolicam ſtudium, ut ex veſtris vocibus ſæpè laudantur, ita etiam ut ex hac urbe diſceſſeritis veſtris ſcriptis, & commentariis erunt laudanda. Egregius hujus Civitatis amor, aut pietas potius in Rempublicam commemoranda erit, quam vos ſæpè perſpexiſtis, ego multò ſæpius, qui Veronæ jam multos annos ſum commoratus, jam ſcitis Veronenſes eſſe hæreticorum inimicos acerrimos, tum zelo Dei, tum ſtudio conſervandæ exiſtimationis, æqualitatis, ſtudioſiſſimos, ingenio ſatis acri in Sacerdotibus honorandis, nulli Civitati cedentes, ad iracundiam, ad ulciſcendaſque injurias, proclives illos quidem eſſe, divino tamen beneficio, quaſi ingenium mutaſſe videantur, nunquam minus inteſtinis odiis, inimicitiis, atque etiam ſimultatibus perturbatam fuiſſe

hanc

hanc Civitatem, inæqualem æqualitatem, quam profitentur, reprehendi poſſe, quia cum divitibus minus divites pares habere ſtudeant, quia muliebribus ſumptibus veſtitu, & conviviis minuunt plerique patrimonium, quia uſuris opes ſuas extenuant, nunquam doctos homines defuiſſe in hac Civitate in omnium litterarum genere facilè eſſet obſervare, neque adhuc deeſſe in bonis ingeniis, atque etiam apertis ad res egregias natis deſiderari ſæpe diligentiam, & conſtantiam, ſed profecto ſtudium Civitatis in frequentandis Eccleſiis, & in piis operibus inſtituendis, conſervandis, & in dies magis augendis, & magnam minimè opulentæ Civitatis in pauperes liberalitatem admirari, ac laudare omnes poſſunt, & debent; ſcribentes autem Commentarium rerum, quas Veronæ obſervaviſtis, deſcribere poteritis diem hunc vanitatis, diem ſtultitiæ, diem carnis, diem voluptatum, diem poſtremo genio dicatum, Bacchanalibus perverſa quadam licentia conceſſum, quo vidiſtis quanto concurſu Nobilium hominum, quanta harmonia, quanta cum animi voluptate fuerit in Eccleſia celebratus, quot acclamationibus excitationes illæ, quæ recitatæ fuerunt, auditæ; quanta reverentia, ac devotione Sathanas profligatur, ac vanitatis expulſor Chriſtus fuerit deductus, hac deſcriptione abſentes, certò ſcio delectabimini. Hujus diei memoria, ut opinor, vobis futura eſt jucundiſſima, quem diem cùm una totum conſumpſerimus, mediam etiam noctis partem mihi nobiſcum traducendam duxi, ne iteretis quæſo. Tantum tibi otii Epiſcope, tibi, qui innumerabilium animarum rationem es redditurus, tibi, ad quem pertinet tot ad Chriſtum animas verbo, & exemplo ducere, ut minima hæc perſequaris nobis minimè neceſſarium videtur ſcribere hoc tempore, nec ſi nobis daretur otium. Ponatur, non eſſe neceſſe ſcribere; jucundum ſanè eſt, & utile ſtylo alere, & augere copiam dicendi, acuere ingenium, prodeſſe aliis, aut ſaltem ſibi, aut honeſtam, quæ in ſcribendo percipitur, voluptatem capere. Datur nobis otium, datur etiam occupatiſſimis omnibus hominibus legendi, & ſcribendi etiam aliquid, ſi oras partiri quis novit, ſi otioſos, & inutiles ſermones vitet, ſcribite vobis, ſcribite mihi veſtri amantiſſimo, ſcribite amicis veſtris, ingenii, judicii, ſtyli, & induſtriæ veſtræ, tributum aliquod Deo, & Patriæ, ne ingrati videamini, reddite: non poteſt deeſſe argumentum me ad onus graviſſimum paſcendarum animarum alacriter ferendum accendite, me in maximis, & variis laboribus conſolamini ſynopſibus, obſervationibus, & Sanctorum virorum libris collectis, ſtudia occupatiſſimi hominis, quem mirificè diligitis, juvate, ſed in primis, ut paulò ante dixi, hiſtoriis ornate communem Matrem. Quod ad me attinet, ignoſcite viri optimi, ignoſcant omnes, qui interdum in mea opuſcula incedunt, ignoſcant inquam ingenio meo uſque a pueritia litteris, & ſcriptiunculis nimium dedito. Ego certè variorum laborum meorum, & magnarum ſollicitudinum nonnulla ſolatia capio, ſine quibus Epiſcopalis muneris onus ſuſtinere minimè poſſem, non minimum mihi ſolatium præbet ſcriptio, qua interdum magnopere timeo, ne nimium delecter, ſed cur, veniam peto, cur timeo, & in eorum numero meipſe colloco, qui trepidaverunt timore, ubi non erat timor, cùm multi ſanctiſſimi, optimique Epiſcopi, qui Chriſtiana pietate fulſerunt, & in paſtorali munere rectè obeundo excelluerunt, quamplurimos ſcripſerint libros interpretum interdum officio, aliquando Concionatorum munere fungentes Commentarios, atque etiam homilias, & varia opuſcula ad uſum virorum, atque etiam feminarum reliquerint, modò mihi non placeam, modò Sponſæ Chriſti indigniſſimus omnium Epiſcopus aliqua ratione conſulere habeam propoſitum, modò ſcriptio gubernationis curam non impediat, aut minuat, viri judicio præſtantes, & rectores juſtiſſimi honeſtam hanc ſcribendi voluptatem mihi permittetis. Credo vos ſcire, quomodo ſe res habeat: profecto cùm ſcribo in amandis meis libellis febri laboro, ſed illa quidem ephimera; uno enim, aut duobus elapſis diebus tantum abeſt, ut meos libellos diligam, ut eos interdum me ſcripſiſſe pœniteat, neque tam inſano mei amore, & meorum opuſculorum unquam accenſus fui, ut inde, vel minimam gloriolam mihi quærendam eſſe judicaverim, jam enim antequam etiam libros ſacros attigiſſem, Claudus ille noſter epictetus Patavii me, cùm eſſem admodum adoleſcens, docuerat quantum ſit in rebus inane, & quàm parvi pendenda, aut nihili potius facienda ſint omnia, quæ in nobis non ſunt, quæque meliorem animum non efficiunt. Quamobrem varia opuſcula, quæ legiſtis, & interdum non improbaſtis, veluti mortua jacent, cùm jam ex illis propoſitum fructum conſecutus ſim, honeſtam animi voluptatem, & aliquam etiam illorum ad quos ſcripta ſunt utilitatem. Quæ edita ſunt aliorum juſſu edita ſunt, permiſſu meo, ne in ſupprimendis meis libellis, & in

ſtudio vitandæ inanis gloriolæ in occultæ ejuſdem ambitionis, aut ſuperbiæ ſuſpicionem inciderem. Erit hic dies mihi certe multis rationibus memorabilis, & admodum jucundus, quod eo præter omnem conſuetudinem, & morem inſanientium Populorum tanta pietatis, & devotionis in Veronenſi Populo, quem unicè, ut debeo, diligo, apparuerint indicia, quòd amiciſſimos viros nobiliſſimam hanc Civitatem magna prudentia, & admirabili inter ſe concordia adminiſtrantes maximè religionis ſtudium, quod libenter, & ſæpe commemorant, & inſolitam, atque admirabilem devotionem ſua præſtantia aluerint. Jucundus erit etiam memoriâ convivii, quod inter nos eſt habitum, & recordatione hujus libelli, in quo ſcribendo videor juſtitiæ rationem habuiſſe, cum his, qui mihi pulchrum librum commodaverint, & ad variam, ac nobilem hiſtoriam legendam invitaverint pro hac excitatione aliquid omnino reprehendi oportuerit.

IN

IN CAROLI SIGONII
OPERA VARIA
CENSURÆ,
CUM ADJECTIS RESPONSIONIBUS,
ET PRIMO IN HISTORIAM
DE IMPERIO OCCIDENTALI.

CENSURA I.

PAg. 15. Mores præcipuos Chriſtianorum recenſet, quos Tertulliano Auctore comprobat, ex quibus tantum abeſt quod præcipuos, & ne quidem eos, quos Plinius ad Trajanum deſcribit, retulerit, ut melius exactiuſque ad infideli homine deſcriptos, quam à Chriſtiano enarratos videas. Præterea aliter Tertullianus in Apologetico cap. 2. & 39. vetuſtiſſimos Chriſtianorum ritus deſcribit, ut inter alia hac in re maxime hic Auctor peccare videatur, cum priſcos mores etiam ad Diocletiani tempus referat, quaſi tunc viguiſſe arbitretur. Tertullianus exacte omnia, à quo Auctor multa deſumpſit, ſed non integra fide: primum inquit Chriſtiani Fidem poſcebat, quod à ſenſu Tertulliani abhorret maxime: Legit enim Tertullianus paſcebant, ideſt alebant, excitabantque Fidem, deinde omittit hic Auctor diſciplinam Præceptorum inculcationibus denſatis: hæc autem præter Fidem neceſſaria ſunt ut id quod Fidem credimus opere profiteri videamur.

Præterea in eodem loco ait, omnia tunc indiviſa fuiſſe, quæ plane non adeo vera ſunt, ut arbitratur Sigonius, nec à Tertulliano ita nude enarrata: omnia inquit Tertullianus indiſcreta ſunt apud nos, quia menſa omnibus erat communis, quia inops refrigerio juvabatur, quia omnibus patientiſſime ſubminiſtrabantur neceſſaria, cum tamen & agri, & hæreditates, & domus diſcretæ fuiſſent, ut cuique ſucceſſioni obvenerant. Neque jam prædia vendebantur Tertulliani tempore, ſed arca conſtituta, ubi ſtipes ſervarentur ad egentes, & pupillos parentibus deſtitutos alendos; quod ex Urbano Papa qui Anno Domini 223. ſub Aurelio, & Heliogabalo floruit, aperte conſtat; nam in Epiſtola unica cap. primo ut habet qu. pr. Cap. videntes conſtituit, ne hæreditates & agri venderentur, ſed ex ſumptibus eorum fideles communem vitam degerent, neceſſariaque ab Epiſcopis miniſtrarentur. Hæc vero partio, quæ ſingulis contingebat, ſportula dicebatur, ut ex Cypriano Epiſtola 14. & Epiſtola ad Presbyteros, & Diaconos, & Plebi Furni conſiſtentibus conſtat. Cujus etiam conſuetudinis meminit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, ut aperte cernas, ejus tempore jam Urbani Decretum vigorem obtinuiſſe.

Quare id quod jam antea Pontificis Romani authoritate conſtitutum eſt, ad Diocletiani tempora transferre non debebat, neque ita nude Tertulliani verba recitare, ne Anabatiſtarum moribus favere videretur, & etiam Fraticellorum.

IN CENSURAM I. RESPONSIO.

TOta hæc Cenſura, qua parte Sigonium vellicat, ſtatim evaneſcit, ſi caput trigeſimum nonum Apologetici Tertullianæi (in ſecundo enim nihil eorum reperitur, quæ vellet Cenſor) conferatur cum iis, quæ late proſequitur Sigonius pag. 15. & ſequenti. Nam quod ait Cenſor *melius exactiuſque* ab infideli homine *deſcriptos* Chriſtianorum mores, *quam à Chriſtiano enarratos*, Plinium ipſum teſtem appello in epiſtola 97. ad Trajan. Imperat. lib. X. ubi refert quoſdam Lapſos affirmaſſe

A *hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris; quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem: ſeque Sacramento, non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent, quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe: rurſuſque coëundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium*. Hæc pauca, quæ de Chriſtianis Plinius habet, Lectores, rogo, ut conferant cum Sigoniana narratione, quæ ferè integrum exprimit caput trigeſimum nonum Apologetici Tertulliani, atque perſpicuè & inſcitiam, & malam Cenſoris fidem deprehendent. Neque B vero in enarrandis Chriſtianorum moribus, ſi rem ipſam ſpectemus, diſcrepat Sigonius à Tertulliano, quamvis non iiſdem ſemper vocibus utatur; atque hinc cum Tertullianus ſcripſerit: *certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus &c.* Sigonius hoc ipſum clarius explicans inquit: *conveniebant ad divinarum literarum commemorationem; ſi quid præſentium rerum ratio, aut præmonere compelleret, aut recognoſcere, fidem ſanctis vocibus poſcebant, ſpem excitabant &c.* quod de ſenioribus intelligendum de fide rudes interrogantibus, atque erudientibus. Mores vero Chriſtianorum, quos ex Tertulliano Sigonius refert, unde Cenſor oſtendet, ad ævum uſque Diocletianæum non C perduraſſe? Quamquam neque hoc Sigonius aſſeruit. Etſi enim de Diocletiano agens, data ſibi occaſione, eos omnes mores referat, id tamen ea fecit de cauſa, ut oſtenderet, quam inique Diocletianus perſequutionem in Chriſtianos moviſſet, HOMINES INNOCENTISSIMOS ab ipſo Chriſtianæ Religionis, quam profitebantur, exordio. En Sigonii verba: *Unum vero illud*, (loquitur de Diocletiano & Maximiano) *clariſſimis eorum laudibus aliquas quaſi maculas nefariæ libidinis, & impiæ crudelitatis inuſſit, quod iidem Chriſtianos homines innocentiſſimos ac nullius flagitii, ſceleriſque compertos ...... infeſta perſequutione vexarunt, Erant autem jam inde à Tiberii* D *Principatu in imperio Chriſtiani: Hi quum Sanctiſſimam Chriſti Filii Dei Religionem fidemque ab eo traditam .... ſequerentur, his præcipue moribus, auctore Tertulliano .... vitam diſciplinamque ſuam aſtrinxerant*. Enarrat ergo Chriſtianorum mores, ut ipſorum innocentiam oſtendat, non vero aſſerit, eos omnes mores invariatos perduraſſe ad Diocletianum uſque; nam licet aliqui fuiſſent mutati, id ſemper verum eſſet, etiam ſub Diocletiano Chriſtianos innocenter vixiſſe, quod unice Sigonius eo loci volebat.

Jnepta

Inepta quoque videtur reprehenſio de diſciplinæ & bonorum operum ſilentio. Si *diſciplinæ* vocem poſtulat Cenſor; bis eam offendet in hac morum recenſione: ſi *rem*, pleriſque ex narratis moribus eam exprimunt. Idem de bonis operibus dicendum; quid enim aliud ſunt communes obſecrationes, Sacræ Scripturæ lectio, eleemoſinæ, ſobrietas, nocturnæ vigiliæ, Pſalmodia &c. quam bona opera, quibus Chriſtiana fides alitur, atque perficitur? Quum vero Sigonius ait: *omnia diviſa inter ſe habebant præter uxores*; id ex ipſo Tertulliano integre retulit ſcribente: *omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores*: quod ſicuti apud Tertullianum propter ea quæ Cenſor notat, verum eſt; cum eadem ex ipſo Tertulliano referat Sigonius, pariter in Sigonio verum erit; qui numquam ſane aſſeruit ævo Tertulliano vendi prædia conſueviſſe, ut temporibus Apoſtolorum fiebat; ſed diſertè aſſerit ex eodem Tertulliano, ex ſpontaneis fidelium oblationibus, pauperum, & aliorum indigentiæ fuiſſe ſubventum: *Modicam unuſquiſque*, inquit pag. 16. A. *ſtipem in ſingulos menſes, ſi poſſet, ſponte conferebat, quæ inde diſtribuebatur egenis alendis*, &c. Quæ deinde de Urbani decreto diſſerit Cenſor, ſibi prorſus habeat. Pro more illo comprobando aptior fuiſſet Epiſt. pr. ad Corinth. cap. 16., & II. Divi Juſtini Apologia: nam Urbani decretum jam viguiſſe, quum adverſus Marcionem ſcribebat Tertullianus, non collegiſſet Cenſor, ſi animadvertiſſet, floruiſſe Tertullianum *ſub Severo Principe, & Antonino Caracalla*, ut ſcribit D. Hieronymus in Catal. Script. Eccleſiaſt. Urbanum vero Petri Cathedram conſcendiſſe ſub Marco Aurelio Severo. Verum hæc Cenſori demus chronologicæ rei prorſus imperito.

Tandem ſi ingenui illibatique primitivorum fidelium mores alieni ſunt ab erroribus Anabaptiſtarum & Fraticellorum, iis certe favere dicendus non eſt, qui fide integra, re poſtulante, eoſdem ex probato Auctore referat, ut præſtitit Sigonius, quem propterea hæreticis illis faviſſe nimis immodeſte, atque oſcitanter Cenſor effutivit.

CENSURA II.

Pag. 32. A. Loquens de Galerio, ait Conſtantini laudi invideret conſulto ſub ſpecie honoris variis periculis objectavit. Sigonius hoc in loco invidiæ cauſam, quæ maxime Chriſtianis favet, quam veteres Auctores aperte retulerunt, & præcipue Nicephorus lib. 7. cap. 18. & 19. qui ait Conſtantinum ad Diocletianum Nicomediam miſſum, græcis literis imbutum Chriſtianam religionem complexum fuiſſe, quod plane ſine criminis nota negligere non debebat hic Auctor ut Chriſtianæ religioni faveret. Invidiæ cauſa fuit quod Diocletianus ab Auguribus acceperat Conſtantinum futurum eſſe Idolatriæ everſorem, & Chriſtiani nominis propagatorem eximium; qua de cauſa eum Diocletianus interficere eſt conatus, & Galerius inſidias ſtruxit. Hæc plane ſine crimine prætermittere non poterat: cum tamen multa levia commemoraret, quæ parum ad rem faciant, ut pag. 33. de Fauſta filia galeam Conſtantino offerente.

IN CENSURAM II. RESPONSIO.

EGgregium, quo ſe tueatur, Auctorem habet Sigonius, Euſebium Cæſarienſem, qui in lib. pr. de Vita Conſtantini cap. XIV. diſertè aſſerit Diocletianum & Galerium invidia & metu perculſos, adverſus Conſtantinum molitos eſſe inſidias, quòd eſſet *adoleſcens generoſus, robuſtus, procerus, excelſo & erecto animo præditus*, neque quod ex Nicephoro refert Cenſor conſiſtere poteſt; qui enim Conſtantinus adhuc adoleſcens Chriſtianam fidem Nicomediæ amplexus eſt, quum, teſte eodem Euſebio, lib. pr. de Vita Conſtant. cap. XXI. poſt Patris obitum, Imperator jam conſtitutus, ſedulo ſecum cogitare cœpit, cuinam Religioni nomen dare debuiſſet; omnibuſque rite perpenſis, Chriſtianam Religionem cæteris prætuliſſe? Euſebius vero in Conſtantini laudes perpetuò & ubique intentus, ſi à pueritia ſacris Chriſtianorum fuiſſet imbutus Conſtantinus, non tacuiſſet, multoque minus, ſi propter Chriſtianæ Religionis

B ſtudium fuiſſet inſidiis appetitus.

CENSURA III.

Pag. 57. C. Ait non ſine Divino conſilio eveniſſe ut Conſtantinus acceſſerit, ac Patri ſuccederet ut pacem Eccleſiæ, Civitatibus juſtitiam, Populis & libertatem præſtaret: quaſi nihil aliud Conſtantinus Eccleſiæ, & populis præſtitiſſet, cum & Gentiles Imperatores Eccleſiæ ea commoda dederint, debebat potius Conſtantini Imperium religioni Chriſtianæ & ejus profectui, & propagationi, cujus cauſa maxime Deus Conſtantino Imperium contulit, aſcribere.

IN CENSURAM III. RESPONSIO.

C EA tantum hic loci Sigonius narrat, quæ in Chriſtianæ Reipublicæ commodum indulſit Conſtantinus Ethnicorum ſuperſtitionibus adhuc irretitus. Sub idem enim temporis, Sigonio ipſo referente (pag. 58. D.) Conſtantinus Patrem vitâ functum *Gentilicio inſtituto in numerum Divorum referendum curavit*. Idemque Conſtantinus quum Barbaros profligaſſet, *Templo Apollinis vota concepta perſolvit, idque donis ampliſſimis* ornavit. Nullus ergo Cenſor eſt, quum reprehendendi Sigonii cauſſa reponit etiam Ethnicos Imperatores in Eccleſiæ favorem præſtitiſſe, quod eo loci Conſtantino Sigonius tribuit: tunc enim vel ipſe Conſtantinus Idolorum cultui & ſuperſtitionibus mancipatus erat. Ceterum nemo Prædeceſſorum Gentilium Principum, lege lata, liberum Chriſtianæ Religionis exercitium, quemadmodum Conſtantinus adhuc Ethnicus, Populis permiſerat. Quapropter quum aſſeruit Sigonius *non ſine divino conſilio eveniſſe, ut Patri Conſtantinus ſucceſſerit, ut ſcilicet pacem Eccleſiæ, Civitatibus juſtitiam, populis libertatem præſtaret*; vere ſufficienterque loquutus eſt; iiſque ſatis innuit, quod Cenſor contendit, Deum videlicet optimum maximum, detuliſſe Imperium Conſtantino propter Chriſtianæ Religionis *profectum & propagationem*. Verum hoc eſt Cenſoris inepti vitium, quod nimis frequenter peccat, ut velit prolata ab Sigonio uno hiatu atque tenore ſingula Conſtantini in Eccleſiæ utilitatem præſcripta & geſta, confuſâ rerum ſerie, ac temporum ordine contra hiſtoriæ leges perturbato. Percurrat Cenſor, quæ deinceps habet Sigonius, atque deprehendet ſuis exactè locis præclara illa in Eccleſiæ bonum Conſtantini facta conſignari.

CENSURA IV.

Pag. 59. A. Liberam omnibus ſacrorum, cæremoniarumque poteſtatem atque arbitrium eſt largitus, quæ iſtæ cæremoniæ, aut quis ita loquutus eſt? vivendi enim potius, & Religionem. Chriſti

pro-

propagandi libertatem largitus eſt. Sed fortaſſe ex decreto Maximini tranſtulit. Ita enim Maximinus ad Sabinum loquutus eſt, cum per vim ementitum Edictum emitteret, ut Nicephorus lib. 7. cap. 31. teſtatur.

IN CENSURAM IV. RESPONSIO.

SI minus Cenſori notum eſt, quæ fuerint Chriſtianorum ſacra & cæremoniæ, quarum arbitrium poteſtatemque omnibus edicto ſuo fecit Conſtantinus, in quorumque libero uſu atque exercitio vivendi Chriſtiano ritu, & religionis propagandæ facultas continetur; non eſt Sigonii, ſed Cenſoris vitium. Neque Sigonius notatam loquendi formulam ex Maximini ad Sabinum Epiſtola, quæ eſt apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 9. cap. 8. deſumpſit; quum in ea nil tale reperiatur: ipſemetque Sigonius infra mutilum hoc Maximini edictum referat, notetque aperte, quid fuerit in eo ſuppreſſum, quidve amplius in edicto Conſtantiniano, ex quo vere verba ſua deduxit, comprehenderetur.

CENSURA V.

Pag. 70. C. Loquens de Euſebio *homo Græcus* Epiſcopus ſubſtituit. Hæc enim per contemptum à Romanis dicebantur, quibus Græci nimirum erant inviſi, & infenſi, eorumque fides, & vanitas improbrata, ut teſtis eſt Plinius lib. 28. cap. 8. libro 29. cap. primo; de quibus Cato eam æſtimationem habebat, ut quandocumque Græca gens ſuas litteras daret, omnia corrumperet; quare inſignem contumeliam S. Euſebio imponit cum eum hominem Græcum nominat.

IN CENSURAM V. RESPONSIO.

HOmo *græcus* Sigonio, idem eſt quod Anaſtaſio *natione Græcus*; neque enim illa formula uſus eſt, ut mores Euſebii Papæ notaret, ſed ut nationem unde eſſet, exprimeret.

CENSURA VI.

Pag. 71. A. Manus impoſitionem appellat abſolutionem, quæ fit in Confeſſione Sacramentali, qua dicendi formula Heretici utuntur, ut huic Sacramento detrahant, manus vero impoſitio proprie Ordinatio eſt, & Conſecratio, quæ ab Epiſcopis fiebat, ut prima ad Timot. 4. Græci χειροτονίαν nominant, de qua Zonaras in Commentariis in Canones Apoſtolicos plura. Erat enim hujuſmodi impoſitio manuum protectionis divinæ adumbratio, ut ex Sucifero libro primo contra Conſtantium colligitur: In hac enim Spiritualis poteſtas ordinato conferebatur, ut ex litteris & lib. 8. Clementis Romani, & ex Canone 14. Concilii ſecundi Niceni conſtat.

IN CENSURAM VI. RESPONSIO.

HOſpitem ſe prodit in veteribus Canonibus, & Patribus Cenſor noſter, qui frequenter hæreticos & peccatores Eccleſiæ per manus impoſitionem reconciliari ſcribunt. Unum in re notiſſima Cyprianum audiat epiſtola XLVII. *nam cum in omnibus delictis.... pœnitentia agatur juſto tempore, & exomologeſis fiat inſpecta vita ejus, qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis poſſit*, NISI PRIUS ILLI AB EPISCOPO ET CLERO MANUS FUERIT IMPOSITA; *quanto magis &c.* Ut autem ſciat ex quo fonte ea Sigonius derivaverit, Anaſtaſium conſulat in ejuſdem Pontificis vita, ſic ſcribentem: *Hic hæreticos invenit in urbe Roma, quos vere ad manus impoſitionem reconciliavit*, quæ ſunt ipſa Sigonii verba.

CENSURA VII.

Pag. 84. C. Dum ait Epiſcopos ad ſe accerſitos ſummis honoribus affeciſſe, omnia hoc loco involvit: nam id in Concilio Niceno accidit, cum ante Silveſtrum latuiſſe conſtet.

IN CENSURAM VII. RESPONSIO.

NOn primùm Epiſcopos coluit Conſtantinus in Concilio Nicæno, ſed longe antea, ut videre eſt apud Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 10. cap. 2. & cap. 5. & in vita Conſtant. lib. pr. cap. 35. atque alibi paſſim. Euſebio autem hiſce in rebus ſumma fides adhibenda.

CENSURA VIII.

Pag. 84. D. Quæ de donatione Melchiadis docet falſa ſunt, & falſo nituntur fundamento. Solum exploratum habeo à Conſtantino pecunias Epiſcopis collatas, ut ex Epiſtola ad Cæcilianum conſtat, quam recenſuit Nicephorus lib. 7. cap. 42.

IN CENSURAM VIII. RESPONSIO.

OPtatus lib. contra Parmen. I. expreſſe aſſerit Concilium in cauſa Cæciliani fuiſſe Romæ à Melchiade congregatum *in Domo Fauſtæ in Laterano*: quare conſequens videtur Palatium illud revera à Conſtantino Melchiadi Papæ fuiſſe donatum: quod Sigonio ſufficit, ut aſſertum ſuum tueatur adverſus Cenſorem, qui opponit quidem à Sigonio narrata falſa eſſe, falſoque niti fundamento; verum ne ullum quidem vel leviſſimum falſitatis indicium aſſignat.

CENSURA IX.

Pag 84. B. Inde populis omnibus ad Romanum Imperium pertinentibus libertatem, quam vellent, colendi Religionem permiſit; & ad Conſtantini laudem magis videretur ſpectaſſe, & clarius narrare, ſi dixiſſet: Conſtantinum juſſiſſe, ut libere qui vellet, poſſet Religionem Chriſtianam amplecti, quia ſublata eſſet perſequutio: Nam eo modo, quo dicit, videtur approbaſſe etiam Idololatriam, cum Auctores illius temporis dicant abrogaſſe perſecutionem, & Templa Chriſtianis aperuiſſe propoſitis Edictis.

IN CENSURAM IX. RESPONSIO.

ID Sigonius exprimere debuit, quod in Conſtantiniano edicto revera continetur, non quod Cenſori placuiſſet. Conſulat edictum ipſum apud Euſebium hiſt. Eccleſiaſt. lib. X. cap. 5. in quo rotundis verbis non ſemel inveniet Conſtantinum & Licinium tum *Chriſtianis, tum aliis omnibus liberam optionem dediſſe, eam Religionem ſequendi, quam quiſque ſibi in animum induceret.*

CENSURA X.

Pag. 87. D. Edictum illud in favorem Chriſtiani nominis editum non reperitur in Codice Theodoſiano, quem laudat, ſed extat apud Nicephorum lib. 7. cap. 41.

IN CENSURAM X. RESPONSIO.

NUllibi Sigonius ſcribit edictum Conſtantini & Licinii, quod ſuperioribus verbis non ex Nicephoro, ſed ex Cæſarienſis Euſebii hiſtor. Eccleſ. lib. X. cap. 5. retulit, extare in Codice Theodoſiano; verum plura reſcripta Mediolani data à Conſtantino & Licinio fuiſſe, quæ in Codice Theodoſiano repe-

rinntur. Quumque inter edicta & reſcripta Principum diſtinguatur à Juriſperitis, ſi, quod pro Chriſtianis latum eſt, edictum appellatur à Sigonio, male cum reſcriptis confunditur, quæ tantum in Codice Theodoſiano reperiri aſſerit Sigonius.

CENSURA XI.

Pag. 85. A. Liberalitas Conſtantini erga Melchiadem Papam tribuitur Sancto Silveſtro, ut eſt in cap. Futuram 12. q. 1. in decreto, & hiſtoria inſerta Breviario Romano continet Conſtantinum Roma abeuntem Baſilicam S. Petri ædificatam fuiſſe, & interfuiſſe Conc. Nic. quod tempore Sancti Silveſtri fuit, & ideo neceſſe eſt C. hoc fuiſſe conſtitutum à Julio Primo quia res ante ſe geſtas exponit, ſed poſt Melchiadem; alioqui hiſtoria dedicationis, & conſecrationis Sanctorum Petri, & Joannis, & donatio antequam Roma cederet, confunderetur. Quæ conjectura facilius conſtare poteſt ob brevitatem Vitæ Melchiadis, quæ annis 3. menſ 2. continetur, at Sanctus Silveſter obtinuit, ſed Apoſt. ann. 21. Sigonius quoniam ſi hoc caput Melchiadi tribuat, brevius, & levius poteſt agere de donatione Conſtantini, de Baptiſmo, de Erectione, & Conſecratione Eccleſiarum, ideo iſta quaſi obiter præterit.

Quod Gratianus aliquando transferat aliqua, & immutet, ac uni pro altero tribuat, aliquando illi contigit ut cum aliqua Sancti Hieronymi tribuit Sancto Auguſtino, & contra, nec deſunt qui velint Arrianos confinxiſſe hanc donationem factam Melchiadi, ut hoc modo removerent ab Eccleſia Romana baptizati Conſtantini honorem, quod Damaſus ſcribit in Vita Melchiadis hoc cap. in lib. primitivæ Eccleſiæ, & Munificentiæ Conſtantini integrum habetur, quod in Collectionibus Iſidori Pariſiis editis ponitur poſt Decreta Melchiadis. Sed ad illud referri non poteſt, cum narret deinde inſecuta poſt ipſius mortem, & deſtruitur munificentia, & donatio Conſtantini in Collectionibus Iſidori contenta.

IN CENSURAM XI. RESPONSIO.

DEmus Cenſori decretum illud, quod ex Burcardo, Ivone, & Gratiano refert Sigonius, apocryphum eſſe; unde ipſe poſtmodum probabit, quæ aſſerit de Baptiſmo & Donatione Conſtantini, & quibuſdam Sylveſtri geſtis, fuiſſe ex genuinis, minimeque ſuppoſitis fontibus derivata. Sigonio ſane non adverſatur Euſebius, qui tamen Cenſoris noſtri aſſerta egregie refellit. Porro Euſebio in hiſce rebus, quæ ſuo contigerunt ævo, nemo prudens fidem denegabit.

CENSURA XII.

Pag. 92. Sigonius qui annorum, & menſium maximam diligentiam adhibere uſus eſt in Edictis illis enumerandis, & in Annorum ſupputatione negligens fuit ſi Holoandro credimus. Nam ea Edicta, quæ in Codice Theodoſiano habentur, non Novembris Conſtantino Auguſto III. & Licinio Auguſt. III Conſul. Anno Dom. 315. conſtituta ſunt duobus annis poſt elapſis, quam à Sigonio ſupputantur. Nam quartum Conſulatum iniit Conſtantinus anno 317 in quo tempore Silveſter Pontifex Romanus electus fuit. Nam ſi potitus fuit victoria Conſtantinus anno 312. ut ait Sigonius, Melchiade Eccleſiam gubernante, aſſeverandum erit per totum quinquennium Epiſcopalem dignitatem obtinuiſſe Melchiadem, quod eſt falſum; nam ex Decreto Damaſi conſtat Voluſiano, & Rufino Conſulibus menſe Septemb. obiiſſe cum eod. anno ipſe menſe Martii Epiſtolam ad Hiſpaniæ Epiſcopos conſcripſiſſet, in cujus locum ſubſtitutus eſt Silveſter Anno Domini 317. cum aliter enumeret Sigonius annum 315. quod fortaſſe fuit in cauſa cur Melchiadi donatum Lateranum arbitretur ſupputatione temporum deluſus. Commiſſio vero, quam dedit Conſtantinus Melchiadi, eſt apud Nicephorum lib. 7. cap. 43.

IN CENSURAM XII. RESPONSIO.

NUllus eſt cum Holoandro Cenſor, dum Sigonium notat vel negligentiæ in annis ſupputandis, vel falſitatis in Conſtantini edictis referendis. Revera enim Conſtantinus victoriam contra Maxentium obtinuit anno Chriſti 312. menſe Octobri: quare optime in Kalendario deſcripto ex Faſtis Ambroſii Navidii Fracci Ferentinatis ad annum 312. die 9. Novembris dicitur Conſtantinus dotaſſe Eccleſiam, ædeſque ſuas Templum feciſſe, & die 15. Corbibus terram egeſſiſſe. Anno vero ſequenti 313., quo Conſtantinus & Licinius III. Coſs. fuere, ut vere aſſerit Sigonius, Conſtantinus pridie Kal. Novembris dedit L. 1. de Epiſcopis, Eccleſ. & Cler., quæ eſt in Cod. Theod. Atque hoc ipſo circiter tempore conſtitutionem emiſit ad Annulinum Procos. Africæ pro Cæciliano, & Clericis, de immunitate Clericorum ab omnibus omnino muneribus civilibus, quam refert Euſebius lib. 10. hiſt. Eccleſ. cap. 7., & memorat Annulinus ipſe apud Auguſtinum epiſtola 68., & in collat. diei 3. Hoc ipſo quoque anno Eccleſiis immunitatem ab annonis & tributis largitus eſt, quam poſtmodum firmavit anno 315. Præterea hoc anno 313. die 2. Octobris feria ſexta Romæ juſſu Conſtantini, Annulino adhuc Procos. Africæ exiſtente, habita eſt Synodus ſub Melchiade Papa, ubi Cæcilianus innocens pronunciatus, Donatiſtæ damnati ſunt, VI. Non. Octob., qua de re Optat. lib. primo, Auguſt. poſt collat. cap. 33. & epiſtola 152.

Melchiades autem creatus eſt Pontifex die 2. Julii anno 310., & obiit anno 314. die 10. Januarii, cui eodem anno poſtrema die ejuſdem menſis ſucceſſit Sylveſter. Ex quo conſequitur, revera per quinquennium Melchiadem Petri locum tenuiſſe, hoc eſt tres annos ſolidos Pontificem egiſſe, & primi & quinti partem tantum attigiſſe. Conſequitur quoque, falſum eſſe Sylveſtrum Papam anno 317. Papam fuiſſe inauguratum. Præterea anno 317. non fuere Coſs. Conſtantinus & Licinius IV. ut Cenſor perperam contendit; hoc enim anno Coſs. proceſſere Gallicanus & Baſſus; ſed anno 315. uti revera conſignavit Sigonius, atque hoc anno plures pro Chriſtianis latæ leges in favorem Chriſtianorum occurrunt in Codice Theodoſiano. Non itaque male ſupputavit Sigonius, ſed Cenſor; neque ex prava annorum ſupputatione collegit Sigonius donatum Melchiadi Lateranenſe Palatium, ſed ex falſo, ut aſſerit Cenſor, Melchiadis decreto, & ex genuino Optati teſtimonio. Tandem non ex Nicephoro petere debet Cenſor edictum Conſtantini de Synodo Romæ convocanda à Melchiade pro cauſa Cæciliani definienda, ſed ab Euſebio, qui lib. hiſt. Eccleſ. X. cap. 5. Conſtantinianæ Epiſtolæ ad Melchiadem & Marcum exemplar exhibet.

CENSURA XIII.

Pag. 94. Ex loco Optati non conſtat Lateranum Melchiadi donatum, ſed Epiſcopos ad Domum Fauſtæ in Lateranum conveniſſe vel quia eſſet Imperatoris Palatium, vel quia deſignatus locus ubi facilius omnes coirent. Primum enim conſtat Melchiadem ad Arelatenſem Urbem vocatum fuiſſe ab Imperatore ut Religionis controverſias dirimeret, quod quidem non eveniſſe certo ſcimus ex Nicephoro lib. 7. cap. 43. Eam tamen

vel

A vel tunc obiiſſe, vel ad ſucceſſorem controverſiam delatam eſſe facile adducor ut credam.

Præſertim ex loco Hieronymi Tom. III. Epiſtola 133. ad Marcellam, ubi eum de Reticio Epiſcopo, quem ut ait à Conſtantino ex Galliis ad Silveſtrum Papam miſſum fuiſſe. Hieronymi verba ſunt hæc: Reticius Auguſtodunenſis Epiſcopus, qui quondam à Conſtantino Imperatore ſub Silveſtro Epiſcopo ob cauſam Montenſium miſſus eſt Romam. Hi vero fortaſſe Donatiſtis ſimiles erant, & Montani erroribus imbuti.

IN CENSURAM XIII. RESPONSIO.

NIl impedit ex Optati teſtimonio donatum Melchiadi Lateranenſe Palatium colligi; neque enim conjecturæ ſatis ſunt falſi ar- B guendis authorum aſſertis, quæ aliunde nullo contrario poſitivo argumento impetuntur. Quod vero Cenſor aſſerit Melchiadem fuiſſe Arelatem à Conſtantino vocatum, ut fidei controverſias dirimeret; quo auctore id dicat, penitus ignotum. Id ſcimus Conſtantini juſſu Cæciliani cauſſam Romæ dijudicatam fuiſſe à Melchiade; ſed quum ſopitæ & extinctæ non propterea concertationes fuiſſent, Conſtantinus Epiſcopos Arelatem vocavit, ut patet ex ejuſdem Epiſtola ad Chreſtum Syracuſanum apud Euſebium lib. X. hiſt. Eccleſ. cap. 5., ubi iterum Cæcilianus abſolutus, & Donatiſtæ damnati. In Hieronymi vero Epiſtola cubans mendum deprehen- C dere debuiſſet Cenſor, tum ex relata Conſtantini Epiſtola ad Melchiadem, tum etiam ex Auguſtino, qui lib. primo cap. 3. diſſerte Rhetticium aſſerit ſub Melchiade in urbe Romana judicem interfuiſſe, Donatumque damnaſſe. Montenſes tandem non modo ſimiles Donatiſtis, verum ipſimet Donatiſtæ erant, non ita dicti, quod Montani erroribus imbuti eſſent, ſed quia, ut inquit Optatus lib. 2. adverſus Parmenianum, *ſic ſpeluncam quandam foris à Civitate gradibus ſepſerunt, ubi conventiculum habere potuiſſent*: *UNDE MONTENSES APPELLATI SUNT*.

CENSURA XIV.

Sigonius in multis locis Zoſimum laudat tan- D quam ſuæ ſententiæ Auctorem, qui à Nicephoro lib. 16. cap. 41. & 42. reprehenditur ob inſignem contumeliam, quam Imperatori Conſtantino impoſuit: facit enim Imperatorem homicidii reum, quod Fauſtam Uxorem, & Filium Criſpum occiderit, quæ tamen ridicula ſunt, & ex vano populi rumore collecta, ſic probat Nicephorus. Sigonius Pag. 121. C. eadem imponit Conſtantino, quæ tametſi à Hieronymo in Vita Lactantii referantur, debebat tamen Sigonius clementius de tali Imperatore ſentire.

IN CENSURAM XIV. RESPONSIO.

QUanta fides Cenſori, ejuſque Nicephoro adhibenda ſit, vel ex hoc uno liquet, E quod negent à Conſtantino Criſpum & Fauſtam interfectos; quod tamen non Zoſimus modo, verum & Ammianus Marcellinus, Hieronymus, Oroſius, Eutropius, Gregorius Turonenſis, aliique ſcripſerunt. Ceterum ſciat Cenſor, Zoſimum à Sigonio tamquam ſuæ ſententiæ auctorem laudatum non fuiſſe, quum ab eo aperte diſſentiat; nam Criſpum tradit Sigonius interfectum in oppido Iſtriæ Polæ; at Zoſimus id Romæ factum ſcribit.

CENSURA XV.

Pag. 90. D. Refert Melchiadem poſſediſſe Palatium Lateranenſe, quod eſt contra Hiſtoriam Sancti Silveſtri, qui etſi referat S. Auguſtinum aſſerentem cauſam Cæciliani contra Donatiſtas fuiſſe agitatam Romæ coram Melchiade ex Decreto Imperat. Conſtantini, non negatur fuiſſe hoc antequam Conſtantinus baptiſmum recepiſſet, quod nollet impedire Chriſtianos, imo prohibeat ne quis illis efficeret, ne tumultus aliquis oboriretur quo turbaretur Imperium, & ideo conſtituit Pap. Melchiad. Judicem differentiarum Donatiſtarum, & non modo non eſt perſequutus Chriſtianos, ſed etiam illis favet.

IN CENSURAM XV. RESPONSIO.

DE Lateranenſis Palatii donatione ſatis jam dictum. Acta vero Sylveſtri pro pſeudoepigraphis jure meritoque habuit Sigonius.

CENSURA XVI.

Pag. 93. B. Dicit Lateranenſem Baſilicam ſurgere gratulatione Pop. Rom. cura Melchiadis, neque Auctorem aliquem hujus rei profert, nam Sanctus Auguſtinus loquitur de Cauſa Cæciliani, & fortaſſe potuit rem invertere, ut qui non admodum verſatus eſſet in Hiſtoria, quod patet Epiſtola 173. ubi dicit Julium Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, & Athanaſium Conc. Sardicen. fuiſſe improbratos, unde apud nos conſtitit Arrianorum fuiſſe Concilium, quod tamen Catholicum maxime fuiſſe conſtat, ſed quia Orientales ſeceſſione facta ſe inde in Philippopolim contulerunt, & ibi habuerunt conventum ſuum, in quo confirmarunt Decreta in Athanaſium, & alios, & Julio Pontifice Maximo Papatum abrogarunt, ideo Sanctus Auguſtinus immutat, & Sardicen. Concilium hæreticorum fuiſſe dicit, quia forte non noverat factam fuiſſe ab hæreticis ſeceſſionem, qui ſua decreta divulgarunt nomine Concilii Sardicen. non ſolum in præfata Epiſtola, ſed adverſus Creſconium Gramm. lib. 3. Cap. 34. & lib. 4. cap. 44. idem refert.

IN CENSURAM XVI. RESPONSIO.

NOn protulit Sigonius Auguſtinum in teſtem ejus aſſerti, quod impugnat Cenſor, qui propterea æquior in Auguſtinum eſſe potuiſſet. Cæterum quod ſine auctore profertur, ex præmiſſis à Sigonio rite conſequitur. Hoc præterea in Cenſore ferendum non eſt, quod ut Sigonium erroris argueret, imperitiæ & ignorantiæ notaverit Auguſtinum. Utique noverat Auguſtinus Sardicenſe Concilium Catholicorum fuiſſe; ſed etiam perſpectum habebat, facta Arianorum à Catholicis ſeceſſione, ipſos pariter Arianos poſtquam Philippopolim conveniſſent, cætum ſuum vocaſſe Concilium Sardicenſe. Porro Auguſtinus cum aſſerit Concilium Sardicenſe fuiſſe Arianorum, de hoc procul dubio loquitur. Id enim habet contra Creſconium & Fortunium, qui eidem objecerunt illud Sardicenſe Concilium, cujus Synodica ad Donatum Cartaginenſem, & alios Epiſcopos proferebatur. Hoc autem erat Synodus Philippopolitana, quam tum Ariani, tum Donatiſtæ impudenter Synodum Sardicenſem dicebant; quamque propterea jure merito, retento adverſariorum nomine, Arianorum fuiſſe veriſſime Auguſtinus aſſeruit.

CENSURA XVII.

Pag. 95. A. Agens de donatione Conſtantini non ſine gravi injuria confeſſionem Imperatoris coram Pontifice factam omiſit, cum baptizati Romæ ſolerent Fidei ſuæ Confeſſionem edere, ut le-

gimus

gimus apud Sanctum Auguſtinum lib. 8. Confeſſionum cap. 2. qua de re debebat dicere Sigonius, Imperatorem formulam Fidei à Silveſtro edoctum conceptis verbis publice confeſſum fuiſſe, & ob eam cauſam totam Italiam Pontifici donaſſe, Urbe exceſſiſſe, novas ſedes mutaſſe, ut Zonaras, Nicephorus, Cedren., Leoncius, Clalcondylas de Geſtis Turcarum lib. pr. & Leo IX. & alii retulerunt.

IN CENSURAM XVII. RESPONSIO.

HAuſit Sigonius Baptiſmi Conſtantiniani narrationem ex epiſtola Hadriani Papæ ad Conſtantinum & Irenem, in qua prætermittitur, quod Cenſor à Sigonio expoſtulat. Non negavit tamen Sigonius Conſtantinum à Sylveſtro edoctum fuiſſe, ejuſque rei gratia in SS. Apoſtolos Petrum & Paulum munificum fuiſſe. Sylveſtri *Sanctis præceptis Conſtantinus imbutus*, inquit Sigonius, *inchoatam ſub Milchiade Chriſtianæ pietatis laudem perfecit: atque illius auctoritate poſtero anno ineunte ſe & Licinio ambobus IV. Coſs. Eccleſias duas, unam Sancti Petri Apoſtoli, alteram Sancti Pauli ſibi inſtaurandas, atque augendas ſuſcepit &c.*

CENSURA XVIII.

Pag. 96. B. Inſinuat donationem Conſtantini, ſed omittit Confeſſionem Fidei factam coram Sancto Silveſtro, & apparitionem Apoſtolorum, & alia quæ in hiſtoria Sancti Silveſtri continentur, ut in Decreto.

IN CENSURAM XVIII. RESPONSIO.

IMmerito hic caſtigatur à Cenſore Sigonius, quandoquidem ea, quæ Sigonium prætеriiſſe dolet, nequaquam omiſit, ſed ſimul retulit pag. 96. B. cum epiſtola Hadriani, de qua in ſuperiori Cenſura.

CENSURA XIX.

Pag. 116. C. Vincentium, & Victorem, qui partes ſuas implerent, ait, imo qui Concilio aſſenſum præberent, ut ait Theodoretus lib pr. cap. 7., & primo loco ante omnes Epiſcopos Decreto ſubſcriberent. Erat hic locus opportunus, ut de Legatis Pontificis Romani clarius, & diſtinctius ageret, ac demonſtraret antiquiſſimam fuiſſe conſuetudinem in Conciliis, ut Legati Pontificis Romani præeſſent Conciliis, præcederent, approbarent, acta primi ſubſcriberent. Nec ita fuit involvenda res tanti momenti cum Legatos Pontificis nominavit Vincentium & Victorem, qui partes ſuas explerent, quia hæc loquendi ratio ambigua eſt, & potius ad ipſos Legatos referri poteſt quam ad Pontificem detorqueri, quod ſi Cedrenus homo Græcus qui minus Latinis ſolet favere in Compendio hiſtoriarum dicit Vincentium, & Victorem loco Silveſtri, & ejus nomine Nicænæ Synodo præfuiſſe, quare hic homo Catholicus Latinus, & hiſce temporibus ſcribens eadem non retulit, & diligentiſſime de tota re diſſeruit, ut occaſio poſtulabat oblatrantibus hæreticis, & quoad fieri poteſt conantibus perſuadere, non attinere ad Legatos Pontificis, neque ad ipſum præcedere in Conciliis, præſidere, primas partes obtinere, omnia probare, aut improbare; præſertim eum Catholicus hiſtoricus nuſquam hac de re aut ſuam ſententiam interponit, aut à veterum Patrum monumentis acceptа retulerit.

IN CENSURAM XIX. RESPONSIO.

SIgonius (pag. 115. C) *ea de cauſa*, inquit, *Conſtantinus, re cum Sylveſtro Romano Pontifice communicata, Epiſcopis univerſis Concilium in inſequentem annum EX ILLIUS AUTHORITATE indixit. Sylveſter Pontifex* (pag. 116. C. ſubſequitur Sigonius) *quum ÆTATE CONFECTUS ADESSE NON POSSET, Preſ-*

A *byteros duos, Vincentium & Victorem miſit: QUI PARTES SUAS IMPLERENT ..... Undecimo Kalend. Junias* (pag. 117. A.) *omnes affuerunt, ac LEGATIS SYLVESTRI PONTIFICIS .... PRÆSIDENTIBUS ſuo quiſque in loco ſederunt*. Hæc Sigonii verba ſi expendiſſet Cenſor, abſtinuiſſet, opinor, à Cenſura, & clementius de Sigonio ſcripſiſſet.

CENSURA XX.

Pag. 117. B. Vos advocavi in actione 18. Sextæ Synodi: dicitur Conſtantinum, & Silveſtrum magnam Synodum congregaſſe, & in Epilogo Synodi Romæ habitæ ſub Silveſtro Papa dicitur 318. Patres Silveſtri vocatione congregatos, ut ex his conſtet
B non accurate à Sigonio enarratum hujuſmodi factum, cum vix credibile ſit piiſſimum Imperatorem hanc ſibi authoritatem præter jus faſque arrogare voluiſſe: Utinam non ſpectet hiſtoricus inſaniam eorum, qui Imperatorum eſſe convocare Concil. contendunt. Nam ad Silveſtrum iſta referenda ſunt, non ad Conſtantinum.

IN CENSURAM XX. RESPONSIO.

AN ad eorum inſaniam ſpectet Sigonius, qui Imperatorum eſſe convocare Concilia contendunt, potuiſſet Cenſor dignoſcere ex verbis, quæ ad ſuperiorem Cenſuram ex eodem Sigonio citavimus; & ex iis præſertim, quibus teſtatur indictum à Con-
C ſtantino Concilium *ex auctoritate Sylveſtri*: quæ verba quum in Euſebio deſiderentur, de induſtria Sigonius adjecit, ut palam faceret ad Romanum Pontificem Conciliorum convocationem ſpectare. Verba vero quæ à Conſtantino proferuntur, ſunt apud Euſebium, atque in ipſis Concilii Nicæni Actis occurrunt: poſſuntque optime cum piiſſimi Imperatoris religione componi, ſi dicamus Epiſcopos à Conſtantino convocatos, tamquam exequutores ſententiæ Sylveſtri, & Eccleſiæ tutore. Synodum Romanam ſub Sylveſtro habeat ſibi Cenſor tamquam genuinam. Tandem verba ſextæ Synodi Cenſorem ipſum, non Sigonium urgent, quum enim Nicæna Synodus à Con-
D ſtantino & Sylveſtro congregata dicatur; Conſtantinus ergo & ipſe Synodum convocavit; quare potuit Epiſcopos alloqui: *Vos advocavi &c.*

CENSURA XXI.

Pag. 118. Legati Silveſtri Tabulas actorum omnium Conciliorum Nicen. Romam confirmandas miſerunt, quo loco ob majorem confirmationem Pontificis Poteſtatis conc. epiſtolam inſerere Legatorum, & Epiſcoporum, qua petunt Confirmationem, & hoc maxime intererat Catholici hoc tempore hiſtorici ad ſtabilimentum leviorum, maxime quod Epiſtola eſt brevis, & ipſe inſeruit multa longiora ex profanis Auctoribus, & extra rem. Eſt vero Catholici Hiſtorici diligenter inquirere,
E quæ ad Poteſtatem Pontificis, & dignitatem faveant, & illa referre accurate, & clare, nec poteſt ſcribere de Imperio Occidentali, quin de Pontificibus meminerit, penes quos erat Italiæ Poteſtas, & ut diligentiſſime perſcribit Imperatorum Edicta, & quæ ad Imperatores attinent; ſic non minus accurate narrare & referre debet, quæ ad Pontificiam Poteſtatem pertineant ac multo diligentius, his præſertim temporibus ad ſedandas altercationes quotidie emergentes ſtudio illorum, qui in eam rationem incumbunt, ut diminuant authoritatem Pontificiam, & detrahant vel leviſſimis argumentis; etiamſi durum ſit contra ſtimulum calcitrare, quia ergo Concilium Nicænum autoritate Silveſtri fuerat convocatum Legati ejus in eo præfuerant, ipſi & univerſi Epiſcopi acta Romam ad Silveſtrum miſerant, ut illius authoritate comprobarentur: iſta referre debuit, & epiſtolam inſe-

inſerere, & rem totam complecti, ut Majeſtas Eccleſiaſtica antiquiſſima fuiſſe indicaretur. Ut vero Catholici hiſtorici officio fungeretur, & egregiam ſuam pietatem teſtificaretur, poterat numerum Epiſcoporum ad Concilium Nicænum convocatorum recenſere, fuerunt autem Archiepiſcopi, & Epiſcopi convocati 318, ex quibus ſolum 17. perſeverarunt in errore Arrii, ex illis decem reſipiſcentes errore ſe abdicarunt, ſolum ſex Arrium ſunt ſequuti. Poterat dicere in eo Concilio concluſum fuiſſe Symbolum Credo in unum Deum &c. Et in eodem, aut paulo poſt compoſuiſſe Sanctum Athanaſium Symbolum Quicumque vult &c. Ibi condemnatos etiam fuiſſe Hæreſiarchas Photinum, & Sabinum; quod eodem Concilio Decretum fuerit ut in Miſſæ Sacrificio caneretur: Credo in unum Deum &c. Et ad oſtendendam dignitatem Sacerdotum, ac pietatem Conſtantini illud non erat omittendum; nam cum undique ad Concilium multi confluxiſſent, & ſupplices libellos ſubjeciſſent, quibus continebantur multorum querelæ de Sacerdotibus, & Epiſcopis, referre debuit Conſtantinum dixiſſe Sacerdotum Cauſam ad Deum ſpectare, Deum ſolum illos poſſe judicare, Sacerdotes ſe, & alios debere judicare, & libellos in ignem conjiciendos curaſſe, nec legiſſe quidem, ut qui contra Sacerdotes nec poſſet, nec deberet ſtatuere, aut illorum cauſam cognoſcere: potuit ornate exponere, Silveſtrum convocaſſe Romam Conc. 267. Epiſcopor. ad comprobandum Concilium Nicænum, & alia ſtatuenda, & quemamodum eodem Concilio fuit decretum, & concluſum Romanam Eccleſiam caput eſſe omnium Eccleſiarum, ſecundam eſſe Alexandrinam, tertiam Antiochenam, quartam Hieroſolymitanam, & hujuſmodi multa colligere potuit, ex Patrum monumentis, & decretis, quibus piis ſatisfaceret, Hæreticos refutaret, ſenſumque rectum oſtenderet.

IN CENSURAM XXI. RESPONSIO.

SAtis Pontificiæ majeſtati à Sigonio conſultum, dum ſcribit Concilii acta ad Sylveſtrum, ut confirmarentur, miſſa. Nam ſi Epiſtolæ Synodalis tenorem referre debuiſſet, quî potuiſſet omittere fidei definitionem, & canones, mores ac diſciplinam reformantes, atque propterea hiſtoriæ ſuæ œconomiam corrumpere? Atque ea etiam fortaſſe de cauſſa Synodicam illam prætermiſit, quod in illa ſuppoſitionem ſubodoratus ſit. Querela vero Cenſoris, quod longiora & extra rem inſeruerit Sigonius, à profanis petita Scriptoribus, inanis eſt; nihil enim hujuſmodi in Sigonio, ubi de Concilio Nicæno, reperitur, niſi forte ad defunctos illos duos Epiſcopos reſpiciat fidei definitioni prodigioſe ſubſcribentes: ſed extra rem id nemo dixerit, aut à profanis petitum; nam id ex Nicephoro, qui in deliciis eſt Cenſori ipſi, hauſit Sigonius, & commendare poteſt ſanctitatem integritatemque Nicænæ fidei. Romani etiam Pontificis dignitati, ſatis, quantum patiebatur operis ſui inſtitutum, Sigonius conſuluit, nam Conſtantinianam donationem non reticuit, neque Concilium Nicænum ex Sylveſtri auctoritate convocatum, neque legatorum ejus præſidentiam, neque confirmationem ejuſdem Nicænæ Synodi à Patribus Sylveſtro poſtulatam, neque alia hujuſmodi, quæ tam anxie moleſteque in Sigonio Cenſor deſiderat. Numerum etiam Epiſcoporum Nicænorum Sigonius retulit (pag. 116. C.) Symboli quoque meminit (pag. 118. B.) Non video vero, quare Sigonius addere debuiſſet, S. Athanaſium vel in Concilio Nicæno, vel paulo poſt Symbolum *Quicumque* compoſuiſſe. Quibus argumentis docebit Cenſor, hæc ita ſe habere? Quod vero hæreticorum reſpicit damnationem, de illa verba fecit Sigonius (pag. 118. B.) De libellis Conſtantino contra Epiſcopos porrectis, non potuit apertius loqui Sigonius (pag. 118. A.) Neſcio autem, in quibus Concilii Nicæni Actis, vel Canonibus legerit Cenſor decretum fuiſſe, ut in Miſſa *Credo* caneretur; nam certe hoc in vulgatis ejus Concilii Actis nuſquam apparet. Quod tandem Sylveſtrinæ Synodi mentionem non fecerit, fuit in cauſſa craſſa actorum illius Synodi ſuppoſitio.

CENSURA XXII.

Pag. 129. C. Cum dicat, quod nunquam poſtea Romam reverſurus exceſſerat, poterat adjungere ideo diſcedere, ut confirmaret donationem quam Pontifex Maximus fecerat, imo contra adjungit Conſtantinum reliquiſſe præfectum Julianum, & aliquid addendum erat, quia forte id fecit, ut auxilio eſſet Papæ, & quia ille erat occupatus in propaganda fide, & ideo ad gubernandum Paganos hoc permittebat Papa, ut Julianus præeſſet laicis præſertim paganis permiſſu Papæ.

IN CENSURAM XXII. RESPONSIO.

UNde probabit Cenſor Conſtantinum Roma diſceſſiſſe, ut donationem ſuam confirmaret, non vero ut Orientis res componeret, quemadmodum Sigonius tradit? Cenſor ſane præ oculis habebat Nicephorum, quo libentiſſime utitur, quique lib. 7. cap. 37. Hiſt. Eccleſ. tradit quidem Conſtantinum Roma exceſſiſſe, ut adverſus Maximinum, qui tamen jam antea obierat, res novas in Oriente molientem contenderet, non ut donationem confirmaret, Romamque liberam Sylveſtro relinqueret. Cauſſam vero, cur Conſtantinus per biennium Romæ præfecerit Julianum, illam fuiſſe, quam Cenſor aſſignat, quum nullo argumento evinci poſſit; ab ea in medium proferenda, non immerito Sigonius abſtinuit.

CENSURA XXIII.

Pag. 134. C. Ait Sigonius Conſtantinum Urbem Novam Deo Virgini Dei Matri conſecraſſe, & ad honorem Patriarchatus erexiſſe, ibique Metrophonem inſtituiſſe, quæ plane ejus muneris non erant, ſed Romani Pontificis, à quò ſolebant Imperatores honores Epiſcopatus, & Patriarchatus Urbibus ſuis impetrare. Præterea non tunc primus Conſtantinus Urbem Novam in eam dignitatem erexit, ſed reſtituit Patriarcatus jus, ut Zonaras in Severo, & Conſtantino Imperatoribus retulit, cum Bizantina Eccleſia ab Andrea Apoſtolo totius Græciæ, & Achajæ caput fuerit conſtituta, ait Nicephorus lib. 8. cap. 6. quamque etiam poſtea Romanis Pontificis conſenſus acceſſerit.

IN CENSURAM XXIII. RESPONSIO.

HÆc ſane Cenſura non Sigonium ferit, ſed vel Conſtantinum, qui id præſumpſerit, vel Scriptores Græcos, qui id revera Conſtantinum feciſſe aſſeverant; Sigonius enim in re hujuſmodi non auctor, ſed relator dumtaxat eſt: *atque ad dignitatem urbi addendam*, inquit Sigonius (pag. 134. B.) *Eccleſiam ejus ad honorem Patriarchatus*, UT GRÆCI SCRIPTORES PRODIDERUNT, *evexit* (Conſtantinus). Inter ceteros enim Zonaras ipſe, quo Cenſor contra Sigonium utitur, id diſerte affirmat in Annalibus de Conſtantino: *& cum antea Byzantii Epiſcopatus eſſet Heracleæ Thracicæ, evexit eum* (Conſtantinus) *ad Patriarchatus honorem*: *εἰς αὐτὴν ἀνήγαγε πατριαρχικήν*. Quum vero Cenſor ex eodem Zonara & Nicephoro contendat jam inde ab Andrea Apoſtolo Byzantium fuiſſe conſtitutum Græciæ totius & Achajæ caput; vellem id

id conciliaret cum Can. I. Synodi I. Conſtantinopolitanæ, & cum Can. XXVIII. Concilii Chalcedonenſ.

CENSURA XXIV.

Pag. 140. A. Presbyterum Arrianum inſignis pietatis, & egregiæ fidei nominat, quod ex ſuo addidit, neque vero egregiæ fidei fuiſſe hiſtoriæ narrant, cum fuerit Arrianus in impoſtr. melius dixiſſet ſimulatæ pietatis, ſed videtur ſentire pietatem in hæreticis eſſe poſſe, & ad negotia tractanda adhibendos eſſe hæreticos, non fugiendos neque removendos.

IN CENSURAM XXIV. RESPONSIO.

Retulit Sigonius, Presbyterum Arianum egregiæ pietatis & fidei nomine Conſtantino à ſorore Conſtantia fuiſſe commendatum. Rem ex Socrate lib. 2. cap. 26. Hiſt. Eccleſ. retulit Sigonius: quid hîc Cenſuræ obnoxium? At Sigonius Presbyterum illum impietatis notare debebat? Satis impium innuit, quum dixit Arianum. Reliqua de ſuo perperam conjectatur Cenſor, ut modeſte loquar; ubi enim in Sigonio vel leviſſimum illarum opinionum veſtigium deprehendet?

CENSURA XXV.

Pag. 140. D. Imperator Alexandriam juſſit repetere. Hæc ita nude dicta, non cohærent, ſed prius formula ab Euſebianis fraudolenter examinata, qui Hieroſolymis ad publicam Synodum convenerant Arrium admittendum eſſe decrevere, ut ait Nicephorus lib 7. cap. 47. & 48. Quod tamen non ex voto Imp. cecidit, cum fuerit impoſturis, & fraudibus Euſebianis deceptus, erat enim Euſebius Nicomedien procax, & acer, nimiumque fraudulentus, ut omnes hæretici ſolent, ut refert Sozomenus lib. 2. cap. 21, & Nicephorus lib. 8. cap. 18, videtur hic Auctor hæreticis favere, & certe non bene de tam pio Imperatore ſentire, & admittendos eſſe hæreticos inſinuare, quoniam illi hoc magnopere expetunt, ut admittantur, audiantur, adhibeantur ad negotia tractanda.

IN CENSURAM XXV. RESPONSIO.

SI in ſingulis Arrianorum fidei formulis expendendis debuiſſet Sigonius immorari, numquam operi ſuo finem feciſſet; quare immerito reprehenditur, quod illius formulæ examen prætermiſerit. Faviſſe vero hæreticis, & non recte de Conſtantino tam pio Imperatore ſenſiſſe Sigonium, nonniſi per ſummam impudentiam potuit Cenſor effutire. Sigonius enim Euſebium Nicomedienſem *doli artificem* vocat; de Euſebianis vero affirmat, eos *decreviſſe* ſubornatis accuſatoribus, fictiſque criminibus duos Catholicorum Principes Euſtathium & Athanaſium tollere; De eodem Euſebio ait, aſſumpſiſſe ſibi Theognidem Epiſcopum ſuorum PERDITORUM CONSILIORUM PARTICIPEM ...., AMICITIAM SIMULASSE cum Euſtathio, eoque pulſo ſuum convertiſſe animum ad ATHANASIUM AFFLIGENDUM. Et cetera hujuſmodi, quæ paſſim apud Sigonium occurrunt, demonſtrantque ipſum nequaquam Arrianis faviſſe. Quod poſtea Conſtantinum reſpicit, quis inficias iverit ipſum Arrii, & Euſebianorum technis captum non fuiſſe? Hoc unum Sigonius contendit, quod maxime verum eſt. Silentio tamen non prætermiſit cognita Athanaſii innocentia, *patefactiſque* INIQUIS ARIANORUM CRIMINATIONIBUS, ipſum CUM HONORE à Conſtantino fuiſſe dimiſſum, & ALEXANDRINÆ ECCLESIÆ COMMENDATUM. Laudes etiam Conſtantini proſequitur Sigonius p. 153. & 194. Conſtantinum affirmat fuiſſe Arrianæ factionis inimiciſſimum, quod argumento eſt de Conſtantino vere recteque ſenſiſſe.

CENSURA XXVI.

Pag. 140. D. Refert Conſtantinum ab exilio revocaſſe Arrium rogatu Presbyteri cujuſdam ſororis ipſius, atque cum Alexandriam domum ſuam miſerit, & quod Athanaſium cum illo, & aliis communicare voluerit, atque Conſtantinum per litteras hoc Athanaſio imperaſſe, atque hoc loco videtur notare Conſtantinum quod claudicaverit in fide, atque totum hoc negotium ſimul cum Baptiſmo apud Nicomediam in extremo vitæ, & ſubjungit hoc diſſentire ab Eccleſia Romana, & recitat verba Euſebii.

IN CENSURAM XXVI. RESPONSIO.

SIgonius quæ vera ſunt protulit; claudicaſſe vero Conſtantinum in fide numquam opinatus eſt. Perlegat Cenſor quæ Sigonius ſuper hac re habet. Arrio in communionem admittendo hæc fuit, teſte Sigonio, expreſſa appoſita conditio à Conſtantino, ſi cum Concilio (Nicæno) ſentiret, atque ideo admiſit, eodem, Sigonio teſte, quia à Concilio diſſidere Arrius Conſtantino ſubdola fidei profeſſione decepto non videbatur. Numquam ſcripſit Conſtantinum acceſſiſſe ad Arrii fidem, ſed ipſum Arrium ad Nicænam & Conſtantini fidem accedere ſimulaſſe & viſum fuiſſe, atque propterea communioni fuiſſe reſtitutum. *Conſtantinus* (inquit Sigonius pag. 148. C.) *Arrium in Aulam vocavit, atque ab eo fidei ſuæ formulam poſtulavit; & quum aliam ille fidem verbo, aliam mente profeſſus eſſet, eundem ſentire cum Catholicis arbitratus &c.* Baptiſma vero Conſtantini non ex uno Euſebio retulit, verum etiam ex Divo Ambroſio, fecitque verbis adeo modeſtis, ut maximam ſuam in Romanam Sedem obſervantiam oſtenderit. En verba Sigonii: *Hoc demum anno ſcribit Euſebius Conſtantinum ſacro eſſe baptiſmate expiatum; cujus, quoniam ab Eccleſiæ Romanæ auctoritate diſſentit, ne mendacii arguamur, verba referemus.* Quibus recitatis ſubjungit: *Hæc de Conſtantini baptiſmo, & morte à nobis allata in vita ejus ab Euſebio Cæſarienſi ad verbum ſcripta reperiuntur, quem, ut unum omnium, qui de Conſtantino ſcripſerunt, antiquiſſimum ſequuti ſunt apud Græcos Socrates, Sozomenus, Theodoretus, & Evagrius, quæ reticenda eſſe, fidelis Scriptoris officio ſervientes, in re & controverſia vulgatiſſima non putavimus,* FIDE APUD AUCTORES RELICTA.

CENSURA XXVII.

Pag. 146. B. Et hic poterat dicere hoc fuiſſe ſcriptum falſo ab Arrianis, ut hoc modo probabiliorem redderet ſuam hæreſim judicio interpoſito boni Imperatoris; Sigonius non indicat à quo iſta acceperit, ſed accepiſſe exiſtimo ab Euſebio Cæſarienſe, qui fuit Arrianus, aliiſque, ut refert Divus Hieronymus libro primo Apologiæ fol. 144. ſed lib. Euſeb. Cæſarien. Arrianæ factionis quondam ſignifer pro origine ſcripſit. Idem refert Anaſtaſius Ann. Mundi 5746. Chriſti 246. dicit Euſebium fuiſſe infectum Arrii, & Originis Blaſphemiis, & Sanctus Epiphanius in Epiſtola ſcribit eum abnegaſſe fidem, quod illi exprobatum fuit à quodam Epiſcopo dum Athanaſium ſtantem, & ſe expurgantem ipſe ſedens audiret, aut certe accepit à Zoſimo, quem conſtat fuiſſe Chriſtianis inimicum. Ideo aut hæc præterire debuit, aut lectorem advertere, quatenus illis fides eſſet habenda, & ſolum ab illis veritatem rei petere non quæ proprio quodam affectu protulerunt contra veritatem, quia

fic

ſic fiunt, & ſunt ſuſpecti. In tota hac narratione A tacite inſinuare videtur hæreticos admittendos eſſe apud Principes, non eſſe expellendos, nec removendos, & notare Conſtantinum errore aliquo, & favere hæreticis, & cum illis ſentire.

IN CENSURAM XXVII. RESPONSIO.

REm, prout geſta fuerat, narravit Sigonius, non ex Euſebio aut Zoſimo, ſed ex Sozomeno, qui id omne tradit lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 26. ad finem, cujus teſtimonium hic non profero brevitatis gratia, quumque ſit omnibus obvium. Id etiam falſo, fraudulenterque ab Epiſcopis illis ſcriptum fuiſſe Sigonius expreſſit, cum ſubjungit: *interim Conſtantinus ab Athanaſio Conſtantinopoli aditus* B *de iniquis Arianorum criminationibus edocetur: qua de re non levi adverſus eos ira concepta novas ad Concilium litteras miſit, ut ad ſe primo quoque tempore Concilii Tyrii rationem reddituri accurrerent*, &c. Hæc autem à Sigonio præteriri debuiſſe, nemo prudens aſſeruerit; non enim Arianis favent, ſed eos maxime urgent, quum palam faciant Arianos dolis, calumniis, & abuſu Imperatoriæ auctoritatis per omne nefas molitos, ut Athanaſium perderent, fidemque Nicænam ſubverterent. Quod tandem Cenſor adjicit, putida eſt recantatio: nullibi ex Sigonio poterit colligi, Conſtantinum perfidiæ Arianæ adhæſiſſe, ſed tantum Euſebianos ejus ſimplicitate abu- C ſos fuiſſe; Conſtantinus enim, ut ipſe teſtatur Athanaſ. Apolog. 2. *Simplici animo in audiendo fuit*.

CENSURA XXVIII.

Pag. 147. B. Euſebius Conſtantinum pro Athanaſio contendentem ſuſtinuit, non probo dictum, cum potius Euſebii impudentia eſſet coarguenda, qua ſe temere Imperatori objecerat, ut Auctor fortaſſe vellet ſuſtinere citra tamen invidiam.

IN CENSURAM XXVIII. RESPONSIO.

NOn indiget Sigonius neque optat à Cenſore tam inepto & imperito approbari. D Quid de Euſebio Nicomedienſi Sigonius ſenſerit, ſatis declarant illa verba, quo eum appellavit *doli artificem, perditorum conſiliorum auctorem, diræ conjurationis in Athanaſium conflatorem*, & cetera hujus generis, quæ paſſim in Sigonio occurrunt: atque propterea non opus erat, ut quotieſcumque aliquod hujus Euſebii facinus narrabat, totam chartam increpationibus impleret. Quare, bona Cenſoris venia, dicam ipſum Sycophantæ partes egiſſe, quum viſus eſt dubitare, an Sigonius Euſebii Nicomedienſis Patronus fuerit.

CENSURA XXIX.

Pag 149 B. Ipſe Marcus Epiſcopum Oſtienſem E honore Pallii decoravit, quo Pallio? An eo tempore eſſet uſus Pallii, in quo erat plenitudo poteſtatis. Hoc jus quamquam Marcus confirmavit, ex veteri tamen Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine Epiſcopo Oſtienſi obvenerat, ut docet Auguſtinus Tom. VII. breviculi coll. tertii diei contra Donatiſtas cap. ſeq; habet inquit Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo, ut propinquiores Epiſcopi alios conſecrent, ut Romæ non ordinat Metropolitanus, ſed de proximo Oſtien. Epiſcopus.

IN CENSURAM XXIX. RESPONSIO.

ANaſtaſ. Biblioth. in vita Marci, inquit: *Hic* (Marcus) *conſtituit, ut Epiſcopus Oſtienſis, qui conſecrat Epiſcopum Urbis, Pallio uteretur, & ab eodem Epiſcopo urbis Romæ conſecraretur*. Deinde Sigonius non aſſeruit conceſſiſſe à Marcum Epiſcopo Oſtienſi, ut Papam conſecraret, ſed ut, dum conſecrabat, uteretur Pallio; en Sigonii verba: *Ipſe Marcus Epiſcopum Oſtienſem honore pallii decoravit*, CUM EO UT ROMANUM EPISCOPUM CONSECRARET.

Hæc vindicando hac in re Sigonio ſatis ſuperque.

CENSURA XXX.

Pag. ead. Refert Sanctum Athanaſium petiviſſe Canones Conc. Niceni, qui Romæ incorrupti aſſervabantur, quia illi, qui circumferebantur, erant corrupti ab hæreticis. Sed hic adjungere debebat illum cum Epiſcopis Ægypti petiviſſe, ut conſtat ex Epiſtola.

IN CENSURAM XXX. RESPONSIO.

PRæcipuæ in ea petitione Athanaſii partes erant, quare ceteris omiſſis eum ſolum nominavit Sigonius. Sed puerile eſt hujuſmodi res cenſurâ notare.

CENSURA XXXI.

Pag. 167. B. Donationes à Divo Genitore ſuo ex privatis factas valerent in ſuſpicionem reducit ut ex publico factas ab eo infirmatas credamus, quod tamen falſum eſt cum Conſtantini Donatio Silveſtro facta nunquam fuerit abrogata ut ex Aurelio Caſſiodoro lib. II. Epiſtola ad Joannem Pontificem colligitur. Neque illa verba inſerere neceſſe habebat, niſi ſemina jaceat, & occaſionem interponat infirmandi Donationem Conſtantini.

IN CENSURAM XXXI. RESPONSIO.

NOn alio animo, omiſsâ malignâ Cenſoris divinatione, hanc legem Sigonius protulit, quam ut locum oſtenderet, ubi tunc Conſtantius degebat: quum lex chronologicis characteribus inſignita ſit: Conſtans *Subariæ*, inquit Sigonius, *VIII. Idus Aprilis ſinxit, ut donationes &c. inde è Pannonia* in Galliam &c. In eum enim finem leges in codice Theodoſiano contentas referre ſe velle jam dixerat ſuperioribus paginis: *Cujus* (codicis Theodoſiani) *auctoritatem ſæpe abhinc* IN HIS DIGERENDIS EXPLICANDISQUE TEMPORIBUS *adhibibimus*. Ridiculus vero eſt Cenſor, ut dicam obiter, dum ſeriò contendit ex Caſſiodoro Variar. lib. 11. epiſt. 2. colligi, Conſtantini donationem numquam fuiſſe revocatam. Fucum Cenſori hæc fecere verba: *ſedes illa toto orbe mirabilis .... vobis etiam cognoſcitur, & localiter attributa*: verùm hæc innuunt Johannem tunc fuiſſe Epiſcopum, non Dominum Romæ: certum enim notumque eſt ex ipſomet Caſſiodoro Theodoricum tunc temporis Romanæ Urbi imperitaſſe.

CENSURA XXXII.

Pag. 154. Sixtus Tertius Pontifex locum obtinuit: miror hominis negligentiam, qui nunquam Petri Sedem, aut Apoſtolicam Cathedram nominet.

IN CENSURAM XXXII. RESPONSIO.

NUlla hic in Sigonio negligentia, quum rem ipſam dixerit, quamvis non iis nominibus, quibus vellet Cenſor.

CEN-

CENSURA XXXIII.

Pag. 172. A. Sardicen. Concilium convocatum & 18. menſibus poſtquam fuit indictum &c. Omiſit hic Auctor Sardicen. Concil. Univerſale fuiſſe, cum fuerit ex toto Orbe collectum, ut ait Socrates lib. 2. cap. 16 & Athanaſius in principio Apologiæ 2. fuiſſe vero auctoritate Julii convocatum, idem Socrates lib. 2. cap. 16. narrat Orientales culpam abſentiæ in Julium Papam contuliſſe, quod nimis Auguſtum tempus à celebrando Concilio indixiſſet. Quare utrumque addere debuiſſet Sigonius, ne hæreticis favere ob intempeſtivum ſilentium videatur.

IN CENSURAM XXXIII. RESPONSIO.

C*Oncilium Sardicæ* (inquit Sigonius pag. 172. A.) NICÆNO COMPAR *eſt convocatum*. Si Nicæno compar; ergò univerſale; ergò ex auctoritate Pontificis convocatum : nam de Nicæno utrumque faſſus eſt Sigonius. Ceterum Socrares loco ab Cenſore notato non aſſerit Sardicenſe Concilium fuiſſe EX TOTO ORBE COLLECTUM, ſed tantum fuiſſe INDICTUM *generale Concilium Sardicæ*; quæ duo diverſa admodum ſunt; quum poſſit accidere, ut generale Concilium indicatur, quod celebratione poſtmodum & exitu tale non ſit. Hoc vero an in Concilio Sardicenſi contigerit, meum non eſt definire.

CENSURA XXXIV.

Pag. 176 B. Aſſerit incertum eſſe an Conſtantinus, & Conſtans Filii Magni Conſtantini fuerint baptizati, & rationem affert, quia illis temporibus diu erant Cathecumeni, quod eſt periculoſum hoc tempore referre.

IN CENSURAM XXXIV. RESPONSIO.

NOn video, quî periculoſum ſit hoc ævo noſtro referre, conſueviſſe olim Catechumenos diu baptiſma differre? An veretur Cenſor, ne illa praxis ad uſum revocetur? Quod obiter Sigonius tetigit; id data opera ob oculos exponunt, ſine ullius periculi timore, quotquot veteris Eccleſiæ diſciplinam noſtris temporibus illuſtrandam aſſumunt.

CENSURA XXXV.

Pag. 181. A. Refert Arrianos perſuaſiſſe Conſtantino, ut convocaret Concilium, ut tollerent & abolerent Concilium Sardicen. & Nicen. ſed debebat dicere Conciliabulum, & deteſtari illud.

IN CENSURAM XXXV. RESPONSIO.

NOn advertit Cenſor Sigonium ibi loqui ex hæreticorum mente, qui non Conciliabuli, ſed Concilii voce utebantur. Syrmienſis Conventus ſane Conciliabulum fuit, ſed non hoc nomine ab Arrianis appellabatur. Præterea Concilii vox tum in SS. Litteris, tum in Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis modo in bonam, modo in malam partem ſumitur, quod exemplis probare facillimum eſſet, ſi res poſtularet.

CENSURA XXXVI.

Pag. 198. C. Dicit Fœlicem ſolitum eſſe communicare cum Arriani, licet retineret Catholicam Fidem.

A

IN CENSURAM XXXVI. RESPONSIO.

SIgonii verba notat Cenſor, nullâ appoſitâ Cenſurâ, quam enim voluiſſet apponere; quum res ſit meri facti, quod Sigonius hauſit ex Theodoreto lib. 2. cap. 17., & ex Sozomeno lib. 4. cap. 10.

CENSURA XXXVII.

Pag. 204. C. Quod ait Liberium conſenſiſse Arrianis, quorum Divus Hieronymus in lib. de Scrip. Eccleſ. loquens de Fortunatiano dicat, Liberium ad ſubſcriptionem hæreſeos ab ea compulſum ac factum fuiſse, tamen maxime veritati adverſantur; Nam cum Macedoniani ſub initium B Imp. Valentis affligerentur, ad Liberium confugerunt, quos, quia Arrianæ Sectæ eſſe fautores acceperat, rejecit, ut ait Socrates lib. 4. cap. 11. Mox in Concilio Fyanis, ubi adfuit Gregorius Nazianzenus Liberii litteris acceptis maxima lætitia perfuſi ſunt, ut refert Sozomenus lib. 6. cap. 10. & ex his aperte conſtat Liberium nunquam ſententiæ Arrianorum ſubſcripſiſſe: extat etiam Epiſtola Liberii ad Conſtantium, ubi maxime ſuæ Fidei conſtantiam oſtendit, hiſtoriam vero de Macedonianis ipſemet Sigonius ſupra retulit.

IN CENSURAM XXXVII. RESPONSIO.

NUſquam Sigonius ſcripſit Liberium Arianis C conſenſiſſe. En ejus verba (pag. 404. C.) *Sunt qui ipſum* (Liberium) *aſſenſum præbuiſſe, alii vero, qui abnuiſſe ſcribant*. Et nihil amplius ſuper hac re de Liberio protulit Sigonius; cujus fidei integritati teſtimonium attulit, quum inquit : *Liberius Romam reverſus formulam protulit, qua eis communionem interdixit, qui Filium Patri conſubſtantialem abnuerent*, *QUOD SCIEBAT*, *paulo ante Antiochiæ* *ALIQUOS FUISSE*, *QUI DICERENT*, *SE CONSUBSTANTIALE NEGASSE*. Dum vero Cenſor Hieronymum notare audet, noſtri muneris non eſt, D Doctori maximo vindicias parare.

CENSURA XXXVIII.

Pag. 204. Dicit Liberium aſſenſum fuiſſe Arrianis, cum ſit ſcriptum à Divo Hieronymo de Scriptoribus Eccleſ. N. Epiſc. qui Liberium ſeduxit &c. & ſunt qui negant eum aſſenſum fuiſse, & nihil dicit de Martyrio S. Fœlicis; ſaltem mentionem facere debuerat, & aſserere duas eſse opiniones, & de Liberio ſecutus eſt Honuphrium, qui ſcribit Liberium Sanctum contra Divum Hieronymum, & Fœlicem appellat Antipapam, qui ſemper in Eccleſia Romana habitus eſt Sanctus, & in antiquo, & reformato Breviario, & diligens ſcriptor debuit recenſere varias opiniones, & potius aſentiri Eccleſiæ, quæ veneratur Fœlicem, ſicut ceteros Sanctos.

IN CENSURAM XXXVIII. RESPONSIO.

E

PRima hujus Cenſuræ pars ſuperiori animadverſione confutata eſt. De Felicis vero martyrio nihil Sigonius dixit, quia martyr non fuit. Ut ceteros mittam, en verba, quæ in Liberii vita leguntur : *Qui Felix depoſitus de Epiſcopatu, habitavit in prædiolo ſuo, via Portuenſi, ubi & requievit in pace IV. Kal. Auguſti*. Quum vero S. Ambroſius lib. 3. de Virginibus, *Beatæ memoriæ, & virum ſanctiorem* Liberium appellet, quare Ambroſium ſequutus non fuerit Sigonius, potiuſquam Panvinium? Quod ſi Panvinius ipſe Felicem Antipapam dixerit, habuit ex Veteribus, quos ſequeretur; verum hac in re judicium meum minus interponam.

Con-

Contentus Sigonium Felicis Sanctitati nullatenus detraxiſſe.

CENSURA XXXIX.

Pag. 206. De Oſio certum eſt, illum Arrianæ perfidiæ conſortem fuiſse, ut docet Divus Iſidorus de Viris Illuſtribus cap. pr. de quo ita loquitur: hic autem poſt longum ſenium vetuſtatis accerſitus à Conſtantino Principe miniſque perterritus, metuens ne Senex ac dives damna rerum, aut exilium pateretur, illico Arrianæ Impietati conſentit; cujus quidem vitam, ut meruit, confeſtim exitus crudelis finivit.

IN CENSURAM XXXIX. RESPONSIO.

ARianorum formulis conſenſum ab Oſio præbitum fuiſſe diſertis verbis Sigonius teſtatus eſt: *Quibus formulis* (Syrmienſibus) *cum cæteri* (inquit Sigon. pag. 182.) *TUM ETIAM OSIUS minis primum, deinde etiam gravibus, ut ferebatur, verberibus adactus ASSENSIT*. Quod vero ſubdit Cenſor ex libro de Viris Illuſtribus, quem Iſidori putat, nequaquam cohæret cum iis, quæ Athanaſius habet Apolog. 2. in fin., cui potius quam illi in hac re adhibenda fides: inquit enim Athanaſius: *Moriturus enim* (Oſius) *quaſi in teſtamento ſuo, eorum* (Arianorum) *vim pro teſtatus eſt, ET ARIANAM HÆRESIM CONDEMNAVIT, vetuitque eam à quoquam probari, aut recipi*.

CENSURA XL.

Pag. 217. De Juliano carptim omnia cum ejus nefaria ſcelera, & impietatem deteſtari debuiſſet, tum etiam, & ea ſcripta, quæ contra Fidem ediderat, & illam vindicem comptempti numinis recenſere, ut fecit Hieronymus in Canticum Abbacuc.

IN CENSURAM XL. RESPONSIO.

NEfaria Juliani ſcelera brevibus indicare Sigonius non prætermiſit, ut pag. 217. B. pag. 219. A. pag. 225. A. & ſeq. pag. 230., & alibi. Libros etiam Juliani contra Chriſtianam Religionem editos, Hieronymi verbis recenſuit pag. 230. A. Non oportebat vero, ut Sigonius ſcelera & libros Juliani conceptis verbis deteſtaretur; quis enim ignorat, ſortilegia, ethnicas ſuperſtitiones, blaſphemias, & reliqua hujuſmodi deteſtationis, & abominationis plena eſſe? Sic Hieronymus quum impia quædam Montani dogmata in epiſtola ad Marcellam recenſuiſſet, ita concludit: *Hæc ſunt quæ coargutione non indigent: perfidiam eorum expoſuiſſe, ſuperaſſe eſt*.

CENSURA XLI.

Pag. 287. Accuratius loqui debuiſſet de Synodo Conſtantinopolitana; non à Theodoſio, ſed à Damaſo Papa indicta fuit: quidem Imperator hujus convocationis mirus artifex, non tamen Auctor, cum per Imperatorem tanquam per Miniſtrum Ecclesia Romana Synodum induxerit, ut docet Theodoretus lib. 5. cap. 8. & 9. dum refert Orientalium Epiſtolam ad Damaſum ſcriptam his verbis: Nos veluti membra propria per Imperatoris litteras accerſiti; unde conſtat modum, quo ſolebant Romani Pontifices Synodum congregare, illum fuiſſe, ut per Imperatoris litteras Epiſcopi convenirent, ut tanquam membra ad Eccleſiæ Romanæ nutum colligerentur. Quod eo tempore ob maximas hæreſum injurias, & ne Epiſcopi ſuas Eccleſias deſerere viderentur, factum non fuit, nam ob longum iter Romam convenire non potuerunt, quo Damaſus Epiſcopos evocabat: qua de re aliæ ad Imperatorem tranſmiſſæ ſunt litteræ, quibus cogendi Sy-

A nodum Conſtantinopoli dabat facultatem, ut ex eodem Theodoreto lib. 5. cap. 9. & 10. colligitur.

IN CENSURAM XLI. RESPONSIO.

DE Concilio Conſtantinopolitano, rebuſque in eo geſtis diſſerit Sigonius pag. 287., & 288., quantum ſatis pro Hiſtorico non hanc unam rem, ſed alia quamplura tum profana, tum ſacra pertractante. Quum vero Theodoretus ipſe à Cenſore relatus lib. 5. cap. 7. Concilium Conſtantinopolitanum à Theodoſio dicat convocatum. *Ob hanc cauſam ſolum*, inquit, THEODOSIUS EPISCOPUS CONSTANTINOPOLI IN UNUM CON-
B VENIRE MANDAVERAT; quum hoc ipſum aſſerat Socrates lib. 5. cap. 8. *Imperator*, ait, *nulla interpoſita mora*, CONCILIUM EPISCOPORUM CONVOCAT, *quo tum fides Concilii Nicæni corroboraretur, tum Conſtantinopoli deſignaretur Epiſcopus &c.* Et Sozomenus lib. 7. cap. 7. ſcribat: *Brevi deinde Concilium Epiſcoporum ſibi conſentientium* CONVOCAVIT (Theodoſius) *partim ut Nicæni Concilii decreta confirmarentur, partim &c.* quum tandem Conſtantinopolitani Concilii Patres in Synodica ad Theodoſium ſe ipſius mandato ad Concilium convocatos teſtentur; cur quæſo Sigonius vapulat, quod hujuſmodi Concilium à Theodoſio convocatum dixe-
C rit; maxime quum non potuerint latere Sigonium verba illa octavæ Synodi Oecumenicæ actione 5. in qua Orientalium Sedium Vicarii ita loquuti ſunt: *Scitis, quia in præteritis temporibus Imperatores erant*, QUI CONGREGABANT SYNODOS, *& ex toto terrarum Orbe Vicarios ad diſpoſitionem hujuſmodi cauſarum colligebant, &c.* At Theodoſius, clamat Cenſor, fuit mirus artifex hujus Convocationis, & miniſter Romanæ Eccleſiæ: ita ſane, neque hoc negavit unquam Sigonius; Cenſor vero mire hallucinatus eſt in Theodoreto; litteras enim illas Orientalium ad Damaſum, ſcriptas putat ante Concilii Oecumenici Conſtantinopolitani I. celebrationem, quod tamen
D eſt falſum, ut verba Theodoreti lib. 5. cap. 8. perpendenti patebit; datæ enim ſunt anno poſt celebratum Concilium Oecumenicum elapſo; ſed erratis ſuis conſulat Cenſor.

„ En interim Theodoreti verba lib. 5. cap. „ 8. Porro autem cum Canones pro recta „ Eccleſiæ adminiſtratione conſcripſiſſent, ſta„ tuiſſentque, ut fidei formula in Concilio „ Nicæno edita, firma, ac ſtabilis maneret, „ ſinguli domum reverterunt. SEQUENTI „ ÆSTATE *quamplurimi eorum* ad eandem „ urbem denuo regreſſi (neceſſaria enim Ec„ cleſiæ negotia eos illò revocaverant) *Epi„ ſtolam* à Concilio Epiſcoporum in Occiden„ te coactorum accepere; quæ illos hortaba„ tur, ut Romam, ubi jam maximus Epiſco-
E „ porum cœtus congregatus erat, accede„ rent. At tam longum iter ſuſcipere, „ QUUM NIHIL INDE LUCRI SE FA„ CTUROS PUTARENT, OMNINO RE„ CUSARUNT illi quidem, ſed tamen ſcri„ pſerunt epiſtolam.

Hoc autem prolixum teſtimonium Theodoreti ideo in medium protuli, ut clarius conſtet, Concilium Romanum ſub Damaſo fuiſſe celebratum non ante Concilium Conſtantinopolitanum, ſed anno inſequente; cum tamen Cenſor plura contra Sigonium congerat hac falſa ductus opinione, Damaſum prius

A Romæ Synodum ſuam celebraſſe, ad quam Orientales cum non poſſent accedere, dediſſe eis facultatem, ut Conſtantinopoli Synodum illam, quæ Oecumenica dicitur, celebrarent.

CENSURA XLII.

Pag. 286. A. Priſcillianus homo laicus: ex Severo collectum eſt; ſed Hieronymus de viris Illuſtribus cap. 121. Abile Epiſcopum nominat, cui ego magis aſſentior.

IN CENSURAM XLII. RESPONSIO.

CUm D. Hieronymo Severus Sulpitius componi poteſt. Priſcillianus creatus fuit Epiſcopus in Labilenſi oppido ab Inſtantio & Salviano Epiſcopis, B poſtquam fuerant ſimul in Synodo Cæſarauguſtana damnati. Quum itaque Priſcillianus damnatus fuerit in dicta Synodo laicus erat; poſt vero, utcumque per nefas & irregulariter, creatus eſt Epiſcopus. Severus, quem Sigonius ſequitur, ad tempus damnationis reſpicit, Hieronymus vero indefinite loquitur. Rem autem ita componi poſſe ex ipſo Sigonio colligitur; qui expendens hæc Sulpitii verba lib. 2. *Interim Inſtantius & Salvianus damnati judicio Sacerdotum, Priſcillianum etiam laicum, ſed principium malorum omnium una ſecum Cæſarauguſtana Synodo notatum ad confirmandas vires ſuas* EPISCOPUM IN LABILENSI OPPIDO CONSTITUUNT. C Inquit enim Sigonius comment. in hunc locum: *Quæſivi quoque, quod ſit Labilenſe oppidum in Hiſpania, nec reperi; quare Abilenſi legendum putavi. Eſt enim Abila, ſeu Abula nota & veteribus, & præſentibus temporibus in Hiſpania.* CONFIRMAVIT MEAM OPINIONEM S. HIERONYMUS, QUI IN LIBRO DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS PRISCILLIANUM ABILÆ EPISCOPUM VOCAT. Severus ergo & Sigonius ipſe Priſcillianum Epiſcopum vocant cum Hieronymo, ſed dicunt laicum fuiſſe, quum damnatus eſt, quod Hieronymo non repugnat.

D

CENSURA XLIII.

Pag. 285. B. Quando loquitur de ſecunda Synodo univerſali facta tempore Damaſi, & Theodoſii, dicit Theodoſium, ut omnes ex Oriente hæreſes exterminaret Conc. in ſequentem indixiſſe, ſed conſiderátius illi agendum erat, ut in Nicæno fecit, ubi refert Silveſtrum cum Conſtantino egiſſe, ut indiceretur.

IN CENSURAM XLIII. RESPONSIO.

COnvocatam à Theodoſio Synodum Conſtantinopolitanam, ut Orientis Eccleſiis, hæreſi extincta pacem reſtitueret, teſtantur auctores, quos ad Cenſuram LI. produxi, nihil ergo hic inconſiderate Sigonius protulit. E At Damaſum non nominavit? Equidem, ſed neque Theodoretus, neque Socrates, neque Sozomenus, neque Acta illius Concilii, à Damaſo convocatum dicunt: Cum his omnibus ab hujuſmodi Cenſore reprehendi non admodum grave.

CENSURA XLIV.

Pag. 288. B. Revolvitur eodem, & in Concil. edictum ab Imperatore memorat.

IN CENSURAM XLIV. RESPONSIO.

SI edictum illud pravum eſt, peccavit Theodoſius, non Sigonius. Edicti hujus mentionem facit Sozomenus hiſtor. Eccleſ. lib. 7. cap. 9.

CENSURA XLV.

Pag. 287. A. Conſiderando Theodoſius Concil. quod indixerat, operam dedit.

IN CENSURAM XLV.

Vide *ſuperiores Cenſuras*.

CENSURA XLVI.

Pag. 288. Ait, ad excutiendum Concilium Occidentales, & Orientales evocaſſe, quod non probo. Primum quia non egebat eorum auctoritate, neque explorandus erat eorum animus, qui jam Concilio prædicto ſubſcripſerant. Praterea hoc Concilium Romæ indictum antea fuit, quam Conſtantinopolitanum haberetur, quod permiſſu Pontificis habitum fuit Conſtantinopoli ob itinerum difficultates, quare alia de cauſa Orientales convocati fuere.

IN CENSURAM XLVI. RESPONSIO.

QUamquam Summus Pontifex quum infallibilitatis prærogativa gaudeat, poſſit ſine Concilio fidei controverſias definire, nemo tamen, ut arbitror, inter Catholicos erit, qui non fateatur, rem laude dignam, atque Chriſtianæ Religioni perutilem in gravibus præſertim difficilioribuſque fidei controverſiis à Romano Pontifice fieri, ſi Epiſcopos ad Concilium convocet, eorumque auctoritate & ſuffragio quæſtiones fidei definiat. Quid ergo ſibi vult Cenſor priori Cenſuræ periodo? Alterum ex notatis in Cenſuram XLI. falſiſſimum eſſe conſtat, quod etiam, ut clarius pateat, adduco verba epiſtolæ Synodicæ à Patribus Conſtantinopolitanis ad Damaſum ſcriptæ apud Theodoret. lib. 5. cap. 9. in qua mentionem faciunt generalis Concilii Conſtantinopolitani anno ſuperiore celebrati. En verba: *Atque iſta de fide à nobis libere ingenueque prædicata diſſeruimus: de quibus pleniorem cognitionem animis poteritis percipere, ſi libellum in Concilio Antiochiæ convocato, de Fidei deciſione editum, &* EUM ETIAM, QUI SUPERIORI ANNO A CONCILIO GENERALI COMPOSITUS EST, *legere placuerit*.

CENSURA XLVII.

Pag. 289. B. Ammianus hoſtis noſtræ Religionis fuit, & multa de Damaſo ſcripſit, & aliis Pontificibus quia denariis Matronarum ditabantur, epulis lautioribus veſcebantur, lecticis aureis vehebantur, & hic dicit ingentem numerum Epiſcoporum Sanctorum hæc ætas tulit, quos, ut ſcribit Ammianus, tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas indumentorum ſuper cilicia humum ſpectantia perpetuo numini veriſque ejus cultoribus, ut puros commendavit &c.

IN CENSURAM XLVII. RESPONSIO.

APpoſite Sigonius Ammiani Chriſtianorum hoſtis teſtimonium retulit, ut magis noſtrorum Epiſcoporum ſanctimoniam commendet; nam, ut inquit D. Hieronymus in Epiſtola ad Pammach. 61. *illud verum eſt teſtimonium, quod ab inimici voce profertur*. Quod ſi Ammianus ſibi poſtea contradicat, nihil id ad nos,

nos, qui Sigonio, non Ammiano vindicias paramus. Ceterum quis negaverit non omnes Epiſcopos Ammiani ævo piæ, caſtigatæque vitæ fuiſſe? Probos laudat, ceteros reprehendit. Si Cenſori noſtro præſentia fuiſſent verba Platinæ in Bonifacio V. & Stephano III., forte ſe ab hac Cenſura continuiſſet.

CENSURA XLVIII.

Pag. 289. B. Dicit Damaſum Romæ aliud Concilium indixiſſe propter executionem Concilii indicti à Theodoſio, & quod Epiſcopos Orientales, & Occidentales evocaverit; hic notandum eſt virum adeo diligentem nullam hic feciſſe mentionem ſecundæ Synodi Conſtantinopolitanæ, & Legatorum Damaſi, & ſaltem ejus nomine præfuiſſe Cyrillum Hieroſolymitanum, ut legitur, imo in hiſtoria Tripartita lib. 9. cap. 12. habetur Epiſtola Epiſcoporum in dicto Concilio collectorum ad Damaſum Papam, & alios Epiſcopos, & ibi etiam eorundem reſponſio.

IN CENSURAM XLVIII. RESPONSIO.

SYnodi Conſtantinopolitanæ ſatis pro ſuo inſtituto mentionem fecit Sigonius (pag. 287. & ſeq.) Quos vero Damaſi Legatos nominare potuiſſet Sigonius, cum nulli Damaſi loco huic ſecundæ Oecumenicæ Synodo præfuerint; multoque minus Cyrillum Hieroſolymitanum, qui nullo modo huic Synodo præfuit; nam ſi quiſpiam præfuiſſe dicendus eſt, is certe fuit Timotheus Alexandrinus, ut diſerte teſtatur Synodus VIII. Act. VI. *Quoniam*, inquit, *Timotheus, primus factus eſt prædictæ Sanctæ Synodi* PRÆSIDENS, UTPOTE ALEXANDRIÆ PATRIARCHA, *& una cum Epiſcopis qui ſecum erant, provexit Nectarium Conſtantinopoleos Patriarcham*. Litteræ vero, ad quas Cenſor appellat, leguntur in Tripartita lib. 9. cap. 14. & 15. verum nihil in iis eorum, quæ vellet Cenſor; neque Sigonius ad illas provocandus erat, cum earum & meminerit, & partem tranſcripſerit (pag. 292. C.) Ceterum ex hujuſcemodi epiſtolis, quid vere colligendum contra Cenſorem pro Sigonio, jam ſupra notavimus.

CENSURA XLIX.

Pag. 292. B. Ex loco, quem citat Sigonius, conſtat Concilium Romanum uno anno, antequam Conſtantinopolitanum haberetur, indictum fuiſſe, ut ex eo loco colligi non poſſit Concilium Romanum habitum fuiſſe ea de cauſa &c.

IN CENSURAM XLIX. RESPONSIO.

QUid ſibi hac Cenſura velit Cenſor, non video. Loco Sigonii notato ne per ſomnium quidem aſſeritur Concilii Romani indictionem prævertiſſe uno anno Synodi ſecundæ Oecumenicæ celebrationem. En Sigonii verba (pag. 292. B.) *Interim Damaſus Romæ Concilium habuit Epiſcoporum Occidentis frequentiſſimum: Orientales non venerunt, ſed Legatos cum litteris ſe ſe purgantes miſerunt*, in quibus expoſitis, quæ ex ſuperiori perſequutione pertulerunt, incommodis, ita pergunt; *quoniam vos* &c. Et poſt recitatum fragmentum Epiſtolæ Orientalium, & alterius Damaſi ad eoſdem, ſubjungit Sigonius: *In hoc Concilio* (Romano) *omnes hæreſes quæ adhuc Eccleſiam turbaverant, perculſæ anathemate ſunt, ac Conſtantinopolitanum Concilium confirmatum*. Hæc ſane omni vitio & culpa vacant, & niſi ab imperito poterant reprehendi.

Interim notet Cenſor modeſtiam Sigonii præ Theodoreto in eadem Hiſtor. Tripartita lib. à Cenſore laudato cap. 13., de Orientalibus ad Concilium à Damaſo vocatis, dicente: *Sed illi quidem profectionem quaſi nibil habituram lucri refugerunt &c.*

CENSURA L.

Pag. 330. B. Piaculo publice diluiſſet: hæ voces ab Eccleſia excludendæ ſunt, ut veteres luſtrationes abigamus, præſertim cum pœnitentiæ formam Tertullianus lib. de Pudicitia ad vivum expreſſerit, & pœnitentiæ vox latinis auribus conſona ſit, quod rejicere non debebat Sigonius.

IN CENSURAM L. RESPONSIO.

ESto hujuſmodi voces ab Eccleſiæ Ritualibus excludendæ ſint, an propterea conſequitur ablegandas etiam ab hiſtoricis eleganter ſcribentibus? *Piaculum* apud bonæ latinitatis Auctores id ſignificat, quod agitur ſive præbetur pro ſatisfactione peccati. Quare ea vox optime ſignificat pœnitentiam ab Ambroſio impoſitam Theodoſio. A *uſurpando* autem pœnitentiæ nomine Sigonium non abhorruiſſe, patet quia ibidem bis illud uſurpat, duoque refert Auguſtini loca, in quibus *pœnitentiæ* nomen occurrit. Quare ne ſæpius eandem vocem repeteret, elegantiæ cauſſa *piaculum* dixit.

CENSURA LI.

Pag. 354. C. Per multos dies Epiſcopo ſatisfecit: alio rem detorquet, cum dicere debuiſſet pœnitentia ab Epiſcopo impoſita per multos dies ſatisfecit.

IN CENSURAM LI. RESPONSIO.

S. Paulinus qui hoc factum in Vita Ambroſii narrat, nullatenus ſcribit Stilichoni pœnitentiam fuiſſe ab Ambroſio impoſitam, ſed Stilichonem eumdem pœnitentiâ motum, hoc eſt facti dolore tactum, ſatisfeciſſe Ambroſio. En Paulini verba: *Quod ubi vidit Stilicho Comes pœnitentiâ motus eſt, ita ut per multos dies ſatisfecerit Sacerdoti &c.* Paulino autem magis quam Cenſori fides habenda.

CENSURA LII.

Pag. 355. B. De Thelemaco, quem Honorius in numerum Martyrum adſcripſerat, exploratius loqui debuerat, cum id Imperatoribus non eſſet. Quæ res cum ſatis dubia ſit, & præſertim in Martyrologio maximas difficultates pepererit, non erat negligenter tractandi, ne in veterum errore quaſi in ſalebra hærere videretur.

IN CENSURAM LII. RESPONSIO.

TElemachum illum in Martyrum numero ab Honorio adſcriptum fuiſſe non ſcripſit Sigonius, ſed tantum curaſſe, Honorium, ut adſcriberetur; qua dicendi formula nihil Imperatori tribuitur, quod ei convenire non poſſit. Factum retulit Sigonius ex Theodoreti hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 26., ubi inter cetera hæc leguntur: *Qua re cognita, Imperator admirabilis Telemachum* IN MARTYRUM INVICTORUM NUMERUM ADSCRIPSIT: quæ dicendi ratio ſi noſtro Cenſori minus arridet, Theodoretum reprehendat, non Sigonium, qui à Theodoreti loquendi modo aperte receſſit, eo quod Cenſura dignum videbatur.

CENSURA LIII.

Pag. 365. C. Sacro Fonte infectus; dutiſcule, quam ſacra aqua.

IN CENSURAM LIII. RESPONSIO.

SAcro fonte pro ſacra aqua frequenter utuntur Chriſtiani Scriptores; unde mirum hac de cauſſa Sigonium fuiſſe Cenſurâ notatum.

CENSURA LIV.

Pag. 366. C. Refert Creationem Innocentii Primi, qui fuit canonizzatus, & refert quæ in ejus Pontificatu acciderunt uſque ad pag. poſter. Ubi dicit obiiſſe Innocentius 418., & cum ſcribat exilium S. Joannis Chyſoſtomi non meminit eorum quæ Papa fecit eam ob rem, quia ut ſcribit Nicephorus lib. 13. cap. 34. Caliſtus excommunicavit Arcadium Imperatorem, & Eudoſiam Imperatricem, cujus verba ſunt: Ego minimus & peccator cui Thronus magni Apoſtoli Petri creditus, ſegrego, & rejicio te, & illum à participatione myſteriorum immaculatorum Chriſti Dei noſtri, & eos qui adminiſtrare, & exhibere ea vobis &c. Atque idem habetur in regiſtro Illuſtriſſimi Domini Cardinalis Aragoniæ, & Breviarium in Feſto Sancti Joannis Chryſoſtomi. Et dicit Papam convocaſſe Concilium Romanum pro ejus reſtitutione, & illius Decreto fuiſſe Chryſoſtomum reſtitutum; Aliqui ſcriptores non tantopere diligentes, cum de exilio S. Joannis Chryſoſtomi agerent, ſed non erat prætermittendum, quod ſcribit Nicephorus circa hoc factum dignum tanto Pontifice, & de Concilio Milevitano, cui fuit Anſelmus Romanus de ordine Papæ, & alii, & Decreta fuerunt ab eo approbata, meminit. Sed nihil de Legato, ſed ſolum circa exilium Sancti Joannis Chryſoſtomi; ſed conveniens erat, ut iſta connecterentur cum actis Innocentii ad revocandum illum ab exilio.

IN CENSURAM LIV. RESPONSIO.

SIngula Innocentii & Chryſoſtomi geſta recenſere Sigonius ſi debuiſſet, profecto amphorâ inſtitutâ exiiſſet urceus; id omiſit, quod Anaſtaſius in vita Innocentii reticuit, quod prætermiſere Socrates, atque Theodoretus, qui tamen Chryſoſtomi geſta non adeo levi manu perſequuti ſunt. Arcadium vero & Eudoxiam ab Innocentio I. fuiſſe excommunicationi ſubjectos qui referre poterat Sigonius; quum hujuſce rei ſilentium altiſſimum apud bonos omnes antiquitatis Scriptores eſſet. Nihil enim de hoc anathemate Galladius in Dialogo de vita S. Johannis Chryſoſt., nihil Socrates, nihil Theodoretus; Sozomenus, Zonaras, nihil denique veteres Latini Scriptores omnes. Synodo autem Milevitanæ adfuiſſe de ordine Papæ Anſelmum Romanum, nulla puto ratione ab Cenſore probari poſſe, quum ex ejus Concilii geſtis luce clarius ſit, præſediſſe Silvanum Zumnenſem Epiſcopum, & Numidiæ Primatem: Anſelmi vero hujus nulla mentio occurrat.

CENSURA LV.

Pag. 373. Improbat Paulum Diaconum, quem de tribus capitulis magis perturbate, quam uſquam alibi, differentem habuit auctorem.

IN CENSURAM LV. RESPONSIO.

LAudandus Sigonii candor; quum enim res contra Alaricum geſtæ, teſtibus coævis Scriptoribus ſe habuerint aliter, ac Paulus Diaconus conſcripſit, ideo ipſum hac in re miſſum fecit; quia vero in negotio de tribus Capitulis conſtare tibi videbatur, eum ſequi maluit. Oſtendunt hæc Sigonium in nullius verba juraſſe, ſed eos ſequutum, qui propius ad veritatem acceſſiſſe ſibi videbantur; quod ſane ingenui probique hiſtorici officium eſt.

CENSURA LVI.

Pag. 374. A. Peccato exuantur: adderem Originali, cum hæc vox apud Eccleſiam receptiſſimam rei veritatem indicet, illa non.

IN CENSURAM LVI. RESPONSIO.

AUguſtinus, aliique Patres de hoc Pelagianorum errore differentes, modo originale addunt, modo omittunt. Nam quum de peccato parvulorum agitur, ſtatim originale, utcumque non exprimatur, intelligitur, quandoquidem huic uni parvuli obnoxii eſſe poſſunt. Vocem ergo, quam Cenſor addidiſſet, potuit Sigonius impune præterire.

CENSURA LVII.

Pag. 379. B. Ne Eccleſiam ingrederetur eduxit: ita non loquerer cum Epiſcoporum Synodo judicium terminatum fuerit, non Imperatorio edicto.

IN CENSURAM LVII. RESPONSIO.

HAuſit Sigonius narrationem ſuam ex Socrate lib. 6. hiſt. Eccl. Cap. XVI. *Imperator igitur*, inquit, *Joanni ſignificat, ei non eſſe jam poteſtatem in Eccleſiam ingrediendi, quod duobus Conciliis erat condemnatus*. Sigonius ipſe præmiſit Epiſcoporum judicium. Vide pag. 379. A. quod ut exequutioni mandaretur, primum Arcadius edixit, ne in Eccleſiam ingrederetur, deinde etiam in exilium pepulit, ut optime Sigonius ſcribit.

CENSURA LVIII.

Pag. 383. C. Zoſimus ineptiſſime, cum antea maxime commendaretur, & ejus ope deſtitutus frigeat, cum tamen alibi eundem paganum hominem ad auctoritatem Innocentii infirmandam teſtem adducat.

IN CENSURAM LVIII.

Vide *Scriptoris judicia de Zoſimo*.

IN Zoſimi libris plura occurrere, quæ ſuorum temporum hiſtoriam in claro lumine collocant, non niſi cæcus ire poteſt inficias, hac itaque parte Zoſimus commendatione dignus. Ex hoc tamen minime conſequitur, quæcunque ab eo narrantur, vera eſſe, ſi è contrario adſint Scriptores majori fide digni, qui ab Zoſimo aſſerta, teſtimonio ſuo refellant, ut in caſu noſtro contingit. Sigonius Zoſimum ſequutus eſt quantum hiſtoriæ veritas patiebatur, quem non hoc tantum loco deſeruit, ſed & aliis quoque. Quod ſine eo Sigonius frigeat, dijudicent æqui lectores, qui ubique plenam, ſibique conſtantem hiſtoriam deprehendent, iis etiam temporibus, ad quæ Zoſimi libri non pertingunt. An tandem Zoſimo contra Innocentium abutatur Sigonius, ex ſequentibus reſponſionibus apparebit.

CEN-

CENSURA LIX.

Pag. 397. Prætermittit egregia ejuſdem Papæ facinora, & refert fuiſſe quoſdam, qui dicerent ſacrificaſſe ſe, & fuiſſe liberatum ex magnis periculis, quod eum ad Innocentium retuliſſent illi ſubjungit, Zoſimo pagano Scriptori fides eſt adhibenda.

Reſpondit, agerent, quod Reipublicæ conducturum putarent: conſiderandum eſt ſit ne hæc reſponſio digna Pontifice Sancto, cujus feſtus dies agitur menſe Julio. Hiſtoricus iſte reticuit bona à Catholicis ſcriptoribus prolata, & mala ab Auctore Pagano accepit, & dixit.

IN CENSURAM LIX. RESPONSIO.

CEnſor Lectoribus non imponet, qui præclariora Innocentii geſta à Sigonio notata ſuis quæque locis deprehendent. Zoſimum vero reſponſionem illam Innocentio tribuentem non ſequitur Sigonius, ſed contra eum diſerte excipit. En Sigonii verba: *quam rem quum ad Innocentium Pontificem retuliſſet* (Pompejanus) *ille*, SI ZOSIMO PAGANO HOMINI HABENDA FIDES EST, *reſpondit*: *agerent* &c. Qua ſane exceptione reſponſum illud Innocentio abjudicatur.

CENSURA LX.

Pag. 424. De Innocentio Pontifice clementius, & de Zoſimo melius, & de Paſchatis quæſtione exactius oportuit agi.

IN CENSURAM LX. RESPONSIO.

NIhil ab Sigonio dictum inclementer adverſus Innocentium. Omnia in teſtem voco ejus Opera, in quibus ne verbulum quidem minus religioſum occurrit in S. Pontificem, de quo plura citra controverſiam ſcripſit Anaſtaſius in ejus vita. De Zoſimo vero pro inſtituti ſui modulo id tetigit, quod erat notatu dignum, pag. 426. A. & 428. A., neque Sigonius indigebat edoceri ab eruditiſſimo Cenſore, quæ fides Zoſimo habenda foret, quidque de illo ſentiendum. Conſulat Cenſor quæ habet Sigonius in opuſculo de Romanæ hiſtoriæ Scriptoribus, & clare perſpiciet, rectum de Zoſimo judicium à Sigonio fuiſſe efformatum.

Tandem quæſtionem de Paſchate non erat ejus loci, neque muneris Sigonii agitare, qui hiſtoriam, non controverſiarum librum exarabat.

CENSURA LXI.

Pag. 425. B. Honorius Bonifacium approbavit: nimium tribuit Imperatoribus quaſi penes illos jus eſſet dimovendi Epiſcopos, aut approbandi, dixiſſet melius, Bonifacio faviſſe, vel juviſſe, vel operam præſtitiſſe.

IN CENSURAM LXI. RESPONSIO.

AUdiat Cenſor, quid ſuper hac re habeat Anaſtaſius in vita Bonifacii: *Auguſti utrique miſerunt, & ejecerunt Eulalium, & miſſa auctoritate revocaverunt Bonifacium in urbem, & conſtituerunt Epiſcopum*. Nil ergo Sigonius Imperatoribus tribuit: quod geſtum fuit, retulit; neque Sigonio crimini vertendum, ſi Imperatores poteſtatis ſuæ fines exceſſerunt.

CENSURA LXII.

Pag. 428. A. Hieronymus Presbyter Romanus, fortaſſe Antiochenus.

A

IN CENSURAM LXII. RESPONSIO.

HIeronymus à Paulino quidem Antiocheno Epiſcopo Presbyter ordinatus fuit; quum tamen ei Eccleſiæ noluerit adſcribi, propterea Presbyter Antiochenus, ſeu Antiochenæ Eccleſiæ ſervitio addictus dici non poteſt. In epiſtola enim ad Pammachium 61. Hieronymus ipſe Paulinum à ſe ita affatum refert: *Si ſic Presbyterum tribuis, ut Monachum nobis non auferas: tu videris de judicio tuo. Sin autem ſub nomine Presbyteri tollis mihi, propter quod ſæculum dereliqui: ego habeo quod ſemper habui: nullum diſpendium in ordinatione*
B *paſſus es*. Sigonius vero Hieronymum dixit Presbyterum Romanum ex ſermone ad Fratres de Eremo inter opera D. Auguſtini. Sane Alphonſus Ciacconius D. Hieronymum fuiſſe Presbyterum S. R. E. Cardinalem, Opuſculo ea de re edito, & Gregorio XIII. nuncupato, ſeriò ac ſedulò propugnavit.

CENSURA LXIII.

Pag. 444. C. Bene dicit de Cyrillo Epiſcopo Alexandrino, qui tempore Cœleſtini primi voluit interdicere Neſtorio Hæreſiarchæ, & Epiſcopo Conſtantinopolitano communionem; deinde illum admonuit, ut rejiceret illam opinionem, & hæc fecit Cyrillus, ut Legatus Papæ, quos in Græcia
C fuiſſe dicunt Zonaras in Vita Anaſtaſii, Evagrius lib. 3. cap 32. & ex Epiſtola Nicolai primi ad Imperatorem Michaëlem Porfiro-genitum fuiſſe in Græcia colligitur Epiſcopos Nobiliores Legatos Romanæ Sedis, qui gerebant vices Pontificis Maximi, & apud nos dicuntur Legati nati, ut ex ſequentibus: oportet veſtrum Imperiale decus, quod omnibus Eccleſiaſticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem, quem noſtra Eccleſia habuit, veſtris temporibus reſtaurare dignemini, quatenus vicem, quam noſtra Sedes, per Epiſcopos veſtris in partibus conſtitutos habuit, videlicet Teſſalonicen. qui Romanæ Sedis vicem Epiſcopum veterem Epiſcopumque novum &c., & habentur etiam apud Sanctum Leonem primum, Epiſtola 84. cap 1. & 7. & dicit etiam Nicolaus has vices temporibus prædeceſſorum videlicet Damaſi, & deinceps ſequentium Summorum Pontificum dictos Epiſcopos ha-
D buiſſe. Sigonius, qui profitetur in Proœmio ſe nihil omiſſurum eorum, quæ ad Eccleſiæ Romanæ honorem pertinent, aliquo in loco debuiſſet facere mentionem iſtorum Legatorum, & hic erat opportunus, cum Cyrillus Alexandriæ Epiſcopus in ſua Provinciali Synodo condemnare non potuiſſet Epiſcopum Conſtantinopolitanum, niſi autoritate Papæ fultus, eum par in parem non haberet Poteſtatem, Poterat enim interdicere ſuis Provincialibus, ne ſecum communicarent, & ſuffraganeorum Conſtantinopolitanæ potiores partes erant illum admovendi, quam Cyrilli Epiſcopi Alexandrini.

IN CENSURAM LXIII. RESPONSIO.

CYrillum non fuiſſe Romani Pontificis Legatum natum Papæ, ut loquitur & con-
E tendit Cenſor, adſtruo luculentis teſtimoniis, quæ Cœleſtinum affirmant vices ſuas Cyrillo commiſiſſe in cauſa Neſtorii, quas propterea non ex eo habebat, quod Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus eſſet. En primò Cœleſtini verba ad Cyrillum: *Quamobrem noſtræ ſedis auctoritate adſcita, noſtraque vice, & loco cum poteſtate uſus, ejuſmodi non abſque exquiſita ſeveritate ſententiam exequeris &c.* Et in epiſtola ad Clerum Conſtantinopolitanum: *& quia noſtra*, inquit Cœleſtinus, *in tanto negotio propemodum præſentia neceſſaria videbatur, vicem noſtram propter marina & terrena ſpatia, ipſi Sancto Fratri meo Cyrillo delegavimus &c.*

A Marcellinus Comes in Chronico: *Neſtorius*, inquit, *apud Epheſum* 200. *Patrum ſententia in Synodo damnatus eſt*, *Cæleſtino Cyrillum Alexandrinæ Civitatis Epiſcopum PRO TEMPORE VICARIUM DENUNTIANTE*. Tandem Nicephorus Callixtus, quem in gratiam Cenſoris produco, lib. 14. Hiſt. Eccleſ. cap. 34. ſcribit: *Cæleſtinus autem . . . propter navigationis pericula ipſe Synodo adeſſe detrectavit. Ad Cyrillum tamen ut locum illic ſuum obtineret, ſcripſit: ex quo tempore fama eſt, mitram illum, & Papæ appellationem, atque ut orbis univerſi judex appellaretur, accepiſſe*. Quum ergo Cyrillus non fuerit Legatus natus; Sigonio de hujuſmodi B Legatis diſſerendi hic loci occaſio oblata non fuit. Cæterum pluries teſtatur Cœleſtinum partes ſuas Cyrillo commiſiſſe, ipſum Cyrillum in cauſa Neſtorii egiſſe ut Papæ Legatum ſicuti pag. 445.A. & 447. C. & 448. B. & 450. B. Reliqua Cenſoris non moror, nam Sigonium non premunt.

CENSURA LXIV.

Pag. 453. Imperator Epiſcopos damnavit, quaſi ejus partes eſſent, ut in Epiſcoporum cauſis judicandis aſſideret.

IN CENSURAM LXIV. RESPONSIO.

C NOn puto animum eſſe Cenſori negandi ea quæ communi Scriptorum conſenſu firmata ſunt. Si verbum *damnavit*, diſplicet, ſciat id nil ſignificare aliud ex integræ narrationis contextu, quam Legatos Orientalium Epiſcoporum reprobatos atque rejectos, Cyrillum vero & Memnonem, quum innocentes agnoviſſet Imperator, cuſtodia, qua detinebantur, juſſos liberari. Hæc ita geſta ſunt; ſi aliquod peccatum ineſt, Imperatoris, non Sigonii eſt.

CENSURA LXV.

Pag. 476. B. Imperator Concilium indixit, quamquam paulo infra de eodem fortaſſe loquens reprehenſum memoret.

D IN CENSURAM LXV. RESPONSIO.

SIgonius, ſecus ac veteres Scriptores, qui Concilium Epheſinum ſimpliciter ab Imperatore Theodoſio indictum ſcribunt, ut Romani Pontificis auctoritatem in hiſce rebus oſtenderet; ſic loquitur (pag. 448. C.) *Theodoſius ex Cæleſtini auctoritate litteras ad omnes Metropolitanos miſit, edicens, ut omnes Epheſi adeſſent*. Poterat ergo Cenſor, imo debebat, ab iniqua cenſura temperare. Neque vero Sigonius hac de cauſa reprehendit Theodoſium (pag. 478. C.) ut Cenſor ſuſpicatur, ſed propterea quod Dioſcori tyrannidi faverit & Flaviani innocentiam, Epiſcoporumque Orthodoxorum nequaquam fuerit tutatus. E

CENSURA LXVI.

Pag. 490. D. Inter alia poterat illud inferere, quod in Concilio Calcedonen. Leo Primus à Patribus ter Sanctus acclamatus fuit, quæ maxima laus illi tribui potuit, & hic Author omiſit, & tamen precationem multorum annorum poſuit.

IN CENSURAM LXVI. RESPONSIO.

LOcus in quo multos annos Leoni acclamarunt PP. Chalcedonenſes, etiam ter Sanctum acclamatum fuiſſe non exhibet. Cenſor reſpexit ad illa verba act. pr. Sancte Domine &c. Sed hæc non de Leone dicta ſunt, ſed ad Imperatorem, qui etiam dicitur *diviniſſimus* & *piiſſimus* Dominus noſter. Verùm etiam ſi acclamatus fuiſſet Leo ter Sanctus; & hoc Sigonius omiſiſſet, non propterea redarguendus eſſet: hujuſmodi enim acclamationibus Patres unius præ altero Epiſcopo prærogativam inſinuare non intendebant; ſic eadem actione B. Petrus dicitur ter Beatiſſimus, & S. Cyrillus etiam dicitur ter Beatiſſimus Pater noſter Cyrillus.

CENSURA LXVII.

Pag. 564. A. Henotico ideſt pacificatorio Decreto non uſque adeo accurate dixit ac docuit. Hujus enim Tragediæ auctor fuit Acatius odio in Joannem ſuſcepto, quod ad ſe Epiſtolam Synodicam non traſmiſerit, erat enim conſuetudo, ut Patriarchæ omnes viciſſim ad ſe litteras mitterent. De Synodo Calcedonenſi ſervanda, ut ait Gregorius lib. 7. Epiſtola 83 quam rem cum Joannes ob negligentiam aut oblivionem omiſiſſet, irritatus Acatius per dolum curavit, ut ab Imperatore Enothicon, quod omnibus fraudi eſſet, proponeretur, quo deſidentes Eccleſiæ uniri viderentur; qua occaſione Acatius cum Petro Magno heretico communicat, Joannem excludit, & alium Eccleſiæ Alexandrinæ conſtitui curat. Joannes re communicata cauſa Calendione Antiocheno, Simplicium appellat, ut Liberatus in Breviario à cap. 14. uſque ad 19 teſtatur. Simplicius pro Joanne, ſed cum Petro Magno communicare acriter Pontifex in eum commotus eſt. Interim tamen Simplicius moritur. Hæc omiſit Sigonius, ac explorate omnia.

In vita Fœlicis non refert Auctor Pontificem ad Imperatorem miſiſſe, ut Acatius aliquos mitteret, judicium experturus, vel cauſam dicturus, ut refert Nicephorus lib. 16. cap. 16.

IN CENSURAM LXVII. RESPONSIO.

HIſtoriam Henotici non ſibi deſcribendam propoſuit Sigonius; vix enim ejus nomen attingit, ut Johannis Tabenneſiodis ab Alexandrino Patriarchatu dejectionem referret. Non ergo mirum, ſi quæ ad Henoticon ſpectant, in Sigonio deſiderentur. Sane ſi voluiſſet per ſingula fuſiori calamo percurrere, ut morem Cenſori gereret, nunquam ſcribendo terminum poſuiſſet. Quæ vero Cenſor adjicit, ut Henotici hiſtoriam tradat, non omnia exiſtimo à Lectoribus probatum iri: ſed hoc noſtræ indaginis non eſt.

CENSURA LXVIII.

Pag. 578. C. Dicit Anaſtaſium, quia ab Euphemio Patriarcha coronatus fuit, etiamſi Eutichianus erat, curaſſe nihil ſe commutaturum in Eccleſiis: hoc loco poterat inferere verba Evagrii poſita lib. 3. cap. 32. Anaſtaſius confeſſionem gravi juramento confirmatam ac propterea manuſcriptam eum dicat, quod etiam ſi hereticus eſſet, nihilominus ita juraverit, quia odio habebat diſſenſiones.

IN CENSURAM LXVIII. RESPONSIO.

QUid opus erat Evagrii verba referre, quum ipſum factum integre narretur? Confer quæ habet Sigonius pag. 578. C. cum iis quæ leguntur pag. 588. B. & nihil deeſſe ad hanc rem deprehendes.

CENSURA LXIX.

Pag. 579. Anno Chriſti 492. quo tempore Gelaſius primus creatus fuit, quò tempore Imperator erat Anaſtaſius Eutichianus refert extorſiſſe tabulas ſuæ confeſſionis Euphemio Epiſcopo Conſtantinopolitano.

Non

Non fuit hic omittendum, huno Imperatorem fuiſſe excommunicatum quia hæreticus, & quia Acacio favebat hæretico, quod his verbis refert Platina: ſunt qui ſcribant Gelaſium excommunicaſſe Anaſtaſium Imperatorem &c. Et quia idem refert eſſe, qui hoc tribuant Anaſtaſio ſecundo, quia in Regiſtro Cardinalis Aragoniæ eſt Anaſtaſius ad Anaſtaſium Imperatorem Euthychiana hæreſi maculatum, Legatos Conſtantinopolim dirigit monens illum, ut ab hæreſi diſcederet, qui Legatos neque audire, neque videre voluit, & inter alia reſpondit: *nos jubere, & non juberi volumus*; quem Papa excommunicavit, hoc etiam ſcribit Sigonius paulò infra. Sed hæc excommunicatio non erat prætermittenda, & aut Gelaſio, aut Anaſtaſio adſcribenda, & de hoc ſcribit Platina cur hæreticis excommunicaverit, & de hoc agit caute admodum aliquanto ſuperiùs.

IN CENSURAM LXIX. RESPONSIO.

ANeutro laudatorum à Cenſore Pontificum excommunicatus fuit Anaſtaſius, ſed à Symmacho, ut ex epiſtola ejuſdem Pontificis ſeptima colligitur.

CENSURA LXX.

Pag. 440. In Bibliotheca Vaticana eſt Apologia Symmachi ad Anaſtaſium Rizocorum, in qua Symmachus inquit; Catholici Principes ſemper Apoſtolicos Præſules inſtitutos ſuis litteris pervenerunt, & illam confeſſionem fidemque præcipuam tamquam boni filii quæſierunt, cui ſciunt ipſius Salvatoris verbis totius Eccleſiæ delegatam curam, & alibi: omnes Eccleſiaſtici Principes ſive cum Imperii gubernacula ſuſceperunt, ſive cum Apoſtolicæ Sedis novos agnoverunt Præſules inſtitutos, ad eos protinus ſua ſcripta miſerunt, ut ſe docerent ejus eſſe conſortes. Itaque qui hoc non fecerunt, protinus ab ea ſe fatentur alienos.

Idem enim excommunicatione adverſus eundem, non te excommunicavimus; ſed Acacium; ſi recedis ab Acacio, ab illius excommunicatione recedis: tamen noli te miſcere ejus excommunicationi, & à nobis non eris excommunicatus: ſi te miſces, non à nobis, ſed à te ipſo excommunicatus es.

Et conſiderandum eſt, quod etſi Acacius voluit ne illius nomen aboleretur à Cathalogo Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum, & ſcribit ad Anaſtaſium Imperatorem, quod non eradicaviſſet nomen Acacii, & Petri Magni Epiſcopi Alexandrini, & aliorum ſequacium; idem fecit Anaſtaſius ſecundus, committens Imperatori, ut deteſtaretur memoriam, & Doctrinam Acacii; & hæc ſcribit etiam Sigonius, videlicet de morte, & deteſtatione ejus memoriæ.

Dico ergo, verba Symmachi contenta in excommunicatione, contra Anaſtaſium Imperatorem fuiſſe, quia communicabat operibus, & memoriæ Acacii, & ſi recederet ab Acacio, ideſt ab ejus doctrina, & dogmatibus, & non faveret ejus memoriæ in Catalogo, quod eſt ſe immiſcere ejus excommunicationi, non eris excommunicatus; quo loco conſiderandum eſt, quomodo intelligatur hæc excommunicatio, quæ lata fuerat ab Anteceſſoribus Symmachi, & neceſſe eſt ut ille renovet illam, & declaret propter majorem condemnationem, quia poſt mortem damnantur hæretici. Hæc Apologia eſt in Bibliotheca.

Errorum hujus Acacii fit mentio Epiſtola ſecunda Hormiſdæ Papæ, & in tom. II. Conciliorum.

IN CENSURAM LXX. RESPONSIO.

QUæ hic Cenſor adducit, ſibi habeat, neque enim diſcutienda arbitror, quum ab Sigonio narrata non lædant.

CENSURA LXXI.

Pag. 456. & ſequent. Dicit Platina Johannem ſecundum excommunicaviſſe Antemium Epiſcopum, quem nonnulli dicunt fuiſſe Conſtantem eo quod hæreſim Arrianam amplexus eſſet. Sed hæc Sigonius tacet.

IN CENSURAM LXXI. RESPONSIO.

ANthimus non ab Johanne II. neque ob hæreſem Arianam, ſed ob Eutichianam excommunicatus fuit ab Agapeto, ut optime Sigonius tradit, ex Liberato in Breviario cap. 21. & ex Niceph. lib. 17. cap. 9.

CENSURA LXXII.

Pag. 702. & ſeqq. Conſiderantur verba de tribus capitulis Calcedonenſ. Concilii, in ſecundo Conſtantinopolitano damnatis.

IN CENSURAM LXXII. RESPONSIO.

EXpendit ſane Sigonius tria Capitula Concilii Chalcedonenſis pluribus in locis; ſed id ea præſtat modeſtia, ut nulli Cenſuræ pateat, & diſſerte pag. 743. B. affirmat, propter inſcitiam viſum eſſe Concilium CPolitanum II. Chalcedonenſi detrahere: *Multis enim*, inquit, *propter inſcitiam viſum eſt, ipſum plurimum de Chalcedonenſis authoritate diminuiſſe, tribus ejus, ut rebantur, Capitibus infirmatis.*

Atque hæc pro vindicando Sigonio dicta ſint ſatis, ex quibus deprehendere quiſque poterit, quantum in Cenſuris ſuis à vero & humanitate aberraverit Cenſor, quum Sigonium vel hæreticis faviſſe, vel Pontificiæ majeſtati detraxiſſe, vel S. Eccleſiæ honori minus conſuluiſſe ſuſpicatus eſt. Profecto non ivero inficias potuiſſe Sigonium errare, & aliquando ceſpitaſſe; verum id dolo atque malo animo feciſſe, nego ac pernego. Ingenuum ejus animum hæc probant, quæ ipſe ad calcem hujus operis de Occidentali Imperio appoſuit, poſtquam annos adnotaſſet, quibus tum hoc ipſum opus, cum illud de Regno Italiæ conſcripſit: *Quod idcirco ſcribo*, inquit, *ut ſi quid priſcæ memoriæ poſt hunc annum è tenebris educetur; qualia multa quotidie eruuntur, ejus me notitiæ compotem eſſe nequiviſſe intelligatur: ſi quid autem exierit, profecto ejus adjiciendi mihi, ſi cum valetudine vita ſuppeditaverit, cura non omittetur; ut hoc opus, quod abſolutiſſimum eſſe cupio, aliquando tandem in communem hominum utilitatem perficiatur.*

IN

IN HISTORIAM CAROLI SIGONII DE REGNO ITALIÆ CENSURÆ, ET RESPONSIONES.

CENSURA I.

PAg. 5. A: *Ab Imperatore ex recenti ad tollenda, quæ inciderant Comitiorum diſſidia inſtituto confirmabantur*) horum bona magna pars falſa eſt. Nam hujus rei cauſas diligenter indagans reperi non propter diſſidia, quæ tunc nulla exorta fuerant, ſed propter Imperatorum dominatum, non dicam Tyrannidem, hanc conſuetudinem irrepſiſſe. Nam ſub temporibus Agapeti Silverii, ac Vigilii Papæ Juſtinianus Imperator, & ejus imperii ſucceſſores propter Urbem à Gottis ereptam hoc jugum impoſuerunt Romanis Pontificibus, ut eorum Creatio firma, & ſtabilis cenſeri non deberet, donec Imperatoris conſenſus acceſſiſſet, ad quem obtinendum oportebat certam pecuniam à novo Pontifice exſolvi. De hoc onere impoſito S Gregorius Pſalm 4. Pœnitentiali conqueritur agens de Simoniaca pravitate his verbis: hujus erroris veſania concitavit adverſus Eccleſiam Dei regiam ſi fas eſt dicere poteſtatem, qui turpiſſimi lucri cupiditate illectus Eccleſiam Chriſti facere conatur Ancillam, ut caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in Dominam Gentium Terrenæ Jus Poteſtatis uſurpet Paulus Diaconus in vita Mauritii, & Aimonius lib 2. de Geſtis Francorum cap. 16. & lib. 3. cap. 74. de Sancto Gregorio idem affirmavit. Quare cum ante Juſtiniani tempora numquam de hujuſmodi confirmatione ſpectanda mentio fiat, ab eo originem ſumpſiſſe certo conjicimus, quod plane explicare debuiſſet Sigonius, & Tyrannicum morem quibus poterat verbis deprimere, ne quiſquam exiſtimaret hunc morem Eccleſiæ authoritate effluxiſſe. Cum tamen, ut notat Panvinius, tempore Vigilii anno 537. introductus fuerit, & Tributum Agathonis tempore revocatum, quanquam aſſenſus exſpectandus eſſet, qui fuit quoque ſublatus anno 648. tempore Benedicti ſecundi, idem facit Sigonius paulo infra, ubi ſacram juſſionem Imperatoris nominat, qua Gregorius in Pontificem conſecratus eſt, cum prius oporteret accurate de ea conſuetudine dicere, ne Principes pravo exemplo inducti, ut plerumque fit, plura quam par eſt de Eccleſiæ adminiſtratione vendicarent.

Eadem pagina 5. non recte religioni negotiorum cauſis frequentiam Urbis adſcribit, cum veteres Patres religioni potius, quam aliis rebus attribuant, ut Leo Pontifex in Sermone de Petro, & Paulo, & Prudentius lib. ſecundo contra Symmachum.

IN CENSURAM I. RESPONSIO.

CErtum eſt ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis, in electione Damaſi primùm ſe Imperatores miſcuiſſe, Schiſmatis ab Urſicino concitati ſedandi cauſſa; quod poſtmodum in aliis componendis, quæ Schiſmata invexerant, diſſidiis ſervatum eſt. Urſicinum enim Damaſo Papatum contendentem repreſſit Valentinianus per Maximinum tunc Urbis Præfectum. Bonifacii vero & Eulalii contentiones ſic narrat Platina in Bonifacio: *Orta quidem tum in clero ſeditio eſt. Nam dum Bonifacius in Baſilica Julii Urbis Romæ Epiſcopus creatur: Eulalius in Conſtantiniana electus huic ſtatim objicitur. Quod ubi Honorius . . . . . . intellexiſſet . . . . . ambo ab Urbe pelluntur. Revocatur tamen ſeptimo menſe poſt Bonifa-*

A *cius: & ſolus Urbis Præſul conſtituitur*. Sic etiam Theodoricus Rex Symmachi, & Laurentii diſcordias compeſcuit, ut inter ceteros narrat Anaſtaſius in Symmachi vita: *Juſtinianus vero Imperator, quum jam ab annis quatuor Roma potiretur, confirmandi Romani Pontificis auctoritatem ſibi ſuiſque poſteris arrogavit, exemplo à Gothorum Regibus, è quorum manibus Romam eripuerat, petito, qui exordio ducto à Symmachi, & Laurentii Schiſmate confirmationes electionum ad ſe traxerant*.

Porro ex his pronum eſt colligere ſuborta Schiſmata in cauſſa fuiſſe, ut primum Regia auctoritas Pontificum electionis confirma-
B tionem ad ſe traheret. Atque ad hoc Sigonius reſpexit, quum verba, quæ locum Cenſuræ dederunt, protulit: *Is à clero populoque Romano*, (loquitur de Papæ electione, pag. 5. A.) *antiquo ritu ex ipſius Eccleſiæ Romanæ ſinu delectus, ab Imperatore ex recenti* AD TOLLENDA, QUÆ INCIDERANT, COMITIORUM DISSIDIA *inſtituto confirmabatur*. Etſi enim affirmet Cenſor nulla tunc exorta fuiſſe diſſidia in Romanorum Pontificum electionibus; hoc tamen falſitatis aperte revincitur ex iis quæ ſupra recenſuimus, quæ Juſtiniani ætatem anteverterunt; & alia etiam poſtmodum exorta ſunt, ut Anaſtaſium percurrenti in Bonifacio II., in Conone, in Ser-
C gio, aliiſque patebit. Quamquam illud quoque verum eſt, Imperatores à Juſtiniano, & deinceps, tunc etiam quum nulla adeſſent Schiſmata, noluiſſe electiones ratas habere, niſi accedente regio conſenſu, immo etiam aliquando niſi perſoluta pecunia. Atque hoc illud eſt, quod jure merito queritur, ac damnat Gregor. Mag. Comment. in Pſal. 4. Pœnitent.

Quod ſi non reprehendit Sigonius Imperatores, qui electionum libertati frenum injecerant, ſciat id quoque omiſſum ab Anaſtaſio, à Platina, (quem etiam vide in Gregorio IV.) atque aliis, qui de hujuſmodi rebus hiſtorico ſtylo ſcripſerunt; qui enim hiſtorias
D ſcribunt, ab hujuſmodi increpationibus ferme ſemper abſtinere conſueverunt. Idem tamen Sigonius in lib. XV. de Occidentali Imperio (pag. 560 & ſeq.) non omiſit referre abrogatam fuiſſe Baſilii Urbis Vicarii conſtitutionem, qua jubebat, ut ſine conſultatione ſua cujuslibet electio non celebraretur, quamquam eam ſanxiſſet, ſuadente Simplicio Pontifice; abrogatam, inquam, à Symmacho Pontifice fuiſſe, QUIA LIBERTATI ECCLESIÆ OFFICERE VIDERETUR.

Etſi verò Religionis ſtudio ingens hominum numerus à diſſitis Provinciis Romam conflueret; hoc tamen minus impedit, plures etiam negotiorum ſive Eccleſiaſtico-

rum,

rum, ſive Civilium cauſa eamdem Urbem petiiſſe. Hoc unum vult Sigonius, qui in hac re diſerte primas Religioni tribuit. En ejus verba (pag. 6. B.) *Ceterum Eccleſia Romana à Petro Apoſtolo Urbis Epiſcopo inſtituta . . . . . . ut principatum omnium Eccleſiarum obtinebat &c. Poſt autem Urbe ſæpius à Barbaris capta, direpta, atque incenſa, ut opes infirmiores, ſic ſpiritus humiliores nacti erant* (Romani). In tantis tamen detrimentis UNA IPSIUS PONTIFICIS LATE ECCLESIIS OMNIBUS IMPERANTIS SEDE VETEREM SPLENDOREM NOMINIS TUEBANTUR. NAM QUUM URBS SIVE RELIGIONIS, *ſive negotiorum cauſſa paſſim non ſolum à vicinis gentibus, ſed etiam longinquis à nationibus adiretur, fiebat, ut haudquaquam antiquo excidiſſe Imperio viderentur.*

CENSURA II.

Pag. 22. A. *Funeſtiſſimo Pontificatu acto*, tempus quo vixit hic Pontifex calamitoſiſſimum fuit ob graves clades, quæ Reipublicæ illatæ ſunt, & alia damna quæ impendebant, Pontificatus vero qui Eccleſiæ adminiſtrationem continet nihil funeſtius complexus eſt, nihil calamitoſius habuit.

IN CENSURAM II. RESPONSIO.

PUerilis omnino Cenſura. Pontificatum funeſtiſſimum dixit Sigonius, propter graviſſimas clades atque calamitates, quibus Italia ferme obruta eſt, dum Pontificatum gerebat Joannes III.

CENSURA III.

Pag. 34. B. Ita habet: *eo tempore Patriarcha Aquilejenſis Helias veterem hæreſim renovavit de tribus capitibus Concilii Calcedonenſis*. Nam id Concilium Theodorum Epiſcopum Mopſueſtenum laudaverat, & Theodoricum Cyrenſem atque Ibam Edeſſenum Epiſcopos ab Epheſino Concilio prædatorio condemnatorium Anathema Neſtorio, & Eutycheti dixiſſent, Eccleſiis reſtituerat. Poſt autem Concilium Conſtantinopolitanum ſcripta eorum tanquam à veritate Catholica diſſidentia condemnarunt. Epiſcopi autem Venetiæ, Liguriæ, Iſtriæ prioribus annis Concilium Conſtantinopolitanum eo nomine reſpuerunt, quòd Calcedonenſe damnaſſet. Qua illorum opinione à Pelagio primo Pontifice refutata, Helias ad alteram partem ſe contulit ac tria capita Calcedonenſis Concilii reprobavit. Qua re cognita Pelagius Pontifex prioris Pelagii exempla ſequutus errorem ejus coarguit, atque ut in Fide Catholicorum perſeverare vellet, admonuit eleganti epiſtola per Gregorium Diaconum virum, ut diximus, eruditiſſimum ſcripta, quem errorem Helias non ſolum non abjecit, ut oportuit, ſed eodem etiam tres ſuos ex Iſtria ſuffraganeos imbuit; quin etiam Joannem Ravennatem Archiepiſcopum in ſuam ſententiam traxit. Sigonius quamquam antea admonitus eum in ſecunda editione recantare ſententiam debuiſſet, inſtat factum, nullis non in locis, & præcipue, ubi tria capitula fuiſſe Concilii Calcedonenſis exiſtimat; ſolum tamen una in re abſurditatem temperavit, dum pag. 38. A addit tria quæ jactabantur Concilii Calcedonenſis capita, cum tamen nullibi exacte factum narret, nec impoſturas hæreticorum, quibus maximam invidiam in Concilium Calcedonenſe conflare volebant, recenſeat. Imo vero ex ſerie verborum non obſcure velle videtur in Concilio Calcedonenſi ſcripta Hæreticorum approbata fuiſſe, cum dicat id fuiſſe occaſioni cur Epiſcopi Venetiarum Conſtantinopolitanam Synodum reſpuerint, cauſati in ea re maxime Calcedonenſi detrahi Synodo, quæ plane falſa ſunt. Imo iis temporibus amplam feneſtram aperuit, ut quamprimum quis hæc ita nude, & obſcure enarrata viderit, ſtatim exiſtimet Altare contra Altare in Eccleſia conſtitutum fuiſſe, & in Conciliis non firme rei veritatem lucide aperiri, cum ea quæ in una Synodo ſtatuta ſint, ab alia infirmentur. Præterea in ea etiam re peccat maxime, quod Heliam hujus diſſidii auctorem faciat, cum antea eum Paulinus Aquilejenſis ab Eccleſiæ obedientia defecerit. Neque etiam verum eſt Joannem Ravennatem ad Helia in ſuam ſententiam tractum fuiſſe. Cum Sancto Gregorio lib. 1. Regeſt. Epiſtola 35. & lib. 2. Epiſtola 32. ad Joannem tanquam Eccleſiæ ſubditum conſcripſerit, quare primum explicare debebat, quænam eſſent tria iſta capitula, & quot circa ea exorta fuerint diſſidia, ut poſt deinde facilius errores Heliæ, & aliorum enumerare poſſet, ut latius Petrus Ciaconius in omni ſcientiarum genere nunquam ſatis laudatus pertæſus artibus, & technis, quas in Sigonii Hiſtoriis repererat, diffuſe ſuper hoc ſcriptum reliquit, ſcripturus & ſuper id genus aliis, ſi ſupervixiſſet.

IN CENSURAM III. RESPONSIO.

QUæ Sigonius ſcribit de Concilio Chalcedonenſi & Conſtantinopolitano relate ad tria Capitula, ea ſane vera ſunt. Nam quod ſpectat Concilium Chalcedonenſe, ipſum à Theodori Mopſueſtoni laudibus non abhorruiſſe, ex eo patet, quod Joannis Antiocheni Epiſtolam ad Proclum, egregias Theodori laudes referentem, in alloquutione ad Marcianum Imperatorem approbaverit, & laudatores Theodori ſuſceperit ut Patres. Theodoretum vero Cyrenſem atque Ibam Edeſſenum, cum anathema Neſtorio & Euticheti dixiſſent, Eccleſiis ſuis fuiſſe reſtitutos, ex ejuſdem Concilii actionibus 8. 9. & decima colligitur. At vero Concilium Conſtantinopolitanum eorum ſcripta tamquam à veritate Catholica diſſidentia condemnaſſe, aperte teſtantur ejuſdem Concilii collationes 4. 5. & ſeqq., & poſtremi tres Anathematiſmi.

Si quid erravit Sigonius, eſt in Aquilejenſis Heliæ negotio; venia tamen dignus, quum Paulus Diaconus errandi anſam præbuerit lib. 3. de Geſtis Langobardorum Cap. 20. *Hic Pelagius Heliæ Aquilejenſi Epiſcopo nolenti tria Capitula Chalcedonenſis Synodi ſuſcipere, epiſtolam ſatis utilem miſit, quam Beatus Gregorius, quum eſſet adhuc Diaconus conſcripſit*. Et Cap. 26. loquens de Severo Ravennate Heliæ ſucceſſore, inquit: *quibus* (Severo & aliis tribus Iſtriæ Epiſcopis) *comminans* (Smaragdus Patricius) *exilia atque violentiam inferens, communicare compulit Johanni Ravennati* TRIUM CAPITULORUM DAMNATORI, *qui tempore Papæ Vigilii vel Pelagii à Romanæ Eccleſiæ deſciverat ſocietate*. Quæ ſane Pauli verba moverunt Sigonium ut ſcriberet, etiam Joannem Ravennatem Archiepiſcopum in ſuam ſententiam ab Helia perductum. Quod reponit Cenſor ex ſerie verborum Sigonium non obſcure velle in Concilio Chalcedonenſi fuiſſe Mopſueſteni, & reliquorum ſcripta approbata, refellitur ipſis Sigonii verbis, quæ Cenſor adducit. Ceterum eos qui tria Capitula tuebantur, & Schiſma fovebant, in eam pertinaciam deveniſſe, quod opinarentur reprobatis eiſdem Capitulis, etiam Chalcedonenſis Concilii auctoritatem violari & frangi, veriſſimum eſt, idque erat eorum obſtinationis fundamentum. Quibus tamen non favit Sigonius, quum eorum *pertinaciam veſanam* dixerit (pag. 55. B.) Neque Altare contra Altare erexit, quoniam de hac ipſa re loquens in Occidentali Imperio ait PROPTER INSCITIAM viſum eſſe Concilium Conſtantinopolitanum II. Chalcedonenſi detrahere; cujus verba occurrunt in reſponſione ad poſtremam Cenſuram in libros de Occidentali

Imperio. Reliqua Cenſoris non moror; candido ingenuoque Sigonii animo garruli Cenſoris dicteria notam non inurunt.

CENSURA IV.

Pag. 47. E. *Novies poſt introitum Dei Chriſtique miſericordia depoſcatur*: de Eccleſiaſticis ritibus ſcriptor Catholicus hoc tempore nihil apertum promiſit, cum in veteribus lyturgiis, quales ſunt Jacobi Baſilii, & Chryſoſtomi ſæpe Dei miſericordia à Populo poſtuletur. Quamobrem in Eccleſia Romana vigebat conſuetudo, ut ſæpe repeterentur hæ voces Chriſte, & Kirieleyſon, & earum numerus à Pontificibus, qui tunc celebrabant, præfiniebatur cum eſſet incertus; Ita ordo Romanus pag. 19. ait: Schola vero finita Antiphona imponit *Chyrie eleyſon*, ſed prior Scholæ ad Pontificem reſpiciebat, & ejus nutu mutabat numerum, qua finita incipiebat Pontifex *Gloria in Excelſis Deo* &c. Quare Gregorius non inſtituit, ut poſt introitum miſericordia depoſceretur, ſed numerum terminavit.

IN CENSURAM IV. RESPONSIO.

QUæ heic Sigonius Gregorio Magno attribuit, optime componi poſſunt cum antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine Domini miſericordiam implorandi. Nam utcumque ex veteri more etiam ante Gregorium Domini miſericordia invocaretur, tamen hoc non impedit, quin Gregorius ad peſtem averruncandam juſſerit, ut *convocati Clericorum Chori* PER TRIDUUM PSALLERENT, AC DOMINI MISERICORDIAM INVOCARENT. Sic publicæ ſupplicationes paſſim ab Epiſcopis, quum neceſſitas poſtulat, indicuntur; quamvis à vetuſtiſſimis temporibus earumdem uſus obtineat. Alterum eſt tradidiſſe Gregorium, *ut poſt Miſſarum introitum novies Domini Chriſtique miſericordia expoſcatur*. Quod ſane aliquod novi à Gregorio inſtituti recte importare poteſt. Eſto enim in Matutinis, in Miſſa, in Veſperis, aliiſque Precibus Kyrie eleyſon diceretur, tamen, quod ſciamus, à nemine ante Gregorium definitum fuerat, ut novies tantum poſt introitum, Domini Chriſtique miſericordia expoſceretur; quod adeo verum eſt, ut hoc Cenſor ipſe concedat, numerum ſcilicet à Gregorio fuiſſe determinatum. Neque Sigonius hoc poſtremum Marte ſuo protulit. Legerat id in Platina dicente in vita Gregorii: EJUS QUOQUE INVENTUM EST, UT NOVIES KYRIE ELEYSON CANERETUR; Platinæ vero præiverant Amalarius, Strabo, Micrologus, & alii fere omnes officiorum Eccleſiaſticorum explanatores.

CENSURA V.

Pag. 56. A. *Gregorius quia Cleri Comitia à Populo confirmata non erant*; nihil magis votis omnibus expetunt Hæretici, & Hermannus Bodius in Collectaneis, quam quod ſponte Populo conceſſit Sigonius, qui non ſolum auctoritatem in Epiſcoporum electione conceſſit, ſed etiam Cleri Concilium à Populo confirmandum exiſtimat, quod plane falſum eſt. Bene quidem olim populi aſſenſus ſpectabatur hac una in re, maxime ut ſi quis ejus qui poſtulabatur in Epiſcopum, mores vellet reprehendere, crimina in medium proferre poſſet: in aliis vero rebus nuſquam Populi confirmatio, neque approbatio ſpectabatur. Quod ex Ælio Lampridio in vita Alexandri Severi pag. 274. conſtat his verbis: & quia de publicanis diſpoſitionibus mentio contigit, ubi aliquos voluiſſet vel Rectores Provinciis dare, vel Præpoſitos facere, vel Procuratores, ideſt rationales ordinare, omnia eorum proponebat hortans Populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus; ſi non probaret, ſubiret pœnam capitis, dicebatque grave eſſe, cum

A id Chriſtiani facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt, non fieri in Provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & Capita. Quare Electio præſente Populo, non tamen Populi authoritate fiebat, nec Cleri comitia, ut ille loquitur, Populi confirmatione egebant, cum vel à Metropolitano Epiſcopis & Clero electio fieret ſpectante Populo, ut docet Beatus Gregorius Nyſſenus in vita Gregorii miraculorum effectoris, & ex Concilio Laodiceno cap. 12. conſtat. Quod ſi aliquis ita ut Sigonius loquutus eſt, loquitur, ejus tanquam Catholici partes erant, ſenſum potius aperire, quam dubias, & obſuras voces inſerere, quibus hæretici errorum ſuorum vires colligunt, & non anſam hinc dare laicis debuit.

IN CENSURAM V. RESPONSIO.

B EX veteris Eccleſiæ praxi pluribus Patrum & Canonum ſententiis approbata, Epiſcopi electio, ſub populi præſentia teſtimonio atque ſuffragio fieri debebat, *ne plebs invita*, ut inquit Leo Magnus in Epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Cap. V., *Epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit; & fiat minus religioſa quam convenit, cui non licuerit habere quem voluerit*. Porro in electione Conſtantii populi Mediolanenſis teſtimonium atque conſenſus non interfuerat, qui tunc temporis Genuæ degebat barbarici Longobardorum furoris vitandi gratia. Hac itaque de cauſa Cleri comitia à populo non fuiſſe *confirmata* dicuntur à Sigonio. Deficiente
C enim populi teſtimonio, atque conſenſu Cleri electioni aliquid deeſſe optime Gregorius Canonum obſervantiſſimus judicavit; quo poſtmodum accedente rata facta eſt, atque confirmata. Nihil heic video quod Hæreticis faveat, niſi vocibus abutantur; quemadmodum Canonibus & Patribus abutuntur, in quibus jus illud plebis fundatur.

CENSURA VI.

Pag. 58. C. *Conventum Epiſcoporum* ſæpe dixit pro Concilio, & vocibus profanis Ritum Sacrum explicuit, quaſi hæc profano more agerentur.

IN CENSURAM VI. RESPONSIO.

D SIgonius promiſcue Concilii & conventus vocibus utitur, ut videre eſt pag. 50. D. 108. A. & 109., idque ſine erroris nota potuit uſurpare. Audiat Iſidorum lib. Origin. VI. *Synodus ex Græco interpretatur comitatus, vel cœtus. Concilii autem nomen tractum eſt ex Romano more* ..... *Cœtus vero* CONVENTUS EST, *vel congregatio à coëundo, ideſt conveniendo in unum; unde & Conventus eſt nuncupatus: ſicut à* CONVENTU *cœtus, vel* CONCILIUM *à ſocietate multorum in unum*. Dum vero ſubjicit Sigonium profanis verbis Ritum ſacrum explicuiſſe; puto voluiſſe notare verba, quæ leguntur pag. 58. C., ſed bona Cen-
E ſoris venia, eæ non ſunt profanæ, ſed latinæ voces.

CENSURA VII.

Pag. 81. A. *Quin etiam Legatis ad Imperatorem miſſis obtinuit ut controverſiæ de Principatu Eccleſiæ modus imponeretur; Decretumque factum, ut Romana Eccleſia Prima omnium eſſet*; non explicat à quo factum fuerit hoc Decretum, ſed ſatis feciſſe arbitratur, ſi ita nude explicet, ut cuique trahendi in ſuam partem occaſionem præbeat. Cum tamen de Phocæ Decreto hæc dicenda eſſent, antea Conſtantinopolitanos Epiſcopos Regia authoritate ſubnixos nimium elatos Eccleſiæ Romanæ, & Petri Cathedræ detraxiſſe: idque fuiſſe in cauſa, quamobrem Bonifacius à Phoca poſtularit, ut huic controverſiæ

me-

modum imponeret, idſt ne eorum temeritatem longius progredi pateretur: ſed ſanctione edita eorum audaciam coërceret, quæ plane dicere debebat Sigonius, cum in hac ſalebra maxime hæretici hæreant. Nec vero ſpectabat ad ſcriptorem Catholicum undique decerpere, quæ potius faciant contra Eccleſiaſticam dignitatem, quam ut illa videatur velle imminuere.

IN CENSURAM VII. RESPONSIO.

Nihil omiſit Sigonius eorum quæ Cenſor poſtulat. En Sigonii verba (pag. 61. D.) *Ad has curas quæ Gregorii animum mirifice cruciabant, alia quoque non mediocris adjuncta. Joannes Patriarcha CPolitanus* SUPERBIA INFLATUS, AC NIMIO IMPERATORUM FAVORE SUBNIXUS .... *ſe œcumenicum* ... *appellare Epiſcopum inſtituerat, eum ſibi titulum vindicans, qui ex antiquis Conciliorum decretis ſoli Pontifici Romano conveniebat* .... *Gregorius inito Pontificatu eumdem admonuit, ne talem uſurpaſſe titulum vellet, quem Sedis Romanæ proprium eſſe non ignoraret* .... MAURICIUS JOANNIS CAUSÆ FAVENS *Gregorio per litteras imperavit, ut cum eo pacem* .... *agitaret* .... *Quibus acceptis Gregorius* JUSTA IRA INCENSUS GRAVES PRO APOSTOLICÆ SEDIS DEFENSIONE LITTERAS *ad Mauricium & Conſtantiam Auguſtos ſcripſit &c.* En ergo rem ab origine ſua repetitam; en diſerte dictum Epiſcopos CPolitanos regia auctoritate ſubnixos nimium elatos Eccleſiæ Romanæ & Petri Cathedræ detraxiſſe.

Deinde Sigonius (pag. 81. A.) hæc habet. *Deinde Legatis ad Phocam Imperatorem miſſis obtinuit* (Bonifacius) *ut controverſiæ de Principatu Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ*, QUAM MAURICIUS FOVERAT, *modus imponeretur*; DECRETUMQUE FACTUM *ut Romana Eccleſia prima omnium Eccleſiam eſſet; perinde atque in veteribus Conciliis ſanctum eſſet*. Liquet ex contextu id decretum à Phoca factum; cui ne nimium tribui videretur, de induſtria Sigonius adjecit; *perinde atque in veteribus Conciliis ſanctum eſſet*; quod tamen cum Paulus Diaconus lib. 4. cap. II. tum Anaſtaſius in Bonifacio III. hanc eamdem rem durius enarrantes omiſerunt. Laudandus itaque non reprehendendus Sigonius.

CENSURA VIII.

Pag. 97. B. Loquens de hæreſi Monothelitarum ait, *quæ poſtea ipſam Italiam Eccleſiamque Romanam graviſſime perturbavit*, clam errorem inſinuat, quem nullus niſi arrectis auribus deprehendere poteſt. Nam hæretici noſtri temporis hac una in re gloriantur, maxime imo & ſerio triumphant. Quod Honorius Pontifex Romanus hoc errore corruptus dicatur, id colligunt ex Epiſtola ejuſdem Honorii ad Sergium Patriarcham, quam eſt ſexta Synodus ſect. 12. deteſtata, ex qua re confeciſſe negotium arbitrantur, & fidem Petri infirmam, & inſtabilem prædicant, quod clanculum innuit Sigonius, cum Eccleſiam Romanam graviſſime perturbatam hoc errore dicat, quæ res intelligi de Clero Romano non poteſt, quem pag 80. miris laudibus hujus rei cauſa commendat; reſtat ergo ut id de Honorio affirmaverit, ut faciunt hæretici. Sed Epiſtola Honorii, vel conficta, ut ſolent impoſtores, varià immutare, vel antequam eſſet aliquid de ea Sententia definitum ab Honorio conſcripta fuit; quidquid illud ſit, hac una in re Honorii conſtantia apparet maxime, quod apud Heraclium Imperatorem egerit, ut Pyrrhum Monothelitam à Sede dejectum in Africam relegaret. Accedit huc, quod eo tempore nullus Catholicus Epiſcopus à communione Pontificis diſceſſerit, ut ait Beda Tom. 3. in Vita Sancti Bertolphi, quare hæc levi brachio proſequenda non erant.

IN CENSURAM VIII. RESPONSIO.

Gratis omnino ſibi fingit Cenſor Sigonium voluiſſe laudatis verbis Honorium hæreſis notare. Sigonius enim cum ſcripſit ab Monothelitarum hæreſi Italiam Eccleſiamque Romanam graviſſime perturbatam fuiſſe, intelligendus eſt de Romanis Pontificibus, qui diras perſequutiones ejus hæreſis cauſa à Græcis Imperatoribus paſſi ſunt. Nam primò pag. 108. C. & 109. A. refert, quid ærumnarum tulerit Martinus à Conſtante Imperatore. Deinde quum (pag. 112. A.) tradidiſſet Martinum eumdem dolo Theodori Calliopæ captivatum, ſubdit: *qua re vulgata*, INGENS SUBITO TERROR AC MAGNA TREPIDATIO INTER CATHOLICOS ORTA. *Miſſus inde ſub cuſtodia CPolim Pontifex, curas quoque ac ſermones hominum graviores excivit, pleriſque ſuperiora Pontificis Vigilii tempora*, CLADEMQUE ILLAM ECCLESIÆ *memorantibus, atque ad præteritorum malorum recordationem plane horrentibus*. En graviſſimam illam Italiæ & Eccleſiæ Romanæ perturbationem, de qua ſupra dixerat pag. 97. B. Nam ſi Honorium notare voluiſſet, potuiſſet illum inſerere Monothelitarum nominibus, quæ alibi recenſet, Cyri videlicet, Sergii, Pyrrhi, Pauli & Petri, ſeque tueri auctoritate Concilii CPolitani III. quod cum præfatis hæreticis pluries Honorium recenſet, & præſertim actione XIII. ubi inſuper decernitur Pyrrhi atque Honorii litteras comburi. Accedit his Sigonium ubivis caſtigate & religioſe de Honorio ſemper eſſe loquutum. Verum demus Cenſori Sigonium per citata verba ad Honorium reſpexiſſe. An id per errorem dici à Sigonio, quodve adhæſerit hæreticorum commentis, Cenſor exiſtimat? Honorium cum Monothelitis damnavit Synodus CPolitana III. act. 13. act. 16. act. 18. &c. Damnavit Leo II. in ſuis ad Conſtantinum Auguſtum litteris, & epiſtola 2. ad Epiſcopos per Hiſpaniam conſtitutos, & epiſtola 5. ad Hervigium Hiſpaniarum Regem; idem præſtiterunt Synodus ſeptima act. 3. & ſeptima & octava, ex cujus actione ſeptima colligitur Hadrianum II. palam conceſſiſſe, Honorio poſt mortem ab Orientalibus anathema dictum fuiſſe. Mitto Bedam in lib. de ſex mundi ætatibus, & Anaſtaſium Bibliothecarium in vita Leonis II. atque alios qui Honorium damnatum cum Monothelitis teſtantur. Quæ omnia huc congeſſi, non quod ego exiſtimem Honorium revera hæreticum fuiſſe, quum non propter hæreſim damnatus fuerit, ſed propter quamdam in eo Monothelitarum negotio negligentiam, qua Apoſtolicam Eccleſiam, ut loquitur Leo II. profana proditione maculari permiſit; verùm ut Cenſor ſciret, impune à Sigonio id aperte dici potuiſſe, quod vel nullo modo vel occultiſſime ſcripſit, ut ſuam in Sedem Apoſtolicam obſervantiam teſtaretur.

CENSURA IX.

Pag. 99. C. Eam concionem, quam habuit Mauritius Chartularius, omittere debebat, cum ſub alieno nomine odium, quod adverſus Clericos facile concipitur, facilius evomi poſſit. Præſertim cum conſulto dicat Clericorum avaritia, & eorum malignitate Theſauros ſupprimi, & prohiberi. Qua nota Clerum inviſum fecerat apud Populum, famaque vulgabatur in abditis Eccleſiarum angulis Theſauros occultare, quod etiam antea retulit Aurelius

A

relius Prudentius in Vita Laurentii. Verba vero, quæ Mauritio adſcribuntur, non ſolum militibus odium concitarunt, ſed hodie quoque maximam in nos invidiam conflant, cum ſimilem notam per ſummum decus hæretici imponant Eccleſiæ exiſtimantes nummos latere, & talenta ſub Sacrariis in cumulos congeſta à nobis aſservari, ſolamque famem pecuniis miſere Eccleſiam vexare, adeo ut ſolis bonis, & pecuniis Clerici inhient.

IN CENSURAM IX. RESPONSIO,

QUam illud Mauricii Chartularii facinus Sigonius deteſtatus fuerit, patet ex iis quæ præmittit pag. 99. C. *Ingens flagitium, ac neſcio an alias ante auditum, Romæ patratum eſt. Quippe Theſaurus Lateranenſis Eccle-*

B

ſiæ . . . . ad eam diem intactus, à Miniſtris eſt Imperatoris, à quibus cuſtodiri oportuit, expilatus. Mauricius Chartularius auctor tanti ſacrilegii fuit. Hic ſive male erga Eccleſiam animatus, ſive ab Heraclio non bene ſentiente impulſus, perditis hominibus adhibitis, Exercitum Romanum ad concionem vocavit, atque ita diſſeruit: veſtræ &c.

Quum vero Cenſor acrius in Sigonium inſtat, quod dixerit Clericorum avaritia & malignitate Theſauros ſupprimi & prohiberi; debuiſſet animadvertere, ea non Sigonii ſed Mauricii verba eſſe, ut magis ad Eccleſiæ Theſauros diripiendos inflammaret Milites ſuos, quaſi rem jure ſibi debitam vindicantes. At-

C

que hæc ſive hujuſmodi revera à Mauricio prolata fuiſſe, ex Anaſtaſio Bibliothecario in Severino colligitur: *Mauricius*, inquit, *dolo ductus adverſus Eccleſiam Dei, Concilio inito cum quibuſdam perverſis hominibus incitaverunt Exercitum Romanum dicentes; quia quid prodeſt, quod tantæ pecuniæ congregatæ ſint in Epiſcopio Lateranenſi ab Honorio Papa, & miles iſte nihil exinde ſubventus habet:* QUANDO ET ROGÆ VESTRÆ, QUAS DOMNUS IMPERATOR VOBIS PER VICES MANDAVIT, IBI SUNT A SUPRASCRIPTO VIRO RECONDITÆ. *His auditis exarſerunt omnes adverſus Eccleſiam Dei.*

D

Porro belle injicit Cenſor mentionem Prudentii in Martyrio D. Laurentii; qui tamen, non ſecus ac Sigonius, Tyranni verba refert Clericorum avaritiam & in occultandis Theſauris malignitatem exagitantis. Vel ergo culpandus etiam Prudentius, vel Sigonius abſolvendus: en Prudentii Carmina, quæ ſunt ſanè verbis Mauricii duriora:

Addicta avorum prædia
Fœdis ſub auctionibus
Succeſſor exhæres gemit
Sanctis egens parentibus.

E

Hæc occuluntur abditis
Eccleſiarum in angulis,
Et ſumma pietas creditur
Nudare dulces liberos.

Deprome Theſauros, malis
Suadendo quos præſtigiis
Exaggeratos obtines
Nigrante quos claudis ſpecu.

Hoc poſcit uſus publicus,
Hoc fiſcus, hoc ærarium,
Ut dedita ſtipendiis
Ducem juvet pecunia.

Perlegat etiam Cenſor, quæ habet Sulpicius Severus Hiſt. Sacræ lib. pr. ubi vere in Clericis reprehenſa inveniet, quibus tum falſo Chriſtianis illudebat Tyrannus.

Cenſor qui Platinam aliquando Sigonio proponit, tamquam exemplar, quod ſi imitatus fuiſſet, non adeo frequenter, ut ipſe blatterat, erraſſet; Platinam ipſum numquam legiſſe arbitror; ſecus non eum Sigonio imitandum propoſuiſſet. Platinæ hæc ſunt in Bonifacio V. *Expectant item ſæculares, ut Presbyteri tuendæ Religionis cauſa pecunias in ſumptus bellicos polliceantur, & ſubminiſtrent, nec in pejores uſus effundant, quemadmodum facere plerique conſuevere; pecunias eleemoſynis & ſanguine Martyrum comparatas in aurea & argentea vaſa, & prægrandia quidem fundentes, parum de futuro ſoliciti, Dei, quem tantum utilitatis gratia colunt, & hominum contemptores.* Væ Sigonio, ſi quid tale unquam ſcripſiſſet, quum modo adeo atrociter vapulet!

CENSURA X.

Pag. 101. D. Erant duæ Provinciæ Imperatoris ditioni ſubjectæ Alpes Cottiæ, & Opitergium: & pag. 102. A. *Sed etiam Pontificem opulento, quod ibi antiquitus poſſidebat patrimonio exuit.* Facit Pontificem nullum Dominium habuiſſe.

IN CENSURAM X. RESPONSIO.

QUomodo Sigonius in adductis verbis nullum dominium Pontificem habuiſſe dicat, plane non video. Sigonius in primis loquitur de citeriore Italia. *Erant quippe*, inquit, *citeriore in Italia duæ inter Longobardos Provinciæ, adhuc imperatoriæ ditioni ſubjectæ, Alpes Cottiæ, & Opitergium &c.* Quare Romanus Pontifex in ulteriore Italia, dominium habere poterat. Deinde cum dicat: *ea occaſione Pontificem à Longobardis opulento, quod ibi* (in alpibus Cottiis) *antiquitus poſſidebat, patrimonio* exutum, patrimonii nomine dominium non excludit, quum etiam modo D. Petri patrimonium, plures Urbes, in quas Pontifex dominatur, importet.

CENSURA XI.

Pag. 103. B. *Theodorus homo Græcus eſt ſubrogatus*) hæc dicendi forma in libro de Imperio Occidentali improbata eſt, ſed non fuit Græcus, ſed Hieroſolymitanus.

IN CENSURAM XI. RESPONSIO.

QUum Anaſtaſius in Theodoro eum dicat *natione Græcum*, Sigonius non erravit, quum Theodorum hominem Græcum ſcripſit.

CENSURA XII.

Pag. 114. A. *Clerus Romanus Pontifici Sacrificium ſe ad præſepe interdicturum minatus ſit*; hæc verba emollienda, ac temperanda ſunt. Neque enim Clerus interdicere potuit Sacrificium Pontifici, impedire quidem poterat, & per vim nefario conatu prohibere obſeratis januis, ne Eccleſiam introiret; Interdicere tamen non poterat Sacrificium. Cum hæ voces dico, edico, interdico, ad Juriſdictionem, & ad Edicta Judicum referantur, cum vero ipſe maxime commendet Clerum Romanum, nulla ratione affirmare debebat id, quod maxime eorum auctoritati detrahit. Eſſet enim nimium injurioſus Pontifici, ſi eum à ſacrificio prohibere voluiſſet, niſi fortaſſe per metum in ſuam ſententiam vellet Pontificem adigere, quod eſſet abſurdius. Pontificale in Eugenii vita dicit, tumultum in Populo excitatum fuiſſe, ut nec etiam Eugenium Papam dimitteret Miſſam celebrare, quod plerumque contigit.

IN

IN CENSURAM XII. RESPONSIO.

SI verbum interdico à Judice ſolemniter pronuncietur, exprimit certe interdicentis juriſdictionem. Verum illam quoque actionem exprimere poteſt, qua vi, atque minis intentatis alterum à re quapiam facienda quis prohibet, & tunc ab interdicentis juriſdictione vox illa præſcindit; quemadmodum & verba illa *dico*, *edico*, quæ non ſemper importare juriſdictionem ſatis eſt notum. Ceterum quum Clerus Romanus prudenter timeret ne, ſi Eugenius Petri Synodicam approbaſſet, cum Hæreticis communicare videretur, non nefario, ſed religioſo prorſus conatu Pontifici ſeſe oppoſuiſſet: licet enim minoribus in hujuſmodi circumſtantiis ſuperiorum ſuorum motibus reſiſtere, ut eruitur ex Hadriano II. apud Act. 7. Octavæ Synodi.

CENSURA XIII.

Pag. 131 D. Concilium *Conventum* appellat, ſed proprie inter Epiſcopos religionis cauſa non habebatur. Conventus ut ex Svetonio Tranquillo colligitur cum apud Conventus populi jura ſua proſequebantur nihil vero de religione diſcernebant. Apud Pontifices veteres Concilia habebantur, ſed hæc celata erant pro illorum Collegio, ut ait Gellius lib. in cap. 26. Quare vox hæc comitium propriæ Synodum non explicat, cum in comitiis gregatim totus populus, in Concilio Magiſtratus, & pars ſolum populi congregarentur, ut ex eodem Gellio conſtat: conſultius ergo faceret, ſi proprias admitteret voces, non alienas aucuparet.

IN CENSURAM XIII. RESPONSIO.

COnventus vocem rite pro Concilio uſurpari poſſe, probatum eſt Reſponſione ad Cenſuram VI.

Id unum heic addo, Sigonium, quum de Conciliis generalibus ſermonem habet, uti voce Concilii, quum vero de particularibus, conventum uſurpare, diſtinctionis gratia, ut potiſſimum videre eſt pag. 128. & ſeqq. Ad Comitiorum vocem quod ſpectat, Cenſori oppono, quotquot aliquantum eleganter ſcribunt, qui eam vocem in Sigonii ſenſu frequentiſſime adhibent. Adverto præterea Comitiorum nomine non intelligi à Sigonio Synodum, ſed ſuffragia, quibus aliquis in Pontificem deſignabatur. En Sigonii verba pag. 134. A. *Quippe Divali ad Clerum, Populum, exercitumque Romanum miſſâ indulſit*. (Pogonatus) *ut quem ipſi* PONTIFICEM JUSTIS COMITIIS, CONCORDIBUSQUE ANIMIS DESIGNASSENT, *eum extemplo conſecrare ſine Imperatoris auctoritate jus eſſet*.

CENSURA XIV.

Pag. ead. D. In Synodo ſexta nihil de authoritate Legatorum Pontificis dixit; imo cum enumerarat Epiſcopos, qui ibi congregati ſunt, alios Patriarchas, & Epiſcopos in ordine & numero Legatis Apoſtolicis prætulit, quod tamen ſecus eſt, ne dicat Zonaras in Vita Conſtantini, hujus Concilii Principes fuiſſe Legatos Agathonis, tum adfuiſſe Alexandriæ, & Hieroſolymorum Patriarchas affirmavit, quia eo tempore eorum Urbes erant à Saracenis occupatæ.

IN CENSURAM XIV. RESPONSIO.

SIgonius (pag. 128. D.) hæc habet: *Quippe Indictione VI. pridie Idus Auguſti, ſacram Epiſtolam ad Donum Pontificem miſit* (Pogonatus) *qua decreto animi ſui nudato* [illegible], *ut Legatos ad ſe mitteret*, QUI GENERALI, *quod Conſtantinopolim indixiſſet*, CONCILIO PRÆSIDERENT, & pag. 131. A. Agatho (nam Donus deceſſerat) *Legatos tres Conſtantinopolim*, QUI VICES SUAS IMPLERENT, *miſit* „ Theodorum, Sergiumque Presbyteros, & Joannem Diaconum . . . . Hi Octobri menſe Conſtantinopolim perrexerunt, „ atque honorifice ab Imperatore in Palatio „ excepti. . . . . . Die inde Dominico ſacra „ pompa, Spiritus Sancti invocandi gratia, „ per Urbem ducta, ad eamque Legati ſtratis miſſis, mira benignitate Principis invitati. Tandem VII. Idus Novemb. in Penetrale Palatii, qui Trullus dicebatur, „ CONCILIUM *convocatum. Ibi Conſtantino* „ *Imperatore, Georgio Patriarcha Conſtantinopolitano, &c.* RESIDENTIBUS, *Legati* „ *Pontificis, Conventuſque Romani, atque omnes Orientalium Eccleſiarum Metropolitæ*, „ *Epiſcopique recepti, &* SUO QUISQUE „ LOCO ASSIDERE JUSSI.

Si ergo, referente Sigonio, Pogonatus petiit Romano Pontifici, ut ad ſe Legatos ſuos tranſmitteret, qui *Concilio præſiderent*; ſi Pontifex revera Legatos ſuos miſit, ut *in Concilio vices ſuas implerent*; ſi tandem omnes Concilio convocato, *ſuo quiſque loco aſſidere juſſi ſunt*, ſponte ſua conſequitur Legatos Papæ primas ſedes obtinuiſſe, & Concilio præſediſſe? Cenſori fucum fecit vox illa RESIDENTIBUS; putavit enim eam ſignificare, ac *Præſidentibus*. Sed perperam; quum id tantum importet, Imperatorem, & recenſitos Orientis Patriarchas jam prius Concilii locum ingreſſos ibi *reſediſſe*, ut adventantes Legatos & Patres *reciperent*; quibus ingreſſis, ſuo quiſque loco aſſidere juſſi ſunt.

CENSURA XV.

Pag. 132. C. *Nulli Canones ſcripti in ſexta Synodo*; conſulatur Turrianus Libello edito de hac re, quod reperire non potui: utrumne tempore Joannis Papæ congregata iterum Synodo Canones editi fuerint ut arbitratur Sigonius paulo infra nec ne, mihi non liquet: Vereor tamen ne aliter ſit.

IN CENSURAM XV. RESPONSIO.

NUlli revera Canones in ſexta Synodo editi ſunt, ut ſingulas illius Concilii actiones percurrenti patebit, atque in admonitione Canonibus Trullanis præfixa hæc leguntur: *Sanctam, & Oecumenicam ſextam Synodum nullos condidiſſe Canones tum Græci, tum Latini, fatentur omnes*. Hoc ipſum aperte dicitur in alloquutione Epiſcoporum Synodi quini-ſextæ ad Imperatorem Juſtinianum. *Quoniam autem*, inquiunt, *Sanctæ & univerſales duæ Synodi* (V. & VI.) *ſacros Canones nequaquam conſcripſerunt*, &c. Quo ad alteram Cenſuræ partem; non ipſe Sigonius Marte ſuo arbitratus eſt, eos Canones editos fuiſſe tempore Joannis Papæ VII., ſed ſequutus eſt Theophanis auctoritatem, ad cujus teſtimonium provocat. Theophanes enim Synodi hujus celebrationem ad annum Mundi 6199. anno Juſtiniani ſecundo ad Imperium poſtliminio reverſi conſignat; qui annus in tempora Joannis VII. incidit. Sigonius vero maluit Theophanem Scriptorem Græcum hac in re ſequi, quam Bedam, Anaſtaſium, ceteroſque, qui ſecus opinantur.

CENSURA XVI.

Pag. 133. A. *Authoritate ſua firmavit*; addidiſſem confirmationem quæ breviſſima eſt, & in ſec 8. ſextæ Synodi continetur his verbis. Quia ſancta univerſalis, & magna ſexta Synodus definitionem rectæ Fidei, ut dictum eſt, pleniſſime prædicavit, quam & Apoſtolica Sedes Beati Petri Apoſtoli cujus licet impares miniſterio fungimur, veneranter ſuſcepit; idcirco, & nos, & per noſtrum Officium hæc veneranda Sedes Apoſtolica concorditer, & unanimiter, his quæ definita ſunt ab ea, conſentit, & Beati Petri authoritate confirmat, ſicut ſupra ſolidatam Petram qui Chriſtus eſt ab ipſo Domino adeptus firmitatem.

IN CENSURAM XVI. RESPONSIO.

QUod Cenſori placuiſſet, Sigonio viſum non eſt expedire, tamquam inſtituto ſuo minus conveniens: ſi enim hujuſmodi rebus libros ſuos voluiſſet infarcire, ad enormem molem Opus perduxiſſet; contentuſque fuit imitari Anaſtaſium, aſſerentem in Leone II. ſuſceptam quidem fuiſſe ab eo Pontifice ſextam Synodum, verum confirmationis verba non adjecit; quæ neque legitur in actione 18. Concilii, quum facta ſit à Leone poſt ejus celebrationem, neque paucis adeo verbis comprehenditur, quum Epiſtolam ſatis longam impleat, quæ ad calcem ejuſdem Concilii actorum occurrit.

CENSURA XVII.

Pag. 153. A. Male de Dominio temporali Eccleſiæ ſentit: Ait enim nova Imperia instituta lapſis ditione Romana Imperatoribus, & Longobardis Regno pulſis, illamque ditionem Romanam Pontifices, Longobardorum vero Regnum Francos excepiſſe. Hujus rei duas cauſas recenſet, & ab eodem fonte utrumque dominatum effluxiſſe exiſtimat, nempe à pravo hæreſis ſtudio, & dira late dominandi cupiditate. Quare notat Pontifices dira cupiditate vexatos Romanam ditionem accepiſſe, quod hæretici Pontificibus conviciantur, cum eos vel Tyrannos, vel non pro æquo, & bono Italiæ jura uſurpaſſe objiciant.

IN CENSURAM XVII. RESPONSIO.

D NOn Romanus Pontifex, quod abſit, ſed Longobardi nimia dominandi libidine notantur. Oculis tantum opus eſt, ut rem ita eſſe, quivis aperte cognoſcat. Primo enim Sigonius pag. 153. A. hæc habet: *Nam qua ratione Græcis Imperatoribus Romana, Ravennatique ditione lapſis, & Longobardis Regibus Italico Regno depulſis, illam Romani Pontifices, hoc Francorum Reges inierint, exponemus; quas mutationes ſatis conſtat ab iiſdem fontibus ambas fluxiſſe, nempe pravo hæreſeos ſtudio & dira late dominandi cupiditate, quæ omnibus Populis, Regniſque certum ſemper exitium intulere*. Hæreſis itaque ſtudium, & dira late dominandi cupiditas, Græcis, & Longobardis exitio fuit; quod ſcilicet Græci Imperatores hæreſi, Longobardi dilatandæ nimium dominationi ſtuduerint. *Nihil magnificentius*, à Romanis factum ſcribit Sigonius (pag. 172. A.) QUAM QUOD *Longobardos Reges, Græcoſque Imperatores* SIVE DOMINANDI LIBIDINE, SIVE HÆRESEOS PRAVITATE URBI, *Pontificibuſque impotentius imminentes ſemper pro viribus arcuerunt*....... ITA ROMA, ROMANUSQUE DUCATUS A GRÆCIS AD ROMANUM PONTIFICEM PROPTER NEFANDAM EORUM HÆRESIM, IMPIETATEMQUE PERVENIT.

A Sæpius deinde Sigonius dominandi libidinem in Longobardis Regibus notat. Sic pag. 187. A. fuit Luitprandus vir, SI NIMIAM LIBIDINEM DOMINANDI REMOVEAS, *omni laude ...... ornatus*: pag. 196. B. *Interim Aiſtulphum* ..... EADEM QUÆ LUITPRANDUM ET RACHIM PROLATANDI REGNI CUPIDO INCESSIT. Tandem pag. 228. de Longobardorum excidio diſſerens, deque Deſiderio poſtremo eorum Rege à Carolo Magno devicto inquit: *Hæc autem omnia decora nimia una dominandi, ac dilatandi Regni libido corrupit, ita ut etiam faſtigio regio, & inveterata jam Italiæ dominatione exuerit ...... Regnum inde à Deſi-*
B *derio ad Carolum, & à Longobardis ad Francos devenit*. Proferat modo Cenſor, vel unum Sigonii verbum, in quo contra Romani Pontificis dominium obloquatur, ipſumque traducat tamquam dira cupiditate vexatum.

CENSURA XVIII.

Pag. 154. C. *Diro compoſito Carmine*: Hæc dicendi formula ab Eccleſia exterminanda eſt, ne magicis incantationibus, quæ diro compoſito Carmine fiebant, excommunicatio ſimilis eſſe videatur; certis enim conceptis verborum formulis, olim hominibus pernicies, & agris calamitas in Craſſi Vita, & Apulejus in Apologia prima Arcanas quaſdam execrationes fuiſſe commemorant, quarum ea vis eſſet, ut cui ſemel obnuntiarentur
C nunquam exitum perniciemque vitaret, quæ Lege XII. Tabularum fuerunt interdictæ, ut refert Seneca lib. 4. naturalium quæſtionum, & S. Auguſtinus lib. 8. de Civit. Dei. His enim Carminibus arbitrabatur plebs credula homines extingui, fruges excantari & meſſes alio traduci, ut ait Virgilius Ecloga 8. Ulpianus leg. pr. ff. de Extraord. Commiſ. male in Chriſtianos animatus cenſuit à nobis tanquam impoſtoribus Magicis artibus obfuiſſe multis, aut ſaltem nullis profuiſſe his verbis: Cum quis, inquit, incantavit cum imprecatus eſt, tum ut vulgari impoſtorum utar verbo exorcizavit, & quod inde excurrit: quare debuiſſet Sigonius ab hujuſmodi rei ſuſpicione ſermonem temperare, cum apud gentes Chriſtiani, tamquam Magicarum artium cultores male audierint.

IN CENSURAM XVIII. RESPONSIO.

GRatulamur Cenſori eruditionem ſuam, rogamus tamen, ut ſinat hiſtoricum non Ritualem librum, ſed hiſtoriam nitidiori quo poterat latino ſermone ſcribentem, latinis vocibus ab aliis Scriptoribus Chriſtianis aliquando uſurpatis libere uti. Non propter verba, quibus excommunicationis nomen profertur, Magi audire poterunt Chriſtiani. Verbum *exorcizare* vocabulum eſſe Eccleſiæ non negabit Cenſor, & tamen Ulpianum, ipſo Cenſore citante, quamvis ea voce Chriſtianos uti ſciret, eoſdem magis accenſere non puduit. Cenſorem ego remitto ad Hieronymum in Epiſtola ad Magnum, ex qua facile poterit
E dignoſcere, an pro una vocula à profanis latinis Scriptoribus petita, poſſit quis jure condemnari.

CENSURA XIX.

Pag. 158. A. *Profanis litteris eruditus*; apud patres hæc diſciplinarum genera ſeculares litteræ, & non profanæ dicuntur, niſi illæ, quæ aut graviſſimos errores continent, vel religioni adverſantur, vel quæ ab ea nos avocant.

IN CENSURAM XIX. RESPONSIO.

PRofanæ, gentiles, humanæ, ac ſæculares litteræ apud Latinos Scriptores, eamdem

A dem habent ſignificationem. In errorem ducunt, ſi iis abutamur, ſecus ſi rectus earum uſus fiat.

CENSURA XX.

Pag. 164. A. *Magnarum ab hinc rerum & gravium ſeditionum initia ſunt inducta, quibus inſignis in Italia Eccleſiæ dominatus conſtitutus eſt.*) Tandem apparuit quorſum tota hæc hiſtoria evaderet cum ab initio ſtatim temporali dominio leviter detraxerit: Nunc vero imprudenter ex ſeditione dominatum in Eccleſiam induxerit. Quod quam ſit abſurdum ipſemet auctor fateri neceſſe eſt, vel ab ipſa Eccleſia ditionem Romanam occupatam, vel præter jus faſque ſeditionis occaſione aliorum bona, & oppida pervaſa. Quod plane impium eſt ita ſentire, ut hæretici Eccleſiæ Romanæ oſores
B ſentiunt, qui hanc notam Eccleſiæ Romanæ inurant, cum potius Eccleſiam ſuperioribus ſeculis Fidei inſtitutione impedita Regibus permitteret dominatum non tamen à ſe abdicaret. Molineus hac ſola de cauſſa ſe jam contra Eccleſiam obtinuiſſe credidit, ſed Ruffus vir pius ex epiſtola Caſſiodori lib. 11. Variarum ad Joannem Papam conatum hominis compreſſit, in qua aperte conſtat Romanum Pontificem Joannem Urbis Imperio magna ex parte potitum fuiſſe, quam quicquid Eccleſia nacta eſt, Jure ſuo, non tamen ex ſeditione fuit conſequuta. Hæc enim Oppida, & Urbes, quæ Conſtantinus Eccleſiæ contulit, ſibi ſuo Jure obveniunt, non dominatu invaduntur.

IN CENSURAM XX. RESPONSIO.

C CEnſorem opinor animo tantum conviciandi non veritatis indagandæ ſtudio contra Sigonium ſtylum acuiſſe. An ignorat quæ ſeditio Romano Pontifici dominatum pepererit? Fidei tuendæ, atque vindicandæ ex impiiſſimi Imperatoris manibus vitæ Sanctiſſimi Pontificis, tota ea ſeditio concitata eſt. Ea bello æquiſſimo cauſam præbuit, quo Leo Iconomachus à dominio, quo aburebatur, jure deturbatus eſt, cui deinde ſervatis omnibus juſtitiæ legibus. Romanus Pontifex ſucceſſit. At jampridem à Conſtantino, inclamat Cenſor, dominium in Romam habebat Romanus Pontifex? Verum donationem illam Conſtantini, quam Cenſor urget, falſam arbitratus eſt Sigonius, qui hæc apud Platinam in Johanne
D VII. legerat. *Sunt qui ſcribant (ſine auctore tamen) Arithpertum Longobardorum Regem Religione motum condonaſſe Alpes Cottiis Beato Petro: & quicquid à Taurinis & Medulis Genuam uſque Liguſticam protenditur. Alii autem affirmant, donationem ipſam ab Arithperto confirmatam fuiſſe.* VERUM QUUM DE DONATIONE NIL CERTI HABEATUR, PALEAMQUE PONTIFICII JURIS PERITI APPELLENT QUOD SINE FRUMENTO SIT, NIHILQUE CONSTANTINIANÆ ELEGANTIÆ AC DIGNITATIS HABEAT, *quomodo de confirmatione conſtabit?* Pro Caſſiodori epiſtola recurrat Lector quæ ad Cenſuram XXXI. de Occident. Impe-
E rio adjecimus. Videatur ſuperior Cenſura XVII.

CENSURA XXI.

Pag. 168. A. & B. Imagines ſanctorum *ſimulacra*, & *ſigna* appellat, quæ voces Idololatriam exprimunt.

IN CENSURAM XXI. RESPONSIO.

NEgo eas voces Idololatriam exprimere, quum de Sanctis imaginibus agitur, & à Catholico Scriptore proferuntur. Simulacri in Sigonii ſenſu ſæpe utitur Platina, ut in Gregorio II., in Stephano III., & in Anaſtaſio III. Quid quod Caſſiodorus in hiſt. Tripart. lib. 6. cap. 41. *inſigne Chriſti ſimulacrum* dicit?

CENSURA XXII.

Pag. 169. B Regionis Æmiliæ loca eſſe inter Mutinam, & Imolam refert, ſed Epiſcopos Æmiliæ ſubjectos fuiſſe Ravennati Archiepiſcopo. Idem docet interiùs. Quare, & ipſam Æmiliam de Exarchatu Ravennæ fuiſſe neceſſe eſt.

IN CENSURAM XXII. RESPONSIO.

ÆMiliæ Epiſcopos Ravennati Archiepiſcopatui fuiſſe ſubjectos Hieronymus Rubeus in hiſt. Ravennat. tradit: *Valentinianus*, inquit, ... *uti meminit Blondus lib. II. hiſt. Ravennati Archiepiſcopatui duodecim Epiſcopos ſubjecit; tametſi non deſint, è quibus eſt in ſuis Enneadibus Sabellicus, qui quatuordecim dicant; ii autem ſunt, Ariminì, Cæſenæ, Fori Livii, Fori Pompilii, Faventiæ, Fori Cornelii, Britonorii, Bononiæ, Mutinæ, Regii Lepidi, Parmæ, & Placentiæ ...... Quæ confirmaſſe omnia rataque habuiſſe Honorium tertium Pont. Max. literis Syneoni Archiepiſcopo datis ſatis conſtat.* Æmiliam vero ad Exarchatum Ravennæ ſpectaſſe, adeo perſpicuum certumque eſt, ut ipſe Cenſor id fateatur Cenſ. 29.

CENSURA XXIII.

Pag. 179. C. Facit Sigonius quia Populus Romanus ſacramento ſolemni ejuraverat ſe Pontificis vitam, ſtatumque defenſurum, & in omnibus rebus Pontificis authoritati obtemperaturum, propterea Romanum Ducatum Populi beneficio à Græcis ad Romanum Pontificem perveniſſe, quæ ſane abſurda, & temeraria ſunt; habuit quidem tunc Romanus Pontifex Populum defenſorem, non tamen Populus authoritatem in Pontificem traduxit, ſed priori dominatu abrogato, quem Chriſtiana patientia perferebat, ſtatim Pontifex ſuo potitus eſt Jure, nullumque novum Populi Romani revocaverunt tumultus, quibus hac ſola de cauſa Plebs nimium Pontificibus obfuit.

IN CENSURAM XXIII. RESPONSIO.

QUomodo Pontifici Ducatus Romæ contigerit, luculentis verbis narrat Sigonius pag. 172. A. & B. quæ retulimus ad Cenſuram XVII. nihil ibi eorum, quæ nunc Cenſor prorſus comminiſcitur. Sane ſi Populus Romanus ſtrenuum defenſorem Pontificis ſe non exhibuiſſet, neque Græcorum tyrannicum jugum à cervicibus ſuis excuſſiſſet, numquam Romæ Ducatum, atque dominium obtinuiſſet Pontifex; qui propterea recte dici poteſt, *populi Romani beneficio* (quamquam hæc verba apud Sigonium non occurrunt) eam auctoritatem conſequutus. Sigonius autem omnino verbis ſuis ab ea quæſtione præſcindit, utrum Populus Romanus, repudiato Græcorum Imperio, ipſe ſucceſſerit in jura dominii, quod poſtmodum volens ac lubens in Pontificem tranſtulerit; an verò ipſe Pontifex priſtinum dominium ſuum per vim à Græcis occupatum, & inique retentum, exactis per Romanos eiſdem Græcis, jure aliunde ſibi competente recuperaverit. Cenſor itaque ut cavillandi anſam arriperet, marte ſuo id Sigonio affingit, quod in eo minime reperitur.

CENSURA XXIV.

Pag. ead. Sæpe novum Principatum nominat Pontificibus obveniſſe, dum ait: *Pacem cum Ponti-*

fice

ſce Urbis Romanæ dominatu adepto compoſuit; & paulo poſt: *ad Pontificem novo Principatu fulgentem confugit*; & inferiùs: *Gregorium Secundum Ducatum Pontificibus peperiſſe*; neque hæc novo juri obveniebant, ſed veteri.

IN CENSURAM XXIV. RESPONSIO.

CUr novum Principatum, dominatumque Sigonius non diceret, cum antea & Græci Romanis imperitarent? Jure an injuria, id à Græcis fieret, Sigonius non diſcutit. Res facti eſt, in quam hiſtorici omnes conſpirant, ad Conſtantinianam donationem reſpicit Cenſor. Verum illâ etiam admiſsâ, quum ex facto liqueat Græcos ſibi uſurpaſſe, quod per Conſtantini munificentiam in jura Papæ tranſierat, adhuc novus dominatus dici poſſet ſi minus quo ad jus, quo ad uſum ſaltem liberumque dominii exercitium. Ceterum Conſtantinianæ donationis ſuppoſitio Sigonium non latuit. Vide Cenſuram XX.

CENSURA XXV.

Pag. 183. B. Arbitror Papam *Synodicam* Epiſtolam non miſiſſe, ſed inſtructoriam, qua alios ab errore revocaret.

IN CENSURAM XXV. RESPONSIO.

CEnſor ab Anaſtaſio in hujus Pontificis vita refellitur: *Hic beatiſſimus vir*, inquit, *juxta ritum Eccleſiaſticum, & fidei ſuæ ſponſionem orthodoxam*, SYNODICAM ECCLESIÆ MISIT CONSTANTINOPOLITANÆ *&c.* Ignorat Cenſor conſueviſſe primarum ſedium Epiſcopos, quum Eccleſiis præficiebantur, ad Collegas Synodicas dirigere, in quibus inter cetera fidem ſuam exponebant.

CENSURA XXVI.

Pag. 190. C. Non aperte concedit Sanctum Silveſtrum latuiſſe in Monte ſoracte, ſed id vulgari rumore collectum cenſet.

IN CENSURAM XXVI. RESPONSIO.

QUamquam opinionem illam rejicere Sigonius potuiſſet, nam Acta S. Sylveſtri fabulis, ut opinor, ſcatent, tamen eam minime infirmavit, neque ex vulgi rumore natam aſſeruit. En verba Sigonii, pag. 190 C. *In Monte Soracte ſibi Monaſterium condidit* (Carlomannus) *idque Sancto Sylveſtro dicavit*, QUOD IBI LATUISSE S. SYLVESTER *miſerrimis ſuis temporibus* DICERETUR, *antequam Conſtantinus Magnus ſacris Chriſtianis imbueretur.*

CENSURA XXVII.

Pag. 199. Platinam, Blondum, Sabellium in re leviſſima irridet, quos ſi in graviſſimis rebus Auctores habuiſſet, non tam graviter peccaſſet.

IN CENSURAM XXVII. RESPONSIO.

MIror à Cenſore Sigonio Platinam, quem inter ceteros imitaretur, proponi, quum toties ea exagitet, quæ Sigonius modeſte & occulte innuit, Platina vero palam liberoque calamo effudit. Væ Sigonio, ſi Platinam voluiſſet imitari! Ceterum, an non ridendus error Blondi, Platinæ, atque Sabellici?

CENSURA XXVIII.

Pag. 200. A. Omiſit oſculationem pedis, quam Carolus tulit Pontifici.

IN CENSURAM XXVIII. RESPONSIO.

NEque Anaſtaſius in Hadriano, neque veteres ulli hujuſce pedis oſculi meminerunt. Quî ergo Cenſura notatur Sigonius?

CENSURA XXIX.

Pag. 201. B. *Divinam rem* facere quamcumque rem ſeriam gravemque agere ſignificat, ut ex Eunucho Terentii actu 3. ſcena 3. his verbis ait: feciſſe, & rem ſacram velle agere.

IN CENSURAM XXIX. RESPONSIO.

EX citato Eunuchi Terentiani loco nequaquam colligitur rem divinam facere, idem eſſe ac rem quamcumque ſeriam & gravem agere. En Comici verba:

Ait rem divinam feciſſe, & rem ſeriam
Velle agere mecum;

Quæ ſignificant, Thaidem Divos voluiſſe ſacrificio antea conciliare, ut bene res cederet, quæ ſibi cum Chremete ſerio tractanda erat. Ceterum rem divinam facere pro Miſſam celebrare, adeo frequenter uſurpatur, ut vel in ipſo Breviario Romano occurrat.

CENSURA XXX.

Pag. 231. C. *Jure, Principatu, & Ditione ſibi retenta Pontifici permiſit*; quaſi ſolum uſum obtinuerit Pontifex, & dominium Carolus retinuiſſet; eodem loco: Alpes cotias ad Regnum Longobardorum retulit, cum fuerint Eccleſiæ, & Æmiliam tribuit Longobardis, quæ tamen erat Exarchatus Ravennæ, & illius Epiſcopi Ravennati Archiepiſcopo ſubjecti, ut ſuperiùs innui.

IN CENSURAM XXX. RESPONSIO.

VIde Cenſuram XXXIII. Plura heic Cenſor carpit, quorum ſingula vindicanda ſunt. Carolum Magnum *jure, principatu, & ditione ſibi retenta*, Exarchatum &c. Pontifici permiſiſſe, diſerte eruitur ex donatione Ludovici Imperatoris Caroli Magni filii, quæ data eſt, inſtante Paſchali Pontifice, ad confirmandum pactum, quod cum Apoſtolica Sede Pipinus, & Carolus Magnus inierunt. Porro in hac donatione, quam refert Sigonius pag. 267. D. hæc expreſſe leguntur. *Ceterum, ſicut diximus, omnia ſuperius nominata ita ad noſtram partem per hoc noſtræ confirmationis decretum roboramus, ut in noſtro, noſtrorumque ſucceſſorum* PERMANEANT JURE, PRINCIPATU, ATQUE DITIONE, *ut neque à nobis, neque à filiis, vel ſucceſſoribus noſtris per quodlibet argumentum, ſive machinamentum in quacumque parte minuatur noſtra poteſtas, &c.* En unde Sigonius limitationem hauſerit, quam Carolinæ donationi appoſuit. Si enim Carolus Magnus id ſibi non reſervaſſet, quod Ludovicus excepit, non ſane confirmaſſet patris ſui pactum, ſed potius infregiſſet, & Romani Pontificis jura violaſſet. Alpes vero Cottias ad Regnum Longobardorum ſpectaſſe, poſtquam à Longobardis ſubactæ fuerunt, qui poterit inficias ire? legat Cenſor quæ habet Sigonius pag. 101. D. ex quibus, temporibus rite diſtinctis, tota Cenſura evaneſcet. Hoc idem de Æmilia dicendum: ad Exarchatum Ravennæ ſpectabat, antequam à Longobardis occuparetur; Liutprandus armis eam ſibi acquiſivit.

CEN-

CENSURA XXXI.

Pag. 243. C. *Fœlix Orgellorum in Pyrenæo Monte Epiſcopus.*) Fœlix Urgellenſis non Orgellorum, quæ Civitas eſt in Hiſpania Tarraconenſi non in ſaltu Pyrenæo; contra hunc ſcripſit Paullinus Aquilejenſis, eumque Vergellitanum nominat; imo, & ipſe Clipandus Epiſcopus Toletanus hujus erroris favit auctor, & ut ait Paulinus ab Eccleſiæ gremio expulſus eſt.

IN CENSURAM XXXI. RESPONSIO.

URgella dicitur etiam Orgela, Orgelium, Orgia, & Orgella. Ad rem noſtram audiat Cenſor Eginardum in Annalibus. ORGELLIS EST CIVITAS IN PIRENÆI MONTIS JUGO SITA, *cujus Epiſcopus nomine Felix, natione Hiſpanus, &c.*

CENSURA XXXII.

Pag. 245. C. *Qui Populum in fide, & ſubjectione per ſacramentum firmaret*) ſemper eodem revolvuntur, ut doceat dominatum Romæ penes Carolum fuiſſe, quamquam Pontifex Urbe quaſi uſufructu potiretur.

IN CENSURAM XXXII. RESPONSIO.

VIde Cenſuram XXX. Rem ſibi habeat Cenſor cum Auctore, quem Sigonius producit. Eum falſi poſtulare debet, erroriſque revincere, & poſtea Sigonium damnare. Quid culpæ in Sigonio, ſi ex probatis hiſtoricis refert quæ geſta ſunt? Neque ab uno Auctore à Sigonio producto res ea traditur, verumetiam legitur apud Monachum Engoliſmenſem, & Auctorem incertum in vita Caroli Magni, atque in Annalibus Laureshamenſibus: En verba: *Leo, per Legatos ſuos claves Regi miſit, rogavitque ut aliquem de ſuis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad ſuam fidem atque ſubjectionem per ſacramenta firmaret. Miſſus eſt ad hoc Engilbertbus Abbas Monaſterii S. Richarii.*

CENSURA XXXIII.

Pag. 252. A *A Populo Titulus Imperatorius confirmatus eſt*) ſemper Sigonius Populi authoritatem interponit, ut vere Populi electio Imperatoris facta eſſe videatur; quæ tamen falſa ſunt, cum jam multis retro annis electio non penes Populum Romanum, ſed penes exercitum foret, qua etiam milites deſtituti ſunt poſt Imperium Auguſtuli, quo abrogato tandem ad Pontificem hæc auctoritas delata eſt, adeo ut Decretum Pontificis nulla egeret Populi firmitate, nam Joannes VIII. Controverſiam inter Carolum Calvum, & Ludovicum compoſuit, & Carolum abſque Populi conſenſu præfecit Imperio, ſic etiam Adrianus tertius Decreto ſancivit, quod ſi Craſsus Imperator ſine liberis obiret, Imperium Italis traderetur. Ita etiam Formoſus Papa Arnulphum in Urbem vocavit, & Imperatorem conſtituit, nullo Populi ſpectato conſenſu, & Lambertus Spoleti Comes inſtabat Clerum, ut ſe Imperatorem, & Auguſtum conficeret, ut docet infra Sigonius. Quare non eſt quod veteres querelas, & controverſias foveat, cum ſæpe Populus Romanus Pontifici hac una de cauſa noxius fuerit.

IN CENSURAM XXXIII. RESPONSIO.

PErpendat, quæſo, Cenſor diligenter, quæ narrat Sigonius pag. 251. & ſeq. quæ heic nimis prolixa quum ſint ommitto. Ex eis deprehendet in deferenda Carolo Magno Auguſtali dignitate, potiores ſine controverſia fuiſſe Leonis partes; eamque Imperatorii tituli confirmationem per populum factam in ejuſdem populi acclamationibus ſtetiſſe. *Quo fa-*

A *cto*, inquit Sigonius, *populus univerſus ter voce clariſſima lætiſſimus acclamavit: Carolo Auguſto à Deo coronato, magno & piiſſimo Imperatori Romanorum vita, & victoria. Deo inde Diviſque rite in auxilium invocatis*, IMPERATORIUS ILLI TITULUS A POPULO CONFIRMATUS EST. POPULARI INDE ACCLAMATIONE SEDATA &c. Ceterum quum dicat rotundis verbis Anaſtaſius in Leone III. Carolum Magnum AB OMNIBUS CONSTITUTUM ESSE IMPERATOREM ROMANORUM; optime potuiſſet à Sigonio ſcribi Imperatorium titulum à populo fuiſſe confirmatum etiam in ſenſu, quem Cenſor conatur excludere. Et ſane in veteri Epitome
B Chronicorum Caſinenſ. de Ludovico Caroli M. filio hæc leguntur: *Ludovicus pro Patre regnat & imperat: veniensque ad auream urbem à Papa Valentino coronatus*, ET A SENATU POPULOQUE ROMANO MONOCRATOR CONSTITUITUR. Facta vero à Cenſore prolata non moror, quæ ſi excutienda forent, nimium divagari oporteret. Sufficiat in Caroli Magni inauguratione rem ita, ut Sigonius narrat, fuiſſe.

CENSURA XXXIV.

Pag ead. D. Tacito nomine Egenardi Caroli à Conſiliis fidem infirmat, cui tamen maxime credendum eſt, cum Imperatoris animum exploraſſet;
C Sigibertus Gemblacenſis Opuſculum Egenardi de veritate Hiſtoriæ, & de Fide commendat. Quare Sigonius levi conjectura ductus hujus auctoris improbat fidem, cum Patriciatus dignitas Auguſtali ſimilis videretur.

In donatione Ludovici Inſula Siciliæ continetur, quæ Græcorum Imperio parebat ut pag. 224. conſtat, quare Ludovicus potius Jura Pontificis proſequutus eſt, quam de novo aliquid dederit.

IN CENSURAM XXXIV. RESONSIO.

ARbitror Cenſorem reſpicere ad Sigonii verba, quæ occurrunt pag. 252. B. Carolo Magno Auguſtalem dignitatem exoptatam fuiſſe, optime colligit Sigonius ex ipſiuſmet Caroli Magni verbis, quibus quum be-
D neficia Eccleſiis indulgebat, conſueverat præfari: *Si Eccleſiarum Dei ſervis*, (inquiebat pag. 251. C.) *munificentiam noſtram impertimus, eorumque ſtudiis libenter obſequimur*, ID NOBIS AD AUGUSTALIS EXCELLENTIÆ CULMEN PROFICERE CREDIMUS. Quamquam vero nolo hic Patriciatus, & Auguſtalis dignitatis jura definire; certum tamen eſt Patriciatum Imperatorio gradui non ſimilem, ſed inferiorem fuiſſe.

Quod ſubdit Cenſor de Siciliæ Inſula, Sigonium non tangit ea ſolùm recenſentem, quæ à Ludovico donata ſunt Pontifici, inter quæ expreſſis verbis Sicilia recenſetur, ut patet ex donationis tenore pag. 267. D. atque
E id ipſum aſſertum fuerat pag. 224. E.

CENSURA XXXV.

Pag. 253. A. Sigonius eas Leges recenſet, quæ Eccleſiæ auctoritatem infirmant, præſertim cum eo tempore Imperatores jus omne diſponendi circa Eccleſiam à ſe ipſis abdicaſſent, ſed hæc melius conſulenda, & quæ etiam alibi continentur ſunt indaganda.

IN CENSURAM XXXV. RESPONSIO.

HAs leges, quas putat Cenſor Eccleſiæ auctoritatem infirmare, non condidit Sigonius, ſed Lotharius. Sigonius qui eas dumtaxat refert, reprehendendus ſane non eſt;

alioquin Hiſtorici omnes hujuſmodi leges ab Imperatoribus aliiſve Principibus viris latas referentes culpandi erunt, quod nemini ſano adhuc in mentem venit.

CENSURA XXXVI.

Pag. 286. B. Filiorum in Patrem conſpirationes non recte cauſas explicavit, neque egregie auctoritati Sedis Apoſtolicæ conſuluit Sigonius, cujus rei ſeriem Trithemius Abbas in Chronicis Hirſaugienſis Monaſterii retulit his verbis: „ Gregorius IV. cum audiviſſet S. Federicum Trajectenſem Epiſcopum juſſu Judithæ interfectum, eo quod dixerat ad Imperatorem; non licet tibi Judith ſanguine proximam pro uxore habere, Luduicum Imperatorem pro agenda pœnitentia in Monaſterium poſuit „ quæ verba rei factum aperte declarant; quæ vero narrat Sigonius adeo ſunt dubia, & involuta, ut nullus diſſidii cauſas poſſit intelligere, cum faciat Pontificem ſe infecta diſceſſiſſe. Unde quod dicit pag. ſeq Imperatorem ex authoritate Epiſcoporum piaculum Patri impoſuiſſe, abſurdum eſt, cum ſit ab Imperatore alienum pœnitentiam injungere, & in hac re gravi deferendum erat Pontifici Romano, qui hujus pœnitentiæ auctor fuit.

IN CENSURAM XXXVI. RESPONSIO.

DIſſidii cauſſas inter Ludovicum Pium, & filios ex probatiſſimis auctoribus, Thegano, Auctore vitæ Ludovici Pii, ex Nithardo, ex Annalibus Bertinianis aliiſque hujus generis monumentis, deſumſit Sigonius; unde mirum ſit, potuiſſe in re tam certa atque conſtanti falſitatis argui à Cenſore. Quod ex Tritemio obtrudit, falſiſſimum eſt, quum ex præcitatis auctoribus aperte colligatur Gregorium IV., ut pacis eſſet ſequeſter inter patrem & filios, in Franciam veniſſe, atque re infecta rediiſſe. Si Ludovicus Pius ob id fuiſſet à Pontifice pœnitentiæ publicæ ſubjectus, & Monaſterio incluſus; idem poſtea Gregorius auctor non fuiſſet Ludovico, ut Juditham ſententia Epiſcoporum primum velatam, deinde inſontem cognitam & abſolutam, iterum reciperet, ut expreſſe ſcribit Theganus. Atque Epiſcopi, qui Ludovicum de pluribus falſis, & per calumniam affictis accuſarunt, ut ex Actis Concilii Compendienſis conſtat, hoc etiam Ludovico objeciſſent; quod minus fecerunt, quum ſatis conſtaret licitas fuiſſe ejus cum Juditha nuptias: quam ſanè inceſtus & ſacrilegæ necis ream fuiſſe nequaquam patiuntur verba Beati HRabani, qui circa annum 836. præfat. ad lib. Judith & Eſther Juditham Imperatricem ita commendat. *Dominæ Electæ* ET MERITO MAGNÆ PIETATIS *ab omnibus venerandæ, atque amandæ, Judith Auguſtæ HRabanus ſervorum Dei ſervus æternam in Chriſto ſupplex optat ſalutem. Cum celſitudo magnitudinis veſtræ, atque largitio benignitatis, quæ non ſolum amicis, ſed etiam inimicis, ab ipſius Domini ore inſtructa prodeſſe didicit, plurimos faciat ſibi devotos... De cetero quia vos comperi laudabili excellere ingenio,* ET SANCTARUM MULIERUM, *quas Sacra Scriptura memorat,* VIRTUTES AC STUDIUM IN BONO OPERE IMITARI &c.

Dixit vero Sigonius Lotharium Patri *ex auctoritate Epiſcoporum* piaculum impoſuiſſe; ut ſignificaret pœnitentiam quidem ab Epiſcopis impoſitam fuiſſe, ſed tamen id etiam tribuendum Lothario, quod Epiſcopos ad eam rem incitaſſet, qui in ejuſmodi negotio Lotharii voluntati, & imperio mortem geſſerunt. Conſequitur autem ex dictis pœnitentiæ Ludovico impoſitæ nequaquam auctorem fuiſſe Romanum Pontificem: qui ſi in re tam gravi conſultus non fuit, Lotarii & Epiſcoporum ſibi adhærentium vitium fuit, non Sigonii.

CENSURA XXXVII.

Pag. 297. C. *Luſtrato Salutari Carmine per Pontificem Populo*) Benedictionem appellat Carmen, & luſtrationem more gentili.

IN CENSURAM XXXVII. RESPONSIO.

TOedet enim vero, tam ineptas Cenſuras refellere, Scriptores Chriſtanos atque Catholicos paſſim hujuſmodi Latinis vocibus uti ad ſacra exprimenda norunt omnes. Unum Cenſori laudabo Petrum Bembum S. R. E. Cardinalem, qui in Hiſt. Venet. totus hujuſmodi phraſibus ſcatet.

CENSURA XXXVIII.

Pag. 298. C. Diſſidii cauſam inter Epiſcopum Mediolanenſem, & Pontificem debebat indagare, Sigonius, quam ſi conſequi non poterat, ſaltem Epiſcopi temeritatem reprehendere, & audaciam coarguere debebat.

IN CENSURAM XXXVIII. RESPONSIO.

QUoniam in adſignanda diſſidii cauſa Sigonii induſtria defecit, eccur acutiſſimus Cenſor eam ipſe non retulit? Verum, ni cœcutio, à Sigonio prolata eſt, atque eadem opera Mediolanenſem Epiſcopum damnavit, dum pag. 447. A. ſcripſit. *Itaque non aliter, atque Ravennas quondam*, NIMIA SUPERBIA ELATUS (Archiepiſcopus Mediolanen.) *à ſacra Pontificis, ut ſcripſimus, obedientia ſe ſubtraxerat*. Sigonio præivit auctor vitæ Stephani IX. ſcribens: *Hujus temporibus Mediolanenſis Eccleſia, quæ* SUPERBIÆ FASTU *per ducentos fere annos à ſubjectione Romanæ Eccleſiæ inſolenter ſe ſubtraxerat* &c. Et ſane aliquo typho Mediolanenſem Eccleſiam laboraſſe, ex iis Mediolanenſium Clericorum verbis colligi poteſt, quæ in Petrum Damiani Romani Pontificis Legatum protulere, *non debere ſcilicet Ambroſianam Eccleſiam Romanis legibus ſubjacere, nullamque judicandi vel diſponendi vim Romano Pontifici in illa Sede competere.*

CENSURA XXXIX.

Pag. 400. B. *Populus novum Magiſtratum creat contemto Pontifice, & Rege*) ſed id per Tyrannidem ac tumultum dicere debebat, cum jam in Pontificis dominatum juraſſet.

IN CENSURAM XXXIX. RESPONSIO.

QUum id factum dicat *Regibus, Pontificibuſque contemptis*, ſatis innuit, idipſum per ſeditionem, & tumultum à Populo Romano tentatum.

CENSURA XXXX.

Pag. 403. D. Quæ narrat de Fœmina illa, impudica ſunt, & nihil ad Statum Regni Italiæ ſpectant, ob idque delenda cenſeo.

IN

IN CENSURAM XXXX. RESPONSIO.

CAſtratoris officium Cenſori non invidemus. Sciat tamen, verba quibus expreſſit Sigonius rem impudicam, obſcœnitate carere, eamdemque rem, quamquam ad hiſtoriam ſuam minus pertineret, liberiori calamo exaratam fuiſſe à Liutprando Cremonenſi Epiſcopo lib 4. cap. 4. in ſua hiſtoria, quæ hac parte à tot ſæculis per tot manus integra minimeque mutila ad Sigonium uſque pervenit.

CENSURA XLI.

Pag. 444. A. Ubi de Electoribus agere debebat, ne verbum quidem, in qua re Honuphrium, & Aventinum hæreticum auctores habuit, eum Henricus Cardinalis Hoſtien., qui anno Domini 1240. floruit in cap. per venerabilem de Electione, & Alvarus Pelagius, qui ab hinc annis 240. vixit lib. pr. de planctu Eccleſiæ cap. 41. Blondus Deca e 2. lib. 3. Platina in Vita Gregorii Quinti, Eneas Silvius in Epitome Blondi, Cromerus de rebus Polonorum oppoſitum docuerint, in qua re Sigonius inclementer de Eccleſiæ auctoritate judicavit, cum error Panvinii obſcuro potius hiſtoricorum ſilentio, quam expreſſa auctoritate nitatur.

IN CENSURAM XLI. RESPONSIO.

NOn id Sigonio ſcribendum erat, quod viſum eſt Auctoribus à Cenſore laudatis, qui hac in re hallucinantur omnes, ſed quod hiſtoriæ veritas ferebat, & temporibus de quibus loquebatur, congruebat. Ea ſane tempeſtate omnes Germaniæ Principes Eccleſiaſtici laicique Imperatores eligebant; quorum numerus ad ſeptem tantum redactus ſub Imperio Friderici II. indubiis Scriptorum teſtimoniis evincitur.

Percurrat Cenſor Witikindum, Ditmarum, Lambertum Scafnaburgenſem, Ottonem Friſingenſem, ceteroſque, qui ante Fridericum II. ſcripſere, in horum nemine profecto deprehendet ſeptem dumtaxat fuiſſe Imperii Electores, ſed contra rotundis verbis ſcriptum inveniet, à populis per Deputatos, vel à Principibus Imperii feudatariis Imperatores deſignatos electoſque fuiſſe. Quare quum Sigonius falſi nihil protulerit, de Eccleſia inclementer non ſenſit.

CENSURA XLII.

Pag. 446. B. Pontifex auctoritate potius, quam Imperio ditiones reliquas tenebat, quod Civitates Pontificem, & Reipublicæ Principem, Regem vero ut ſummum Dominum intuerentur, atque ei tributa obſequiaque, quæ dixi, præberent, & Pontificis vires in ſacris deteſtationibus verſabantur, quas Chriſtiani Reges tum maxime exhorruerunt Imperatoris in armis, & expeditionibus quibus ipſi etiam Pontifices cedere etiam compulſi ſunt. In hac parte Sigonius hæreticis noſtri temporis favet, qui juriſdictionem temporalem à Romano Pontifice ſuſtulerunt, quæ tamen falſa ſunt, cum Imperium ſit Gladii exercendi Poteſtas L. pr. ff. jur. om. Tum etiam Imperium invocatione, prehenſione, caſtigationeque conſiſtat. Quare qui tollit Imperium à Romano Pontifice, Gladii materialis poteſtatem tollat neceſſe eſt, quam Petro contulit Chriſtus Lucæ 22. quod aperte ſignificat Sigonius cum Pontificis vires in deteſtationibus conſtituat, ideſt in Gladio ſpirituali, Imperatoris vero in armis, cum tamen in utraque re Pontificis Romani vigeat authoritas, quod ſi ex legum apicibus hæc petere volebat, ſaltem ex Ariſtotele primo politicorum colligere poterat, ubi jubere, ca-

A re, & libere poſſidere ὡς ἀρχὰς, ideſt Imperii præcipua nominat, quæ maxime ad Romanum Pontificem videntur ſpectare; Sigonius tollit Imperium à Pontifice, quia illius tollit dominatum, in quam rem conatibus incumbit: eſt enim Pontifex, & Princeps, & Dominus qui Imperio poſſidet Urbes, & dominatum in eas exercet: Cujacius tollit Imperium à Pontifice, non quia Gladii poteſtatem tollat, ſed potius quia executionem negat in Perſonis Eccleſiaſticis reperiri poſſe, ſed mihi ridiculus rurſus eſt Sigonius, qui eum Archiep. Mediolanenſi Imperium tribuat, ideſt jus necis vitæque, illud à Romanis Pontificibus abrogat. Tum etiam pag. ſeq. jus ampliſſimum tribuit Epiſcopis in ſingulis Civitatibus, quod plane Romano Pontifici concedit, ſed quorſum poteſtatem ab auctoritate diſtinxerit, illamque à Pontifice tollat, hanc concedat, mihi profecto prorſus latet, niſi fortaſſe aliquem errorem inſimulet. Joannes Gillotus Vir
B doctiſſimus lib 11. de Juriſdict. & Imperio cap. 20. poteſtatem & auctoritatem ita diſtinguit ex veteribus viris conſultiſſimis, quos longum eſſet recenſere, ut poteſtas executionem contineat, auctoritas confirmationem, qua quod actum geſtumque nititur, quæ etiam vim, robur, ac jus actui tribuit ſub qua authoritate merum Imperium contineri, ideſt abſolutum ex Othomano lib. pr. inſtitutionum conſtat, quare hanc curam à ſe abdicare debebat Sigonius, & in alios rejicere, ne dignitatem Pontificiam læderet, quam ipſe ſuſceperat colendam.

IN CENSURAM XLII. RESPONSIO.

SI diligentius perpendiſſet Cenſor, quæ hic
C Sigonius ſcripſit, à multiplici profecto Cenſura abſtinuiſſet, neque adeo immodeſte Fautoribus Hæreticorum eumdem accenſuiſſet. Hæretici qui contra Pontificis dominatum inſaniunt, non ea de cauſa reprehenduntur, quod Pontificiam temporalem ditionem utcumque coarctent, ſed quod vel anguſtis nimium terminis contra hiſtoriæ veritatem circumſcribunt, vel Pontifici eripiunt quamcumque ad dominandum aptitudinem, falſo & pervicaciter contendentes Dominii temporalis jus in Eccleſiaſticum hominem, uti eſt Papa, cadere nequaquam poſſe. His certe erroribus Sigonius non abripitur. Sincere ex probatis Auctoribus refert, quid ab Impera-
D toribus temporalis dominatus Pontifici collatum ſit, quid ablatum, quid reſtitutum, auctumve; qua in re à Sigonio peccatum non eſt, quum partes ſuas expleverit. Quod ſi aliquando Pontificis jura violata ſunt, non eſt Sigonii vitium id referentis, ſed Principum. Quum itaque Sigonius ſcripſit: *Et ſane quamquam Italia à Rege, eodemque Imperatore, & à Romano Pontifice tenebatur*, NON EADEM TAMEN ERAT IN UTROQUE AUCTORITAS: hujus aſſerti illico rationem reddit: *Pontifex Romam, Ravennamque, & Ditiones reliquas tenebat* AUCTORITATE MAGIS, QUAM IMPERIO; *quòd Civitates Pontificem* UT REIPUBLICÆ PRINCIPEM,
E *Regem vero ut* SUMMUM DOMINUM, *intuerentur, atque ei tributa, obſequiaque, quæ dixi, præberent*. Atque hinc dignoſcere potuiſſet Cenſor, cur Sigonius auctoritatem ab imperio diſtinxerit; quidque iis vocibus ſignificare voluerit. Imperii enim nomine ſummum jus expreſſit, ſupremum dominatum, ditionemque, quam ſibi in Italiam Imperatores retinuerant, ut diſerte conſtat ex Ludoviciana donatione: per quam ſupremi juris, ſeu *imperii* reſervationem ea omnia ab Italiæ Populis & Civitatibus Imperatoribus præſtabantur, quæ Sigonius larga manu proſequitur. Illud præterea adverto, Sigonium ſemper loqui

qui *de facto*, ut ajunt, hoc eſt de eo, quod conſtat revera Imperatores feciſſe, non autem *de jure*, ſive de eo, quod juxta æquitatis leges ſervare ac ſtabilire debuiſſent. Quod ſane Sigonio dirimendum non erat, ne Sacerdotium cum Imperio commiſceret, atque eo vel maxime quod hujuſmodi quæſtiones definire non eſt hiſtorici, ſed aliorum. Subdit deinde Sigonius: *Et Pontificis vires in ſacris deteſtationibus verſabantur, quas Chriſtiani Reges tum maxime exhorruerunt: Imperatoris in armis & expeditionibus, quibus ipſi etiam Pontifices cedere ſæpe compulſi ſunt. Utraque vero poteſtas ſacra erat, & ad Chriſtianam conſervandam Rempublicam inſtituta*. Loquitur ſtrictim & de poteſtate ea, quæ primario, & ex ſui natura convenit Papæ, vel Imperatori. Pontifici enim primario competit poteſtas ſpiritualis ordinata ex ſe ad ſpirituale bonum Chriſtianæ Reipublicæ, quæ ſpiritualis poteſtas in linea coërcitiva in ſacris deteſtationibus verſatur. At vero Imperatori primario convenit temporalis poteſtas ex ſe, ſuaque natura ad temporarium Reipublicæ bonum ordinata, quæ in ratione coërcendi in armis potiſſimum verſatur & expeditionibus. Porro poteſtas utraque ſacra eſt, hoc eſt à Deo inſtituta, ordinataque ad Chriſtianam Rempublicam conſervandam.

Neque Sigonius gladii jus, quod Mediolanenſi Archiepiſcopo conceſſit, Romano Pontifici denegavit, ut ſibi ridiculus Cenſor fingit, quum Sigonius tantùm ſupremum illud dominium, quod ſibi Imperatores reſervaverant, Pontifici Romano abjudicaverit.

At gladii poteſtas, inquit Cenſor, collata fuit Petro Lucæ 22. Si de actuali rerum temporalium dominio & principatu Cenſor loquatur, falſum hoc eſt; ſi vero de jure, quo poſſit Romanus Pontifex legitime ac licite in temporalia dominari, hoc damus libenter; verum id ex eo textu Lucæ, quum ſecus à veteribus omnibus interpretetur, rite Cenſor non probabit.

Tandem clamat Cenſor, Papam eſſe Principem, & Dominum, imperio Urbes poſſidere, & dominatum in eaſdem exercere. Ita ſane; hæc numquam negavit Sigonius, ſi ſupremum dominium excipias, quod iis temporibus, de quibus Sigonius ſcribit, de facto in Pontifice non apparebat, quum illud ſibi reſervaſſent Imperatores.

CENSURA XLIII.

Ead. pag. 446. Omnia erroribus ſcatent: utraque, inquit, poteſtas ſacra erat, & ad Chriſtianam conſervandam Rempublicam conſtituta, in qua re hæretici non minus, quam in aliis rebus omnibus peccant, cum negant Imperium à Pontifice pendere, ſed à Deo inſtitutum fuiſſe, in quam ſuſpicionem adducor, cum de tranſlatione Imperii nunquam exacte loquatur, ſed circuitione involvat omnia.

IN CENSURAM XLIII. RESPONSIO.

PAucis me expedio; auctoritas gladii exercendi, uno verbo jus vitæ & necis in genere à Deo deſcendit: quam tamen uni potius, quam alteri, bono Reipublicæ Chriſtianæ id flagitante, committere poteſt Romanus Pontifex: ſic Epiſcopatus divinæ eſt inſtitutionis, at uni, potius quam alteri Pontifex eum confert; qui in hoc ſenſu propterea à Ponti- A fice pendere dici poteſt. Idem de Imperii poteſtate aſſerendum, quæ licet à Deo inſtituta ſit, quum tamen in arbitrio Pontificis fuerit uni & non alteri eam concedere, vel ab uno ad alium, legitima intercedente cauſa transferre, idcirco à Pontifice dependet. Imperii ergo poteſtas & ſacra eſt, & Pontifice modo explicato dependens. Hæc non negavit Sigonius; nam pag. 194. A. & 198. D. aperte aſſerit ſacroſancta Zachariæ Pontificis auctoritate, Francos Sacramenti Religione ſolutos fuiſſe, Pippinúſque ſubſtitutum Chilperico Regi. Imperium vero tranſlatum fuiſſe in Carolum Magnum Pontificis Leonis auctoritate luculenter narrat Sigonius, pag. 251. B. & ſeq.

B

CENSURA XLIV.

Pag. 450. *Functiones* appellat *pœnitentias*.

Reliqua ſpectant ad phraſes latinas, quæ ſatis accurate ab aliis dicta ſunt.

IN CENSURAM XLIV. RESPONSIO.

FUnctiones eleganter pro pœnitentiis Sigonius uſurpavit: functionis enim nomine apud veteres tributorum, atque onerum perſolutio veniebat; quare functiones dixit Sigonius pœnitentiæ onera, quæ S. Romualdus C Lothario ut Deo ſatisfaceret, impoſuerat.

CENSURA XLV.

Pag. 558. B. Locus ille Pauli extra rem adductus eſt, quod vel levi notatione debebat admonere, ne imperiti rerum ſacrarum tam gravi Pauli teſtimonio convincantur, præſertim cum de illis loquatur Apoſtolus, qui voto obſtricti non ſunt; ut ex alio loco conſtat, ubi Viduas adoleſcentulas vitandas eſſe juſſit, quia voto obſtrictæ cum eſſent nubere volebant.

IN CENSURAM XLV. RESPONSIO.

D SIgonius pag. ſuperiori 557. B. jam inter gravia flagitia repoſuerat, Clericos habere uxores; quapropter dum ſequenti pagina refert uxoratos Clericos, ut ſe tuerentur, Gregorium Septimum turpibus maledictis figere cœpiſſe, tamquam qui Apoſtolo Paulo repugnaret, apud quem diſerte ſcriptum eſſet: *qui non poteſt continere, nubat; melius eſt nubere, quam uri*, non oportebat, ut moneret, Paulum loqui de ſolutis, non vero de voto adſtrictis, & propterea extra rem à Clericis uxoratis adductum. Hoc, etiam tacente Sigonio, ex toto hiſtoriæ contextu perſpicue conſequitur. Illud quidem notandum eſt, E quod Cenſor adjicit, ideo Paulum juſſiſſe viduas adoleſcentulas vitari, quia voto obſtrictæ cum eſſent, nubere volebant: quum eo loci nil aliud Apoſtolus Timotheo præcipere voluerit, quam ne viduas adoleſcentulas in Eccleſiæ miniſterio aliis ætate provectioribus præponeret, ut Hieronymus ceterique interpretes exponunt.

CENSURA XLVI.

Ad annum 1075. in prima Edit. pag. 408. *Tutorem* appellat Imperatorem. Ego *Defenſorem* dicerem, cum tutoris voluntate multa pupilli facta confirmari poſſint.

IN CENSURAM XLVI. RESPONSIO.

Recte dici utrumque poteſt; atque utrumque propterea uſurpavit Sigonius ipſe pag. 251., tutoris enim nomen non aliunde accerſitur, quam à verbo tueri, quod idem eſt ac defendere.

CENSURA XLVII.

Pag. 727. E. Erant graviter objurganda ea, quæ Federicus, & alii Legatis Pontificis dixerunt, & à Sigonio eorum temeritas coarguenda, ſed in multis negligens fuit.

IN CENSURAM XLVII. RESPONSIO.

Pluries Cenſorem monui, ad Sigonii officium minus ſpectaſſe prave facta vel dicta, quoties referebat, redarguere. Quod ſane multo minus hic faciendum erat, quum verba, quæ duro Friderici reſponſo occaſionem dederunt, emollita ac pene retractata fuerint à Romano Pontifice in alia ad eumdem Fridericum Epiſtola, quam Sigonius recitat pag. 729. D. & ſeq. quamque ſi Cenſor ob oculos habuiſſet, ſicuti & alia plura, quæ ſparſim data occaſione Sigonius diſſerit, neque de vocibus à ſuo contextu ſeparatis litem pueriliter intentaſſet, Sigonium in multis non negligentem, ſed accuratiſſimum deprehendiſſet.

IN CAROLI SIGONII NOTAS AD HISTORIAM SACRAM BEATI SULPICII SEVERI CENSURÆ, CUM EJUSDEM SIGONII RESPONSIONIBUS.

LECTORI MONITUM.

IN præmiſſa Præfatione innui, ſatis apertè conſtare, Sigonium ipſum ſuas reſponſiones concinnaſſe ad refellendas Cenſuras, quibus Anonymus quidam in Notis Hiſtoriæ Sacræ B. Sulpicii Severi ab illo elucubratis invectus eſt, & aſperâ nimis, ac fortaſſe imprudenti virga eum perſæpe mulctavit. Hunc novum Auctoris noſtri laborem eo libentius profero, ut quod mihi ſors obtulit, humano Lectori communicem. Non acquievit tamen Cenſor iis, quibus Sigonius ſententias ſuas tutatus eſt; ſed novas obſervationes adjecit, ab Auctore noſtro neglectas, vel quod eas parvi momenti dijudicaverit, aut ne controverſia inſanâ ſcribendi aviditate producta, illius calamum à majoris momenti operibus avocaret. Hæc omnia, prout in MSto ad me tranſmiſſo conſcripta erant, heic edenda curavi, optimè mihi perſuadens ab hujuſmodi controverſiarum lectione Eruditos homines, haud modica Hiſtoricæ veritatis monumenta exſpiſcari; ideoque, quomodo res ſe habeat iterum monuiſſe non piguit.

Quæ conſideranda videntur in Commentario Sigonii in librum Sacræ Hiſtoriæ Beati Sulpicii.

CUm viri pii & doctiſſimi libros Caroli Sigonii, quos de Regno Italiæ & Imperio Occidentali & in B. Sulpicium ediderat, diligenter evolviſſent, & quam plurimos errores, qui pias aures offendunt, in ejus ſcriptis reperiſſent, non modo ob pleraque negligenter omiſſa, ſed etiam perperam enarrata adnotaſſent: tum in genere loquendi, cum & in phraſium uſu, ex hæreticis, & ethnicis mutato (quod ſane maximum ſcandalum parere videbatur) non defuerunt, qui eo rumore ſic excitato, ſtudio pietatis, ac zelo honoris omnipotentis Dei, & Eccleſiæ Catholicæ impulſi, eoſdem libros accuratius etiam examinaverint, & longe plura notaverint in illis contineri correctione admodum digna, quibuſque facile auctor moneri atque invitari poſſet, ut ſumma charitate, & ex cauſa monitus emendaret homo catholicus, quæ ſcrupulum catholicis injiciebant. Pervenerunt itaque in manus Sigonii annotationes quæ ſequuntur, qui eo modo reſpondit ad objecta, quo videre eſt unamquamque annotationem. Dum autem fructus pœnitentiæ ab eo expectantur, & nihil minus cogitare ille videretur, alii viri docti varios præterea errores longe graviores notarunt, & reſponſionibus illius alias monendo opponunt & obfirmant, ut jam tandem ii, penes quos eſt poteſtas & auctoritas judicandi de rebus hujuſmodi, ſtatuant id quod congruere integritati, ac dignitati Fidei, & Eccleſiæ Catholicæ exiſtimaverint.

Ex epiſtola nuncupatoria Caroli Sigonii ad Cardinalem Palæottum *in hiſtoriam ſacram Beati Sulpicii* colliguntur, quod cum illuſtr. Cardinalis Palæottus laboraret, ut pueris doctrina Chriſtiana traderetur, atque ipſe quotidianis hiſce exercitationibus intereſſet, & laſciva latinorum Poëtarum carmina, tamque turpium voluptatum incitamenta non modo interdixerit, ſed pro illis alia ſanctiora & honeſtiora ſubſtituerit, ad extremum ſacræ hiſtoriæ lectionem induxerit. Sigonius ut ejus ſtudio obſeque-

A retur, Beati Sulpicii ſacram hiſtoriam commentatus eſt, ut quaſi in tabula collecta pueri conſpicerent, quæ ab Adam uſque ad Chriſtum geſta eſſent. Hæc quo ad occaſionem & intentionem Sigonii.

PRIMA NOTATIO.

IN hiſtoria de Regno Italiæ Sigonius dixit *ſacris* Chriſtianos *imbuere*, & *ſacra ſuſcipere* pro *baptizare*. Item, dixit *ſacris imbutum* pro *initiari ad ordines ſacros*. Item ubi vult dicere populum converſum ad Fidem Catholicam dicit ad *Chriſtiana ſacra*. Item *ſacris imbutum* Conſtantinum Magnum pro *baptizato*.

RESPONSIO.

B AUctor notationum objicit Sigonio, quod in Hiſtoria de Regno Italiæ variis utatur loquendi modis apud Catholicos minus uſitatis. Reſpondetur nos in præſenti agere de commentario Sulpicii, ideo nihil illa ad rem facere; præſertim cum locus non indicetur clarus, ubi hæc dicantur. Nam fieri poteſt, ut non ita dixerit, aut non in eum ſenſum acceperit. Præterea dicimus, auctorum qui Catholice ſcribunt, alios oratorie, ſeu hiſtorice ſcribere, alios metro, & poëtice, alios ſcholaſtice, & ſingulos ſuas habere phraſes, & proprios loquendi modos, quibus ad Sanctorum Patrum normam bene uti poſſunt:
C unde ſicuti non ſunt damnanda verba multa, & phraſes, quæ leguntur in hymnis Sancti Ambroſii, Sancti Gregorii, Prudentii, & aliorum in Breviario Romano, quamvis apud ſcholaſticos, aut hiſtoricos non inveniantur, ſic hiſtorici ipſi, ſecus oratores multas habent locutiones diverſas ab aliis, Catholicas,

tamen,

tamen, & ſcholaſtici itidem propriis utuntur terminis ab aliis diſtinctis. Itaque Sigonius, qui commentatur hiſtoriam Sulpicii, ſequutus eſt phraſes hiſtoricorum, tum veterum, tum recentiorum: Nam veteres Sancti Patres ſic loquuti ſunt, ut Sanctus Cyprianus, Sanctus Hieronymus, Sanctus Ambroſius, Lactantius, & Sulpitius ipſe, ut infra oſtendetur. Noſtris vero temporibus, qui latine ſcribunt idem omnes faciunt; ſed enim univerſa ſchola Jeſuitarum, & loquitur, & docet, & ſcribit ſic; ſcribunt Cardinales Hoſius, Caniſius, Lindanus, Sanderus, Melchior Canus, Granata, & ipſe Catechiſmus Romanus totus eſt plenus hujuſmodi phraſibus: Nam quia oratorum proprium eſt delectare, & perſuadere, ideo qui oratorie ſcribunt, variant ſæpe verba, & utuntur metaphoris, & verbis tranſlatis ad neceſſitatem, & utilitatem, ut docet Sanctus Auguſtinus lib. 2. & 3. de Doct. Chriſtiana, & Sanctus Thomas in pr. q. 1. art. 9. Ideo que non ſunt contenti dicere tantum *baptizare*, ſed quandoque *abluere*, *perfundere*, *tingere*, *lavacro afficere*, *ſalutari aqua mergere*, & alia hujuſcemodi, quæ licet non nihil inter ſe differant, non tamen vitiant ſenſum; Scholaſtici autem qui magis hærent verborum proprietati, non ita ſe diffidunt, quod bene faciunt, præſertim ad hæreticos convincendos.

CENSORIS MONITIO.

REvocat in dubium quæ illi objiciuntur, quibus comprobatur eum eodem modo ſemper loqui quod legenti ejus ſcripta luce clarius eſt, deinde ut aliquod quærat ſubterfugium, ait, aut non in eum ſenſum ſe accepiſſe, quod indignum eſt, *aut quod non ita ſcripſerit*, quod leve eſt ſubterfugium. Illa vero diſtinctio ab ipſo poſita de modo ſcribendi, non facit ad rem; oportet enim Catholicum eo modo loqui, quo Catholica Eccleſia loquitur, dum inſtituit pueros & res Eccleſiaſticas tractat: præſertim cum (ut ait Arnobius lib. pr. contra gentes) *diſſoluti pectoris ſit in rebus ſeriis verborum quærere voluptatem, & ſonos auribus infundere dulciores, non medicinam mentis vulneribus admovere*. Dicit enim D. Hieronymus, res Eccleſiaſticas verbis Eccleſiaſticis tractandas eſſe. Cum ex profanis vocum novitatibus, quas tantopere fugiendas docuit Paulus 1. ad Timoth. 6. hæreſes ſuborirentur, ut ait Tertullianus, & eis *quaſi amatorio poculo*, *mentes hominum ſubvertantur*; unde propter tam varias hæreticorum fraudes ubique diſſeminatas, & ut tollatur non modo error, ſed omnis errorum ſuſpicio, quibuſvis ſcriptoribus neceſſe eſt, ut hac noſtra ætate nihil ambiguum interſerant in ſcriptis ſuis, ſed proprie loquantur; nam, ut multa antiquis temporibus bene & caſte dicebantur (illa enim Catholicorum ſimplicitas, cum egregia integritate conjuncta ferebat; ſic pro temporum varietate tam multa mutata ſunt, ut noſtri hujus ſæculi perfidia & pertinaria hæreticorum etiam ex optimis verbis venenum decerpat, quod in hominum animos infundat, ac modo rectam, ut plurimum, & ſupervacaneam in verbis ineſſe vim putant, modò verba, ut ſonant, ſimpliciter in multis contra Catholicos uſurpant; ex quibus ſequitur, qualiſcunque ſcriptoris Catholici eſſe, omnem verborum ambiguitatem tollere; & uſum a conſueto diverſum removere. Nunc adlatrantibus hæreticis, quod maxime Sigonio faciendum fuit, cum pueros inſtituat (qui *lactea via*, ut ait B. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. *inſtituendi* ſunt, & non per blandiloquentiam, qua errorum venena, à ſimplicibus & incautis tranſvocantur, & beati viri, ut ille aſſerit, librum commentetur, & poſſit propriis nominibus res omnes ſacras appellare; melius enim & proprius dicitur baptiſmus, quam *inſici aqua* aut *tingo aqua*, & ſtatim illo audito percipit puer rem, quam cum has vocum ambages audit, cum audit miſſam, ſcit quid dicatur; cum audit ſacris operari, ambiguus hæret, quid ea voce ſignificetur, & certe ſic Cicero loquutus fuiſſet, quoniam multa nominibus græcis proprie dixit, quæ poterat circuitione latine dicere, ſed res propriis vocabulis appellandæ ſunt, tum ſacra Theologia ob emergentes varias interpretationes ſic omnino moderari debet, ut non liceat extra perſcriptos cancellos egredi, ſive Orator, ſive Poëta ſit, ſive Hiſtoricus. Et, quia hæc vox ſacra aliud ſignificat aliud Sacramenta: quicumque Catholice ſcribere vult, ad illam normam ſua ſcripta debet dirigere & accommodare, monente præſertim nos Sancto Gregorio in moralibus, ut refertur in decretis cap. indignum diſtinct. 38. Indignum vehementer exiſtimo ut verba cœleſtis oraculi reſtringantur ſub regulis Donati, & certe Rhetores Chriſtiani aliter loquuntur atque non Chriſtiani.

Nec ſe Patrum Hoſii Card. & Caniſii teſtimonio tueri debet Sigonius, cum plerumque Patres diſputationis gratia, hæreticorum voces admittant, ut ipſoſmet verbis conſentientes rebus vero diſcrepantes ad rei veritatem pertrahant. Interdum etiam à nonnullis vocibus receptiſſimis abſtinent, œconomiæ cauſa, ut ait Nazianzenus, *ne heretici quaſi verborum nauſea diſputationem intermittant, & animum alio avertant*, quod feciſſe Athanaſium ſcimus, quem Hoſius imitatur à deſertoribus voces commodato accepit, ne verborum occaſione veritas deſeratur.

Sigonius tamen nulla occaſione coactus, ſed ſua voluntate totum opus hæreticorum vocibus conſperſit. Hinc factum eſt, ut maximas tenebras veritati obduxerit, cum in tanta verborum ambiguitate animus hæreat, quod maxime cavendum eſſe docet Beatus Auguſtinus de Dialectica cap. 9. *in ambiguo*, inquit, *plura ſe offerunt*, *quorum quid attendatur ignoratur; in obſcuro nihil, aut parum quid attendatur apparet*. Sigonius ſub hoc dicendi ornatu, omnia obſcuritate & ambiguitate involvit, ut nullus de qua re dicat poſſet agnoſcere. Nam *ſacris imbui* apud eum & *baptizare*, & *ordinare* eſt ut in ſuſpicionem vocari poſſit, illum hæc eadem facere, cum voce non ſeparet, quod & hæretici noſtri temporis perſuadere tentarunt, cum omnes Chriſtianos ſacerdotes confingant & baptiſmum à ſacris ordinibus prorſus non disjungant.

Præterea *ſacris imbui* proprie baptizare non eſt, ſed catechizari, aut rerum ſacrarum notitiâ informari; quemadmodum enim animus erroribus diſciplinâ, præceptis, moribus, ſuperſtitione, & religione imbuitur; ſic & ſacrorum notitia ut nemo diceret hominem gratiâ vel charactere vel lumine imbui poſſe, ſed fidei notitiâ & ſacræ religionis agnitione: ergo cum informari debet animus ſacris Chriſti inſtitutis, antequam baptizetur, *imbui ſacris* catechizari erit & non baptizari.

SECUNDA NOTATIO.

ITem ubi vult dicere *miſſam celebravit* dixit *ſacris operatus eſt*. Item cum velit *preces fuſas* ſive *orationes* ſignificare, id quoque *rem divinam* appellat; aliquando etiam vocat cenſuras Eccleſiaſticas *deteſtationes ſacras*. Item cum velit adhibitos ſacerdotes dicere ut adminiſtrarent Sacramentum pœnitiæ, Sanctæ Euchariſtiæ & extremæ Unctionis: dixit *adhibitos* ut *ſacra ſubminiſtrarent* ritu Chriſtiano. Itaque Chriſtiana ſacra vocat Sacramenta Eccleſiæ. Tandem cum hac locutione ea, quæ ut re & ſignificatione diſtincta ſunt, ita etiam diſtinguenda ſunt nomine, improprie confundat.

RESPONSIO.

EAdem etiam ſumpta ſunt ex hiſtoria de Regno Italiæ, quibus non eſt neceſſe reſpondere. Addimus tamen, quod cum Cenſor reprehendit, dictum fuiſſe *ſacrum* pro Miſſa, & *ſacris operari*, & *rem divinam* facere, & alia hujuſmodi &c., hæc omnia legi pariter apud Cardinalem Varmienſem *in libro* de ſacro vernaculo loquendo, quin etiam in Catechiſmo Romano, *titulo de Euchariſtiæ Sacramento §. Quod vero*, ubi dicitur eundem morem in Eccleſia ſemper ſervatum eſſe, ut fidelis populus à Sacerdotibus Sacramenta acciperet, Sacerdotes autem ſacra facientes, ipſi ſe communicarent &c., & rurſus in §. *Hunc quod reſtat*, legitur: „ Hoc myſterium Parochi diligenter exponent, ut fideles *ad rem divinam* cum venerint, attente & religioſe ſa-

„ cra

„ cra illa in quibus interſunt, meditari diſ-
„ cant &c., ſic etiam *ſacris initiari* pro ſacra
Ordinatione, *ex eodem Catechiſmo oſtenditur* in
titulo *de Ordinis Sacramento*, ubi legitur: *Qui
ſacris initiari volunt*. Item, *qui Ordinis Sa-
cramento initiati ſunt*, ſacra pro ſeipſis & aliis
faciunt. Immo Sanctus Ambroſius inſcribit li-
brum ſuum Tom. 44. *de iis, qui myſteriis ini-
tiantur &c.*

CENSORIS MONITIO.

SIgonius ſuam dicendi phraſim ex toto Catechiſ-
mo tueri non poteſt; nam *facere ſacra* recte di-
ces, non tamen *operari ſacris*; apud Latinos *face-
re*, *ſacrificare* eſt. Virgilius Egloga 3.

Cum faciam vitula pro frugibus ipſe venito:

Et Varr. lib. 1. de re ruſtica: *Dii facientes adju-
vant*; nec aliud quicquam Chriſtus Apoſtolis injun-
xit, quam *ut facerent in ſuam commemorationem*,
ideſt, ſacrificarent, & ſacroſanctum Chriſti Corpus
offerrent. At vero *operari ſacris* nunquam auditum:
apud Cyprianum, *operari eleemoſynas*, erogare ſigni-
ficat, & *operatio* eleemoſyna eſt, ut notat Pame-
lius lib. *de operibus & eleemoſynis*; ſed nunquam
quiſque ſub his verborum ambagibus Miſſam intelli-
git, cum Sacerdotes in quocunque Sacramento
miniſtrando ſacris operentur, ſacras preces fundant,
ſacra myſtria peragant, niſi velit omnia permiſce-
re, & omnibus Sacramentis eamdem operationem
& myſterium tribuere, & vim aſſignare. Et quia
pro tempore & perſonis modus loquendi require-
batur, in ſecunda Notatione, ſi ſemel legitur in
Catechiſmo: *ſacro lavacro intingi*, at hujuſmodi
phraſis legitur more Sigonii conſueto millies, nec
apud hos, quos atteſtatur, demonſtrat, in uſu
fuiſſe *operari ſacris*, neque rationem affert, quare
obſcure & ambigue dicat modo pro ſacrificio Miſ-
ſæ *ſacra facere*, modo idem pro preces ad Deum
fundere in aliis eodem modo; Nam cum Sacra-
menta re differant, & unum quodque ſuum no-
tum nomen habeat, quare non ita appellat? Et
cum dicat in Catechiſmo, ubi agit de Ordinibus,
qui ſacris initiari volunt, ipſemet indicat verbum
Ordinis eſſe interponendum. Neque enim initiari
reprehenditur; ſed modus loquendi: Nam omnia
vocat *Chriſtiana ſacra*, ut Sacramenta, Miſſam,
Preces, Ordines, & hujuſmodi, quæ debuit, di-
ſtincte, & propriis nominibus appellaſſe, ne qui
agit interpretem interprete egere videatur: etenim
claritatem nominum, ut ait D. Baſilius in Exameron
hom. 3., *non verborum concinnitatem, aut tornatiles
dictiones, aut ſonantes voces* Eccleſia amplecti ſolet,
cum *ex hoc verborum cultu*, ut ait Clemens Alex.
Stron. 1. *hæreſis ſe in animos hominum inſinuet*. Nec
Sigonio opitulatur Card. piiſſimus Vatmienſis, im-
mo illum oppugnat, quia diſtincte ſemper, or-
dinate, & clare loquitur: multo vero minus Ca-
techiſmus Romanus, quia omnia exprimit, & quæ
in ſacrificio Miſſæ requiruntur nomine *ſacri* com-
plectitur, aut *rei Divinæ*, ſed diſtincte tamen,
quia quæ ſacra ſunt, *ſacra* vocat, Sacramenta ve-
ro ſuis nominibus appellat; cum igitur de Sacra-
mentis loquitur Sigonius, non *ſacra*, ſed Sacra-
menta dicere debuit, ut quæ re & nomine diſtin-
cta ſunt, ab ipſo quoque diſtinguerentur.

TERTIA NOTATIO.

FOl. 51. Commentariorum in Sulpicium, cum
vellet dicere Sigonius impios gentium ritus
ſequi, ſed Idololatriam eſſe, id his verbis expreſſit:
ſacra Gentilium ſuſcipere; qui locus viſus eſt an-
notatione dignus, maxime quod ab eiſdem ſuſpe-
ctis phraſibus, quoties occaſio ſe obtulit, in hoc
Commentario, ut infra aperte patebit, non po-
tuit abſtinere. B. Hieronym., inquit, *ex verbis inor-
dinatè prolatis, facile incurretur hæreſis*.

RESPONSIO.

OBjicit Cenſor, Sigonium dixiſſe *ſacra gen-
tilium* cum dicere debuiſſet impios ritus
gentium; reſpondetur, in lib. 1. Machabæorum,
unde hæc hiſtoria Antiochi ſumpta eſt, ſcri-
A ptum reperiri *Judæos juſſu Antiochi ſacrificaſſe,
& ad inſtituta gentium tranſiviſſe* &c. Nec ibi
ulla impietatis fit adjectio, ſic etiam 3. Reg.
15. dicuntur *ſacra Priapi*, & non dicuntur
impia, & 2. Machab. 6. dicitur *ſacra Liberi*,
& non appellantur impia; ſed & Sanctus Au-
guſt. in libro de Civitate Dei nominat *ſacra
Jovis, Junonis, Martis, Veneris, Bacchi* ſine
ulla adjunctione, & Lactant. lib. 4. cap. 20.
loquens de gentilibus ait; *Diximus de Diis
ipſis, qui coluntur, nunc de ſacris & myſteriis
eorum pauca dicenda ſunt.*

CENSORIS MONITIO.

B NOn videt notari, quod eodem modo vocet
ſacra Gentilium, & *ſacra* Chriſtianorum, &
ſacra modo vocet Miſſam, modo Sacramenta, mo-
do Orationes adhibitas, quas hæc eadem apud Gen-
tiles olim fuiſſe dicat; quod tamen abſurdum eſt;
nam cum de gentium ritibus loquimur, eorum
impietatem, quibus verbis poſſumus, deprimere
debemus, inſufflari, deteſtarique tanquam conſpur-
cata, & horrenda dæmonum flagitia, ne harum
rerum appellatione aliquid maculæ piæ aures con-
trahant. Quod quidem fuit in cauſa, cur Synod.
prima Carthag. cap. 6., ut refert Burchard. lib. 1.
cap. 95. Epiſcopis Gentilium, librorum lectio fuerit
interdicta. Patres vero de iis ſacris mentionem fa-
ciunt, nedum eorum religione falſa exploſa, quæ
cum in gentium animis tenaciter inhæſiſſet paula-
tim evellenda erat. Eorum tamen voces, quibus
profana myſteria deteguntur, hoc tempore non ita
libere uſurpandæ ſunt, cum iterum Sathaniſmus
C pullulet: apage, quæſo, iſtam dicendi libertatem,
& religioſius loquere, & ſubmiſſius te habe. Quod
ſi non ita intelligit Sigonius, loquatur proprie,
ut juventus Catholica (quod maximi momenti eſt)
clare percipiat, & in rebus ſacris explicandis uta-
tur nominibus propriis, & cuilibet rei conſenta-
neis, tum fugiat novum loquendi modum, videat-
que ut Catholicus in his locis, quæ emendicando
adducit, an noſtro tempori, perſoniſque conve-
niant. Unde ſi Sanctus Auguſtinus, & alii Scri-
ptores, *Deos* dicant, & *ſacra Gentilium* nominent,
ſtatim tamen reprehendunt, damnant, & irrident.
Quod non ſolum non facit Sigonius, ſed ita ſe
proprie loquutum fuiſſe defendit. Hinc pueri cum
hæc nude apud Sulpicii Commentatorem repe-
tiant, imbibunt animo quod illorum ætati, men-
tis captui, atque ſaluti omnino eſt exitiale; & ſi
loquutio minus latina reprehenditur, quare minus
Catholica toleratur?

D QUARTA NOTATIO.

PRæterea ſacrum apud Theologos non ſumitur
ſemper pro Sacramento, ut habetur in D.
Thom. pr. part., ubi diſtinguit inter Sacra, Sa-
cramenta, & Sacrificia.

RESPONSIO.

HOc nihil ad Sigonium; neque enim ne-
gat ſacra, ſacrificia, & ſacramenta, ſi
ſtrictim ſumantur, diſtingui, ut explicat San-
ctus Thomas prima parte, ſed nec negandum
eſt, unum pro alio uſurpari poſſe ſine errore.
Nam Sanctus Auguſtinus de Civitate Dei, ut
E refertur de conſecratione d. 2. cap. *ſacrificium*,
ait, *ſacrificium viſibile, inviſibile ſacrificii ſa-
cramentum, ideſt ſacrum ſignum eſt* &c. Item
Exod. 13. *celebrabitis hunc morem ſacrorum
menſe iſto* & 31. ut fungantur officio ſuo *in
ſacris*; Quibus in locis *ſacra* accipiuntur pro
ſacrificiis, & ſacramentis. Quod & aſſerunt
ſcholaſtici Doctores, Scot. in 4. ſentent. diſtin.
pr. q. pr. art. pr. verſ. *ad cujus* dicens *ſacra-
mentum à ſacro deduci, & idem eſſe quod ſa-
crum arcanum, ſeu ſacrum myſterium*; & Sigo-
nius ipſe poſt verbum *ſacrum* utitur verbo
ſacramenti fol. 147. ubi ait *mox ſacra cœna*,

cum

cum diſcipulis celebrata Divinum Corporis & Sanguinis ſui Sacramentum ſingulis impertivit.

CENSORIS MONITIO.

SI non negas, Sacra, & Sacramenta, & Sacrificia diſtingui, diſtinguas oportet, ne miſceas & confundas; etenim *ſacrum* nnn eſt Sacramentum, nec animal homo eſt, nec quis ſacris operatur, ut tu loqueris, ſtatim Miſſæ ſacrificium celebrat. Hæc enim tam diverſa ſunt, quàm quod maxime. Paſchaſius Corbirienſis, qui ante 800. an. floruit lib. *de pœnitentia Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia*, cap. 3. Sacramenta à ſacris ita diſtinguit. „ Quæ enim, inquit, interna Spiritus Sancti virtute in animo fiunt, ſacra dicuntur; quod „ vero per Conſecrationem Invocationis Dei, vel „ alterius ſacri tenetur, vel viſu, vel auditu ſen„ titur, hoc Sacramentum dicitur. Quare ſicuti abſurdum eſſet apud linguæ Latinæ peritiſſimos, ſi quis ita loqueretur, volo ut tu ſacro contendas, ſacro obligeris, ſacrum tibi deferatur, pro Sacramento cont. Sacramento obl. ſacrum tibi deferatur, quia animo ſacrum late Sacramentum aperte cernitur. Ita plane pro ridiculo eſſet, ſi Sacramentum ipſum ſacra generali voce nominaret. Nec vero Sancti Patres abſolute *ſacrum* nominant, ſed ſemper aliquid in eorum dictis adjungas neceſſe eſt, ut fecit Ambroſ. *de his qui ſacris initiantur*, ideſt, ſacris myſteriis, cum myſteria Sacramenta ſint apud Paulum ad Epheſ. 5., ergo cum quibuſdam locis ſacra pro Sacramentis poni dicas auctoritate Scoti interpretis; Non vides te eſſe interpretem Sulpicii; quod ſi ita velis loqui, egere te interprete cum diſtinctionem interponas, ut tollatur ambiguitas. Quod ſi hæc in Scholis Theologorum difficilia ſunt, quid ergo in Scholis Grammaticorum erit, ubi rudes puerorum animi inſtituuntur? tolleretur ergo omnis difficultas, ſi ſingulis rebus nomina propria in Catholica Eccleſia uſitata, adhibita fuiſſent.

QUINTA NOTATIO.

FOl. 26. Cum idololatriæ initium ponat ex ſcripturis, oportuit cultum ſacrarum imaginum, qui eſt apud Catholicos, explicuiſſe, ne illis locis, quibus auctor utitur, viderentur Catholici inter Idolatras relinqui: Nec parvi momenti eſt, ut pueri ſciant dum orant imagines, inter Idolatras ſe non comprehendi. De Sanctis in libris de Regno Italiæ, ut hic merito ſit admonendus.

RESPONSIO.

SUlpicius ita ſcribit pag. cit. *Rachel patris Idola furto abſtulit*. In hæc ita Sigonius. *Hæc eſt prima mentio Idolor in ſacra ſcriptura; ſunt qui ſcribant Sarugum octavum à Noë Idola primum excogitaſſe*. Objicit Cenſor, oportuiſſe explicari cultum ſanctarum Imaginum apud Catholicos: cui reſpondetur, neque ſacras imagines eſſe Idola, & ſermone de cultu ſacrarum Imaginum, qui poſt Chriſtum invaluit, ad hunc locum, & tempus non pertinere, neque temere non requirente ſententia hic inculcandum fuiſſe. Additur etiam, eum de cultu ſanctarum Imaginum non bene ſenſiſſe in libris de Regno Italiæ, quod ſecus eſt. Nam Sigonii verba lib. 3. illum redarguunt. Ibi inquit: *Philippicus Imp. eodem Joanne doctore novam alteram hæreſim aſſeruit. Etenim in eam opinionem impulſus eſt, ut veteribus conciliis adverſantibus crederet Sanctas Chriſti & Virginis Dei genetricis aliorumque Divorum Imagines nullo cultu, ac veneratione dignandas, ac nullo loco nulloque numero eſſe habendas. Itaque novo furore atque vecordia percitus picturam ſexti Concilii è Baſilica abradi, & ſacras omnes è templis imagines aboleri præcepit, atque his de rebus Sacram ad Conſtantinum Pontificem miſit neque tam fœdæ actionis poſcere comprobationem erubuit*.

CENSORIS MONITIO.

EGregia ſane reſponſio, ſacras imagines non eſſe Idola, & ut dicit tempus non eſſe agendi de ſacris Imaginibus, quare cum Sulpicius unum verbum ponat, ipſe tam diligens eſt in re inquirenda? Ait enim *Sarug. octavum à Noë Idola excogitaſſe*, nempe ſtatuas hominibus in honorem poſuiſſe; poſteros autem ignorato ejus conſilio eos tamquam Deos coluiſſe pag. 26. Ex quibus puer ignarus rerum, quem ipſe inſtituit, cum viderit imagines vel effingi vel pingi à Chriſtianis, putet, & ex ipſo colligat eum poſteris illas colere; ſunt enim Chriſtiani poſteri, vel quia temporis ſucceſſione orti ſunt, vel quia ex illis anteceſſoribus oriuntur. Quare aperte deprehendet puer, imagines ex gentium ritibus in Eccleſiam invectas. Hæc Sigonio illuſtrius explicanda erant, cum interpretis officium ſit, quicquid quovis loco poſſit ſcrupulum facere, removere, & verba, quæ citantur ex lib. 3. de Regno Italiæ non ita ſunt ibi ſcripta. Nam hic ait, *Sanctas Chriſti & Virginis Dei Genitricis aliorumque Divorum imagines*. Ibi vero dicit, *Sanctas Chriſti Dei Genitricis, aliorumque Divorum*. Neque enim de Beata Virgine, & de Chriſto tam reverenter loqui conſuevit, quam pietas poſtulat, & quæ eo loco dicit, præterire non potuit, nec ponit ob illud tantum ſcelus ſum. Pont. Conſtantinum Philippicum Imp. excommunicaviſſe, & pro ſua auctoritate Imperio privaſſe; imo rem impiam ita eo loco narrat, ut non videatur improbare. Et aliis locis vocat ſtatuas more gentium *picturas & effigies*, cum loquendum ſit propriè & piè inſtituenti pueros, ut paſſim videre eſt in lib. de Regno Italiæ, & de Imperio Occidentali; ideo notatur quia cum pueri ſint tamquam tabula raſa, pietatem in illorum animis imprimere par eſt, & omnem abigere impietatis ſuſpitionem.

SEXTA NOTATIO.

FOl. 37. Occaſionem ſumpſit tractandi de Sancta Euchariſtia ſub nomine *panis* propter manna &c. licet autem quæ dicuntur, dicantur propter Chriſtum, qui eſt *panis vitæ*; & ideo permitti fortaſſe poſſunt, tamen quia in lib. de Regno Italiæ ſæpe *diſpertiri & comedere panem* dicit, & nunquam facit mentionem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, neque Miſſæ, ſed illam ſemper cœnam & panem vocat, & hanc circumſcribit; locus iſte examinatione dignus videtur.

RESPONSIO.

SUlpicius pag. 37. hoc mannæ cibo Hebræi per 40. annos uſi ſunt: Sigonius in hac citavit Sanctum Joannem cap. 6. *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto* &c. ſicut ſcriptum eſt *panem de cœlo dedit eis manducare*; ſic Sanctus Paulus 1. Corinth. 10. *omnes eumdem ſpiritualem cibum manducaverunt*, vulgata lectio habet *eandem eſcam ſpiritalem*, ubi alluditur ad manna, & ad aquam, quæ exivit de petra, & Sanctus Auguſtinus exponens locum Joannis in libro *de utilitate pœnitentiæ* alludens ad Euchariſtiam, & Divus Thom. 3. par. q. 73 art. 6. & Scotus d. 8. q. pr. art. 6. idem fecere, quod Sigonius! de phraſibus uſurpatis in Regno Italiæ nihil reſpondemus, quia hic non eſt locus.

CENSORIS MONITIO.

NOn reſpondet ad annotata, & quæ affert in eandem ſententiam, non quadrant. Notatur enim quod amplectatur modum loquendi ſacramentariorum, qui ſacratiſſimum Euchareſtiæ ſacramentum vocant *panem & comedere* dicunt & *diſpertiri*. Nam illi ita faciunt; Sigonius vero merito aliter loqui debuiſſet habita ratione perſonarum & temporis. Non enim par eſt Catholicum loqui, ut illi loquuntur, ut eum vocant *cœnam*, & aliis verbis utuntur, quæ non vitat Sigonius. Unde pii interpretis erat, verba illa, quæ uſurpant & amplectuntur, potius declarare, quàm accumulare ſen-

ſententias ad eamdem rem confirmandam. Quoniam tenemus quæ dicit ad ſe excuſandum, ſed non tenent pueri. Hæretici etiam non audiunt, dicat contra illos. Quare ſemina pietatis non ſpargat, quando datur occaſio, dicat quibuſcum agat & quo tempore.

SEPTIMA NOTATIO.

PRæſertim qoia fol. 38 ponit hæc verba *myſtice ſic expoſuit S. Paulus*, quo loco abutuntur qui Catholicæ veritati hodie in materia Sacramentorum reſiſtunt.

RESPONSIO.

SUlpicius cit. pag. 38. *Moyſes virgâ petram percuſſit*, Sigonius in hæc hoc *myſtice ſic expoſuit Sanctus Paulus* inquiens PETRA AUTEM ERAT CHRISTUS. Cenſor autem ait hoc loco abutuntur, qui Catholicæ veritati hodie in materia reſiſtunt Sacramentorum, quod nihil lædit Sigonium, qui rectiſſime ea verba in eum ſenſum adducit, quibus antiqui omnes utuntur.

CENSORIS MONITIO.

SIgonium dicit non lædere hanc interpretationem, com ipſe ita dicat Divum Paulum *myſtice* ſic explicuiſſe pr. ad Corinth 10 neque enim myſtice *petra erat Chriſtus*, ut hæretici volunt, hoc eſt ſignificabat, ſed *petra erat Chriſtus*, qui eos conſequebator. Quod ex Divo Petro pr cap 2 conſtat ubi de Chriſto ita ait, *ad quem accedentes lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tamquam lapides vivi ſuper ædificamini*. Quem locum Beatus Fulgentius lib. 2. ad Monimum de Euchariſtiæ ſacramento interpretatus eſt. *In quo ut in lapide unico omnis Eccleſiæ ædificatio conſtruitur*. Eſt enim Chriſtus αὐτόλιθος idest per ſe lapis ot ait Joannes Cypariſſiottus auctor Græcus in Dionyſium Decad. 15. cap. 10 Cum ſit Chriſtus per ſe petra, per ſe fundamentum Eccleſiæ, & non per ſimilitudinem, unde qui realem Chriſti præſentiam in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento negant, ita myſtice interpretantur, ut dicant, *hoc eſt corpus meum*, ideſt ſignificat ſive notat: quod Sigonius videtur inſinuare & ideo notarur, non enim Sanctus Paulus myſtice loquitur, ſed declarat quod myſtice priſcis indicatum fuit; ait enim *conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus*; & dum ſe excuſat accuſat, quia perſiſtit in eadem ſententia, quam potius objicere Sanctæ Romanæ Eccleſiæ cenſuræ debuiſſet.

OCTAVA NOTATIO.

FOl 62. Quod Sulpicius dixit de Regibus, poteſt multis modis excuſari, ſed quæ dixit expoſitor nullo pacto. Is enim liberam vivendi rationem non ſolum Regum regimini & Monarchiæ antepopit, ſed tamquam impiam & ratione alienam damnat, tacite confirmans hoc pacto pravitatem illorum, qui hodie contra ſuos Reges bella gerunt, atque ut libere vivant ab eorum obedientia defecerunt. Nec pueri ſunt hac doctrina imbuendi.

RESPONSIO.

SUlpicius cit. pag. 62. *Regium nomen cunctis liberis populis inviſum Regem populus deſiderabat*: In hæc Sigonius *liberi populi odio habent Reges, quia liber populus paret legi ideſt rationi; qui vero ſubjectus eſt Regi, paret voluntati unius, qui ſæpe affectu ducitur & pravus eſt*. Cenſor autem inquit, Sigonium favere hæreticis, & damnare Monarchiam tanquam impiam, & à ratione alienam, & tacite favere eis, qui bella hodie faciunt Regibus ſuis. Cui reſpondetur; rationem, quam reddidit Sigonius, eſſe Ariſtotelis in tertio Politicorum, ubi oſtendit melius eſſe imperare legem, quàm unum: & congruit cum Scriptura

A ſacra, ubi in primo Regum poſtulantem dixit *hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis, filios veſtros tollet, & ponet in Curribus ſuis, facietque ſibi equites*, & reliqua gravia quibus deterrere conatur à Rege petendo, tamquam gravi futuro.

CENSORIS MONITIO.

ALiis verbis verba poſita in Sulpicio elevat. Sic enim ait: *liberi populi adverſantur Reges* (verba Sigonii eadem ſunt, quæ citavimus ſupra) *quia liberi populi obediunt legi*, ideſt *rationi*; qui vero *parent Regi obediunt voluntati*, ideſt *libidini unius plerunque pravi*; quare amens eſt qui Regem libertati anteponit: Hic judicavit officium interpretis eſſe, liberam vivendi rationem proponere,
B & ut elogium ponit: *Quare amens eſt qui Regem libertati anteponit*. At ubi ratio poſtulat ut ponat quo ad bonos mores, ad Catholicam doctrinam, & uſum in Eccleſia Romana receptum faciunt, facere debuiſſet, nam quid nobis cum Ariſtotelis ſententia hoc tempore?

Nec reſpondet Sigonius crimini, quod objicitur, ſed aliò rem transfert, ut auctoritate Ariſt. Monarchiam impugnare velle videatur; in qua re primum confundit Regem cum Tyranno, quod nec Philoſophia, nec Religio patitur. Ita enim dicit *obediunt voluntati eorum*, ideſt *libidini unius plerunque pravi*. Rex verò ratione, Tyrannus libidine gubernat. Buchananus Hæreticus in Dialogo de jure Regni Scotiæ ſimilibus fere argumentis perſuaſit populo, ut ſe in libertatem vendicarent, Reges ejicerent, & deperditam popularem libertatem quaſi poſtliminium revocarent. Ita Sigonius amens
C eſt, qui Regem libertati anteponit; ergo ſobrius erit ac prudens qui ſe in libertatem aſſeret, quod cum fieri non poſſit, niſi Regia tollatur dignitas, tollenda plane erit libertatis cauſa. Quod quidem deteſtandum & intolerabile eſt, cum Tyrannus à privato indictâ cauſâ occidi non poſſit, quanto magis Rex, qui vel ſuffragiis populi, vel jure belli, vel paterna ſucceſſione dominatum aſſecutus eſt. Adeo ut jam Regibus tanquam legitimis Dominis Rom. Ecc. conſenſus acceſſerit. Præterea cum locum I. Regum adducat Sigonius in ſuam ſententiam, vereor ne cum Buchanano ſentiat, qui eodem argumento Saulem Tyrannom fuiſſe contendit: quod falſum eſt. Nam tametſi in I. Regum Samuel ita dixit, ut populum averteret à petendo Rege, non tamen proinde Regum dominatus improbatur à Scriptura: ſed vult Sigonius pertinaciter confirmare, quod dixit hoc tempore etiam ad pueros inſtituendos; quaſi mos, qui jam
D diu in Eccleſia Dei eſt, à Summis Pontificibus approbatus, & conſtitutus creandi Reges & Imperatores, Scripturæ contradicat; meminerit quid Ariſt. in Metaph. de Rege & uno Principe dixerit, & quæ alibi ſcripta reliquerint Plutarchus in Parallelis, Dion. lib. 44. Syneſicus, & Xiphilinus *Patriarcha Conſtantinopolitanus* in vita Julii Cæſaris, quibus teſtimonium Ariſtotelis elidi facile poterit. Revolvat etiam animo in ſacra Scriptura leges Regibus eſſe perſcriptas ad bene beateque regendum, quid & Sanctus Paulus de illis dicat, & non interponat quaſi Axiomata, quæ ad flagitiorum impunitatem, & liberam rationem vivendi faciunt. Unde Reges, qui Eccleſiæ Romanæ auctoritatem regant cum libere & libenter populi beneficio in eorum Fidem & Leges jurent, & ſe Regem in populum non tamen in mancipia aut in externos, & infideles accipere; potius leges, quibus inaugurari ſont, & non ipſi regnare dicentur. Præterea
E nuſquam populus majori fruitur quiete ac libertate, quam cum eſt Regibus ſubjectus.

NONA NOTATIO.

FOl. 73. Inſinuat errorem Eraſmi in paraphraſim Evangeliorum, aſſerentis, poſſe cadere errorem in Auctorem librorum Canonicorom, hoc eſt ſacræ vulgatæ editionis per quandam inconſiderationem humanam; & cum hic potuiſſet brevibus Catholicæ Eccleſiæ ſenſum aperire, ſuſpenſos legentium animos reddidit, & ſe alibi hac de re fuſius tractaturum promittit, aperte negligens quod habetur in Decreto, Seſſ 4. ſacri œcumenici Trid. Conc. ubi vulgata editio approbatur; ſi ergo pure ſentit, pure & aperte loquatur & Juventutem pure imbutam velit.

RESPONSIO.

SUlpicius fol. 73. inquit, ſe putare in Scriptura Sacra numerum annorum eſſe corruptum, & timere ne iidem numeri in ſua hiſtoria depraventur; Sigonius confirmat utrumque, ſcilicet & in ſacris libris numeros aliquos librariorum culpa videri vitioſos, & apud Sulpicium fere omnes. Cenſor non negat hoc, ſed fortaſſe ut ſuſpectum reddat Sigonium hæreſeos, inquit enim *contradicere Concilio Tridentino, à quo vulgata editio comprobatur*. Cui reſpondetur, Sigonium non dixiſſe Auctorem ſacrorum librorum erraſſe, ſed numeros aliquos librariorum culpâ vitiatos; Concilium autem ſtatuit, vulgatam editionem latinam authenticam eſſe, ita ut nemo eam rejicere quovis prætextu auderet, non autem affirmat eam in omnibus numeris bene haberi, neque librariorum culpa corrumpi poſſe. Hujus vero ejuſdem ſententiæ eſt Melchior Canus Frater Ordinis Prædicatorum, qui Epiſcopus interfuit Concilio illi, & poſt illud Concilium ſcripſit lib. XI. de locis Theologicis in hiſtoria ſacra, inquit: *ita ſæpe librariorum vitio depravati numeri ſunt, ut qui eos ad veram rationem revocare voluerit, is non dico in ſcopuloſis locis, arduiſque verſetur, ſed in labyrinthum inexplicabilium quæſtionum intret neceſſe ſit, unde exire non queat, nec ſi Theſei quidem filum habeat*. Nominat inde multos numeros in libris Regum, & Paralipomenon inter ſe contrarios, & poſt multa infert, quamobrem veriſimile eſt, Auctorem libri Regum, Saulem filium *unius & viginti* annorum fuiſſe ſcripſiſſe, ſed Scriptorum vitio majorem numerum in hebræis exemplaribus omiſſum. Quem deinceps errorem in græca latinaque exemplaria aut alii quilibet, aut etiam interpretes transfuderunt. Tandem poſt longam diſputationem concludit, *oſtendimus errorem in numeris, promptiſſimum eſſe atque facillimum oſtendemus numeros quoſdam in ſacris libris ex ſcribentium errore vitiatos*. Idem ſcripſere alii multi, qui omnes contradicunt Concilio, ſi Cenſoris ſententia vera eſſet. Nam quod inquit *inſinuari errorem Eraſmi*, longe aliud eſt: Nam Eraſmus cenſuit, ipſos Auctores ſacros errare potuiſſe. At Sigonius cum omnibus catholicis, inquit *aliquid vitii in eis eſſe propter librarios*.

CENSORIS MONITIO.

SUbterfugere conatur citandis aliorum ſententiis de numeris, & non meminit ſe ſcripſiſſe eo loci: *quæ res torquet multos, qui Cœlum terræ miſcere malunt*, quam ut aliquid vitii vel humana contractum incuria in ſacris libris afferat. At qui hoc ſentiebat Eraſmus humanâ incuriâ vitium ab ſcriptoribus ſacrorum librorum in libros ipſos emanaſſe; contra quem errorem citatur ſacrum Concilium Tridentinum non contra numeros, ut ille ait; & deinde eodem folio ſubjungit. *Sulpitius autem natus ante annos mille ducentos librariorum negligentiâ mendoſa multa in ſacris libris facta eſſe*. Deinde: nonnulli vero poſt tot annorum ſpatia, multaque literarum detrimenta, omnia bene habere defendunt, ac ſophiſticis rationibus ſinceritatem hiſtoricæ veritatis corrumpunt: hoc eſt contra Concilium Tridentinum, & hoc dicimus male haberi & hanc eſſe ſinceram veritatem. Nam verba Sigonii etiam ſi à numeris ducant originem, tamen ipſe non loquitur ſolum de numeris, ſed mendoſa multa eſſe aſſerit, & veritatem hiſtoriæ aliunde, quam à ſacris libris poſſe peti ſignificat, quis enim hoc ex illius verbis non colligat? Ille hiſce propoſitis non reſpondet, quia carent reſponſione,

A & quia in ſuis non citat vulgatam editionem ſed græcam uſurpat, non latinam vulgatam. Quæ cum ſit in annorum ſupputatione, maxime ut refert Hieronymus in quæſtionibus hebræis ad hebraicam veritatem collata, non eſt quod hanc notam noſtris exemplaribus inurat, nam ſi aliquid erroris in ſacram Scripturam irrepſiſſe fateamur, omnia corruere neceſſe erit, ut ait Beatus Auguſtinus contra Fauſtum lib. 11. cap. 5. & Scriptura ſacra calumniis hominum patebit. Quod quam ſit abſurdum, vel ratio humana perſuadet, cum omnis hiſtoriæ veritas ex nullis aliis, quàm ex ſacris Bibliis, & ex hebraica veritate annorum numerus defendi poſſit. Quare nec oracula Prophetarum, quæ certo numero & ſerie continentur, certo conſtabunt, quæ tamen certo certius, præcipuè tamen quæ de Chriſto prædicta ſunt à catholicis ſupputantur, nec tanta poſſet ubique gentium ſcriptorum fieri conſenſio, ut omnes in hunc errorem,
B quem libris ſacris imponit Sigonius, conſpirarent: nec hebræorum depravata mens in eam poſſet eos inſaniam adigere, ut annorum numerum corrumperent, ubi nulla eſt inter ipſos, & Catholicos diſceptatio, ut videre eſt in hoc loco 3. Reg. 6. quem Sigonius notat, de quo nunquam dubitatum eſt. Quare potius Sulpicius erat admonendus, & piè notandus, quàm Scripturæ ſacræ exemplaria.

DECIMA NOTATIO.

VAtes perſæpe appellat quos Eccleſia Sanctæ Prophetas vocat: Ideo ſi vates à vi mentis illos vult appellare, addat ſaltem *pios* vates, vel quid ſimile.

RESPONSIO.

C SIgonius aliquando *Prophetas* nominat, aliquando *Vates* (pag. 78.) Huic opponitur teſtimonium vulgatæ editionis Bibliorum, quæ utitur nomine *Vaticinii*, & verbo *vaticinandi*, cum loquitur de Prophetis, neque addit vocem pietatis: Ezech. 11. *vaticinare de his*; *vaticinare fili hominis*; & 37. *vaticinare de oſſibus iſtis*; & 39. *fili hominis vaticinare adverſùs Gog*.

CENSORIS MONITIO.

NOn reſpondet notationi; nulla enim verbi *vaticinari* aut nominis *vaticinii* ſit objectio, ſed notatur, quia Prophetas *Vates* vocat, cum ſignificatio nominis aliud indicet. Sed Sigonius ut ſubterfugiat, nec reprehenſione dignus putetur,
D ad verbum *vaticinor* confugit, & uſum illius in vulgata editione demonſtrat. Nos vatis nomen notamus, non verbum; jam enim uſu receptum eſt, ut vaticinandi verbum rerum futurarum prædictionem ſignificet; cum tamen hoc nomen *vates* quaſi *fates*, ut ait Varro, à fatis præſagiendis, vel à vincendis carminibus dicatur. Quare ne puer cum hæc audit, Ovidium aut Virgilium, aut alios Poëtas intelligat: hoc nomen quaſi à Chriſtiana religione alienum excludendum; & id, quod tibi fuit objectum, conſiderandum erat; præſertim cum qui juventutem catholicam rectè inſtituere vult, effugiat neceſſe eſt omnia, quæ Prophetis & Prophetiis communia faciunt hæretici. Cum de Vatibus & Vaticiniis, & quæ habemus in Symbolo, *qui locutus eſt per prophetas*, hæc veritas non erat ſubobſcuranda, & intermiſcenda, ſed aperte & clare confirmanda. Tum etiam, cum præ ma-
E nibus illud habitum fuerat, ut ſacer auctor explicaretur, & ſacra hiſtoria, ut juventus rectè in Catholica fide his periculoſis temporibus informaretur. In libris ſacris *Vatis* nomen pro *poeta* ponitur (ſed tamen in Epiſtola S. Pauli ad Titum non Vates ſed Propheta propriùs dicitur) ut in Epiſtola ad Titum de Epimenide Cretenſi refert Divus Paulus, qui Cretenſes mendaces, ventricolos &c. judicio illius poëtæ vocat & vatis nomen in Scriptura ſacra non eſt. Propheta in uſu eſt, accedit huc quod vates non tam illi dicebantur apud Gentiles, qui numine vel furore correpti erant, ut docet Plato in dialogo de furore Poëtico, ſed etiam qui inſpectione animalium aliquid præſagiebant, ut ait Arnobius; & vaticinium non ſolum vocibus, ſed etiam ſuperſtitioſis quibuſdam ſignis reddebatur. Quod ex Servio lib. 6. Virgilii conſtat, illis verbis:

Erran-

Erranteſque deos agitataque numina poſco.

Enim dicit ſimulacra brevia quæ portabantur in lecticis; & ab ipſis mota infundebant vaticinationem, ſic Ventriloqui & Phitones Vates dicebantur; ergo ne hæc confundamus, & ſimiles in edendis reſponſis exiſtimemus, nomine diſtinguere debebat Sigonius, cum diverſo ſpiritu agitati, eloquutique fuerint. Quod vero inter noſtros Prophetas ſanctos, & fallaces gentium Vates diſcrimen interſit, docuit B. Juſtinus martyr q. 2. Orthodoxa & Nicephorus Gregoras commentariis in Syneſium *de inſomniis* cum Prophetæ ſancti *ἐνάργ* ideſt *apertam viſionem* rerum haberent, vates confuſam & perturbatam; furebant enim, bacchabantur, & ut amentes furiati rotabantur, & amota mente verba frangebant, ut etiam docet Lactantius *de falſa religione* cap. 4. & Virgilius:

Bachabatur vates, *magnum ſi pectore poſſet*
Excuſiſſe Deum, tanto magis ille fatigat.

Prophetæ ſancti ſuaviſſime adeò corripiebantur, ut eleganter deſcribit Job. cap. 4.

UNDECIMA NOTATIO.

RUrſus obſervandum eſt; quo verbo ſacramenta & ritus Chriſtianos indicavit in hiſtoria de Regno Italiæ, eodem impias gentium ſuperſtitiones indicat nempe *ſacra Ægyptiorum*, *ſacra* vocat, quo nomine Sacramenta Eccleſiæ, & Miſſæ Sacrificium ſæpius dicit, & hoc pacto omnia confundit.

RESPONSIO.

SUlpicius ait: *quo tempore ſacra etiam eorum* nempe Ægyptiorum *irriſiſſe traditur.* Cenſor verba Sulpicii tribuit Sigonio. Nam objicit quod *ſacra Ægyptiorum* dixerit, quod non dixit. Itaque dum requirit alienam diligentiam, oſtendit potius errorem ſuum. De hac re ſupra dictum eſt, nunc tantum addimus, Lactantium eodem in loco dixiſſe *Ægyptiaca ſacra ſunt* &c., & dicimus vocem illam *Ægyptiorum* oſtendere impietatem eorum, & cum dicimus *ſacra Chriſtianorum*, indicamus pietatem; mirum autem videtur, ſi Scriptura ſacra *falſos Deos*, Deos vocavit, & *falſa ſacra*, ſacra nominavit, ut Priapi & Liberi, non poſſe id etiam ſive à Sulpicio, ſive à Sigonio uſurpari.

CENSORIS MONITIO.

IN ſua interpretatione *ſacra* eorum repetit, præterquamquod Sulpicius in contextu dicat & cultum declarat; etſi vero in ſacra Scriptura ſacra Priapi, aut Liberi dicantur, fit quia ibi notatur error illorum, qui hujuſmodi monſtra colebant ut Deos, & illis ſacrificabant, atque hujuſmodi ſuperſtitionem *ſacrificia* vocabant, cum hoſtias & victimas offerebant, ſed Catholicus ſcriptor *ſacra* debet diſtinguere, ut quid Miſſa, quid hoc vel illud Sacramentum ſit, intelligat puer, neque omnia involvenda ſunt *ſacrorum* nomine, & cum ſacra Scriptura dicit *falſos Deos*, non quia Dii eſſent, quia ab hominibus in cœcis erroribus verſantibus pro Deis colebantur idolatrando.

DUODECIMA NOTATIO.

FOl. 146. De Baptiſmo Joannis agens *aqua tingere* dicit, ne dicat Baptiſmum, quod hic præcipuè cavendum fuit.

RESPONSIO.

SIgonius ibid. *Joannes ad Jordanem profectus homines aqua tingere cœpit*. Cenſor monet pro inſigni crimine dictum eſſe *tingere* pro *baptizare*, & ab eo cavendum eſſe ait, in quo Scripturis ſanctis & veteribus, & novis contradicit. Auctoritates hæ ſunt: Tertullianus

A contra Praxeam noviſſimè mandans, *ut tingeret in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*; & Cyprianus epiſtola 23. *cum Dominus dixerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti gentes tingi, & in Baptiſmo peccata dimitti*; & Epiſtola 25. *Dominus poſt Reſurrectionem mittens Apoſtolos mandat, & dicit*: ITE ET DOCETE OMNES GENTES, TINGENTES EOS: IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. Item alibi baptizatos vocat *tinctos*. Præterea Sanctus Auguſtinus in Evangelio Sancti Joannis Tract. 80. *Hoc verbum fidei tantum valet in Eccleſia Dei, ut per ipſam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem*.
B Catecheſis Rom. cap. de Baptiſmo, non ſolum dixit *baptizare*, ſed etiam *abluere*, *perfundere*, *aſpergere*, & quod iſte cavendum inquit *tingere*, ſic etiam ait, *vel aquam in eos infundere, vel aquæ aſperſione tinguntur*; in Levitico etiam cap. XI. ſcriptum eſt *tingere aqua* pro *abluere*. Demum Scholaſt. in 4. inquiunt, *baptiſmum eſſe intinctionem*; ſic Magiſter diſt. 3. dicens: *baptiſmus dicitur intinctio, ideſt ablutio corporis exterior*; & Scotus ibidem diſt. 3. qu. 1. proponit Quæſtionem his verbis: *An illa definitio baptiſmi, quam ponit Magiſter, ſit propria, videlicet: Baptiſmus eſt intinctio, ideſt ablutio corporis exterius facta*, &c. & dictam definitionem defendit. Sigonius
C autem, ut oſtenderet, baptiſmum Joannis fuiſſe ſolùm in aqua, & non in Scriptura, & non in Spiritu Sancto dixit: *Joannes aqua tingere cœpit*, & non baptizavit, nec tamen baptiſmi nomen vitavit, nam eodem fol. ſic ait: *ſeptimo Idus Januarias venit Chriſtus ad Jordanem, & à Joanne baptiſmum popoſcit*.

CENSORIS MONITIO.

NOn notatur pro inſigni crimine *tingere aqua*, ſed illa vitioſa erubeſcentia Scriptoris vitantis uſitata verba, & quæ pueri Catholici imbibant. Quod ad ſubterfugiendum affert ex Catechiſmo, *vel aqua in eos infunditur, vel aquæ aſperſione tinguntur*; non videtur intelligere, quomodo Eccleſia Catholica id uſurpet. Nam *tingere aqua* baptiſmum
D aſperſionis ſignificat, vel leviter aquam infundere, intingere verò, ſubmergere eſt; ut ex Cypriano in Epiſt ad Maximum deducit Pamelius; unde cum apud varias nationes, & ſubmerſionis, & ablutionis uſus vigeat, per eam vocem *tingere* omnis baptiſmi ritus expreſſus non fuit. Quod tamen Catechiſmus tam accurate diſtinxit, ut ſingulis rebus & actionibus ſingulas etiam voces accommodet. Quod affert de definitione, non eo pertinet: ſi differentiam baptiſmi voluit declarare, declaraſſet planius; præſertim cum pueros informet, non fugiat uſitata in Eccleſia Catholica nomina, quæ elegantiſſima ſunt, quibus auditis multo melius res intelligitur, quam cum eadem circuitione ſignificantur.

DECIMATERTIA NOTATIO.

E FOl. 147. Chriſtum Jeſum in navi *pulvino ſuppoſito* dormiſſe ait, quod neque in Evangelio, neque in Expoſitoribus ſacris reperitur.

RESPONSIO.

SIgonius ibi: Chriſtus *pulvino capite ſuppoſito in Navi dormire cœpit*. Cenſor negat Chriſtum in Navi ſuppoſito pulvino dormiſſe; inquit enim, quod non invenitur neque in Evangelio, neque in ſacris Expoſitoribus, cum tamen Sanctus Marcus cap. 4. ſcriptum reliquerit, *& erat ipſe in puppi ſuper cervical dormiens*. Idem autem eſſe pulvinum & cervical omnes norunt. Unde mirum eſt, Cenſo-

ſorem, qui adeo ſe diligentem in colligendis verborum erroribus oſtendit, id non vidiſſe, quod in Evangelio ab omnibus videtur & legitur.

CENSORIS MONITIO.

QUæ de *pulvino* dicit, abſurda ſunt, cum cuique non liceat Scripturæ ſacræ voces commutare, quod ex facto Spiridionis Epiſcopi comprobatur. Qui ob ſimilem cauſam Thiphilum Ledrenſem Epiſcopum, ut ait Nicephorus lib. 8. cap. 42. *In omni Epiſcoporum conſpectu concionantem graviter objurgavit*, referebat Thiphilus locum Evangelii TOLLE GRABATUM TUUM, & pro *grabatu* lectum dixit; Hæc enim parum diſtare videbantur, quod moleſtè ferens Spiridion, *non tu quidem*, inquit, *præſtantior es illo qui dixit* GRABATUM; *qui igitur malum pudor iſte eſt verbis illius cum decoro non velle uti?* Hæc Sigonio objicienda ſunt, imo & gravius homo laicus increpandus, cum hac vocis tranſmutatione error ſuboriri poſſit, Chriſtum, qui *animam* pro noſtra vita *perdere* venerat, nimium ſibi indulſiſſe, cum *pulvino* caput molliter deponeret, cum *filius hominis non haberet ubi declinaret caput*, ſed in Montes ſecederet, & humi cubaret. Præterea non legitur *pulvinus* in Sancto Marco cap. 4, ſed *cervical*, & ideo objectum fuit, *neque in Evangelio, neque in Expoſitionibus hoc reperitur*, ſed vane interpres ſupponit ignorantiam in Monitore, quod ſolummodo in Evangelio Marci id tractatur, ut clarius objectione percipitur. Quibus reſpondemus, quod licèt προσκεφάλαιον, *cervical* dicatur, & *pulvinus*, & omne illud quod dormientis capiti ſupponitur. Veroſimilius fuit aliquod lignum dormientis Chriſti caput ſuſtinuiſſe. Nam & Plato hoc vocabulo uſus eſt pro lapide capiti ſuppoſito in pr. de Rep. ibi ergo aut pro lapide, aut pro ligno accepit Sanctus Marcus, aut pro re quæ in navicula piſcatorum ſimilis inveniretur. Quod ſi hoc volebat Sigonius, ſaltem uſus fuiſſet vocabulo, quod in vulgata editione eſt, & dixiſſet *cervical*, ne videretur ab uſitato vocabulo Evangelii, & Patrum recedere, & Pulvinum quaſi ad delitias notandas in Chriſto dixiſſe, & qui cum caritate admonetur non excandeſcat tantopere, &, quaſi altercetur, invehatur.

DECIMAQUARTA NOTATIO.

FOl. 148. Sanctum Petrum Epiſcopum ſolummodo Rom. appellat, quaſi totius Orbis cura illi à Chriſto non fuerit commiſſa, & illius Vicarius non ſit.

RESPONSIO.

SUlpicius fol. 149. ait: *Eo tempore divina apud Urbem religio invaluerat, Petro ibi Epiſcopatum gerente*, in hæc inquit Sigonius, *Sanctus Petrus Princeps Apoſtolorum, Claudio Imperatore, Romam venit, atque ibi Epiſcopus prædicato Evangelio multos ad fidem traduxit*. Cenſor reprehendit, quòd Sanctum Petrum Romæ Epiſcopum dixerit, & non totius orbis; huic reſpondetur, non negari, quin Sanctus Petrus omnium Eccleſiarum Princeps fuerit. Quomodo Sigonius loquitur inferiùs inquiens, hæreticos confugiſſe *ad Principem omnium Eccleſiarum Romanum Pont.*, ſed dicitur etiam rectè Epiſcopus Urbis, & Epiſcopus Romanus cap. *fundamenta de elect.* in 6. & in Conc. Chalcedonenſi dicitur *Epiſcopus Urbis Romæ*.

CENSORIS MONITIO.

NAm ut dicit ibi Epiſcopus, ita Urbis Epiſcopus, & Romæ Epiſcopus ferè ſemper in ſuis ſcriptis, ut non videatur ſtatuere quod eſt, ſaltem habere debuit rationem temporum, & puerorum; ſi enim pueri audiant Greg. XIII. eſſe Epiſcopum Romæ, putabunt, ejuſdem auctoritatis eſſe, ac Epiſcopus Bononiæ, quem in Epiſtola Dedicatoria *ſummum Epiſcopum* vocat, de quo propter hæreticos, & rudes minus honorificentius loquendum

A fuit, & quod ſcit, & intelligit convenire, non erubeſcat pronuntiare. Præterea eum dicit *Epiſcopum Urbis* videtur dignitatem Epiſcopalem loco & Urbi, ut hæretici hoc noſtro tempore faciunt, & non Apoſtolicæ dignitati & ſucceſſioni adſcribere, cum locus ubi Cathedra fundata eſt, cum toti orbi præeſſet, eſſet omnium ampliſſimus. Græci etiam poſtquam in tantam amplitudinem Conſtantinopolis venerat, ut propter Italiæ clades à Gothis illatas, totius orbis ſibi primatum arrogaret, eamdem Eccleſiæ auctoritatem, & Primatum affectarunt. Quare exploratius loqui debuiſſet Sigonius, ne anceps hæreret animus, hanc Romanæ Eccleſiæ dignitatem, Urbine an Cathedræ adſcriberet. Quod referens Priſcillianiſtarum factum, in dubium Eccleſ. Rom. judicandi auctoritatem revocavit his verbis: *Confugerant ad Damaſum, vel quia Pontifex erat, vel quia ex Hiſpania genus trahebat*; quaſi precario Papa
B affectus eſſet hanc amplitudinem, ut ratione generis Apoſtolica Cathedra aliquam acceſſionem dignitatis feciſſet: & non ſuo jure controverſias exortas poſſet dirimere, quin hæretici ad eam Judicium retuliſſent.

DECIMAQUINTA NOTATIO.

ET hic noto, quod Sigonius nullum unquam Rom. Pont. Chriſti Vicariis attributum dederit in libris ſuis ex illis, quæ Catholica Eccleſia eis dare conſuevit.

RESPONSIO.

OBjicit, quod Papam nominans, plerumque *Pontifices* vocet, cum deberet dice-
C re *Pontifices Maximos*, aut *Summos*; cui reſpondetur, & Summos & Maximos Pontifices appellare. Cum autem Pontifices vocat, hac de cauſa facere, quod qui Pontificem Maximum dicere cœperunt, id fecerunt, quia Epiſcopos, non Epiſcopos, ſed Pontifices ſumpto vocabulo à Gentilibus Rom. nominarunt. Itaque ut diſtinguerent Papam à Pontificibus, id eſt Epiſcopis, addidere more Rom. *Maximum*. Sigonius vero cum vocat Epiſcopos, non habet neceſſe vocare Papam Pontificem Maximum, cum ſola voce Pontificis diſtinguatur ab Epiſcopis; quod ſi crimen eſſet vocare Papam Pontificem, & non *Pontificem Maximum*, pariter crimen eſſet non vo-
D care Epiſcopum Maximum, & Papam Maximum, cum ſit Princeps Epiſcoporum & Paparum; quia antiquitus omnes Epiſcopi Papæ dicebantur, teſte S. Cypriano, Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, Sidonio in epiſtolis: pariter etiam culpanda eſſet Bibliorum vulgata editio, quæ in hac dignitate exprimenda nunquam dixit Pont. Max., ſed modò Pontificem, modò Magnum Sacerdotem, aliquando Sacerdotem, aliquando Sacerdotem Pontificem.

CENSORIS MONITIO.

SIgonius ſuo arbitratu voces uſurpat; Nam ſi Epiſcopus apud Latinos non *Epiſcopus*, ſed *Pontifex* dicitur, ut ab aliis inferioribus Pontificibus & Epi-
E ſcopis Papam diſtingueret, addere debuiſſet eam nominis notationem, qua ſtatim res ipſa in aperto eſſet; Nam ſicuti erant aut apud Romanos majores & minores Pontifices (ut ait Feſtus Pomp. lib. de verb. ſignif. verbo ord. convivii) & alii Flamines, Sacerdotes alii, Archiflamines, & inter hos unus Pont. Max., debuiſſet Sigonius, ne ab eorum conſuetudine recederet, quam in vocibus aucupandis ſequitur, eaſdem voces, quæ maxime hanc noſtram veritatem illuſtrant, uſurpare. Nomen vero Papæ olim non ita exactè ſumptum fuit, æque ac modò à nobis vocis notatio exquiſite percepta. Illa enim temporum ſimplicitas Papæ nomen omnibus Epiſcopis commune fecerat; quod tamen nunc Pont. Max. peculiare eſt; Enim verò Papa, ut notat Julius Pollux, *majorem Patrem* ſignificat, patris vox patrem, & Nauſicaa apud Homerum Odyſſea 3. *majorem patrem Papam compellabat*. Quare non fuit ne-

neceſſe adjungere, ut vult Sigonius, *Papam Maximum* ſicuti oportuit eam notationem voci adjunxiſſe Pontificem Maximum. Nam in nomine *Papa* jam aperte ineſt majoritas, non tamen in nomine *Pontificis*. Unde meritò Romanus Pontifex ſolus dicitur Papa, ideſt *pater patrum*, non tamen ſolus Pontifex dicetur, niſi *Maximum* adjungas. Nec vulgata Bibliorum editio reprehenditur; ſed is, qui non vult loqui cum ceteris Catholicis noſtri temporis, & reverenter appellare Chriſti Vicarium contra hæreticos, & rationem temporum, & perſonarum habere.

DECIMASEXTA NOTATIO.

LIcet quaſi per vim in fine hujus Commentarii appellat *Papam Principem omnium Eccleſiarum*, tamen omiſit ſemper, loquens de his, nomen *Summi*, & *Maximi*.

RESPONSIO.

SUlpicius pag. 177. *Priſcillianiſtæ Romam confugerunt, ut apud Damaſum Urbis ea tempeſtate Epiſcopum objecta purgarent*; in hæc ita Sigonius: *Confugerunt ad Eccleſiam omnium Principem Romanorum, in quam Pontificem Damaſum &c.* Cenſor inquit, ipſum per vim vocaſſe Pontificem *Principem omnium Eccleſiarum*, nos non agnoſcimus, quæ vis hæc fuerit, quæ illum coëgerit, cum Sulpicius tantùm Urbis Epiſcopum nominarit, ipſe tamen addit *Principem Eccleſiarum*, videatur vero quomodo Sigonius ſcribat de Summo Pontifice in pr. de Regno Italiæ, ubi ait: *Eccleſia Romana à Sancto Petro Apoſtolo Urbis Epiſcopo inſtituta, atque ejuſdem & Pauli Apoſtoli Sacroſancto ſanguine conſecrata, ut Principatum omnium Eccleſiarum obtinebat; ſic majores quoque opes ac facultates habebat, præcipue à Chriſtianis Principibus ſtudio religionis, initio à Conſtantino facto relictas*. Legatur quomodo faciat loquentem Gregorium VII. Pontificem lib 9. *Audi me Princeps Apoſtolorum Petre; mihi perſuadeo tibi placere, ut ego Populo Chriſtiano tibi præcipuè à Deo commiſſo præſim, ac ſummam ligandi & ſolvendi in Cœlo atque in terra poteſtatem obtineam, tibi præcipuè à Chriſto Domino noſtro delatam*.

CENSORIS MONITIO.

QUæ citat ex libro de Regno Italiæ ad elevandam ſuam irreverentiam in appellatione Vicarii Chriſti, contra ipſum faciunt, ut in novis annotationibus hic annexis meridiana luce clarius patebit foliis citatis.

DECIMASEPTIMA NOTATIO.

FOl. 153. Tres illas communes inter Judæos ſectis explicans, videl. Eſſæorum, Saducæorum & Fariſæorum, hanc aliis in pietate Legis Divinæ anteponit, & fatetur illos fato omnia tribuiſſe, ſic tamen erat illi dicendum & fato omnia impie tribuendum.

RESPONSIO.

SUlpicius pag. 153. *Phariſæi obſtinatis ad mortem animis, ultro ſe ſubjectis ignibus intulerunt*. In hæc Sigonius *Phariſæi fato omnia tribuebant*, quare non eſt mirum cum fatalia omnia eſſe bona & mala putarent, illos obſtinatis animis ſe in incendium intuliſſe. Hic pro gravi peccato objicit, quod non dixerit phariſæi *impie omnia fato tribuebant*, non cernes Phariſæos cæteris præpoſitos, non ut bonos, ſed ut qui certiorem notitiam profitebantur exterius legalium rituum. Quare Chriſtus cum eis agit, ut qui majorem ceteris ſanctitatem præſeferrent; unde dixit Math. 23. *quæcunque mandaverint vobis facite; ſecundùm autem eorum opera nolite facere*; nec fuit addendum *impie*, quod neque addidit Joſephus auctor hujus hiſtoriæ. Nam tum addendum erat, ſi omnia tribui fato poſſent pie.

CENSORIS MONITIO.

AD objectionem non reſpondet; ipſe videtur probare *fatum*, & *fato* omnia tribuere ut quia pag præcedenti Phariſæis fatalia omnia eſſe dicit. Deinde paulo infra; *fatali* inquit *die inſtante qui erat X. Auguſti*, etiam ſi ut hoc ſubterfugiat novam interpretationem adducit, & prophetias *fata* vocat, ut dicit cum Jacob. ad filios Joſeph facit loquentem ait *fata illorum prædixit*. Quis enim ita unquam loquutus eſt, *fatali inſtante die*, id eſt, *de quo fati ſunt prophetæ*? Nemo enim latine ita loquitur, ut fatalis ſit caſus, de quo alii loquuti ſunt; fatum enim illis quædam neceſſaria vis erat providentiæ oppoſita: admonetur ergo commentator, ne det cauſam dubitandi de ſenſu ſuo, aut occaſionem negligentiæ præbeat, & qui dixit impie non ita cavilletur, ut pie tribui fato poſſint omnia, non adhibeat Joſephum auctorem non approbatum & impium Judæum interpretem, tollat ambiguitatem, clare, & aperte loquatur.

DECIMAOCTAVA NOTATIO.

MAxime quod ipſe fol. 153. agens de Templi Hieroſolymitani deſtructione per milites Titi Veſpaſiani, *fatali die inſtante* de ſuo inquit, ideſt neceſſitate urgente, contra præcepta Veſpaſiani Patris, & Titi.

RESPONSIO.

SIgonius pag. ead. *Templum Tito invito ſuccenſum fatali die inſtante*. Hic Cenſor interpretatur *fatali die* id eſt urgente neceſſitate, at Sigonius intelligit *fatalem* vocari eum diem, de quo Prophetæ Dei fati erant ideſt prædixerant, nam multorum vaticiniis prædictum erat, fore, ut à Romanis Templum cum Urbe everteretur.

CENSORIS MONITIO.

VEl ex hac reſponſione apparet, quantum ſibi tribuat Sigonius, & quam ſit pertinax in ſuis dictis; quis unquam Grammaticorum ita dixit, aut latine ita loquutus fuit, ut *fatalis dies ſit*, de quo fati ſunt Prophetæ, quod hoc ſubterfugium eſt & unde quæſitum? Nam fatum dixere antiqui vim quamdam ſiderum, quæ rebus neceſſitatem imponeret, ut ille etiam dicit; ſic enim antiqui male loquebantur: non quærimus hoc loco quid interpres Sulpicii ſenſerit, ſed illa verba ad *fatum* videntur ſpectare more Ethnicorum, & hoc ſonant, non quod modo ad elevandum meditatus fuit.

DECIMANONA NOTATIO.

FOl. 154. Difficultatem de libro Apocalypſeos, num inter canonicos admitti debeat, tangens, ne verbum quidem facit de Conciliis, & præſertim de Tridentino, quod ipſam Apocalypſim inter canonicos ponit.

RESPONSIO.

SUlpicius ibid. *Liber Apocalypſis à pleriſque aut ſtulte aut impie non recipitur*. Hoc interpretans Sigonius affert auctoritatem Dionyſii Epiſcopi, Euſebii, & Epiphanii, quos legere potuit Sulpicius, atque ex eorum auctoritate ita ſcribere. Cenſor vero inquit, debuiſſe etiam commemorare alios, & maxime Tridentinum Concilium, quod ad propoſitum Sulpicii non pertinet.

CXX.

CENSORIS MONITIO.

VErum eſt, Sulpicium non potuiſſe eltare Concilium Tridentinum poſt tot ſæcula celebratum, ſed dicitur graviter omiſiſſe Sigonium, cum non adduxerit auctoritatem Concilii Tridentini ad ſubmovendum omne dubium vel ambiguitatem de legitima ac juſta Apoſt Eccleſiæ receptione Apocalypſeos, & quæ progreſſu temporis veritas fuit declarata, ipſe juvenes imbuens, ac præcipuè ſancti œcumenici Concilii auctoritate magis magiſque debuit declarare, cum leves multas res alioqui attigerit, hoc præterire non debuit, quod ad Fidem attinet.

VIGESIMA NOTATIO.

HIc obiter adnotandum, quod fol. 8. Dicit Sanctum Gregorium Nazianzenum *non tam ſanctitate quàm eloquentia & doctrina fuiſſe ſingularem*. Sane de ſancto ſolemnizato mirum, Catholicum hominem ſic auſum loqui, & de hoc ſancto præſertim.

RESPONSIO.

SIgonius: Gregorius Nazianzenus homo *non tam ſanctitatis quam doctrinæ atque eloquentiæ ſingularis*. Cenſor notat, inquit, *mirum hominem Catholicum de ſancto canonizato auſum ſic loqui*! difficile eſt intelligere, quod ſibi hic velit; videtur autem ſuſpicari, Sigonium dixiſſe, Nazianzenum excelluiſſe magis doctrinâ, quàm ſanctitate. Quod ſi intellexit, uſum illarum particularum *non*, novit tam & quam quæ habent vim conjungendi, non comparandi, & uſus eſt duplex, in affirmando unus, in negando alter. In affirmando præponitur res minus clara clariori, in negando contra, ut ſi dicatur Chriſtus venit ad ſalvandum tam Gentiles, quàm Hebræos, aut venit ad ſalvandum non tam Hebræos, de quibus notum eſt, quàm Gentiles; de quibus obſcurum eſt, ut Cicero pro Dejotaro ad Cæſarem: *Tu porrexiſti Dejotaro dextram tuam non tam in bellis, quam in promiſſis firmiorem*, ideſt *non tam in bellis* firmam, de quo notum eſt, & ad rem non pertinet, *quam in promiſſis*, de quo notum non eſt, neque ad rem pertinet; ſic Gregorius Nazianzænus fuit præditus non tam ſanctitate ſingulari, quod notum eſt, & ad propoſitum meum nunc *non* non pertinet, *quam doctrina ſingulari*, quod minus notum eſt, & ad rem meam attinet; eſt autem idem atque ſi dicas: *Non ſolum ſanctus, ſed etiam doctus*, ſive qui præter ſanctitatem notam, fuit etiam ſingulariter eruditus.

CENSORIS MONITIO.

NOn eſt, quòd uſum illarum particularum ita invertat tam, & quam; ſunt enim notæ argumenti parium ſimilium & diſſimilium &c., ut paria ſint: tam eſt laudanda mater, quam pater; ſimilia, tam ſunt vitandi morbi corporis, qui illud conficiunt, quam animi perturbationes, quæ illum de ſede mentis dejiciunt; ſunt enim illa ſigna propoſitionis, & redditionis, ut, tam regit oculus corpus, quàm ingenium animi; cum vero negatio interponitur, diſſimilitudo eſt, ut non tam probus, quàm eloquens fuit Demoſthenes: Non tam fortis, quàm prudens Plato; ideo vafre & ſofiſtice errorem vult tueri; maxime quod etiam de Zacharia Papa Sanctiſſimo, ut ei in gratiam (Deus novit) quorundam notam inurat, ſic inquit, *rebus non tam piè quàm proſperè geſtis*; primum deprimitur, ut ſecundum probetur: Nam ibi Chriſtus venit ad ſalvandos non tam Hebræos, quam Gentiles; *tam*, ideſt non ſolum, non tantummodo, quod ipſe non recte videtur intelligere in ſua reſponſione. Nec pueri has tam reconditas & obſcuras A reſponſiones percipere poſſunt, niſi alium Sigonii interpretem nanciſcantur. Nec locus orationis pro Dejotaro ita detorquendus eſt; non enim Cicero aliud indicat, quam diſſimilitudinem, quia vult amplificare, & extollere Cæſaris conſtantiam in promiſſis, & magis firmam eſſe dexteram dicit in fide, quam in bellis, quia vult ut Cæſar promiſſa ſervet, ut illa 2. *de Oratore*. *Non tam ut proſim cauſis, quam ut ne quid obſim*; & in Topicis: *Non tam vitandi laboris mei causâ, quàm quia tuâ intereſſe arbitrabar*; lib. 9. ad Attic. epiſt. 7. *Nec tam ut illa adjuvem, quam ut hæc non videam cupio diſcedere*; 7. lib. Familiarium epiſt. 3. *Non tam propter periculum meum, quàm propter vitia multa quæ ibi offendi*; ad Brutum epiſt. 19 *Non tam ulciſcendi cauſâ, quàm ut præſens cives ab impugnanda patria deterrerem*. Quomodo intelligit quod notum eſt, ut quod notum minus eſt: fateatur, ſe male dixiſſe, quia B doctrina & eloquentia Sancti Gregorii Nazianzeni notiſſima erat, & eſt omnibus: non quærat ſubterfugia levia.

VIGESIMAPRIMA NOTATIO.

FOl. 159. Hæreſim Sabellianam *opinionem* appellat, ſicut in libris Hiſtoriæ Italiæ non modo alias hæreſes, ſed aliquando Catholicam Fidem appellare minimè horruit.

RESPONSIO.

SIgonios pag citata: Arrius cum Alexandro Epiſcopo diſputare inſtituit, atque opinionem Sabellianæ contrariam intulit. Cenſor ait debuiſſe dici *hæreſim*: cui reſpondetur C *hæreſim eſſe opinionem* de dogmate aliquo, ut Cicero in Paradoxis. Cato eſt in ea hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis, & aliud eſſe ſcholaſtice, aliud oratorie ſcribere. Additur etiam ubi ſunt diverſæ ſententiæ de dogmate aliquo à Concilio nondum definitæ; illæ interim poſſunt opiniones appellari, & eſt opinio quaſi genus ad hæreticam, probabilem, & catholicam: ſi quis verò utatur nomine generis contracto per aliquid ſecundum omnium intelligentiam, ipſum determinans ad certam ſpeciem, non improprie loquitur, ita cum dicitur: *Sabelliana opinio*, illud adjunctum effecit, ut ſtet pro hæreſi, ut cum dicitur *Chriſtiana opinio*, ideſt catholica & fideD lis. Sigonius autem inde poſt decretum Concilii utitur nomine hæreſeos.

CENSORIS MONITIO.

MAlè excuſat quod annotatur, etiam quæſita auctoritate Cicer. quia non dubitatur, quid apud illum ſit hæreſis, & quia oratorie & hiſtorice ſcribit; ſcribat pie; hæreſis deteſtata non poteſt dici opinio, nec veritas Eccleſiaſtica & Catholica, cum opinio ſit earum rerum, quæ aliter fieri poſſunt & probabilis aſſertio, at in hæreſi damnata nihil eſt probabilitatis, ſed omnia falſa. In ſententia de dogmate Chriſtiano nihil eſt, de quo Catholicus dubitare poſſit, niſi impius ſit; quia veritas rebus omnibus firmior eſt, & quod Conciliis eſt confirmatum, *opinio* hoc tempore dici nullo modo poteſt, licet Patres ita loquuti fuerint. Malè Sigo E nius veritates Chriſtianas & hæreſes *opiniones* vocat: & ſi ſic ſentit, malè admodum ſentit, quia res firma fide credendas vocat *opiniones*; *hæc eſt enim fides Catholica, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*; & *qui vos audit, me audit*. Quod ab Eccleſia traditum, & determinatum eſt, dici non poteſt opinio. Accedit, quod ratio, quæ ab illo affertur, contra ipſum ſit. Nam ſi (ut dicit) ubi ſunt diverſæ ſententiæ de dogmate aliquo, nondum Concilio definitæ, illæ interim poſſunt opiniones appellari; igitur cum id, quod ſentit Sabellius, toties fuerit damnatum, non erat cur poſſet *opinionem* nominare, cum hæreſis eſſet. Præterea falſum eſt, *opinionem* eſſe genus ad probabilem Catholicam & hæreticam ſententiam, ut vult Sigonius tam Ariſt. quàm veritatis impugnator. Ariſt. in Topic. opinionem cum probabili ratione con-

convertit; *ſi enim eſt res probabilis, opinio eſt, & è contra*; ad hæc opinio non eſt habitus mentis, & docet ex Ariſt. Euſtratius in Commentariis in 6. Ethicorum, cum abitus diutius hæreat animo; quæ vero opinione nituntur fluctuent, incertaque ſint. Quare numquam erit opinio hæretica, vel Catholica, cum fides certiſſima ſit, & firmiſſima veritas; hæreſis vero conſtantiſſimum mendacium, de quo diſceptari non poteſt.

VIGESIMASECUNDA NOTATIO.

FOl. 161. ubi agit de agnoſcenda Catholica Fide, omiſit nomen *Catholicæ Romanæ* fidei; ſic enim omne dubium illico amoviſſet, & nomine Rom. Fidei omiſſo legentium animos magis dubios reddit, præſertim cum fidem ille referat ad Symbolum Apoſtolorum tantùm, nulla neque Sanctæ Traditionis, neque Conciliorum mentione facta. Sanctus Irenæus, qui fuit diſcipulus Polycarpi diſcipuli Sancti Joannis Apoſtoli lib. 3. loquens de Romana Eccleſia ſic inquit: *in qua ſemper iis, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio*. Poſt Irenæum Cyprianus, Cyrillus, Hieronymus, Auguſtinus, & omnes Patres eumdem ſenſum habuerunt. De his ergo pueri ab interprete Catholico ſunt informandi.

RESPONSIO.

SIgonius ibidem. *Fides Catholica eſt, quam Catholica tuetur Eccleſia*, quod nomen Apoſtoli in Symbolo Fidei à ſe confecto poſuerunt; & *Sanctam Catholicam Eccleſiam* Cenſor inquit dicendum fuiſſe, quam Eccleſia Catholica Romana tuetur; cui reſpondetur: qui dicit Eccleſiam Catholicam, Romanam intelligit; neque enim alia eſt Eccleſia Catholica, quam Romana; itaque in Symbolo dicitur tantum, *confiteor unam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam*, & non additur *Romanam*; refert autem Sigonius Fidem & Symbolum, nulla facta mentione vel conciliorum vel traditionum, quia ibi loquitur de Fide quo ad generalia principia, & ita inquit *totam Fidem eſſe in articulis abbreviatam*. Nam de Fide quoad omnia explicite & ſigillatim, nempe traditiones & concilia loquitur fol 146. cum ait de 6. ætate, ea continere prædicationem & paſſionem Chriſti, prædicationem Apoſtolorum, & concilia adverſus hæreſes, per prædicationem intelligens traditiones, per concilia Sanctorum Patrum decreta. Adde quod Hoſius diſputans late de Eccleſia Catholica nunquam addidit *Romanam* & in ſeſſ. 6. Concil. Trid. ſcriptum eſt in procemio: *quam doctrinam Apoſtoli tradiderunt & Catholica Eccleſia*, & non tradidit Romanam.

CENSORIS MONITIO.

UT ille modo monitus ſuam ſententiam interpretatur, ſic puer, & quicunque legerit, egebit interprete, qui Fidem diſtinguit quandam eſſe quo ad generalia principia, & quandam omnino explicitè & ſigillatim, quæ ad traditiones, & Concilia referatur; atque hoc jam neque oratorium, neque hiſtoricum erit, ſed de media altercantium ſchola deſumptum, & longa egebit diſputatione. Sed ille licere ſibi vult quamcunque retinere perſonam, quam voluerit ſuſcipere. Itaque ex ejus dictis & reſponſione, verba ambigua repetimus, cum omnem ambiguitatem uno verbo tollere poſſet, præſertim cum nomen Fidei etiam ad hæreſim transferat, quæ perfidia, malitia, & fiducia eſt, & ita dicitur a Concil. Trid. Nam Sigonius baptizato more Arrianorum in fide Arriana *tingi* dicit & de Arrianis & Catholicis in lib. de Imp. Occidentali ait: *utraque parte conſtanter in ſua fide manente*; cum pertinacia Arrianorum fuerit Catholicorum conſtantia, illorum perfidia, horum Fides. Item repetit multis aliis locis; & cum hæretici eructent, ſe Apoſtolorum imitatores, ſectatores, & veræ Fidei defenſores eſſe, nos contra improbent ad illorum pertinaciam & perfidiam demonſtrandam, non ita fuit loquendum; nam magni refert nomen *Romanum* Catholicæ Eccleſiæ adjungere; intereſt enim maximè, ea nominis notatione veritatem aperire, cum hæretici noſtrorum temporum ad ſuas eccleſias præſumptas Sathanæ & malignantium per ſummam audaciam, nomen *Catholicum* trahant. Quare, ſicuti olim hoc nomen *Catholicum* in Eccleſiam inductum eſt, ut docet Sanctus Pacianus Epiſcopus Barchinonenſ. epiſtola ad Sempronianum: *ut univerſalem Fidem & conſentientem veritatem ſignificaremus, eadem ratione hoc nomen Romanum adhiberi noſtro tempore debuit, ut conſociationem cum capite, & conſentientes cum Romana Eccleſia Fidei veritates demonſtremus*. In Symbolo vero Nicæno non fuit addita vox *Romana*, quia Eccleſiæ primatus eo tempore impugnatus non erat, ut modò ab hæreticis impetitur; tum etiam quia cautum erat Canone 39. ut refert Franciſcus Turrianus de primatu Romanæ Eccleſiæ; Concilium vero Tridentinum non addit *Eccleſiam Romanam*, ut oſtenderet fortaſſe non ſolum quid Rom. Pont. doceat, quam quod etiam alii Epiſcopi ſenſerint hæreticorum erroribus adverſum; ſed in abjuratione hæreſum, qualem Pius Quartus omnibus publice docentibus propoſuit, Romanæ Eccleſiæ expreſſa ſit mentio. Quare non erubeſcat Sigonius, nec refugiat hæc, ſed utatur his nominibus, quibus omnes Catholici utuntur; videat ſe inſtituere pueros, quos in tenera ætate hæc imbibere eſt æquiſſimum.

VIGESIMATERTIA NOTATIO.

FOl. 161. *Opinionem* hæreſim iterum appellat Arrianotum & idem fol. ſeq.

RESPONSIO.

SIgonius ibid. *Euſebius tribus libris Marcelli opinionem redarguit*, ſupra loquutus eſt de hæreſi Marcelli, deinde infert, Euſebium refutaſſe illius opinionem, ideſt ſententiam, juxta morem doctorum, qui dicunt, hæreticos habuiſſe hanc & illam opinionem; ſic vero dicitur variandi cauſâ, ut ſi poſtquam hominem dixeris, addas hoc animal.

CENSORIS MONITIO.

NImis pertinaciter tuetur ſuum errorem, cum nullo modo hoc tempore damnata hæreſis dici poſſit *opinio*, & ita ſemper loquitur; in libro enim de Regno Italiæ pluries hæreſim Berengarii Conciliis damnatam jam tunc à Turonenſe, & Vercellenſe ſub Anathemate, vocat opinionem; & inferiùs de hæreſi Gregor. de Spiritu Sancto *opinionem* vocans, loquitur: *cum ne ethnici quidem manifeſtum errorem opinionem appellent*, errat graviter ſi ita ſentit, & pertinax eſt, ſi perſiſtat.

VIGESIMAQUARTA NOTATIO.

FOl. 173. *Baptiſmo infici*, pro baptizari dicit, quod ſcandalum præbet maximum, nam inficere eſt maculis affici, & ſemper in malam partem accipitur. Ipſemet fol. ſeq. ait *infectam Liguriam Arriana labe*, & hoc loco lectorem magis ſcandalizet, quia etiam in libris de Regno Italiæ dicit: *lavacro inficere*, pro baptizare.

RESPONSIO.

SIgonius ibid. *Chriſtiani dicti Cathecumeni erant antequam baptiſmo inficerentur*. Cenſor ait: ſcandalum præbet maximum, nam *inficere* eſt maculis affici, & ſemper in malam partem accipitur. Hic error videtur duplex. Primo quia falſum eſt, quod dicit *inficere* eſſe maculare, quia *inficere* eſt idem, quod tingere, unde infector eſt tinctor, non maculator. Secundo quia inquit, *inficere* ſemper in malam partem accipi, quod eſt pariter falſum, quia nunquam ex ſui natura,

ne-

neque in bonam partem, neque in malam accipitur, niſi cum aliquid boni vel mali ei adjungitur, quemadmodum & *tingere* proprie, ut enim dixere latini *tingere lanam*, ſic etiam inficere translate, ut dixere *tinctum litteris*, *artibus*, *elegantia*, ſic inficere bonis & malis artibus, bonis & pravis moribus Cic. 3. *de finibus: ſed tamen jam puer inſici debet iis artibus, quas ſi combiberit, ad majora veniet paratior*. Hæc autem patent omnibus, qui Dictionaria conſulere volunt. Additur etiam, in ſacris libris *inficere* accipi in bonam partem ut 4. & 5. Danielis *& rore cœli corpus ejus infectum* eſt græce ἐβάφη, ideſt baptizatum & tinctum eſt. Quare ut *tingere aqua* recte dixit Sigonius, ſic *inficere* baptiſmo, aut lavacro quomodo Horatius dixit: *Æquos infecit ſanguine*, ideſt tinxit, quod ipſe pro ſcandalo habet, qui reſpicit ſermonem Scholaſticorum; Sigonius autem non poteſt ſcandalum præbere, cum ſæpiſſime *baptiſmum*, & *baptizare* dixerit, ſi ſemel variandi causâ *inficere* baptiſmo aut lavacro uſurparit.

CENSORIS MONITIO.

UT ſe excuſet duplicem errorem dicit ineſſe, cum *inficere* etiam *ſe tingere* ſit; eſt colorem alium inducere, & inde infector, ut ſit colorem mutare, & fere ſemper ex ſua natura cum adjectis nominibus in malam partem ſumitur, ut dicit: hanc loquendi rationem improbat Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap 1. & damnat Can. 1. hujuſmodi loquendi genus per tropos, neque excuſandus eſt, quia ſemel utatur variandi causâ, quia fere ſemper ita loquitur, & in lib de Imperio Occidentali & de Regno Italiæ; enim vero Sigonii voces, quæ in Eccleſiam inducuntur, majori religione debet, quam in metaphoris componendis Rhetores moneant cum in illis gravius delinquamus; ſic & hæc vox inficere, colore tingere vel imbuere ſignificat, quod ex loco Danielis, quem pro ſua parte adducit, aperte colligitur. Quo conſtat Regem *vero rore cœli infectum*, ideſt maculis quibuſdam conſperſum, quales inundatis corporibus conſpicimus, ubi multo ſole & nimio gelu fœdantur, quas Rex ex nuditate contraxerat. Tum etiam *inficere* imbuere ſignificat, ut ex Cic. loco, quem allegat, conſtat, quare ſicuti *imbuere ſacris* pro *baptizari*, dici non poteſt; ſic etiam neque *baptiſmo infici*, ideſt *imbui*, cum hæc vox ſolum de his dicatur, quæ diutius hærent; aqua vero baptiſmalis non hæreat corpori, vel maculis conſpergat, ut dicimus *manus ſanguine imbutas* & *infectas*.

VIGESIMAQUINTA NOTATIO.

QUæ recte dicit fol. 180 in favorem Eccleſiaſticæ immunitatis à ſæcularibus Principibus, contraria ſunt illis, quæ male explicuit in hiſtoria Italiæ, ubi tractat de Friderico Ænobarbo & illius geſtis, ut pluribus alio loco annotatum reperietur.

RESPONSIO.

ADdit Cenſor: hæc verba, quæ Sigonius recte dicit fol. Sulpicii 180. in favorem Eccleſiaſticæ immunitatis à ſæcularibus Principibus, contraria ſunt illis, quæ male explicuit in hiſtoria Italiæ: ſi male locutus eſt Sigonius, Cenſor habebat locum judicare, & teſtimonium perhibere de malo; eſt autem veriſimile, non male ibi locutum, quia bene hic loquutus eſt, neque enim homines facile ſibi in eadem re contrarii ſunt.

CENSORIS MONITIO.

NOn apparet, quid unquam pro immunitate Eccleſiæ dixerit, imo cum agat interpretem, potius interponere de ſuo, non ſpectare ſacerdotum cauſas ad ſeculares, quod hic reticuit, & majores in libris de Regno Italiæ judices ſacerdotum facit ſeculares magiſtratus, quod ideo notatur, quod viri Catholici non ſit ita ſentire, & ſi quando errore hominum contigiſſe videret, ipſius erat reprehendere.

VIGESIMASEXTA NOTATIO.

MAgna res & miranda, hominem Catholicum ad inſtitutionem Catholicæ juventutis temporibus iis adeo periculoſis interpretationem hiſtoriæ ſacræ ſancti viri compilaſſe, nulla unquam mentione facta nec de Concilio Trid. quod ad omnes errores & hæreſes abolendas fuit celebratum, quod Primatus Sancti Petri ſit de jure divino; quod Fides illa ſolummodo Catholica ſit, quam Romana Eccleſia tenet ac docet, & qui cum ea non colligit, ſpargit. Quod Sanctorum traditionibus, ſanctis Conciliis, ſacris Canonibus, & Eccleſiæ mandatis ita ſtandum ac obediendum eſt ipſis divinis mandatis.

RESPONSIO.

AD extremum Cenſor objicit Sigonio crimen omiſſionis, & ait: „ debuiſſe loqui de Concilio Trid. contra omnes hæreſes celebrato. Quod Primatus Sancti Petri ſit de jure divino. Quod Fides illa ſola ſit Catholica, quam Romana Eccleſia tenet, ut docet: Quod ſtandum ſit ſanctis Conciliis, ſacris Canonibus & Eccleſiæ mandatis; debuiſſe agere de doctrina ſeptem Eccleſiæ ſacramentorum, de merito bonorum operum, carpere hæreticos hujus temporis, & eorum hæreſes confutare „. Cui reſpondetur, hæc omiſſa eſſe, quia ad hiſtoriam Sulpicii non pertinebant, quæ finitur anno Chriſti 400., & Sigonius propoſitum tantum habuit illuſtrare acta Hebræorum ab Adam uſque ad Chriſtum, & nihil præterea; pro pueris autem non deſunt libri, qui talia doceant, ut Catechiſmus Romanus, & libelli de doctrina Chriſtiana, qui in ſcholis leguntur; hæreſes autem noſtri temporis non debuit tradere pueris, tum quia ad hiſtoriam Sulpicii non pertinebant, tum quia utile pueris futurum non erat eas cognoſcere. Sigonius autem eas tantùm interpretatus eſt, quas Sulpicius attulit.

CENSORIS MONITIO.

NOn ſe purgat qui juventutem inſtituit, & non advertit ſuo loco qui errores vitandi ſunt, ut ſcopuli; quamvis autem hiſtoria Sulpicii uſque ad annum 400 ſolùm extendatur, jam tunc multa fuerant celebrata Concilia, multæ etiam traditiones Patrum Domini ore & obſervatione; jam extabat Petrum etiam Vicarium Chriſti fuiſſe conſtitutum, tum jam erat definitum, Romanam Eccleſiam Primatum tenere: quæ omnia à pio interprete declaranda fuerunt, præſertim inſtituente juventutem in ſacris hiſtoriis. Hæc enim, in quibus vita æterna & ſalus poſita eſt, ex ſacris hiſtoriis petenda ſunt potius, quàm multa levia, quæ ille paſſim narrat, quæ parum aut nihil ad pueros ſpectant, ut videre eſt pag. 13. quæ de Paradiſo Tereſtri, & pag. 19. de Idolis narrat, & inferius de Chriſto vero confeſſore per Judam, & contra clerum, & de Api Deo pag. 122. & Diodoro & alia hujuſmodi. Nec ſane iſta reſponſio promiſſis in Epiſtola dedicatoria reſpondet, ubi pollicetur ad bonos mores, & ad inſtitutionem Juventutis ſe operam ſuſcepiſſe, ac dicturum quæ ad ſacram hiſtoriam faciant; hæreſes vero noſtri temporis exſuſcitatæ per Lutherum & Calvinum, & alias peſtes, originem ut plurimum habuerunt ab antiquis hæreticis, additis quibuſdam, quod quidem paucis poterat advertere, aut omnes ſuo loco improbare, indicare, & deteſtari, cum notiſſimæ ſint, magno Reipublicæ Chriſtianæ malo.

VIGESIMASEPTIMA NOTATIO.

SEd objicitur fortaſſe, Sigonium excuſandum, ſi de his non meminerit, quia nec meminit de præceptis Decalogi, licèt coactus fuerit meminiſſe ubi

ubi egit de Tabulis traditis Moyſi, nunquam meminit, neque de doctrina ſeptem Eccleſiæ ſacramentorum, neque de merito bonorum operum, nullum hujus temporis hæreticum, nullamque illarum hæreſim, nec carpit, nec confutat, quamvis millies his de rebus tractandi & juventutem Catholicam rectiùs imbuendi occaſionem habuerit.

RESPONSIO.

OBjicit etiam, quod licet coactus de præceptis Decalogi non meminerit, ubi de Tabulis traditis Moyſi egit, quod eſt falſum; jam id fecit Sigonius pag. 39. his verbis *lex tradita eſt his verbis: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra Ægypti de domo ſervitutis. Non habebis Deos alienos coram me* &c. Ad extremum Sigonius ita concludit: *Hæc decem præcepta legis ejuſmodi ſunt, ut tria prima ad Deum, ſeptem alia ad proximum referantur*.

CENSORIS MONITIO.

PRæcepta Decalogi non declarat de ſuo, ſed duo verba nude interponit in re tanti momenti, quibus omnia ſibi objecta putat ſe poſſe diluere, cum hoc exiguum & infirmum ſit ſubterfugium, & quare de doctrina ſeptem Sacramentorum Eccleſiæ Catholicæ non dixerit aliquid, neque de merito operum, de vera Fide, & aliis, quibus Chriſtianus puer informandus erat, mirum ſilentium, ut excuſare non poſſit ſuam ſaltem negligentiam, ne dicam contemptum; cum tot res aut leviter attingat, aut prætereat, aut multa ambigua, multa apertè falſa conſtituat, ut annotatum eſt.

Catholico viro hoc exemplo erat humiliter dicendum, cum Summi Pontificis juſſu congregatio in Urbe habeatur, *videat illa &c.* potius quàm altercando, & de errore in errorem præcipitando, quod nec bonum, nec verum eſt ſophiſtice tueri.

Neque illud ſilentio prætereundum, Sigonium plurimum ſibi tribuiſſe in retorquendis annotationibus in Cenſorem; nimis enim diligentem in manifeſtis erroribus excuſationem quærit, & adhibet, nullamque vult confiteri culpam, neque imbecillitatem, aut lapſum humani ingenii, nihilque animi ſubmiſſionis præſefert ubi maxima deſideratur: nam ſi hominis ingenui eſt prudentum judicio ſe ſubmittere, eſt profectò multo magis viri Catholici nil ſibi arrogare, vel adſcribere ex propria ſufficientia, ſed Sanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio, ac Cenſuræ omnia ſubjicere, quod Sigonium ob multas cauſas maxime decuit.

Habes Sigoni Sanctum Cyprianum tibi dicentem tanto ante tempore: *unum Chriſtum, unam Eccleſiam & Cathedram ſuper Petrum Domini voce fundatam, & qui cum ea non colligit ſpargit*.

Habes Sanctum Hieronymum in Epiſtola ad Damaſum mirabili modo te admonentem, & præſertim ubi petit ab eo rerum ſive dicendarum, ſive tacendarum hypoſtaſeon dari ſibi auctoritatem.

Habes eumdem Cap. *Quoniam* 34. 9. 1. ſic dicentem: *cum difficile ubi fons ſignatus, & hortus concluſus poſſet intelligi. Ideo mihi Cathedram Petri & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſultandam*; & in eadem Epiſtola: *ſi minus peritè, aut parum cautè forte aliquid poſſimus, emendari cupimus à te, qui Petri Fidem & Sedem tenes*, &c.

Habes præterea quod Maximus in Epiſtola ad Orientales. Item quod Beda ſuper Matthæum conſcripſerunt.

Ac vide quod etiam in hoc tuo Commentario non eſt prætermittendum, ſed vel in primis obſervandum, cum alios ſanctitate conſpicuos viros interpres explicare poſſet, ex quibus in aures puerorum pietatem infundere, aut optimos mores in eorum animis inſcribere potuiſſet, illis omnibus poſthabitis, in uno Severo diutius inſudavit. Fuit quidem Severus vir egregius, qui cum Beato Martino conjunctiſſimè vixit, & nihil non, ut ille de ſe ait, à Beato Viro tamquam ab invito extorſit: ſanctitatis tamen nomine illuſtrem non legimus. Nam Sanctus Gregorius Turonenſis, qui proxime illis temporibus vixit, in Vita Beati Martini, nunquam Sulpicium ſanctitatis nomine ornavit, ſed ut communem quemdam hominem Severum nominat; cum tamen eodem capite Paulinum Nolanum Beati & Sancti nomine illuſtret; Ejus enim mos eſt, ut omnes viros pietate & ſanctitate inſignes honoris cauſâ nominet Sanctos; quam tamen conſuetudinem in Sulpicio intermiſit, quod cùm facit, haud obſcure colligi poteſt, illum inter Sanctos à ſanctis viris enumeratum non fuiſſe. Addo etiam, Cluniacenſ. in vita Beati Martini idem velle videtur. Ubi Severum ut quemlibet hominum nominet, non tamen clarum aut ſanctitate, aut pietate, miraculiſque inſignem dicit, ſed nunquam viri pii Severi ſanctitatem oblivione obſcuraſſent, vel incuriâ deleviſſent, ſi aliquâ ſanctitatis notâ ſuſpiciendus fuiſſet. Accedit huc Gennadius Maſſiliæ Presbyter, qui anno 490. ſcripſit de Severi fide, qui anno 420. vixerat, in ſuſpicionem veniſſe, cui non ſolum loquacitatis, ſed etiam hæreſeos notam inuſſit. De hoc poſtremo capite nihil mihi certe liquet, quamquam ſub alterius hominis nomine divitias ab Eccleſia exterminari videatur in Dialogo primo, cum Eccleſiam auro non inſtitui, ſed deſtitui dicat. Quod hæretici, ut refert Auguſtinus, ad quod vult Deum Epiſcopis vitio vertebant. Præterea in Origenis cauſa friget, cum in ea controverſia Alexandriæ exorta: *An Chriſtus Dæmones morte ſua redemerit*, ſatis tepide ſileat, loquacitatis hominem excuſare non poſſum; omnia copioſe narrat, joculariter ſubridet, dictis involvit, leviter pungit, audet, jocatur, perſtringit, & in re gravi, quam pertractat, edacitatem Gallicam per riſum jocumque nullis non rebus immiſcet. Ut facile luxuriantes ingenii & loquacitatis vires à Chriſtiano Epiſcopo alienas agnoſcas. Quæ plane animum Sigonii pellexerunt, ut exponendum acceperit, quam quæ ex Guiberto refert, mihi ſuſpecta fuerint viſa & nimis recepta. Neque enim par eſt, ut ignoti viri cauſa de Gennadii viri clariſſimi & vetuſtiſſimi fide detrahamus.

Præterea Sigonius aperte demonſtrat ſe, neque Scripturæ, neque Auctori, quem interpretatur, quidquam deferre. Nam Scripturæ in annorum ſupputatione detrahit, & auctoritatem ſæpe redarguit, ut videre eſt in ejus Indice, ubi Sulpicius à Sigonio centum & quatuor erroribus notatur. Qui vero bis peccat (ut eſt in proverbio) vir cenſendus non eſt; neque ei aliquid fidei adhibendum, quare Sigonius neque Sulpicium in honore, & exiſtimatione habet, neque Scripturæ in ea re præſertim fidit. Suo ergo ingenio plus tribuere videtur, quam omnibus aliis.

SUM-

SUMMARIUM
ANNOTATIONUM
IN CAROLUM SIGONIUM
B. SULPICII SEVERI
INTERPRETEM.

ECcleſiæ hoſtium fraudulentiſſima ſtudia, qui verba & ſententias Orthodoxorum Patrum vel perverſè interpretantur, vel non integre, ſed mutilate citant, vel quod majoris etiam impudentiæ eſt, apertiſſime depravant, nos coëgerunt ad hanc Provinciam aſſumendam, ne de nobis tela contra nos ſumpſiſſe glorientur; ea propter quæ in noſtris annotationibus copioſe diximus, comprimentes, ſolummodo quæ nobis viſa ſunt non rectè ſtare, cauſam, rationem, & fundamentum ſubindicare intendimus, reliqua qui copioſius optat, quæ ſcripſimus, ubi doctorum rationes, auctoritates, & loca ſignavimus, videat.

Pag. 1. ultra medium Satius dixiſſet à noſtra Chriſtianorum & Catholicorum vivificante doctrina, cum Chriſtianus ſit & apud Catholicos & Chriſtianos ſcribat.

Pag. 2. Illuſtr. Cardinalem Palæottum ſummum Epiſcopum contra omnes patres quos antecedentibus ſæculis habuit Eccleſia, vocat, immo contra Conc. 1. Africanum cap. 6. ubi ita cautum eſt, ne primæ ſedis Epiſcopus appelletur Princeps Sacerdotum aut ſummus Sacerdos aut aliquid hujuſmodi, ſed primæ ſedis Epiſcopus; nam licet vetuſtiſſimis temporibus antiqui Patres ad Epiſcopos ſcribentes Sanctiſſimo Papæ & aliis hujuſmodi Epithetis uſi ſint, neminem tamen ſummum Epiſcopum appellarunt, cum nulli alii, niſi ſummo Chriſti Vicario hoc competat, & Proteſtantes noſtri temporis ut refert Turrianus lib. 5. in ſanctiſſimum Clementem cap. 5. omnes Epiſcopos ſummos Pontifices & ſummos Sacerdotes interdum vocare ſolent, ut Epiſcopi Romani poteſtati detrahant, & illum ceteris Epiſcopis parem faciant.

In principio ſui Commentarii (pag. 8.) ait Gregorius Nazianzenus homo non tam ſanctitatis, quam doctrinæ atque eloquentiæ ſingularis, ne piorum aures offenderet, ſincerius dixiſſet Sanctus Gregorius Nazianzenus, vir ſanctitatis, doctrinæque & eloquentiæ ſingularis. Negatio enim notis interpoſita diſſimilitudo eſt; Hæretici etiam ſimpliciter, & quaſi irriſorie ſanctos homines vocant.

Pag. eadem in ſolis Hæbreorum Commentariis, apertè docetur quantum humanum genus aut religione colenda, ait: quanti periculi hoc ſit, ex iis maximè patet, quod eorum exemplaria corrupta ſunt. Commentarios appellat Sigonius exemplaria, quæ fabulis contaminata ſunt.

Deinde Orthodoxorum Patrum antiquitatem & veritatem excludit. Nam cùm dicit, ſolis, apertè docet, in Evangeliis & ſacris Eccleſiæ traditionibus id non haberi, ſed omnia ab Hebræis ſolis mutuanda, & quod deterius eſt, ipſam Vulgatam editionem, tum hic, tum alibi carpit.

Pag. 9. Contra ſacræ Scripturæ litteram dicit Populum Judaicum occultè eductum; ſi Ægyptiis compellentibus id factum eſt, quomodo occultè? vide Abulenſ. & Lyranum in Exod. 12., & ipſam litteram.

Pag. eadem juxta medium, ſacra Gentilium ſuſcipere ait, eodem dicendi modo Gentilium ritibus, & Chriſtianorum ſacramentis uſus eſt, quaſi hæc eadem apud Gentiles olim fuiſſent; ex verbis enim inordinatè prolatis facile incurritur hæreſis; debuiſſet ſaltem cum aliqua impietatis additione Gentilium ſacra proferre.

Pag. citata prope finem cùm enumeret libros veteris Teſtamenti, libros Prophetarum minorum omiſit, quos in numerum ſacrorum librorum referre debet: contra omnium antiquorum Patrum conſenſum & Concil. Trid. Danielem hiſtorialibus & non Prophetalibus libris aſcribit, imitatuſque depravatum Hebræorum animum, non Prophetam, ſed hiſtoricum eſſe probare contendit, cum ait ut Jonas, Iſaïas, Ezechiel, Hieremias & Daniel. Hebræi enim manibus pedibuſque contendunt, Danielis prophetiam ex ſuis Prophetalibus libris rejicere, quia dono intellectus & ſapientiæ à Deo donatus fuit ut ſomnia, viſiones, audita, & ſcripta intelligere poſſet. Quod ſucceſſionem quatuor Monarchiarum & Regnorum ſub ſpecie quatuor beſtiarum. Item de Regno Chriſti, de deſtructione Regni Græcorum ſub figura arietis & hirci, de reductione Judæorum ex captivitate & ibi tam de adventu, quàm morte Chriſti ſub myſterio 70. Hebdomadarum, ubi etiam de Antichriſto, & tandem de Reſurrectione & Judicio ſupremo agitur. Deinde quia hymnum trium puerorum, hiſtoria Suſannæ, Belis & Draconis fabulam nolunt admittere. Sed cum ſacros novi Teſtamenti libros enumeret, nullam epiſtolarum canonicarum mentionem facit, nec Apocalypſeos, quæ omnia inter canonicos libros referuntur: immo aliquo pacto libri ſacri hiſtoriarum dicendi ſunt, cum in epiſtolis Pauli multa geſta narrentur, quæ eo tempore acciderant, ut de Oneſimo ſervo, de gentium & gentilium mutua pugna, quæ ad hiſtoriam ſpectant, quæ in Apocalypſi ſunt futurorum temporum res geſtas complectuntur.

Item pag. 121. librum Judith ex canone rejicit.

Item paulo poſt Patrum antiquitatem & traditiones, quas perrenes in Eccleſia vigere intuemur, deſtruere contendit, dum ait ſacras Scripturas hebræorum commentaria eſſe, ſic enim appellare debuiſſet reliquos hebræorum libros

bros ab ipſorum Rabbinis conſcriptos: quanti hoc ſit periculi videat, qui intelligere voluerit, annotationes noſtras. Emendatiora ſunt exemplaria Latina quàm Græca, & Græca quàm Hebraica, quæ depravatiſſima ſunt. Quid hæc ſignificent ignoro, aut quò ſpectent, me latet; fortaſſe voce commentariis *cluſus eſt; putavit eſſe explicationes Rabbinorum commentaria ſed nihil minus.*

Ea quæ de omnium rerum creatione Pag. 11. & ſeq. tractat, validiori indigent declaratione propter opinionum diverſitatem. An ſimul tempore vel temporis ſucceſſu fuerint. Dicimus ſimul cuncta fuiſſe creata, quia eodem momento Deus univerſam materiam ſimul creavit, ex qua omnia producta ſunt, vel quia eodem momento ſimul & viſibilium materia & inviſibilium natura eſſentialiter eſt creata, nihilque poſtea eſt factum, cujus in ipſo primordio aut materia, aut in corporalibus, aut ſimilitudo in ſpiritualibus non præceſſerit. Nam, etſi novæ quotidie producantur animæ; nova tamen creatura non fit, quia in angelicis ſpiritibus jam tunc quando creabantur ſimilitudo præceſſit.

Cum Pag. 158. de Conſtantino illo magno frigidiùs, quàm par eſt, imitatus Laurentium Vallam, & Euſebium Cæſarienſem, agat, donationem, decreta Concilii Nicæni ſecundi, cui Epiſtola Sancti Adriani, & decretum ipſius Conſtantini adjuncta fuere, virtutes, in qua Eccleſiæ Primatus includitur, & tempus donationis ſubticens, locus eſt correctione dignus, maximè quòd in libris etiam ſuis hiſtorialibus idem copioſius ſe tenere indicat, & Euſebio in hoc expreſsè adſtipulatur.

Cum Evangeliſtæ nobis æternam & temporalem Chriſti generationem, infantiam, pueritiam, Joannis Baptiſtæ prædicationem, Chriſti perfectam ætatem & mortem proponant falſum eſt, quod dicit Pag. 145. Evangelia non niſi trium ferme annorum hiſtoriam tradiderunt. *Item non negamus, Evangeliſtas hiſtoricos largo modo appellari; tamen cum hiſtoricum ordinem omnium non ſervent, ad eos non ut ad hiſtoricos præcipuè eſt recurrendum; quare* Annuntiatores *potius, quod vox ipſa ſonat, quàm hiſtorici dicendi, ne in Magdeburgenſium incidamus veſaniam, qui non niſi hiſtoriam paſſim Evangelium vocant.*

Univerſa divinarum rerum myſteria ita ſunt auguſta, ut à ſcientia noſtra circumſcribi non poſſint; quare temere quod univerſaliter Sulpicius & indefinitè pag. 147. ponit, ſimpliciter & definite non ſine Patrum & Traditionum excluſione, quod maximæ temeritatis eſt, aſſerit.

Contra textum ipſum Sacræ Scripturæ Gen. 6. 7. & 68. Pag. 16. & alibi, tenet diluvio perditos univerſos præter unum virum juſtum *Noë. Cum Apoſtolorum Coryphæus dicat* octo animas ſalvas factas *fuiſſe.*

Præterea ad fontes Hebræorum recurrendum monet, quia in ipſis hebraicæ hiſtoriæ verbis ſecretius aliquid continetur, diverſum ab eo, quod litteris nuntietur, vel Cabaliſticam ſententiam innuit, quæ à ſacra Eccleſia eſſe indicat, quod eſt abſurdum & impium.

Contra Decretum ſacroſancti Concilii Tridentini ſatis temere pluribus in locis Vulgatam editionem rejicit, verſionemque à Ptolemæo Philadelfo factam, mirabilem ac divinam vocat; nec inficior, dummodo illam non præpoſuiſſet Vulgatæ.

Multis in locis Sacræ Scripturæ phraſes non ſolùm temerè mutat, ſed & multis verbis contendit in ſacris litteris eſſe errores, & eos qui defendunt, appoſitam ſophiſticis rationibus ſinceritatem hiſtoricæ veritatis corrumpere *aſſerit; quod cum ob hanc cauſam piorum aliquorum lucubrationes alias à piis & doctis viris factas ſuſpendi, & prohiberi ſciamus, minime, his præſertim temporibus, quæſtiones ejuſmodi inculcare debuiſſet.*

Periculoſe etiam ſatis Pag. 148. & alibi de fide ſola, & non de gratia & operibus loquitur; cum ait (pag. 14.) Deus Cain munera non reſpexit, Abel vero reſpexit: *ad hoc quod opera noſtra Deo ſint grata, oportet, ſint non ſolum de genere bonorum, ſed & hominem ipſum, qui operatur, eſſe gratum, Deum per gratiam gratum facientem; Prius enim ſaltem ordine naturæ homo eſt gratus Deo, quam opera ejus: ideo gratiá indigemus operante, & cooperante: fides enim, quæ per dilectionem operatur,* perfectum opus habet.

Pag. 21. *Addidit & ad modum Eraſmi mutat vel truncat, non ſinè maximo periculo, imo temerè etiam, verba Sacræ Scripturæ neceſſaria ad intelligentiam ſacræ Hiſtoriæ: loquens de oblatione Melchiſedech contra id, quod Eccleſia & Vulgata tenet* præferens pro proferens *appoſuit. Nam ſub voce præferens latet error, nempe Melchiſedech non ſacrificaſſe, ſed ſolum panem & vinum præmiſiſſe, atque muneris loco mandaſſe Abrahæ, quod noſtrorum temporum imprudentia eſt, ut docet Matthæus Galienus* de Sacrificio Euchariſtiæ; *De venditione Joſeph addidit* ſpadoni *pro* Eunucho, *pro* conſummamur, conficiamur *poſuit. Demum alibi loco* placatus, fatigatus *dixit; & pag. 43.* ADONAI *nomen, quod emphaſim habet, ac myſterium maximum continet, ibi relinqui non debuiſſet.*

Cum natura hominum proclivis admodum ſit ad malum, debuiſſet pag. 22. narrans concubitum filiarum Loth cum ipſo Patre ebrio juxta Orthodoxorum Patrum mentem juvenibus myſterium enucleare, ne nunc adulteria & ſtupra ſibi licere putent, cum legibus Divinis & humanis ſub gravibus pœnis cautum ſit non ſolum tale peccatum, ſed omnis etiam ſimplex concubitus, quod inculcandum juvenibus erat, & non ita truncatum & inexpoſitum relinquendum.

Contra Sanctorum Patrum & ipſius Sacræ Scripturæ mentem pag. 23. dicit Sarram ſuperbiâ partus elatam, *cum pro exemplo ponatur humilitatis, & potius perſecutio à D. Paulo appelletur tale factum.*

Pag. 26. parcius de Idolatriæ initio loquitur, etiam frigidius quàm par eſt, cum his calamitoſis temporibus debuiſſet viriliter inſurgere, differentiamque inter Idolatriam & cultum Sanctorum juvenibus inculcare, ut ad devotam Sanctorum venerationem aſſuefierent, eorumque animis cultum & invocationem Sanctorum inſerere, & qualiter in ſuffragium non in ſummum.

Pag. 28. Ciſternam, lacum appellat *contra Vulgatam editionem; eadem enim Scriptura continetur in editione LXX. quæ & in Vulgata. Item pag. 29.* putabat ſe ſtare ſuper fluvium, de quo aſcendebant ſeptem boves pulchræ & pingues valde. *Vulgata editio habet* ſeptem boves pulchræ & craſſæ nimis, *nec video cur non ponendus ſit totus locus integer, ut communis lectio habet, quam ſolam ſequi debemus omnes ex decreto Sanctiſſimi Concilii Tridentini.*

Item pag. 30. Dixit Jacob filiis ſuis: quare negligitis? Audivi triticum vendi in Ægypto, ite & emite nobis neceſſaria, ne conficiamur inopiâ. *Hæc quoque non ponuntur, ut habetur*

in

in Vulgata editione, quæ ſic habet: Audivi, quòd triticum venundetur in Ægypto, deſcendite, & emite nobis neceſſaria, ut poſſimus vivere, & non conſumamur inopiâ.

Item pag. 31. His ſingulis Jacob moriens benedixit, fata eorum prædixit; *quæ prædixit Jacob filiis ſuis, Patres & Doctores Eccleſiæ non vocant* fata, *ſed prædictiones, prophetias, ac benedictiones: removeatur igitur* fati *nomen profanum, ab uſu Eccleſiæ alienum*; fatum *enim, ut ait Sanctus Auguſtinus lib.* 1. *de Civitate Dei cap.* 9. Siderum conſtitutionem, & neceſſarium eventum ſignificat; ſi vero aliter quis explicari voluerit, ſententiam teneat & linguam corrigat. *Hæc Auguſtinus.*

Pag. 48. *exponere debuiſſet, qualiter Moyſi mors ſimpliciter non impedivit ingreſſum in promiſſionis terram, & quod talis mors fuit pœna peccati perpetrati ad Aquas contradictionis, & quomodo ejus matri traditus ſit ad nutriendum, ſororis prudentiâ Regina ſuaſa.*

Item pag. 33. Ingemiſcentes filii propter opem vociferati ſunt. *Vulgata editio habet*: ingemiſcentes filii Iſraël propter opera vociferati ſunt: (*ſicuti correctum fuit in noſtra editione*)

Item pag. ead. Moyſes paſcebat oves Jetro ſoceri ſui Sacerdotis Madian, cumque duxiſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Oreb; Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat rubum ardere, & non comburi. *Hic quoque Vulgatam lectionem mutavit, pro eo enim quod dixit*: cumque duxiſſet gregem: *Item quod in Vulgata legitur* videbat quod rubus arderet, & non combureretur, *Auctor hic ponit* videbat rubum ardere, & non comburi; *cum citaret hunc locum, oſtendit ſe ipſum verbis citaturum, quibus & in textu Vulgatæ habetur; ſic enim ſcriptum eſt cap.* 3. *Exod.* Moyſes autem paſcebat oves Jethro ſoceri ſui Sacerdotis Madian; cumque minaſſet gregem *&c.* *cum* minaſſet, *iſte dixit* duxiſſet. *Horruit fortaſſe verbum illud* minaſſet, *& propterea dixit* duxiſſet, *ſed non erat cur abſtineret ab hoc verbo, cum in Sacris Bibliis ſæpius legatur, ut in pr. Reg.* 30. *in* 2. *Reg.* 41. *Paralip.* 13. *& apud Iſaiam* puer parvulus minabit; *apud Hieremiam* 31. *in Act.* 18. minavit eos à Tribunali *Jacob* 3.

Pag. 147. *clariùs debuiſſet loqui, ne cum Sacramentariis convenire videretur*; *Nam panis & calicis conſecratio fuit poſt cœnam, ac verba illa* HOC EST CORPUS MEUM *&c. ad conſecrandum prolata ſunt, cum tamen nuda narratione rem fuerit perſecutus.*

Pag. 37. *contra Calviniſtarum aliorumque hæreticorum perfidiam, differentiam inter Mannam & Euchariſtiam clarius debuiſſet ponere; Euchariſtiæ enim tum præfiguratio fuit in Manna, ac Sacramentum Corporis Chriſti myſticum ſignificavit, fuitque figura Manna, ſicut & oblatio Melchiſedech; unde Chriſtus in Melchiſedech figuratus nec panem, nec vinum obtulit Deo, ſed Corpus & Sanguinem ſuum, ſub panis tamen & vini ſpeciebus. Nec verum eſt umbris Mannæ Euchariſtiam præcellere, cum Euchariſtiæ Sacramentum contineat divinitatem & humanitatem, atque licet Euchariſtia dicatur panis, eſt verum Chriſti Corpus, quod non eſt Manna.*

Pag. 39. *cùm ſacris eloquiis edocti unam cognoſcamus legem à Deo Moyſi datam, licèt ejus triplicia ſint præcepta in duabus tabulis lapideis ſcripta, falsò duas perſcribit leges, unam ad religionem, alteram ad judicia pertinentem, ut duobus in locis in libro de Republica Hebræorum demonſtratum eſt.*

Pluribus locis ferias, dies feſtos, *Gentilium more vocat* litare, aquâ tingere, *vel* inficere, fatum, fatalem diem, ſacros Chriſtianorum; *rarò autem vocibus* ſacrificare, baptizare *utitur contra textum ipſum Sacræ Scripturæ, ubi habet* placatus, fatigatus, *uſus eſt.*

Pag. 148. *ſcabellum pedum Chriſti ſanctiſſimam ſcilicet Crucem, in qua ſemetipſum hoſtiam pro nobis Chriſtus in æternum benedictus obtulit; his calamitoſis temporibus* ſuſpendium *vocat; ſatius feciſſet, ſi juvenibus, quibus ſcribit, oſtendiſſet, quod & qualiter adoranda ſit, licet alias patibulum fuerit.*

Pag. 60. *tenet contra textum ipſius ſacræ Scripturæ Heli propter cladem Hebræorum cum nece filiorum*, de ſella retrorſum cecidiſſe, cum cor ejus pavens eſſet propter arcam. Ideo cum nuntius nominaſſet arcam Dei, cecidit de ſella. *Igitur propter* Arcam *non propter* filios.

Pag. 62. *ut Theologos omittam, cum ex optima mundi diſpoſitione unum Deum ac Principem univerſi habeant, ac regimen unius regimini multorum ſit præponendum, temere ait*, amens eſt qui Regem libertati anteponit, *cum ſimpliciter prolata non ſolum ſecundùm Theologos, ſed & ſecundùm Philoſophos falſa ſit.*

Pag. 65. *contra litteram ipſam primo Regum* 21. *gladium, quo David percuſſerat Philiſtæum*, poſitum *fuiſſe* in tentorium militare *aſſeruit, cùm fuerit involutus pallio poſt Ephod, quod in templo aſſervabatur. Nec obſtat, quòd redierit ad communes uſus, cum poſitus ibi fuerit ad memoriam illius victoriæ, ſed à contumelia abſtinere non potuit, cum ipſum Severum quem Auctorem habet, in hac re deceptum fuiſſe dicat.*

Pag. 102. *Ezechielem* de reſurrectione Templi, & Urbis *loquutum fuiſſe ait, & non de reſurrectione corporum, quæ, ut ibi videtur, ſoli Danieli revelata fuit, cùm Ezech. ut reliqua loca omittam, quatuor animalium imaginem, faciem habentium, deſcribens, ait*: per faciem leonis intelligat Chriſtum maxima fortitudine à mortuis reſurgentem, *ut D. Jo. in ſuo Apocalyp. deſcripſit, inquiens*: vicit leo de Tribu Juda; *ille vero in eo quod negat confitetur. Nam dicit Ezechieli revelatam reſurrectionem Templi. At Chriſtus dixit*: ſolvite Templum hoc; *& ſubdit Evangeliſta*: ille autem dicebat de Templo corporis ſui.

Pag. 127. *contra unanimem conſenſum Patrum, & ſacri Concil. Trid. decretum, diſſonantiam in Machabæorum libris admittit, & per conſequens cum hæreticis & hebræis convenit, qui eos rejiciunt, quia doctrina in illis contenta apertiſſimè contra illorum inſaniam & ſomnia pugnat. Item ſi ſemel diſſonantia admittatur, tota eorum auctoritas corrueret, neque eos Eccleſia Catholica Romana diſſonantes & vitiantes approbaſſet.*

Præterea Sigonius Sulpicium & Juſtinum hiſtoricum, ut clariores, Machabæorum libris præponit, ibidem præterea de miraculis Chriſti adeò frigidè loquitur, ut ſatius feciſſet, ſi nihil tetigiſſet, cùm omnis Chriſti actio, noſtra ſit inſtructio, & mirum in modum exempla moveant, & miraculorum Chriſti operatio intellectum convincat ad ejus Divinitatem credendam.

Pag. 147. *ad rectos juvenum mores informandos, hæreticorumque hujus temporis veſaniam circa ſacras Eccleſiæ ceræmonias & Chriſtianorum ſacros ritus convincendam, oculorum* ele-

elevationem, gratiarum actionem, & benedictiones, cùm plena myſteriis & eruditione ſint, omittere non debebat, ubi ait, panem piſceſque comminuit &c. Scit enim quantum patres pro iis tuendis inſudaverint, & qualiter Hæretici irrideant, ideo ipſe ut ſancti viri interpres & Catholicus, ſingula præponderare debebat.

Pag. ead. Triumphum Chriſti Hieroſolymam intreëuntis poſt Lazari reſurrectionem, in quo filius David à populo eſt acclamatus, copioſius exponere debuiſſet, cum aliàs litteralis ſenſus ignorantiæ occaſio fuerit, ut aliqui miſerè in hæreſim prolapſi ſint, tum maximè, cum plena ſint divinis myſteriis.

Pag. 148. ex quo de Petro tetigit, debuiſſet his calamitoſis temporibus non ſolùm ejus primatum, poteſtatem, & ſupremam orbis Monarchiam explicare, ſed & auctoritatem, quam ſuper cæteros totius orbis Epiſcopos, magiſtratus civiles, aut poteſtatem ſæcularem, quam contra hæreticorum turbam habet, enodare. Item & illud erat non omittendum, quod omittit, cum ait Petro nominatim cura gregis fuit commiſſa, cùm hæret ei omnibus viribus contendant, omnibus indifferenter commiſſam; & alia multa omiſit, quæ minimè omittenda erant ab eo, qui juvenes Catholicè imbuendos ſuſcepit.

Pag. 159. & 60. Cum toties audierit Chriſtum acclamantem non veni ſolvere legem, ſed adimplere non debuiſſet ſic frigide dicere quod Gentiles exiſtimarint Chriſtianam Religionem hebraicæ contraire; Evangelium enim eſſe legis perfectionem ejuſque complementum, enodare debuiſſet quod cæremonialia abolita ſunt & velut umbræ veritati & figuræ figurato ceſſerunt.

Pag. 154. Cum errorem Chorinti à B. Sulpicio tamquam ſtultum damnatum referat, debuiſſet ipſam ſententiam Concilii Toletani 4. cap. 16. & Trident. juvenibus exponere, admittentium Apocalypſim inter libros divinos & ſine ulla hæſitatione, Joannis Evangeliſtæ eſſe.

Cum pluribus in locis de Eccleſia Catholica & Fide loquatur, debuiſſet ſaltem ſemel Romanam addere; nam hæretici etiam ſimpliciter Eccleſiam Catholicàm ſuam Eccleſiam, vel ut melius dicam, Synagogam Dæmoniorum vocant. Vide Hom. 3. Domin. poſt Epiphan. Joannis Echii, ubi Eccleſiam non eſſe apud hæreticos Patrum auctoritatibus diffuſiſſimè probat.

Pag. 166. Cum Petrus habuerit cæteris Apoſtolis excellentiorem potentiam, ac ordinarius Paſtor conſtitutus fuerit etiam ipſorum Apoſtolorum, cum agit de Liberio Romano Epiſcopo, debuiſſet qui Juvenes inſtruit, cum aliquo epitheto ad debitam differentiam aliorum, qui ad Concilium venerant, ipſum Liberium Summum Pontificem enumerare.

Pluries in deſcriptione Hæreſum ex iis quæ ponuntur, elicitur, Sigonii eſſe ſententiam minoris eſſe hæreticum eſſe, quàm hæreticum non bono animo accuſare. Hoc autem quam falſiſſimum ſit, ex lib. de juſta hæreticorum punitione, & aliis, qui de hac materia ſcripſerunt, conjicere poterit. Legantur quæ ſanctiſſimus Leo Papa ſerm. 4. & 5. Catholicis mandavit de prodendis hæreticis.

Pag. 169. Cum præter leges ſancitas contra eos qui à Catholicorum Fide & Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ ſanctionibus deviarunt, quamplurimos ſanctitate & præſtantia inſignes. Nec ſolùm noſtros anteceſſores ſed ipſorum hæreſiarcharum contemporales videamus inſtructiſſimis voluminibus & prodidiſſe, & retudiſſe hæreticos, eoſque non ſolùm licitè, ſed & juſtiſſimè per ſæculares pœna mortis, ac bonorum privatione puniendos, & quando hæretici hoc contendunt, ut impunè peccare poſſint, diſtinctiùs & clarius hanc materiam tractare debuiſſet, juvenes inſtruens, quos hac præſertim de re rectè informatos & cum deteſtatione hæreſum & hæreticorum imbutos magni refert.

Pag. 182. Cum ſolius Summi Chriſti Vicarii ſit inter Divos aſcribere, urgentiùs invehi debuiſſet in eos, qui Priſcillianum tamquam martyrem in Martyrologiis aſcripſerunt; Martyrologii auctorem prodere debuiſſet, ut ab eo tamquam temerario & hæretico & juvenes, & reliqui Catholici cavere poſſent.

Pag. ead. Utinam autem, ne quando hujuſmodi nos mala videamus, in quibus (ut verbis utar Sulpicii) Plebs Dei, & optimus quique probro ludibrioque habeatur; hac pia diſſimulataque oratione concludit commentator, tacitè temporum iſtorum conſimiles abuſus reprehendens, à quo tamen abſtinere potuiſſet, ne juvenibus ſupra illorum captum ſciendi, & per conſequens faciliùs calumniandi anſam præberet.

EDITORIS MONITUM.

NOn adeò præmiſſis animadverſionibus contentus Cenſor Sigonii, quibus cribrandas atque excutiendas ſuſcepit non abſque invidia atque livore, emendicatis plerumque cavillationibus, accenſâque, ut in adagio eſt, lucernâ, illius notas in Sulpicii Severi Eccleſiaſticam Hiſtoriam, ut dilucidè ex hiſce ſcriptis colligitur; iterum, iterumque eamdem crambem recoquere auſus eſt, accuſationes eaſdem recantans, rurſuſque novo adjecto reatus crimine ſub oculos ponens, ut mole ſaltem verborum Auctoris noſtri famam, cum opprimere rationibus non valeret, pro poſſe ſuo gravaret. Iſtas verò Sigonius ipſe, integritatis ſuæ, rectæque Fidei optimè conſcius, non tanti fecit, ut reſpondere ultra opportunum duxerit, ſed leonis in modum, qui catuli latratus haud curat, ita & ille progreſſus eſt in lucubrationum ſuarum curriculo, ut deſpectum potius atque neglectum Cenſorem ſuum omnino dimiſerit. Hæc quoque, licèt levia, non alio planè titulo in hac editione locum habuere, niſi ut quiſque noſcat, quod lyncei malevolorum oculi in Hiſtoria remotiorum Seculorum à Sigonio expolita vix iſtos tam parvi momenti nævos agnovère; ideoque creſcat Scriptori diligentiſſimo laus ab objurgationibus ipſis, quæ in ejuſdem ſcripta evomuntur, celebriorum picturarum adinſtar, quibus ab umbra majus lumen, & præclarior æſtimatio comparatur. Accipe igitur, humaniſſime Lector, Cenſuras præmiſſas, ut videas etiam, intelligaſque, me non ita Sigonii amore captum, quod objecta illi crimina ſilentio tegere voluerim, verùm communis utilitatis gratiâ me quicquid prodeſſe noverim non prætermittere, immò ſincerè atque integrè exponere, ut fidem meam magis magiſque probatam omnibus reddam. Vale.

INDEX

INDEX
ANNOTATIONUM
IN LIBRUM CAROLI SIGONII
DE
REPUB. HEBRÆORUM.

A

Primò. *Quia magna ex parte in hoc libro propoſita confirmat, auctoribus Joſepho de Bello Judaico, & antiquitatibus, & Philone Judæis.*

II. *Quod Rempublicam Hebræorum appellet inſignem formam Eccleſiæ Chriſtianæ.*

III. *Quod de eadem eodem loco dicat, quod ſit expreſſa ad vivum Imago Beatæ Vitæ, in Cœleſti Civitate degendæ.*

IV. *Quod ſibi contradicat, cum dicit propoſitum ſibi eſſe Rempublicam Hebræorum incluſam in intimis penetralibus Sacrarum litterarum inveſtigare.*

B

V. *Facit Rom. Pontif. Hebræorum Sacerdotem, & Principem.*

VI. *Quod cum ſæpius utatur verbis ex Sacra Scriptura deſumptis, & multa inde auferat, nunquam tamen utatur vulgata Bibliorum editione à Concilio Tridentino nobis propoſita; ſed Græca neſcio qua, illam commendet, clariorem vocet, & exactiorem.*

VII. *Quod David Pſalm.* Beati, qui ſcrutantur, *invertat, & immutet.*

C

VIII. *Quod malè univerſo Populo tribuat nomina illa tria, Hebræum, Iſraëlitam, Judæum.*

IX. *Quod non benè loquatur, dum verbum illud adhibet in Joſeph, & Moyſe.*

X. *Malè dicit in Tabulis legis conſcriptam fuiſſe Rempub. Hebræorum.*

XI. *Quod aliter Oſeæ verba interpretetur, quàm SS. Auguſtinus, & Hieronymus.*

XII. *Quod aliter ac Sancti Doctores interpretetur, quid Præceptum, quid Mandatum, quid Judicium.*

D

XIII. *Quod cum citet Sacram Scripturam, non ſolùm non utatur vulgata editione, ſed verba omittat quædam, quæ omitti non poterant.*

XIV. *Quod ex ejus verbis ſimplex fornicatio non videatur prohibi in Præcepto Decalogi, ſed ſolùm adulterium.*

XV. *Quod non benè referat verba Scripturæ Sacræ, & illa accommodet, non ut res eſt.*

XVI. *Quod contra Reges agat eodem modo, ac Calvinus, & Bucananus, & ex Joſepho dicat, quæ multo clarius, ac melius lib. Judicum continentur.*

XVII. *Verba Pſalm. 2., quæ ad Chriſtum referuntur, ad David malè refert contra communem Patrum expoſitionem, & ibi malè immutat verba.*

XVIII. *Malè enumerat David inter Reges, qui ex voluntate imperarunt, cum ille ex præcepto legis gubernaverit.*

XIX. *Capita Sacræ Scripturæ cum Rabbinis ſuo more diſtinguit.*

XX. *Malè collocat Tribus, & trans Jordanem, & citra.*

XXI. *Accepiſſe dicit Tribum Juda Hieruſalem, Bebel &c. cum apertè conſtet ex Joſue cap. 15. ſortito contigiſſe.*

XXII. *Citat primum Cap. Paralip., cum ſit ſecundum, & primum librum uſurpat pro ſecundo.*

XXIII. *Quæ ſunt Cap. 6. Reg. 3. dicit eſſe Cap. 7., & non utitur Vulgata, quam ſemper omittit.*

XXIV. *Ex Joſepho videtur velle probare eodem die per milites Titi combuſtum Templum fuiſſe, quo antea per Babylonios, quæ falſa ſunt, & Scripturæ Sacræ contraria, ſed à Rabbinis emendicata.*

XXV. *Quod malè tractet de Templo Samariæ, & Ægypti, quia nunquam fuit aliud Templum, quàm Hieroſolymitanum à Rabbinis quoque prædicatum.*

XXVI. *Falſum eſt quod dicit Judæos peregrinos non potuiſſe adire Templum; falſum item quod poſuit de numero Synagogarum.*

XXVII. *Quod erret cum de annis Hebræor. agit, & quod decipiatur, dum annum inchoari dicit à Menſe Niſan.*

XXVIII. *Quod de intercalatione proponit, omnia pendent à Rabbinis.*

XXIX. *Quod malè interpretetur verba Exod. 35.* Non ſuccendetis ignem *&c. edoctus à Rabbinis.*

XXX. *Quod malè agens de Sacrificiis nitatur auctoritate Philonis.*

XXXI. *Quod aliter referat, quæ de Paſchate, & Azimis habentur.*

XXXII. *Quod de die Paſchatis, & Paraſceve falſa referat, & abſurda, quibus ſubvertuntur traditiones Eccleſiæ, & ad confirmandum errorem de Conſecratione in fermentato*

A

tato videatur ſpectare, & omnia, quæ hic dicit, Scripturæ Sacræ ſunt contraria.

XXXIII. *Quod quæ dicat de Feſto Tubarum falſa ſint, & à Rabbinis accepta; & ut ſuam ſententiam fulciat, malè eo detorquet Pſalm.* Buccinate in Neomænia tuba.

XXXIV. *Quod errore Rabbinorum Neoticorum ducatur, & Philonis de Tubis.*

XXXV. *Quod malè interpretetur Hierem. Cap.* 36., *& malè dicat jejunium Expiationis.*

B

XXXVI. *Quod malè contradicat S. Jo. Chryſoſtomo; quod malè prætermittat auctoritatem dati præcepti de celebrando Paſchate.*

XXXVII. *Quod malè, & falsò, & impiè dicat Chriſtum in menſe ſecundo celebraſſe Paſcha.*

XXXVIII. *Quod neque Rabbini inimici Chriſti, Chriſto Domino tribuunt, hic Auctor tribuit.*

XXXIX. *Quod contradicat S. Marco Cap.* 14. 40.

C

XL. *Quod falsò in Enceniis numeret Jephteh, & de Enceniis errat.*

XLI. *Falſum eſt quod ex Joſepho dicit de Victoria Nicanoris, & errat, dum lamenta feſta dicit eſſe.*

XLII. *Quod malè inſtituat Calendarium Hebraicum, & à falſis principiis falſa proponat.*

XLIII. *Quod ex Sacra Scriptura inſtituat quaſi lib. de Natura Deorum.*

XLIV. *Quod malè rationem Sacrificiorum referat, & quæ Sacerdotibus, quæ Offerentibus competerent, quæ comburerentur malè intellexit.*

D

XLV. *Quod malè dicat Chriſtum, ut imitaretur Moyſem, & Eliam jejunaſſe.*

XLVI. *Quod malè intelligat Cæremonias adhibitas in conſecratione Aaron Summi Sacerdotis, & ejus filiorum adhiberi ſolitas etiam in conſecratione aliorum Sacerdotum.*

XLVII. *Refert verba Sancti Auguſtini, & non intelligit, quod Altare, ubi offerebatur incenſum, non erat intra Sancta Sanctorum.*

XLVIII. *Quod non dicat Chriſtum natum imperante Auguſto, ut dicit mortem imperante Tiberio.*

XLIX. *Quod ſit auſus notare S. Auguſtinum de duobus Summis Sacerdotibus Anna, & Caypha, & videtur non legiſſe Evangelium, neque Scripturam Sacram.*

L. *Quod in recenſendis Prophetis,* 6 *omittat, & alios ponat quoſdam qui non fuerunt Prophetæ.*

LI. *Quod dicat Arcam Fœderis non fuiſſe in ſecundo Templo; Item quod Petræ meminerit cujuſdam cum Rabbinis, quæ extabat à terra brevi quodam ſpatio; ſed hoc eſt falſum, & à Rabbinis acceptum, ut tollant Miracula Chriſti.*

LII. *Quod malè citat verba ex* 3. *Reg. cap.* 13.

LIII. *Quod Synagoga non ſit ut ille dicit.*

LIV. *Quod cum citet S. Marcum cap.* 8. *faciat Chriſtum dicentem, quæ dixit.*

LV. *Pſalmo* 110. *aliter interpretetur ac Patres.*

LVI. *Quod immutet verba, & ſenſum Sacræ Scripturæ Num. cap.* 27.

LVII. *Quod S. Lucam peritum moris Græcorum, & Romanorum, Acta Apoſtolorum ſcripſiſſe dicat.*

LVIII. *Quod de Judicio non benè loquatur, quod eo velit detorquere verba Pſalm.* 1. *David.*

LIX. *Quod malè dicat Chriſtum pœnas homicidio conſtituiſſe peritum moris Judaici.*

LX. *Quod malè dicat Deut. cap.* 21. *legem Crucifixionis tradi à Deo, cum crucifigi non fuerit in uſu apud Judæos.*

LXI. *Quod malè notet Verſionem, quam habuit S. Auguſtinus.*

LXII. *Quod malè adducat Verba Chriſti apud S. Lucam cap.* 12.

LXIII. *Quod malè citet S. Lucam cap.* 20. *Michæam cap.* 5.

LXIV. *Quod malè ad res profanas citet Hieremiam cap.* 8. *contra ſenſum in Eccleſia receptum.*

LXV. *Malè citat verba* 4. *Reg. cap. ult. ob ignorantiam linguæ hebraicæ,*

ANNO-

ANNOTATIONES
IN LIBRUM CAROLI SIGONII
DE
REPUB. HEBRÆORUM,
CUM ADJECTIS RESPONSIONIBUS.

CENSURA PRIMA.

Magni refert, cum de re aliqua inter aliquos, aut monumentis, aut tabulis, aut aliquorum confirmatione agitur, primum teſtium fidem inquirere, an ſuſpecta, conſtans, an dubia ſit, ne eorum auctoritate capti, fraudatique mendacio ſuffragemur. Ita enim cauſæ apud omnes Judices componuntur, apud quos, cum judicio contendendum ſit, obſignatis Tabulis, & juratis teſtibus, non niſi graviſſimis defertur. Quod cum auctorem in re omnium maxima facere oportuit, video illum omninò neglexiſſe, neque eorum, quorum teſtimoniis rem conficere velle videtur, fidem exploraſſe. Debebat quidem eorum more, qui jure manu conferre volunt, primum acta, teſtes, & rationes expendere, Philonis, & Joſephi hebræorum auctoritatem explorare, ut ſi eorum ſententia non conſtaret, cauſa non caderet; quod planè ſi boni Architecti morem à Chriſto præſcriptum, ſervaſſet, & omnes rationes egregiè ſubduxiſſet, non tantum apud eum horum valuiſſet auctoritas; quam non ſolum cum Patribus, his enim multis in partibus inferior eſt, exæquare; ſed etiam cum Scriptura, quæ ſacroſancta, & inviolabilis eſt, conjungere videtur; quod quam grave ſit, perpendat quæſo, quæ adverſus ejus patronos, & ejus Reipublicæ auctores, objecta ſint crimina; quæ & eorum auctoritatem elevant, & fidem infirmant.

Philo Judæus tametſi liberaliter eruditus, eloquio græco cum Platone certaverit, quæ tamen interpretatus eſt, non ad Chriſtum intelligendum, qui legis eſt finis, & totius Scripturæ ſcopus retulit; in illum enim non crediderat, ſed aliorſum quam res eſt, ſacram Scripturam accepit, quod ſanè crimen S. Aug. lib. 2. contra Fauſtum cap. 33. objecit his ferè verbis: „ Philo, cum arcam Diluvii „ ſecundùm humani corporis ſtructuram, fabricatam doceret, & membratim omnia pertractaret, cum ad oſtium ventum eſt arcæ, quod in „ latere ejus factum erat, omni humani ingenii „ conjectura deſtitutus, conſtitit, ut tandem dicere auderet, inferioris corporis partes, quibus „ urina, & fimus egeruntur, illo oſtio ſignificari, „ idque auſus eſt credere, dicere, & ſcribere; nec „ mirum, ſi oſtio non invento, ſic aberraret a foribus; quod ſi ad Chriſtum tranſiſſet, ablato velamine, Sacramenta Eccleſiæ à Chriſti latere „ manantia inveniſſet. Hæc ille; ſed aliam S. Hieronymi auctoritatem adjungamus, qui hunc Philonem, cum eloquentia Platoni parem (in lib. de Scrip. Eccleſ.) appellaſſet, Librum tamen ſcripſiſſe commemorat, quo muta animalia rationem habere demonſtrabat. Quod etiam Suidas Græcus Auctor in ejuſdem Philonis vita retulit; quaſi animalia bruta ratione prædita exiſterent, & anima rationali informarentur, qua diſcurrere rerum anteceſſiones ratione prævidere, & futura colligere poſſent: Quæ non ex philoſophia, ſed ex impia Rabbinorum traditione confinxit (ita enim de ſerpente arbitrantur) quibus cum eſſet more Judæorum, addictiſſimus, opera omnia ſimilibus Rabbinorum interpretationibus conſperſit, aut ad naturales cauſas, tanquam ad normam, res ſacras retulit. Angelos enim, quos viderat Jacob aſcendentes, & deſcendentes, influxus Cœleſtes, ut nimborum concretionem appellavit; quæ planè abſurda ſunt. Videat ergo Reipublicæ Hebræorum auctor, qua infirma hominis auctoritate nitatur, de quo hactenus.

Præterea de Joſepho graves Viri ita exiſtimant, eum non ſolum Hebræorum perfidiæ conſortem, ſed etiam maximum Imperatorum adulatorem, & Scurram, ne dicam ſacræ Scripturæ peſtem fuiſſe: de ſingulis hujus notis agam, ut quam à vero ſæpè diſſentiat, judicare poſſimus; ne Egeſippus lib. de excidio Hieroſolymitano 1. cap. 1. hæc præcipuè Joſepho objecit; ex quibus quam parum fidei in ejus ſcriptis reponendum ſit, facilè deducitur. *Relator*, inquit, *egregius hyſtorico ſtylo Joſephus Machabæorum Hiſtoriam, & Manubias Titi compoſuit; utinam tam religioni, & veritati attentus, quam rerum indagini, & ſermonum ſobrietati; Conſortem enim ſe perfidiæ Judæorum etiamſi ipſo ſermone exhibuit, deploravit enim flebiliter ærumnam, ſed ærumnæ cauſam non intellexit*. Hæc ille. Accedit huc etiam in hiſtoria, quæ præcipuè in rebus geſtis enarrandis conſiſtit, ſæpè Joſephum malè rerum, & temporum veritatem conjunxiſſe. Hanc enim notam, Zonaras huic auctori, tanquam mendacii ſuſpecto inuſſit in Vita Caji Caligulæ, qui cum Hebræorum excidium Caligulæ inſaniæ, qua ſacrum Hieroſolymorum Templum ſibi novo Jovi conſecrarat, adſcribere debuiſſet, abſtinuit tamen ab hac vera rerum narratione, ut Imperatoribus blandiretur. Immo vero firmiſſimum Chriſti Meſſiæ Oraculum, cui omnes Judæi æque conſenſerant, Gen. cap ult. *Non auferetur* &c. ad Veſpaſiani Imperium impie, & impudenter traduxit, ut refert Appianus lib. 22. hiſtoriæ, & præter Scripturæ ſacræ veritatem contorſit; quam ſcurriliter id fecerit, videant alii; certè in Scriptura ſacra vitianda impietatis notam aufugere non potuit: Quod Zonaras in Vita Vitellii adnotavit. Præterea de Infantium nece ab impio Herode perpetrata, nunquam ne verbum quidem muſſitare auſus eſt, quæ tamen apud profanos auctores, ſatis joculariter enarrata fuit, à Macrobio lib. 2. Satur. Mox in temporum ſupputatione maximè involvitur; nam lib. VI. cap. ult. antiquitatum, & lib. 18. cap. 1. & 3, deſcriptionem ſub Cyrino anno 51 Imperii Auguſti factam fuiſſe docet. Quod planè abſurdum eſt, cum eo tempore Chriſtus fuerit ortus, anno videlicet 42. Auguſti Cæſaris, ut Tertullianus contra Judæos eleganter explicavit.

Ad hæc, quæ refert de Moyſe lib. 2. antiq. cap. 5. videntur eſſe ſuſpecta, immo. & meræ nugæ, quas de ipſo legiſlatore veteres gentes confinxerunt, ut ex S. Juſtino martyre in admonitione ad gentes colligitur; ab illis enim ſomnia, fabulæque confictæ ſunt, quibus nos Chriſtiani non credimus, cum ab Scripturæ veritate abhorreant, nunquam enim Moyſes in Regem adoptatus eſt, neque Pharaonis exercitum duxit, nec bella egregiè confecit, ſed eadem, qua patres, majoreſque ſui, ſervitute oppreſſus eſt, donec tandem homicidii cauſa aufugeret. Illud etiam, quod de eodem Moyſe lib. 4. cap. 8. refert, illum mortuum non fuiſſe, ſed nube ſublatum, ac raptum, omnino Scripturæ ſacræ teſtimonio refellitur Deut. cap. 34., *mortuuſque*, inquit, *Moyſes ſervus Domini in terra Moab*. Quare cum dicat Joſeph ſcripſiſſe Moyſem, veritum ne à Deo raptum eſſe divulgaretur, mendacii ſuſpectum fecit auctorem, & Prophetam ſanctum, falſis criminationibus arguit; itaque non tam ſcriptorem crimine falſi reprehendit, ſed etiam ſacrarum Scripturarum auctoritati derogat.

Cum aliter quam res geſtæ ſint, referantur; neque ab his plurimum diſtant, quæ de S. Joannis nece lib. 18. cap. 7. conſcripſit his verbis: *Cum magni concurſus ad eum fierent, veritus Herodes, ne tanti hominis auctoritas aliquam defectionem pareret, judicavit illum tollere; itaque miſſum in Macheruntum, illic occidi imperat*; quæ planè omninò Evangelio adverſantur, ut videre eſt cap. 14. Matth., & 3. B. Luc., & 6. Mar. His ergo tam invalidis teſtibus, mirum non erit, ſi tota Reſpublica Hebræorum diſſolvatur, quod apertè ex iis, quæ ſtatim annotanda erunt, colligetur.

IN CENSURAM I. RESPONSIO.

TOtam Judaicæ Reipublicæ molem uno impetu ſubvertere conatur Cenſor, infœlici tamen molimine, & vana prorſus jactantia. Non imus inficias, Philonem & Joſephum homines quum eſſent, erroribus aliquando obnoxios fuiſſe, verum omnia penitus, quæ ab ipſis conſcripta ſunt, falſo laborare non inde conſequitur. Utriuſque teſtimonio atque auctoritate graviſſimi Patres, & Scriptores Eccleſiaſtici non ſemel uſi ſunt, eorumque opera maximis elogiis poſteritati commendarunt, quos nemo dixerit fabularum atque impietatis farragini ſuffragium ferre voluiſſe. Damus itaque in Philonis & Joſephi operibus eſſe mala bonis permixta. Verum ut Cenſor Sigonii Rempublicam exterminaret, oſtendere debuiſſet primo Philonis & Joſephi tantum operâ Sigonium abuti, deinde loca, quæ ex præfatis auctoribus uſurpat, falſum continere. Eſt enim peſſimum argumentandi genus; hic vel ille Scriptor, in uno vel altero, vel in pluribus errat, ergo totus mendaciis ſcatet, nullaque ei fides adhibenda. Flavius Vopiſcus vere falſeque dixit, ut refert Melchior Canus ſtatim laudandus, neminem hiſtoricorum non aliquid eſſe mentitum; an propterea quæcumque hiſtorici prodiderunt, exſibillanda? Ceterum ut plurima prætermittam pro Joſepho SS. Patrum teſtimonia, audiat Cenſor, quid de ejus fide atque auctoritate ſentiat præfatus eruditiſſimus & caſtigatiſſimus Theologus Melchior Canus lib. XI. locor. Theol. cap. ultimo, quæ Sigonium ejuſque Rempub. hac parte in tuto collocant. *Joſephi vero*, inquit, *in hiſtoria fidem non Romani modo Principes, ſed viri quoque Eccleſiæ celebrarunt. Egeſippus .... Hieronymus .... Euſebius Cæſarien. ... Sozomenus, Nicephorus, ut alios omittam, miris modis Joſephi hiſtoriam commendant*. Relatis deinde quibuſdam Joſephi erratis, quæ partim Scripturæ ſacræ, partim genuinis receptiſque hiſtoriis adverſantur, ſubdit: *Sed errores fuere ignorantis, non mendacia fallentis*. NEQUE ÆQUUM EST (rogo Cenſorem aures arrigat) PAUCIS E MACULIS LABEM TOTI NARRATIONIS CORPORI ASPERGERE. *Egregius itaque hiſtoricus Joſephus fuit .... & rerum indagini ſobrietatiſque ſermonum attentus. Quod vero in temporibus notandis eum quidam reprehendunt, id jure an injuria faciant, non facile dixerim. Equidem ejuſmodi errata indoctis negligentibuſque librariis prompte ac libenter aſſigno*.

Quod vero Philonem reſpicit, nimius eſſem, ſi vellem ſingulos producere, qui ipſum non celebrarunt modo, verum etiam ſequuti ſunt. Cenſori præſto eſſe poſſunt Euſeb. lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 4. & 17. Hieronym. in epiſtola ad Magnum Romanum oratorem, in Catalogo de Scriptoribus Eccleſiaſt. & alibi, Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum cap. 39. adeo ut jure merito prælaudatus Canus Philonem appellaverit *graviſſimum Philoſophum, Theologum erudititiſſimum, virum doctiſſimum & prudentiſſimum*. Sed digna ſunt quæ hic ad rem noſtram referantur Sixti Senenſis verba lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ: *Philo Judæus ... in quem unum omnes ſeſe Chriſtianorum Patrum laudes effundunt .... fuit .... ultra quam dici queat admirabilis in divinis Scripturis exponendis, quas triplici ſenſu juxta* LXX. *editionem præclariſſime explicavit, literali ſcilicet, morali, & præcipue allegorico: in quo quidem expoſitionis genere ita excelluit, ut omnes pervetuſti Eccleſiæ Doctores in deducendis myſticis allegoriis imitati ſint ipſum, tanquam primum ſacrarum allegoriarum inventorem & artificem*. Hæc Sixtus de Philone. Interim judicet ipſe Cenſor, an recte Sigonium ſummæ negligentiæ damnaverit, quaſi Philonis & Joſephi teſtimonio uſus eſſet, prius ac illorum fidem autoritatemque compertam habuiſſet: & num tota Reipublicæ Hebraicæ moles exinde labatur & concidat, quod Sigonius ad operis ſui ſtructuram duobus Hebræorum præſtantiſſimis viris utatur aliquando.

CENSURA II.

IN Epiſtola ad Romanum Pontificem ita habet: *Quæ ut inſignis fuit forma Eccleſiæ Chriſtianæ*.

Appellat Rempubl. Hebræorum inſignem formam Eccleſiæ Chriſtianæ; forma verò hoc loco exemplar, vel imaginem ſignificat, ad cujus imitationem res aliqua effingitur, vel exprimitur. Ideam, ſive .... appellarunt Græci, quaſi velit auctor judicare, nihil in Eccleſia eſſe poſſe, quod non fuerit ex hebræorum imitatione traductum; adeò ut quicquid inde petitum non fuerit, tanquam minus exactè ad exemplar compoſitum, aut tanquam adulterinum, ab Eccleſia excludendum ſit. Quod nihil peſtilentius, & Eccleſiæ Catholicæ calamitoſius accidiſſet. Cum veteres mores, jam Chriſti paſſione extincti, in conſuetudinem deducendi, vel veteres illæ cæremoniæ in communem uſum revocandæ eſſent. Huic abſurditati hæc etiam major accedit, quod nunquam ſacerdotium Aaron fuerit inſignis forma ſacerdotii Chriſti, *quod præcipuè in Eccleſia Chriſtiana*, ut ille loquitur, *aliis omnibus rebus præponderatur*; ſed potius fuit Melchiſedech, ut docuit Paulus ad Hebræos 5. & 7., ubi hoc Chriſti ſacerdotium commendaret, non ad exemplar Aaronis retulit, ſed proximè ad ſacerdotium Melchiſedech accedere demonſtravit; fuit enim Levit. Melchiſedech ſacerdoti inferior, cum fuerit decimatus in lumbis patris Abrahæ, & ab ipſo Melchiſedech benedictionem acceperit. Ergo ſi ſacerdotium hebræorum inſignis forma non fuit ſacerdotii Chriſti, neque Reſpublica Hebræorum inſignis forma fuit Eccleſiæ Chriſtianæ, ut vel ex hoc uno teſtimonio ſatis in aperto ſit, quam male Reſpubl. Hebræorum fuerit tanquam Eccleſiæ forma inſtituta.

Præterea in eadem Epiſtola addit.

Atque expreſſa ad vivum Imago Beatæ Vitæ, in Cœleſti Civitate degendæ. Quod planè Hebræorum Reipublicæ nunquam potuit convenire, cum lex, qua Reſpublica gubernabatur, nunquam Imaginem vivam Cœleſtis Civitatis contineret; error enim eſt ita loqui, atque ſentire: Cùm Divus Paulus ad Hebræos 10. apertè contradicat. Ita enim conceptis verbis loquitur: *Eſt enim lex Vetus, Umbra futurorum bonorum, & non imago rerum*. Vide quæſo quam apertè, Umbram ab Imagine ſejungat Paulus, & quam clarè auctoris opinionem impugnet Apoſtolus; nunquam enim lex Imago extitit beatæ Vitæ, ſed Evangelium, ut docet S. Greg. Nazianzenus in Scholiis Græcis, in hunc locum Pauli his verbis: *futura bona gaudia ſunt Cœleſtis patriæ, illorum Imago Evangelica lex eſt, & Vita*, ſubjungit (*ne omnia referam*) *novum ergo Teſtamentum futurorum bonorum imaginem habet, lex umbram. Cum ænigmatice tantum, & obſcurè, illa nobis præferret, ad quæ per Fidem Evangelicam ſpe contingimus, &*

quod

quod inde excurrit. Sic Paulus legem pædagogam, & ſub introductionem melioris ſpei, & non formam ad Hebr. 7. appellat. Cum ad perfectum lex nunquam adduxerit, nec pollicitationes ſpirituales habuerit, ſed ſolum terrena præmia, quibus homines carnales, & duri maximè movebantur: Paulus vero ad Hebr. 10. tam apertè, & palam contra auctorem loquutus eſt, ut nulla tergiverſatione illius teſtimonium improbari poſſit; ita enim habet.

Icona vero eſt ad vivum Imago, & forma propriis coloribus, & lineamentis expreſſa, ut ex P. Diacono lib. 11. cap. pr. conſtat; cum vero Paulus pr. ad Corinth. 10. dicat: *Omnia illis in figura contigiſſe*, hac voce non utitur, ſed alia videlicet: *Ideſt Typi*, cum illis adumbratione quadam omnia acciderint, & non aperta, & expreſſa veritatis imagine; in qua re malè auctor aſſerit. Cum ex umbra veritatem metiatur, & cum ſolidam, & expreſſam Eccleſiæ Catholicæ veritatem habeat, Umbram ſectetur; eſt enim Eccleſia expreſſa Cœleſtis Vitæ imago, & non ſynagoga; cum *illa hominum*, *hæc beſtiarum* ab Auguſt. dicatur eſſe *Collectio*: In illa gratia, & ſacramenta exiſtunt, in hac nuda, & adumbrata Eccleſiæ, & ſacramentorum figura, ut Divus Cyrillus in cap. pr. Joann. ſuper illis verbis: *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*, diſſuta, & eleganti oratione enarravit.

Præterea cum hæc dicit, ſibi ipſi adverſatur; nam cum loquitur de forma Reipublicæ Hebreæ, dicit propoſitum ſibi eſſe veterum Hebræor. Remp. ex intimis penetralibus ſacrarum litterarum incluſam inveſtigare, ſe ipſum prodit; ſi enim Reſpubl. Hebræa fuit incluſa intimis penetralibus ſacrarum litterarum, non fuit igitur expreſſa ad vivum Imago Reipub. Chriſtianæ, & vitæ beatæ. Præterquam quod aſſerit, *ex intimis ſacrarum litterarum propoſitum ſibi eſſe inveſtigare Rempubl. Hebræorum*, & *formam* Chriſtianæ Reipublicæ eſſe dicat, & *Imaginem*. Quare ex Joſepho, Philone, 3. Eſdræ, non approbatis libris tam multa in illa conſtituit; an illi etiam in ſacris numerantur ab illo? An ex illis petenda forma Eccleſiæ Chriſtianæ, qui Judæi perfidi fuerunt, aut ex Eſdræ lib. non canonico; an ex illis deducenda expreſſa ad vivum Imago beatæ Vitæ, qui longiſſimè à veritate diſtant?

Præterea in eadem Epiſtola ita dicit Auctor.

Quare extrema eo alacriori animo ſequutus, faciendum mihi duxi, opus auguſtiſſimo ſanctitatis veſtræ nomini conſecrarem; ut quæ non ſolum hujus, quam deſcribo, Reipublicæ Principatum in terris tenet, ſed in ſummis etiam &c.

Facit Auctor Romanum Pontificem Heb. Sacerdotem, & Principem, ut jam neceſſe ſit fateri, aut quod Reſpubl. Hebr. vigeat, aut quod lex hebræa valeat, cum adhuc ſit ſuperſtes, qui veteri ſacerdotio fungatur; quod cum dicat inſignem profectò Eccleſiæ Romanæ, & Gregorio XIII mœcenati, contumeliam impoſuit; Divus Paulus Legem extinctam docuit, quia jam erat Hebræorum ſacerdotium abrogatum, quod tunc iterum revocat Auctor, ut nos ſervili opprimeret Legi, quam Apoſtoli à noſtris cervicibus repulerunt. Hæc in Epiſtola.

IN CENSURAM II. RESPONSIO.

AUguſtinus Retractationum lib. pr. cap. 12. affirmat pene nulla eſſe in novo Teſtamento, quæ non ſint etiam in veteri, quod etiam latius lib. contra Adimantum cap. 3. his verbis dixerat: *Certis enim quibuſdam umbris & figuris rerum ante Domini adventum ſecundum mirabilem atque ordinatiſſimam diſtributionem temporum populus ille tenebatur, qui Teſtamentum vetus accepit: tamen in eo tanta prædicatio & prænunciatio novi Teſtamenti eſt, ut nulla in Evangelica, atque Apoſtolica diſciplina reperiantur, quamvis ardua & divina præcepta, & promiſſa, quæ illis etiam libris veteribus deſint*. Pariter ſermone de tempore 51. hæc habet: *Omnia enim quæ in veteri Teſtamento conſcripta ſunt, novi Teſtamenti* TYPUM ET IMAGINEM *prætulerunt*. Nil ergo vetat aſſerere Judæorum Rempublicam inſignem formam fuiſſe Eccleſiæ Chriſtianæ. Quod vero ex hujuſmodi propoſitione maligne Cenſor deducit, non unum modo Sigonium urget, ſed Auguſtinum, omneſque Patres, qui ſi non voces, rem certe eamdem non ſemel protulerunt. Sigonio tamen vindicando illud Auguſtini lib. 6. contra Fauſtum cap. 5. uſurpari poteſt, quod & ipſe Auguſtinus ut ſe Catholicoſque omnes adverſus Manichæos tueretur adhibuit. *Et audetis tamen etiam*, inquit, *Sacrificia Teſtamenti veteris execrari, & idololatriam nominare, & in hujuſmodi ſacrilegium nos quoque ſociare. Unde pro nobis prius reſpondemus, ſic illa jam non eſſe in operibus noſtris, ut ea tamen in myſteriis divinarum Scripturarum ad intelligenda quæ his prænunciata ſunt, amplectamur, quia & ipſi figuræ noſtræ fuerunt, & omnia talia multis & variis modis unum Sacrificium, cujus nunc memoriam celebramus, ſignificaverunt. Unde iſto & ſuo tempore obliterato, illa de agendi celebritate ſublata ſunt*, SED IN SIGNIFICANDI AUCTORITATE MANSERUNT: *Scripta ſunt enim propter nos*.

Quod deinde reponit Aaronis Sacerdotium numquam fuiſſe inſignem Sacerdotii Chriſti formam, poſſumus Cenſori donare, neque enim Sigonius ipſe id unquam aſſeruit, immo in operis procemio Moſem quidem, Joſue, Davidem, Salomonem Chriſti typum fuiſſe, at de Aarone ſilentium. Verum ſciat Cenſor non modo Sacerdotium Melchiſedech Sacerdotii Chriſti imaginem fuiſſe, ſed etiam Sacerdotium Aaronicum. Multis ſane figuris idem Sacerdotium Chriſti præfiguratum fuit, quare uno modo à Melchiſedech, altero ab Aarone exprimebatur. Apoſtolus ipſe ad Hebræos quinto quamvis aſſirmet Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, aliquam tamen ſimilitudinem Sacerdotii Chriſti in Aarone fuiſſe innuit non obſcure v. 4. & 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron*, SIC ET CHRISTUS *non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret*. Auguſtinus in Pſalmum 36. Serm. 2. aperte docet Sacerdotium Leviticum futuri Sacerdotis, ideſt Chriſti, imaginem fuiſſe: *Quia ergo tunc Sacerdotium*, inquit, *erat Leviticum, ubi Sacerdos intrabat in Sancta, & offerebat Hoſtias pro populo: habebat autem* IMAGINEM, *non veritatem futuri cujuſdam Sacerdotis*.

Dum vero conatur Cenſor ex capite decimo ad Hebræos oſtendere, Rempublicam Judæorum dici non poſſe expreſſam ad vivum imaginem Beatæ Vitæ in Cœleſti Civitate degendæ, malè ſenſum & ſignificationem umbræ & imaginis in Sigonio & in Paulo aſſequutus eſt: Paulus enim ibi imaginis nomine ipſam rerum veritatem intelligit; nomine vero umbræ, formam, typum, & exemplar; Ita enim Pauli Theophylactus exponit: *umbram enim habens lex futurorum: ideſt* FORMA *exiſtens bonorum, quæ pro Novi Teſtamenti promiſſis in futurum à Chriſto hos manent, qui illum expectant (non ipſam imaginem rerum) ideſt non* VERITATEM IPSAM. Hanc autem interpretationem didicerat Theophylactus ab Johanne Chryſoſtomo, qui in eumdem Apoſtoli textum habet: *non ipſam imaginem*: hoc eſt NON IPSAM VERITATEM. Imago autem à Sigonio pro figura, typo, atque exemplari ſumitur, quæ omnia umbræ nomine à Paulo ſignificantur, qui eadem epiſtola capite

ſupe-

ſuperiori Tabernaculum, Vaſa miniſterii, Librum Legis, populumque Hebraicum EXEMPLARIA COELESTIUM appellavit; immo de Judæis cap. 8. dixerat: *qui* EXEMPLARI ET UMBRÆ *deserviunt cœleſtium*.

Quod vero Sigonius typum pro figura uſurpet, ſatis vindicatur illo Auguſtini teſtimonio, quod ſecundo loco produximus.

Quum autem non in Sacrarum literarum cortice, extimâque ſuperficie myſteria & figuræ contineantur, neque obvia cuique poſſit eſſe Reipublicæ Judaicæ notio, ſi nolit ſacras literas profundius ſcrutari, eoſque ad illam intelligendam Auctores adhibere, qui doctrinis ſuis Scripturæ obſcuritatem minuere vel illuſtrare poſſunt, idcirco Sigonius ſibi propoſuit veterem Hebræorum Rempublicam ex intimis Sacræ Scripturæ penetralibus inveſtigare, atque non ſemel Joſephum & Philonem adhibuit, à quibus non parum lucis in hiſce rebus haberi poſſe jam ſupra demonſtravimus.

Tandem Cenſor Sigonium damnat, quod Gregorio XIII. Principatum Reipublicæ Judaicæ contulerit. Qua in re placet animadvertere, quam inepte Principatum cum Sacerdotio Cenſor confundat; quaſi eſſe Hebræorum Principem idem foret, ac eorum eſſe Sacerdotem. Cæterum quum Romanus Pontifex plenam habeat in Judæos juriſdictionem, quare ipſorum Princeps dici non poterit? Auguſtinus Triumphus in ſuo de poteſtate Eccleſiæ opere inquirens quæſt. 23. art. VIII. an Papa Judæos ſpirituali pœna punire poſſit, rem ita reſolvit: *Reſpondeo dicendum quod Papa poteſt punire Judæos .... pœna temporali & ſpirituali* TAMQUAM SUPRA EOS PLENAM JURISDICTIONEM HABENS: quod aſſertum ſtatim explicat, propoſitiſque argumentis tuetur, Judæos Pontifici ſubjectos eſſe, ipſumque ut Principem eſſe veneratos illa oſtendebat Ceremonia, qua in ſolemni pompa Papæ ad Patriarchium Lateranenſe pergenti, ut ibi de more in Romanum Pontificem inaugureretur, Sacrum Bibliorum codicem oſculandum porrigebant. Præterea tradit Leo Mutinenſis Hebræos duas uxores ſimul habere non poſſe præter Romani Pontificis conſenſum. Quæ omnia ſane evincunt potuiſſe Sigonium Gregorio XIII. Reipublicæ Hebraicæ Principatum tribuere.

CENSURA III.

IN reliquo opere auctor, quanquam alias benignè, & perhumaniter fuerit admonitus, nunquam tamen integra noſtra Editione vulgata, quam ſacrum Concil. Trident. commendavit, & à qua recedere non licet, uſus eſt; ſed tanquam obſcuram, minus exactam, & inelegantem neglexit; omnia ex Græco fonte deduxit, quem ſuo arbitratu propria dictione, vocibus, & oratione expreſſit, omiſſa Patrum veterum enarratione, quæ præponderari debet Rabbinis; quod ſi fortaſſe aliquando noſtra Editione utatur, adeò mutila, & multis aliis verbis interceptis diſſipata, aut aliis ſuo loco motis detruncata, & manca, ut vix à quoquam ex facie poſſit agnoſci, ut ſuis in locis indicabimus.

IN CENSURAM III. RESPONSIO.

QUoniam Cenſor nimis frequenter Sigonium mordet, & pulſat, quod aliquando à Vulgatæ verbis recedens, Septuaginta Verſionem uſurpet; propterea demonſtrandum eſt Cenſori hac in re nihil Sigonium peccaſſe, neque violaſſe Concilii Tridentini de

A vulgata Editione decretum, ſed ea dumtaxat libertate uſum, quam Tridentinum Concilium Catholicorum nemini eripuit. Hoc ut clarius præſtem, arbitror opportunum Alphonſi Salmeronis, graviſſimi Theologi, verba in medium proferre, qui quum Concilio Tridentino interfuerit, optime rem, de qua agitur perſpectam habuiſſe, atque apprime illius decreti ſenſum tenuiſſe cenſendus eſt. Ejus verba commento ſane non indigebunt, & ſimplex eorum recitatio tum refellendo Cenſori, tum vindicando Sigonio, ſatis erit ſuperque:

„ Oſtendamus, *ait Prolegomeno* 3., non ita
„ fuiſſe vulgatam Hieronymi editionem ap-
„ probatam, ut propterea rejecta ſint intelli-
B „ genda, vel Græca, vel Hebraica volumi-
„ na, quod non eſt difficile oſtendere. Nihil
„ enim ibi de exemplaribus aut Græcis, aut
„ Hebraicis agebatur. Tantum inter tot edi-
„ tiones Latinas, quot noſtra Sæcula partu-
„ rierant, quænam ex illis præſtaret, ſermo
„ erat: & rejectis reliquis Latinis, unam
„ hanc Vulgatam reliquis tamquam veriorem,
„ dilucidiorem, ac ſuis fontibus, unde orta
„ eſt, magis conſentientem pronuntiavit ....
„ LIBERUM AUTEM RELIQUIT OMNI-
„ BUS, qui Scripturas profundius meditan-
„ tur, FONTES GRÆCOS AUT HEBRÆOS
„ quatenus opus ſit CONSULERE, quo no-
„ ſtram vitio librariorum, vel temporum in-
C „ juria corruptam emendare valeant, quo
„ ETIAM EAM DILUCIDIUS EXPLICA-
„ RE, ATQUE ILLUSTRARE POSSINT
„ .... Voluit præterea Sancta Synodus ad
„ hanc Latinam editionem complectendam,
„ & in omnibus conſectandam nos arctare,
„ non quidem ſimpliciter, ſed dummodo eſ-
„ ſet à vitiis, quæ in eam irrepſerunt, & ab
„ omnibus mendis & erroribus emaculata,
„ atque repurgata ..... Interim dum hæc
„ (*emendatio*) in lucem prodit, nemo vetat,
„ quin apertos errores ex Hebræis vel Græ-
„ cis codicibus, vel ex varia veterum Patrum
„ lectione, vel ex conſtanti & aperta ratione
„ corrigere atque emendare valeamus .....
D „ At vero ubi Hebræa vel Græca lectio di-
„ verſa ſit, non autem editioni vulgatæ con-
„ traria, modo Latinam interpretationem non
„ reſpuamus vel contemnamus, ſed pro viri-
„ bus tueamur & explicemus, licebit nobis,
„ ſalva Concilii Tridentini generalis aucto-
„ ritate, ſive Græci, ſive Hebraici exemplaris
„ lectionem variam producere, eamque uti
„ VERUM BIBLIORUM TEXTUM EX-
„ PENDERE ET ENARRARE: nec tan-
„ tum bonos mores per eam ædificare, ve-
„ rum etiam Fidei dogmata comprobare ...
„ atque adeo ab illa ſumere efficax argumen-
„ tum tanquam ex textu Spiritus Sancti ...
„ Hoc .... à pleriſque Catholicis Scriptori-
E „ bus, qui poſt Concilium Tridentinum ali-
„ quid ſcripto obſignarunt, obſervatum video.

Hæc Salmero, qui etiam infra tradit, quid agendum ſit, ſi tanta inter Vulgatam & fontes Hebræos vel Græcos intercedat diſcrepantia, ut adinvicem conciliari non poſſint; quibus mihi videtur nonnulla eorum revocare, quæ ſuperius aſſeruerat: „ Ubi vero, *inquit*,
„ nulla poſſit iniri concordia, illi lectioni
„ magis eſſet ſtandum, quæ magis cum præ-
„ cedentibus & ſequentibus conſonaret, aut
„ quæ magis conveniret cum Apoſtolicis, &
„ Evangelicis litteris, aut quæ antiquiora &
„ probatiora exemplaria pro ſe haberet, aut

„ quæ

„ quæ à pluribus Parrtbus agnita eſt & probata, SIVE SIT HEBRÆA, SIVE GRÆCA, SIVE LATINA; quæ verba ſatis innuunt poſſe nos aliquando Græcam vel Hebraicam lectionem Vulgatæ præponere.

Prolegomeno autem quinto, hæc habet de Septuaginta editione, quæ probant Cenſorem falli, dum contendit nos ea carere: „ Septuaginta Editio per quingentos fere annos, quoad Hieronymi Latina editio converſa eſt, robur, & auctoritatem obtinuit. „ A tempore vero D. Hieronymi permanſit „ quidem editio Septuaginta in Eccleſia Græca, & Orientali uſque in hodiernum diem. „ In Eccleſia vero Latina quoad paulatim cœpit auctoritatem habere Hieronymi editio, „ illa Septuaginta retenta eſt. Ubi vero illa Hieronymi plenum auctoritatis pondus eſt „ aſſequuta, illa Septuaginta relicta, non quidem ut falſa, aut ab Eccleſia reprobata, „ ſed quod dilucidior eſſet illa Hieronymi... „ His de cauſſis apud Latinos legi publice deſiit Septuaginta duorum virorum, ſemper „ tamen penes viros doctos ſua non caruit „ auctoritate. Apud Græcos vero, & in tota „ Eccleſia Orientali, ſublatis aliis editionibus, „ ſolùm illa Septuaginta remanſit; *Et infra*: „ Doctores omnes Hieronymo poſteriores, ut „ ſunt Auguſtinus, Proſper, Chryſologus, „ Alcuinus, Beda, Gregorius, & Leo, Sanctus Thomas, & alii, ſi quando illa Septuaginta Interpretum diverſa eſt ab ea Hieronymi, quæ nobis eſt jam communis & „ Vulgata, poſt expoſitum textum Hieronymi, ſolent illam Septuaginta fideliter producere, ejuſque verba expendere atque ediſſerere, ut non minus ei, quam illi Hieronymi tribuere videantur. Ex hiſce omnibus optime conſequitur, Sigonium jure reprehendi non potuiſſe, quod aliquando ad Græcos fontes confugerit: „ Stultum enim eſt, ut verbis concludam ejuſdem Salmeronis Prolegom. 3. „ in eum indignari, qui poſt expoſitam edittonis noſtræ litteram, ex fontibus „ Græcis vel Hebræis aliqua, vel diverſa, „ vel ad priorem illuſtrandam conferentia depromat. Loca autem à Cenſore notata quum ſingillatim expendemus, liquidò apparebit falſa eſſe omnia, quæ hic in Sigonium congeruntur.

CENSURA IV.

Pag. 3. Interponit auctoritatem ex Pſalmis David; quæ in Eccleſia Catholica non eſt; ex Pſal. 117., ſed pugnat cum Editione recepta: *Beati*, inquit, *qui ſcrutantur teſtimonia mea, & in toto corde exquirunt me*; quod teſtimonium eſt contra Editionem vulgatam, atque etiam Hebræam; Cum David in Pſalmo myſteriis pleno, *Beati immaculati* &c. ſubjungat, *Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus*, ideſt Domini: *in toto corde exquirunt eum*; Hinc facilè cognoſcitur, non eſſe ejus muneris ſacræ Scripturæ negotium, quia Tex. ſacer legendus eſt cum humilitate, & devotione, ſolum ut verè Deum cognoſcamus, colamus, adoremus, veneremur, & fideliter, ſincereque illi ſerviamus; neque enim ſacræ Scripturæ interpretandæ ſunt à Laicis, qui munus Doctorum, quod in Eccleſia à Chriſto Domino inſtitutum eſt, ſuſtinere non poſſunt. Enimvero docendi munus, & interpretandi Scripturas, non ad laicos, ut confinxit Luther, ſed ad Presbyteros Eccleſiæ ſpectat, qui à S. Clemente Romano lib. 2. Conſtit. Apoſt. *ad docendi munus, & ad populum erudiendum inſtituti* dicuntur. Præterea ſacræ litteræ leviter exponendæ non ſunt, neque ambitioſè, aut callidè, ut plus cæteris ſapere, aut munus interpretandi nobis arrogare videamur. Ex his enim varia proveniunt incommoda. Primum varii errores excitantur, ſi Scripturæ verba ad unguem non accipias, aut interpreteris, prout ſacrum Concil. Trident. jubet de vulgata Editione ſeſs. 4. ubi enumerat omnes libros, qui habendi ſunt pro approbatis, ſub anathematis pœna. Ibi verò neque Philon, neque Joſephus recenſentur, quos non Spiritus Dei vivificus illuſtravit; ſed occidens littera, & velamen eorum cordibus impoſitum, tenebris involvit.

At verò in his actionibus requiritur ſacræ Scripturæ approbatus textus, qualis eſt vulgatæ Editionis, ne eo neglecto quis temerè ſacram Scripturam contaminare, aut prout occidens littera ſonat explicare audeat? Nam cum ſit multis in locis ab Hebræis Chriſtiano nomini hoſtibus, ut fidei veritatem eliderent, corrupta, & depravata (ut refert S. Juſtinus contra Triphonem non eſt quod ad ejus fontes recurramus. Enimvero, ſi aliqua verba in Textu ſacro interponerentur, mutarentur, aut detorquerentur, ut facit Auctor, ſenſus allatus à Sanctis Patribus, & à Catholica Eccleſia, ad quam ſpectat de vero Scripturæ ſenſu judicare, everteretur omninò, & ingens hæreſum peſtis pullularet, quæ ex ſacris, & bonis Scripturis, non ſanè, & benè perceptis exoritur. Quare, qui non atteſtatur ſacram ſcripturam juxta Editionem vulgatam, efficit, ut hæretici, & hebræi occaſionem errandi, & confirmandi ſuos errores arripiant. Ille, quia negat auctoritatem Pontificum, qua vulgata Editio defenditur, aliæ prohibentur; hic, quia ſuum textum Vulgatæ interpretationi anteponit. Præterea cum Sancti Patres interpretati ſint Scripturas ſacras juxta Editionem vulgatam, neceſſe eſt, ut ſi hæc tollatur, aut ejus auctoritati aliqua in parte derogetur, etiam illorum ſcripta tollantur. Ergo ut in ſummam, quæ dicta ſunt, referamus; qui textum immutat, ut ſuam opinionem ſtatuat, atque auctoribus non approbatis in re tanti ponderis nititur, & eo Sanctorum Patrum, & Scripturæ, quo vult, verba detorquet, vel aliqua interponit, vel veritatis ſenſum ab illis petit auctoribus, qui in ſacris litteris non ſunt; & dixit formam Eccleſiæ Chriſtianæ fuiſſe ſub illis umbris, & obſcuris tenebris ad vivum expreſſam, malè facit, & ejus audacia coërcenda eſt. Satis enim plenè, verè, & exactè Sancti Prophetæ omnes Jeſu Chriſti actiones prophetarunt ab Annunciatione, uſque ad Aſcenſionem ad Cœlos, ſatis ad vivum gentilitatis vocationem, unitatem quoque Populi Hebræorum, & gentium retulerunt, ut etiam Sancti Apoſtoli prædicarunt, & alii ab illis illuminati, ex quibus duabus gentibus *ſub angulari lapide* Chriſto Jeſu fundata, extructaque fuit Eccleſia perpetuò duratura. Quare non egemus teſtimoniis, & luce eorum interpretum, qui tenebris obvolvuntur, qui cæci ſunt, & duces cæcorum, neque informanda eſt Eccleſia, ut fecit Auctor eorum ſapientia, *qui ſolum ſapiunt ſecundum Carnem*, ut ait Sanctus Auguſtinus libro de Spirit. & Lit. eap. 4., *& non quæ ſurſum ſunt cogitant, ubi Chriſtus eſt ad dextram Dei ſedens*; neque à Phariſæis Leviticis, & Hebræorum Sacerdotibus verus Scripturæ ſenſus petendus eſt, ut docet Sanctus Ambroſius Com. 4. Pſal. 43., ſed potius omnia comprobanda ſunt ex ſacra vulgata Scripturæ editione, & Sanctorum Patrum, Doctorum, Conciliorumque Teſtimonio roboranda, hæc veritas Fidei, ut ait Conc. Meldenſ. cap. 11. vacillet, aut nutet. A nobis enim diſcere debent Hebræi Scripturæ veritatem, quæ in Lege, & Prophetis continetur, & non eſt contra, ut ait Philaſtrius Briſien. loquens de Melchiſedech, quod cum ſecus, ac præſcriptum ſit, faciat Auctor, anſam dat Hæreticis, ut de errore in errores graviſſimos præcipites ferantur. Cum verba Scripturæ, quæ ad cujuſvis hominis arbitrium aptari non debent, neque cujuſque ſenſui accommodari, ipſe præter Eccleſiæ Romanæ regulam ad ſuos ſenſus, & opiniones contorqueat; quod planè prohibitum fuit ſeſs. 4. Conc. Trident.

IN CENSURAM IV. RESPONSIO.

QUis hac perlectâ Cenſurâ tot accuſationibus, tot conviciis referta, ſibi in animum non inducet, inſignem falſarium fuiſſe Sigonium, ſacrorumque codicum corruptorem? Verum nihil de ſacris paginis corrupit Sigonius, non ſenſum mutavit, neque aliorſum

ſum contorſit. En ejus verba pag. 3 C. „ Quamobrem accedamus ad rem, Deo ipſo in noſtrum auxilium invocato, qui per Prophetam dixit: BEATI QUI SCRUTANTUR TESTIMONIA MEA, ET IN TOTO CORDE EXQUIRUNT ME. Neque enim aliud eſt teſtimonium Dei, quam Chriſtus ipſe Filius ejus, qui totius Hebraicæ hiſtoriæ finis eſt, ad quem omnia Legis mandata, omnia Prophetarum vaticinia, omnia Hebræorum acta per arcana quædam myſteria referuntur. Hæc Sigonius, in quibus quid corruptionis, aut contorſionis ſit, nullus video. Loco *ejus* & *eum*, poſuit *mea* & *me*, ut planior concinniorque ſenſus redderetur, quod legenti patet: ac quemadmodum per Cenſorem τὸ *ejus* ſignificat *Dominum*, ita & τὸ *mea*. In hoc itaque teſtimonio, quod primùm è ſacris litteris Sigonius uſurpavit, nihil contra Vulgatæ & Hebrææ editionis veritatem auctoritatemque continetur. Quæ vero notati verſiculi occaſione bonus Cenſor, vel ex ſuperius à ſe dictis recollegit, vel adjecit de novo, nequaquam revocamus ad incudem, ne vel actum agimus, vel ea in Cenſore cogamur reprehendere, quæ tamen Sigonium, cui uni adlaboramus, omnino non tangunt; propoſitum enim nobis eſt, id omne Cenſori condonare, quod Sigonium minime lædit. Id tamen ferre non poſſumus, quod ait, Sanctos Patres interpretatos eſſe Scripturas Sacras juxta editionem Vulgatam, quæ ſi tollatur, aut ejus auctoritati aliqua in parte derogetur, neceſſe fore ut etiam illorum ſcripta tollantur. Audiat Cenſor quid contra ſe prorſus decretorie ſtatuat prælaudatus Salmero Proleg. 5. „ Veteres omnes, *ait*, tam Græcæ, quàm Latinæ Eccleſiæ Patres, ut Clemens uterque .... Dionyſius, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, & Gregorius, Athanaſius, Baſilius, Epiphanius, duo Gregorii, Chryſoſtomus, & Cyrillus nullam aliam noverunt Scripturam, quam Septuaginta. Ex alia non producunt teſtimonia, ſed ex iſta: hanc commentantur, per illam hæreſes refellunt, & hæreticos revincunt; USQUE ADEO UT SI INTERPRETUM SEPTUAGINTA VACILLARET AUCTORITAS, OMNIUM VETERUM PATRUM SCRIPTA RUERENT, QUIA FALSO SCRIPTURARUM NITI FUNDAMENTO PROBARENTUR.

CENSURA V.

Pag. 4. C. Præſupponit Auctor, quod Populus Hebræus habet tria nomina, videlicet:

Hebræus)
Iſraëlita, &)
Judæus.)

Quod planè omninò verum non eſt, nam neque Hebræus, neque Judæus tale habuerunt in univerſum niſi nomen Iſraëlitarum, ut frequenter in ſancta Scriptura. Nomen verò Hebræorum reperitur ſolum in cap. 26. Gen cap. 18. 19. 39 in ſingulari numero, in plurali cap. 40 41. in Exod cap. 2 3. 7. 9. 25. In Deut. cap. 15. Reg primo cap. 4. 13. 14. 29. Jerem. cap. 33 34. in Jona cap. 1. Nam quia illis temporibus Hebræi ea appellatione cognoſcebantur, ita vocabantur, non quod eſſet peculiare ipſorum nomen. Nam tale nomen retinuerunt uſque ad Regnum David; prius enim, ac poſtea item dicti ſunt filii Iſraël, & Populus Iſraël in tota Scriptura ſacra: quando verò diviſum fuit Regnum inter Roboam filium Salomonis, & Jeroboam filium Nabat; tunc etiam nomine diſtingui cœperunt, ne quia Roboam erat ex Tribu Juda, cum imperavit una cum Tribu Beniamin, & media

A Tribu Manaſs. Ideo vocabantur iſti ſolum filii Juda, & Judæi. Reliquus verò Populus Iſraël; Reges verò, alter Rex Juda, alter Rex Iſraël dicebatur, ut Reg. 3 cap. 13. uſque ad finem, & in 14.

Hoc verò non caret miſterio, quia Judæus fidelis dicitur, & veritatem confitens, & quia Jacob Patriarcha Gen. cap. 49 prophetizavit Meſſiam ex Tribu Juda naſciturum. Ideo veterem traditionem ſequebantur, qui fatebantur venturum Meſſiam, & ideo vocabantur Judæi; qui verò negabant, & ſequuti ſunt Jeroboam in Samariam, vocati ſunt Iſraëlitæ, ut 3. Reg. cap 12., & 2. Reg. cap. 10 Judæorum nomen rarius eſt, ſed in ſecundo Regum fit mentio, quater, bis in primo, & 2. Paralipom. in Neemia pr. in Eſter; ſæpius Iſaïas bis Hierem. 9 de Ephramitis, & Samaritanis nomen, quod tractet, quoniam numquam Populus Iſraël dictus fuit Ephraimita, aut Samaritanus, niſi in Hieremia, & Oſeas aliquando vocat *Populus Iſraël*, aliquando *Ephraim*; itaque aut *Populus Iſraël* aut *filii Iſraël* dicuntur.

B

IN CENSURAM V. RESPONSIO.

NOn ſimul eodemque tempore tribus illis nominibus Hebraicum populum appellatum fuiſſe, ſed pro diverſis dumtaxat ætatibus luculenter Sigonius ipſe ſcribit: *Quoniam vero hic Populus*, inquit pag. 4 C. *primùm Hebræorum, deinde Iſraëlitarum, tum Judæorum nomen tulit .... ac ſecundâ quidem ætate Hebræos, tertiâ Iſraëlitas, quartâ vero Judæos emerſiſſe*. Quod quidem adeo verum notumque eſt, ut Cenſor ipſe loca è ſacris lit-

C teris adducat, è quibus illa nominum pluralitas eruitur. Quare mirari ſubit, voluiſſe Cenſorem in Sigonio reprehendere, quod tam apertis Scripturæ teſtimoniis fulcitur. Sigonio præter Sacras Scripturas favent Hieronymus, & Auguſtinus, ut ceteros mittam.

CENSURA VI.

Pag. 20 A. *Eos verò Joſeph agnitus, neque ab his agnitus varie primum illuſit*. Illuſio, & irriſio non fuit, namque per aliquam parabolam, vel adumbratam ſignificationem enarrantur, neque ad mendacium, neque ad riſum jocumque, aut illuſionem referri poſſunt, ut docuit Divus Auguſtinus libro contra Mendacium, ſed Auctor ſæpè hac voce uſus eſt.

D Pag 22 B. Loquens de Moyſe ait: *ita Divinis Præceptis Moyſes obediens, Regem Ægypti variis plagis affectum eluſit*; neque enim per jocum id effecit, ſed ſeveriſſimo ſupplicio oppreſſit Regem. Eadem ratione

Pag. 35. C. *Qua re animadverſa Samaritæ perterriti, ſe non Deum, ſed Deos colere aſſeruerunt, & ſe Jovi Cretenſi Templum dedicaturos eſſe profeſſi ſunt, atque ita præſentem armati Regis iracundiam eluſerunt*; dixiſſet melius, effugerunt, cum irriſio non ſit earum rerum, quæ in noſtrum malum impendunt.

IN CENSURAM VI. RESPONSIO.

D. Auguſtinus quæſtione 145. ſuper Geneſim joco atque ludificatione quadam

E Joſephum in fratres ſuos uſum aperte conſentit: *Quod ait fratribus ſuis Joſeph*, ſunt verba Auguſtini, *neſciebatis quia augurio auguratur homo, qualis ego ..... quid ſibi velit, quæri ſolet: an quia non* SERIO, *ſed* JOCO *dictum eſt, ut exitus docuit, non eſt habendum mendacium. Mendacia enim à mendacibus ſerio aguntur, non joco. Quum autem quæ non ſunt, tamquam joco dicuntur, non deputantur mendacia. Sed magis movet, quid ſibi velit iſta actio Joſeph, qua fratres ſuos .... totiens* LUDIFICAVIT *&c.* Hic Auguſtini locus ſatis adverſus Cenſorem Sigonium vindicat; ſed quia ad Auguſtinum libro contra Mendacium à Cen-

Cenſore provocatur, ideo rurſus Auguſtinum ipſum loco à Cenſore indicato producamus : *Neque illud*, inquit, *quod Joſeph velut* ILLUDENDIS *loquutus eſt fratribus . . . . nec cetera hujuſmodi mendacia judicanda ſunt , ſed loquutiones actioneſque propheticæ , ad ea quæ vera ſunt, referendæ* . Viden Cenſor mendacium quidem, at non illudendi verbum ab Auguſtino excludi? Sed neque Sigonius aſſeruit unquam Joſephum eſſe mentitum.

Eludo autem, quod idem non eſt ac illudo , ut Cenſor parum latinus arbitratur , elegantiſſime res illas exprimit, de quibus agit Sigonius. Quum enim Hebræi Mare inter ac Deſertum conſtituti, eò loci deveniſſent , ut Ægyptiis à tergo inſtantibus ſubducere ſe poſſe deſperarent, atque ipſis Pharao tamquam certæ prædæ inhiaret; Moſes repente ac prodigioſe populum per ipſum Mare traduxit , atque ita Pharaonem eluſit.

Samaritæ vero Antiochum Epiphanem perterriti, ne vaſtatis jam Judæorum rebus in ipſos, veluti ex eodem Populo prognatos, arma converteret, ſagaci & aſtuto conſilio ſe Ethnicos aſſerentes & Sydonios, Regis iram eluſerunt. Hæc verbum in hujuſmodi ſignificatione millies apud Latinos Scriptores occurrit .

CENSURA VII.

PAg. 23. A. Ad finem *legem Tabulis duabus inciſam dedit, eamque impoſterum ab Iſraëlitis ſervandam eſſe præcepit : ea verò univerſam Reipub. rationem, qua uti eos vellet, continuit*.

Pag. 41. B. *Hæc igitur lex primùm duabus lapideis Tabulis à Deo, deinde volumini ſcripto à Moyſe conſignata eſt*; quaſi omnia, quæ poſtea in librum à Moyſe fuerunt exarata, primùm in Tabulis lapideis fuerint conſcripta, in quas ſolus Decalogus , ſive lex naturalis , ut ex Sancto Irenæo deducitur, & non Moyſis cæremoniæ , & Judicia relata fuerunt; quare non debuit affirmare legem Moyſis , quæ ad Rempublicam conſtituendam ſpectabat, ibi conſcriptam, ſed ſolum Decalogum.

IN CENSURAM VII. RESPONSIO.

UNius voculæ explanatione tota evaneſcit Cenſura. *Ea vero* (lex duabus Tabulis exarata) *univerſam Reipublicæ rationem . . . . continuit*. Continuit, inquam, non explicite quidem & ſingillatim omnia omnino ac peculiaria capita enumerando ; ſed implicitè tantùm & ſummariè, hoc eſt ſumma tantum capita comprehendendo , ex quibus omnia Judaicæ Reipublicæ Inſtituta penderent . Hoc unum voluiſſe Sigonium ex ejus verbis liquet; ait enim pag. 24. A. *Inde anno XL. in campis Moab prope Jordanem amnem eam* (legem) *latius repetivit* (Moyſes) *atque in volumen redegit , quod Deuteronomium dixit* . Viden acute Cenſor legem, quam duabus Tabulis inciſam dixerat, latius fuiſſe à Moſe repetitam, & in librum Deuteronomii relatam? Non ergo Sigonius cenſuit geminas illas Tabulas legem adeo diſerte diſtincteque continuiſſe, ut in Deuteronomio legitur, ſecus non dixiſſet latius fuiſſe repetitam. Præterea Sigonius hæc habet pag. 36. B., quæ Cenſori non lecta, vel minus obſervata fuerunt : „ Hæc „ igitur lex per Moſen à Deo data duo præ„ cipue capita eſt complexa , vitam religio„ ſam, & diſciplinam civilem. Quarum ratio „ duobus potiſſimum juſſis eſt comprehenſa „ cultu Dei & charitate proximi . Ea vero „ dilatata ad decem numerum pervenerunt ;

A „ quorum tria Deum attigerunt . . . . ſeptem „ vero proximum ſpectarunt . . . . ATQUE „ EA DUABUS LAPIDEIS TABULIS SUNT „ INCISA. HÆC VERO DECEM LATIUS „ INDE ATQUE UBERIUS EXPLICATA „ ad quatuor tantum juſſa redacta ſunt, quo„ rum duo mandata & præcepta, duo judicia „ & juſtificationes nominata ſunt *&c. & infra:* Ac de ſumma quidem legis hæc dicta „ ſint, quæ ita proponere libuit, quoniam ex „ his quatuor vocibus, tamquam ex ſumma „ legis, univerſa hæc noſtra de Republica di„ ſputatio deducetur. Hæc igitur lex primum „ duabus lapideis Tabulis à Deo, deinde vo„ lumine ſcripto à Moyſe conſignata eſt.

B Ex integro hoc Sigonii textu perſpicue colligitur in duabus Tabulis lapideis decem tantum Decalogi præcepta exarata fuiſſe, Legem vero in eiſdem Tabulis contineri dictam, quod in Decalogo tamquam in ſumma contineretur. Neque hæc marte ſuo confinxit Sigonius; ipſum Chriſtum ſequutus eſt, qui dixit, in duobus mandatis de Dei & proximi dilectione , univerſam Legem pendere , & Prophetas apud Matth. cap. 22. atque hoc ipſum tradit D. Auguſtinus pluribus in locis . Sed quoniam ſæpe clamat Cenſor, Scripturam non à Laicis interpretandam, ſed à Presbyteris atque Theologis, ideo ipſum remittere placet ad D. Thomam, qui, ut cetera ejuſdem loca C prætercam, pr. 2. quæſt. 100. art. XI. in corpore per decem Decalogi præcepta excurrens, quomodo Lex tota ad ea reducatur , atque propterea in iiſdem contineatur , luculenter oſtendit .

CENSURA VIII.

PAg. 34. A. Multa videtur intentare , quæ apud ſacram Scripturam paſſim ſunt , & extra rem adducit auctoritatem Oſeæ primo: *non addam ultra* &c. quam aliter interpretatur Hieronymus ibi, & Sanctus Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei; deinde falſum eſt , decem Tribus reverſas aliquando fuiſſe, quod ille ſtatuere velle videtur.

IN CENSURAM VIII. RESPONSIO.

D PRolatum à Sigonio Oſeæ teſtimonium ſecus à D. Auguſtino intelligi lib. XVIII. de Civitate Dei , neſcio quomodo potuerit Cenſor aſſerere, cum in præfato libro teſtimonium illud ſibi explicandum Auguſtinus non propoſuerit , neque ibi occurrat aliquid ab Auguſtino dictum, quod Sigonianæ interpretationi opponatur. Puto Cenſorem fuiſſe deceptum cap. 28 ejuſdem libri , cujus intelligentiam minus ſane aſſequutus eſt , ſi putat eſſe Sigonio contrarium . Sed mirum non eſt falli in Auguſtino intelligendo Cenſorem , quum putaverit etiam Hieronymum aliter Oſeam interpretari, ac Sigonius, quum tamen E id falſum ſit . En Hieronymi verba in Oſeæ cap. pr. lib. pr. Comment. *Et conſideranda Domini indignatio , quod nequaquam domui Iſraël ſe dicat miſereri ultra, ſed eos de memoria ſua æterna oblivione delere , quia uſque hodie Perſarum Regibus ſerviunt , & numquam eſt eorum ſoluta captivitas. Domui autem Juda miſericordiam pollicetur* &c.

Quo vero ductus argumento pronunciet Cenſor, videri Sigonium ſtatuere decem Tribus aliquando è captivitate reverſas fuiſſe , fateor me penitus ignorare , quum Sigonius hoc ipſo loco aperte teſtetur in captivitate remanſiſſe: *Judæi*, inquit pag. 34. A. *in Babylo-*

A *bylonium traducti Rempublicam amiſerunt : verum poſt annos* LXX. ISRAELITIS SIVE EFFRAIMITIS IN ASSYRIA REMANENTIBUS , *in Patriam redierunt juxta illud Oſeæ primo : non addam* , &c. & expreſſe lib. 7. capitis quarti initio dicat , *Effraimitas numquam Patrias ſedes repetiviſſe* .

CENSURA IX.

PAg. 37. & ſeq. Aliter ac Sancti Doctores, explicat, quid Præceptum, quid Mandatum, & Judicium ſit : Mandatum enim, ſive enunciatio ad Præcepta Decalogi ſpectare videtur, vel ad ea, quæ jure naturæ animis noſtris inſita ſunt, ut ait Philaſtrius Brixienſis contra hæreſes ; Præceptum verò monitum, conſilium, doctrinam, & inſtitu-
B tionem ſignificat, qualia ſunt ea, quæ parentes filiis edicunt, ut Proverb. 6. & 7., & apud Plutarcum . Connubialia præcepta dicuntur apud Sanctum Auguſtinum lib. X. contra Fauſtum cap. 2. Præceptorum, aliud fuit vitæ agendæ, aliud verò vitæ ſignificandæ, quæ omiſit auctor ſatis oſcitanter; ex quibus facilè totam rei difficultatem ſuperaſſet. Philo etiam, cujus Teſtimonio quam familiariter utitur, in libro Allegoriarum legis Monitum, Mandatum, & Præceptum longè aliter deſcripſit, quam fuerit ab auctore enarratum.

IN CENSURAM IX. RESPONSIO.

SIgonius notatis à Cenſore locis explicare conatur , quid nomine *Mandati* , & *Præcepti* , *Juſtificationis* , & *Judicii* veniat, non
C in genere & latâ eorum ſignificatione , quæ ſane multiplex eſſe poteſt , & ab auctoribus diverſimode uſurpari , ſed ſtrictim & comparate ad aliquot Sacræ Scripturæ loca . Quare eſto, voces illæ à SS. Patribus aliter intelligantur; hoc tamen non impedit, quin illum etiam ſenſum habere poſſint , quem Sigonius contendit , prolatis in medium Scripturæ teſtimoniis , quæ rem comprobare videntur.

CENSURA X.

EAdem pag. 37. Adducit quædam contra vulgatam Editionem , præterquam quod neglexit quædam Myſteriis plena , quæ ſine ſcelere omitti non poterant, quibus oſtendit ſe non eſſe verſatum
D in Divina Scriptura, & eſt magna temeritas ea aggredi, & interpretari, quæ ignoras ; inde enim tot exortæ ſunt hæreſes , cum Divinæ Scripturæ tractatio, & interpetratio ad Sanctos Patres, magnoſque Theologos attineat, & non ad quoſcumque. Tractent enim Fabrilia Fabri ; quod Medicorum eſt, promittant Medici, & aliud eſt Homerum, Virgilium, Ciceronem, Plautum, & Ariſtotilem interpretari ; aliud Divinam Scripturam : atque adeò hic, qui Rempublicam Hebræam informat, ex ſacra Scriptura , & Sanctis Doctoribus decreta, & inſtituta petere debebat , non à Joſepho, Philone, & libro Seder-Olam , ut facit aliquando, & hujus farinæ ſcriptoribus, ſed potius ex ſacra Scriptura, & à vulgata Editione, & non aliunde deducenda, quod fuit in cauſa, cur toties in verba, & in ſenſus peccet, & præſertim hoc loco, ubi duo præcipua omiſit, unum enim *Domini* , aliud , *& quod rectum eſt coram eo feceris* ,
E quod non eſt ferendum, cum in his verbis magna myſteria lateant.

IN CENSURAM X. RESPONSIO.

TExtus quos Sigonius huc loci congeſſit , non ea mente produxit , ut illos interpretaretur, aut myſteria in eis latitantia reſeraret . Protulit enimvero , ut voces illas *Mandata* , *Præcepta* &c. ſæpius in lege repeti oſtenderet, ut teſtatur pag. 37.B. cui rei perficiendæ ſola materiali textuum productione indigebat; quos ſi præterea enucleari & explanare voluiſſet, à propoſito argumento quam longe abiiſſet. Quid ergo clamat Cenſor, Sigonium prave ea loca interpretatum eſſe , quæ nullo modo interpretatus eſt , neque interpretari debebat ? aut myſteria neglexiſſe, quum nunc non eſſet his locus ? Quod vero conqueritur quædam contra Vulgatam adduci; loca notare debuiſſet Cenſor , in quibus nullam deprehendiſſet oppoſitionem : niſi forte contraria putet, quæ licet cum Vulgata eumdem prorſus ſenſum habeant, in una tamen aut altera vocula diſcrepant.

CENSURA XI.

PAg. 37. In Præceptis Decalogi dicit *non adulterium facies* , quod quidem obſervandum eſt, ne illis ſit occaſioni, qui ſolummodo adulterium peccatum , & non ſimplicem fornicationem ex Decalogo colligi prædicant ; id enim tam abſurdum eſt, quàm quod maximè. Nam Chriſtus Matthæi 6. referens hoc Præceptum de fornicatione intellexit ; lex enim prohibet meretricem, ſcortum ex filiis Iſraël , & per conſequens ſimplicem fornicationem vetat, ut Deut. 22. n. 25., & Oſeæ 4. Imò ob fornicationem Thamar lapidari præcipiebatur . Hæc ergo diligenter exponere debebat Auctor, ut omnem errandi occaſionem eriperet.

IN CENSURAM XI. RESPONSIO.

SIgonius hic loci recenſet verbaliter tantum Decalogi præcepta, non ea interpretatur; quare quum ſextum exprimat adulterii prohibitionem , non vero fornicationis , quamvis & ipſa in lege prohibita ſit , & ad hoc præceptum reducatur ; propterea Sigonius ſolius adulterii mentionem fecit. Audiat Cenſor quid D. Thomas pr. 2. quæſt. 100. art. XI. in corpore doceat : *Præcepto autem ſexto* , QUOD EST DE PROHIBITIONE ADULTERII , *ſuperadditur præceptum de prohibitione meretricis, ſecundum illud Deuteron.* 24. *non erit meretrix de filiabus Iſraël , neque fornicator de filiis Iſraël* . Ex ſententia igitur D. Thomæ ſextum præceptum eſt *de adulterii prohibitione*, quod propterea , quum agitur de ſimplici præceptorum enumeratione , ſatis exprimitur ſi dicatur : *non adulterium facies*. Sic Petrus Galatinus lib. 11. de Arcanis Cathol. Verit. c. 2. recenſens Decalogi præcepta , & ex Hebræo reddens , vertit ſimpliciter : *non adultereris* , neque aliud præterea adjungit. Quod ait Cenſor Thamar ob fornicationem juſſam fuiſſe lapidari : errore duplici involvitur ; non lapidari, ſed comburi juſſa eſt, neque ob fornicationem, ſed propter adulterium, ut ex Geneſ. 38. colligitur.

CENSURA XII.

PAg. 48. B. Adducit verba ex primo cap. Joſue , & poſt præcipienti illi reſpondere Iſraëlitæ : *omnia , quæ præcepiſti nobis faciemus* &c. Aſſerit enim, Iſraëlitas ita reſpondiſſe ; ſed ſi bene legiſſet hiſtoriam, non ita ſcripſiſſet, quia ſolum ita reſpondit Tribus Ruben , & Gad , & dimidia Tribus Manaſſes, ut conſtat ex lib. Num. cap. 32.

IN CENSURAM XII. RESPONSIO.

QUum Tribus Ruben, & Gad , & dimidia Manaſſes Iſraëlitæ fuerint, potuit Sigonius per ſynecdochen ſcribere : *& reſpondere Iſraëlitæ*. At illæ Tribus integrum non conſtituebant Iſraëlitarum Populum ? ita ſane : verum neque Sigonius hoc aſſeruit, qui à toto, vel à parte eo loci præſcindit. Illud uſurpavit teſtimonium , ut oſtenderet Reipublicæ formam apud Hebræos tunc Ariſtocraticam

ticam fuiſſe, quod textus allatus æque probat, ſive de omnibus, ſive de parte Iſraëlitarum intelligatur.

CENSURA XIII.

PAg. 50. & ſeq. Cum totus liber Judicum uſque ad finem tractet propoſitam ab ipſo hiſtoriam, & aliis in locis ex ſacra Scriptura petere poſſet, male ad confirmandam rem propoſitam citat Joſephum lib. 4. antiquitatum, cum melius, & verius in ſacris literis habeantur, quæ verò eadem pag. dicit de Regibus, falſa omninò ſunt, & à Calvino, & Buchanano hæreticis excogitata, ut Jus Regni delerent, & Civitates optimis legibus inſtitutas everterent, ſed in hac re Auctor graviter peccavit, quod cum jam alias de hoc errore maxima cum caritate admonitus fuerit, non modo, non reſipuit, ſed etiam vehementius animum obfirmavit. Dicit primùm, Reges Judæorum, *non ex lege, ſed arbitrio imperaſſe*; deinde Imperio ad Regem translato *Deum non regnaturum*, cum non penes legem, ſed penes voluntatem unius hominis ſumma rerum eſſet futura: quæ omnia abſurda ſunt, & Scripturæ contraria. Ita enim Deut. cap. 17. ſcriptum eſt: *Quum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaveriſque in illa, & dixeris, conſtituam mihi Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, non poteris alterius generis hominem facere Regem, qui non ſit frater tuus, cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet Populum in Ægyptum equitatus numero ſublevatus*; ſubjungit: *non habebit uxores plurimas, quæ illiciant animam ejus*; paulò poſt: *poſtquam autem ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus & habebit ſecum, legetque in omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias ejus, quæ in Lege præcepta ſunt. Neque elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, nec declinet in partem dexteram, & ſiniſtram, ut longo regnet tempore, ipſe, & filius ejus ſuper Iſraël*. Diligenter animadvertat Auctor, talem prædici Regem conſtituendum eſſe, qui à Deo eligendus ſit, qui ceteris legibus, & non ſuo arbitratu Reipublicæ moderetur. Videat illum, legum præſcripto non libidine imperare; ſentiat illum à Sacerdotibus; & non ab aliis legis Jura depoſcere. Hæc Tertullianus ad Scapulam, & in Apologetico. Hæc Lucifer Calaritanus contra Conſtantinum docuerunt. Hæc perpetua fuit Sanctorum Patrum, & totius Eccleſiæ Romanæ firma confeſſio, ſive conſenſio. Semper enim Deus illius Populi legiſlator, Rector, & Gubernator fuit, cum lex quid agendum, & perſcriberet, & illi arbitratu ſuo non regerent, ſed Dei mandatis, & juſſis moverentur: lex erat regiminis regula, & norma, quæ neque ad hos, neque ad illos transferri poterat, cum ex unius Dei voluntate penderet: quod ſanè ad formam alicujus Reipublicæ traduci non poteſt, cum illæ gubernentur judicio eorum, qui præſunt, & ad illorum arbitrium pro variis rerum eventibus immutentur. Hæc quidem à Deo ſui regiminis habebat regulam, cum Judices, & Reges juxta præſcriptam formam gubernaſſent; Sacerdotes verò legis interpretes extitiſſent.

Fuit ergo verus Rex Saul, ut primo Reg. cap. 10. Illi commendantur, qui ipſi paruerunt.

Fuit verus Rex David ſecundùm Cor Dei adinventus.

Verus Rex Salomon, Aſa, Joſaphat, & alii ſexcenti, qui legis præſcripto, & non libidine dominabatur, ut 2. Deut. cap. 31., & 2 Paralip. cap. 17, & 4. Reg. 23. apertè conſtat, eos juxta præſcriptum legis imperaſſe. Quod etiam ipſemet Auctor ſui fortaſſe immemor docuit.

Quamobrem Dominus, ut Populum à Regis poſtulatione deterreret, durum, & difficilem Regum dominatum futurum eſſe proponebat, ut homines ab ea cogitatione ad aliam meliorem præſtantioremque traduceret.

Neque enim Dominus ideò Regnum improbat; quaſi non eſſet ab eo, per quem Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt, conſtitutum; ſed quia melius à Sacerdotibus, quàm à Regibus gubernanda erat Reſpublica, imò verò multis in locis Scriptura ſacra Reges commendat, ut Sap. 6. *Rex ſapiens ſtabilimentum Populi, & omne malum* (proverbiorum 30.) *ab eo diſſipatur*; quod planè dictura non fuiſſet Scriptura ſacra, ſi libidine, & arbitratu ſuo, & non legis præſcripto gubernarent; *ſunt enim miſericordia, & veritas cuſtodia Regis*, (Proverb. 20) *& cor ejus* (Proverb. 21.) *in manu Omnipotentis Dei eſt*. Idem Patres varii cenſuerunt, quos refert Antonius cognomento Meliſſa Auctor Græcus lib. 2 cap pr.

Quare cùm dicat Dominus primo Regum. 8 *me, & non vos abjecerunt*; non ſignificat, Legem Domini à Regibus omninò contemptam, aut in judicando neglectam fuiſſe, ita ut non penes legem, ſed ſuo arbitratu Populum gubernare eis liberum fuerit (abſurda enim hæc ſunt, ut voluit Auctor) ſed quia Sacerdotes, & Levitæ, qui proximè ad Deum accedunt, à Reipublicæ gubernatione ejecti erant, eis ejectis Deus Imperio excluſum, & ſe injuria affectum conqueritur; ſed quæ de Rege ex Ariſtotelis ſenſu deduxit, præter inſtitutum ſunt, contra quem ſatis egregie nos Iſocratis in Hiſolle, & aliorum Teſtimonio tueri poſſumus, ut ex Rober. Sermone 45. conſtat. Nam cum citet Auctor locum Ariſtotelis his verbis: *Deincept diſputandum eſt de Rege, qui ſua voluntate gerit*, non ne videt de Tyranno potius, quam de Rege diſputare. Plenum enim Regnum proximè ad Tyrannicum accedere videtur.

IN CENSURAM XIII. RESPONSIO.

APpoſite & laudabiliter ad comprobanda Divinæ Scripturæ aſſerta poſſe extranea Authorum teſtimonia produci, omnium ferme Interpretum exemplo evincitur, qui præter ſacras paginas etiam aliorum auctoritate utuntur. Ibi ſane Scripturæ teſtimonia Sigonius omiſit, quod ea omnibus nota ſuppoſuerit, ut ex ejus loquendi modo patet: *Hoc autem, ita eſſe*, (inquit pag. 49. B.) *probatur etiam ex Joſepho*; cujus verba ideo recitavit, quod eſſent minus obvia, viamque ſibi ſternerent iis, quæ ſtatim erat dicturus.

Diluamus modo atrocem Cenſuram, qua pene Calvinianus & alter Brutus factus eſt Sigonius. Principio præmittendum arbitror verba, quæ cavillandi anſam Cenſori obtulerunt, ea potiſſimum de cauſa fuiſſe à Sigonio prolata, ut paucis exprimeret diſcrimen præcipuum, inter regiminis formam quæ ſub Judicibus obtinuerat, ab ea quæ ſub Regibus inducta eſt: moderantibus ſcilicet Judicibus, legem dominatam eſſe cum Deo; at in Regum principatu hominis voluntatem dominium tenuiſſe: non vero ut Regium jus, Regiamque dominationem, quod Calvinus, Bucchananus aliique faciunt ſectarii, convelleret. En Sigonii verba: „ Sequitur ut de forma
„ Reipublicæ diſſeram, quam Deus aut ſu-
„ periore lege præſcripſit, aut poſt induci,
„ neglecta lege permiſit. Ceterum quum de
„ forma Reipublicæ quæritur, nihil aliud
„ quæritur, niſi penes quem principatum
„ ſumma rerum fuerit conſtituta. Hæc vero
„ apud Hebræos primum penes Optimates
„ poſita fuit, deinde penes Reges, quorum
„ principatuum illum Ariſtocratiam, hoc Re-
„ gnum Græci vocarunt. Ariſtocratia fuit
„ ſub Moyſe, Joſue &c. omnes vero non ex
„ arbitrio voluntatis, ſed ex præſcripto legis
„ ſuo fungi munere .... conſtituit (*Moyſes*)
„ ...., Judicibus inde rerum potientibus
„ eodem modo Ariſtocratia fuit: Siquidem
„ illis principatum adminiſtrantibus & lex
„ ut ante valuit, & Deus ipſe imperium te-
„ nuit .... Hanc vero Ariſtocratiam, in qua
„ lex potiſſimum cum Deo dominata eſt, Re-
„ gnum ipſum excepit. Regnum autem ap-
„ pellarunt imperium ſummum unius homi-
„ nis non ex lege, ſed ex arbitrio imperan-

„ tis, quem à Samuele judice poſtularunt A
„ his verbis VIII. primi Regum : *conſtitue*
„ *nobis Regem, ut judicet nos, ut univerſæ*
„ *habent nationes* „. Prolatis deinde verbis
illis, quibus Deus Samuelem juſſit, ut He-
bræis jus Regis prædiceret; ſubdit: „ Signi-
„ ficavit enim aperte Judicibus rerum ſum-
„ mam ex lege habentibus, regnaſſe Deum
„ ſuper Hebræos, quia lex dominata eſſet,
„ imperio vero ad Regem, gentium more
„ translato, Deum non regnaturum, quum
„ non penes legem, ſed penes voluntatem
„ unius hominis ſumma rerum eſſet futura
„ .... Hæc autem duo Regis imperia,
„ ejus inquam qui lege tenetur, & qui legi
„ bus eſt ſolutus, Ariſtoteli quoque nota fue- B
„ runt; atque hoc poſtremum proprie re-
„ gnum appellari putavit. „ Sic enim
inquit: „ DEINCEPS DISPUTANDUM EST
„ DE REGE, QUI OMNIA EX VOLUN-
„ TATE GERIT ... PLENUM AUTEM
„ REGNUM VOCATUR, QUO CUNCTA
„ REX SUA VOLUNTATE GERIT. Hoc
„ ergo modo Hebræi primum Judicibus
„ paruerunt, qui ex lege præfuerunt, dein-
„ de, more aliarum gentium, Regibus, qui
„ ex voluntate imperarunt. „ Hiſce adda
mus alia quæ Sigonius habet lib. 7. cap. 3.
pag. 387. C. & ſeq. quæ quum ejuſdem ſint
argumenti ſibique reſpondeant, mutua etiam
luce illuſtrantur. „ Judicibus ſucceſſere Re C
„ ges, qui ab eis longe diverſi fuerunt; quia
„ & ratio creandi fuit alia, & poteſtas atque
„ auctoritas multo major, ut quæ non tam
„ à legibus, QUAM AB ARBITRIO, ET
„ VOLUNTATE REGIS profecta ſit; nam
„ regem ipſi (*Judæi*) intellexerunt more
„ Ariſtotelis, qui SOLUTUS LEGIBUS
„ PLENISSIMO JURE regnaret .... quod
„ vero ad poteſtatem, primùm XII. Tribuum
„ principatum obtinuit ... deinde judicavit
„ ipſas Tribus & cum conſiliis & ſolus,
„ ATQUE OMNINO VITÆ NECISQUE
„ POTESTATEM ARBITRARIAM habuit,
„ & QUODAMMODO SUPERIOR LEGI-
„ BUS FUIT ... Hæc autem ut ordine D
„ doceam, hiſtoriam ipſam Regiam à princi-
„ pio repetam ... quibus explicitis facile
„ unuſquiſque, quæ à me propoſita ſunt,
„ cognoſcere poterit. Quum ergo Deus à
„ principio providiſſet fore ut Hebræi Judi
„ cibus, ideſt Ariſtocratia non contenti, Re-
„ giam dominationem optarent, legem ....
„ ſanxit qua uti Hebræi deberent, ſi quando
„ Regis habendi cupiditate flagraſſent ....
„ his verbis Deuteronomii XVII. *quum in-*
„ *greſſus fueris* &c. „ cum reliquis quæ in
Cenſura referuntur. „ Quod ergo proſpexit
„ Deus fore ... id accidit tempore Samue-
„ lis à quo ſeniores .... Regem popoſce-
„ runt, qui ſibi jura moderaretur, quemad- E
„ modum ceteræ gentes habebant; quibus
„ verbis Regem LEGIBUS SUPERIOREM,
„ ſive LEGIBUS SCRIPTIS SOLUTUM
„ flagitarunt. Ea vero res his verbis tradita
„ eſt: *Ecce tu ſenuiſti* &c. „ cum ceteris,
quæ infra producam ex Reg. primo cap. 8.
„ Interim vero duo præcipua & legitima
„ munera Regis detexit, principatum inquam
„ judiciorum, & belli, cum dixit Populus:
„ & judicabit nos Rex noſter, & egredietur
„ ante nos, & pugnabit bella noſtra pro no-
„ bis. Atque hæc quidem ad jura Regis con-
„ firmanda, quibus Judices ſuperavit, ſatis
„ valere poſſunt; de quibus etiam ante ex
„ Ariſtotelis ſententia diximus.

Ex hiſce prolixis contextibus apparet
quod initio dixeram, propoſuiſſe videlicet ſi-
bi Sigonium lectoribus aperire diſcrimen in-
ter Judicum dominationem & Regum, non
vero animum habuiſſe auctoritatem, Regium-
que jus veluti illegitimum atque iniquum
damnandi, quod ſectarii perverſe moliuntur;
hac enim de re ne ullum quidem verbum Si-
gonius protulit. Id unum adverſus Regium
principatum colligi poſſe videtur, ſcilicet
præſtantiorem Regio Judæorum dominatu Ju-
dicum Ariſtocratiam fuiſſe. Verum hoc jure
negari non poſſe mihi videor. Atque ut o-
mittam modo Scripturæ teſtimonia quæ id
evincunt, placet heic D. Thomæ auctorita-
tem uſurpare ex pr. 2. qu. 105. art. 1. in
corp. ita docentis: „ Unde optima ordina-
„ tio Principum eſt in aliqua Civitate vel
„ Regno, in qua unus præficitur ſecundum
„ virtutem, qui omnibus præſit, & ſub ipſo
„ ſunt aliqui Principantes ſecundum virtu-
„ tem; & tamen talis Principatus ad om-
„ nes pertinet: tum quia ex omnibus eligi
„ poſſunt, tum quia ab omnibus eliguntur.
„ Talis enim eſt optima Politia bene comiſta
„ ex Regno, in quantum multi principantur
„ ſecundum virtutem; & ex Democratia ideſt
„ poteſtate populi, in quantum ex populari-
„ bus poſſunt eligi Principes, & ad Populum
„ pertinet electio Principum. Et hoc fuit in-
„ ſtitutum ſecundum Legem Divinam. Nam
„ Moyſes & ejus ſucceſſores gubernabant
„ Populum quaſi ſingulariter omnibus princi-
„ pantes, quod eſt quædam ſpecies Regni.
Hæc D. Thomas, qui præterea quum ſibi
objeciſſet optimam eſſe Civitatis vel Populi
ordinationem, ut per Regem gubernetur, ac
propterea non debuiſſe Deum Judæis permit-
tere, ut ſibi Regem quando vellent, conſti-
tuerent, ſed ab ipſo Deo ab exordiis Judaicæ
Reipublicæ oportuiſſe conſtitui; hæc reſpon-
dit, quæ ſatis innuunt priorem Hebræorum
ſub Judicibus Dominatum, quem in corpore
articuli optimum abſolute dixerat, Regio
poſtmodum inducto fuiſſe perfectiorem.
„ Ad ſecundum dicendum, *ſunt verba D.*
„ *Thomæ*, quod regnum eſt optimum regi-
„ men populi SI NON CORRUMPATUR,
„ ſed PROPTER MAGNAM POTESTA-
„ TEM, QUÆ REGI CONCEDITUR,
„ de facili regimen degenerat in Tyranni-
„ dem, niſi ſit perfecta virtus ejus, cui talis
„ poteſtas conceditur. Perfecta autem virtus
„ in paucis invenitur: & præcipue Judæi cru-
„ deles erant & ad avaritiam proni, per quæ
„ vitia maxime homines in Tyrannidem de-
„ cidunt. Et ideo Dominus à principio eis
„ Regem non inſtituit CUM PLENA PO-
„ TESTATE, ſed Judicem & Gubernato-
„ rem in eorum cuſtodiam: ſed poſtea Re-
„ gem ad petitionem populi quaſi indignatus
„ conceſſit, ut patet per hoc quod dixit ad
„ Samuelem pr. Reg. 8. *non te abjecerunt*
„ *ſed me, ne regnem ſuper eos* „. Hucuſque
D. Thomas.

Quæ ita quum ſint, culpæ Sigonio tri-
buendum non eſt, ſi regiminis formam, quæ
ſub Judicibus obtinuit, illi prapoſuit, quæ
ſub Regibus inducta eſt. Reſtat ergo ut ea
parte peccaverit, qua dixit Regnum eſſe
„ Imperium ſummum hominis non ex lege,
„ ſed ex arbitrio imperantis; imperioque ad

„ Re-

,, Regem tranſlato Deum non regnaturum, A
,, quum non penes legem , ſed penes volun-
,, tatem unius hominis ſumma rerum eſſet
,, futura ; principem eſſe legibus ſolutum ,,
alia hujus generis . Si hujuſmodi Sigonii
propoſitiones exacte, ut æquum eſt, perpen-
dantur, opinor ipſum omni crimine libera-
tum iri. Duplicem in lege vim diſtinguit D.
Thomas directivam unam , coactivam alte-
ram. Porro quo ad vim coactivam, principem
legi ſubjectum non eſſe, diſerte idem Ange-
licus præceptor affirmat; quare quidquid Rex
facit, quidquid imperat, etiamſi legi confor-
me ſit, quoniam ad legem ſervandam Rex
non cogitur, nec à ſubditis cogi poteſt, id-
circo non ex lege , ſed ex arbitrio atque ex B
voluntate facit & imperat. Recte igitur hoc
ſenſu dici poteſt regnum eſſe ſummum homi-
nis imperium non ex lege, ſed ex arbitrio
imperantis. En verba D. Th. qu. 96. art. 5.
ad 3. : ,, Ad. 3. dicendum , quod princeps
,, dicitur eſſe ſolutus à lege , quantum ad
,, vim coactivam legis; nullus enim proprie
,, cogitur à ſe ipſo : lex autem non habet
,, vim coactivam, niſi ex principis poteſtate.
,, Sic igitur princeps dicitur eſſe ſolutus à
,, lege, quia nullus in ipſum poteſt judicium
,, condemnationis ferre , ſi contra legem
,, agat: unde ſuper illud Pſ. 50 *Tibi ſoli pec-*
,, *cavi* &c. dicit Gloſ. quod Rex non habet
,, hominem , qui ſua facta dijudicet . Sed C
,, quantum ad vim directivam legis, prin-
,, ceps ſubditur legi propria voluntate . . . .
,, Unde quantum ad Dei judicium princeps
,, non eſt ſolutus à lege quantum ad vim di-
,, rectivam ejus, ſed debet voluntarius non
,, coactus legem implere ,,. Ita D. Thomas .

Arbitratus eſt Cenſor voluiſſe iis verbis
Sigonium innuere nullam fuiſſe Judæorum
Regibus legem propoſitam, ſecundum quam
imperarent, & propterea producit ipſe con-
tra Sigonium quæ habentur Deuteronom.
XVII. ſed egregie fallitur, ejuſque mentem
non eſt aſſequutus. Sciebat utique Sigonius
Hebræis Regibus leges eſſe propoſitas, atque
eas ex eodem Deuteronomii capite integre D
recenſuit lib. 7. cap. 3. ſed quia voluntarii
non coacti eas leges impleverunt, ideo non
ex lege , quaſi ad legis obſervantiam cogi
potuiſſent, ſed ex voluntate imperaſſe aſſe-
ruit. Quod ſi poſtea rem ipſam penitius veli-
mus inſpicere , & quale Regum Hebraicæ
gentis jus fuerit, quaque indole præditi, qui
ſubinde regnarunt, magis verum eſſe appare-
bit, re ipſa ex arbitrio non ex lege domi-
nium exercuiſſe, & penes unius hominis vo-
luntatem rerum ſummam fuiſſe . Quod ad
Regis jus attinet, ita in primo Regum cap.
8. proponitur: ,, Hoc erit jus Regis qui im-
,, peraturus eſt vobis: Filios veſtros tollet ,
,, & ponet in curribus ſuis , facietque ſibi E
,, equites & præcurſores quadrigarum ſua-
,, rum; & conſtituet ſibi Tribunos, & Cen-
,, turiones & aratores agrorum ſuorum , &
,, meſſores ſegetum, & fabros armorum , &
,, curuum ſuorum . Filias quoque veſtras fa-
,, ciet ſibi unguentarias, & focarias & pani-
,, focas. Agros quoque veſtros & vineas &
,, oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis.
,, Sed & ſegetes veſtras , & vinearum redi-
,, tus addecimabit, ut det Eunuchis & famu-
,, lis ſuis. Servos etiam veſtros & ancillas ,
,, & juvenes optimos, & aſinos auferet, &
,, ponet in opere ſuo. Greges quoque ve-
,, ſtros addecimabit, voſque eritis ei ſervi.
,, Et clamabitis in die illa à facie Regis ve-
,, ſtri, quem elegiſtis vobis, & non exau-
,, diet vos Dominus in die illa, quia petiſtis
,, vobis Regem ,,. Petierant enim antea Ju-
dæi Regem, Samueli dicentes: ,, conſtitue
,, nobis Regem , ut judicet nos, ſicut & uni-
,, verſæ habent nationes ,,. Sane nationum
Reges, quas inter Judæi degebant, non ex
lege, ſed ex voluntate imperarunt. Præterea
quiſquis eo jure utatur , quod ſuperioribus
verbis Hebræo populo Samuel prædixit , is
certe non ex lege, ſed ex voluntate domina-
tur. Porro ex Regum libris notiſſimum eſt ,
ferme omnes Judæorum Principes illo jure
abuſos eſſe. Non diffiteor id juris ad Tyran-
nidem vergere, ſed hoc ipſo, quod poterant
Reges, Deo permittente in ingrati populi pœ-
nam, Deum ipſum legemque dominam reſ-
puentis,eo jure uti, manifeſtum fit tranſlatum
fuiſſe ad homines imperium, qui ex volunta-
te dominarentur. Equidem *jus illud* (ut om-
nes Cenſori ſcrupulos amoveam) *non debeba-*
tur Regi ex inſtitutione divina (ſunt verba
D. Thomæ 1. 2. qu. 105. art. 1. ad. 5.) *ſed*
magis prænuntiabatur uſurpatio Regum , qui
ſibi jus iniquum conſtituunt in Tyrannidem de-
generantes , & ſubditos deprædantes. Si verò
ab Cenſore poſtuletur, eccur Judæorum Re-
ges jus iniquum ſibi conſtituerunt in Tyran-
nidem degenerantes , & ſubditos deprædati
ſunt? omnis tandem reſponſio eo neceſſario
recidet , quia non ex lege, ſed ex voluntate
imperarunt; & ideo ex voluntate, quia ut ex
lege ſeu ſecundum legem ſubditos modera-
rentur, à ſubditis cogi non poterant, quem-
admodum ſupra explicavimus.

B. Sulpitius Severus lib. pr. hiſt. ſac.
hanc ipſam rem, de qua hucuſque loquuti
ſumus, expendens, ea habet, quæ quum Si-
gonium invidia liberare poſſint, ideo hic pla-
cet afferre: ,, Hoſtili metu remoto, ſecundis
,, tranquilliſque rebus, corruptis conſiliis,
,, more vulgi, cui præſentia faſtidio, inſueta
,, deſiderio ſunt , Regium nomen (cunctis
,, fere liberis gentibus ſemper inviſum) po-
,, pulus deſiderabat , planeque non ſine
,, exemplo amentiæ præoptabat libertatem
,, ſervitio mutare. Igitur frequentes Samue-
,, lem circumſiſtunt ut . . . . . Regem eis
,, conſtitueret. At ille placide, ſalubri ora-
,, tione ab inſana voluntate detorquere ple-
,, bem, dominationem regiam, & ſuperba
,, imperia exponere , libertatem extollere ,
,, ſervitutem deteſtari : poſtremo Divinam
,, eis iram denunciare ; ſiquidem homines
,, mente corrupti Deum Regem habentes ,
,, Regem ſibi ex hominibus flagitarent. His
,, atque aliis iſtiuſmodi fruſtra dictis , cum
,, populus in ſententia perſeveraret, Domi-
,, num conſuluit, qui permotus vecordia in-
,, ſanæ gentis, nihil adverſum ſe petentibus
,, negandum reſpondit.

His vero omnibus perpenſis, videntur mi-
hi non abludere à vero notatæ Sigonii propo-
ſitiones, quas initio cenſuræ retulimus. Re-
ſtat modo ut excutiamus quæ Cenſor addu-
cit, ut ſuam in Sigonium accuſationem tuea-
tur. Primo itaque ut Cenſor evincat, Judæo-
rum Reges ex lege non ex voluntate impe-
raſſe, provocat ad Deuteronom. XVII. ubi
proponuntur, quæ forent Regibus ſervanda .
Ita ſane . Has leges fuiſſe à Deo Regibus
propoſitas Sigonius ipſe aſſeruit , qui eas li-
bro

A bro 7. cap. 3. recenſuit. Ethnicorum etiam
Principibus naturæ leges indidit Deus; an
propterea obſervatas fuiſſe conſequitur? Aliud
eſt alicui legem, quam ſervet eſſe propoſitam,
aliud ipſum propoſitæ legi morigerum
fuiſſe. Percurrat Cenſor libros Regum, &
vix unum vel alterum deprehendet, qui non
ſancitas Deuteronomii leges violaverit. Id etiam
verum eſt fuiſſe à Deo Judæorum Regem conſtitutum.
Fatetur hoc de Saule Sigonius,
quem *Juſſu Domini* oleo unctum à Samuele
dicit pag. 390. A. Sed cum hujuſmodi electione
componi de facto poteſt arbitrarium
electi imperium. Audiat Cenſor, quid de
eodem Saule ſcribat Cyprian. Epiſt. LXV.
B ad Rogat. „ Iratus Dominus dixit, non te
„ ſpreverunt. Et ut hoc ulciſceretur, exci-
„ tavit ipſis Saul Regem, qui illos injuriis
„ gravibus affligeret, & per omnes contu-
„ melias & pœnas ſuperbus calcaret & pre-
„ meret.

Fuit quoque Deus legiſlatore rector Judæorum;
verum, quoniam ab ipſis rejectus fuerat,
ne ſuper eos regnaret, permiſit, ut homini,
quem loco ſui in Regem poſtulabant,
ſubderentur, cujus voluntati plerumque pravæ
obnoxii perpetuo forent: „ Et clamabitis
„ in die illa à facie Regis veſtri, quem elegi-
„ ſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus
„ in illa die, quia petiſtis vobis Regem.
C Fuerunt itaque veri Reges, Saul, David &
reliqui; neque enim imperare ex voluntate,
modo quem explicavimus, juri Regio opponitur;
neque tollit hujuſmodi imperium eſſe
à Deo, à quo illa ipſa poteſtas eſt, qua Tyranni
abutuntur; „ Etiam talibus tamen,
(ut inquit Auguſt. de Civit. Dei lib. 5. cap. 19.)
„ dominandi poteſtas non datur, niſi ſummi
„ Dei providentia, quando res humanas ju-
„ dicat talibus Dominis dignas. Aperte de
„ hac re vox divina eſt, loquente Dei ſapientia:
„ PER ME REGES REGNANT, ET TY-
„ RANNI PER ME TENENT TERRAM.

D Atque hæc in hanc Cenſuram ſatis ſuperque
ſint dicta.

CENSURA XIV.

PAg. 51. Pſal. 2. teſtimonium, quod de Chriſto veriſſimum eſt, ad David Regnum tranſtulit præter omnem veritatis ſenſum. Non enim David terminos Terræ aſſequutus eſt, neque in gentes imperium exercuit, quod nulli Hebræorum Regi contigit. Præterea cum hunc locum citet, nonnulla omiſit, quaſdam conjunctiones expunxit, multa etiam in Textum intulit: *Ego*, inquit, *conſtitutus ſum Rex à Deo*; legere debuiſſet *ab eo*. Mox *ſuper Montem Sanctum Sion*; omiſit *ejus*; & omiſit *prædicans Præceptum ejus*. Ad hæc: *dixit Dominus ad me*; omiſit hæc: *filius meus es tu, ego hodie genui te*; quæ de ſolo Chriſto intelliguntur.

E IN CENSURAM XIV. RESPONSIO.

QUamquam præcipuè de Chriſto Domino, adducta ex Pſalmo II. verba intelligi debeant; hoc tamen non impedit, quin etiam ad ipſum Davidem aliquo modo ſpectare poſſint; ut mittam non deeſſe etiam inter Catholicos, Interpretes, qui in hiſtorico ſenſu, & literali ad Davidem ea referant, ad Chriſtum vero in ſenſu tantum myſtico & ſpirituali, quos inter Lyranus. Præſtat ad rem noſtram audire Cornelium Janſenium in annotat. ad hunc Pſalm. „ Verum an primo de
„ Chriſto ſit accipiendus; & non potius pri-
„ mo & ad litteram de Davide, ſed tanquam
„ typo Chriſti, in quem verius & perfectius
„ competant, quæ in ipſo Davide aliquo ol-
„ que completa ſunt, dubitari poteſt. Videri
„ enim poteſt, David quum jam in Regem
„ ſuper Iſraël eſſet receptus, & in monte
„ Syon ſibi regiam delegiſſet, hoc pſalmo ex-
„ poſtulaſſe contra Philiſtæos, omneſque ini-
„ micos ſuos perniciem ejus quærentes, &
„ Regnum Iſraël diſſolvere conantes, prædi-
„ cereque irritos fore conatus, quia à Deo
„ ſit in Regem electus, ſumma accepta ab eo
„ in hoſtes poteſtate. Nam omnino videri po-
„ teſt in ſua perſona dicere: ego autem con-
„ ſtitutus ſum Rex ab eo. Neque veritati of-
„ ficit, ſi quæ de Chriſto ſunt in novo Teſta-
„ mento citata, ad litteram intelligantur pri-
„ mo competere alicui, qui figuram & typum
„ Chriſti geſſit..... At ſi quis diligenter
„ obſervet finem hujus Pſalmi, meritò magis
„ inclinari debet in eam ſententiam, ut primo
„ & ad litteram aſſerat Prophetam hunc Pſal-
„ mum de Chriſto ceciniſſe, QUAMVIS NON
„ SINE TYPO REGNI SUI, IN QUO VI-
„ DEBAT CHRISTI REGNUM PER MUL-
„ TA ADUMBRARI. Hæc Janſenius; ex quibus perſpicue colligitur, hunc Pſalmum etiam ad Davidem referri poſſe. Et ſane ſi perpendantur ſingula, quæ ibi dicuntur, aliquo modo etiam Davidi congruere poſſe deprehendentur. Atque ut prætercam cetera, ne nimius ſim, ſane verſiculus, *filius meus es tu*, quem ad ſolum Chriſtum ſpectare Cenſor exiſtimat, etiam Davidi ab eodem Janſenio aptatur: „ Secundum quam intelligendi ratio-
„ nem, *inquit*, non abſurde accipi poſſet etiam
„ de Davide dictum, SED TANQUAM TY-
„ PO CHRISTI. Eo enim tempore, quo pa-
„ lam in Regem unctus eſt, Deus illum in
„ ſuum peculiarem filium recepit; & veluti
„ genuit, cum eum ex paſtore ovium, Re-
„ gem populi ſui conſtituit, novoque eum
„ ſpiritu adimplevit, &c.

Itaque quum ipſi Davidi Pſalmus ſecundus tanquam typo Chriſti convenire poſſit, atque in eo regia prædicetur auctoritas; ipſum potuit Sigonius ad rem ſuam adſtruendam producere. Quæ vero mutavit in eo teſtimonio recitando, Scripturæ ſenſum nullatenus tollunt, vel pervertunt.

Omiſit etiam nonnulla, quia de regia poteſtate, cui uni adſtruendæ tunc intendebat non loquebantur.

CENSURA XV.

PAgina 52. *Regibus paruerunt, qui ex voluntate imperarunt*: inter quos enunciat David: quod quidem eſt falſum, cum præſcripto legis Populum gubernarit. Cùm eſſent leges in bellis excitandis præcipuè, à quibus recedere non poterant Reges, neque pro libidine imperare.

IN CENSURAM XV. RESPONSIO.

SAtis hac de re in Cenſuram decimamtertiam dictum.

CENSURA XVI.

PAg. 57. Citat locum Geneſeos cap. 18. cum ſit 17. Vereor ne hanc conſuetudinem ab Hebræis fuerit mutuatus, qui ſæpè capita ſuo modo citant.

IN CENSURAM XVI. RESPONSIO.

FUtilis Cenſura. Vel Amanuenſis, aut Typographi error, vel memoriæ lapſus. Quare non eſt cur vereatur Cenſor, ne Sigonius cum Hebræis loca citet Sacræ Scripturæ.

CEN-

CENSURA XVII.

PAg. 61. Dicit quod trans Jordanem fuerint Ruben, Gad, Manaſſe; & ex altera parte Beniamin, Juda, Simon, Effraim, Dan, Aſſer, Iſachar, Zabulon, Nephtali; ſed non legit bene hiſtoriam, quia Ruben, & Gad, ſolum dimidia Tribu Manaſſe, ut apparet num. 32., & Joſue cap. 13. & 22., quibus in locis, quæ dico manifeſtè exponuntur, & ex iis apparet, quam malè verſatus ſit in ſacris literis, hic Reipublicæ Hebræorum Fundator. Præterea male dicit, Terram Iſraël dictam fuiſſe, forſan edoctus à Rabbino aliquo imperito, & moderno: numquam enim in Scriptura dicitur niſi Terra Chanaan.

IN CENSURAM XVII. RESPONSIO.

SIgonius pag. 25. A. inquit: *Regio trans Jordanem, quam Myſes armis pepererat, Rubenitis, Gaditis,* ET DIMIDIÆ PARTI MANASSENSIUM *diſtribuerat, eiſdem eſt confirmata. Inde Judæ, Effraim,* ET ALTERI PARTI MANASSIS *regionis pars inter Jordanem & mare eſt aſſignata.* Porro Cenſor ex hiſce ſuperioribus verbis debebat Sigonium interpretari, & ſolum de dimidia Manaſſes Tribu intelligere, non de integra, quum non raro à Cenſore loco Sigonius non integram Manaſſes Tribum exprimat, ſed ſimpliciter Manaſſes Tribum dicat; quod de dimidia debet intelligi, nam id expreſſe affirmat citato ſuperiori loco. Non ergo inadvertentiæ Sigonius, ſed Cenſor culpandus eſt, qui etiam dum vult peritus in Sacra Scriptura videri, prorſus hoſpitem ſe probat. Sciat Cenſor non ab imperito moderno Rabbino didiciſſe Sigonium terram Chanaam fuiſſe ab Hebræorum poſteris appellatam terram Iſraël, ſed ab ipſa S. Scriptura. An non Matth. 2 v. 20. 21. rotundis verbis legitur: *vade in terram Iſraël*; & *venit in terram Iſraël?* ſi enim eo nomine Hebræorum regio appellari communiter non conſueviſſet, ſane Angelus Joſepho abſolute & veluti de regione notiſſima non dixiſſet: *vade in terram Iſraël*.

CENSURA XVIII.

PAg. 62. Dicit *Tribum Juda accepiſſe Hieruſalem, Bethel, Hierico*; cum ex Joſue cap 15. & 18. clarè conſtet, hæc loca ſorte contigiſſe Tribui Beniamin, quod etiam Sanctus Hieronymus de locis Hebraicis edocuit. Unde ſua hauriat non video, quare contradicat Scripturæ ſacræ in referenda Hiſtoria. Profectò ſi non tenet hiſtoriam, non poteſt de iſtis Myſteriis, & Prophetiis agere; & hoc videre eſt ferè in omnibus auctoritatibus quibus utitur, aut aliter, ac res eſt, aut alio eas traducens, quam ſpectant.

IN CENSURAM XVIII. RESPONSIO.

NOn aſſerit Sigonius in ſorte Tribus Judæ fuiſſe Hieruſalem, Bethel & Jerico, ſed Judææ Provinciam, à Tribu Juda eo nomine vocatam, ferme his inſignitam urbibus fuiſſe, Jeruſalem, Bethel, Jerico, Arimathia &c. quod in Sigonii ſenſu maxime verum eſt. Deſcribit enim ibi ſeptem Provincias, in quibus tota partiebatur Terra Promiſſionis. Hujuſmodi autem Provinciæ non iis definitæ limitibus erant, ut una Provincia unam tantùm Tribum complecteretur; quare Provincia Judææ etiam de Civitatibus Tribus Beniamin continebat, quas inter Bethel & Jerico. Hoc debuiſſet ſane Cenſor advertere, ne Sigonio imponeret.

Urbem vero Hieruſalem, quam nimis fi-

A denter uni Beniamin Tribui Cenſor adſcribit; per Sigonium videtur tunc ad ſolam Tribum Juda ſpectare cœpiſſe, quum David, qui ex ea Tribu erat, Jebuſæos profligavit, qui ad illud uſque temporis Hieroſolymam incoluerant, quòd antea à Judæis & Beniaminitis expelli inde non potuiſſent. Ceterum ante hanc Davidis de Jebuſæis victoriam, Jeruſalem ad utramque Judæ & Beniamin Tribum ſpectaſſe luculenter aſſeruit Sigonius pag. 64. A. „ Populus autem qui Hieruſalem incoluit, jam „ tum Jebuſæus dicebatur; quem Judas & „ Beniamin extrudere urbe non potuit uſque „ ad tempora Davidis. Itaque urbs in utra„ que Tribu fuit. Nam XV. Joſue ſcriptum

B „ eſt, Judam Jebuſæos incolas Hieruſalem „ exigere non potuiſſe . . . . . . XVIII. vero „ Judicum additur, Beniamin non potuiſſe „ ejicere Jebuſæum habitatorem Hieruſalem, „ ſed inter eos ſedes poſuiſſe. Ex quibus in„ telligi poteſt, urbem Hieruſalem magnitu„ dine ſua utrique Tribui communicatam. „ Quocirca ſunt etiam qui cenſeant partem „ ipſius templi in Tribu Beniaminis fuiſſe. „ Hæ certe duæ Tribus propter vicinitatem, „ & conjunctionem pro una tantum habitæ „ ſunt: quemadmodum poſt etiam in divor„ tio Tribuum factum eſt, quum Judas & „ Beniamin Roboamum ſequutæ unum Judæ „ nomen adeptæ ſunt. Hæc Sigonius, cujus

C extrema periodus ipſum magis ab hac Cenſura abſolvit.

Producit verò Cenſor contra Sigonium caput XV. Joſue, quod etiam Sigonius citavit, cum hoc tamen diſcrimine, quod revera contineat à Sigonio aſſerta, Cenſori vero apertiſſime opponatur. En poſtremum illius verſiculum: „ Jebuſæum autem habitatorem Hie„ ruſalem non potuerunt filii Juda delere: „ habitavitque Jebuſæus CUM FILIIS JUDA „ IN HIERUSALEM uſque in præſentem „ diem. Provocat deinde Cenſor ad cap. XVIII. ejuſdem Joſue, ubi revera inter urbes ſortis Beniamin Jeruſalem adnumeratur. Verum hoc Sigonius non ivit inficias, qui tamen, ut op-

D poſitos Scripturæ textus conciliaret, etiam Tribui Judæ adſcribit, Cenſor in Scripturarum ſcientia peritiſſimus, hanc repugnantiam non advertit, & tamen Sigonio inſultare & temere effutire audet, illum omnibus ferme auctoritatibus abuti.

CENSURA XIX.

PAg. 69 B. Adducit Joſephum Auctorem, cum tota ſacra Scriptura plena ſit illis rebus, & ſolum umbram conſectetur, non penetrat quæ tractet; cum D. Paulus dicat ad Rom. 15 *quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Itaque hiſtoriæ, quæ in ſacris litteris continentur, non abs re ibi ſunt inſertæ, quia quæ Myſterio carebant, ſunt abolitæ, ut in multis lo-

E cis habemus, ut in 3. Regum cap 14. & 15. *Reliqua autem verborum Jeroboam, quomodo pugnaverit, & quomodo regnaverit, ecce ſcripta ſunt in libro verborum dierum Regum Iſrael*: ex quibus intelligimus, quæ ſcripta non ſunt carere Myſteriis, præſertim in veteri lege, quæ noſtram obumbrabat, quæ verò ſcripta ſunt, plena eſſe Myſteriis ad noſtros animos informandos.

IN CENSURAM XIX. RESPONSIO.

ETiamſi Scriptura rebus illis plena ſit, cujus teſtimonia larga manu Sigonius ibi producit, propterea non licebit etiam Joſephum adducere? An exinde conſequitur negaſſe Si-

gonium, myſteriis eſſe referta, quæ in Sacris paginis conſcripta ſunt? Cenſor non obſcure innuit rejicienda eſſe, & myſteriis carere, quæ in Scriptura non ſunt; quibus ſane non advertit vulnus traditionibus divinis infligi, quas etiam in lege veteri extitiſſe contra Acatholicos Polemici noſtri affirmant ac probant.

CENSURA XX.

PAg. 71. & ſeq. Tractat ea, quæ exponuntur Exod. 25. ubi clariſſimè, & optimè explicantur.

IN CENSURAM XX. RESPONSIO.

NIhil hic contra Sigonium.

CENSURA XXI.

PAg. 84. Errat, cum citat primum caput Paralip. pr. cum ſit 2., & in eumdem errorem incidit cap. 16., & cap 21., ut planè videatur ſuo arbitratu capita diſtinxiſſe.

IN CENSURAM XXI. RESPONSIO.

CEnſorem oculi fefellerunt; non primum caput libri primi Paralipomenon citavit Sigonius pag. 84. A., ſed primum caput libri ſecundi. Quod etiam ſecundo loco produxit, vere reperitur lib. pr. Paralip. cap. XVI. v. 39. & quod tertio loco eſt reveta in eodem lib. primo Paralip. cap. 21. v. 29. Non ergo ſuo arbitratu Sigonius capita diſtinxit.

CENSURA XXII.

PAg. 85. Errat cum prim. Paralip. uſurpet, pro 2., quod arguit magnam ingnorantiam in ſacris Litteris.

Quæ dicit uſque ad pag. ſeq. clarius. & melius in ſacra Scriptura leguntur, ita ut ipſi vitio verti debeat, quod non ita clarè dixerit.

IN CENSURAM XXII. RESPONSIO.

LIbrarii error; loco *primo ſecundi*, irrepſit *ſecundo primi*. Non video magnam hoc in Sacris litteris ignorantiam arguere. Nequaquam vero Sigonio opus erat ex Scriptura referre, quidquid in ea de Salomonis Templi ſtructurâ, Sanctuarii vaſis, ceteriſque hujus generis continetur, hac ipſa de cauſa, quod in Sacris paginis fuſe narrantur; niſi Cenſor cogere Sigonium velit, quotieſcumque de rebus obviis loquitur, omnia Scripturæ loca ad eas pertinentia recensêre.

CENSURA XXIII.

PAg. 88. Adducit quædam, quæ dicit eſſe ex 3. Reg. cap. 7. ſed ſunt cap. 6., neque utitur vulgata editione, & melius Scriptura ſacra iſta, & clarius explicat, quam quæ refert Auctor uſque ad pag. 90.

IN CENSURAM XXIII. RESPONSIO.

CEnties recocta, & nullius momenti objecta. Unus tantum verſiculus ex pluribus à Sigonio ibi relatis eſt in capite ſexto: reliqui in ſeptimo ſunt, atque juxta Vulgatam Verſionem referuntur, ut illos cum ea conferenti patebit.

CENSURA XXIV.

PAg. 102. Dicit eodem die Titum combuſſiſſe Templum, quo Babylonii; & ad id probandum

A adducit Joſephum; ſed hoc ex Rabbinis eruitur; & etiam hodie dolent Judæi die 17. menſis 4. 9. menſis 2. 3. menſis 7. 10. menſis 10. quod in Babylonia obſervant, quia per Zachariam Populum Deus conſolatur cap. 8 *Hæc dicit Dominus Exercituum, jejunium &c.* Quibus verbis videtur prohiberi mœſtitia, & jejunium ob reditum in Hieruſalem, ſed aliter hodie faciunt Hebræi contra Propheriam Zachariæ; itaque quæ dixit Auctor, falſa ſunt, & veritas à ſacris Litteris petenda fuit, non à Joſepho, qui cum dicat, quod quo tempore Titus cepit Hieruſalem, & Templum combuſſit; tunc Judæos agere feſtum Tabernaculorum, quod feſtum incipit ſæpe numero in fine Septembris, & aliquando in principio Octobris, & Babylonii combuſſerunt Templum menſe Julii, & aliquando 15. dies incipit in fine Junii, ex quibus patet error illius, & quam male ſit verſatus in ea Republica B quam deſcribit.

IN CENSURAM XXIV. RESPONSIO.

HIeremias primi Templi incendium in diem decimam menſis Quinti, ideſt Auguſti, rejicit cap. 52. v. 12. & 13. *In menſe autem quinto, decima menſis . . . . . venit Nabuzardan Princeps militiæ . . . . in Jeruſalem, & incendit domum Domini.* Joſephus teſtis oculatus ſecundi Templi combuſtionem ad eamdem diem decimam menſis Auguſti conſignat lib. 7. de Bello Jud. cap. 9. & 10. Eadem ergo die & menſe utriuſque Templi vaſtatio contigit. Neque Joſephus ullibi aſſerit fuiſſe C à Tito combuſtum Templum, quum Judæi feſtum Tabernaculorum agerent. Solum affirmat captam fuiſſe Jeroſolymam Septembris menſis octavo die; verum Templum, antequam tota caperetur Jeroſolyma, fuerat combuſtum; Templo enim jam incenſo, adhuc ſuperior Civitatis pars eaque fortior Romanis expugnanda ſupererat, cujus potiti tandem ſunt octava Septembris die.

CENSURA XXV.

PAg. 103. & ſeq. Malè tractat de Templo Samariæ, & Ægypti, quia nunquam hoc nomen obtinuerunt, ſed dicta fuit eorum Synagoga, quia alιud Templum non erat, niſi Jeroſolymitanum, in quo fiebant ſacrificia, in Synagogis legis doctri- D na tradebatur, in Jeruſalem multæ fuerunt, ut ex Divo Joanne cap 18. conſtat: *Ego palam loquutus ſum Mundo, ego ſemper docui in Synagoga, & in Templo*, ex his Synagogis multæ erant in tota Judæa, & Galilæa, ut conſtat ex Evangelio, & Actibus Apoſtolorum. Præterea ponit tria Templa fuiſſe, unum Samariæ, alterum Ægypti, tertium Hieroſolymis, cum re vera, unum tantum fuerit in qua re ſequitur Rabbinum aliquem modernum, cum quo ipſe decipitur, cum Samaritani Idolatræ fuerint, & ſemper habiti velut excommunicati.

IN CENSURAM XXV. RESPONSIO.

JOſephus Antiquit. Judaic. lib. XI. cap. 8. non Synagogam, ſed Templum Jeroſolymitano ſimile in monte Garizim ædificatum fuiſſe diſertiſſime tradit. Idem Joſephus Anti- E quit. XIII. cap. 6. fuiſſe in Ægypto ab Onia Templum excitatum ad Jeroſolymitani ſimilitudinem, ſed minus & non peræque opulentum teſtatur. Sigonius itaque non modernum Rabbinum, ſed Joſephum vetuſtum, & in hiſce rebus probatum Auctorem ſequutus eſt. Satis vero mirari non poſſum Cenſoris confidentiam, qui erectus aſſerit unum tantum fuiſſe Templum, illudque Jeroſolymis. Si enim Templum illud dicendum eſt, in quo Sacrificia fiunt, ut Cenſor docet, quum in Templo Garizim, & Ægyptio Sacrificia peragerentur, reſtat, ut Templa non Synagogas fuiſſe dicamus.

CEN-

CENSURA XXVI.

PAg. 107 Mulia narrat fruſtra, & inutiliter, cum verò dieit quod Judæi Peregrini non adibant Templum, fallum eſt, quia etiam in libro dicto Bicurim, dicitur, quod etiam quivis ex gentibus ad Hebræos converſus cùm Jeruſalem adibat, ut offerret primitias Deo, illas ad Templum deferebat; eaque verba dieebat, quæ Moyſes ponit in Deut. in ſimili re & Patres ſuos vocabat Hebræos, quia Abrahamus fuit Pater multarum gentium, neque intelligere poſſum, aut conjicere; inde eruat hunc Synagogarum numerum, quæ ad uſum non attinent.

IN CENSURAM XXVI. RESPONSIO.

DEbuiſſet Cenſor adnotare, quid fruſtra & inutiliter huc loci Sigonius congeſſerit. Nam inutilem de Synagogarum origine diſquiſitionem nemo dixerit, quum res adeo incerta ſit, totque apud litteratos viros ſuper ea re diverſæ opiniones obtineant, quas inter probabiliorem ſelegiſſe videtur mihi Sigonius. Quî enim fieri potuit, ut in Babylonico exilio, quum Templo Hebræi carerent, nulla ſibi aptaverint loca, in quibus ad pietatis & religionis officia exercenda ſtatis temporibus congregarentur? Quod aſſerit Cenſor Templi aditu prohibitos non fuiſſe Judæos peregrinos, atque Proſelytos, omnino eſt extra rem, quaſi id negaret Sigonius. Hoc ait unum, Jeroſolymæ incolas in Templo audiviſſe legem, provinciales vero in Synagogis, quod ſcilicet proprias nationes ſingulæ Synagogas haberent, ut ex Act. 7. v 9. colligitur, ad quas de more confluerent, ut ibi pietatis officiis indulgerent, quamvis etiam Templi cœtibus intereſſe poſſent. Ut modo in urbibus, quæ magno exterorum numero frequentantur, ſingulæ ferme nationes ſuas habent Eccleſias, in quibus ut plurimum congregantur, quamquam & ad alias accedere liceat.

Tandem quum ait Cenſor intelligere ſe non poſſe, aut conjicere, unde eruat Sigonius Synagogarum numerum, eſt plenum ineptiæ; nam aperte Sigonius ex Hebræorum Commentariis id à ſe deduci teſtatur; & ſane hujuſmodi numerus legitur in Gemar. ad tit. Megilla, cap. 3. & ad tit. Cethubot. cap. 13.

CENSURA XXVII.

EAdem pag. 109. *Ut autem in Templo Sacerdotes, ſic in Synagogis Scribæ præerant*; Hoc planè omni tempore verum non fuit, ſed tantum extremis temporibus, quando Scribæ, & Phariſæi ex Seammai, & Hillel orti, ut ait D. Hieronymus in cap. 8. Iſaiæ, ſcholas varias propagarunt, & fortaſſe ſcholæ Synagogæ non erant, ut infra.

IN CENSURAM XXVII. RESPONSIO.

SI Scribæ ex recenti Scholarum Hillel, & Schammai diviſione exorti ſunt, cur Eſdras dicitur Scriba in lege doctiſſimus? cur Scribarum ante præfatæ diviſionis tempus in Scriptura non infrequenter mentio occurrit? Sciat ergo Cenſor alios fuiſſe Scribas, qui Synagogis præponebantur, alios Scribas ex eo diſſidio exortos. Primos ipſam Synagogarum inſtitutionem præcepiſſe ex Sigonio ipſo potuiſſet addiſcere, qui eorum primordia ad Moſem uſque refert lib. V. cap. X. Alteros vero unam ex Judæorum hæreſibus conflaſſe idem Sigonius tradit libro itidem quinto cap. XI. Cavillatur ergo Cenſor in Scribarum nomine; neque mirum, quum ſemper in vocibus, non in rebus, hæreat.

CENSURA XXVIII.

PAg. 114. & ſeq. Ubi incipit agere de annis Hebraicis, certum eſt, uſque ad egreſſum ex Ægypto primum menſem eſſe Tiſri, qui nobis eſt September; ſed Exod. cap. 12. præcepto Dei ordinatum fuit Moyſi, & Aaron, quod menſis dictus ab Hebræis Niſan, qui nobis eſt Martius, deinde eſſet, & computaretur primus menſis, quæ res non caret Myſterio. Nam in Aiſan fuerunt redempti ex ſervitute Ægypti, & in Aiſan debebant eſſe liberati. Prima enim redemptio corporalis figura erat ſpiritualis redemptionis, quæ menſe Martio, ſive menſe Niſan contigit. Eo enim menſe fuit Annunciatio Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, & eodem menſe Chriſtus Jeſus cruci fuit affixus, ut redimeret totum humanum genus fidele, & unitatis ſtudioſum, quod in Populo Iſraël figurabatur; hæc eadem docet Georgius Cedrenus in compendio hiſtoriarum ex Chryſoſtomo, & aliis Patribus; ſed hic Auctor umbram conſectatur, & corticem tantum, & non Myſteria (quæ in ſacris litteris latent) indagare ſtudet. Præterea hac una in re decipitur, maximè, quia civilem annum ait inchoari à menſe Aiſan, quod eſt falſum, nam in contractibus civilibus annus originem ducebat à menſe Tiſri, ideſt Septembri; in ſacris vero annus computabatur à menſe Aiſan, ut ex Hebræis retulit Oleaſter in cap. 12. in Exod.

IN CENSURAM XXVIII. RESPONSIO.

NOn ea mente Rempublicam Hebræorum aggreſſus eſt Sigonius, ut myſteria quæ in Sacris litteris continentur, evolveret; quare ſi hoc omittat, immerito reprehenditur. Annum vero ſacrum & civilem pro eodem ſumit, cui naturalem & vulgarem opponit. Hebræi, inquit pag. 114. A. duplicem annum habuerunt, unum quem naturalem & vulgarem, alterum quem civilem & ſacrum appellaverunt: *Naturalis ab initio Mundi ſub Æquinoctium autumnale eſt inſtitutus . . . . . Civilis ante egreſſum Hebræorum ex Ægypto ſub Æquinoctium vernum à Deo præſcriptus eſt*. Cenſor crude verba ſumit, neque ſatis attendit, quo ſenſu à Sigonio dicantur: quare mirandum non eſt, ſi in tam craſſas Cenſuras erumpat.

CENSURA XXIX.

PAg. 117. Quæ dicit de intercalatione, nullius ſunt momenti, cum omnia pendeant à Rabbinis.

IN CENSURAM XXIX. RESPONSIO.

QUamvis quæ ad *intercalationem* ſpectant, à Rabbinis potiſſimum pendeant, non ſunt tamen ab eo flocci facienda, qui temporum rationem ab Hebræis receptam velit enarrare: maximè ſi id parce fiat, ut à Sigonio factum eſt.

CENSURA XXX.

PAg. 120. Dicit *quam Chriſtiani Dominicam vocant* quaſi ipſe non eſſet Chriſtianus, quia melius dixiſſet, quam nos Chriſtiani Dominicam vocamus: in eadem pag. utitur auctoritate 3. Eſdræ, qui liber non eſt approbatus, ut in Canone Sancti Concilii apparet, & quia non intelligit linguam Hebræam dicit pag. 121. *diem dici Lunam*, & non ita eſt, ſed menſis Luna dicitur ut decima quarta Luna, ideſt decimo quarto die, quem alii Lunationem dicunt.

IN CENSURAM XXX. RESPONSIO.

PRima Cenſuræ pars omnino puerilis. Quo ad alteram, quamvis tertius Eſdræ liber

Ca-

A Canonicus non ſit in Latina Eccleſia: (*Græci enim*, ut inquit Sixtus Senenſ. Biblioth. Sanctæ lib. pr. ad calcem, *hunc librum non ſolum in Sacro Canone recipiunt, ſed & ipſum ante duo legitima & indubitata Eſdræ & Nehemiæ volumina .... in cathalogo divinæ Scripturæ collocant*), neque ut Canonicus à Sigonio productus ſit; negari tamen non poteſt, quin rem illam adſtruat, quam Sigonius intendit dies ſcilicet ab Hebræis lunas fuiſſe vocatas. Atque eo potiori jure apocryphum librum in hujuſmodi re potuit uſurpare Sigonius, cum ejuſdem libri teſtimoniis Latini Patres pro gravioribus confirmandis rebus uſi ſint. Sed expendamus rationem, qua Cenſor falſitatis notat Sigonii aſſertum, quia ſcilicet *menſis luna*
B *dicitur*. Egregie; at etiam dies menſis dicitur; hac ergo de cauſa diem lunam dici non poſſe inepte probatur. Et ſane lunam pro die promiſcue uſurpari patet ex Iſidoro libro Originum 6. ubi de Cyclo Paſchali.

CENSURA XXXI.

PAg. 126. Cum ex ſacra Scriptura poſſet quod proponit tanquam ex fonte clarius, & verius ducere, rivulos Joſephi, & aliorum conſectatur.

IN CENSURAM XXXI. RESPONSIO.

NIl vetat Joſephi teſtimonium uſurpare,
C maxime poſt productos Sacræ Scripturæ textus, qui rei propoſitæ adſtruendæ ſufficiunt, ut hic facit Sigonius. Sed de hac Cenſura jam alias.

CENSURA XXXII.

PAg. 127. Dicit in die Sabbati, ut *ne ignem quidem domeſtici uſus cauſâ ſuccenderent*, & citat Exod 35. *non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem Sabbati*. Quod Præceptum ſolum datum fuit quandiu opus Tabernaculi durabat, quod conſtruxit Moyſes in deſerto; in dicto enim opere non ſervabatur hoc, ut non ſuccenderetur ignis, quia cum opus ex auro, argento, & ære conflaretur, ignis requirebatur, ſed Moyſes illud voluit, & dixit dictante Deo, ut eſſet diſcrimen inter domum Dei, & illorum. Abſoluto vero
D Tabernaculo, ceſſavit præceptum, quod ad ſuccendendum ignem ſpectabat. Hoc idem ſequuntur Rabbini Talmudiſtæ in libro de Sabbato cap. pr. 2. 28. 29 30. Tum etiam veri hujus loci Exod. 32. interpretes docent, ignem prohiberi accendi, à quo lucrum conſequi poſſet, ut quando coquuntur lateres, & calcis fornax accenditur, non tamen alia victui neceſſaria fuerunt hoc præcepto prohibita; ſed Hebræi, qui nudam litteram ſequuntur, etiam in hodiernum diem, in hoc ſunt errore, & nihilominus peccant, quia per alium excitant ignem, ut in Italia per Chriſtianum aliquem, quod peccatum eſt, ac ſi ipſi excitaſſent. Hic Auctor in hac re enarranda ſequitur vulgarem errorem, & ritum communem Hebræorum, & in his tractandis veritatem ſequi, non errorem debebat.

Sabbatum durabat uſque ad adventum Meſſiæ, deinde abolebatur, ut aliæ omnes veteres cœremo-
E niæ, ut Sanctus Hieronymus epiſtola ad Auguſtinum, & Auguſtinus ad Hieronymum ſcripſit; & male Philonis nititur authoritate in referendis ſacrificiis, qui error in ſequendo Phylonem illi eſt peculiaris.

IN CENSURAM XXXII. RESPONSIO.

ASſerit hic loci Sigonius præcepiſſe Dominum Judæis, ut Sabbatho ne ignem quidem domeſtici uſus cauſſa ſuccenderent: atque hanc in rem producit Exodi cap. 35. v. 3. Cenſor autem adverſus Sigonium excipit, Deique mandatum de igne non ſuccendendo ad tempus coarctat, quod in Tabernaculo conſtruendo conſumptum eſt. Verum hac etiam Cenſoris limitatione admiſſa, an inde conſequitur non præcepiſſe Deum, ne ignis Sabbatho ſuccenderetur? Sigonius certo tempori præceptum illud non alligavit, quum ſimpliciter Dei mandatum retulerit. Quod poſtremo loco reponit Cenſor, nam alia non moror, male Sigonium Philonis authoritate niti in Sacrificiis referendis, impudenter dictum exiſtimo, quoniam non unum Sigonium, ſed plures è Patribus, Sacriſque Interpretibus eâdem operâ damnat, quos certum eſt in hiſce rebus Philonis auctoritati deferre conſueviſſe.

CENSURA XXXIII.

PAg. 133. Refert verba tertii Eſdræ cap. pr. qui liber non eſt approbatus: non ſunt enim niſi primus, & ſecundus approbatus, deinde, quæ illic dicit, non ita habentur ibi de Paſchate, & Azymis: adducit authoritatem Exod. Levit. Deut. 2. Paralip. Eſdræ cap 6. & præter rem Philonem adduxit.

IN CENSURAM XXXIII. RESPONSIO.

JAm dixi ſuperius, tertium Eſdræ librum tamquam Canonicum à Sigonio non laudari; ejus tamen auctoritate hic uſus eſt, ut lectoribus oſtenderet eum libris Canonicis conſonare, atque propterea non ita contemnendum, ut Cenſor exiſtimat. Citato autem ejus libri loco, id revera continetur, quod Sigonius affirmat; quod tamen Cenſor forte non deprehendit, quia diutius præ ſcrupulo in apocrypho libro immorari noluerit. Philonis etiam auctoritas non extra rem, ſed appoſite adhibita eſt, videlicet, ut planum fieret, quare Martius *novarum frugum menſis* à Scriptura nuncupetur, quod prima fronte à vero abhorrens nobis videtur.

CENSURA XXXIV.

PAg. 135. Quæ de die Paſchæ ex libro Seder-Olam retulit, & quæ de Chriſti morte in paraſceve enarravit tam abſurda ſunt, ut ex illis tota Eccleſiæ traditio ſubvertatur, nullis enim aliis præſidiis nituntur Græci, & præcipuè Euthimius Matthæi 26. ad confirmandum Chriſtum in fermentato celebraſſe, quam iis, quibus nunc hic Auctor utitur, quibus revocat in dubium conſtantiſſimam illam omnium Patrum traditionem, Chriſtum ſcilicet in Azymo confeciſſe ſacramentum, quia eodem die, quo Judæi, celebraverit Paſcha: ita enim ait Matthæus cap. 26. *prima die azymorum quando Paſcha immolabant*, ut inde falſum ſit, Judæos feria ſexta ad veſperam eodem anno Paſcha celebraſſe, cum dicat Evangelium, Judæos tunc immolaſſe: Imò ſi eo die Chriſtus, quo Judæi, non celebraverit Paſcha, ſed prævenerit diem, non fuiſſent panes azymi menſæ propoſiti (id enim eorum cavebat Religio) cum quibus more Judæorum celebrare debuiſſet. Mox quæ de Paraſceve dicit, hoc eſt pridie Paſchæ Chriſtum paſſum fuiſſe, Eccleſiæ traditionem tollunt, neque enim erat tunc Paraſceve Paſchæ, ſed Sabbati, quod dicebatur Sabbatum Paſchæ, quia intra Hebdomadam Paſchalem inciderat, quod cum eſſet celeberrimum dupplici ex capite, tum propter celebritatem, quæ Sabbato competebat, tum propter Hebdomadam Paſchalem, magnus dies erat. Præterea ſequitur novorum Rabbinorum novas traditiones; quare opus eſſet, ut legeret, quæ Deus dixit in Exod. 23. & Levit 23.

IN CENSURAM XXXIV. RESPONSIO.

HIc prorſus imponit Sigonio Cenſor, ipſum ſentire affirmans ea, quæ tantum ex quorumdam Interpretum mente refert. En ejus verba pag. 135. A. *Cautum inde lege Synedrii fuit*,

fuit, UT TRADITUR AB HEBRÆIS IN LIBRO SEDER OLAM, *ne Paſcha celebraretur die Septimanæ ſecundo, quarto, & ſexto, ſi in eos incidiſſet. Itaque ſi dies quintadecima menſis incurrebat in ſextum diem Septimanæ, Paſcha differebatur in poſterum diem, qui erat Sabbathum: quemadmodum factum* AJUNT *eo anno, quo Chriſtus eſt paſſus. Ille autem*, UT MULTI OPINANTUR INTERPRETES, *à lege Dei nolens recedere, celebravit illud feria quinta veſpere, Judæi vero* MOREM NOVUM, *aut traditionem Patrum ſequuti, feria ſexta veſpere ..... Neque vero* INTERPRETES MULTI *aliter congruere verba S. Joannis cum verbis aliorum Evangeliſtarum poſſe* ARBITRANTUR, *quorum hi* &c. Non ergo Sigonius, ſed aliqui Interpretes Chriſtum Paſcha legale anticipaſſe opinantur. Verum demus Cenſori in hac eadem opinione verſatum fuiſſe Sigonium. An propterea ſubvertiſſe dicendus eſt conſtantiſſimam Eccleſiæ traditionem de Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutione in pane Azimo? Qui aſſerit Chriſtum legale Paſcha anticipaſſe, ſimul affirmat celebratum à Chriſto Paſcha relate ad cibos juxta legis præſcriptum; quare illud etiam concedit, Chriſtum pane Azimo uſum, atque in eo Corporis ſui Sacramentum inſtituere potuiſſe. Nam, quod ait Cenſor, ſi Chriſtus una die Paſcha comedere præoccupaſſet, panes Azimos menſæ non fuiſſe adhibitos, nullius eſt momenti: quid enim vetabat, ne panis Azimus menſæ apponeretur; an extra Paſchale tempus interdictum putat Azimorum eſum? Monet deinde Cenſor Sigonium, ut legat quæ Deus præcipit Exodi 23. & Levit. 23. Verum ſciat Cenſor, etiam ipſo non monente, ea à Sigonio lecta & relata fuiſſe pag. 131. non tamen ex 23. Exodi, ut Cenſor indicat, ibi enim fere nihil de ſolemnitate Paſchali, ſed ex duodecimo Exodi capite, ubi lex de celebrando Paſchate fuſe proponitur.

CENSURA XXXV.

PAg. 141. & ſeq. Melius in ſacris litteris Vulgatæ Editionis referuntur, quæ ille aliunde adducit. Pag. ſeq. In eodem eſt errore.

IN CENSURAM XXXV. RESPONSIO.

UTitur notatis locis Sigonius editione Vulgata, atque è Sacris litteris, quod enarrat, repetit, adjecta tamen Joſephi auctoritate majoris claritatis gratia: qua in re peccatum nullum.

CENSURA XXXVI.

PAg. 150. Doleo maximè, atque ægrè fero, quod hic vir ſolis humanioribus litteris imbutus contradicat ſententiæ Sancti Joannis Chryſoſtomi, & citet verba hiſtoriæ 2. Paralip. cap 30., & prætereat authoritatem dati Præcepti lib. Num. cap. 9. *Homo, qui fuerit immundus in anima ſua, ſive in via procul in gente veſtra, faciat Paſcha Domino in menſe ſecundo.* Primo oſtendit id parum tribuere ſanctis Doctoribus, deinde non intelligere ſe Scripturas ſacras in fine hujus ſententiæ.

IN CENSURAM XXXVI. RESPONSIO.

DEbuiſſet Cenſor contentus eſſe modeſtia Sigonii, qui non ſine magno venerationis teſtimonio ab Johannis Chryſoſtomi mente receſſit. Primo enim in re, quam ſibi diſcutiendam propoſuerat, nihil probabilius atque aptius ab eruditis hominibus judicari aſſeruit, quam quod à S. Johanne Chryſoſtomo affertur. Deinde rationum momenta producit, quibus Chryſoſtomi ſententia poterat reprobari, atque ſubjungit: *Quid igitur cenſes? dicet aliquis, bona cum venia omnium, qui ſecus ſcripſerunt, exponam non refellendæ alienæ, ſed meæ, ut in præſens eſt, ſententiæ declarandæ gratiâ.* Quibus verbis nil ſane modeſtius. Nulli profecto Chriſtiano homini hæc eſt impoſita ſervitus, ut in hujuſce generis rebus illius vel alterius Patris opinionem ſequatur; ſed liberum eſt cuilibet, ea, qua par eſt, ſervata in Patres reverentia, quid ipſe ſentiat proponere, quod etiamſi ab aliquo Patrum diſcrepet, nullum tamen inde præjudicium eorum auctoritati creatur. Nota ſunt Auguſtini verba in Epiſtola ad Hieronymum decimanona: *Ego enim fateor charitati tuæ; ſolis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam ..... Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat perſuadere potuerunt.*

Dolet vero præterea & ægrè fert Cenſor prætermiſſam à Sigonio libri Num. 9. auctoritatem. At ego Sigonii vicem doleo, quod rem cum Cenſore adeo iniquò habeat, ut velit ab ipſo ea loca adhiberi, quæ ſuo inſtituto minus conveniunt. Non loquebatur Sigonius de Paſchatis tranſlatione ab uno vel altero privatorum, ſed à toto populo facta. Hanc vere demonſtrat ſecundus Paralipomen. 30.: at in Num. 9. ſermo dumtaxat fit de Paſchate à privatis transferendo, ſi forte Paſchali recurrente Feſto vel eſſent in anima immundi, vel in via procul à gente ſua reperirentur. Quare quum hæc privata Paſchatis dilatio rem à Sigonio propoſitam non tangeret, illud Numer. teſtimonium prudenter omiſit.

CENSURA XXXVII.

PAg. 151. Advertendum eſt diligenter quod dicit, Chriſtum Redemptorem noſtrum veniſſe in Jeruſalem *in menſe 2. ut Paſcha celebraret, quod forſitan in primo non potuerit*: Quæ opinio eſt blaſphemia maxima, quia Num. cap. 9. exprimitur, quod duas ob cauſas celebrari Paſcha liceret in menſe 2. Prima erat propter immunditiam ſuper anima; ſecunda, quia via longe diſtans erat: quoad primam abſit, ut in Chriſto aliquid immunditiæ eſſe potuerit, ob quam menſe 2. celebraverit Paſcha, ut iſta ſatis temere ſignificare videntur. Quoad ſecundum ob longam viam, id affirmare non poſſumus, quia Evangelica Hiſtoria refert omnia Chriſti itinera, deinde Chriſtus Benedictus ſervavit perfectè Legem, quam non venerat ſolvere ſed adimple; & tamen loco citato dicit Deus: *Si quis autem immundus eſt, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phaſe, exterminabitur anima illa de Populis ſuis, quia Sacrificium Domini non obtulit tempore ſuo, peccatum ſuum ipſe portabit.* Abſit quòd talis ratio ad Chriſtum referatur, ſed alterum horum ex hujus Scriptoris ſententia colligendum eſt, & hic locus graviſſimus eſt contra eum.

Itaque pati non poſſum Religionis Chriſtianæ zelo permotus tam gravem, & inſignem blaſphemiam Chriſto Domino illatam, quam neque moderni Rabbini inimici Chriſto Redemptori adſcribunt. Dicunt enim in libro Sanedrim, Chriſtum Crucifixum fuiſſe in vigilia Paſchatis Agni, quod Paſcha menſe primo ut celebraretur commiſit Deus Moſi. Cauſa verò, ob quam Hebræus aliquando eo menſe Paſcha non faceret, ponitur Num. cap. 9., nec ibidem numerus eſt multitudinis, ſed ſingularis. Hic errat etiam in eo, & Rabbinum

àliquem malignum ſequitur, nam ſi Chriſtus non celebravit menſe primo, ut iſte dicit, aut quia erat in via longinqua, & hoc eſt falſum, ut conſtat ex Evangelio, & verbis ipſius Chriſti, aut quia erat immundus, & peccato detentus, *qui peccatum non fecit, neque inventus eſt dolus in ore ejus;* & ut ipſe dixit: *quis ex vobis arguet me de peccato?*

Tunc etiam hæc opinio repugnat Marco cap. 14., *& primo die Azymorum, quando Paſcha immolabat;* & Lucæ 21. *venit dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha;* hæc enim verba conſuetudinem celebrationis primi menſis ſignificant, & non illud, quod fortuito evenire ſolebat.

Tum magnus dies Sabbati erat ille, qui ſuo tempore debito evenerat, non qui fortuitò accidebat; mox quum Principes Judæorum noluerint introire in Prætorium, ne contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha, profectò conſtat, tunc Paſcha celebratum fuiſſe à toto Populo.

Ea verò, quæ conjectura ductus ſtatuit, falſa ſunt, nam Sabbato ſecundo primum apud Marcum cap. 2., Græci Patres, & præcipuè Sanctus Titus Boſtrorum Epiſcopus, & Beatus Iſidorus Peluſiota in hunc locum, ideo dictum fuiſſe arbitrarentur, quia ſecundum erat in Solemnitate Paſchatis, & primum erat in feſtivitate Azymorum. Etenim Sabbatum, & Solemnitatem, & omnes dies Solemnitatis, Sigonius ſecundo primum, ideſt Paſcha ſecundo menſe celebratum interpretatus eſt, quod planè jocularium eſt, & contra omnes Patres liberè excogitatum: ſed cum hanc conjecturam Exod 2. Paralip. cap. 30. colligat, egregiè fallitur; nam ex eo loco conſtat ob intermiſſam conſuetudinem celebrandi Paſcha, non potuiſſe neceſſaria ad Solemnitatem præparare Sacerdotes, & Levitas, inſtrui Templum, & vaſa ſanctificari, quod fuit in cauſa, quam ob rem Rex in ſequentem menſem Solemnitatem diſtulerit. Hoc tamen nunquam alibi accidit, ſed cum hic Auctor proprio Marte Scripturæ voces interpretetur, levi quadam conjectura ductus, & ea voce Πάσχα perſuaſus, exiſtimavit alio in tempore, & alio in menſe per ſata Chriſtum deambulaſſe, quod parum ad rem. Quid enim abſurditatis eſſet, ſi dixiſſet Chriſtum iterum per eumdem agrum ambulando repedaſſe, vel idem iter eodem die confeciſſe?

IN CENSURAM XXXVII. RESPONSIO.

TEmeritatis atque impudentiæ damnandus eſt Cenſor, qui Sigonium prorſus immerentem maximæ in Chriſtum blaſphemiæ, & impietatis palàm accuſavit. Sigonius, bone Cenſor, nuſquam aſſerit fuiſſe à Chriſto Paſcha translatum, quaſi ipſe legali die illud celebrare non potuiſſet; ſed quum illo anno ab univerſo Judæorum Populo in menſem ſecundum Paſchatis celebratio fortè rejecta fuiſſet, ideo à Chriſto etiam ſecundo menſe Paſcha cum reliquo Populo conſummatum fuiſſe. Quo poſito, nullo prorſus modo conſequitur Chriſtum vel in anima immundum fuiſſe, vel procul ab Jeroſolymis diſſitum. Rem autem ita ſe habere ex eo patet, quod eo loci quærat Sigonius, quî Lucas dixerit Sabbathum deutero-primum? atque opinatur ita appellatum ab Evangeliſta fuiſſe, quod Paſcha non primo, ſed ſecundo menſe fuerit celebratum. En Sigonii verba pag. 150. C. *Hebræi non ſemper celebrabant Paſcha primo menſe, ſed interdum ſecundo, ut apparet ex II. Paralipom. XXX. inito conſilio Regis, & Principum & univerſi cœtus Jeruſalem, decreverunt ut facerent Phaſe menſe ſecundo . . . . . . Quum autem ſecundo menſe faciebant, fortaſſe ſecundoprimum vocabant, ſignificantes Paſcha ſecundo menſe celebratum, quod primo oportuit . . . . .* VENIT ERGO CHRISTUS PRIMO MENSE AD PASCHA SUB MESSEM, QUO NON CELEBRATO, VENIT ITERUM SECUNDO JAM MEDIA MESSE; *Unde dixit Marcus II. loquens de eadem re: & factum eſt iterum, cum Sabba-*
A *this ambularet per ſata . . . . . . Si autem bis per ſata iter fecit, ergo iterum Jeruſalem ad Sabbathum adiit*. QUOD SECUNDO MENSE CELEBRATUM EST, QUUM FORTASSE PRIMO NON POTUISSET. Hæc Chriſtum ab immunditia, & Sigonium à blaſphemia & impietate liberant.

Quum vero Sigonius dicat Chriſtum ſemel & iterum Jeroſolymam acceſſiſſe, ut Paſcha celebraret, vano prorſus conatu probandum ſibi aſſumpſit Cenſor Chriſtum Jeroſolymis non diſtaſſe.

Idem Cenſor eandem operam ludere mihi videtur dum ex Evangeliſtis aſſerit, Judæos conſueviſſe celebrare Paſcha menſe primo. An
B hoc Sigonius negat? Opinatur dumtaxat eo anno, qui certe non fuit Chriſti emortualis, Paſcha fuiſſe dilatum. Textus à Cenſore relati loquuntur de Paſchate, quod anno Chriſti emortuali celebratum eſt ab ipſo Chriſto atque Judæis legitimo tempore, quare Sigonium, qui de altero anno loquitur, non urgent.

Quod vero Sigonii de Sabbatho deuteroproto explicatio falſa ſit; aſſeritur quidem à Cenſore, ſed non probatur. Id obſervo Cenſorem, dum amplectitur Titi Boſtrenſis, & Iſidori Peluſiotæ opinionem, à Chryſoſtomo diſſentire, ac propterea in illud vitium incurrere, quod ſuperiore Cenſura in Sigonio dam-
C naverat. Ceterum quum Ezechiæ tempore Paſcha dilatum fuiſſe conſtet ad menſem ſecundum; potuit etiam eo anno, de quo Sigonius, aliqua cauſa ſuboriri, quæ Paſcha differri poſtularet.

Certum vero eſt, Patres omnino adinvicem diſcrepare in illius Sabbathi explicatione, quapropter nulli eorum injuria fit, ſi hac ſuper re deferuntur, & opinio ipſis contraria proponatur, ſervatis debitæ venerationis legibus, quemadmodum præſtitit Sigonius, ut ſuperiori Cenſura demonſtratum eſt.

CENSURA XXXVIII.

PAg. eadem. Multo melius declaraſſet propoſita
D ex ſacris litteris, quàm fecit affectatis verbis.

IN CENSURAM XXXVIII. RESPONSIO.

DEbuiſſet definire Cenſor, quid hic in Sigonio reprehendat. An quod dixerit illud Marci II. *& factum eſt iterum, cum Sabbathis ambularet per ſata*, in Græco apertius ſignificari, *& factum eſt illum iterum iter facere per ſata?* At hoc verum eſt; per Græcum enim magis exprimitur duplex Chriſti ejuſque Diſcipulorum tranſitus per ſata.

CENSURA XXXIX.

PAg. 155. Dicit de Encæniis, *quas verò homines in-*
E *ſtituerunt, hæ ferè fuerunt, Encænia, feſtum Jepte, Judith, Eſther, & poſt alia quoque* De primis, & ſecundis Encæniis non fuit unquam facta anniverſaria commemoratio poſt primam vicem; ſed de tertiis, factis temporibus Machabæorum cap. 4. clarè habetur, & ſecundo cap. 10. & ob hanc ſolemnitatem ſemper facta ſunt Encænia deinceps, quia ab omnibus illa ſolemnitas fuit recepta, uſque ad hodiernam diem. De quartis Encæniis nunquam fit mentio, nec unquam fuerunt celebrata, nec eorum meminit niſi Joſephus, qui non eſt approbatus Author.

Errat etiam in Hiſtoria, quia ſolum Eſter, & Machabæi Encænia ſunt; reliqua, quæ dicit, non à ſacra Scriptura, ſed à Rabbinis petivit: quod dicit de Joſepho eſt falſum.

IN

IN CENSURAM XXXIX. RESPONSIO.

DUo hic loci Sigonius aſſerit, Encænia videlicet anniverſariam fuiſſe ſolemnitatem in dedicatione Templi adhibitam; alterum, quatuor Jeroſolymitani Templi dedicationes diverſis anni temporibus obſervatas fuiſſe. Quod ait primo loco, arbitror à Cenſore admiſſum iri; Encænia enim id ſignificare tum omnes conſentiunt, tum liquido colligitur ex Johanne X. v. 22. quem Sigonius ipſe laudavit. Quatuor vero obſervatas, ſeu celebratas fuiſſe Templi Jeroſolymitani dedicationes; ſi de tribus prioribus, Salomonicæ, Zorobabelianæ, & Machabaicæ, quæ tamen non Templi, ſed Altaris fuit, ſermo ſit, id expreſſe traditur Regum III., Eſdræ VI., & Machab. I. Quartam autem diſertis verbis Joſephus conſignat Antiquit. lib. XV. cap. 14. nil ergo hic falſi, nil reprehenſionis dignum. At Cenſor inſtat, de primis & ſecundis Encæniis non fuiſſe unquam factam anniverſariam commemorationem poſt primam vicem. Demus ita rem eſſe, cedo, mihi oſtendat Cenſor, ubi Sigonius illud affirmet; aliud enim eſt quatuor peractas fuiſſe Templi dedicationes, aliud illarum dedicationum Encænia ſeu anniverſarias commemorationes fuiſſe celebratas; primum aſſeruit quidem Sigonius; non item ſecundum. Verum hoc etiam Sigonio aſſertum concedimus: unde Cenſor poſitivis argumentis noſtrum falſi revincet? Sane Sigonio ſuppetias ferunt Auctores haud ignobiles; Johannes Chryſoſtomus, homil. 61. in Johannem, Theophylactus qui etiam nonnullos alios ſuorum temporum in eadem opinione verſari refert, Nonnius Ganopolita, Thomas Aquinas in I. Machab. 4, Petrus Comeſtor, aliique plures tum veteres, tum novi Scriptores. At Cenſor inquiet, (neque enim aliud reſpondere poteſt) nuſquam id apud Rabbinos invenitur. Ita ſane; ſed juxta Cenſoris monitum, quo non ſemel in Sigonium uſus eſt, non à Rabbinis, ſed à Patribus, quos inter ſine controverſia Chryſoſtomus & Aquinas, hujuſmodi res petendæ ſunt. Quod tamen non ideo uſurpo, quod verum arbitrer, ſed ut Cenſor plane intelligat, quam parum ſibi cohæreat, qui modo ad Patres, modo ad Rabbinos, prout ab æſtu conviciandi & cavillandi agitatur, ſine ullo delectu transfertur. Ceterum Rabbinorum ſilentii hæc ratio non incongrue reddi poteſt, quam tacite innuunt D. Thomas & Petrus Comeſtor, anniverſariam videlicet Salomonicæ & Zorobabelianæ dedicationis memoriam uſque ad Machabaica Encænia perduraſſe, quæ iſtis recens inſtitutis in deſuetudinem abierit; quare Rabbini Machabæorum temporibus longe poſteriores ſolemnitatum jampridem neglectarum non meminerunt.

Cenſor deinde affirmat errare Sigonium in hiſtoria, *quia ſolum Eſther & Machabæi ſunt Encænia*. En nova Encænia antehac inaudita, quis unquam ita loquutus eſt, vel loqui potuit, feſtum ſcilicet Eſther eſſe feſtum Encæniorum? Non minus abſurdum eſt, quod ait Sigonium cetera quæ ibi ponit, à Rabbinis mutuaſſe. Ergo Judithæ feſtum à Rabbinis petitum: an non Sigonius in eam rem ſequenti capite verba ex libro Judith, quem puto Cenſori Canonicum haberi, producit?

Tandem prorſus decretorie nullo prolato A in contrarium argumento, omnia falſa pronunciat, quæ ex Joſepho Sigonius affirmat. Hoc refutatione indignum eſt. Joſephi auctoritatem jam alias expendimus.

CENSURA XL.

> PAg. eadem. Refert Hiſtoriam filiæ Jephte ad feſtum: ſed quod dicit falſum eſt; nam lamentatio fuit, quamdiu vixerunt illæ fœminæ, quæ viderunt caſum illum inuſitatum, & novum, quem annis ſingulis filiæ Jephtæ deplorabant; quandiu aliquæ vixerunt earum, quæ præſentes in tam acerba morte fuerunt; deinde numquam amplius ulla facta eſt mentio: ſed Auctor eruit, qui non legit Hiſtoriam benè Judicum cap. 11. ubi cauſa exponitur; *exindè*, inquit, *mos increvit in* B *Iſraël, & conſuetudo ſervata eſt, ut poſt anni circuitum conveniant in unum filiæ Iſraël, & plangant filiam Jephte Galaditæ diebus quatuor*; ſed ipſe non filiæ, ſed filii dicit, & videtur velle, quod eſſet in omni Populo conſuetudo, & ut feſtus refert contra Textum Scripturæ, qui erat lamentum, & quod ad fœminas ſpectabat, ad mares refert, & deinde dicit eadem pagina, Hebræos celebrare feſtum 25. menſis Caſleu, etiam poſt inſtaurationem ignis, quem invenit Sacerdos Nehemias, quo tempore redierunt in Jeruſalem, ut eſt in Hiſtoria in ſecundo Machabæorum cap. 1. ſed hujus rei nulla unquam facta fuit mentio; ſed Encæniorum feſtum 25. menſis Caſleu propter victoriam Purificationis Templi, & Altaris, & propter victoriam Judith, ſed perdiderunt illi Hiſtoriam authenticam.

IN CENSURAM XL. RESPONSIO.

C QUam diuturno tempore mos ille plangendi quotannis filiam Jephte in Iſraële perduraverit, Sigonius non definivit. Retulit dumtaxat Scripturæ verba, in quibus illius luctus renovatio præſcripta atque ſervata verbis indefinitis aſſeritur. Quod vero adſtruit Cenſor mortem filiæ Jephte fuiſſe ſolum defletam, donec vixerunt mulieres illæ, quæ ejus interfuerunt Sacrificio, gratis excogitatum eſt, neque ſatis congruere textui videtur. Sane Sanctus Ambroſius lib. 3. de Off cap. 12. de inconſulto Jephte voto diſſerens, aperte innuit non modo mulieribus, ſed univerſo Iſraëli annuum illum luctum fuiſſe impoſitum: *qui licet*, inquit, *pio metu ac formidine acerbitatem* D *duræ ſolutionis impleverit; tamen luctum annuum etiam* POSTERIS *deplorandum ſtatuit ac dereliquit*.

Hanc autem Ceremoniam feſtum Sigonius appellavit, quod nomine *feſti* late intellexerit quamcumque ſtatutam certis anni temporibus celebritatem ſolemnitatemque, ſive ea lætitiæ foret, ſive mœroris, qua etiam de cauſa dies jejuniorum diebus feſtis accenſuit. Quod vero loco *filiæ* in textu Sigonii ſit *filii*, Amanuenſi vel Typographo condonari poteſt.

Judæos etiam in honore diem habuiſſe, quo ignis cœleſtis, quem extinctum poſt Babylonicum exilium repererunt, ſuſcitatus eſt; dum Cenſor negat, refellitur luculentis Scri- E pturæ verbis, quæ Sigonius ipſe adducit ex II. Machab. cap. pr. ubi Judæi Jeroſolymitani ita ad Ægypti Judæos ſcribunt: *neceſſarium duximus ſignificare vobis, ut & vos quoque agatis ſicut & diem Scenopegiæ, &* DIEM IGNIS, *qui datus eſt, quando Nebemias ædificato Templo, & Altari obtulit Sacrificia*. Hunc præterea diem *feſtum luminum* ab Joſepho appellari notat Sigonius.

CENSURA XLI.

> PAg. 159. Hiſtoria Eſter habetur plenè, & ideò celebrant Judæi, ut Paſcha Azymorum, & talis Hiſtoria, quæ ab Hebræis legitur illo die in Ca-

Cæremoniali, quod vocant Meghillat Eſter ſcribenda eſt, ut Pantehenelli, ſicut habent Hebræi in Synagoga multis circumſtantiis, & clauſulis, in qua re ſequitur modernos Rabbinos.

IN CENSURAM XLI. RESPONSIO.

NUllus hic Rabbinis locus. Quidquid de Eſther narrat, ex libro Canonico ejus nominis, & ſecundo Machabæorum verbatim refert.

CENSURA XLII.

PAg. 160. Quod citat Joſephum de victoria contra Nicanorem falſum eſt. Quod feſtum dictum Phurim, quod propter ereptionem Populi ex perſequutione Haman, ut eſt in Hiſtoria Eſter, quæ fit 14. Adat, non fit niſi ob evitatum periculum illud, non propter victoriam Nicanoris. Jejunium verò quod fit 3. Tiſri, non eſt feſtum, ſed lamentum propter mortem Ducis Godoliæ, ut eſt 4. Regum cap. 25., & etiam hodie id ſervatur; ſed hic Auctor errat in re, in modo, in Hiſtoria, quia non ſequitur ſacram Scripturam, aut non voluit intelligere.

IN CENSURAM XLII. RESPONSIO.

PErvicaciter in animo Cenſor ſibi propoſuit id omne falſum dicere, quod Sigonius refert ex Joſepho; ſed Cenſor non affirmare tantum, verum etiam probare hoc debuiſſet, ut illi fides adhiberetur. Fallitur deinde dum putat à Sigonio dictum, feſtum Sortium inſtitutum fuiſſe propter victoriam contra Nicanorem. Diſerte Sigonius hoc feſtum retulit ad Eſther; verum quia eamdem feſtivitatem *Mardochæum* dictam fuiſſe ex libro II. Machabæorum obſervavit, ideo ex hac libri II Machabæorum citatione Cenſor putavit Sigonium ad victoriam de Nicanore, cujus annua ſolemnitas in eodem verſiculo ſtabilitur, feſtum Phurim retuliſſe.

Jejunii vero dies inter feſta recenſet, quia *feſtum* late Sigonius accepit, ut jam obſervavi. Neque id prorſus arbitrario uſurpat Sigonius. Targum Jeroſolymitanum ad verſ. 32. cap. 23 Levit. ita redditur: *Celebrabitis* JEJUNIA VESTRA *ac lætitias veſtras in* FESTIS *à veſpera uſque ad veſperam*. An non paſſim *Expiationis feſtum* dicitur apud Hebræos? Dies tamen Expiationi ſacra, lamenti, jejunii, afflictionis, ac pœnitentiæ dies erat.

Reliqua Cenſoris in Sigonium nimis illiberaliter dicta ex ſe ſe refelluntur.

CENSURA XLIII.

A pag. 161. uſque ad pag. 168. omnia errata, quia à falſis principiis promanant, quia vult inſtituere Calen Hebraicum, ut apud Latinos eſt, ſed ignoravit rationem omnino.

IN CENSURAM XLIII. RESPONSIO.

SI dignatus fuiſſet Cenſor indicare falſa principia, quibus Sigonius in texendo Hebræorum Kalendario innititur, Sigonium erraſſe, vel ſecus, affirmare poſſemus. Verum quoniam Cenſor nullo prolato falſitatis argumento in omnibus Sigonium erroris arguit, brevi nos reſpondemus, Sigonium hac in re nihil omnino peccaſſe. Quod ait, Sigonium inſtituere Kalendarium, ut apud latinos eſt non confutatione; quis enim non videat latinorum Kalendarium toto oſtio diſtare ab eo quod hic Sigonius digerit? Ita loquendi cauſam puto Cenſorem arripuiſſe, quod Sigonius dixerit diſpoſitionem menſium & dierum appellari à latinis *Kalendarium*. Sane vox latinorum eſt, verum res voci ſubjecta eſt Hebræorum.

CENSURA XLIV.

PAg. 182. Ut Cicero libros de Natura Deorum compoſuit: Ita hic ex rebus ſacræ Scripturæ, quæ myſteria ubique habet, quibus figurabatur venturus Meſſias, quæ omnia in Chriſto Jeſu Redemptore noſtro expreſſa ſunt: ſed non poteſt hoc efficere humanioribus litteris eruditus, quin incidat in graves errores, aut tacitè ob calliditatem aliquam, aut aperte ob ignorantiam earum rerum, in quibus ipſe verſatus non fuit. Experiri enim debuerat, quid ferre valerent humeri, quidve recuſarent, antequam hoc onus ſuſcepiſſet.

IN CENSURAM XLIV. RESPONSIO.

SIgonium ignorantiæ vel calliditatis inſimulat, ſed neutrum de more probat. Futilis eſt tota hæc Cenſura, ex odio in bonas litteras derivata, quaſi hæ nullo adjumento ad ſacræ Scripturæ intelligentiam forent, & non niſi errandi occaſionem præberent. Vetus Barbarorum, nulliuſque frugis Hominum cantilena, quæ in doctos viros non ſemel inſanas tragœdias concitavit. Salmero Prolegom. XVII. hanc propoſitionem, quæ jugulum Cenſoris petit, adſtruit ac pluribus probat: „ Ad ſacram Scripturam rectius & plenius intelligendam illuſtrandamque, atque ad aliis „ eam cum fructu proponendam & explicandam atque à contradicentibus propugnandam HUMANÆ DISCIPLINÆ VALENT PLURIMUM, ORNAMENTUMQUE MAXIMUM ECCLESIÆ DEI „ PRÆSTANT, ſi ut par eſt bene quis ejus „ utatur.

CENSURA XLV.

PAg. 193. Refero me ad jam dicta.

IN CENSURAM XLV. RESPONSIO.

SIngulis à Cenſore dictis jam ſatis eſt factum. Puto hic Sigonium notari, quod Philonis utatur auctoritate, eumque appellet virum inter Hebræos & Græcos eruditiſſimum. Remitto Cenſorem ad Reſponſ. in Cenſuram primam.

CENSURA XLVI.

PAg. 188 Dicit quod ex ſacrificiis, quæ Pacifica dicuntur, ſolum pars quædam comburitur. Reliqua omnia erant ſacerdotum, quod eſt falſum, quia ſolum ſacrificium pro peccato ſacerdotum, quod reliquum erat. At ſacrificium Pacificum, aut erat gratiarum actionum, aut erat ſpontaneæ voluntatis; & pinguia, & adeps bene lavabatur, & comburebatur: ſanguis etiam ſuper aſpergebatur ad latera Altaris; quod ſupererat ad ſacrificantes ſpectabat, quædam dabant ipſis ſacerdotibus, & impertiebantur ex his, quæ Deo offerebantur, ut eſt aperte in Levitico cap. 3. & quod daretur ſacerdotibus in Deut. cap. 18., & in primo Regum in principio cap. 2. videre eſt, quid facerent filii Eli, qui ſervis imperabant, ut arriperent, quæ ipſi venderent, quo loco copioſe omnia reſcribuntur, & quæ facerent, & reſponderent ſacrificantes, & pueri miſſi, & quæ minitabantur; ex quibus colligitur clarè, quod ubi ſacrificium oblatum fuerat, & ita ad Altare datum quod conveniebat, conceſſa debita ſacerdoti portione, reliquum, quicquid ſupererat, ut ſacrificantes comederent permiſſum fuiſſe, atque omnes Doctores communiter ſentiunt, quia ita præſcribit lex. Auctor ut litteris humanioribus imbutus, ſcribit quæ ita aſſequi potuit, ſi ut Theologus

gus ſcribit, quod Jure ſuo, aut divino, aut poſitivo, aut hoc comprobare poſſet ſententiis Doctorum, & Sanctorum interpretum, non Philonis, & paulò infra, cum ageret de Pacificis, dicit veritatem requirere authoritatem Scripturæ ſacræ ex Levitico, ſed hic non meminit erroris ſuperius poſiti à ſe de Pacificis, cum tamen ipſe dicat ſibi propoſitum eſſe inveſtigare legem, ſed non deſcribere; & tamen contrarium penitus effecit: nam deme ex ejus hoc libello ea, quæ ex ſacra Scriptura interponit, non reduces librum ad decimam partem.

IN CENSURAM XLVI. RESPONSIO.

SIgonius de Pacificis datâ operâ diſſerens pag. 194. A. & ſeq. luculenter affirmat, partem tantum victimæ Sacerdotibus ceſſiſſe; remque totam prolixis, atque appoſitis Scripturæ teſtimoniis confirmat. Quare loco à Cenſore notato vel mendum irrepſiſſe dicendum eſt, vel ipſum Sigonium inadvertenter ſcripſiſſe *pro pacificis*, cum debuiſſet *pro expiatoriis*, vel *pro peccato* ſcribere, in quibus quidquid combuſtioni ſupererat, Sacerdotibus cedebat.

Cenſor vero non ex hoc loco, in quo per tranſennam de Pacificis mentio eſt, Sigonii mentem colligere debebat, ſed ex capite V. libri quarti, ubi ex profeſſo de Pacificorum natura pertractat. Sane eo loci, quem ſibi vexandum Cenſor arripuit ad Sigonii propoſitum perinde erat, ſive pars tota victimæ ſuperſtes Sacerdoti maneret, ſive tantum portio aliqua: nam iccirco mentionem Pacificorum injecit, ut eorum ab holocauſtis diſcrimen hac parte oſtenderet, quod in his tota victima Deo combureretur, in illis non item. Cetera Cenſoris ad rem non ſunt. Quod habet ad calcem, dignum eſt ſibillo excipi. Omnibus ferme Cenſuris Sigonium reprehenderat, quod Sacra Scriptura non uteretur; in hac vero ait, ſi loca Sacræ Scripturæ à Sigonio interpoſita demerentur, librum non iri reductum ad decimam partem.

CENSURA XLVII.

PAg. 197. Ubi interponit verba ſacræ Scripturæ, deinde ut illa comprobet citat Philonem, & Joſephum, quaſi eorum authoritas gravior ſit ſacra Scriptura, & ſanctis Doctoribus, & Eccleſia Catholica.

IN CENSURAM XLVII. RESPONSIO.

JOſephum & Philonem adduxit, non ut Scripturæ præponeret, ſed majoris claritatis gratia, eorumque explicandorum, in quibus Philo & Joſephus exercitati, ac peritiſſimi erant. Sic enim inquit: *De Sacrificio autem bujuſmodi* (pro delictis), *ſic ſcriptum eſt apud Philonem*, QUOD EI LUCEM AFFERRE ALIQUAM POSSIT. Et infra: *Nunc vero ut res omnium obſcuriſſima magis aperiatur, de iiſdem* (Sacrificiis) *iterum ſimul agemus: ac primum diviſionem eorum ex Joſepho afferemus*, EX QUA CLARE *item differentia, quæ inter illa intercedebat, extabit*.

CENSURA XLVIII.

PAg. 201. Citat Philonem, quaſi authoritate ſacræ Scripturæ res hæ apertius non comprobentur.

A

IN CENSURAM XLVIII. RESPONSIO.

DE hac re ſatis ſuperiori Cenſura, & alibi.

CENSURA XLIX.

PAg. 248. Utitur propria Scripturæ tranſlatione ex Græco, quia allegatio, inquit, *ex parte clarior eſt* noſtra vulgata, quod abſurdum eſt.

IN CENSURAM XLIX. RESPONSIO.

REs facti eſt. Sufficit textus adinvicem conferre, ut appareat quæ in ea re ſit

B clarior. Non video qui abſurdum ſit aliquem textum eſſe in Vulgata obſcuriorem, quam ſit in Editione τῶν LXX.? An non Catholici adverſus Sectarios probant Scripturam eſſe in aliquibus ſui partibus maxima involutam obſcuritate? Obſcuritas itaque nullum Vulgatæ præjudicium afferre poterit, ſtabitque ejus auctoritas, etiamſi in Editione τῶν O clariora aliquot loca occurrant.

CENSURA L.

PAg. 249. Citat ſæpius Joſephum.

IN CENSURAM L. RESPONSIO.

C

JAm alias exploſa eſt.

CENSURA LI.

PAg. 258. Cum de Chriſto loquatur circa jejunium dicit, quod, *& ipſe more Moyſis, & Elia jejunavit*, quaſi eſſet legi ſubjectus hic in re, qui legis Auctor erat: non enim Chriſtus jejunavit quia Moyſes, & Elias primum jejunaverant, ſed ut inſtitueret jejunium de Jure Divino, quod uſque ad tempus illud erat de conſuetudine, & ſolum jejunium menſis decimi, & ſeptimi erat de Jure Divino, ſi jejunium erat: ſed Chriſtus legis Author, & Dominus voluit, ut homo jejunaret, ut legem inſtitueret, ut Deus.

Immo nec Diſcipuli Chriſti more veterum je-

D junaverunt, ut Marcus in ſecundo: docuit Chriſtus his verbis: *non poſſunt filii nuptiarum, quandiu eſt ſponſus jejunare*; ubi Victor Antiochenus ait: *non quod legis neceſſitate in veteribus riti ut ad hoc inſiſtendum ſit; ſed quod hoc medium veluti ſolutare, & oportunum ad virtutis perfectionisque ſtudium ſuo poſtea tempore adhibituri ſunt*.

IN CENSURAM LI. RESPONSIO.

CEnſor ubique totus eſt in cavillis. Verba Sigonii non niſi per vim & violenter poſſunt ad ſenſum contorqueri, quem illis affricat Cenſor. Ait Sigonius, jejunium à Chriſto approbatum, liquere ex eo, *quod & ipſe more Moyſis, & Eliæ jejunavit*. Quis ex hu-

E juſmodi verbis in animum ſibi inducat, id feciſſe Chriſtum, quod legi ſubjectus eſſet? Ubinam loci lex vetus diuturnum adeo jejunium, præcipiebat? Moyſes & Elias non jejunarunt quadraginta diebus, quod lege ab hujuſmodi jejunium compellerentur: quare quum Moſem & Eliam hac in re Chriſtus imitatus dicitur, nulla poteſt ratione conſequi, neque ullo modo ſuſpicari, Chriſtum fuiſſe legi ſubjectum. Divus Auguſtinus Tract. 17. in Johan. inquit: *Nam & Moyſes quadraginta diebus jejunavit, & Elias totidem: & ipſe Dominus noſter, & Salvator Jeſus Chriſtus* HUNC JEJUNII NUMERUM IMPLEVIT. En quo modo more

Moyſis & Eliæ Chriſtus jejunaverit?

Quod Cenſor adjicit, Chriſti diſcipulos veterum more non jejunaſſe, ſi id intelligat relate ad jejunia Phariſæorum, verum eſt, atque hoc etiam Sigonius innuit; ſi vero contendat non ſervaſſe jejunium, neque diebus in lege præſcriptis, vereor ne faciat Apoſtolos nimis immaturè à lege ſolutos.

CENSURA LII.

PAg. 261. Jam notata hæc ſuperius fuerunt.

IN CENSURAM LII. RESPONSIO.

JOſephi teſtimonio in eamdem rem utitur etiam D. Hieronymus, ut Sigonius ipſe advertit; quod Cenſori ſatis eſſe debuiſſet, ne noſtrum reprehenderet.

CENSURA LIII.

PAg. 270. Cum loquitur de conſecratione ſummi Sacerdotis dicit, *qui futurus erat Sacerdos*, auctoritate hac ejus verba videntur indicare quod illæ ceremoniæ, quæ in Aaron fuerunt adhibitæ, ſint etiam adhibendæ cuicunque futuro Sacerdoti, quod ſi ita ſentit, non benè ſentire videtur, cùm illæ ceremoniæ adhibitæ in Aaron, & filiis ejus jam natis Nadab, Abiu, Eleazar, Itamar in perpetuum durabant in reliquis ſucceſſoribus, quoniam Sacerdotium in Aaron, & poſteris ejus conſiſtebat, ut Levitici cap. 6. 7., & 8. dicitur: *Hæc eſt unctio Aaron, & filiorum ejus in cæremoniis Domini in die, quo obtulit eos Moyſes, ut Sacerdotio fungerentur, & quæ præcepit eis dare Dominus à filiis Iſraël religione perpetua in generationibus ſuis*: & in Exod. cap. 28 *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis de medio filiorum Iſraël, ut Sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nadab, Abiu, & Eleazar, Itamar.*

Itaque hæc prima conſecratio ſatis erat in omne tempus, atque ita non conſtat unquam deinceps adhibitas fuiſſe ſimiles cœremonias, ut quando Rex ungebatur, illa unctio cæteris ſufficiens erat, niſi quando aliquis filius Regis patebatur repulſam aliquam ab aliquo ſuo fratre, quia tunc ungebatur, ut Salomon, quia illi ſe opponebat Adonias, & ita conſtat, non amplius alicui Sacerdoti adhibitas fuiſſe cæremonias, & unctiones. Sacerdos verò olim ſolum in fronte ungebatur, & ſignum fiebat ut X. Græcum; Rex verò, per circulum circa caput ungebatur.

IN CENSURAM LIII. RESPONSIO.

EUſeb. lib. 4. demonſtrat. Evangel. cap. 15. Chryſoſt. orat. 2. contra Judæos, Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi Myſtag. 3. Athanaſ. lib. 1 de Humanit. Verbi, & orat. 2. in Arianos, Tertullianus contra Judæos, aliique veteres Eccleſiæ Patres unanimi conſenſu affirmant Sacerdotum Regumque unctionem apud Judæos uſque ad Meſſiæ adventum perduraſſe. Et D. Auguſtinus in Pſalm. 44. obſervat, Chriſtum Dominum hac etiam de cauſa inter Judæos naſci voluiſſe, quod apud illos conſuetudo obtineret Sacerdotes & Reges ungendi; quibus ritum adeo ſpecialem minimeque apud reliquas gentes receptum indulſerit Deus, ut unctio Chriſti, qui UNCTUS per antonomaſiam dicitur, adumbraretur. Quare quæ hic Cenſor adducit, ſibi retineat. Contentus eſt Sigonius tot Eccleſiæ Patres ſibi conſentientes habere. D. Thomas nulla temporis adjecta nota, quemadmodum & Sigonius facit, ita hæc de re docet pr. 2. quæſt. 102. art. 5. ad 8. & 9. *In inſtitutione Miniſtrorum tria fiebant: primo enim purificabantur: ſecundo ordinabantur & conſecrabantur: tertio applicabantur ad uſum miniſterii .... Conſecratio vero circa Pontifices & Sacerdotes hoc ordine fiebat .... Specialiter autem Pontifex oleo unctionis in capite ungebatur .... Minorum vero Sacerdotum ſolæ manus conſecrabantur, quæ erant applicandæ ad Sacrificia.*

CENSURA LIV.

PAg. 273. Videtur velle confirmare veritatem ſacræ Scripturæ verbis Philonis.

IN CENSURAM LIV. RESPONSIO.

ILluſtrare voluit Sigonius Philonis verbis ea, quæ ex Sacra Scriptura retulerat: *Hæc vero*, inquit pag. 273. A. his verbis, *declaravit Philo lib. 3. de vita Moſis*; ſed eſt tempore abuti, hujuſmodi Cenſuras refellere.

CENSURA LV.

PAg. 275. Idem efficit verbis Joſeph, & pag. 276. *utriuſque ſententia* poſteaquam citavit ſententiam Divi Pauli ad Hebræos cap. 9.

IN CENSURAM LV. RESPONSIO.

JAm millies ad has ineptias reſponſum.

CENSURA LVI.

PAg 276. Interponit interpretationem Sancti Auguſtini, qui dicit, quod quotidie intrabat Summus Pontifex ad offerendum incenſum in Sancta Sanctorum, ſed ſemel in anno propter expiationem adhibito Sanguine purificationis; & quod ſemel in anno ingrediebatur veſtibus Pontificalibus indutus cum Sanguine purificationis, quod indicabat Criſtum Redemptorem noſtrum, qui ſuo Sanguine purgavit, & emundavit, & fecit perfectam expiationem, ut rectè dicit Sanctus Paulus ad Hebræos 9. ſed hic Auctor non intelligit verba Sancti Auguſtini eſſe plena Myſteriis, dicta nihil efficere, nihil indicare.

Ecumenius in Paul. ad Hebr. 9. cùm locum Exod. 30. non exactè ponderaſſet, affirmat, Aaron ſingulis diebus bis ad adolendum incenſum in Sancta Sanctorum ingredi ſolitum; ſed ex ſacræ Scripturæ, & exemplaribus Hebræis, & noſtræ Vulgatæ Editioni contraria eſt; ita enim habet: *Ponesque Altare contra velum, quod ante arcam pendet Teſtimonii coram propitiatorio, quo tegitur Teſtimonium, ubi loquor tibi, & adolebit incenſum ſuper eo Aaron ſuave fragrans mane, quando componet lucernas incendet illud, & quando collocat eas ad veſperam uret Timiama.* Quem locum ſi perpendiſſet Sigonius, numquam talem ſententiam protuliſſet, cum Altare, quo incenſum accendebatur, non eſſet intra Sancta Sanctorum, ſed poſtea fortaſſe, ut ait Iſidorus Clarus, temporum perturbatione in ſecundi Templi tempore in Sancto Sanctorum Altare aureum incenſi extitit.

IN CENSURAM LVI. RESPONSIO.

SIgonius hic loci refert dumtaxat Auguſtini ſententiam de ingreſſu Pontificis in Sancta Sanctorum, ſcilicet eum: *Quotidie quidem ingreſſum eſſe propter incenſum, at ſemel in anno propter Expiationem cum Sanguine Purificationis*. Huic autem D. Auguſtini opinioni etiam propriam ſubjicit: *Verum*, inquit, *poſſumus etiam dicere, eum quotidie quidem Sanctuarium eſſe ingreſſum, ſed Sacerdotum comitatu ſtipatum; ſemel autem in anno ſolum, ideſt, ſine Sacerdotibus in die Expiationum*. Quod ne gratis comminiſci videretur, hanc in medium protulit ex Levitico auctoritatem: *Nullus hominum ſit in Tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro ſe, & pro domo ſua, & pro univerſo cœtu Iſraël, donec egrediatur*. Porro ad rem propoſitam nihil re-

fere-

ferebat Auguſtini verba eſſe plena myſteriorum; ſat erat Sigonio ex Auguſtino proponere, quid ſuper ea re opinaretur Auguſtinus. Præterea nuſquam Sigonius aſſeruit, Altare, quo ſuper adolebatur incenſum, intra Sancta Sanctorum fuiſſe; id quidem Auguſtino ſupponitur, qui propterea aſſumit, quotidie Summum Sacerdotem propter incenſum in Sancta Sanctorum fuiſſe ingreſſum: quare Cenſor hac parte non Sigonium, ſed Auguſtinum reprehendit. Quod addit de Oecumenico, nihil ad Sigonium.

CENSURA LVII.

A Pag. 278., uſque ad pag. 280. eſſet quod notaremus in genealogiis ſignatis, ſed quia parum noſtra refert, omittimus.

IN CENSURAM LVII. RESPONSIO.

SI peccatum aliquod in rexenda Summorum Reipublicæ Judaicæ Pontificum ſerie commiſiſſet Sigonius, tantique acuminis & eruditionis fuiſſet Cenſor, ut ab eo potuiſſet deprehendi, ſane Sigonio non peperciſſet, quem non ſemel etiam de verbulis notavit. Vellet liberalis videri ex ipſo tempore, quo Sigonium reprehendi poſſe affirmat. Quæ Sigonius hîc diſſerit de Pontificum ſucceſſione, hauſit è Sacris paginis, Joſepho, atque Euſebio; quibus Auctoribus nihil eſt, quod Cenſor in hiſce rebus opponat.

CENSURA LVIII.

PAg. 283. Conſiderandum eſt, quare non dicat Chriſtum Redemptorem noſtrum natum eſſe imperante Octavio, ut dicit mortuum eſſe Imperante Tiberio, ut Sanctus Lucas cap. 2. refert: *factum eſt autem in diebus illis, exiit edictum à Caſare Auguſto &c.*

IN CENSURAM LVIII. RESPONSIO.

SIgonius in primis non ait Chriſtum ſub Tiberio paſſum, ſed ſub Joſepho Caipha, qui fuit factus Sacerdos, adhuc imperante Tiberio. En verba Sigonii pag. 283. A. *Joſephus Caiphas Annæ Pontificis gener à Valerio Grato Procuratore datus, adhuc imperante Tiberio. Joſeph lib. 18. Evangeliſtæ omnes. Actuum 4.* SUB HOC CHRISTUS EST PASSUS. Tò *ſub hoc* non Tiberium, ſed Joſephum Caipham appellat. Sic etiam ſupra pag 282. B. poſtquam Pontificem Joazarum recenſuiſſet, addit: *Sub hoc naſcitur Jeſus Chriſtus.* Sigonius itaque neque mortuum ſub Tiberio Chriſtum, neque natum aſſeruit ſub Auguſto. Verum quamvis mortuum ſub Tiberio dixiſſet, potuiſſet impune omittere natum ſub Octavio; nam eo loci nativitatem & mortem Chriſti Sigonius adjecit, non ut oſtenderet ſub quibus Imperatoribus, ſed ſub quibus Pontificibus eveniſſent.

CENSURA LIX.

PAg. 284 Refert Sanctum Auguſtinum dixiſſe eodem anno ſummos Sacerdotes fuiſſe Annam, & Caipham. Auctor ait *illum ſine authoritate loquutum*. Ita etiam alibi de Sancto Chryſoſtomo ſola conjectura fulcitum nullam rationem adduxiſſe immodeſte ſatis retulit: cùm Sanctiſſimi Doctores Spiritu Divino illuſtrati veriſſime, & ſapientiſſime loquantur: ſed ille non penetrat, quanto in honore habendi ſint Sancti, quia hæc in ſcholis humanioribus non tractantur, quod maximè mirandum eſt, cùm in ea re Doctorem Eccleſiæ reprehendere audeat, quæ ex Evangelio apertè, & palàm colligitur; eodem videlicet anno ambo Sacerdotio ſummo functos fuiſſe, ut docuit Sanctus Lucas in principio Evangelii: *ſub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha factum eſt verbum Domini ſuper Joannem.* Hic verò Auctor Auguſtini authoritatem Joſephi Teſtimonio infirmat, quaſi hic Sanctiſſimi Patris ſententia multis partibus gravius fuiſſet.

Præterea cum Sanctus Lucas velit tractare de Nativitate Sancti Joannis Baptiſtæ, narret genealogiam Zachariæ, & Eliſabeth, qui erant ex linea Sacerdotali vera, & non ex iis, qui pecuniis illam dignitatem emerant. Unde quia multi ſeſe parabant, ut Sacrificia Deo offerrent una cùm ſummo Sacerdote, contigit tunc Zachariæ Incenſum Domino offerre. Quia vero Caiphas non erat ex legitima linea, non dicitur cujus filius eſſet; & tamen Sanctus Joannes Cap. XI. dixit ob dignitatem Pontificiam, *quia erat Pontifex anni illius*, Caipham prophetaſſe, & apud Matthæum cap. 23. dixit Chriſtus: *ſuper Cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi &c.* Tametſi dignitas bona, & ſancta erat, miniſtri tamen erant indigni: ex quo patet Sanctum Auguſtinum optimè dixiſſe, & ejus authoritatem veram eſſe, quia illo anno uterque adminiſtrabat ſummum Sacerdotium, etiam ſi alter erat major: ut eſt apud Talmuditas in Tract. Joma cap. 4. ubi dicitur, quod ſeptem dies ante expiationem, & ſummus Sacerdos, & illius ſucceſſor præparabantur ad Sacrificium, quod die ſtata adſolvendum erat ad Sancta Sanctorum, ut ſi fortaſſe die uno, antequam intraſſent, vel in eodem die, aliquid immundum incidiſſet ſummo Sacerdoti, aut aliqua pollutio; ut alter illorum ſatisfaceret, quum uterque ſummus eſſet Sacerdos, & hoc pacto ſtare poteſt, quod dicit Sanctus Auguſtinus; tametſi ſuperius dicta cum illo non facerent ut faciunt, quia ita ferebant illius temporis inſtitutiones.

Deinde etiam in eodem Tractatu cap. primo habetur, quod ſecundo Templo quatuor Sacerdotes exercuerunt ſummum Sacerdotium, à 141., uſque ad 420. annum quandiu duravit ſecundum Templum, & cur non fuerit Sacerdos, qui viveret niſi annum unum, ipſi cauſam afferunt eſſe, quod pretio mercaretur ſummum Sacerdotium, ut fecit femina quædam nomine Martha filia Maltos, quæ attulit magnam pecuniæ copiam ad Regem Tanary, ut collocaret Joſeye filium Gamla inter ſummos Sacerdotes: quod etiam Machabæorum tempore fiebat; & hoc modo fieri poterat, ut eſſet Cayphas, & Annas, quoniam Cayphas poterat eſſe hæres illorum, qui ſummum Sacerdotium emerunt, & ideo non nominatur in Genealogia Sancti Joannis Baptiſtæ, etiam ſi alibi, & ſummus Sacerdos dicatur. Quocumque ergo modo, vera eſt ſententia Sancti Auguſtini, Auctoris vana, & falſa, quamquam innitatur Joſepho, qui pariter cum illo in hunc errorem inductus eſt, ſed cautius, & modeſtius loqui debet de Sanctis Patribus, & Doctoribus Sanctæ Eccleſiæ, à quibus veritates petendæ ſunt, & non à Rabbinis nugacibus.

IN CENSURAM LIX. RESPONSIO.

D. Auguſtinum ſine auctoritate ea in re loquutum, res facti eſt, quam ipſemet Auguſtinus inſinuat, dum nullum producit pro ſua aſſertione teſtimonium.

Sigonii vero opinio multa nititur probabilitate, ipſique mirum in modum Joſephi favet auctoritas.

Cenſor, qui hic rurſus Sigonium vexat, quod ab Johannis Chryſoſtomi opinione receſſerit in explicatione Sabbathi Deutero proti, non amplius meminit, ipſum quoque eidem Chryſoſtomo valedixiſſe, ut Titum Boſtrenſem, & Iſidorum Peluſiotam ſequeretur, qua de re Cenſura XXXVI. & XXXVII. monuimus. Quod affirmat de Sanctis Eccleſiæ Patribus, ipſos Spiritu Divino illuſtratos veriſſime & ſapientiſſime loquutos eſſe, ſi de ſingulis eorum operibus aſſerat, moderandum eſt. Quoties Patres in eis, quæ Fidem moreſque non tangunt, adinvicem diſcrepant? Agnovit Sigo-

Sigonius, qui honor Eccleſiæ Doctoribus debeatur, quod ignoravit Cenſor, quum eos Sacris Auctoribus pares faciat.

Atque ut redeam ad Auguſtinum, ſi, quod aſſerit de Anna & Caipha, palam ex Luca vel Joanne colligeretur, non amplius ea de re controverſia & quæſtio inter Doctores agitaretur. Nullus autem video, quî injuria Auguſtino irrogetur, ſi Joſephum, iis temporibus proximum, atque in hoc rerum genere peritiſſimum Auguſtino eidem præponamus? Id vero mihi riſum movit, quod, poſtquam Cenſor, ut Auguſtini opinionem tueretur, totus in Talmude fuiſſet, ſerio moneat, cautius & modeſtius loquendum eſſe de Sanctis Patribus & Doctoribus Eccleſiæ, à quibus veritates petendæ ſunt, & NON A RABBINIS NUGACIBUS; quaſi nugarum pleni non eſſent Talmudici libri, aut nugax auctor eſſet Joſephus: vel tandem Sigonius minus cautè, minuſque modeſte de Sanctis Patribus eſſet loquutus. Quæ tandem ex Talmudiſtis, aut aliunde infarcit, vel ad rem non pertinent, vel abunde Joſephi teſtimonio refelluntur.

CENSURA LX.

PAg. 287. Dixit quod omnes Sacerdotes poſt Aaron conſecrarentur eodem modo, ac Aaron, & filii ejus per ſeptem dies, ſed errat ut diximus.

IN CENSURAM LX. RESPONSIO.

VIdeatur Reſponſio ad Cenſuram LIII.

CENSURA LXI.

PAg. 288. Et ut ex Levit. cap. 8. 9.

IN CENSURAM LXI. RESPONSIO.

SUperius notaverat Cenſor, hunc Sigonii librum penè totum ex Sacra Scriptura contextum, nunc vero monet, quod prætermiſerit adducere 8. & 9. Levit. caput. Inutile monitum. Caput octavum jam retulerat pag. 271. B. & ſeq. Caput vero nonum ad rem non erat: neque enim hic agit Sigonius de conſecrationis ritu, ſed de Sacerdotum jam conſecratorum converſatione, quæ non cap. 9. ſed decimo præſcribitur.

CENSURA LXII.

PAg. 293. Citat 3. Eſdræ cap. 1, qui liber non eſt approbatus.

IN CENSURAM LXII. RESPONSIO.

NUmquam tertium Eſdræ Canonicum dixit, aut cenſuit Sigonius. Eo tamen citra errorem uti potuit, quum etiam à Sanctis Patribus uſurpetur, ut alias demonſtravi.

CENSURA LXIII.

PAg 318 Cum recenſeat omnes Prophetas, graviter errat, dum quoſdam prætermittit, quoſdam non Prophetas in Prophetis ponit, & hic magnus eſt error; præſertim cum informet inſtituatque Hebræorum Rempublicam. In primis non meminit Uriæ, de quo Iſaias cap 8. *Et adbibui mibi Teſtes fideles, Uriam Sacerdotem, & Zacbariam filium Barachiæ*; & Hieremias cap. 26. *Fuit quoque vir propbetans in nomine Domini, Urias filius Semer de Canat; & propbetavit adverſus Civitatem iſtam.*

Prætermiſit Addo in Zacharia pr. *filii Addo* A *Propbeta*, ex Paralip. 2. cap. 13. *Reliqua autem ſermonum Abia, viarumque, & operum ejus, ſcripta ſunt diligentiſſimè in lib. Addo Propbetæ.*

Omiſit Odee, qui Obed dicitur in Vulgata Paralip. 2. cap. 12. *Azaria autem filius Obed in Spiritu Dei*, & paulo inferius, *quod cum audiſſet Aſa verba ſcilicet, & Propbetiam Azariæ filii Obed Propbetæ*, & eſt regula generalis in Prophetis, quod quando dicitur talis filius talis Prophetæ, intelliguntur pater, & filius Prophetæ fuiſſe, & ita obſervarunt antiquiſſimi Rabbini; & quando illi aliquid obſervatione dignum dicunt, quod non ſit Fidei contrarium, id non debemus refutare.

Omiſit Mariam ſororem Moyſi, ut in Exod. cap 15. dicitur: *ſumpſit ergo Maria Propbetiſſa ſoror Aaron timpanum in manu ſua &c.*

Omiſit Debboram, de qua in primo Judicum cap. 4. *erat autem Debbora Propbetiſſa Uxor Lapidot &c.*

B Omiſit Holda, de qua in quarto Regum cap. 22. Paralip. cap. 34. *Itaque Elcias Sacerdos, & Alican, & Altibor, & Sapban, & Aſſariam ad Oldam Propbetidem.* Hos ſex omiſit SIGONIUS, & inter Prophetas recenſuit quoſdam, qui Prophetæ non fuerunt, ſed Cantores, ut Aſaph, Iditum, Bad, Jaziel, & qui hæc ignorat, cum docendi Provincia ipſi non incumbat, prius diſcat, quam doceat.

IN CENSURAM LXIII. RESPONSIO.

NOn omnes, ſed ferme omnes Prophetas recenſere ſe velle dixit Sigonius, & eos quidem, qui vel ſub Regibus, vel in Babylonica captivitate floruerunt. En ejus verba C pag. 323. A. *Nomina vero Propbetarum, qui ſub Regum Imperio, aut in ſervitute Babylonica floruerunt, bæc* FERME *fuere*. Si ergo Mariam ſororem Moſis omiſit, ſciat Cenſor eam longe ante Regum imperium, & Babylonicam captivitatem floruiſſe. Debboram vero non prætermiſit, quum de illa mentionem expreſſam fecerit pag. 321. A. Quod ait Cenſor Aſaph, Idithum, Bad, Jaziel male inter Prophetas collocari, quum Cantores fuerint, ex eo refellitur, quod hujuſmodi Cantores Prophetæ dicerentur & eſſent; inter canendum enim vaticinia fundebant, ut apparet in Davide, qui in ſuis quos cecinit Pſalmis, non ſemel prophetavit. Hanc itaque rem doceri D non Sigonius, ſed Cenſor indigebat.

CENSURA LXIV.

PAg. 325. Dicit quod in 2. Templo Talmudiſtæ dicant, non fuiſſe Arcam fœderis, ſed petram quandam, quæ ſolum trium digitorum altitudine diſtabat à terra. Hic Auctor non vidit Talmud., multi vero eorum, qui à Lege Moyſi ad Fidem Catholicam converſi ſunt, legerunt, & pervolutarunt ab anno 1550., uſque ad annum 1575., ſæpius, & hucuſque etiam ſæpius, quoniam ita res Congregationis poſtulabant. Neque unquam in Talmud hæc invenerunt. Neque verbum quidem: immo verò Judæi teſtantur, ut refert Iſidorus Clarus cap. 30., ex eo loco Arcam fœderis in ædificatione ſecundi Templi ſtetiſſe in Sancta Sanctorum juxta Altare aureum Incenſi; ſed hic Auctor legit Hebræum aliquem ignarum veræ Hiſtoriæ, & illa E retulit, quæ indoctus ille, & ſtultus forſitan ſcripſit, ut ambo in foveam caderent, & jam hunc errorem tetigit hic Auctor, ut poſuit in principio, ut hinc facilè redargui poſſit; nam aliqui Hebræi novi Talmudiſtæ ne concedant Arcam fœderis deductam fuiſſe ad triumphum Titi, illa finxerunt. Sed negari non poteſt, quin Arca, quam Moyſes ædificavit in Deſerto, reperiretur. Quoniam Cyrus Rex Perſarum reſtituit omnia vaſa, & reliquias, quas Nabucodonoſor aſportaverat ex Jeruſalem in Babylonem, ut patet libro primo Eſdræ, & Nehemiæ, & 4. Regum ultimo, & Hieremiæ ultimo dicitur, omnia deducta fuiſſe, & collocata in Theſauris Regis apud Babilonem, & omnia reſtituta fuiſſe Eſdræ, & Neemiæ, & etiam liber legis, qui in Arca continebatur, reſtitutus fuit. Eum verò in Arca fuiſſe Deut. cap. 31., dicitur

poſt-

poſtquam ergo ſcripſit Moyſes, & legitur deinde etiam Eſdræ II. cap. 8., *& venerat menſis ſeptimus, filii autem Iſrael &c.* Itaque liber fuit reſtitutus, & Arca, nec abſcondi potuit Arca, quin abſconderetur liber. Deinde ſi in libro Machabæorum ſit mentio ignis abſconditi in Puteo per revelationem Neemiæ, qui fuit nepos illius, qui abſcondit, non ne fieret etiam Arcæ mentio, ſi abſcondita ab aliquibus fuiſſet ut reperiri poſſet, poſtquam redierunt ex captivitate, poſt ſeptuaginta annos, id enim ſciebant ex ore Hieremiæ cap. 25, *& ſervient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis ſeptuaginta annos*. Si ergo fuit ignis memoria, tanto plus Arcæ eſſet; deinde quo pacto hoc latuit Hieremiam ſi lib. 2. Machabæorum cap. 2. ipſe libros deduxit, quos portare non poterat, niſi multis adjuvantibus, & ſi quæ ſcripſerunt Hieroſolymitani in Ægyptum, cauſa fuit, ut occultata iſthæc eſſent, quæ tamen ipſi occultata eſſe volebant uſque ad ſeptuaginta annos expletos. Poſt quod ſpatium Deus volebat Populum reſtituere. Itaque ſi abſcondita fuit, fuit etiam conſervata Divina permiſſione in Theſauris Regis Nabucdonoſor, una cum ceteris vaſis Templi; & Cyrus, & Darius conſtituerunt, ut omnia reſtituerentur, una etiam Arca reſtituta fuit: hoc comprobat liber legis, quem legit Eſdra ut ſupra, quia poſitus erat in latere Arcæ fœderis, ſi fuit abſcondita, qui ſciebat revelavit, ſi verò non ſit mentio, ut ignis non requirebatur, ut de ea fieret, de igne verò requirebatur, ut pateret miraculum, quod ignis verſus eſſet in aquam craſſam, & deinde ad ſolis lumen ignis efulſerit, ut 2. Machab. cap. 1 conſtat.

Præterea ex cap. 2. lib. 2. Machab. apertè conſtat à Hieremia Arcam, & Altare incenſi in ſpeluncam illatam fuiſſe, & oſtium obturatum, & acceſſerunt quidam ſimul qui ſequebantur, ut notarent ſibi locum, & non potuerunt invenire; ut autem cognovit Hieremias, ait Scriptura, culpans illos dixit: *Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem Populi, & propitius fiat, & tunc Dominus oſtendet hæc, & apparebit Majeſtas Domini*; & paulò poſt: *Deus autem qui liberavit Populum ſuum, & reddidit hæreditatem omnibus, & Regnum, & Sacerdotium*, ergo cum tempore Eſdræ fuerit Populus congregatus, locus ubi latebat Arca (juxta Prophetæ Hieremiæ ſermonem) apertus fuit, & manifeſtatus, & per conſequens Arca ipſa inde extracta, & in locum ſuum collocata.

Ex iis conſtat falſum eſſe illud, quod de petra dixit; nam fortaſſe aſſeruit, ut cum Judæis Chriſti miracula tolleret. Illi enim tractant de hac petra ſolum ut Chriſto contradicant, cum in illa petra, ſcripta fuiſſe nomina mentiantur, quorum vi, non ſua, Chriſtus miracula faciebat, ut copioſè tractat lib. pr. contra Hebræos cap. 14. Victorius Porchetus, ubi dicit, quod antiquitus hoc continebatur in Talmud., ſed non eſt hodie. Judæi vix natos filios hac imbuunt doctrina, ut Chriſto contradicant.

IN CENSURAM LXIV. RESPONSIO.

QUanto conatu magnas nugas agat in hac Cenſurâ Criticus noſter, quantâque immodeſtiâ in Sigonium laboret, nemo eſt qui non videat. Primò decretorie affirmat Talmudicos libros minime à Sigonio lectos; deinde ex Hebræis recens ad fidem converſis negat in Talmude reperiri, quod ex Talmudicis Sigonius refert: quibus Cenſor aperte fatetur ſe quidem Talmudiſtas non legiſſe. Arcam in ſecundo Templo deſideratam fuiſſe teſtantur Gemarra Jeroſolymitana, & Babylonica Rabbi Kimchi in Pſal. 85. Joſephus Ben Gorionis lib. pr. cap. 17. atque uno verbo veteres omnes Talmudici, ut ex Porcheto ipſe Cenſor refert, & Petrus Galatinus opere alias laudato lib. 4. cap. 17. & 19. Arcam in ſecundo Templo defuiſſe ex Rabbinis veteribus probat, & recentiores refellit. Extat igitur apud Talmudiſtas, quod ex iiſdem Sigonius aſſeruit. Judæis hac in re Sanctorum Patrum traditio conſentit, quam miror Cenſorem adeo in Sanctos Patres religioſum nunc flocci feciſſe. Argumenta, quæ Cenſor producit, ut Arcam ſecundo Templo reſtituat, nullius ſane ſunt roboris, & ab auctoribus, qui aliter ſentiunt, jam ſunt ſatis ſuperque diluta. Illud minime Cenſori condonandum, quod prorſus inverecunde Sigonium inſimulet, voluiſſe cum Judæis Chriſti miracula tollere. Apage putidam & inſanam calumniam! An non omnes ferme Patres, & Interpretes id ipſum adſtruunt, quod Sigonius?

CENSURA LXV.

PAg. 328. Citat quædam ex 3. Reg. cap. 13., ſed neque in Vulgata ita ſunt, quæ dicit, neque verba Regi Hieroboam conveniunt, ſed ad quemdam Prophetam ſpectant, quod ipſe inter errata retulit.

IN CENSURAM LXV. RESPONSIO.

QUæ ex tertio Regum 13. protulit Sigonius, ſunt juxta Vulgatam, & leguntur v. 17. & 18. De Hieroboamo vero nihil ne per ſomnium quidem hic habet Sigonius.

CENSURA LXVI.

PAg. 331. Citat Joſephum, & Philonem.

IN CENSURAM LXVI. RESPONSIO.

USque ad faſtidium huic Cenſuræ jam reſponſum eſt.

CENSURA LXVII.

PAg. 332. Citat 3. Eſdræ, & Evangelium Sancti Lucæ cap. 10., ſed verba immutat, quod non licet nobis Chriſtianis nullo modo, ſed prout ibi eſt, & deinde comprobat rem Philonis ſententia.

IN CENSURAM LXVII. RESPONSIO.

TErtium Eſdræ adducit Sigonius, ut probet Scribas, *Lectores* potius quam *Scribas* eſſe appellandos; Eſdras enim ibi dicitur ἀναγνώστης τοῦ νόμου. Vox autem *anagnoſtes* proprie Lectorem exprimit, non Scribam. In verbis vero Lucæ mutatio nihil eſt. Tandem egregie facit, ſi Philonis auctoritate rem ſibi aſſertam comprobat.

CENSURA LXVIII.

PAg. 334. Citat 3. Eſdræ cap. 9., qui non eſt approbatus, cum poſſet ſuam ſententiam confirmare ex II. Eſdræ cap. 8., qui liber eſt Canonicus; & citat Evangelium, ſed non ut apud Evangeliſtas eſt, ſed immutat ſuo modo, ut illis ita attribuat quod vult.

IN CENSURAM LXVIII. RESPONSIO.

NOn eſt grande peccatum, nec Cenſurâ dignum, ſi omiſſo teſtimonio Canonico, aliud illi conforme producatur. Hoc paſſim plerique faciunt. Ceterum bonus Cenſor nunquam iis animum advertit, de quibus Sigonius loquatur, & quæ velit probare. Sane illum ex tertio Eſdræ locum Sigonius adhibuit, ut oſtenderet, Eſdram nuncupatum fuiſſe Lectorem Legis, & Principem Sacerdotum. Hoc, quæſo probet Cenſor ex 2. Eſdræ cap. 8.? Nullibi ſane Eſdras Lector & Princeps Sacerdotum expreſſe dicitur; quare ex loco à Cenſore

ſore indicato probare non potuiſſet, quod ex tertio evincit.

Quæ refert ex Evangeliſtis, in iiſdem ad verbum reperiuntur, ſi capitum citationes emendes in ſecundo Matthæi, & altero Marci teſtimonio; ſed hoc erratorum genus ſibi vindicant Librarii, atque Amanuenſes. Eorum tandem quæ ſub Matthæi XXII. pag. 335. B. producit, primum coma eſt S. Matthæi, alterum ex Actibus Apoſtolorum v. 34. adſutum eſt; quod ideo Sigonius adjecit, quia arbitratus eſt illum Phariſæum, cujus ſuppreſſo nomine Matthæus meminerat, fuiſſe Gamalielem. Ceterum nil Evangeliſtis affingit: iis teſtimoniis unice Sigonius contendebat adſtruere, Scribas fuiſſe legis Doctores, quod profecto adducti textus perſpicuè probant.

CENSURA LXIX.

PAg. 335. Dicit Synagogas eſſe loca, ad quæ ad audiendum verbum legis concurrebant, ſed Synagogæ ab Eſdra inſtitutæ fuerunt, ut eſſent veluti orationis loca quotidie, quia non omnes vivebant in Jeruſalem, ubi erat Templum; verum eſt quod Sabbato in Synagogis abſoluta oratione quidam legis Doctor conſiſtebat in medio in loco eminenti, ut ab omnibus audiretur, & legebat aliqua ex Pentateucho, & aliqua ex Prophetis, & more noſtrorum Concionatorum exponebat, & ut nos in Eccleſia oramus, & audimus conciones, ſic illi; quæ conſuetudo uſque in hunc diem apud Hebræos perdurat, & ſimilia loca dicuntur Synagogæ, & in illis non poſſunt tractari res profanæ, & loca, ubi lectiones leguntur, vocantur Midraſcim, ideſt ſcholæ, & ibi etiam res profanæ tractari non poſſunt.

IN CENSURAM LXIX. RESPONSIO.

SYnagogas fuiſſe inſtitutas, ut in eis Judæi orarent, aut docerent, diſerte affirmaverat Sigonius pag. 107. A. capite nimirum octavo libri ſecundi, ubi ex profeſſo ſermo inſtituitur de Synagogis. Quum vero hic mentionem fecerit Synagogarum, ut peculiare tantum Scribarum munus, quod in eis exercebant, exponeret; hoc autem eſſet docere, non orare, quod etiam cuilibet de populo commune erat, idcirco poſtremum iſtud reticuit.

CENSURA LXX.

PAg 337. Refert ex Sancto Epiphanio conditiones Phariſæorum, & collocat illos in num. hæreſeos Judæorum, ſed exploratius diſtinguere, & explicare debebat, quoniam qui ita vivebant intrinſecus, & non ut viderentur, nec per hipocriſim, non poſſunt hæretici nominari, nec tales erant, & hic Auctor errat. Verum eſt, quòd tempore Chriſti non erant quales ante fuerant, ſed erant Hipocritæ, neque habebant veram doctrinam, ſed ſequebantur traditiones eorum, qui declaraverant Præcepta Dei contra verum ſenſum, & negabant Chriſti Doctrinam.

IN CENSURAM LXX. RESPONSIO.

SIgonius loquitur in genere de Phariſæis deque tota eorum Secta, cui certe hæreſeos nomen convenit, non modo quòd homines amplecteretur, qui ſe in ratione vivendi à ceteris ſeparaverant, verum etiam quòd in Religionis dogmata peccarent, ut affirmat Joſephus à Sigonio productus.

Chriſtus ipſe Phariſæos increpat non ſemel veluti Hipocritas, legiſque corruptores, neque eo utitur diſcrimine, quod Cenſor Sigonio proponit. Chriſti itaque ſententiam ſe quutus eſt Noſter, at vero Cenſor Sigonii re-

A prehendendi cauſſa, tantum non abſolvit, quos Chriſtus damnavit. Minus etiam Cenſuræ patebat Sigonius, nam quicquid de Phariſæis dixit, ex Epiphanio & Joſepho retulit.

CENSURA LXXI.

PAg. 344. Citat Sanctum Marcum cap. 8., & ea facit Chriſtum dicentem, quæ non dicit. Nam ibi in Vulgata Editione ita eſt: *Cavete à fermento Phariſæorum, & fermento Herodis*. Ipſe verò dicit: *Cavete à fermento Phariſæorum, Sadducæorum, & Herodianorum*. Hic eſt error, quia ea Marco imponit, quæ non ſunt, & illa facit Marcum pronunciare, quæ non pronunciat: cum apud Matthæum *Sadducæorum fermentum* legatur. Paullo inferius in eadem pagina citat Sanctum Matth. non prout eſt
B in Vulgata.

IN CENSURAM LXXI. RESPONSIO.

CErtum profecto eſt ea, quæ Chriſtus dixit apud Marcum cap. 8. v. 15. eſſe illa eadem quæ apud Matth. cap. 16. v. 6. referuntur, quamquam Marcus non meminerit Sadducæorum, nec Herodianorum Matthæus: utroque enim loco de ipſa eadem re ſermo fit; & verax eſt uterque Evangeliſta. Sigonius itaque dum Marci caput octavum citans Sadducæorum nomen inſeruit, nihil Chriſto impoſuit, ſed ex Matthæo, brevitatis gratia Marcum ſupplevit. Matthæum vero ex Vulgata retulit, quamquam verſiculos aliquot omiſit,
C quod vellet ex illo Matthæi loco mores tantum, vitamque Phariſæorum demonſtrare, cui rei verſiculi prætermiſſi apti non erant.

CENSURA LXXII.

PAg. 346. Ut ea probet, quæ ipſe dixit, citat Sanctum Lucam, & Sanctum Matthæum & illorum authoritatibus adjungit Joſephum, quaſi parem, & æqualem, atque hic eſt: error familiaris huic Authori.

IN CENSURAM LXXII. RESPONSIO.

INiquum Cenſoris commentum. Quum Auctores tum Eccleſiaſtici, tum Profani Scriptoribus Canonicis inſuper adduntur, non
D ideo fit, quod pares auctoritate reputentur, ſed vel eruditionis gratia, vel ut explicentur, quæ fortaſſis obſcura ſunt. Sigonius non unum laudavit Joſephum loco ab Cenſore notato, verum etiam Iſidorum. Hæc eſt praxis virorum Catholicorum eruditione præſtantium, quæ niſi ab inſano homine reprehendi poteſt.

CENSURA LXXIII.

PAg. 348. Citat Pſalm 110. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in Conſilio Juſtorum, & Congregatione*; Concilium exponunt Interpretes bonorum, & fidelium cœtum, non infidelium, non hæreticorum, ita etiam Græca tranſumptio habet *Concilium*, & non *Conſilium*, ſive naturale
E judicium, hoc enim idem indicat. Nam David noluit dicere, quod ad laudandum Deum requiritur *Conſilium* alicujus, ſed vult laudare Deum in *Concilio* Juſtorum, quod declarat *& congregatione*; ſed Author quia primam partem hujus ſexti libri referi ad *Conſilium*, ideò non videtur locus citatus ad rem facere.

IN CENSURAM LXXIII. RESPONSIO.

QUid Conſilii nomine Sigonius intelligat, verbis adeo claris exponit, ut Cenſor fungus habendus ſit, ſi id minus percipiat: *Conſilia ergo*, inquit Sigonius pag. 348. A. *appello* COETUS ILLOS, *qui ea præcipue ſta-*

tue-

tuerunt &c. Infra vero: *Atque hoc etiam ſenſiſſe David in Pſalmis videtur. Etenim de laudibus Dei in omnibus, & ab omnibus* COETIBUS *celebrandis agens, & Concionis & Senatus mentionem poëtice fecit, ut cum inquit: Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſilio juſtorum & congregatione*. Non ergo conſilii nomine judicium naturale intellexit Sigonius, ſed cœtum. Quare quum David juxta Interpretum expoſitionem, monente ipſo Cenſore, conſilii vocem pro cœtu poſuerit, ideo ille textus ad rem Sigonii facit. Quod reponit græcam Verſionem non *conſilium*, ſed *concilium*, habere, fallitur: En græca verba: Ἐν βουλῇ εὐθείων. *Conſilium* tandem idem eſſe ac naturale judicium, nonniſi inconſultò affirmari poteſt.

CENSURA LXXIV.

PAg. 349. Citans lib. Nom. cap. 27. dicit: *partem gloriæ ſuæ*; in Vulgata legitur: *gloriæ tuæ*, id eſt auctoritatis, & poteſtatis, vel laudis tuæ. Quare vero hic locum immutet non video, & non eſt error impreſſionis, quia non eſt in Erratis notatus.

In eadem pagina adjungit verba in ſacra Scriptura; nam primo Reg. cap 7. eſt: *dixit Samuel, congregate univerſum Iſrael*. Auctor verò legit hoc pacto: *dixit Samuel Judex congregate omne Iſrael*; ubi addidit eam vocem *Judex*, & ſubſtituit *omne*.

IN CENSURAM LXXIV. RESPONSIO.

NOn video, quare hîc Typographi ſphalma cubare non poſſit, quum hujuſmodi erroribus nil facilius? quod inter errata notatum non fuerit, duplici de cauſſa potuit contingere, videlicet vel minus obſervatùm fuit à Typorum correctore, vel ſi ab eo emendatum eſt, non tamen Typographus correctionem exequutioni mandavit, ut paſſim in iis etiam contingit, quæ magis oculos Amanuenſium afficiunt. Alterum quod objicitur, puerile eſt. Samuel vero Judex erat, ut in eodem capite v 15. dicitur, quare Sigonius vocem *Judex* compendii gratia inſeruit, ut paucis probaret quod ſupra poſuerat, univerſi videlicet populi concionem, nonniſi à Ducibus, Judicibus, Regibus, & Principibus convocari potuiſſe. *Univerſum* vero Iſraël, & *omne* Iſraël idem omnino ſignificant. Hæc velle reprehendere, eſt tempore & lectoribus abuti.

CENSURA LXXV.

PAg. 352. Acta Apoſtolorum, quæ aſſiſtente Spirito Sancto conſcripta ſunt, cum Græcorum, & Romanorum ſcriptis conjunguntur, quaſi humano more Sanctus Lucas Acta conſcripſerit. Dicit enim Auctor, Sanctum Lucam ſcripſiſſe cap. 19. *Qui peritus Græci, & Romani moris erat*; quaſi niſi fuiſſet peritus, ea non poſſet conſcribere. Non enim Sancti Evangeliſtæ ita judicandi ſunt, ut peritiâ humanâ conſcripſerint, ſed Spiritu Sancto dictante, ut ait Divus Petrus de Prophetis, cum ea, quæ hiſtoriæ eſſe videntur, ſæpe myſteria ſint. Quare Sanctus Lucas ſcripſit, non quia teneret Græcorum aut Romanorum mores, ſed afflatu divino. Deinde in eadem pagina obſcuritatis notat Interpretem noſtrum; ſic enim habet: *ſi Interpres pro Eccleſia concionem reddidiſſet, ſine dubio ſententiam multo clarius expreſſiſſet*; quaſi magni interſit hæc verborum diverſitas.

IN CENSURAM LXXV. RESPONSIO.

D. Lucam peritum fuiſſe moris Græci & Romani, ut mittam cetera, ſatis probat ille ipſe textus à Sigonio relatus. Quum autem hujuſmodi peritia Spiritus Sancti in ſcribendo adſiſtentiam non reſpueret, idcirco perperam Cenſor, & inepte commentus eſt, eam Divo Lucæ Acta Apoſtolorum ſcribenti detrahi à Sigonio voluiſſe. An putat Cenſor Scriptores Sacros meros ſtipites truncoſque inanimes fuiſſe, & quotieſcumque animum ſcribendo appellerent, illos ſtatim rerum omnium, quarum notitiam ſenſibus hauſerant, cepiſſe oblivionem?

D. Joannes Evangeliſta, Spiritu Sancto procul dubio afflatus, ut efficacius, quod de verbo vitæ ſcribebat, ſuaderet, notitiam ſenſibus, atque humano more comparatam producere non refugit: *Quod audivimus*, inquit Epiſtola prima, *quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt* &c. Rerum ergo humanarum cognitio humano more acquiſita in Scriptoribus ſacris cum Spiritus Sancti adſiſtentia componi optime poteſt: quique unum affirmat, alterum nequaquam excludere cenſendus eſt. Debuiſſet Cenſor advertere, quæcumque poſteris Canonici Auctores mandarunt, non ejuſdem eſſe rationis; aliqua enim nullo modo humanitus noſſe, uti ſunt prophetiæ; aliqua vero naturali cognitione comperta, ut politicum alicujus Civitatis regimen, habere potuerunt, in utriſque tamen conſcribendis Spiritus Sancti afflatu, quamquam diverſimode, indiguiſſe. Rem omnem edifferit Melchior Canus de loc. Theolog. lib. 2. cap. 18.: *Quæ Sacri Auctores ſcripſere*, inquit, *hæc in duplici ſunt differentia. Quædam quæ ſupernaturali ſolùm revelatione cognoſcebant, & ea Baſilius tradit à Spiritu Sancto eſſe. Alia vero naturali cognitione tenebant, quæ ſcilicet aut oculis viderant, aut manibus etiam attrectaverant. Atque hæc quidem .... ſupernaturali lumine & expreſſa revelatione, ut ſcriberentur, non egebant, ſed egebant tamen Spiritus Sancti præſentia & auxilio peculiari; ut licet humana eſſent, & naturæ ratione cognita, divinitus tamen ſine ullo errore ſcriberentur.*

Nonnulla vero eſſe in vulgata Editione, quæ clarius reddi potuiſſent, res facti eſt, ſatiſque comprobat locus ipſe à Sigonio relatus. Quum enim à Chriſtianorum vulgo Eccleſiæ nomine non concio intelligatur, ſed materialis locus, ubi fideles ad religionis officia congregantur, ſi Interpres non *Eccleſiam*, ſed *Concionem* vertiſſet, rem expreſſiſſet clarius ſeque omnium captui magis accommodaſſet. Salmero Prolegom. 3. inquit ad rem noſtram: *Nos hoc loco non ſuſcipimus patrocinium vulgatæ Editionis, quaſi vocibus ſignificantioribus ſit dilucidior, aut etiam interpretis Latini dexteritate felicior ..... Agnoverunt enim Patres veteres multa obſcurè, quædam impropriè, quædam vero minus latinè eſſe converſa.*

CENSURA LXXVI.

PAg. 357. Cum loquitur de Judicio, confundit tria, & eo vult detorquere verba David in primo Pſal. videlicet *Judicio*, *Juſtitia*, & *Concilio*, cum hæc ſint inter ſe admodum diverſa; quia in ſacris litteris Judicium dicitur in Hebraica lingua *Miſphath*. Quando ſcilicet Judex cauſam inquirit, ut poſſit ſententiam pronunciare, examinat Teſtes, refert in tabulas, & alia efficit, atque dummodo non deveniat ad ſententiam, ſemper dicatur *Judicium*; ſed ubi ad ſententiam ventum eſt dicitur *Juſtitia*, quæ in ſacris litteris Hebraicè dicitur *Dem*, quia cum cognovit Judex Cauſam, pronunciavit ſententiam; *Concilium* in ſacris litteris dicitur *Negbda*, quod indicat congregationem nobilem multorum Doctorum, & Peritorum earum rerum, de quibus agitur. Unde David: *non reſur-*

reſurgent impii in Judicio, quando videlicet Pii, & Impii ad ſententiam devenerint, quia impii jam judicati ſunt; *neque peccatores in Concilio juſtorum*, quia inter juſtificatos, peccatores tales non poterunt eſſe; niſi pœnitentiam fecerint prius: & quando Chriſtus dixit: *qui iraſcitur fratri ſuo. Reus erit judicio*, forte indicat, quod Judex poteſt cauſam inquirere, quia in iram incidit. Quando verò iræ accedunt injuriæ, videlicet quia fratri ſuo dixerit *Raca*, quod illis temporibus contumelia erat, & ſignificat ſtultum, inſipientem, dementem eſſe, tunc *reus erit Concilio*, ideſt ad Magiſtratum majorem deducendus erit, ut puniatur. Itaque non videtur iſte Auctor rectè citare Scripturas hoc loco; admonendus eſt igitur iſte Auctor, ut ſequatur Vulgatam editionem juxta Decreta ſancti Concilii Tridentini.

IN CENSURAM LXXVI. RESPONSIO.

ADeo falſum eſt *judicium* cum *concilio* à Sigonio fuiſſe confuſum, ut data opera illud Davidis teſtimonium producat ad evincendam inter utrumque differentiam: *Aliud vero fuiſſe* JUDICIUM A CONCILIO, inquit pag. 357. A. *oſtendit David in primo Pſalmo quum dixit*: IDEO NON RESURGENT IMPII IN JUDICIO, NEQUE PECCATORES IN CONCILIO JUSTORUM: atque in eamdem rem totus eſt Cap. 5. 6. & 7. Juſtitia autem à judicio ea ratione per Sigonium diſtinguitur, ut, quum quis pronunciaretur reus, eſſet judicium; quum vero declararetur innocens, & abſolveretur foret, *juſtitia*: remque ita eſſe prolatis ex Sacra Scriptura textibus probavit lib. pr. cap. 4. Judicium vero à ſententia præſcindere Cenſor quidem affirmare poteſt, minime vero probare; ſi enim ſententiam à judicio excludas, non erit judicium, ſed mera cauſſæ cognitio, à juſto vel injuſto præſcindens; quæ tamen perpetua judicii attributa ſunt, quod in judiciis ſententia profeſatur, quæ ſemper aut æqua, aut iniqua eſt: *judicabunt*, inquit Deus Deuteronom. XVI. *populum* JUDICIO JUSTO, NEQUE FLECTENT JUDICIUM. Porro ex hucuſque dictis tum in hanc, tum in ſuperiores Cenſuras, ſatis apparet Sigonium Cenſoris monito non indigere.

CENSURA LXXVII.

PAg. 359. & ſeq. Multa digna ſunt animadverſione. Primum cum non deſint authoritates ſacræ Scripturæ, & Doctorum Sanctæ Eccleſiæ interpretationes, rejiciendus erat Joſeph, & Philo; neque adhibendi erant tanquam interpetres utriuſque Teſtamenti, neque informandi erant Judices Philonis præceptis, cum in ſacra Scriptura illuſtriora ſint.

Præterea pag. 361. adducit locum Ezechielis cap. 44. omnino à vulgata editione diverſum, ſic enim habet: *Sacerdotes Populum meum docebunt, quid interſit inter ſanctum, & profanum*, cum Vulgata editio habeat: *inter ſanctum, & pollutum*. Deinde: *inter impurum, & purum judicabunt eis*. Secus Vulgata editio: *inter mundum, & immundum oſtendent eis, & circa judicium ſanguinis ipſi inſiſtant, ut dijudicent, & juſtificationes meas juſtificabunt, & judicia mea judicabunt, & leges meas, & præcepta mea in omnibus diebus feſtis meis cuſtodient*. Quæ omnia ſenſu, & verbis à Vulgata longe abhorrent; ita enim habet editio: *Cum fuerit controverſia, ſtabunt in judiciis meis, & judicabunt leges meas, & præcepta mea in omnibus ſolemnitatibus cuſtodient*. Hæc planè vera ſunt; quæ ille verò confarcinatus eſt, à veritate abhorrent maximè; ſic locus pſalmi: *quia illic ſederunt ſedes ad Judicium*, Vulgatæ repugnat, ubi habetur, *in Judicio*.

IN CENSURAM LXXVII. RESPONSIO.

SAcræ Scripturæ auctoritates ſatis ad rem ſuam Sigonius protulit: Philonem vero & Joſephum jure uſurpavit, quum ceteris peritiores cenſendi ſint in iis, quæ Judæorum Reipublicæ Politiam reſpiciebant. Hos tamen ita adhibuit, ut à SS. Patribus aliiſque Interpretibus, quoties occurrebant, non abhorruerit. Joſephum etiam in re produxit, quæ in Scriptura non legitur, Judices nimirum ſorte electos fuiſſe. Philonem vero in recenſendis Judicum conditionibus citavit, quod ipſe eaſdem ex Sacra Scriptura referret: *Conditiones porro proborum Judicum*, inquit pag. 359. C. *quatuor* EX LEGE *elicuit Philo in libro de Judice*. Ezechielem vero citavit juxta LXX. Interpretes, quorum hæc ſunt græca: *καὶ ἐπὶ κρίσιν αἵματος οὗτοι ἐπιστήσονται τὰ δικαιώματά μου δικαιώσουσι, καὶ τὰ κρίματά μου κρινοῦσι, καὶ τὰ νόμιμά μου καὶ τὰ προστάγματά μου ἐν πάσαις ταῖς ἑορταῖς μου φυλάξονται*: quæ exacte reſpondent Sigonianæ verſioni: *& circa judicium ſanguinis ipſi inſiſtent, ut dijudicent; & juſtificationes meas juſtificabunt, & judicia mea judicabunt, & leges meas, & præcepta mea in omnibus diebus feſtis meis cuſtodient*.

Quod tandem arguit Sigonium pro *in judicio*, legiſſe *ad judicium*, falſum eſt, nam utrumque poſuit; ita enim illum textum retulerat Sigonius pag. 359. A. *Quia illic ſederunt ſedes* IN JUDICIO (*vel* IN JUDICIUM ut græcus habet).

CENSURA LXXVIII.

PAg. 369. Dicit quod ex ſenioribus Sacerdotibus, Scribis, & Principibus *alii in una, alii in altera hereſi verſarentur. Quare Chriſtus, qui per hos annos Evangelium docuit, ſæpè hujus Concilii, & eorum, qui illud inierunt, mentionem fecit*. Et deinde dicit: *pœnas homicidio conſtitueret, peritus moris Judaici ſpirituales pœnas temporariis ipſis &c.* Ex verbis iſtius Auctoris videtur elici, quod Chriſtus ex conſuetudine illorum Doctorum evaderet doctus, & ita peritior in lege, ut qui omnem ſapientiam dat, & eſt, egere videatur hominum ſcientia, ut more hominum fiat peritus. Hoc eſt valde conſiderandum.

IN CENSURAM LXXVIII. RESPONSIO.

CHriſtum Judaici moris peritum fuiſſe, citra blaſphemiam negari poteſt; hanc vero peritiam hac una de cauſſa habuiſſe, quod Judæorum conſuetudine uteretur, ne per ſomnium quidem aſſeruit unquam Sigonius, neque erui ex ejus verbis poteſt. Chriſtum in ſermonibus ſuis plerumque ad Judæorum mores alluſiſſe affirmant omnes Interpretes, atque profecto id neceſſarium pluries erat, ut ab Auditoribus, quæ diceret, intelligerentur. Homines enim alloquebatur, & erudiebat, quos operæ pretium erat ex notis uſuque receptis, ad ignota novaque ſenſim pertrahere.

CENSURA LXXIX.

PAg. 378. Dixit: *Crucifixionis lex traditur à Deo Deut. cap. 21.* Hoc genus mortis ooverat in lege: eſt enim diſcrimen inter ſuſpendere in ligno, & crucifigere. Nam Gentiles crucifigebant, ut credo. At lex ſuſpendere mandabat, & quam affert auctoritatem, eſt contra ipſum. Quod fecerunt Gabaonitæ filiis Saul, petiverunt ſemel tantum. Crucifixionis mors inſtituta fuit à Deo Num. cap. 21. propter fornicationem cum Moabitis, ali-

qui

qui aut ſuſpendebantur, aut lapidabantur, aut jugulabantur. Malè ergo Auctor.

IN CENSURAM LXXIX. RESPONSIO.

SUſpenſio in patibulo appellatur Sigonio *Crucifixio*: quo autem modo hujuſmodi ſuſpenſio fieret, à Sigonio non dicitur. Hanc vero ſuſpenſionem appellari poſſe crucifixionem, Joſue textus 8. ſatis demonſtrat, ubi Joſue Regem Hai *ſuſpendit in patibulo*: & ſubditur: *præcepitque Joſue, & depoſuerunt cadaver ejus de* CRUCE. Si enim de cruce depoſitus dicitur, qui fuit in patibulo ſuſpenſus, conſequitur ſuſpenſionem dici crucifixionem poſſe. Crucem duobus lignis compactam fuiſſe, aſſeruit Sigonius, ut Græcum interpretem explicaret, qui neque patibulum, neque crucem exprimit, ſed *lignum geminum*. Reum Cenſor facit in verbo *ſuſpendere*, quod ſibi cruci affixionem videtur excludere. Verum Cenſorem rogo, an Chriſtum cruci confixum arbitretur, opinor affirmaturum eſſe. At Petrus art. 5. v. 30. de Chriſto ait: *Quem vos interemiſtis*, SUSPENDENTES IN LIGNO. Non igitur verbum illud *ſuſpendere* crucifixionem excludit, ut Cenſor contendebat. Quod vero ponit tanquam Cenſuræ ſuæ fundamentum, crucifixionis pœnam in lege non fuiſſe, propius ad mentem Rabbinorum dictum videtur, qui ut prophetias de Jeſu Chriſti crucifixione declinent, inficiantur crucis ſupplicium apud ipſos uſu fuiſſe receptum, quos tamen unà cum Cenſore, egregie noſtri refellunt.

CENSURA LXXX.

PAg. 384 & ſeq. Omnia diligenter videnda, ſed quia fere omnia jam reprehenſa ſunt, refero me ad ea, quæ jam antea dixi.

IN CENSURAM LXXX. RESPONSIO.

REprehenſa quidem ſunt ferme omnia, ſed ſingula pariter vindicata.

CENSURA LXXXI.

PAg. 399 Citat 3. Eſdræ cap. 7., quem non ſolum eo Ipſo non debet citare, ſed immutat verba, & dignus eſt correctione maxima, quod ita invertat omnia.

IN CENSURAM LXXXI. RESPONSIO.

IN ſeptimo tertii Eſdræ v. 8. id continetur, quod Sigonius producit, quamvis non adeo expreſſe in ea verſione legatur, quæ in Bibliis vulgaribus occurrit, quam unice Cenſor conſuluit. Quod vero ex capite ejuſdem libri citatur, eſt in verſu 55. ejuſdem capitis.

CENSURA LXXXII.

PAg. 398. Adducit Græca Verba, & interpretatur, refugit Vulgatam editionem, & non videt ſe facere contra Concilium Trid., & graviter errare, quod alium Textum inferat. Non requiritur in tractatione Divinarum rerum jactantia varii ſermonis, ſed res exponendæ ſunt eo modo, quo exponit Eccleſia Catholica Romana.

IN CENSURAM LXXXII. RESPONSIO.

ID præſtitit Sigonius, quod paſſim faciunt Interpretes, quos nemo dixit Concilio Tridentino repugnare; à quo Vulgata quidem definita eſt authentica, non tamen in omnibus clarior Hebraicis vel Græcis fontibus aſſerta; ſed de hac re jam alias ſatis dictum. Sigonium vero linguarum peritiam jactaſſe, vel jactare voluiſſe, Cenſor præter æquum Auctori noſtro ſemper infenſus pro ſua conviciandi libidine comminiſcitur.

CENSURA LXXXIII.

PAg. 401. Eſdram citat lib. 3. cap. 2.

IN CENSURAM LXXXIII. RESPONSIO.

HUic Cenſuræ alibi & pluries reſponſum.

CENSURA LXXXIV.

PAg. 403. Græcam Verſionem vult ſoſtinere, cum dicit: *hæc nunc ex Græca Verſione expreſſa ſunt, quæ aliquando clarior eſt, quam Latina*, cum nobis non liceat diſcedere à Vulgata editione nobis data, & propoſita ab Eccleſia Catholica Romana. Quoniam hoc modo tollitur expoſitio Sanctorum Doctorum, quoniam *non* habemus Verſionem LXX. Interpretum, quam Divus Auguſtinus ſequutus eſt, & optimè interpretatus eſt, quia Spiritus Sancti gratia illuſtratus veritatem expreſſit, & Doctoris Eccleſiæ Catholicæ nomen habere meruit.

IN CENSURAM LXXXIV. RESPONSIO.

GRæcam Verſionem latinâ clariorem aliquando eſſe, res facti eſt, quæ ex hoc ipſo Sigonii loco probari poteſt, ne in rebus leviſſimis tempus teram. Quod ad Vulgatam reſpicit, alias eſt expenſum. Quod reponit nos modo Verſionem Septuaginta non habere, à doctiſſimis viris non ſemel eſt exploſum, atque invictis argumentis aſſertum ætate noſtra Textum Septuaginta extare, quem Judæi ante Chriſtum natum habebant, ex quibus recepere Chriſtianiſ: quamvis diffitendum non ſit, incuria, aut ignorantia librariorum menda quædam ſubinde in hanc Verſionem irrepſiſſe. Hæc etiam modo in Eccleſia Græca Canonica eſt; Pſalmique ex ea tranſlati in Eccleſia noſtra ex Tridentini Concilii declaratione authentici ſunt. Verum hac etiam de re alibi dictum.

Dum ait D. Auguſtinum Verſionem Septuaginta ſequutum eſſe; parum ſententiæ ſuæ tenax eſt Cenſor, qui Cenſura quarta aſſeruit Patres omnes verſionem Vulgatam interpretatos eſſe; quod ibi à nobis Salmeronis teſtimonio confutatum eſt. Hic unum adverto, ut utrumque Cenſoris aſſertum refellam, D. Auguſtinum in ſuis ad Jobum animadverſionibus non veteres Græcos Interpretes ſequutum, ſed Latinam ad Græcum S. Hieronymi Verſionem: & ſpeculum ſuum pluribus moralibus Scripturæ ſententiis contextum ex Hieronymiana interpretatione adornaſſe.

CENSURA LXXXV.

PAg. 404. Malè Verſionem notat, quam habebat Divus Auguſtinus, quæ vera fuit; & quam ille citat, quæ vel Aquilæ, vel Symmachi eſt, anteponit; & errat, quoniam illi corruperunt veram editionem 70., & Sanctus Auguſtinus veram habuit, & hoc comprobat Eccleſia Catholica Romana. Hic Auctor veram non habet, & ſuam Joſepho, Philone, & 3. Eſdræ comprobat, qui approbati non ſunt.

IN CENSURAM LXXXV. RESPONSIO.

SIgonius ne unum quidem verbum habet contra Verſionem, qua D. Auguſtinus uſus eſt. Inquirit ibi de ſenſu vocis γραμματεισαγωγεῖς, qua Auguſtinus Magiſtros intelligit, qui in litteras introducant ſeu Grammaticos, Sigonius vero Magiſtros & Doctores Judicum: *Quæ expoſitio*, inquit pag. 404. C., *ſi cui fortaſſe minus arriſerit, is pauliſper ab ea recedendo dicere poterit Grammatoiſagogeos fuiſſe, non qui litteras Judices docerent, ſeu qui cauſſas ad eos introducerent*. Antea autem dixerat: *qui verò hi* γραμματεισαγωγεῖς *fuerint, adhuc parum compertum, ut video, fuit. Ceterum S. Auguſtinus in 2. quæſtionum ſuper Exodum ſic ſcriptum reliquit: Quos autem dicat* γραμματεισαγωγεῖς *poſt Decuriones, non* FACILE SCIRI POTEST, *quoniam hoc nomen in nullo ſenſu habemus vel officiorum, vel magiſteriorum*. Quum itaque, fatente ipſo Auguſtino, illius vocis ſignificatio obſcura eſſet, quid peccati in Sigonio fuit, ſi ab ejus expoſitione diſſenſit? Plurimos numerare poſſemus, qui in hujuſmodi rebus à D. Auguſtino recedunt. Reliqua Cenſoris crambem recoctam ſuſpiciunt, Sigonium tamen Aquilæ vel Symmachi verſione non uſum patet ex pagina 405. ubi oſtendit, è quonam fonte vocem illam hauſerint, de cujus ſenſu quærebatur. Ceterum etiamſi in una vel altera interponenda voce Aquilam vel Symmachum Sigonius ſequutus eſſet, non propterea ex hoc reprehendendus foret, ſed adhuc probandum ſupereſſet, hoſce Græcos interpretes vocis illius ſenſum minime percepiſſe. Sane quum Jonæ 4. legeretur *cucurbita* juxta communem τῶν O verſionem, Hieronymus *hederam* vertit: qua de re cum magni in Africa tumultus ſuborti fuiſſent, ut narrat Auguſt. in Epiſtola ad Hieronym., & Romæ à quodam Canthelio ſacrilegii accuſatus fuiſſet, Hieronymus, ut Verſionem ſuam tueretur, palam aſſeruit in Epiſtola 89. ad Auguſtinum, & in ejuſdem Prophetæ Commentariis, ſe Aquilam ceteroſque Græcos Interpretes eſſe ſequutum.

CENSURA LXXXVI.

PAg. 404. & ſeq. Citat Iſaiam cap. pr. Nititur probare verſionem Græcam eſſe clariorem. Errat quia contradicit Decreto Eccleſiæ & Conc. Trid. Deinde editio Vulgata magis propriè, & congruè rem exprimit, & proximè ad Hebraicam accedit.

In eadem pagina citat verba Chriſti apud Sanctum Lucam cap. 12., quæ deflectunt à Vulgata, & cum Chriſtus illud documentum dedit, quaſi ex Decretis Cæſaris, Sancti Doctores declarant, illa verba Chriſti Redemptoris noſtri ſpiritualiter, & ideo non ſunt adducenda verba Redemptoris permixta verbis Gubernatorum hujus ſeculi, quaſi corporales res, & non ſpirituales Chriſtus ſpectaverit.

IN CENSURAM LXXXVI. RESPONSIO.

COncilii Tridentini decretum de Vulgatæ editionis authenticitate alibi expenſum eſt, & Sigonio nequaquam opponi demonſtratum. Utrum autem apertius & aptius dicatur *cauſſa viduæ non ingreditur ad illos*, quod eſt in Vulgata; an vero: *& litem viduarum non accipiunt*, ut eſt in Græco, commentario non indiget. Quod objicitur de mutatis verbis, eſt nihili mutatio; pro *minuto* poſuit *quadrantem*, qua voce de eadem re diſſerens uſus eſt

A Matthæus 5. v. 25. & pro *noviſſimo*, *unum*, quæ duo ibi eamdem prorſus habent ſignificationem. Quamvis vero Chriſtus illis Lucæ verbis ſenſum ſpiritualem ſubintelligeret, negari tamen non poteſt, quin iiſdem ad judicialem Judæorum morem alluſerit; quod unum ibi Sigonius expendit.

CENSURA LXXXVII.

PAg. 406. Citat Sanctum Lucam cap. 20., & Michæam cap. 5., & tamen refugit editionem Vulgatam, quod crimen in omnibus ferè locis Scripturæ commiſit, ut Græca utеretur. Deinde ſuo modo interpretatur Scripturam, & ad ſuum inſtitutum, intentionemque revocat, contra verum ſenſum litteralem, cum illud verbum *millibus* non B ſonet hic *mille*, cum in ſacris litteris illud vocabulum Hæbraicum ſonet *familiam*, ut in hoc loco; quaſi dicat Propheta: *o Bethleem Ephrata, etiam ſi ſis ex minimis familiis tuæ Tribus Juda, ex te exiet Dux mihi, qui regat Populum Iſraël, & egreſſus ejus ab initio à diebus Æternitatis*. Hæc enim eſt vis hujus Prophetiæ, ut oſtendatur, Chriſtum Redemptorem noſtrum Deum, ac Hominem fuiſſe. Sed hìc male rem tanti Myſterii cum Chiliarcho, & cum Repub. Hebræorum confundit.

IN CENSURAM LXXXVII. RESPONSIO.

NEque in textu Lucæ editionem Vulgatam Sigonius refugit, neque in illo Micheæ, ut conferenti patebit. Tantum adjicit Verſionem Græcam, quod ſane crimen non C eſt. De interpretatione vero, quam verbis Micheæ adhibet, Sigonio non eſt faceſſendum negotium; vocem *mille* pro Chiliarcho, ſeu mille hominum Duce vel Præfecto uſurpari poſſe ex ipſa Sacra Scriptura colligitur: nam Zaccharias 9. v. 7. ut innuat Azothum unam ex præcipuis Juda Civitatibus evaſuram, ait illam fore velut *Aleph*, ſeu *mille in Juda*, quod Septuaginta verterunt Ὡς χιλίαρχος ἐν Ἰούδᾳ; Vulgata vero habet: *eris quaſi* DUX *in Juda*.

CENSURA LXXXVIII.

PAg. 407. Ad res profanas citat Hieremiæ locum cap. 8., & contra ſenſum Eccleſiæ receptiſſi- D mum. Sed etiam Num. 15. quod dicit, numquam reperitur ibi, neque in toto Pentateucho, niſi fortaſſe è Græco fonte traduxerit.

IN CENSURAM LXXXVIII. RESPONSIO.

OCtavum Hieremiæ caput adduxit Sigonius, ut probaret, Scribas apud Judæos non ſolum dictos fuiſſe Juriſperitos, ſed etiam homines illos, qui ſcriptum faciebant, & Magiſtratibus, Populo & Senatui operam ſcribendo præſtabant; quid hic profani, quid contra receptiſſimum Eccleſiæ ſenſum? An hoc unquam negavit Eccleſia? Opinor Cenſorem voluiſſe effutire, quæcumque in buccam ve- E nicbant. Quod deinde neſcit in toto Pentateucho reperiri, legitur in Numeris cap. XI. v. 16. Quum autem Sigonius caput XV. citaverit, vel in ejus textu mendum irrepſit, vel eum memoria feſellit.

CENSURA LXXXIX.

PAg. 408. Cum ea quæ ſunt apud Hieremiam cap. 52. in Vulgata editione, perinde ac in Hebræo ſermone habeantur; non erat ad Græcum recurrendum cùm Vulgatæ editioni contradicat, quam Auctor varietatis, & Interpretum ignorantiæ arguit, cum dicat *non ſatis ſibi conſtitiſſe* vocis ſignificationem. Præterea male intelligit locum, ubi coma ſtatuit, ubi non erat neceſſe, videlicet:

ſcri-

Scribam, Principem Militum, qui probabat tyrones. In Textu verò vulgato bene eſt abſque coma, hoc pacto, *Scribam Principem Militum*, ſed ille cum interponit illud coma, invertit ſenſum, & immutat aliter atque eſt.

IN CENSURAM LXXXIX. RESPONSIO.

QUæ Sigonius ex Græco adjicit, Vulgatæ non repugnant, ſed magis rem explicant & illuſtrant. Quod vero Latina verſio in ea re varia ſit, facto patet ipſo. Quum enim Græca ubique habeat γραμματεῖς, Vulgata modo Principes, modo Duces, modo Præcones vertit; quæ verſionis inconſtantia argumento eſſe potuit Sigonio aſſerendi, non ſatis conſtitiſſe Latino Interpreti, quid eſſent γραμματεῖς; quamquam, cum infra ſubdat fieri potuiſſe, ut Scriba idem qui ſcriptum faciebat, pleriſque aliis publicis officiis inſerviret, Interpretem noſtrum tueri velle videtur; inde enim affirmare poſſumus, vocem illam diverſi mode redditam, pro munerum, quibus γραμματεῖς fungebantur, diverſitate. Reprehenſio de comate, infimi Pædagogi eſt: interpoſitum eſt claritatis gratia, nam ſenſus omnino idem manet.

CENSURA XC.

PAg. 411. Citat Reg. 4. cap. ultimo: *Nabuzaradan Ducem Nabucodonoſoris tranſtuliſſe Babylonem Sopber Principem exercitus, qui probabat Tyrones de Populo Terræ*. Deinde ſubjungit: *at Græcus habet: Scribam Principis Exercitus recenſentem Populum Terræ*, ſed quia ignorat linguam Hebræam, erravit hic, & aliud verbum *Sopber*, ſcripſit littera majuſcula, quia credidit eſſe nomen proprium, ſed *ſopber* in lingua Hebræa ſonat *ſcriba*. Ideo hic Auctor ſæpius in hoc ſuo libello decipitur, ut etiam in ſequentibus paginis.

Hinc uſque ad finem nihil mihi de novo occurrit, quamquam in ipſo opere brevitati ſtudens multa omiſerim digna Cenſura, ratus, ſatius eſſe ejus errores vel leviter indicaſſe, quos fortaſſe alibi majorem occaſionem nactus latius exponam.

IN CENSURAM XC. RESPONSIO.

DIgnam tanto operi Coronidem! Superius intentavit litem pro comate, nunc pro littera majuſcula ignorantiæ arguit. An non vocem *Sopber* Sigonius ipſe e Græco textu vertit Scribam? quod ſi pro majuſculo charactere Cenſor exiſtimat id nomen tamquam viri proprium habitum à Sigonio; eccur eundem ſimili de cauſſa non reprehendit quod frequenter *Scribam* littera majuſcula expreſſerit? Futile argumentum, puerile, & dignum, qui Cenſuris ineptis atque leviſſimis finem imponeret. Minatur equidem Cenſor, ſi otium ſibi dabitur, fuſius errata Sigonii caſtigaturum: verum hæ minæ ſunt Thraſonicæ; quid enim ulterius in Sigonio poterit reprehendere, poſtquam vel de virgula litteraque majuſcula notâvit?

Ex MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ.

AD CAROLUM SIGONIUM

VIRUM DOCTISSIMUM

DE MARCI TULLII CICERONIS CONSOLATIONE, VEL DE LUCTU MINUENDO

JULIUS SIGNIUS.

Multiplici ratione probas hunc magne Sigoni,
Magnum Arpinatem compoſuiſſe librum.
Res, & verba docent, gravitas permiſta lepori;
Aſſerit hoc procerum docta frequenſq; cohors.
At longe illorum melior ſententia cultum,
Qui manaſſe tua mente fatentur opus.
Cur modo certandum? Victores vincis, & affert
Certamen pacem, nobile, parque decus.
Nec mirere; adeo Tulli ſectator haberis,
Alter ut ille Plato, tu vocitere Philo.

ANONYMI

EPICEDIUM

In funere Caroli Sigonii.

Carminibus ne tuum doctiſſime Carole funus
Proſequar, an lacrymis? undique namque mihi
Surgit materies ingens, qui triſte feretrum
Evaleam ſiccis cernere luminibus.
Corpus ubi exanimum, vegetoque carentia ſenſu
Tam cari capitis, hei mihi, membra jacent?
Quive illud potero, unde avidus pendere ſolebam,
Aſpicere os clauſum, perpetuoque ſilens;
Et mæſto gemitu, ac largo non prodere fletu
Viſcera quàm ſævus torqueat ima dolor?
Os quondam eloquii flumen, ſic divite vena
Manans, Eridani jugis ut unda fluit;
Nunc æſtu nimio morbi ſiccaris acuti.
Nos verò miſerè torret anhela ſitis.
Nec minus illa mihi mærorem languida præfert
Dextera, jam celerem docta movere ſtylum:
Dum ſubit, heu ſcriptis, quod tam ſpoliabitur Orbis
Heu quanto hiſtoriæ lumine caſſus erit!
Aſt ego triſtitiæ ſi cauſas perſequar omnes,
Illacrymer fruſtra, diſcrucierque nimis.
Forſan & hæc adeò lugubri nænia cantu
Nequaquam eſt animæ Carole grata tuæ.
Quæ nunc exultans terrenis libera vinclis,
Guſtat cœleſtis gaudia ſumma chori.
Sic ſperare jubet tua non ignaviter acta,
Et recti, & ſancti vita pudoris amans.
Et quæ decumbens, extremò ſigna dediſti
Chriſticolæ, geſtu, voce, oculiſque pii.
Hæc ſiquidem repetita tuos ſolantur amicos,
Hincque bene eſſe tibi commemorare juvat.
Scilicet immitis propellere ſpicula mortis,
Serius, aut citius quin feritura cadant,
Haud generi humano conceſſum. Sternimur omnes,
Hac homines nati conditione ſumus.
A *Ipſe etiam Cæli rector (mirabile dictu)*
Carnea membra gerens, Virgine Matre ſatus,
Lethales ictus excepit ſponte: quis ergo
In terris vitam non moriturus agat?
Cui verò fuerit curſus cum laude peractus,
Et palma, & requies hunc ſine fine manet.
Hoc opus, hæc omnis noſtrorum eſt ſumma laborum:
Væ qui diverſo tramite carpit iter.
Nos igitur jam nunc te præmia remur adeptum,
Tum propriis meritis, tum miſerante Deo.
Si quid & obſtat adhuc, te juſta hæc rite ſoluta
Credimus, ac humiles poſſe juvare preces.
B *Atque ita dum prodeſſe tibi certabimus omnes,*
Triſtitiæ id nobis dulce levamen erit.
Nec jam te amiſſum, ſed præmiſiſſe feremus,
Ac velut abſentem noſter adibit amor.
Quin tua vel ſemper nobis præſentia ſiſtet
Ora, & te noſtris inſeret alloquiis.
Præterea magnum ſolamen gloria præbet,
Quæ clarum ſequitur nomen ubique tuum.
Et quæ priſcorum melioribus æmula ſcriptis
Panxiſti egregio tot monumenta ſtylo.
Hæc magis, atque magis, per ſæcla futura vigebunt,
Sicque tui magna parte ſuperſtes eris.
Quiſquis enim latii cultor ſermonis avebit
Romani antiquum noſcere jus populi,
C *Atque Magiſtratus, leges, ſubſellia, veſtes,*
Et faſtos, miris cuncta notata modis:
Perdiſcet facilè, tua docta volumina verſans,
Grandis & ingenii, grande ſtupebit opus.
Attica item nobis per te Reſpublica nota eſt,
Judeæ & mores, priſcaque ſacra Patrum.
Quid dicam Italici hiſtorias quanto ordine regni,
Et ſtudio Occidui ſcripſeris imperii?
At numerare tuos, longum eſt, quos perlegit Orbis
Jam libros, vel quos hactenus arca tegit.
Prodibunt omnes; Quis enim ſic invidus auſit
In commune bonum non reſerare manus?
O me felicem, cui jam percurrere partem
D *Carole te vivo, teque jubente datum eſt!*
Uſque adeo mihi largus eras, & comis amicus,
Quo mage par fuerit, ſim memor ipſe tui.
Sed videt ille meam, qui novit & omnia, mentem,
Fors Cœli è ſpecula tu quoque cernis eam:
Nomen ibi, & tua ſic infixa manebit imago,
Ut non tu ſculpi firmius ære queat.
Hi verò exigui verſus me utcumque ſupremum
Munus amicitiæ præteriiſſe negant.

FINIS.

9630 | P.

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo VI.
OPERUM SIGONII.

A

ABdicare : à quo verbo græco interpretetur . 91. E.
Abdua fl. ibi pugna . 1040. C.
Tranatur . D.
Ablegatio à Rep. cur . 77. A.
Aborigines gentium fundatores . 404. C.
Academici quibus ſententiam ſuam aperirent . 472. A.
Eorum ſecta . 738. A.
Exaltatur . 741. A.
Accariſii Faventiâ ejecti . 1046. C.
Accenſus , ejus officium controvertitur . 88. D.
Accurſius ejus mors . 1041. C.
Accuſationes earum ars . 583. A. 623. D. 627. A. 628. A. 629. A.
Incommodioris conditionis . 632. B.
In oratione quomodo . 650. B. 760. C. 763. A. 765. C.
Acetum Ægyptium celebre . 737. B.
Achaja quando prov. 252. A. 296. B.
Achaicus cognomen cujus , unde . 414. B.
Achilles cognomen cujus , cur . 412. A.
Acilia gens , ejus prænom. 392. C.
Cognom. 419. C. 420. B.
Actiones juſtè ſuſceptæ . 590. C. 591. D.
Earum elocutio . 648. E.
Adhortatio unde ſumenda . 578. E.
Quæ affectare poſſit . 579. D. 627. A. 628. A.
Adoleſcentia ejus moleſtiæ . 838. C.
Adoptati eorum nomina . 168. C. 398. B.
An jura adoptantium ſequerentur . 234. D. 273. A. 276. C. 288. B. 426. A.
Adverſa quæ contingunt quomodo attingenda . 837. A.
Patienter tolleranda . D. & ſeq.
Ædiles curules quibus comitiis creati . 355. B.
Plebis cujus poteſtatis . 364. B.
Ægidius Pius Manfredi filius, obſeſſus. 1050. B.
Ægritudines animi, earum ſpecies . 677. B.
Damna . 837. A.
Ælianus reſtitutus . 217. A.
Ælii quo cognomine uterentur . 421. A.
Ælius Spartianus V. *Titus Æl.*
Æmilia Prov. *an de Exarchatu* . 1126. A. 1128. C.
Æmilia gens , ejus prænom. 392. C. 393. B.
Unde . 401. A. 404. E.
Ex ea quot familiæ . 402. B.
Quo cognom. uſi . 412. D. 419. E. 420. B. 421. E.
Æmilius Probus de ejus hiſt. judicium . 963. B. 965. A. 969. D.
Æmulatio quid . 612. E.
Cui adverſa . 613. C.
Æqua explicantur . 591. D.
Æſerninus cognomen cujus , unde . 414. E.
Ætates , earum miſeriæ . 838. B.
Ætolia quando Prov. 251. A. 298. E.
Ubi . 299. D.
Affectus examinantur pro rhetoricis . 597. A. 598. A.
Africanus cognomen cujus , unde . 414. A.
Agathias ſcolaſticus , de ejus hiſt. judicium . 963. C. 966. D. 972. E.
Ageſilaus Dux ejus ars & ſtudium . 197. A. D. E.
Agilulfus Rex It. egregiæ virtutis . 1069.
Agnati ab agnomine . 128. A.
Non idem ac gentiles . 143. C. 403. A.
Agnomen R. quid . 127. D.
Ad ſignificandam familiam . 129. B.
Mutatum cur . 131. E.
Idem ac cognomen . 140. E. 409. C.
Unde ductum . 142. D.
Non ab agnatione dictum . 143. A.
Cum prænomine ſæpe . 172. A.
Cum cogomine . B.
Poſt cognomen . C.
Unde vox ejus . 172. D. 385. A.
Quomodo inventum . 408. B.
Agri , eorum diviſio rempublicam turbans . 711. A.
Agrippa prænom. ejus origo . 388. A. B.
Scriptura . 393. E.
Pro cognomine uſurpatum . 394. E.
Cujus gentis origo . 402. A.
Cognomen unde . 410. E.
Quorum . 420. E.
Ahala cognomen quorum . 420. A.
Ahenobarbus qui , unde , quorum cognomen . 419. E.
Aiardus Pretus diſcerptus . 1053. B.
Aigoni Guelforum factionarii . 1047. C.
Albanæ familiæ in patricias translatæ . 425. A.
Albericus Icilini fr. refugit . 1041. A.
Cum ſobole deletus . 1042. A.
Albertus Caccianimicus Bononienſ. Mutinæ Prætor. 1045. D.
Iterum . 1049. E.
Ejus ædes inflammatæ . 1051. A.
Albertus Fontana Placentinus Bononiæ Prætor. 1053. A.
Seditionem compeſcit . C.
In periculo . D.
Albertus Græcus Bergomas , Bonon. Prætor. 1037. A.
Albertus Odofredi Juris interpres in Bonon. Univerſit. 1044. A.
Albertus Sala occiſus . 1061. C.
Albii gens à quo . 406. E.
Albinia gens à quo . 406. E.
Quo cognomine uſa . 420. C.
Unde . 421. E.
Albogalerus quid . 155. C. 416. E.

Albornotius Card. laudatur. 554. E.
Albuinus It. Rex egregiæ virtutis. 1069.
Albus cognomen unde. 419. E.
In quod mutatum. 421. E.
Quàm diu cuſtoditum. 422. C.
Aldus Manutius, ad eum epiſtolæ. 1025. C.
Alexander IV. Rom. Pont. moritur. 1044. E.
Allobrogicus cognomen cujus, unde. 414. B.
Aloyſius Mocenicus minatur Robortellum. 330. B.
Alpes Cottiæ opulentum patrimonium Pontificum. 1120. B. 1128. C.
Altare an contra Altare conſtituerit auctor. 1113. E. 1114. E.
Alterum, hujus vocis ſignificatio. 7. B. 61. C.
Amantinus Amantus Cremonâ exactus in Gibellinos impellit. 1051. B.
Ambiguitas in nominibus. 170. B. 171. A.
Ambuſtus cognomen quorum, unde. 415. D.
Amerinus cognomen unde, cujus. 421. A.
Amicitia maxime tuenda. 801. A.
Amicus qui. 573. B.
Per ſe eligendus. 574. C.
Ejus proprietates. 602. C. 609. C. 611. B.
Ammianus Marcellinus de ejus hiſt. judicium. 963. C. 966. C. 971. D.
Chriſtianorum hoſtis, verax pro eis teſtis. 1100. D.
Amor patriæ. 550. A.
A Rhetore quomodo inſpiciendus. 597. B. 599. D. 602. A.
Amplificatio ad quid. 582. C.
Aptiſſima. E. 632. E.
Anaſtaſius Bibliothecarius, de ejus hiſt. judicium. 963. C. 966. E. 974. A.
Anaſtaſius Imp. an de eo ſatis exprimat auctor. 1108. D.
An excommunicatus. 1109. A.
Ancus prænom. unde. 388. A. 390. B.
Qui ab eo. 406. C.
Andreas Alciatus malè emendatus, reſtitutus. 78. C.
Inſultatus. 307. A. 309. A.
In Robortellum. 343. E.
Andreas Camutius Sigonio magiſter. 325. E.
Andreas Navagerius laudatur. 1074. init.
Andreas Zeno Venetus Bononiæ Prætor. 1045. C.
Item. 1047. C.
Subſtituitur Dux exercitus. 1055. B.
Animalia multa conſecrata. 875. B. 918. E.
Animus quo indigeat. 837. B.
An intereat. 849. D. 864. E.
Imago Dei. 865. D.
Quid boni vel mali ad eum ſpectet. 910. B.
V. *Immortalitas*.
Anſelmus Lanzavecchia Bononiæ Præf. 1056. C.
Anſelmus Tiburtinus Bononiæ Præf. 1054. E.
Dux exercitus. 1055. C.
Annalis cognomen cujus, unde. 416. B.
Annas quomodo ſummus Sacerdos. 1221. E.
Anni ab U. C. diverſimode numerati. 3. A.
V. *Chronologia*.
Annii quo cognom. uterentur. 419. C.
Annulus obſignatorius ejus uſus. 84. D.
Annus à Numa ordinatus. 24. C.
Correctus. 25. B. C. 333. A.
Magnus qui. 728. D.
Devotus qui. 1043. E.
Hebræorum more ordinatus. 1206. A.
Anthimus Epiſc. à quo excommunicatus. 1110. A.
Antias cognom. unde, cujus. 420. E.
Antiates qui, controverſum. 20. C.
Antonia gens plebeja. 237. D. 302. C.
Antonii gens unde. 404. D.
Antonius Auguſtinus favet Sigonio. 342. D.
Laudatur. 783. D.
Antonius Riccobonus, ejus de Conſolationis libro judicium. 825.
Appianus Alexandrinus Sophiſta, de ejus hiſt. judicium. 963. B. 965. A. C. 969. C.
Appius an ſemper prænomen. 147. E.
Ejus origo. 388. A.
Scriptura. 392. A.
Ap. Claudius Pulcher patricius an plebejus. 791. D.
Apollinis ædes antiqua ubi. 781. E.
Hujus vocis repetitio ſuſpicionem cauſat. 827. A.
Apollonius Gozadinus Legatus Bononienſ. 1044. E.
Apoſtoli an jejunaverint. 1218. C.
Appuleji quo cognom. uſi. 421. A.
Apuſtii quo cognomine uterentur. 413. B.
Aquilinus cognomen unde. 419. E.
Aquillia gens, ejus pranom. 392. C.
Arca fœderis fuerit ne in ſecundo Templo. 1224. D.
Arca ex marmore Pario Bononiæ. 1053. E.
Arcadius Imp. an excommunicatus. 1103. B.
Arcas Turrianus Mediolanenſ. Bononiæ Prætor. 1052. A.
Archon, quid. 214. D.
Archontes Athenarum collecti inſufficienter. 1008. D.
Arelatæ Urbs an ibi concilium & quomodo. 1084. E.
Argellata Caſt. illuvione prope obrutum. 1053. E.
Argumentatio ad nominum rationem impertinens. 133. B.
A quæſtione quàm diſtet. 134. C.
In dialogo tripartita. 476. E.
Arimundus Bernardus Præt. Mutinæ. 1038. A.
Ariſtoteles, ejus nova expoſitio defenſa. 102. A.
Non rectè diviſus. 207. C.
Ejus ſcriptorum genera duo. 439. C. 447. C.
Traductiones corruptæ. 559.
Armonia quid. 213. B.
Arrius ejus hæreſis initium. 967. A.
Arruns prænom. unde. 388. A. 390. C.
Qui ab ipſo. 406. D.
Ars an vincatur à natura. 514. D.
Liberalis cum alia connexa. 516. E.
Quæ ab imperitis admeretur. 538. D.
Naturæ quàm proficua. 548. C.
Ea carentes. 593. A.
Quid boni vel mali pariat. 847. A.
Arteniſii cum Caſtrobrittis contendentes. 1038. B.
Aruina cognomen unde, quorum. 420. B.
Unde. C.
Aſconius turpiter emendatus. 31. B. 63. D.
Reſtitutus. 65. D. 69. D. 70. E. 71. B. 72. C. 74. A. 75. B. 76. B. 82. C. 203. D. 204. D. 219. D. 243. C. 301. C.
Bina comitia probat. 360. C. 362. A.
Aſia qua conditione legata. 242. B.
Quando Prov. facta. 250. B. 302. A.
Aſiaticus cognomen cujus, unde. 414. B.
Aſina cognomen cujus, unde. 416. A.
Aſinelli ad pacem redacti. 1049. A.
Aſper cognomen cujus, cur. 412. B.
Aſperſorium quid. 155. E. 416. E. 417. B.
Atia gens, unde. 401. A. 405. B.
Atilia gens à quo. 406. D.
Atricii gens à quo. 407. E.

Atta cognomen quorum, unde. 420. A.
Atticus cognomen cujus, cur. 412. D.
Avaritia Clericorum an tacenda. 1118. E.
Aventinenſis cognomen unde, quorum. 421. A.
Aufidii quo cognomine uſi. 412. C.
Augur cognom. quorum, unde. 418. B.
Augurinus cognom. quorum, unde. 418. B.
Auguſtalis dignitas Patriciatui comparata. 1130. C.
D. Auguſtinus admirans Ciceronis philoſophiam ad Chriſtianam adductus. 723. D.
Teſtis ejuſdem libri de conſolatione. 891. C. 947. D.
Defenſus. 1086. C. D.
An in eum injurioſus auctor. 1221. E.
An verſionem Septuaginta ſequutus. 1234. B. 1235. C.
Auguſtinus Valerius Epiſc. Veronenſ. S.R.E.C. auctoris laudator. 1069.
Auguſtus quomodo Toranium proſcripſit. 235. A.
Noluit cenſor dici ſed præeſſe more cenſorio. C.
In R. civitate danda parciſſimus. D. 304. E.
Jocos prohibet. 237. E. 303. B.
Cognomen cujus, unde. 418. C.
Aulctica an poeticæ pars. 208. C.
Quid. 209. A.
Aulus prænom. ejus origo. 388. A.
Scriptura. 391. E.
Quorum origo. 406. A.
Qui ab ipſo quo cognomine uſi. 421. A.
Aurelii gens à quo. 407. E.
Auruncus cognomen unde, quorum. 421. A.
Auſpicia ad quid. 364. C. 371. E.
Qui ſine his. 367. A. 372. A. 376. B.
Quorum propria. 424. B.
Quo turbarentur. C.
A quibus aſſequuta. E.
Axilla cognomen unde. 419. E.
Quorum. 420. A.
Azo Atteſtinus Ferrarienſium & Bononienſium ductor. 1039. B.
In Icilinum conjurat. 1040. B.
Ei commendatur Icilini fr. 1042. B.
Solus partes Eccleſiæ ſuſtinet. 1045. C.
Azolinus Lambertacius Bononienſ. Regii Prætor. 1045. D.
Azolinus Rodilia Mutinæ Præf. 1047. B.
Azymus panis, an eo uſus ſit Chriſtus. 1208. D.

B

Badia Card. Mutin. laudatur. 326. C.
Balbi qui, unde. 419. C.
Et Balbini. 422. A.
Balbus quod præmium conſequutus. 1016. C.
Balearicus cognomen cujus, unde. 414. B.
Baptiſmus Conſtantini M. 987. B.
Baptiſmus, priſcis temporibus dilatum referre an periculoſum. 1095. C.
Quibus verbis ab auctore ſignificatus. 1140. A. 1151. E. 1160. D.
Barbatus cognomen quorum, unde. 419. E.
Barbulæ familia ex qua gente. 402. B.
Cognomen quorum. 419. E.
Bartholomæus Butrigarius Anzianus Bonon. iram excitat. 1052. A.
Bartholomæus Beccatellus ſauciatus. 1053. C.
Bartholomæus Baſacomatra occiſus. 1061. C.
Bartholomæus Guidizonus Mutinæ jus dicens. 1048. A.
Occiſus. 1051. E.
Bartolus quid afferat de Gymnaſio Bononienſi. 989. B.
Baſacomatres ad pacem redacti. 1049. A.
Baſilica Salvatoris quando inchoata. 985. C.
Sanctorum Petri & Pauli. 988. A.
Beatitudo quid & ejus partes. 571. B.
Beccatelli confligentes. 1053. C.
Beda Anglus, de ejus hiſt. judicium. 963. C. 966. E. 973. B.
Bellum, primum Pœnis quando illatum. 14. A.
Tertium. B.
A quibus gerendum. 366. A.
Prædationi comparatum. 685. E.
A Romanis juſtè geſtum. 687. C.
Quodnam. 688. B.
Quid conſequatur. 691. A.
Cum mortuis qui gerat. 730. E.
Bellutus cognomen cujus, unde. 411. E.
Benedictio quibus vocabulis expreſſa apud Chriſtianos. 1132. A.
Beneficentia ejus commendatio. 545. A. 578. C. 580. E.
Benevolentia cauſſa cujus. 597. C.
Bernardus Naugerius laudatur. 1.544. (VI) D. 1074. fi.
Bertanus Card. Mutin. laudatur. 326. C.
Bergomates in factione. 1049. C.
Beſtiæ ab Ægyptiis conſecratæ. 875. B. 918. E.
Bethel an ad Tribum Judæ pertinuerit. 1201. D.
Bithynicus cognomen cujus, unde. 415. A.
Blæſi qui, unde. 419. C.
Quorum cognomen. D.
Blondus cur irridendus. 1127. E.
Boji quando victi. 247. E.
Bona, de quibus ſuaſor. 569. C.
Animi, corporis, & fortunæ. 571. B.
Confeſſa utilia ad beatitudinem. 573. D.
Controverſa. 574. D.
In medio. E.
Ex quibus depromenda argumenta. 575. D. 576. A.
Eorum loci. 627. A.
Fr. Bonaventura de Iſco Ord. Min. pacis ſequeſter. 1058. A.
Bonifacius I. Ro. Po. an ab Honorio approbatus. 1106. E.
Bonifacius III. Ro. Po. cur decretum ab Imperatore petierit. 1116. E.
Bonifacius Arioſtus occiſus. 1060. C.
Bononia, ſupplementum ad ejus hiſtoriam. 1037. A.
Seditione afflicta. E.
Peſtilentia. 1040. A.
Ibi ſtudia reſtituta. 1044. E.
Siccitate laborans. 1046. B.
Refugium Guelforum. C. 1049. A.
Gymnaſium detrimentum recipit. E.
Per Antianos miniſtratur. 1051. A.
In tumultu. D.
Ibi turris perfecta. 1053. A.
In ſeditione. B.
Ibi Rex Franciæ. 1056. B.
Rom. Pont. excipit. 1059. A.
In ſeditione. B.
Bononienſes in clientela Antoniorum. 237. B. 302. C.
Eorum academia. 258. B.
Laudantur. 545. A. 550. A. 754. A.
Quando inſtituta. 983.
Judicium auctoris. 989. A.
Ferrarienſibus juncti. 1039. B.
Interdicti. 1041. D.
Prœliantes. 1042. E.
Diſciplinam recipiunt. 1043. C.
Ad Pontificem legatos mittunt. 1044. D.

Ro-

Romaniolam obtinentes . 1045. C.
Imolam capiunt. 1046. D.
Eorum prudentia . 1048. D.
In magno numero arma capientes . 1049. C.
In auxilium vocati . 1050. A.
In ſeditione . E.
Legatos Venetias mittunt . 1052. E.
Bellantes . 1054. A.
Ubique bene pugnantes . 1055. A. 1056. C.
Percuſſi . B.
Obſidentes . D.
Repulſi . 1056. A.
Pacificantur . 1057. D.
Frumentum & ſal devehere poſſe obtinent . 1058. D.
In anguſtiis . 1059. B.
Acrioribus . 1060. B.
Victi . 1061. B.
Inſurgentes . C.
Victi . 1062. A.
Eorum inimicitiæ quid induxerint . 1071.
Fr. Bonvicinus Ord. Minor. procurator pacis . 1058. A.
Boſo Dovaria in Icilinum conjurat . 1040. B.
Obſiſtere conatur . 1049. C.
Gentes congerit . 1050. D. E.
In Cremonenſes . 1051. B. C.
Brancaleo . *Senator R. de carcere eximitur* . 1037. B.
Anagniam oppugnat . C.
Ejus caput reconditum . D.
Ejus Patruus ei ſuccedit . ibi.
Turrium disjector . 1039. E.
Bricii Imola expulſi . 1046. C.
Brixia premitur . 1039. A.
Cui permiſſa . 1041. B.
Brixiani Mantuanis juncti . 1039. A.
Icilino dediti . C.
In factione . 1049. C.
In partes Eccleſiæ . 1050. D.
Brutus cognomen cujus , *unde* . 411. D.
Quo agnomine uſi deſcendentes. 419. E.
Quanta in exiſtimatione Ciceronis . 807. D.
Bubulcus cognomen quorum, *cur* . 413. B.
Burrus cognomen unde . 410. E.

C

CAchas Regienſis occiſus . 1048. B.
Ejus memoria . C.
Cadaver Clodii lavatum ne ſit . 75. B.
Cæcus cognomen unde . 410. A. 419. B.
Qui . C.
Cæcilia gens unde . 405. C.
Quo cognomine uteretur . 413. A.
Cæcilianus ejus cauſſa . 1085. B. 1086. A.
Cæremoniæ Eccleſiæ , *hujus vocabuli cenſura purgatur* . 1080. E.
Ceſo prænom. ejus origo . 388. A. C.
Quomodo ſcribendum . 391. E.
Qui ab ipſo . 406. B. 422. A.
Cajus prænom. ejus origo . 388. A. C.
Scriptura . 391. E. 394. C.
C. Antonius Ciceronis competitor pro Conſulatu . 777. B. ad 781. C.
C. Cæſar, *ejus Operis emendatio reprebenſa*. 47. C. 113. B.
Ejus nummus explicatur. 119. D. 130. C. 155. 156. 415. D. 416. D.
Ejus in Cleopatram propenſio . 137. A.
Ejus ſummum ſtudium . 507. E.
An Senator vel ex fam. Senatoria . 227. C.
Sponſa dimiſſa , *uxorem ducit* . 228. E.
An Gallos vicerit . 248. B.
Multatus . 271. A.
Quam & quando duxerit . B. 276. E.
Cognom. unde . 416. C.
De ejus ſcriptis judicium . 967. B.
C. Julius Capitolinus de ejus biſt. judicium. 963. B. 966. B. 970. E.
C. Plinius Secundus de ejus biſt. judicium. 963. A.
C. Plinius Cæcilius . V. *Plinius*.
C. Saluſtius Criſpus de ejus ſcriptis judicium. 963. A. 967. C.
C. Suetonius Tranquillus . V. *Suetonius* .
Caiphas non ex legitima Sacerdotum linea. 1222. A.
Calen Hebraicum an Kalendario Latino correſpondeat . 1215. D.
Calenus cognom. unde , *quorum* . 421. A.
Caliſtus Ro. Po. an excommunicaverit Imperatores . 1103. A.
Callæcus cognomen cujus , *unde* . 414. B.
Callimachus non intellectus . 173. C.
Calpurnia gens , *unde* . 401. B. 405. B.
Quo cognom. cur . 413. C.
Lex . 768. A.
Calvus cognom. quorum , *unde* . 419. A.
In quod mutatum. 422. A.
Camerinus cognomen unde , *quorum* . 421. A.
Camillus cognomen quorum , *cur* . 412. C.
Camillus Boſius , *ad eum epiſtola* . 1031. B.
Capitolina deſcriptio diſcrepat ab aliis . 4. A.
Ejus fragmentum . 7. E.
Refectio à quo decernenda . 276. E.
Capitolinus cognomen unde, *quorum* . 421. A. 422. D.
Capitones qui , *unde* . 418. E.
Cappadocia ſtipendiaria facta . 242. D.
Caprarius cognomen cujus , *cur* . 412. A.
Capræ cognomen quorum , *unde* . 413. D.
Caprilius cognomen unde . 410. C. D.
Carboneſii cum Galluciis contendentes . 1038. B.
Cardinales Mutinenſes laudantur . 326. C.
Carmen quid apud Chriſtianos ſcriptores ſignificet 1132. A.
Carneades legatus Romam miſſus . 681. D.
Carolus Magnus eximiæ religionis . 1070.
Ejus donatio . 1128. C. 1129. B. D.
Carolus V. Imp. funebri oratione quomodo laudatus . 263. E.
Bononiæ coronatus ejus Gymnaſium extulit . 554. C. 556. B.
Carolus comes Andegavenſ. à Rom. Pont. invitatus . 1047. B.
Solicitatus , *Romam accedit* . 1049. A.
Rex Siciliæ & Apuliæ coronatus . 1050. A.
Caſtrum recipit . 1051. C.
Victus . 1052. B.
Victor , *uxoratus* . C.
Recipit Bononienſ. in fide . 1062. D.
Carrinas cognomen unde . 421. A.
Carrocium . 1057. B. C.
In forum perductum . 1060. B.
Amiſſum . 1061. B.
Reſtitutum . C.
Caſalecbium Caſt. imbribus incommodatur. 1053. E.
Caſca cognomen unde . 420. D.
Caſſadoca Epiſ. Veronenſis captus . 1039. B.
Caſſia lex à quo . 73. B.
Duplex . 772. E.
Caſſianum Caſt. ad Abduam , *ab Icilino ibi pugna* . 1040. C.
Caſſii tres . 73. B.
Caſſiodorus ejus chronologia conſularis cui concordet . 6. E.

Se-

Sequutus à Sigonio, contemptus à Robortello. 14. D. E.
Caſtellanus Andalus Placentiæ Præt. 1041. C.
Caſtrobritti cum Arteniſiis contendentes. 1038. B.
Caſtrum Sancti Alberti à Venetis conſtructum. 1054. B.
Caſtrum S. Zenonis refugium Alberici. 1041. C.
Everſum. 1042. D.
Catellanus Malavolta nomen dat Ordini Milit. 1045. A.
Pacis arbiter. 1048. D. 1052. A.
Catii gens à quo. 406. E.
Catilina quomodo abſolutus. 74. A.
Patricius. 766. E.
Ejus crudelitates. 778. C.
An à Cic. defenſus. 779. A.
Conſulatum petens. 781. C.
Ejus iniquitas. 782. E.
Cato cognomen quorum, unde. 411. C.
A Cicer. laudatus. 743. B.
Cato, de commentariis ſub ejus nomine judicium. 1015. E.
Catullus, & Sapphus comparati. 29. A.
Depravatus. 207. B.
Caudex cognomen cujus, unde. 416. C.
Caudinus cognomen cujus, unde. 415. A.
Cauſſa privata ad communem artificio traducta 751. C.
Earum diviſio. 920. E.
Celer cognomen unde dictum. 410. A.
Celeres qui. 273. A.
Eorum varia appellatio. 274. A.
Celeritas quanti ſit facienda. 807. D.
Celtiberia quando ordinata. 246. E.
Cenſores equum publicum aſſignant & adimunt. 66. B. 204. B.
Haſtæ præſunt. 271. A.
Quando ſublati vel renovati. 285. B.
Cujus poteſtatis. 372. E. 378. C.
An omnes tertio nomine potiti. 423. A.
Eorum notatio. 693. C. 698. B.
Cenſorinus ab errore defenſus. 35. D.
Cognomen cujus, unde. 418. A.
Cenſus quomodo dictus. 42. E.
Jus tribus fundit. 109. D.
An ex eo ſenatores. 275. E.
Et Judices, equites & pedites. 1018. D.
Cenſuræ in auctorem de Imp. Occid. 1077. A.
De Regno Italiæ. 1111. A.
Ad hiſtor. Sac. B. Sulpicii Severi. 1139. A. 1166. A.
De Repub. Hebræorum. 1177. A.
Centum Caſt. pene obrutum. 1053. E.
Centuriæ quomodo rogatæ & renunciatæ. 49. D.
Quæ nomina obtinuerint. 279. E.
Eorum comitia. 336. A. 353. A.
Quot fuerint. 362. C.
Ad quid. 365. C.
Quomodo educerentur. 1017. C.
Nomine concordant tribubus. E.
Cerretanus cognomen unde, quorum. 421. A.
Chilones qui, unde. 419. D.
Chiriacus ſtroza inſultatus. 306. E.
Chirie eleiſon, an inventum Gregorii vel tantum ab eo determinatus numerus. 1115. A.
Choragus quis. 179. B.
Chriſtus petra in quo ſenſu, & an per ſimilitudinem. 1147. A. C.
Chronologia inter auctores varia. 3. A. 13. C.
A Robortello alterata. 24. C.
Scriptorum hiſtoriæ Rom. 963. A.
Auctoris cenſurata. 1164. E.
Cibo de hac fam. controverſia. 998. D. 999. A.
Cicero ejus chronologia cui concordet. 4. A.
Ejus anteceſſorum diverſitatem, in ea fatetur. 3. B. 7. B.
Declaratus. 45. D.
Ejus emendatio reprehenſa. 49. D. 52. D. 54. B.
Ad probationem adductus. 66. C. 67. A. 68. A. D. E.
Conſularis vir. 111. A.
Non intellectus exponitur. 135. E. 154. D. 168. C. D. 171. E. 177. C.
Interpunctio reprobata. 183. A.
Defenſus. 184. B.
Explicatio deluſa. 202. D. 204. B.
Cognomen cur. 413. B.
Quam illuſtre. 422. B. C.
Quando inceperit. 423. B. 426. E.
Ejus competitores. 427. A.
In Dialogo florens. 441. E.
Adoleſcens quid tranſtulerit. 663. A.
Platonis de repub. libros quando. 668. E.
Ejus laudes à Seneca. 673. B.
Lectus à philoſopho, in quo admiratur. 683. C.
Petens conſulatum. 777. B.
Comentaria quomodo ſcriberet. 800. A.
Puer latinis exercitationibus deditus. 801. D.
Ejus filius à Bruto laudatus. 810. D.
Eumdem illi commendat. 811. E. 814. B.
Ejus de libro conſolationis judicium. 885. A. 888. E. ad 892. E. 893. E.
Ejus repetitiones ad Judicium revocatæ. 909. E.
Sententias reppetens non ſit ſuſpectus. 912. B.
Ejus in lingua latina novitates. 925. A. 953. D.
Plures. 954. E.
Repetitiones. 935. A. 940. B.
Depravationes. 941. D.
Mutationes. 943. A.
Corruptiones. B.
Fragmentorum ejus ordinandorum ratio. 944. A.
An mentiatur. 949. B.
Timorem numquam attulit ſine confirmatione, nec mœrorem ſine conſolatione. 950. B.
Sibi teſtis. 951. E.
Plures chriſtianas ſententias habet. 956. A.
Atque ſimilia Scripturæ ſac. C. D.
Cicurinus cognomen quorum, cur. 412. C.
Cilo cognomen quorum, unde. 418. E.
Cincinnatus cognomen quorum, unde. 419. A.
Cinnæ familia ex qua gente. 402. B. 408. C.
Civilis prudentia neceſſaria dialogo. 442. A.
Civis, optimus à Cicerone deſcriptus. 671. A.
Quantum patriæ debeat. 673. E.
Perverſioni obſtet. 706. B.
Quis hoc nomine intelligendus. 1015. B. C.
Quomodo deſcriberentur. D.
Civitas Rom. quibus & qua lege data. 235. D. 285. E. 300. D. 426. B.
Deſcribitur. 671. A.
Ab urbe quid diferat. 672. C.
Ejus conſtitutio. 676. C. 678. B.
Ejus moderatori quis finis conveniat. 701. E.
Claſſes quot fuerint. 1017. E.
Claudii quo prænomine uſi. 393. C. 397. E.
Quod repudiaverint. 398. A. 401. C.
Unde. 405. D.
Quo agnomine. 411. E. 413. B. 418. B. 420. B.
Familiæ duo. 792. E.
Clemens IV. Rom. Pont. Carolum ſolicitat. 1049. A.

Moritur . 1053. A.
Cleopatra, à Cæſare adamata . 137. A.
Clerici an eis liceant uxores . 1136. C.
Clerus Rom. quomodo Pontifici ſacrificium impedierit . 1120. E.
Clodius necatus ne an vexatus . 110. D.
. . . . cognomen unde . 410. A. B.
Clœlii gens unde . 405. B.
Cluentii gens unde . 405. C.
Cneus prænom. ejus origo . 388. A. C.
Scriptura . 392. A. 394. C.
Quibus probatum . 398. A.
Qui ab ipſo . 406. B.
Cocles cognomen unde . 419. A. B.
Cœli eorum numerus . 714. C.
Motus . 715. A.
Plures apud Epicureos . 728. B.
Cœlii gens unde . 405. D.
Cœlimontani qui, unde . 421. A.
Cœlius Curio male habitus . 306. D.
Cognomina R. eorum etymologia . 22. A.
Controverſia . 127. D.
A quo ducta . 129. D.
In duas claſſes . E.
Aliquando joci materiam præbent . 135. E.
Prænominibus & nominibus confuſa . 139. E.
Idem ne ac agnomina. 140. E. 409. C.
Nomini præpoſita . 142. C. 407. B.
Quaſi connomina . 143. B.
Pro prænomine uſurpata . 166. B.
An aliquando agnomina . 171. D. 172. A.
Gentium origo . 405. E.
Quomodo inventa . 408. B.
Unde tracta . 409. E.
A ſapientia ducta . 411. C.
A virtute & moribus . E.
Ab oratione & dicto . 412. D.
Ab arte & ſtudio . 413. A.
Ab urbe vel regione . E.
A pugna . 414. E.
Ab eventibus . 415. D.
A corporis partibus . 418. E.
A corporis habitu . 420. B.
Ab ortu . D.
A loco . E.
A principe generis . 421. B.
A ſimilitudine . C.
A fortuna . D.
Ex cognominibus . E.
An hæreditaria . 422. A.
An æque omnium . E.
Collatinus cognomen cuius, unde . 415. B.
Collectio, qua arte à Rethoricis regulata . 105. C.
Collegæ pares in culpa judicati . 706. E.
Collegia militaria Bononienſia tria . 1053. C.
Quatuor . D. 1055. D.
Quæ in armis . 1059. E.
Cum populo incurruns . 1060. C.
Coloni qui . 241. C. 243. A. 301. C. 304. B.
An jure ſuffragii gauderent . 243. B. 300. A.
Coloniæ R. eorum genera duo . 798. C.
De his dubium . 994. A. B. 995. A. C. 1000. B. C. 1001. A.
Comacius Gallucius Vexillum ſubtrahit . 1053. D.
Mutinæ Præf. 1057. D.
Comenſes eorum inimicitiæ quid induxerint . 1071.
Comici eorum proprietas . 607. B.
Cominii gens à quo . 407. C.
Quo cognomine uterentur . 421. A.
Comitia quæ & quot . 335. E. 353. A.
Quæ auſpicata . 372. A.
A tributis Patricii excluſi . 1017. C.
Quid hac voce intelligat auctor . 1121. C.
Comœdia quid . 209. E. ad 211. B.
Ejus incrementum . 214. B.
Ad quod dictionis genus ſpectet . 437. C.
Ex quibus mixta . 484. B.
An probata . 655. A. 818. A.
Commoda propria comunibus comparata . 851. C.
Comparatio quando adhibenda . 582. C.
Concilium & Conſilium an ſit idem . 1228. D.
A Judicio quid differat . 1230. E.
Concilium Sardicenſe & Philippopolitanum an catholica . 1086. B.
Primum an Generale . 1095. A.
Syrmienſe an conciliabulum . D.
Ejus convocatio ad quem ſpectet . 1097. E. 1099. D. 1100. A. 1107. D.
Conſtantinopolit. & Chalcedonenſe relate ad tria capitula quomodo ſe habuerint . 1113. C. 1114. B.
An conventus ſane dictum . 1116. D. 1121. B.
Concio ejus elocutio . 649. D.
Dificilior contentione . 655. E.
Concordia quid conferat . 671. B.
Ex æquabilitate provenit . 675. C. 677. A.
Confeſſio an per manus impoſitionem . 1081. D.
Fidei an ad Baptiſmum requiſita . 1086. E. 1087. C.
Confirmatio Rom. Pont. controverſa . 1111. A. 1115. E.
Conjunctiones in oratione qua arte . 640. C.
Conradinus Conradi Regis filius ad partes Gibellinorum vocatus . 1050. E.
Veronam accedit . 1051. C.
Bene pugnat . 1052. B.
Obtruncatus . C.
Conſcientia quibus præmium . 708. A.
Conſenſus Magiſtratuum & privatorum comparatus . 26. E.
Conſilium quale eſſe debeat . 808. A.
Cæteris datum dantibus applicandum . 837. A.
Mirabile . 854. C.
Fundatum cujus efficaciæ . 869. B.
Conſolatio libri Cic. inſcriptio . 745. E.
Ad hanc inducendam exempla . 747. A.
An adulterinus ſit partus . 825.
Proprium Ciceronis judicium de tali opuſculo . 885. A.
Sigonii defenſiones . 885. A.
Ejus initium defenditur . 906. D.
Accuſationes . 933. D.
Conſtantinus M. ejus converſio . 983. 985. C.
Donatio . 985. A. C. 986. C.
Abrogat Ludos ſecul. 985. D.
In cauſſa Donatiſtarum quomodo ſe geſſerit . E. 986. A.
An occiderit Melchiadem . D.
An fuerit Arrianus . E.
Ejus baptiſma . 987. B. 1092. C.
An inſidiis appetitus à cenſura purgatur . 1079. D.
Quid & quando Eccleſiæ in utilitatem præſtiterit . 1080. B. 1081. A.
Quando Epiſcopos gratos habuerit . 1082. A.
Et libertatem ad Chriſtianos . C. D.
Ejus liberalitas . 1083. A.
De ejus decretis cenſura purgatur . ibid. & 1084. A.
An Fauſtam & Criſpum occiderit . 1086. D. E.
Cur Roma abſceſſerit . 1090. A. B.
Arii & Euſebianorum technis captus . 1091. C. E.
An in fide claudicaverit . 1092. A.

An

An hæreticis adhæſerit. 1092. A.
An de eo parcus auctor. 1167. B.
Conſtantius Archiep. Mediolanenſ. qua confirmatione caruerit. 1115. E. 1116. B.
Conſulares viri qui. 270. D.
Conſulatus, ad ejus petitionem leges duæ. 111. E. 233. C.
An delendum nomen hoc in tex. Cic. 1016. E.
Conſules variatim ab auctoribus numerati. 3. A.
Primi quando inierint. 5. B.
Eorum imperium quo ſymbolo indicatum. 282. D.
An lege curiata id obtinerent. 358. B.
Cujus poteſtatis. 364. B. 368. A. 369. D. 372. E. 378. C.
An omnes tertio nomine potiti. 423. A.
Conſultatio de quibus. 565. E. 566. B. 573. E.
De quinque potiſſimum. 569. C. 570. A.
De mediis. 573. D.
Quoddam judicium eſt. 597. A.
Quid conferat. 671. B. 675. E.
Conſecratio hominum quando in uſu. 947. C.
Cæterorum. E.
Conſuetudo, quæ faciat. 584. D.
Hebræorum etiam in citationibus fugienda. 1200. E.
Contemptio quid, pars cujus. 598. D.
Cui adverſa. 613. C.
Contentio, in dialogo. 466. D.
Ejus membra. E.
Ejus elocutio. 648. E.
Contra quomodo Latinè dictum. 70. E.
Controverſantes eorum proprium officium. 561. D. 562. C. 568. B.
De græco converſum. 667. C.
Contumelia quid, pars cujus. 598. D.
Corculum cognomen cujus, unde. 411. D.
Cordii gens à quo. 407. A.
Cognomen, unde. 410. C.
Cordus cognom. unde, cujus. 420. D.
Coriolanus cognomen cujus, unde. 413. E.
Cornelia gens ex ea quot familiæ. 402. B. 408. C.
Quo cognomine uſa. 413. C. 419. D. 420. A. B. 421. E.
Cornelius Nepos de ejus hiſt. Chronologia. 965. B. C.
Cornelius Furius Coriolanus in Robortellum. 343. E.
Cornicen cognomen quorum, cur. 413. B.
Corpora animis comparata. 734. D. ad 736. E.
Quomodo domanda. 737. A.
Quo indigeant. 837. B.
Correctio facilius corroditur quam corrigatur. 333. C.
Corſica quando prov. 294. D.
Corteſius Card. Mutin. laudatur. 326. C.
Corvus cognom. cujus, unde. 416. C.
Mutatum. 421. E.
Coſſorum familia ex qua gente. 408. C.
Quo agnomine uſa. 420. B.
Unde. C.
Cotta cognomen unde. 410. E.
Tres fuere. 757. B.
Craſſus cognomen unde, quorum. 420. B.
Quo agnomine uſi deſcendentes. 421. D.
In quo mutatum. 422. A.
Creatio rerum quomodo ab auctore tractetur. 1167. A.
Cremonenſes in factione. 1049. C. 1050. D.
Afflictati. 1051. B. C.
Victores. 1053. B.
Auxilium tribuum. 1057. A.
Creſcens Creſcentius Legatus Bononienſ. 1052. E.
Venetiis mortuus. 1053. A.
Creta quando prov. facta. 247. A.
Creticus cognomen cujus, unde. 414. B. E.
Crimen avertitur arte. 752. C.
Criminatio confuſa. 750. C.
Criſpus Conſtantini M. filius an ceciſus. 1085. D. E.
Criſpus cognom. quorum, unde. 419. A.
In quo mutatum. 422. A.
Crudelitas Etruſcorum. 735. D.
Cruſtumina tribus quomodo in præmium data. 1016. B.
Crucifixio in ſcripturis an per ſuſpenſionem intelligenda. 1232. E.
Cruſtomerium diverſimode ſcribi poſſe defenditur. 18. C.
Culpa ſemper vitanda. 843. D.
Cultus ſanctarum imaginum & idolorum an ab auctore confuſus. 1145. C.
Cunctator cognomen cujus, unde. 415. C.
Cupiditas, quæ faciat. 584. E.
Quorum. 585. D.
Omnia ſuavia reddit. 872. E.
Curatii quo cognomine uſi. 420. D.
Curatores agrarii quomodo creati. 362. D.
Curia in hac qui deſcripti & quomodo. 1015. D.
Curiata comitia quæ. 335. E. 353. A.
De imperio. 364. A.
An duplex eorum lex. 358. D.
An ad rem militarem. 358. A. 369. D. 376. A.
De his dubium. 1004. B.
Curii quo cognomine uterentur. 419. D.
Curio cognom. quorum, unde. 418. B.
Curſor cognomen cujus, unde. 415. C.
Curtius an equum an equus ipſum in vado ſtatuerit. 115. E. 332. B.
Curulis Magiſtratus jus imaginis conferebat. 426. C.
Cyrenæ quando prov. R. 248. E. 293. E.
Cyrillus Epiſc. Alexand. an Legatus Papæ natus. 1106. B.
Cythariſtica pars poeticæ. 208. C.
Quid. 209. A.

D

Dalmatia non cum Illyrico devicta. 247. A. 295. E.
Dalmaticus cognomen cujus, unde. 414. B.
Damaſus Ro. Po. an Synod. Conſtantinop. convocaverit, & quando. 1097. E. 1100. B.
Falſa de illo ſcripta. 1100. D.
An legatos miſerit. 1101. A.
An in ejus electione Principes. 1111. D.
Dardania quando victa. 248. D. 297. E.
David an ſenſu litterali in pſal. 11. intelligi poſſit. 1199. D.
Quo ſpiritu imperaverit. 1200. D.
Decemviri an magiſtratus. 334. C.
Qua lege ornandi. 336. D. 356. E. 378. A.
Decii gens unde. 408. A.
Decimus D. litera ſignificatur. 147. D.
Ejus origo. 388. A. C.
Scriptio. 391. E.
Decimia gens à quo. 406. B.
Unde. 408. A.
Decorum, ejus triplex ratio. 452. A.
Poeticum. 453. B.
A Platone an neglectum. 461. A.
Cui aſſociandum. 464. D.

Defenſiones, earum ars. 583. A. 623. D. 627. A. 628. A. D. 629. A.
Commodioris conditionis. 632. B.
In oratione quo modo. 650. B.
Eloquentiæ laudibus quæ abundet. 760. C.
Defenſor idem ne ac tutor. 1136. E.
Definitio ejus utilitas. 680. E.
Dehortatio unde ſumenda. 578. E. 627. A. 628. A.
Deitas ex virtute provenit. 870. D. 873. E.
Deliberativum orationis genus. 261. A. 618. A. 619. C.
Demagogus quis. 179. B. 186. C.
Demonſtrativa elocutio ſcriptioni aptiſſima. 647. D.
Hujus generis regula. 656. A.
Demoſthenes à Robortello corruptus. 29. C. 33. B.
Ejus ſolertia. 519. A.
Deſſidere an diſſidere legendum ſit. 122. B.
Dentati qui, unde. 419. D.
Diadematum cognomen à quo dictum. 410. A.
Et qui. 416. B.
Dialectica quibus neceſſaria. 442. E. 495. A.
Ejus munera in dialogo. 473. E. 483. E.
In rhetorica. 561. A. 564. E.
Deriſa. 731. A.
Dialogus ejus ars quàm difficilis. 431.
Cur adinventus. 435. A.
Nil ſine imitatione continet. 437. D.
Imitationi conjunctus. 438. C.
Unde nominatus. 439. B.
Philoſophiæ filius. 440. E.
Quis primus eo uſus. 441. A.
Quibus præceptis conſtruendus. 442. A.
Ejus definitio. 443. B.
Germana perſona quæ. 446. A.
Materia. C.
A quo depravatus. 447. A.
Ab epiſtola quam diverſus. C.
Quid ex rhetoricis hauriat. 450. C.
Ejus partes. 451. A.
Ineptus. 452. C.
Ejus præparatio. 453. D.
Circa perſonarum officia. 456. B.
Circa tempus & locum. 458. D.
Ejus ſermonis ratio. 461. D. 472. B.
Natura. 464. C.
Contentio. 466. D.
Expoſitio. 472. C.
Inquiſitio. 473. E.
Obſtetricatio. 474. B.
Remotiſſimo argumentorum loco utitur. 483. A.
Varietate delectatur. 484. D.
Urbanitatem exigit maximè. 485. C. 487. A.
Ejus præparatio. 671. C.
Dictator imperium ejus quibus indicatum. 282. D.
An lege curiata habeat. 358. B. 364. E. 365. B. 372. C. D. 377. B.
Quando æquatum. 373. E.
An omnis tertio nomine uſus. 423. A.
Dies quomodo Luna dicatur apud Hebræos. 1206. E.
Dictio tria genera continet. 437. B.
Hiſtorica & oratoria quæ. 442. C.
Decora. 452. D.
Neceſſitate ſeparata. 539. E.
Dio Caſſius Nicæus; de ejus hiſt. judicium. 963. B. 965. B. C. E. 970. A.
Diodorus Siculus de ejus ſcriptis judicium. 963. A. 964. A. 967. D. 1009. C.
Dionyſius ejus chronologia cui repugnet. 4. B. 6. E. 8. C. 13. C. 60. B.
Quid notet. 14. B.
Ejus fragmentum Livio comparatum. 58. E.
Defenſus. 139. B.
De ejus ſcriptis judicium. 963. A. D. 964. B. 967. E.
Dionyſius Garirſendus legatus Bononienſ. 1044. E.
Diribere & dirimere ſuffragia quid importent. 54. B.
Diſciplina quid conferat. 671. B. 675. E.
Diſſenſio, communitatis quo modo corrigenda. 706. C.
A quo procedat. 720. A.
Diſſidium Eccleſiæ Mediol. an ſatis ab auctore explicatum. 1132. B.
Diſciplina Chriſti per pœnitentiam revocata. 1043. A. C.
Diſtributio qua arte regulata à Rethoricis. 105. C.
Dives cognomen quorum, unde. 421. D.
Divina res fieri quid ſignificet. 1128. A. 1142. D.
Divortium primum Romæ. 14. B.
Quid. 228. C.
Doctrina quid pariat. 847. A.
Dolabellæ familia ex qua gente. 402. B. 408. C.
Duo eodem tempore. 771. A. 793. B.
Trebonii occiſor qui Aſiam vexavit. 816. C.
Dolor quomodo ſedandus. 854. C.
Mercenarius qui. 855. A.
Dolus malus definitur. 751. E.
Dominium Pontificum idem ne ac Patrimonium. 1120. B.
An per ſeditionem inductum. 1125. A.
Temporale. 1133. E.
S. Dominicus, ejus ſepulcrum. 1053. E.
Ejus familia laudatur. 1073. fi.
Domitii quo cognomine uſi. 419. E.
Donatio Conſtantini M. ſententia auctoris. 985. A.
Ejus cenſura. 1082. E. 1083. A. 1086. A. 1089. D.
An abrogata. 1094. C.
Vel confirmata. 1125. D.
Donatiſtæ eorum cauſſa. 985. D. 986. A.
An Montani. 1085. A. C. 1086. A.
Dorſo cognomen quorum, unde. 419. E.
Druſus cognomen cujus, unde. 415. B.
Duum viri quomodo creati. 363. B.

E

EBurnus cognomen unde. 419. E.
Eccleſia Dei invicta. 1070.
Ejus primatus. 1116. E.
Ejus auctoritas an per leges Imp. diminuta. 1130. E.
Catholica quibus notis exprimenda. 1159. A. 1171. C.
Ejus immunitas. 1161. D.
Ejus forma. 1180. C.
Eccleſiæ Dei & Sanctorum diverſitas quid inferat. 1071.
Patriarchales earum ordo. 1089. B.
Romanæ & Mediol. diſſidium. 1132. B.
Ecetræ qui, controverſum. 20. C.
Edeſſa in Meſopotamia quomodo capta. 1073. med.
Edicta ad quam poteſtatem ſpectent. 269. E.
A reſcriptis Principum diſtincta. 1083. A.
Egerius cognomen quorum, unde. 421. D.
Elegantia quæ, controvertitur. 942. A.
Electio Imperatorum cenſuratur. 1133. B.
Elephas in nummo quid ſignificet. 130. C.
Eloquentia laudatur. 493. A.
Ejus pater. 495. C.

Ejus dominatus. E.
Nova & vetus. 496. B.
Ejus domicilium. 497. B. 510. E. 543. A. 544. E.
Neceſſaria Reipublicæ. 509. C.
A quibus damnata. 510. A.
Verè ornata ſi philoſophica. 511. A.
In ea qui excellat. 514. B.
Ejus origo. C.
Ad eam neceſſaria ſtudia. 515. D.
Et præcepta. 517. D.
Labore paritur. 518. E.
Ubi floruit. 522. C.
Libertatis filia. 526. A.
Ejus ſimulacra quam utilia. 548. A.
A Cicerone laudata. 724. E.
Primitus excollenda. 727. A.
Admirationem exigit. 815. B.
In verborum delectu conſiſtit. 924. E.
Elocutio voce regulanda. 635. B.
Artis eſt. 636. A.
Perſpicua ſit. D.
Emendata in quinque. 640. C.
Tumida quæ. 641. B.
Decora. D.
Numeroſa. 642. D.
Aut fuſa aut verſa. 643. C.
Urbana qualis. 645. A.
Sit conveniens. 648. E.
Hæc ne, vel ſermo à Socrate quæſitus. 952. E.
Eludere & illudere an ſit idem. 1188. C. 1189. A.
Empedocles cur potius philoſophus quàm poëta. 436. C.
Encænia quæ & quot fuerint. 1212. E.
Quando. 1214. B.
Encomia in laudem auctoris. 1069. ad 1077. 1239. A.
Enthymemata ſunt corpus fidei. 561. C.
Oratorium ſyllogiſmum vocata. 565. A.
Eorum materia & forma. D.
De quibus. 566. A.
Ex quibus conſtare debeant. B.
Eorum differentia. 567. C.
Quibus conſtituta. 568. E.
Judicialibus aptiſſima. 582. E.
Ex quibus proferantur. 597. A. 618. A. 619. E. 620. D.
Eorum partes. 621. C.
Quomodo inveſtiganda. 622. E.
Generum duorum. 624. B.
Eorum plures loci. in ſeq.
Et adumbratorum. 629. D.
Eorum diſſolutiones. 631. D.
Ex quatuor deducuntur. 632. A. 635. B.
Eminentia quæ. 645. B.
Judiciis cur accommodatiora. 655. C.
Permiſcenda. D.
Quæ magis probantur. 656. B.
Ea immutare quando conveniat. E.
Epiſcopi quando à Conſtantino in gratiam recepti. 1082. A.
Ægypti an ſimul petierint. 1094. B.
Falſa de eis ſcripta. 1100. D.
An ab Imperatore damnati. 1107. B.
Æmiliæ cui ſubjecti. 1126. A.
Eorum qui ſummus. 1165. B.
Epitheta convenientia ſint. 637. D. 638. C.E. 641. B. 642. B.
Epopœja pars poëticæ. 207. D.
Equites R. eorum ordines duo. 65. D.
Per annos quadraginta judicarunt. 67. C.
Duobus nominibus appellati. 129. A.
Refutatur. 146. D. 423. A.
Quibus copularentur. 227. C. D. 270. C. 271. E.
Tales eſſe deſinebant magiſtratum capientes. 237. B.
An iidem ac publicani. 273. C.
Eorum varia appellatio. 274. A.
Eorum magiſtri cujus poteſtas. 373. E. 377. B. D.
Eorum cenſus. 1018. E.
Equus publicus quid. 204. B. 205. A.
Dubitatur de eo. 993. C. 995. C.
Vectigalis quid. 997. A. 998. A.
Equus an à Curtio deſtitutus, vel Curtium invado ſtatuerit. 115. E. 332. B.
Equitius cognomen unde. 410. C.D.
Eraſmus male reprehenſus. 179. C. 180. E. 182. D. 184. D. E. 185. D. 186. C. E. 187. C. 188. A. 189. B. E. 190. C. 191. A. D. 192. A. C. D. 193. B. 194. B. D. 195. B. C. D. 196. B. 197. B. D. E. 198. C. D. E. 199. B. D. 200. A. D.
Inſultatus. 306. C.
Eremita ad pœnitentiam incitat. 1042. E.
Error Dialogo quid miniſtret. 469. D.
In Scripturis Sacr. per librariorum oſcitantiam. 1148. E.
Eſdras Lector Legis & Princeps Sacerdotum. 1226. D.
Synagogarum inſtitutor. 1227. B.
De ejus libris cenſura. 1223. D. 1226. C. D. 1233. E.
Eſther an ejus hiſtoria & ejus feſtum fideliter ab auctore producantur. 1212. E. 1214. E.
Evagrius Scolaſticus de ejus hiſtoria judicium chronol. 966. C.
Evangelia quid tradant apud auctorem. 1167. C.
Evangeliſta Sbrogliavacca teſtis in Robortellum. 320. B.
Euchariſtia an vitio auctoris nominetur panis. 1145. C.
Eudoſia Imp. an excommunicata. 1103. B.
Euripidis correctio refutata. 114. B.
Euſebius Nicomedienſ. doli artifex. 1091. C. 1093. C.
Euſebius Pamphila Cæſarienſis de ejus hiſt. judicium chronol. 966. C.
Eutrapelus cognomen quorum, cur. 412. D.
Exarchatus an Æmiliam comprehenderit. 1126. A. 1128. C.
Excommunicatio quibus formulis latinè uſurpata fucum faciat. 1124. B.
Eam exhorruerunt Reges. 1135. A.
Exempla pietatis. 1069.
Exemplum oratoria inductio. 565. A.
Ejus differentia. B.
De quibus. 566. A.
Ejus materia & forma. 567. A.
Quibus aptiſſimum. 582. E.
Ejus genera duo. 619. E.
Concionibus cur aptiſſimum. 655. C.
Exercitus à quibus paratur non regulatur. 366. A.
Exordium in genere cauſſæ amphidoxo. 788. D.
Expiatoria ſacrificia à cæteris quomodo diverſa. 1216. D.
Exprobratio apta. 757. C.
Exuperantia quomodo laudanda. 576. A. 577. A. 578. A. 581. C. 587. A. 591. D.
Injuriarum. 592. E.

F

FAbia gens quo prænomine uteretur. 389. B. 392. E.
Cujus nepotes. 393. B.
Quo cognomine. 415. D.
Fabii gens unde. 404. D.
Quo cognomine uterentur. 419. E.
Qui pictores. 726. C.
Quot ſcriptores. 1001. D. 1002. A.
Fabius Pictor qui. 419. E.
Quot. 725. C. 1001. D. 1002. A.
De Commentariis ſub ejus nomine judicium. 1015. E.
Fabula à quo initium obtinuerit. 4. A.
Ejus partes. 18. B.
Repetita quid probet. 911. A.
Facetiæ quid. 614. D.
Factum & non factum rhetoricè propoſita. 618.E.
Faërnus ad ejus epiſtolam reſponſio. 331. A. ad 336.
Falces an murales vel rurales legendum ſit in Cæſare. 47. C.
Falſitas unde derivata. 936. E.
Faltones cujus gentis & familiæ. 402. B.
Familia quid diverſum à gente. 142. B. 143. C. 402. B.
Patricia, alia plebeja, nobilis & nova ex quo. 423. E.
Quæ translatæ. 425. A.
Quæ plebeja & patricia. D.
Fanum Tulliæ dicatum. 876. A. E. 888. C. 892. C.
Faſces quid indicaverint. 371. C.
Quando primùm conſuli ſummiſſi. 673. A.
Faſti conſulares à quo ſcripti. 673. D.
Fatum an cauſa univerſalis. 742. E.
An ab auctore probatum. 1155. D. 1156. C. 1169. A. 1170. A.
Faventia à Bononienſibus ſubacta. 1046. D.
Capta. 1060. A.
Reddenda. B.
Refugium. C.
Obſeſſa. D. 1061. A.
Faventini Accariſios ejiciunt. 1046. C.
Strati. 1061. A.
Victores. B.
Fauſta ejus domus quando donata. 1084. E.
An occiſa. 1085. D. E.
Fauſtus & Fauſta an prænomina. 150. B. 153. D.
A quo. 388. A. C.
Cognomen unde. 421. D.
Fecialis quomodo ſcribendum. 333. C.
Felix cognomen unde. 421. D.
Feminæ. V. Mulieres.
Ferraria in cujus dominio. 1045. C.
Exercitum recipit. 1049. C.
Ferrarienſes Bononienſibus juncti. 1039. B.
Gibellinis accurrunt. 1047. D.
In factione. 1049. C. 1057. A.
Feſtum, Tubarum, an de hoc falſa dicat auctor. 1209. D.
Ignis ſeu Luminum. 1214. B.
Eſther. E.
Phurim. 1215. B.
Jejunii. D. V. Encænia.
Feſtus declaratus. 47. A.
Fictor cognomen cujus, cur. 413. A.
Fictorii gens à quo. 406. E.
Fidenas cognomen cujus, unde. 414. A.
Fidentia quid. 603. E. 605. B.
Cogitationem excludit. 609. B.
Fides quomodo opinionis membrum ab ea diſtincta. 470. D.
Ejus inſtrumenta. 471. A.
Quæ artificioſa. 561. B. 564. B. C.
Quibus mediis producatur. 565. A.
Artis expers quæ. 593. B.
Tres ejus cauſſæ. 597. C. 635. A.
Quæ communis. 619. E.
Orationis pars. 650. C. 655. B.
Religionis cuſtos. 700. B.
Catholica an ſatis exprimatur abſque Rom. 1159. A. 1162. A. 1171. C.
Fidius trinomius. 1029. C.
Figulus cognomen cujus, cur. 412. D.
Filius non faciendus ſervus. 108. D.
Finis moderatoris reipublicæ. 703. A.
Flacci cujus gentis & familiæ. 402. B.
Unde. 419. D.
Flamen dialis, an ei divortium liceat. 228. B.
Flaminii gens à quo denominata. 407. D.
Cognom. quorum unde. 418. A. E.
Flavii gens à quo. 406. E.
Flavius Eutropius de ejus Scriptorum rei R. chronologia. 963. C. D. 964. A. B. C. D. E. 965. B. D. 966. A. C. 971. D.
Ejus comparatio. 1015. E.
Flavius Vopiſcus de ejus Rom. hiſt. chronologia. 963. B. 966. B. 971. B.
Flavus cognomen, unde. 419. E.
Florentia à Guelfis dimiſſa. 1045. C.
Florentini præliantes. 1042. E.
Guelfis adjuncti. 1048. B. 1049. C.
In auxilium vocati. 1050. A.
Se invicem pacificantes. D.
Pugnant. 1050. A.
Fœderati quibus opponantur. 242. B. 299. B.
Fœlix Rom. Pont. cum Arrianis communicans. 1095. E.
An martyr. 1096. D.
Fœnus vetitum. 1018. B.
Foliani Regienſes in factione Guelforum. 1048.B.
Forenſia quæ. 270. D.
Foreſius Adimarus Guelforum Dux. 1048. B.
Fornicatio ſimplex, peccatum. 1192. B.
Forolivienſes, auxiliantes. 1061. C.
Forolivium obſeſſum. 1055. C.
Ibi Odoardus Angliæ Rex. 1059. A.
Reddendum. 1060. B.
Fortitudo quid. 580. B.
Ejus exempla. 848. A. 851. B. 852. A. 853. D. 855. C. ad 858. A.
Ea ſolemus egere. 864. B.
Admiranda quæ. C.
Fortuna quorum. 573. B.
Quæ cauſet. 584. C.
Quomodo à Cic. habita. 749. E.
Fragmenta Cic. eorum ordinis ratio. 944. A. 958. D. 959. A.
Quando colligi incœperint. 1000. E. 1002. A.
Quando terminata. 1003. D.
S. Franciſcus ejus familia laudatur. 1073. fi.
Franciſcus Accurſius juris interpres in Bonon. Univerſit. 1044. A.
Franciſcus Vianellus, ejus epiſt. ad Sigonium, atque reſponſio. 883.
Franciſcus Maria Molſa laudatur. 326. C.
Franciſcus Portus Cretenſis eruditor Sigonii. 325. A.
Franciſcus Balduinus pro Sigon. teſtis. 342. A.
- - - - Hotomanus pro Sigon. teſtis. D.
- - - - Fabricius Marcoduranus item.
- - - - Patricius in Robortellum. 344. B.
Franciſcus Robortellus: ejus caracter. 1.
Error. 5. A.
Modus procedendi in controverſia. B. 12. C. 13. D. 14. E. 15. B. D. 16. C. 17. E. 18. C. 19.

19. E. 20. B. 21. D. 23. E. 24. B. 25. E. 26. D. 30. D. 31. B. 32. A. B. 34. B. 42. D. 43. D. 50. E. 51. E. 61. B. 64. E. 65. A. E. 69. D. 70. B. 71. B 72. C. 77. D. 78. E. *ad* 82. B. 83. D. 87. C. 88. B. 89. A. E. 94. B. 95. C. 96. E. 101. C. 102. E. 103. C. 107. E. 110. B. E. 115. D. 116. E. 117. B. 122. A. 138. B. 139. A. B. 141. A. 143. A. 145. B. 147. D. 148. D. 149. A. 152. A. C. 154. B. 158. A. 159. B. 160. A. 161. A. 162. E. 163. A. C. 165. A. 168. D. 172. D. 173. A. 179. C. 186. A. 189. D. 191. C. D. E. 193. E. 194. D. 195. E. 196. D. 206. E. 216. E. 219. A. 228. E. 230. E. 231. E. 233. E. 236. C. D. E. 238. E. 244. A. 246. C. 247. B. D. 248. B. 249. D. 250. A. 251. B. 252. A. 253. A. *ad* 270. 271. A. 272. C. 273. D. 274. B. 276. C. D. 277. B. C. D. 278. C. D. 281. B. 282. A. 285. A. D. 286. D. 287. A. 288. A. 289. C. 291. E. 292. B. C. 295. B. D. 296. D. 297. C. 298. A. 299. E. 301. E. 303. D. 304. A. 337. A. *ad* 348. 390. E. 394. A. 395. B. 398. E. 403. C. 407. A. 408. D. 409. D. 414. B. 416. C. 418. A. C. 422. E.
Ejus Capitolina deſcriptio. 9. E.
Sibi contrarius. 18. A. B. C.
Et regulis grammaticalibus. 31. A.
Dionyſio & Phileri immanior. 310. B.
In eum reſponſio. 305. A. *ad* 331.
Ejus pro Schola controverſia. 397. A.
Quando contra auctorem ſcripſerit. 993. C. 996. A. 1010. A.
Fridericus Scala juris interpres in Bon. Univerſ. 1044. A.
Frigora ex elocutione quatuor. 638. D.
Frinianum in quæſtione. 1039. D.
Fronditio cognomen cujus, unde. 413. C.
Fronto cognomen, unde. 419. A.
Frugi cognomen cujus, cur. 412. A.
Fufetius an Suffetius ſcribendum ſit. 116. E.
Fufii quo cognom. uſi. 421. A.
Fullo cognomen quorum, cur. 413. B.
Fulvii gens à quo. 406. E.
Fulvius Urſinus laudatur. 671. D.
Funera, ære populi ornata. 707. B.
Furiæ domeſticæ quæ. 853. A.
Furii gens à quo. 407. B.
Quo cognomine uterentur. 412. C. 421. A.
Fuſus cognom. quorum, unde. 421. B.
Futurum & non futurum rhetoricè propoſita. 619. B.

G

Gabinii gens à quo. 407. C.
Gabriel Fallopius Sigonii condiſcip. 325. B.
Gabriel Palæotus Sigonio intimus. 325. E.
Galba cognomen, unde. 410. E.
Quorum, unde. 420. B.
Carneadis auditor. 681. E.
Galeria tribus & centuria. 97. D.
Galli avidum genus. 755. E.
Gallia provincia in Italia. 241. E.
Ejus terminus. 247. C. *ad* 249. 296. B. 297. B. 301. A.
Quando à Proconſule tenebatur. 367. A. 371. A. 375. D.
Gallii gens à quo. 406. E.
Gallucii cum Carboneſiis contendentes. 1038. B.
Mulctati. 1041. E.
Gaſpar Sardus teſtis pro Sigonio. 324. C.
Geganii gens unde. 405. C.
Familia tranſlata. 425. A.
Geminianus Balduinus legatus Bononienſ. Romæ mortuus. 1044. E.
Geminii gens à quo. 406. E.
Geminus cognomen unde, quorum. 420. D.
Gens à familia differt. 142. B. 143. C. 402. B.
Romana eorum origo. 403. E.
Major & minor. 424. E. 425. C.
Quæ patricia & plebeja. D.
Gentiles ab agnomine. 128. A.
Non idem ac agnati. 143. C. 403. A.
Gentilitium nomen, qui eo caruerint. 136. E.
Ad quid. 139. E. 401. A.
Non impoſitum ſed à natura. 153. A.
Non ſimiliter deſinens. 154. C.
Mulierum. 157. D.
Quæ in eo analogia. 159. B. C.
An aliquando pro prænomine. 169. B.
Genucii cur Aventinenſes dicti. 421. A.
Genuenſes cum Venetis contendentes. 1039. C.
Gerardus Cambius Regienſis libertatem donat. 1041. B.
Germanicus cognomen cujus, unde. 415. A.
Gibellini ſubacti. 1041. E.
Erecti. 1042. D.
Superiores. 1045. B. C.
Afflicti. 1046. B. C. 1047. C. D.
Regio ejecti. 1048. B.
Victi. 1050. A.
Depreſſi. 1051. B. 1052. B.
Irritati. 1053. B.
Gibertus de Gente Prætor Parmenſis. 1041. B.
Girardinus Longus exercitus Dux. 1055. A.
Giufredus Belmontius legatus Pontificis. 1049. B.
Glabrio cognomen unde, quorum. 420. B.
Unde. C.
Gladiatorium falſo titulo datum. 780. B.
Glareanus ejus controverſia. 60. B.
Gloria in quo conſiſtat. 704. E.
Ea quis alendus. 707. D.
Duos de hac libros Cicero ſcripſit. 744. C.
Gorzani Mutina expulſi. 1047. B.
Gorzanum Caſtr. dirutum. *ib.* D.
Gracchanus cognomen cujus, unde. 416. A.
Gracchus cognomen unde, quorum. 420. B.
Unde. C.
Tribunus occiſus. 711. A. D.
An ejus verba. 1016. E.
Græcia litterarum cuſtos. 873. D.
Græcitas an per contemptum dicta à cenſura purgatur. 1081. C.
An vere attributa. 1120. D.
Graſulfi Mutina expulſi. 1047. D.
Obſeſſi. 1050. B. C.
Summoti. 1053. B.
Auxilium obtinent. 1055. B.
Gratia quid. 608. B.
S. Gregorius M. Ro. Po. quam confirmationem populi requireret. 1115. D.
Quid à Mauricio Imp. & Joanne Patriarcha petierit. 1116. E.
Gregorius X. Ro. Po. conſecratur. 1057. D.
Lugdunum & Bononiam procedit. 1059. A.
E Concilio redit. 1060. D.
Gruamons Caccianimicus nomen dat Ordini Militum. 1045. A.
Guccius Lizzarus Mutinæ Prætor. 1052. B.
Guidoderus Galluccius Mutinæ jus dicens. 1048. A.
Gulielmus Accurſius juris interp. in Bonon. Univerſit. 1044. A.
Gulielmus Malavolta occiſus. 1061. C.
Gulielmus Montebellius Mutinæ Prætor obſeſſus. 1050. B.
Guielmus Puſterla Mediolanenſ. Bononiæ Prætor. 1059. B.

Depulſus. 1060. C.
Gulielmus Rangonus Mutinæ Præſ. 1047. D.
Gulielmus Seſſius Regienſ. Bononiæ Præt. 1048. A.
Abdicat. 1049. D.
Gulielmus Xylander pro Sigonio teſtis. 342. E.
Guelfi prœliantes. 1042. E.
Afflicti. 1045. C.
Luca pulſi. 1046. B.
Spe erecti. 1047. C.
In auxilium vocati. 1048. B.
Victores. 1050. A.
Bononia excluſi. 1059. E.
Gurgeſ cognomen cujus, cur. 412. B.
Fr. Gurgo Placentinus leges pro Ordine Militum ſcribit. 1045. A.

H

HElviorum gens quo cognom. uteretur. 419. D.
Hencius Rex fugam tentat. 1053. D.
Moritur. 1057. C.
Henoticon an ab auctore ſatis expreſſum. 1108. B.
Henricus fr. Regis Hiſpaniæ, Senator Ro. 1051. D.
Conradinum excipit. 1052. B.
Henricus Glareanus vel ejus nomine quæſtio publicata exinanitur. 55. B.
Henricus Stephanus pro Sigonio teſtis. 343. A.
Henriculus Gallucius occiſus. 1061. B.
Hermogenes declaratur. 133. C.
Hermolaus Teupulus &
Hermolaus Juſtus pugnantes. 1055. A.
Herodiani, eorum ſecta. 1228. A.
Herodotus ejus caracter. 275. B.
Hieremæi cum Lambertinis contendentes. 1038. B.
Cremonenſibus auxiliantur. 1051. C.
In factione. 1055. C. 1056. A.
Inſurgentes. 1057. B. 1058. E.
Vaſtantes. 1059. A.
Eorum ædes everſæ. C. D.
Obſides dimiſſi. 1060. B.
Perſequentes. D.
Soli incolumes. E.
Prœliantes. 1061. B.
Hierico &
Hieruſalem an ad Tribum Judæ ſpectaverint. 1201. D.
D. Hieronymus teſtis pro libro de Conſolatione Cic. 893. B. 894. C. 899. A.
Ejus Chronica quem locum chronolog. teneat. 966. D.
Romanus ne an Antiochenus. 1104. E.
Joſephi teſtimonio uſus. 1219. A.
Hieronymus Faletus teſtis pro Sigonio. 324. C.
Hieronymus Mercurialis laudatur. 825.
Hieronym. Oſorius Sigonii contubernalis. 325. D.
Hieronymus Sala ferit. 1053. C.
Hiſpania quando prov. facta. 246. A. 291. A. 294. B. 367. A.
Ejus diviſio. 295. B.
A quo procoſ. obtenta. 367. D. 368. C. 371. A. 375. E.
Hiſtoria tripartita quem locum chronologicum teneat in re R. 966. D.
Hiſtoria ab oratione aliter loquitur. 371. D. 442. B.
Quem finem reſpiciat. 437. A.
Fructum quem adducit. 495. A. 530. A.
Philoſophiæ comparata. 532. D. 534. A.
Militari arti. 533. E.
Cæteris præſtans Romana. 534. E.
Philoſophiæ ſimulacrum. 540. A.
Ejus conſilium rhetori miniſtrandum. 570. B. 571. A.
Ejuſdem repetitio quid probet. 909. E.
Cujus generis probatio ſit. 911. A.
An depravata in Conſolat. 940. E.
Quomodo redargutiones admittat. 1137. A.
Hiſtriones quot, primis temporibus. 102. A.
Hirtii gens unde. 408. A.
Homo quid ſit ex Platonis dialogo. 477. A.
Quid expetere debeat. 547. A.
In eo quidam divinus ignis. 683. D.
Quid hæc vox ſignificet. 956. D.
Homini quid præſtet. 1069.
Honeſtas ab utilitate contradiſtincta. 614. C. 615. B.
Honor quid & quomodo aquiratur. 572. B.
Cur appetatur. 574. C.
Quando ſuppetit. 575. C.
Major. 577. E.
In quo conſiſtat. 704. E.
Ejus exempla. 707. B.
Contentio. 785. C.
Honorius I. Ro. Po. quomodo ſe geſſerit in Monothelitharum hæreſi. 1117. D.
Honorius III. Ro. Po. privilegium Archidiacono Bononienſi concedit. 989. C.
Horatii quo cognomine uſi, unde. 419. E. 420. D.
Horatius, ejus expoſitio rejecta. 201. A.
Horatius Malegutius laudatur. 559. 560.
Hoſpitalis S. Mariæ Vitæ Bonon. ejus initium. 1043. E.
Hoſtus prænom. ejus origo. 388. A. D.
Qui ab ipſo. 406. B. D.
Humanum nullum dolendum. 853. B.
Hugolinus Lambertinus Prætor Mutinæ. 1038. A.
Nomen dat Ordini Militum. 1045. A.
Hugolinus Giulia Graſulforum proditor. 1050. C.
Hugolinus Zambonus occiſus. 1061. B.
Humaniores litteræ an ornamentum ne, vel præjudicium afferant Eccleſiæ Dei. 1216. A. 1221. E.

I

JAcobus Amorotus Lanzavecchia Alexandrinus Bononiæ Præf. 1057. D.
Iterum. 1059. B.
Depulſus. 1060. C.
Jacobus Epiſc. lapſu extinctus. 1041. C.
Jacobus Dandulus pugnans. 1055. A. 1056. C.
Jacobus Sadoletus laudatur: de philoſophia quid ſcripſerit. 723. E.
Jacobus Tab rnarius Parmenſ. Bononiæ Prætor. 1046. B.
Jacopinus Prendipartius Mutinæ Prætor. 1049. E.
Jacopinus Rangonus ad Præturam vocatus. 1039. D.
Ad arma incitat. 1047. D.
Ad jus dicendum ſubſtitutus. 1048. C.
Mutinæ Prætor. 1053. B.
Jactantia quam fugienda. 1233. E.
Jambus, ſermo vulgi. 642. E.
Icilinus à Romano Verona exit copiarum ductor. 1039. A.
Oppreſſus. 1040. A. ad E.
Ejus ſoboles deleta. 1042. A.
Idola eorum initium. 1143. C. 1168. D.

Ite

Jejunium à Chriſto inſtitutum an ſervatum. 1218. C.
Jephte de ejus hiſt. cenſura. 1214. A.
Ignis ſabbato non ſuccendendus apud Heb. quomodo intelligatur. 1207. C.
Illiberalitas ejus ſigna. 606. B.
Illudere & eludere an ſit idem. 1188. C. 1189. A.
Illyricum quando prov. factum. 246. E. 295. E.
Imagines, ad poſteritatem quando cœptæ. 422. D.
  Quo fundamento. 426. C.
  Egregiæ uxori propoſitæ. 547. E.
  Sanctorum, an ſimulacra, religioſè dici poſſint. 1125. E.
  Iſtarum cultus. 1145. C.
Imitatio triplex. 211. B.
  Una ex cauſis poëſeos. E.
  Duplicis generis. 435. D.
  Quibus participata & cujus propria. 437. C. D.
  In triplici differentia. 443. D. 445. D. 450. C.
  Quo perficitur. 451. C. 452. A.
  Quem conſectetur. 464. C.
  Imitat tria ipſam ſimulantia. 468. D.
  Plurium locorum Ciceronis. 827. A.
Immortalitas animæ apud Platonem & Cicer. 708. D. 713. A. 715. B. 720. E. 748. A. 864. D. 838. ad 878. 888. B. 915. C.
  Ubi uberius à Cicerone tractata. 930. E. 956. A.
Immunis cui opponatur. 242. B.
Immunitas Eccleſiaſtica, an ei contraria ſcripſerit auctor. 1161. D.
Imola, ibi factiones Bricios expellunt. 1046. C.
  In manus Bononienſium. D.
  Capta. 1060. A.
  Reddenda. B.
  Iterum capta. D.
Imolenſes diſciplinam recipiunt & inducunt. 1043. C.
Imperatores ad quod poteſtatis genus reducendi. 269. E. 283. A.
  Germani laudati. 1071. 1072.
  An convocent Eccleſiæ Concilium. 1087. D. 1088. A. B.
  Quando confirmaverint Ro. Po. 1111. A.
  A populo confirmati. 1129. D.
  Eorum electores qui. 1133. B.
  Suprematum Italiæ retinuerunt. 1134. E.
  Sub quibus natus & mortuus Chriſtus. 1221. C.
Imperioſus cognomen cujus, unde. 415. D.
  Quorum cujuſque duratio. 422. D.
Imperium aliud à poteſtate. 282. C. E.
  Juſtum ab injuſto diverſum. 284. C.
  An lege curiata datum. 364. A.
  Rei militaris. 365. A.
  Quomodo à Gruch. ſumatur. 368. D.
  Privatis qua lege datum. 370. D.
  Ejus collationis varius uſus. 372. C.
  An unum tantùm. E. 373. A.
  Prorogatum quomodo. 375. A.
  A quibus aſſequutum. 424. E.
  An à Pontifice pendeat. 1135. D.
Impoſitio manus, an abſolutio, cenſuratur & purgatur. 1081. D.
Impudentia quid. 606. A.
Impudica an ab auctore ſcripta. 1132. E.
In quomodo latinè dictum. 70. E.
Incenſum in Sancta Sanctorum oblatum. 1220. C.
Incommodatio quid, pars cujus. 598. D.
Incontinentia diſcordiarum cauſa. 1073. med.
Indicium quid. 364. C.
Inductio oratoria quæ. 475. D. 619. E. 620. E.
Infantia ejus moleſtiæ. 838. B.
Ingenia non mutantur. 550. B.
  Perfici poſſunt. 501. E. 504. A. 514. B. 517. A. 538. B. 546. D.
Ingenui qui. 286. D.
Initium magnitudine parvum, efficacia maximum. 200. B.
Injuria quid. 583. A.
  Propter quæ fiat. D.
  A quibus. 588. A.
  Quibus. 589. B.
  Unde ejus nomina diſtinguantur. 590. C.
  Juſte facta defendenda. 591. D.
  Major & minor. 592. C.
  Quomodo metui connexa. 604. C.
Innocentius I. Ro. Po. an de eo inepta referat auctor. 1104. D. 1105. A. C.
Innocentius IV. Ro. Po. territus Aſſiſium concedit. 1037. C.
  Ejus auctoritas contemnitur. D.
Inopia Romam affligit. 1037. D.
  Italiam. E.
  Venetias. 1052. D.
  Bononiam. 1056. B.
Inquiſitio in dialogo duplex. 473. E.
Inſubres quando victi. 247. D.
Intercalatio, cujus momenti. 1206. D.
Intercatia Urbs in Hiſpania. 112. D.
Interregnum ſine patricio magiſtratu. 334. C.
Interrogatio in oratione quando opportuna. 657. A.
Invidia quid. 611. E.
S. Joannes Chryſoſt. ejus judicium à quo. 1104. B.
  An ejus ſententia auctor contradicat. 1209. E.
Joannes III. Ro. Po. quo ſenſu ejus Pontificatus funeſtiſſimus. 1113. B.
Joannes VII. Ro. Po. an ejus tempore ſcripti canones. 1122. D.
Joannes Dandulus Venetus Bononiæ Prætor. 1049. E.
  Pulſus & reſtitutus iterum Prætor. 1051. A.
  Urbe excedit. 1052. A.
  Legatus. 1054. C.
Joannes Villanus quid referat. 1045. A.
Joan. à Bronchorſt & Batburch laudatur. 831. fi.
Joan. Xiphilinus de quibus hiſt. ſcripſerit. 965. E. 966. B. 970. A.
Joan. Zonaras de ejus hiſt. judicium. 963. D. E. 964. A. B. C. D. 965. A. C. D. 966. A. E. 974. B.
  Ejus editio. 995. B. 996. D. 997. C. E.
Joannes Faſcolus inſultatus. 306. E. 314. A.
Joan. Carolus Bovius Ep. condiſcipulus Sigonii. 325. A.
Joan. Vincentius Pinellus Sigonii conviva. 327. B.
Joan. Baptiſta Pigna pro Sigonio teſtis. 343. B.
Joan. Moronus Card. laudatur. 431.
Joci petulantes ab Auguſto prohibiti. 237. E.
  Dicteria nominati. 801. E.
Joſeph Antonius Saxius, ejus præfatio ad MS. 983.
Joſephus Judæus de ejus hiſt. chronologia judicium. 965. D. 966. A.

De ejus ſcriptis. 1177. A. 1178. A. 1179. B. 1193. A.
An liceat ipſum adducere. 1202. D. 1207. B. 1220. B. 1228. C.
An falſus. 1212. E. 1215. B. 1217. D. 1223. A.
Ejus teſtimonio utitur S. Hieronymus. 1219. A. 1228. C. 1231. D.
Jornandes Gothus, de ejus hiſt. judicium. 963. C. 966. D. 972. E.
Jovis nomen orationis initio invocatus. 762. A.
Ira à rhetore inſpecta. 597. C. 609. B.
Quid. 598. C.
Quam inimica communitati. 671. B. 675. E.
Iſauricus cognomen cujus, unde. 414. A.
Iſocrates eloquentiæ pater. 495. C.
Ab Ariſtotile imitatus. 507. C.
Ejus eruditio. 515. E.
Iſraelitæ an de captivitate erepti. 1190. C.
Per Synecdochen dicti. 1192. E.
Eorum terra, ubi Tribus diſpertitæ. 1201. A.
Italia ejus jus & terminus. 241. C. 296. B.
Quibus ſubjecerit viciſſitudinibus. 1071.
Sub cujus ditione. 1134. E.
Itali à latino ſermone quibus differant. 523. A.
Quæ ſumant. 526. C.
Cujus indolis. 1071.
Ad gratias agendas invitati. 1072. med.
Jucunda, in oratione quomodo ſumenda. 585. A.
Judæi an de captivitate erepti. 1190. C.
De eorum moribus an peritiam Chriſtus habuerit. 1232. C.
Judices ad quam poteſtatem reducendi. 269. E. 270. A.
Quid inſpiciant. 562. A. 632. B.
Ut attendant rogandi. 753. E.
Optio quæ eis danda. 754. B.
Præfatione parandi. D.
Legum varia genera. 767. E.
Eorum cenſus. 1018. D.
Sorte electi. 1232. A.
Judicia quibus propria. 424. B.
Eorum elocutio. 649. D.
Judiciale oratorium genus quomodo tractandum. 593. A. 618. A. 649. D.
Judicium in ſac. Scrip. quid ſignificet. 1191. A.
Quid à concilio differat. 1230. E.
Julia gens unde. 208. A. 401. B. 404. E. 421. B.
Eorum prænom. 397. A.
Agnomen. 419. E.
Ejus translatio. 425. A. 1016. B.
Julianus Imp. ejus ſcelera an ſatis expreſſa. 1097. C.
Julius Capitolinus V. Cajus Julius.
Junii gens unde. 405. B.
Quo cognomine uteretur. 413. B.
Juramentum quomodo in judicialibus aſſumendum. 595. C.
Jurgia illicita. 699. E.
Eis conjuncta. 700. A.
Juriſperiti à gloſſis ſcribendis quando alienati. 1044. A.
Juris prudentia cæteris comparata. 513. B. 539. D. 542. B.
Jus quid. 681. B. 682. A.
Quod populo conveniens. 700. E.
Violatum quas pœnas indueat. 719. A.
Latii quid. 797. B.
Juſtinianus Imp. ejus juſſum. 989. A.
An primus confirmaverit Rom. Pont. 1111. A.
Juſtinus de ejus hiſt. judicium. 963. B. 969. E.
Juſtitia quàm neceſſaria. 676. E. 678. D.
Ejus vis. 679. A.
Et laudes. B.
Exempla. D.
Argumenta contraria convelluntur. 680. B. ad 692.
A philoſophis ignorata. 683. A.
Cæterarum virtutum comes. 732. D.
Juventii gens unde. 408. A.
Juventus ejus bona. 572. D.
Quibus affectibus dedita. 613. E.

L

Labeones qui, unde. 419. D.
Lacedæmonii cur ex parte beati. 572. A.
Divinis honoribus quos afficerent. 873. C.
Lactantius teſtis pro Conſolatione Cic. 888. C. 892. C. E. 894. D. ad 898. E. 902. B. 913. C. 918. B. 944. E. 958. D. 959. B.
Cur Ciceroni de ſuo adjecerit. 945. D. 946. E.
Ejus emendatio. 948. C.
An mentiatur. 949. B.
Lactucinus cognomen quorum, unde. 413. C.
Lænates cognomen unde. 410. E. & cujus. 416. B.
Lævini cujus gentis & familiæ. 402. B.
Unde. 419. E. 422. A.
Lambertacii Imolæ factionarii. 1046. C.
Irritati. 1053. B.
Opem ferentes. 1055. B. 1056. A.
Legatos mittunt. D.
Territi. 1057. B. C. 1058. E.
Eorum ædes everſæ. 1059. C. D.
Acrius certamen inſtaurant. 1060. B.
Perſequuti. D.
Deleti. E.
Eorum factionarii. 1061. A.
Præpotentes. B.
Impetum facientes. E.
Spoliis locupletati. 1062. C.
Lambertinus Dominæ Samaritanæ, Mutinæ Prætor. 1052. B.
Lambertinus Ramponus pacis arbiter. 1048. D.
Lamia cognomen cujus, unde. 421. B.
Lanfrancus Malocellus Genuenſ. Bononiæ Prætor. 1054. E.
Dux exercitus. 1055. C.
Lanfrancus Uſumarus Genuenſ. Bonon. Prætor. 1041. B.
Langobardi ultionis Divinæ baculum. 1069.
Eorum exempla. 1070. 1071.
Cupiditate corruerunt. 1123. D.
Lapis Piſanus. 203. C.
Polanus. 205. E.
Spoletanus. ibi.
Romanus. 206. A.
Item Puteolanus. ibi.
Auximanus. B. C.
Peruſinus. C.
Largitas deriſa. 687. D.
Lar non Lartes ſcribendum. 138. A.
Unde. D. 388. A. 390. D.
Qui ab ipſo. 406. C.
Latini qui. 241. C.
Ab Italico ſermone in quo diverſi. 523. A.
Eorum novitates vocabulorum. 925. A. 953. D.
Plures. 954. E.
Qui præcipui auctores. 928. D.
Eorum candor. 943. D.
Qui non contemnendi. 957. A.
Quæ dicant apparenter imperfecta. B. 958. A.

Late-

Lateranum à quo & cui donatum. 985. C. 1084. E. 1086. A.
Laudenſes eorum inimicitiæ quæ mala induxerint. 1071.
Laudes in oratione unde ſumendæ. 263. A. 265. D. 568. E. 573. D. 575. A. D. 576. A. 579. E. 581. D. & ſeq. 623. C. 627. A.
Laurentius Pugna procurator inſtitutus. 1058. C.
Laurentius Teupulus Venetiarum Dux vectigalia imponens. 1052. D.
Paciſcens. 1057. E.
Procuratorem inſtituens. 1058. C.
Lazarus Mocenicus Sigonii commenſalis. 327. B.
Legati tres à Cic. innominati, manifeſtantur. 772. E.
Rom. Pontificis ad concilium cur. 1087. D. 188. D.
An miſſi. 1101. A.
Synodo ſextæ an præſederint. 1121. E.
Leges Papiæ duæ. 45. D. 70. C.
Sempronia Aurelia, Pompeja & Julia commemoratæ. 66. E.
Sempronia & Cornelia quo anno. 70. C.
Caſſia à quo. 73 B.
Ad petitionem conſulatus, duæ. 111. E.
Earum nomina. 131 B
Papia de peregrinis. 167. D.
Plotia. 229. B 278 B
Vatinia. 230. D. 304 B.
Quid differant à privilegio & plebiſcito. 233. B.
Et more. 280. A.
Julia de civitate Italis danda. 243 B.
Ad quam poteſtatem ſpectent. 269. E 270 B.
Papia extra argumentum adducta. 276. A.
Lutatia. 279 C.
Pompeja. 233 E. 301. B 303 D.
A cognomine appellantur. 407 A
Eis in communi quid conveniat. 561. D.
Privata & communis. 590 C.
Quomodo eis utendum in oratione. 593. A.
Licinia & Mucia pernicioſæ. 767. A.
Calpurnia. 768 A.
Modus eas ferendi. 769. A.
Gabinia. 769. E.
Caſſiæ duo. 772. E.
Aurelia & Roſcia. 773. D.
Plotia & Varia. E.
Agraria. 784 B.
Servilia & Varia. 789 B.
Duodecim tabularum. 1016 C.
Porcia à quo, dubitatur. ibi D.
Porcia & Sempronia. ibi E.
An duobus in locis ibi de tutelis. 1017. A.
Legislator quid inſpiciat. 562. A.
Lenitas quid. 600 E.
Lentuli familia ex qua gente. 402. B. 408. C.
Cognomen cur. 413 B.
Lentulus cognomen & agnomen. 171. C.
Leo I. Rom. Pont. quomodo acclamatus. 1107 E.
Leo II. Rom. Pont. an confirmaverit ſextam Synodum. 1123. A.
Leo Iconomachus à dominio quo abutebatur deturbatus. 1125. C.
Lepidi familia ex qua gente. 402. B.
Cognomen quorum, cur. 412. D.
Liazarus Liazarius Bononienſ. Genuæ Prætor. 1046. B.
Florentiæ. 1048. A.
Liberalitas quid. 580. B.
Liberi proſcriptorum ad honores admiſſi. 270. E.
Liberius Rom. Pont. an Arrianis conſenſerit. 1096. A. D.
Epitheto proprio non decoratus. 1172. A.
Libertas, qui ea caruerint. 136. E. 235. D.
Quibus competat. 242 A.
Religionis quando in imperio. 1082. C. D.
Liberti eorum nomina. 130. D. 131. C. 167. E.
Eorum colonia. 137 A.
Deſcendentes. 236 B. 271. D. 274. D. E. 285. E.
Quid conſequerentur. 426. A.
Libido quàm inimica communitati. 671. B. 675. E. 705. B.
Quæ in ſtultis. 677. D.
Quibus pœnis ſubjecta. 719. A.
Libri canonici quibus erroribus ſubjecti. 1148. E.
Eorum voces non mutandæ. 1153 A.
Num inter eos Apocalypſis. 1156. D. Vid. *Scrip. ſacra*.
Libya quando prov. 293 E.
Licinius gentis nomen, non prænom 394. B.
Qui ab ipſo. 406 E.
Quo cognom. uterentur. 413. D. 418. B. 419. A 420 A B.
Lictor ejus officium controvertitur. 88. D.
Qui eo uterentur. 282 D. 364 D.
Ligur cognomen unde, quorum. 421. A.
Lingua latina ejus utilitas. 521. A 523. A. 524 D
Litteræ quædam apud Latinos pro alteris mutatæ. 19. B
Loderengus Andalus Prætor Regii. 1037. A.
Nomen dat Ordini Militum. 1045. A.
Ejuſdem Magiſt B.
Pro pace arbiter. 1048. D 1952. A.
Lodovicus Caſtelvetro laudatur. 326. C.
Logus quid. 619. E.
Lombardia peſtilentia laborans. 1040. A.
Lætatur. E.
Ejus civitatum ſocietas exemplum excitans. 1072.
Longus cognomen unde. 410. E.
Et quorum. 420. B.
Mutatum. 421. E.
Loquutio minus latina reprehendenda. 1144. C.
Lotharius Imp. inſtituit Gymnaſium Bononienſe. 989 B.
Quomodo patri pœnitentiam impoſuerit. 1131. A
Ei functio impoſita. 1136. B.
Luca Liguribus capta. 296. C.
Guelforum refugium. 1045 C.
Hinc pulſi 1046 B.
Lucanus integritati reſtitutus. 55. A.
De ejus hiſt R. chronologia judicium. 965 B.
Luchinus Catalucius Genuenſ. Bononiæ Prætor.
Dux exercitus. 1056. C.
Jus dicens. D.
Lucius prænom. ejus origo. 388. A. D.
Scriptio. 391 E.
A quibus repudiatum. 398. A.
Aſſumptum. 401 C.
Lucilia gens à quo. 406. B.
L. Anneius Florus, ejus error demonſtratur; 89 C.
De ejus hiſt. judicium. 963. B. D. 964. A. B C D. 965. D. 969. E.
L. Sylla inimicos & eorum filios proſcripſit. 785 C.
Lucretius cur philoſophus potius quàm poëta. 436. C.
Lucumo prænom. unde. 388. A. 390. C. 401. C.
Ludi Terentini quando facti. 7 C 14. B.
Sæculares quot & quando. 35. B.

Veti-

Vetiti . 985. D.
De his opuſcul. imprimendum citatur. 993. C. 994. D. 996. C.
Ludovicus Pius Imp. ad pœnitentiam inductus controvertitur . 1131. A.
Luna quomodo menſis vel dies dicatur apud Hebræos . 1206. E.
Lurcones cognomen quorum , cur . 412. C.
Luſcinus non Luſcinius , ſcribendum . 171. D.
Unde . 419. A.
Luſcus cognomen unde . 419. A.
Quorum . C.
Luſtratio quid apud Chriſtianos ſcriptores ſignificet . 1132. A.
Luſtrum quomodo dictum . 42. E.
Lutatia lex . 279. C.

M

M*Acedonia quando prov. facta*. 245. E. 252. A. 294. A. 295. A.
Macedonicus cognomen cujus , unde . 414. B.
Macer cognomen quorum , unde . 420. B.
Madius Senator R. inſtitutum mutat . 1038. A.
Mæcenas cognomen unde . 421. A.
Magarotus Magarotius occiſus . 1060. C.
Maginardus à Panico Gibellinus fugiens. 1060. A.
Fugientes conviciatur . 1062. A.
Magiſtratus , ejus cum privatis conſenſus comparatus . 26. E.
A populo creatus . 232. C.
Ejus jus . E.
Diverſitas . 269. E.
Quid in his poteſtas . 282. D.
An ad mulctam . 287. C.
Quomodo crearetur . 335. E. 354. A.
Ejus ornatus. 357. D.
Eorum jus diverſum . 364. C. 366. E. 371. A. 373. A.
Continuatus. 375. C.
An auſpicia habuerit . 376. A.
Quibus competeret . 424. B.
Petitus vel geſtus quid inferat. 797. C.
Per ſeditionem creatus . 1132. D.
Magnanimitas quid . 580. B.
Magnificentia quid . 580. C.
Magnitudo & parvitas rhetoricè propoſitæ . 617. E. 619. C.
Magnus cognomen cujus, unde. 416. A.
Quorum . 420. C.
Majeſtas quomodo diminuta . 761. C.
Mala quomodo vitanda. 846. C.
Nulla ex quibus bonum non colligatur. 853. B.
Malateſta Malateſtus Ariminenſis Bononiæ Præf. 1060. E.
Exercitum ducit . 1061. A.
Male pugnat . E.
Maluginenſis familia ex qua gente . 408. C.D.E.
Mamercia gens, unde. 401. C.
In quot familias diviſa . 402. B. 421. E.
Mamercus prænom. quorum , & ejus origo . 388. A. E.
Scriptura . 392. A. 393. D.
Pro cognomine uſurpatum . 394. E.
Mamilii gens, unde. 404. D.
Quo cognomine uteretur . 413. D.
Mandatum in Sac. Script. quid ſignificet. 1191. A.
Manfredus Siciliæ Rex , ſubſidia miniſtrat contra Pontificem. 1037. C.
Opibus ſuperat . 1045. B.
Adverſus eum Crux indicta . 1047. B.
Solicitata . 1049. A.
Interemptus . 1050. A.
Manfredus Saxolus ad arma incitat . 1047. C.
Manilia gens à quo . 406. B.
Manius qui dictus . 388. E. 763. B.
Quomodo ſcribatur . 391. E. 392. C.
Gentis patriciæ . 763. C.
Manlii quo cognom. uſi . 421. A.
Unde . ibi .
Quot mutaverint . 422. D.
Mantua exercitum recipit . 1049. C.
Mantuani Brixianis juncti . 1039. A.
Gibellinis accurrunt . 1047. D.
In factione . 1049. C.
Manumiſſi qui . 286. A.
Marcelli plebeji erant . 237. D.
Cognomen cujus , unde. 411. E. 422. A.
Marcellinus Comes de ejus hiſt. judicium. 963. C. 973. A.
Marchia diſciplinam recipit & inducit . 1043. B.
Marcius, non Martius ſcribendum. 171. E.
Cognomine quo uſi, unde. 421. B.
Marcus qui prænominatus . 388. A. 389. A.
Quomodo ſcribatur . 391. E.
Quibus concederetur vel vetaretur. 398. A.
Qui ab ipſo. 406. B.
M. Antonius Janua teſtis in Robortellum. 321. A.
M. Antonius orator qui . 82. C.
Marcus Baduarius cum claſſe . 1054. D.
Tarviſii Prætor . 1042. C.
Marcus Gradonicus Venetus Regii Prætor abdicat . 1048. C.
Dux exercitus . 1056. C.
M. Scaurus ejus cauſſæ comparatio . 23. A.
A Cic. defenſus . 787. A.
M. Valerius Maximus . V. *Valerius*.
Mare diverſi coloris apparet . 739. A.
Maritale conjugium ejus finis . 665. A.
Incommoda. 840. E. 841. A. B.
Martinus Solimanus juris interpres in Bonon. Univerſit. 1044. A.
Martinus Turrianus Mediolani Præf. cum Pontificiis jungitur . 1040. B.
Principatum gerens . 1045. C.
Maſtinus Scaligerus Veronæ principatum gerens. 1045. C.
Maſſaniſa Numidiæ rex Scipionem recipit . 709. A.
Materia an à Deo . 742. C.
Mathildis laudatur . 1071.
Matthæus Anglicus ſeditionem concitat. 1038. A.
Matthæus Corrigius Parmenſ. Præt. Bononiæ . 1044. D.
Matthæus Gorzanus obſeſſus . 1050. B.
Matthiolus Gallucius Mutinæ Prætor. 1059. B.
Mauricius Chartularius an ejus concio reticenda . 1118. E.
Mauritania quando prov. 249. C. 298. C.
Maximi cujus gentis & familiæ . 402. B.
Unde . 416. A.
Quam diu ſervatum nomen . 422. C.
Maxumaticum Caſtr. pene obrutum . 1053. E.
Medicina cæteris prælata à quibus. 538. D.
Comparata. 513. B. 542. B.
Quæ ſanitas ab ipſa inſpiciatur. 563. D. 564. A.
Mediolanenſes in factione. 1049. C.
Eorum inimicitiarum conſequentia. 1071.
Mediolanum ejus ager vaſtatus. 1040. C.
Ejus mutationes. 1071.
Ejus Eccleſia recedit à Ro. Po. 1132. B.
Ejus Archiep. jus necis habens. 1134. A.
Medullinus cognom. unde, quorum. 421. A.
Mel Hymettium celebre. 737. B.
Melchiades Pont. M. an martyr. 983. 986. C.
Cui & quando ſuccedit. 985. C.
An donatio ei facta. 1082. B. 1083. A.

An Laterani poſſeſſor. 1085. A.
Memmii gens unde. 405 C.
Memoria an ſit appetenda. 910 D.
Menogenes cognomen cujus, unde. 421. D.
Menſis dicitur Luna apud Hebræos. 1206. E.
Mento cognomen quorum, unde. 419. E.
Merula familia ex qua gente. 408. C.
Cognomen unde. 413 E.
Meſſalæ cujus gentis & familiæ. 402. B.
Cognom. cujus, unde. 414. A.
Quorum. 421. E.
Metellus cognomen quorum, cur. 413. A.
Metilia familia translata. 425. A
Plurium. 765. C.
Mettius & Metius ſcribi poteſt. 116 E.
Prænom. unde. 388 A. 391. A.
Qui ab ipſo. 406. D.
Metus quid. 603. E.
Quæ excludat. 609. B.
Militaris poteſtas ad quos ſpectet. 269. E.
Qua lege data. 365. A. 368. A. 369. D. 372. E.
Ars hiſtoriæ comparata. 533. E.
Minduli Imolæ factionarii. 1046. C.
Minerva, ejus ſacra à qua gente. 405. B.
Minervorum cognom. quod fuerit, unde. 418. B.
Miniſterium Reipublicæ quid boni vel mali contineat. 847. C.
Miſericordia quid. 608 E.
Arte captanda. 753. A.
Extrema oratione. 777 A.
Miſeriores quinam à ſe ipſis efficiantur. 848. C.
Moderatio in oratione, qua uſus eſt Cic. 759. E.
Modeſtia, ejus exemplum. 199 B.
Mœſia quando victa. 248 D. 297. E.
Moleſtia quibus connexa. 610. B.
Animi perturbatio. 677 B.
Monarchia an tollenda. 1147. D.
Monothelitæ quomodo Eccleſiam turbaverint. 1117. D.
Mons Albanus &
Mons Umbranus Mutinenſium, Caſtra obſeſſa. 1055 E.
Montani ſeu *Montaniſtæ* vel *Montenſes an Donatiſtæ*. 1085 A. C.
Morbus animi, corporis deterior. 864 C.
Ejus cura controverſa 935. A
Mores deſſidere an diſſidere legendum ſit. 122. B.
Rhetoricè examinantur. 597. A.
Auditorum. 613. E.
Juvenum. 614 A.
Seniorum. E.
Fortunatorum. 616. B.
Emendandi quomodo. 695. C.
Ad nobilem civem ſpectantes. 700. C.
Ad rempublicam ſervandam. 701. E.
Chriſtianorum, eorum deſcriptio à cenſura purgatur. 1077. A.
Mors pœna non ſumptuoſa. 200. B.
Deſiderabilis. 746. D.
Omnium bonorum optima. 841 D.
Ex falſa opinione perturbat. 844 A.
Ut meliores ſimus admonet 846. B.
Bonorum miniſtra. C. 849. B.
Deſiderabilis. E.
Inter mala non ponenda. 850. B.
Ejus emolumentum. 858 B.
Optanda. 859. A. ad 862. A.
Divinitus conſtituta. B
Quomodo levior. 867 E.
Beatum facit. 868 A.
Bonis prædita, malis vacua. 888. B.
Hominis conditio. 909 C.
Ejus contemptus. 910. A.
Mos quid. 233. A. 280. A.
Motus ab intrinſeco immortalitatis inditium. 718. B.
Mucii quo agnomine uterentur. 419. E.
Quam diu nomen ſervaverint. 422. C.
Mulcta à quibus irrogata. 238. C.
De quibus. 280. A. 287. C.
Et quanta. 679. E.
Mulier à ſpiritu vexata liberatur. 1045. A.
Mulieres R. earum nomina prænom. & cognom. 43. E. 130. D.
An tantùm Cajæ. 157. B.
Earum vitioſa diſciplina quid tollat. 572. A.
Quid eis conveniat. 665. E.
Earum licentia moderanda. 694. B. 698. C.
Indicandæ. 699. A.
Earum moleſtiæ. 840. E.
Magnanimitas. 849. D 856. D.
Mundi infiniti, intermundia innumerabilia apud Epicureos. 728. B. 740 A.
Municipes qui. 241. C. 243. A. 300. B. 355. E.
Cujus juris. 355. E.
Murena quorum cognomen. 399. C.
Unde. 413. D.
Muſica ejus mirabilis effectus. 750. E.
Mutina, ejus laus. 326 B.
Ibi factionum prælium. 1047. D.
Mutinenſes Prætores Bononienſ. refutant. 1039. D.
Diſciplinam recipiunt. 1043: D.
Obviam ſocietati procedunt. 1045. A.
Rempublicam immutant. 1047 D.
In auxilium vocati. 1048. B. 1049. C.
Alios vocant. 1050. A.
Pugnantes. 1055. C. 1056. D.
In conſilio. E.
Auxilium poſtulant. 1057. A.
Eorum inimicitiæ quæ mala induxerint. 1071.

N

Narbonenſis Gal. quando prov. 248. C. 291. B. 296. A.
Narratio ad quod dictionis genus ſpectet. 437. C.
Orationis pars. 653. D.
Unde ſumenda. 751. C.
Narſes punitus. 1069.
Naſones qui unde. 419. A.
Nativitas Chriſti ſub quibus Pontificibus & Imperatoribus. 1221. C.
Natura an ab arte vincatur. 514. D.
Sine arte obruitur. 517 A
Arte corrigenda. 548. C.
Quæ ab ipſa. 584. C. 683. E 693 E.
An ejus ſint quæ ætatum dicuntur. 838. D.
Nil inane effert. 842 B.
Uſuram dedit vitæ. 844 A.
Quomodo noverca. 849 A.
Nautia gens, unde. 401 A 405. B.
Nepos cognomen unde. 142. A.
Cur, cujus. 412. B.
Nerones quo prænomine uſi. 393. C.
Cognomen cujus unde. 411. E.
Nexi apud Livium qui. 106. D.
Nicanor ejus victoria an feſtum referat. 1215 B.
Nicephorus Caliſtus quem locum chronolog. teneat in re R. 966 D.
Nicolaus Baluganus Æſinus Bononiæ Prætor. 1060. E.
Nicolaus Baccialerius occiſus. 1061. B.
Nicolaus Buccialerius Mutinæ Præf. 1054 E.
Nicolaus Dominæ Doctæ Bononienſ Præturam exercens 1051. B
Nicolaus Quirinus legatus. 1054 C.

Nicolaus Gruchius Rotomagenſis, *ejus encomia*. 350. 351.
In quibus præcipuè ſit ejus diſcrepantia. 353. A. 361 A 364. A. 369. A.
Niger cognomen unde 410 A. 419. E.
In quo mutatum. 422 A.
Nobiles Romani impetum faciunt. 1039. E.
Nobilitas, *ante patriciorum quam plebejorum fuit*. 147. B. 426. B.
Quid. 571. D.
Ejus mores. 616. B.
Nomi apud Ariſtot. quid. 209. E.
Nonii & *Novii gentes unde*. 408. A.
Nomina R. 127. B,
Mulierum, *legum*, *libertorum*, *adoptivorum*. 130. D.
An ab his argumentatio. 133. B.
Gentilitia. 135. B.
Materiam joci aliquando præbent. 135. D. E.
Eorum duplicatio non à Sabinis. 137 C.
Duobus modis accepta. 139. D.
Cognominibus & prænomin. confuſa. 140. A.
Eorum genus quatuor includit. 144 A.
A prænomin. diverſa. D.
Gentilia quando imponerentur. 153. A.
Non omnia in JUS terminata. 154. C. 171. D. 407. A.
Libertorum. 167 E.
Novorum civium. 168. B.
Adoptatorum. C.
In eis an ambiguitas. 170. B 171 A.
Multiplicatio unde. 385. A.
Gentilitia. 400. D
Gentium origo. 405. E.
Cognominibus poſtpoſita. 407 B.
Tria an aliquibus incompetentia. 423. A.
Eorum pluralitatis ratio 427 C.
Nothi, *libertate carentes*. 136. E.
Notio quæ jus tribus dederit. 109. D.
Novi qui dicti. 426. D.
Novocomenſes lege Vatinia quid conſequuti. 230. D. 304 B.
Quid à Pompejo. 797. C.
Numa annum quot dierum inſtituerit. 24. C.
Et reformaverit 25. B C.
Prænom. unde. 388 A. 391. A.
Numantinus cognomen cujus, *unde*. 414. A.
Numerius prænom 388. A.
Quorum. 389 B.
Ejus ſcriptio. 391. E 392. E.
Numidia quando prov. facta. 249. A. 297. E. 298. C
Numidicus cognomen cujus, *unde*. 414. B.
Numitorii à quo 406. D
Nummus Cæſaris controverſus. 119. D. 130. C. 155. B 156. A.

O

Obſcœnitas in oratione quæ vitanda. 955. A. E.
Obſcuritas in oratione unde. 641. A.
Objectiones circa hiſt. de Regno Italiæ diſſolutæ. 1015 A
Oblivio an ſit appetenda. 910. D.
Obſervantia quid. 256 C.
Obſtetricatio in dialogo quæ. 473. E. 481. C.
Ocella cognomen unde. 419. B C.
Octavia gens patricia & ex plebe. 234. D.
Unde. 408. A
Familia quando translata. 425. A. E.
Octavianus Card. legatus Pont. in Gal. 1044. E.
Octavianus Ubaldinus quomodo Epiſc. 1041 C.
Octavius quomodo in ſenatum acceſſerit. 237. A.
Quomodo exercitum paraverit. 284. C.
Et tribunatum pl. petiverit. 288 B.
Quomodo in Gallia. 367. A 371. A. 375. D.
Odium à rhetore inſpiciendum 557. C. 602. A.
Odofredus nepos moritur. 1049 D.
Omiſſiones de quibus cenſuratur auctor. 1162. A. 1171. A.
Relative ad ſac. Scrip. 1191. D.
Onuphrius Panvinius pro Sigonio teſtis. 343. B.
Ad eum epiſtolæ. 993. A. 994. D.
In eum inſidiæ timentur. 998. D. 999. A.
Onuphrius Zarrabinus ejus vita. 977. A.
Opinio Dialogo quid miniſtret. 469. D.
Duplex. 470. D.
Quid, *controvertitur*. 1158. B. 1160. C.
Opiter prænom. ejus origo. 388. A. 389. D.
Scriptura. 392 A 393. D.
Cognomen unde. 410. E.
Opizo Marchio Ateſtinus Gibellinis accurrit. 1047 D 1057 A.
Oppida ex ſociis R. 241. D. 243. A.
Oppii quo cognomine uterentur. 413. A.
Optimates qui. 579. B. 674. B.
Optio tributa judicibus. 754 A.
Orata cognomen quorum, *unde*. 413. D.
Homo ditiſſimus quis & quando. 733. E.
Orator quid curare, *& quo contentus eſſe debeat*. 945. A
Oratio, *ab hiſtoria aliter loquitur*. 371. D. 437. C.
Hujus inſtitutis dialogus informatur. 442 A. 450. C
Quot modis imitabilis. 435. D.
Ad eam quomodo imitatio ſpectet. 436. C. 453. B.
In quot partes dividenda. 481. D.
Pro eloquentia. 493. A. 499. A. 505. A. 513. A.
De latino ſermone. 521. A.
De laudibus hiſtoriæ. 529. A.
Studiorum humanitatis. 537 A.
De ingenio excolendo & laudibus Bononiæ. 544 (I) 545. A.
Pro ſcholæ rectoratu. 553. A.
Quàm hominis propria. 563. C.
Ornata. 635. A.
Perſpicua. 636 D.
Emendata. 640. C.
Tumida. 641. B.
Decora. D.
Numeroſa. 642. D.
Ejus partes & earum diſpoſitio. 650. A.
Prærogativa. 693. C.
Propria. 694. A.
Ejus lenocinia à gravitate abhorrent. 704. B.
Ejus pronuntiatio & motus corporis quanti momenti. 758 A.
Calliditas. 768. D.
Oratoria demonſtratio quid. 562. D.
Ordines R qui & quot. 146. D.
A quo aquirerentur. 147 A.
Ordo Militum S. Mariæ approbatur. 1045 A.
Ejus leges & finis. B.
Oreſtes ex qua familia. 73. A.
Oſius an Arrio conſenſerit. 1097. A.
Oſculum pedis Pontifici an auctor omiſerit. 1127. E.
Ovicula cognomen cujus, *cur*. 412 A.
Quàm brevis durationis. 422. D.
Ovinius cognomen unde. 410. C. D.

P

Pacifica ſacrificia à cæteris diverſa. 1216. D.
Pacta in judiciis aſſumenda. 594. D.
Pæan, quomodo in oratione eo utendum. 642. E.
Pætus cognomen unde. 419. A. B.
Paganus Petraſancta Præt. Mutinæ. 1044. D.
Paitinus cognomen derivatum. 422. A.
Palatium Fauſtæ, quando Eccleſia. 1082. B.
Pallium cur Epiſc. Oſtienſi conceſſum. 1093. E.
Paludamentum quid indicaret. 366. C.
Paludes ungulas jumentorum indurantes. 818 A.
Pancratius Barbus Dux ſubſtitutus. 1054 E.
Panis, an hac voce recte Euchariſtia nominata. 1146. C.
Panſa cognomen unde. 410. E.
Quorum. 420. A.
Papia gens à quo, cujus cognominis. 407. A.
Papiæ leges duæ quando latæ. 45 D
De peregrinis à quo & quando. 167. D. 274. D.
Extra argum. adducta. 276. A.
Parabola quid. 619. E.
Paradoxa quæ. 937. A.
Paraſceve &
Paſcha quo die à Chriſto celebrata. 1208 D.
Quare translata in menſe ſecundo. 1209. E.
Quo anno. 1210. D 1212 B.
Parmenſes Prætorem expellunt. 1041. B.
Cremonam adire parantes cur ſubſiſtant. 1043. E.
In auxilium vocati. 1050 A.
Accurrunt. 1055. A.
Reſpondent. D.
Auxiliantur 1057 A.
Parſimonia laudatur. 700. D.
Quàm colenda. 705 D
Parvifactio quid, ejus tres formæ. 598. D.
Paſſer cognomen unde. 413. E.
Patavini male habiti ab Icilino. 1039. C.
Patavium ejus gymnaſium. 258. B.
Ejus teſtimonia. 345 A.
Laudatur 544. (I)
Ejus Academia à quo. ibi (III) C.
Reſtituitur. ibi (IV) E.
Amœnum & commodum. ibi (V) B.
Paterfamilias magiſter eſſe debet. 667. B.
Comparatur. 703 E.
Patres orthodoxi, eorum antiquitas & veritas an excluſæ ab auctore. 1165. D. 1166 D. 1221. E 1222 E.
Patres quot & qui creari poſſent. 120. D.
Qui dicti. 424. A.
Conſcripti qui 425 C.
Patria, ejus amor quid conferat. 718. D. 851. B. C. 857. B.
Patriarchatus Conſtantinop. quando erectus. 1090. C.
Quando primatus vocem uſurpaverit. 1116. E.
Patriciatus an idem cum nobilitate. 119. A.
A quo daretur. 146. E.
Gentem ſignat. 227. D.
Jure adoptionis quomodo. 234. C.
A libertis non aſſequutus. 426. A.
Auguſtali dignitati comparatus. 1130. C.
Patricii quibus familiis compularentur. 227. C. 270. C. 271. E.
Plebeji facti. 273. A. 288. B.
Inter eos qui gradus. 275. C.
An ſub eorum clientela extranei. 237. D. 302. D.
Hujuſmodi magiſtratus qui. 355. B.
Quando eorum cognomina celebrata. 422. E.
Quæ illis proprii. 424. B.
Qui, & per quem fierent. 425. A.
An à tributis comitiis excluſi. 1017. C.
Patrimonium Eccleſiæ, quid hac voce auctor intelligat. 1120. B.
Patroni cauſſarum quo numero. 788. A.
Paulus Diaconus de ejus hiſt. judicium. 963. C. 966. C. E. 973. C.
Qua in parte ab auctore ſequutus. 1103. E.
Paulli familia ex qua gente. 402. B.
Eo cognomine qui uſi. 420. B.
In quod mutatum. 422. A.
Paulus Manutius conviciatus. 306. D.
Pro Sigonio teſtis. 343. C.
In Robortellum. 344. C.
Paulus Oroſius de ejus hiſt. judicium. 963. C. E. 964. A. B. C. D. 965. C. D. 966. A. C. 972. B.
Ejus comparatio. 1015. A.
Paullus Thebaldus legatus Bononienſ. 1052. E.
Pavo cognomen unde. 413. E.
Peccatum parvulorum quodnam intelligatur. 1104. A.
Pecunia publica fraudata. 770. C. 789. D.
Quando exacta pro confirmatione Ro. Po. 1111. B. 1112. C.
Pedites R. cui ordini oppoſiti. 65. B.
Eorum cenſus. 1018. D.
Penſio an provinciam faciat. 299. A.
Percontationes plures in dialogo neceſſariæ. 477. E.
Perfidia, quid ei aſſignandum. 801. A.
Peregrinæ poteſtates quæ. 269. E.
Peregrini qui. 285. E. 301. A.
Fr. Peregrinus Bononienſis Ord. Min. pacis arbiter. 1058. A.
Peregrinus Ruſticanus cœciſus. 1060. C.
Peroratio orationis pars. 650. B.
Quatuor in rebus conſumitur. 658. B.
Ultima argumentatio. 794. E.
Perſuaſibilia quæ. 470. D. 471. A. B. 565. D. 566. A.
Peruſini quid inducant. 1042. E.
Peſtilentia in tota Lombardia. 1040. A.
Petra à Moyſe percuſſa, de ejus expoſitione cenſura. 1147. A.
Petronia lex, ejus ſententia explicatur. 46. E.
Gens à quo. 406. D.
S. Petrus Ap. an ſi tantum Epiſc. Ro. vocetur ſit vitio adſcribendum. 1153. D.
Petrus Donatus Ceſius laudatur. 551. E. 552. E.
Petrus Nannius Alcmarianus Robortellum reprehendit. 179. A. 343 D.
Male habitus. 306. A. 307. A.
Petrus Paganus Bricios Imola expulit. 1046. C.
Petrus Paullus Ramponus Bononienſ. Patavii Prætor. 1051. B.
Petrus Vincentinus Medicus veneno aggreſſus. 307. A.
Petrus Victorius in Robortellum. 344. B.
Phariſæi cæteris ſectis antepoſiti. 1155. D.
An hæreſis rei. 1227. D. 1228. A. C.
Philippus Aſinellus Bononienſ. Urbeveti Prætor. 1041. C.
Iterum. 1051. B.
Mutinæ. 1054. A.
Philippus Archiepiſc. Ravennatenſ. conſecrationi præſens. 1044. E.
Philippus Belignus Venetus Prætor Bononiæ ſubſtitutus. 1049. D.
Philippus Rex Franciæ Bononiam adit. 1056. B.
Philippus Leg. Po. ab Icilino captus. 1039. A. B.
Philippus cognomen quorum, unde. 421. C.

Phi-

Philiſto ejus caracter. 725. B.
Philo Judæus de ejus ſcriptis judicium. 1177. A. C. 1179. E.
An ejus teſtimonio uti liceat. 1207. E. 1208. B. 1217. D. 1220. A. 1226. C. 1231. D.
Ejus encomia. 1216. D.
Philoſophi urbe recedere juſſi, advocantur. 497. B.
Eorum propria majeſtas. 506. B.
Omnium ſtudioſiſſimi. E.
Et verborum. 507. A.
Eorum præceptis poëtæ imbuti. 508. B.
Et rhetores. 509. B.
Artis dicendi diligentiſſimi. 510. D.
Eloquentiam ornantes. 511. A.
Nos felicitantes. 530. C.
Hiſtoricis comparati. 532. D. 534. A.
Eorum præſtantia. 538. D.
Antiquitas. 540. B.
Cujuſque doctrinæ magiſtri. 541. D.
Hoc nomen uſurpantes. 542. C.
Philoſophia artium fons. 544. (II) B.
Litterarum latinarum lumine illuſtrata. 722. B.
Laudata. E.
Defenſa. 723. A.
In quo ridicula. 728. B.
Voluptati inimica. 734. C.
In varias ſententias diviſa. 740. C.
Quam utilis. 845. B.
Græcos ad Chriſtum diſpoſuit. 915. C.
Phoca Imp. de ejus decreto controverſia. 1116. E.
Piaculum, an vox iſta ableganda. 1102. A.
Pica cognomen unde. 413. E.
Pietas exemplis Langobardorum excitata. 1071. init.
Pietas &
Pius cognom. cujus, unde. 415. B.
Pictores tres litterarum & antiquitatis periti. 726. B.
Pictor cognomen cujus, cur. 413. A.
Pilumnus cognomen cur. 413. B.
Pinaria gens, unde. 401. B. 405. D.
Piſanus lapis. 204 C.
Interpretatus. 207. A.
Piſo ex qua familia. 73. A.
Piſones omnes plebeji. 77. B.
S. Pius V. Ro. Po. laudatur. 1070. 1072.
Placentia quando col. & quo privilegio. 797. B.
Plancii gens à quo. 406. E.
Unde. 420. A.
Platina cur irridendus. 1127. E.
Plato ejus induſtria. 519. B.
Ejus de repub ſcripta à Cicerone in latin. converſa 668. E.
De reſurrectione mortuorum quid ambo ſenſerint. 708. D.
Optimum ejus documentum. 846. D. 956. B.
Plauti quo cognomine uſi. 420. A.
Plautii gens à quo. 406. E.
Cognomen unde. 410. E.
Quorum. 420. E. 421. A.
Plebeji, magiſtratus qui. 355. B.
Qui, & à quo. 424. E.
Plebiſcita quid à lege diverſum. 233. B. 303. E.
Plebs R. cui ordini oppoſita. 66. B. 120. E. 146. D. 227. D. 288. B.
Ejus cognomina quando celebria. 422. E.
An plura. 423. A.
An quæſtui ſolùm plebs dedita. 424. B.
Quid tempore aſſequuta. E.
Quando ex ea nobiles. 425. B.
Quibus ærumnis ſubjecta. 840 C.
C. Plinius Cæcilius ejus chronologia cui concordet. 2. A.
A Robortello mutilatus. 22 A
Teſtis pro lib. de Conſol. Cic. 894 C.
De ejus hiſt. judicium. 963. A. E. 964. A. C. E. 965. B. D. 969 B.
Plotia lex quæ. 229. B. 278. B.
Plutarchus, naturali ſua electione ſervatus. 91. E 138. D.
Varroni comparatus. 161. A.
De ejus ſcriptis judicium. 963. A. 964. A. B. C. D. E. 965. B D. 968. D.
Poëtæ eorum ars. 435. C. 436. C. 437. A.
Licentia. E.
Boni vel mali. 438. A.
Eorum doctrina unde. 507. C.
Et laus. 508. B.
Domicilium. 511. B.
Veritatem hiſtoriæ imitantur. 531. B.
Qui pellendi vel cohibendi. 693. B. ad 698. A.
Poëtica Ariſt. male & rectè diviſa. 207. C.
Politica rhetoricæ ſocia. 564. E. 569. E. 571. A.
Polybius, ejus chronologia à quo diſcordet. 60. B.
De illo judicium. 967. A.
Pompeja lex. 233. E. 301. B.
In magiſtratuum petitione. 303. D.
Pompilia gens à quo. 406. B.
Pompo prænom. unde. 388. A. 391. B.
Pomponia gens, unde. 401. B. 405. D.
Quo cognom. uteretur. 413. D.
Pons S. Ambroſii &
Pons Navicularum Caſtra Mutinenſium, obſeſſa. 1056 A.
Pontifex Judæorum quoties intraret Sancta Sanctorum. 1220. C.
De iſtorum ſerie. 1221. B.
Sub quo natus & mortuus Chriſtus. C.
Pontifices Romani cujus tunc auctoritatis. 1070.
Contumeliis affecti. 1071.
Convocant Concilium. 1087. D. 1088. A.
Eorum primatus. 1116. E.
Patrimonium. 1120. B.
An dira vexati cupiditate. 1123. C.
Quomodo per ſeditionem, eorum dominatus. 1125. A. 1126. C.
Novus eorum Principatus. E.
An cum reſervatione donatus. 1128. C. 1129. B. 1130. C.
De eorum temporali jure, cenſura. 1133. E.
Imperium an ab eis dependeat. 1135. D.
An inculpatè dumtaxat Epiſc. Ro. vocari poſſint. 1153. D.
An Chriſti Vicarios eſſe ſit neceſſariò adjungendum. 1154. B. 1155. A. 1162. D. E.
Epitheta eis convenientia. 1165 B 1171. B.
Poteſtatem habent in Judæos. 1181. D. 1183. B.
Pontificii à quo. 407. E.
Pontus quando prov. facta. 250. C.
Popilii gens unde. 408. A.
Poplicola cognomen cujus, unde. 415. B.
Ante hoc an ſenator. 423. B.
Populus Ro. à quibus teneretur. 24 B.
In quot diverſus. 241. B.
Ejus diſtributio. 269. C. 275. C. 335. E.
Mutata. 362. C.
Definitur. 681. A.

Sub cujus Principatu. 1128. C. 1129. B.
An confirmaverit Imperatores. D.
In ſeditione Magiſtratum creat. 1132. D.
Porcilia gens à quo. 406. D.
Populus Hebræus quibus nominibus vocatus. 1187. D.
Porcius, non Portius ſcribendum. 171. E.
Cognomen unde. 410. C. D.
Poſtumus prænom. ejus origo. 388. A. 389. D.
Qui ab ipſo. 406. C.
Cognomen unde. 410. A. E. 420. C.
Agnomine quo uſi deſcendentes. 421. E.
Quamdiu. 422. C.
Poſſibilia rhetoricè conſiderata. 618. B.
Poteſtas aliud ab imperio. 282. C.
Quibus diverſificaretur. 283. C.
Extraordinaria. 357. D.
Civilis major & minor quæ. 364. B.
Poteſtates urbanæ & peregrinæ. 269. E.
Potitia gens in duodecim fam. multiplicata interiit. 402. D.
Antiquior urbis. 404 D.
Potta Mutinenſis jocoſa ejus memoria. 1048. C.
Præceptum in ſac. ſcript. quid ſignificet. 1191. A.
Præconinus cognomen cujus, cur. 413. A.
Præfectura quid. 241. E. 243. A.
An prima R. adminiſtratio. 293. C.
Annonæ extraordinaria. 361. C. 363. B.
Præmia rectoribus propria. 708. A.
Prænomina R. quomodo ſcripta, & ſcribenda. 15. B.
A quo ducta. 43. E.
Controverſa. 127. D 137. C.
Nominibus & cognomin. confuſa. 139. E.
Ortu poſteriora. 140. A. 143. B. D.
Aliquot integra ſcripta. 148 A.
Aliquot expoſita. 150 B
Quando imponerentur. 152. C. 153. E. 397. C.
Mulierum. 157. B. 158 D 163. D. 395 A.
Quæ in his analogia. 159 B C. 165 C.
Aliquando pro cognomin. uſurpata. 166. B. 394 E.
An Cajæ omnibus commune. 167 C.
An aliquando cum gentilitiis confuſa. 169. B.
Quæ ſint. 406. A.
Cum agnomine ſæpe. 172. A.
Ad diſcernendum impoſita. 385. A. & ſeq.
Quot R. fuerint. 388. A.
Aliquando poſtpoſita. 397. B.
Adoptivorum. 398. B.
Servorum. 399. C.
Gentium origo. 405. E.
Prætores quo ſymbolo eorum imperium indicatum. 282. D.
Quotannis in provinciis miſſi. 289. E.
An duo vel quot provinciæ. 291. A.
Qua lege creati. 357. A.
Cujus poteſtatis. 364. B. 366 A. 368. A. 369. D. 372. E. 373. C. 378. C.
Quarumdam civitatum. 1037 A.
Brixiæ & Mantuæ capti. 1039. B.
Venetiarum excitati. 1072. med. 1074. init.
Præparatio in dialogo. 453. D.
Prærogativa centuria quid. 97. D.
Quo jure. 356. B. 361 E.
Ejus ſententia. 1017 D.
Prætextatus cognomen cujus, unde. 416 B.
Prætor Bononiæ pro jure contendit. 1038. D. E.
Primarium caſtrum à Bononienſ. conſtructum. 1054. B.
Obſeſſum. 1055. D.
Ibi exercitus. 1057. D.
Evertendum. 1058. B.
Primatus Ro. Eccleſiæ decernitur cur. 1116. E.
De jure Divino. 1162. A.
Principatus Eccleſiæ an novus. 1126. E.
Principes Chriſtiani ad concordiam invitati. 1070. fi.
Communis periculi immemores. 1073. fi.
Principia, tria eorum genera. 470. A.
Principium, quid. 718. B.
Princivallis Stuffa Bononienſ. arcem prodit: 1062. C.
Priſcillianus Laicus poſt Epiſc. 1099. A.
Privata utilitas laudabilis unica quæ. 874. A.
Privati, eorum conſenſus magiſtratui comparatus. 26. E. 282. D.
Privernas cognomen cujus, unde. 414. A.
Privilegium à lege & plebiſcito diverſum. 233. B 278. B. 279 C.
Probabilitas ab opinione. 936. E.
Quando ſententiis roboranda. 938. A.
Probitas quid conferat. 571. E.
Proconſules & Proprætores qui. 366 E. 371. A. 375. D.
Procopius Rhetor Cæſarienſis, de eius hiſt. judicium. 963. C 966. D. 972. D.
Proculus Julius an adfuerit Romulo Urbem condenti. 1016 B.
Proculus prænomen ejus origo. 388. A. 389. D.
Ut cognomen uſurpatum. 395. A.
Qui ab ipſo. 406. C.
Unde dictum. 410. A.
Quorum. 420. E.
Proœmium in oratione quid. 650. C. & inf.
Profana litteratura quid contineat. 1124. E.
Prophetæ an vates impune nominandi. 1150. B. E.
An omnes & ſolum veri recenſiti ab auctore. 1223. E.
Proſper in Chronicis quem locum chronolog. teneat in re R. 966. D.
Providentia à Cicerone affirmata & negata. 741. E.
Provincia à quibus mandaretur. 230 A. 231. A
Quomodo conſtituta & diviſa. 239. D. 241. C 242 A. 243. A.
A quibus recta. 245 B.
Ejus miniſtratio. 269. E. 277. D. 289. C. 294 C.
In ſenatus poteſtate. 291. E.
Ex quibus deducenda. 299 B.
Prudentia domeſtica & civilis quæ. 177. D.
Quid. 580 C.
Cauſſa cujus. 597. C.
Ejus ſolemus egere. 864. B.
Admiranda quæ. C.
Pſalmus 11. *an litteraliter de Davide exponi poſſit*. 1199. D.
Publicani qui. 273. C.
Publicia gens unde. 408 A.
Publicus ſervus cui. 364. D.
Publius prænomen ejus origo. 388. A. 389. E.
Scriptio. 391 E.
Qui ab ipſo. 406 C.
Quo cognomine uſi. 421. A.
P. Cornelius Tacitus de ejus hiſt. judicium. 963. A. 965. D E. 968. E.
P. Vellejus. V. *Vellejus*.
Pudor quid. 605. E.
Pueri educandi inſtituendi. 699. C.
Quibus ſermonibus. 1139. C. 1141. C. 1144. C. 1145. B. C. 1146. A. B. C. 1147

1147 A D 1148. C E. 1150 D E. 1151. D 1152. D 1153. E. 1157. A E 1159. B. D. 1160 B. 1162. A C D 1163 A. 1164. A. 1168. C 1171 B C 1172. A.
Pugna paucorum in arcto . 197. A.
Qua arte regulanda . 199 D.
Pulcher cognomen unde , quorum . 420. B.
Pulvinus an hoc nomine abutatur auctor . 1151. E.
Pythagoras ejus ſolertia . 519. B.
Pythias ex tripode futura prædicens . 547. C.

Q

Quadrupedes denominationem gentibus tribuentes . 407. D.
Quæſtiones in judicialibus aſſumendæ . 595. D.
Quæſtores qui 230. A 231 B. 277 D. 282. C.
Qua lege ereati . 355 B 363. A.
Quinctius poëta quo cognomine uſus . 420. A.
Quinctilia familia translata . 425 A.
Quinctus prænomen ejus origo . 388. A. C.
Quomodo ſcribatur 391 E.
Qui ab ipſo . 406. C. D.
Quorum cognomen . 410. B. 418 B. 419. A.
Quo agnomine uterentur . 421. A
Quinta Claudia ejus ætas & ævum . 44. B.
Quintilianus à Robortello depravatus . 27. C. 113 C. 135. D.
Unde exempla ſæpe petierit . 760 C.
Q. Fabius Pictor latinè ſcripſit . 1001. D.
Quirites eorum jus idem an ſit ac civitas Rom. 302 B.

R

Rachis It. Rex devotionis exemplar . 1069.
Rainerius Adelardus Mutinenſ. nomen dat Ordini Militum . 1045. A.
Rainerius Nonantula Mutinæ Præf. 1047. D.
B. Rainerius Peruſinus quis, & quid inſtituerit. 1043 E.
Rambertus Ghiſolerius Legatus Bononienſ. 1044. E.
Ravennas ejus Archiepiſc. quos habuerit Epiſcopis . 1126 A.
Ravennates in partem prædæ adjudicati . 1056. D.
Venetis juncti . 1058. C.
Ravilia cognom. unde . 419. B.
Reſutatio per Cic & Quintil. 752. A.
Raymundus Genuenſis ſupplicio deſtinatus. 1038. C.
Redargutio in hiſtoriis quomodo admittenda . 1137 A
Reges quibus ſubjaceant . 840. A
Reges Franciæ quibus viciſſitudinibus ſubjecto . 1070 1071.
Reges Chriſtiani ad concordiam invitati. 1070. ſi.
An libertati poſponendi . 1147 D. 1170. B.
Judæorum quomodo imperaverint . 1193. A. 1200. D
Regienſes diſciplinam recipiunt & inducunt . 1043 D
In factione . 1049. C.
In auxilium vocati. 1050. A.
Auxiliantes . 1057. A.
Regillenſis cognomen quorum , unde . 414. E. 420. E.
Regium in ſeditione . 1048. A.
Religio chriſtiana quando à perſequutionibus vacua . 1082. C. D.
Remus cur uno nomine uſus . 135. B.
Repudium , quid . 228. C.
Reſcripta Principum ab edictis differunt . 1083. A.
Reſponſiones ad objecta circa hiſt. de Regno Italiæ . 1015. A 1111 A.
De Imp. Occid. 1077. A.
Sacram Sulpicii . 1139. A.
Reſpublica ejus ſtudium approbatum . 185. C.
Ex ejus mutatione quæ conſequuta . 422. E. 428 D.
Ejus laus in ſcientiis excolendis . 495. D.
Quæ florens . 501. C. 503. A.
A quibus cognoſcenda . 569. D. 579. A.
Ejus quatuor genera . 579. B.
Ei quæ injurioſa . 590. E.
Ejus inſtitutio per Platonem , à Cicerone translata . 668. E.
Definitur . 676. C. 678. B. 680. D. 691. A.
Ejus optimus ſtatus . 693. B
Quibus moribus ſervanda . 701. E.
Bene ipſam tractantes quæ præmia expectant . 708. A.
A Platone & Cicerone diverſimode inſtituta . 719 C.
Ex annalium monumentis depromitur. 726 E.
De Athenienſium quando ſcriptum . 1020. E.
Auctoris judicium . 1021. C.
Hebræorum cujus exemplar . 1180. C.
Hæc quomodo in tabulis . 1189. C.
Formam Ariſtocraticam quando habuerit . 1192 E.
Comparatur Regno . 1193 A.
Reſſurectio mortuorum à Platone & Cicerone relata . 708. D. 713. A.
Rex cognomen quorum , unde . 421. B.
Rhetorica in laudibus & vitiis perſequendis maximè artificioſa . 263. A.
Ejus præſidium dialogo opportunum . 450. C. 478. C.
Quomodo ſermonibus verſetur . 479. C.
Exul ab urbe . 497 B. 507. C.
Connexa philoſophiæ . 539. A.
Qua neceſſitate ſeparata . E.
Unde perficiatur . 541. E.
Ars eſt . 561. A.
Imperfectè tradita . B.
Utilis . 563 A.
Ad contraria fertur . B.
Quæ facultas . E.
Agnata dialecticæ . 564. E.
Ex his quæ in conſultationem . 565 E.
Proprias propoſitiones ducit ex finibus trium generum . 568 A.
Hæc genera quæ & quid ſint . B.
Et communes propoſitiones habet . 569. A.
De quibus ſuadeat . 569. C.
Quibus conſiliis indigeat . 570. A.
Judicationis gratia eſt . 579. A.
Rhodus quando prov. facta . 250 C.
Rhytmus quid . 208. C. ad 213. D. 215. A. ad 217.
In oratione valens . 642. D.
Riccardus à Beluaro Burgundus Bononiæ Prætor cum præſidio miſſus . 1062 D.
Riccardus Villa Mediolanenſ. Bononiæ Præf. 1053. A.
Roberti Regienſes in factione Guelforum . 1048. B.
Robortellus V. Franciſcus.
Rocchetta obſidetur . 1051. C.
Rodericus de Pazos Figueroa laudatur . 553. A.
Rodulphus Comes Habſpurgens. Cæſar conſtitutus . 1059. B.
Rodulphus Malexardus Mutinæ Prætor remiſſus . 1047. D.

Ro-

Rolandinus Pontalius Parmenſis Bononiæ Prætor ſubſtitutus . 1060. D.
Roma quando capta . 13. D.
In ſeditione . 1037. A.
Triplici detrimento premitur . D. 1039. E. 1040. A
Ibi furtum ſacril. 1045. D. 1119. A.
Ejus frequentia prop. à quo cauſſata. 1111. C. 1112 D.
Ejus Ducatus quomodo Pontificis . 1126. C. 1128 C. 1129. B D.
Romani an uno nomine uterentur . 127. B.
Quid poſſederint uſque ad exactos reges . 241. D 293 A.
Rei familiaris primùm , deinde dicendi ſtudio occupati . 522. D.
Nobiles impetum faciunt . 1039. E.
Romania diſciplinam recipit & inducit. 1043. B.
Romulus cur uno nomine uſus . 136 B.
Tres centurias equitum conſcripſit . 274. A.
Inter Deos relatus . 688 C.
An tranſtulerit gentem Juliam . 1016 B.
Rufus cognomen unde . 410. A. E. 419. E.
In quo mutatum . 421. E.
Rullus cognomen cujus , unde . 415. D.
Rutilia ſem. quæ, vix apud Ciceronem. 952 B.
Rutilia gens à quo . 406 D
Rutilus cognomen unde . 419. E.

S

SAbbatum apud Hebræos . 1207 C.
Sabellius cur irridendus . 1127 E.
Sabinianum Caſt. Mutinenſe obſeſſum . 1055. C.
Captum . E.
Sabinus Regillenſis vel *Regillanus cognomen unde, cujus* . 420 E.
Sacerdos cognomen quorum , unde . 418. B.
Sacerdotes eorum cauſſæ à quo judicandæ . 1089. B.
Eorum unctio . 1219. B. 1223. B.
Ad quam poteſtatem reducandi. 269 E. 270 A.
Sacrificia veteris legis quomodo regulata. 1216. D.
Sacra quibus propria . 424. B.
A quibus aſſequuta . E.
An hac voce abutatur auctor. 1140. A. 1142. D. 1143. E 1144. D. 1151. B. 1166 A.
Sacrarium S. Petri furto ſacril. ſpoliatum . 1045. D.
Sadducæi , eorum ſecta . 1228. A.
Sadoletus Card. laudatur . 326 C.
Salæ confligentes . 1053 C.
Salinator cognomen cujus , unde . 415. C.
Salvii gens unde . 408 A.
Salutio cognomen cujus , unde . 421. D.
Sanbonifacius Comes cum cæteris exulibus revocatus . 1041. A.
Gibellines accurrit . 1047 D.
San-Cæſarium Caſt. Mutinenſe captum . 1055. E.
Sancta Sanctorum quando & cui pateret . 1220. C.
Sancus vel *Sangus trinomius* . 1029. C.
Sanguis purificationis quando adhibitus. 1220. C.
Sapiens cognomen cujus , unde . 411. D.
Sapientia in quo conſiſtat . 539. A.
Quibus delectetur . 708. A.
Sardicæ Concilium an Generale . 1095. A.
Sardinia quando prov. facta . 245. D. 291. A. 294 B D
Sarracinus Lambertinus Mutinæ Prætor . 1056. C.
Saturninus cognomen unde , quorum . 421. A.
Saucia curia cujus principium . 365 B.
Scæva & *Scævola cognomina quorum , unde* . 419 E.
Quàm diu ſervata . 422. C.
Scannabeccii cum Lambertinis contendentes. 1038. B. 1051. E.
Relegati . 1052 A.
Scannabeccus Scannabeccius occiſus . 1050. E.
Scapuna cognomen unde . 419. E.
Quorum . 420. A.
Scauri familia ex qua gente . 402. B.
Cognomen unde . 410. E. 420. A.
Scena variè ornata à quibus . 73. C. D. E.
Scenici pellendi . 693. B.
Schiſmata quarum conſequentiarum cauſſa. 1111. D.
Scientia dialogo quid miniſtret . 469. D.
Maximum bonum . 544. (IV) C.
Sclanca Liazarius Regienſ. nomen dat Ordini Militum . 1045 A.
Scipio Caſſola Sigonio contubernales . 326. A.
Scipio an Cæpio legendum ſit . 52. E.
Quandone apud Maſſaniſſam fuerit . 709. A.
Ejus nativitas . 710. D.
Legatio , triumphus. 711. A.
Necatus . 713. D.
Scipio Metellus à quo adoptatus. 168. D. 398. D.
Eorum Genealogia. 399. A.
Scipiones familia ex qua gente. 402. B. 408. C. D.
Cognomen unde . 4 0. E. 415. C. 419. E.
Scommata prohibita . 238. A. 302. E.
Scribæ Hebræorum qui . 1205. D. 1226. C.
An Juriſperiti . 1236. D.
An Principes militum . E. 1237. A. B. 1238. A. B.
Scriboniorum gens quo cognom. uteretur. 418. B.
Scripta vetera quàm accuratè cuſtodienda. 32. B.
Scriptores ſacri quomodo afflati Spiritu Sancto. 1229. D.
Scriptores rei Romanæ , de eis judicium. 963.
Catalogus. A.
Scriptura Sacra quomodo ab auctore male habita. 1166. A. B. 1167. D. 1168. A. 1169. A. 1170. A. 1183. D. 1185. D. 1187. D. 1188. C. 1189. C. 1190. C. 119 . A. D 1193. A. 1199. D. 1200. D. E. 1201. A. D. 1202 D. 1203. A. V. *Libri Canonici*, ad 123[illegible] C.
Scrofa cognomen cujus, cur. 412. E.
Sebaſtianus Corradus pro Sigonio teſtis. 343. C.
Seceſpita quid . 155. D. 416. E.
Sectæ Judæorum inter eas quæ præponenda . 1 55. D. 1227. D.
Secures quorum inſignia . 374. C.
Sedes Apoſtolica an nominata . 1094 E.
Seditio quomodo comprimenda . 706 C.
Ob diviſionem agrorum . 711. A.
Romæ . 1037. A D.
Bononiæ . E.
Mulctatione lenienda . 1038. C.
Deterior. D. 1059. B. 1060. D.
Mutinæ . 1047. C.
Regii . 1048. A.
An ex ea dominatus Eccleſiæ . 1125. A.
Magiſtratum creat . 1132. D.
Sempronii quo prænomine uſi. 393. B.
Cognomine. 419 C. 420. B
Sempronius, de commentariis ſub ejus nomine judicium . 1015 E.
Senatus R. ad cauſas publicas & privatas quando regreſſus . 68. C.
Ejus jus . 232. A. 245. B.
Ad quod genus poteſtatis pertineat . 269. E.
De capitolio an decerneret. 276 E.
In æde Bellonæ cui daretur . 283. A.

Militare imperium ab ipſo. 365. A.
Quibus poſſet competere . 424. B
Cenſuit abolendos commentarios religionem chriſtianam probantes. 916. B..
Senatores R cui ordini oppoſiti 66. B.
An idem ac patres. 120. D.
Tribus nominibus appellati . 129. A.
Refutatur . 146. D. 423. A.
Quibus familiis copularentur. 227. C. 270. C. 271 B. 276. B.
An ex cenſu facti . 275. E.
Jure dicendi carentes . 276. E.
Breves in ſententia ſint . 704. B.
Eorum cenſus . 1018. D.
Seneca teſtis pro lib. de Conſol. Cic. 898. E. ad 900.
Senectus an miſera. 482. C.
Ejus bona. 573. A.
Mores & affectus. 614. E.
Vituperata. 826. D.
Ejus incommoda. 839. D.
An de hac ſit contradictio apud Cic. 908. C. 939. A. 958. D.
Senenſes Gibellinos erigunt . 1042. D.
Senones qui ad Aliam pugnarunt . 247. D.
Sententiæ rhetoricè propoſitæ . 621. A.
Quatuor generum . C.
Septii & Septimii gens unde . 408. A.
Seſſii Regio ejecti . 1048. B.
Serapio cognomen cujus, unde. 421. D.
Sergii gens unde . 405. C.
Quo cognom. uterentur . 419. A.
Serrani cognomen unde. 410. E.
Cur . 413 C.
Sertor prænom. unde . 388. A. 391. C.
Qui ab eo. 406. D.
Servi quorum nominibus uſi . 399. C.
Servilius infeſtus Ciceroni . 809 A.
Servilius Iſauricus ex qua gente. 86. A.
Quo cognomine uſi deſcendentes. 420 A. D.
Servius prænom. ejus origo . 388. A. 389. E.
Scriptio. 392. A 393. E.
Qui ab ipſo . 406 C.
Servus non ex filio faciendus . 108. D.
Quomodo libero oppoſitus. 235. E. 285. E.
Publicus cui . 364. D.
Seſtia & Sextia familia . 69. A.
Seſtium an ſextiæ aquæ . E.
Cur Capitolini dicti . 421. A.
Sextus prænom. ejus origo . 388. A. C.
Scriptura . 392. A.
Qui ab ipſo . 406 C. D
Sex. Aurelius Victor, de ejus hiſt. judicium . 963. C. 965 D 966. A B C 972 A.
Sex. Julius Frontinus, de ejus ſcriptis judicium. 963. B. 969 A.
Sex. Rufus de ejus hiſt. judicium. 963. C E. 964 A. B. C. D. 965. A. D. 966. A. B.C. 972. A.
Ejus comparatio . 1015 E.
Sicilia in Marcellorum clientela . 237. D.
Quando provincia facta. 244. D. 289. E. 291. A. 294. B.
An Pontifici donata . 1130. C.
Sicinii quo cognomine uterentur . 419. D. E.
Signa alia & alia . 565. D.
Silii gens à quo . 406. E.
Unde & quorum cognom. 419. A.
Silones à quo, unde. 419. C.
S. *Silveſter Rom. Pont. Conſtantinum baptizat* . 986. E.
An ab eo donationem habuerit. 1082. E. 1083. A. 1086. A.
Nicænum Concilium convocat . 1088. A.
Confirmat . 1089. B. C.
An in Monte Soracte latuerit . 1127. C.
Silvia gens quæ . 135. D. 164. A.
Simi qui . 419. A.
Similitudo in inductione dialogiſtica . 475. E.
Ex ea triplex argumentatio . 476. E. 481. D.
Translationem fundans . 493. D.
An ibi adſit . 957. E.
Simon Boſchettus Mutinæ Præf. 1047. D.
Societas Devotorum Mutinam proceſſionaliter accedit . 1046. A.
Socii R. qui . 241. C. 292. E.
Socrates ejus de dialogo præceptum . 474. D.
De ſpecimine juvenis . 952. D.
Socrates ſcholaſticus de ejus hiſtoria judicium chronol. 966. C.
Sol admirabile naturæ munus . 694. D. 715. B.
Ejus defectio . 729. A.
Solarolum captum . 1060. A.
Soldo Gallucius ejus domus concrematæ . 1053. B.
Solinus ejus hiſtoriæ chronologia & judicium . 963. E.
Sonus cœleſtium orbium . 715. C.
Sophiſtæ qui . 261. B.
Sophocles ejus in tragœdia inventum . 102. A.
Sophus cognomen quorum, unde . 411. C.
Spartani impavidi cur . 198. E.
Spinther cognomen cujus, unde . 421. D.
Sponſa an ab uxore differat . 228. B. 281. C.
Spurius prænom. ejus origo . 388. A. 389. E.
Scriptura . 392. A.
Qui ab ipſo . 406. C.
Statius prænom. unde . 388. A. 391. D.
Qui ab ipſo . 406. D.
Stella crinita cujus indicium . 1048. A.
Stilicho Comes ad pœnitentiam motus à ſe ne, vel ab imponente . 1102. C.
Stipendiarium cui opponatur . 242. 299. B.
Stirps quid . 402. E.
Stolo cognomen quorum, unde . 413. D.
Stomachatio quid . 610. B.
Strabo cognom. unde . 419. A. B.
Parum ſervatum . 422. D.
Studium rei, non res aprobatur . 185. C.
Suaſor quem finem reſpiciat . 568 C.
Quæ ſumat . 569. A. C. 570. A. 573. D. 579. A. 617. C. 623. D.
Subſannatores eorum proprietas . 607. B.
Suffragia diribita vel dirempta quid ſit . 54. B.
Quibus comitiis darentur . 336. A. 355. A.
Incorrupta ſint in Repub. 815. E.
Sulla quo cognomine uſus, unde . 421. D.
Sullæ familia ex qua gente . 402 B. 408. C.
Sulpicius, non Sulpitius ſcribendum . 171. D.
Quo cognom. uſi deſcendentes . 421. A.
Sulpicius Severus ejus ſanctitas controvertitur . 1164. A.
Patres & Traditiones excludit . 1167 D.
Suetonius Tranquillus reſtitutus . 227. B 229. B. 232. A. 234. C 236. D. 276. E. 278 B. 280. A. 281. C. 282. C. 285. E. 287. C. 302. C.
De ejus hiſt. judicium . 963. B. 965. B. C. 966 A 969. C.
Superbus cognomen cujus, cur . 412. A.
Sura cognomen cujus, cur . 412. E.
Suſpenſio in Scripturis Sac. quid. 1232. E.
Sutores in armis . 1050. E.
Condemnati . 1051. A.
Syllas cognomen unde . 410. A.
An pro Silos . B. E.

Cujus

Cujus familiæ, unde. 418. C.
Sylvius Italicus, de ejus hiſt. R. chronologia. 964 E.
Symbolum in Concilio concluſum. 1089. A.
Sympoſia ex quibus mixta. 483. B.
Synagoga Hebræorum, an plures. 1205. A.
Quis in his præfuerit. D.
Earum inſtitutor. 1227. B.
Synodica epiſtola quid ſignificet. 1127. C.
Synodus Ro. ſub Silveſtro ſuppoſititia. 1089. B.
Sub Damaſo præceſſerit ne Concilium Conſtantinop. 1097 E. 1099. D. 1100. B.
Quis in hac præſederit. 1101. A.
Illam ne anno præceſſerit. D.
Univerſales V. & VI. an canones ſcripſerint. 1122. D.
Sexta an confirmata. 1123. A.
Syria quando prov. facta. 250. D. 294. C.

T

Tabulæ duodecim legum. 1016. C.
Tabulæ legis à Deo datæ quid continerent. 1189 C.
Tallus prænom. unde. 388. A. 391. B.
Talmudiſtæ quid referant de Arca fœderis. 1224. D.
Tam & quam, an his particulis abutatur auctor. 1157 B. 1165. C.
Tarquinius Priſcus ſex centurias conſcripſit. 724 A
Unde nomen ſumpſerit. 401. C. 407. C. 408. C.
Tarviſini à Venetis petunt Prætorem. 1041. A.
Taurus cognomen unde. 410. C. D. 413 D.
Tecmar & Tecmerium quid. 566. D. 568. E.
Ejus proprietas. 632. D.
Telemachus an Martyr. 1102. D.
Temperantia quid. 580 B.
Templum Hieruſalem qua die combuſtum. 1203. E.
Samariæ & Ægypti an ſynagogæ. 1204. D.
An in ſecundo fuerit Arca fœderis. 1224 D.
Tempora an ab Oratore ſervanda. 950. D.
Variandorum aliqualis congruitas. E.
Tentatio in dialogo quæ. 473 E. 478. A.
Terentii gens à quo. 407. E.
Tergeminus cognomen unde, quorum. 420. D.
Terra immobilis per Cicer. 715. B. D.
Contemnenda. 716 A.
Terræ imbribus ſicciores, ſiccitate luteæ. 818. A.
Teſtes in judicio, eorum genera. 593. E.
A Cicer. quis irriſus. 756. B. 775. A.
Thamar fornicatrix & adultera. 1192 B.
Theatrum, ejus gradus inter equites & plebem. 785. E.
A Pompejo dedicatum. 795. D.
Theobaldus Accariſius Bononienſis factionis princeps. 1060. C.
Theobaldus Vicecomes Placentinus Ro. Po. creatur. 1056. C. V. Gregorius X.
Theodelinda Lang. Regina omnium virtutum exemplar. 1069. 1070.
Theodoricus Romæ imperitavit. 1094. D.
Theodorus Ro. Po. an Græcus. 1120. D.
Theodoſius Imper. an privilegium ſcholæ dederit Bononienſ. 989. A.
A quo Imperium obtinuerit. C.
An Italiam advenerit. ibi.
An Concilio interfuerit. E.
An convocaverit Concilium. 1097. E. 1099. D. 1100. A. 1107. D.
Theophraſtus ejus caracter. 725. B.
Theophanes Iſſaurus quem locum chronolog. teneat in re R. 966. D.
Theopompus ejus caracter. 725. B.
Thomas Peverada Mantuanus juris interp. in Bonon. Univerſit. 1044. A.
Thomaſinus Arioſtus occiſus. 1061. B.
Thurinus cognom. cujus, unde. 418. C.
Thracia quando prov. 302. C.
Tiberius non T. ſed Ti. ſignificatur. 147. E.
Prænom. unde. 388. A. 390. A.
Quomodo ſcribatur. 392. A. 393. C.
Thucidides ejus caracter. 725. B.
Tiberis à quo nomen ſumpſerit. 331. B.
Tibullus interpunctione obſcuratus. 175. A.
Defenſus. 176. A.
Ejus declaratio deriſa. E.
Timiditas, ejus utilitas quibus propria. 666. A.
Titus prænom. unde. 388. A. 390. A.
Quomodo ſcribatur. 391. E.
Qui ab ipſo. 406. C.
Titus quo die Templum combuſſerit. 1203. E.
T. Ælius Lampridius, de ejus hiſt. judicium. 963. B 966. B 970 E.
T. Ælius Spartianus de ejus hiſt. judicium. 963. B. 966 B. 971. C.
T. Livius fabulam primus docuit. 4. A
Ejus chronologia quibus diſcordet. 5. A. 6. D. 8. C. 13. C. 24. C. 36. D. 60. B.
Ejus fragmentum. 9. D.
Dionyſio comparatum. 59 B.
Vindicatur. 61. C. 94 A 95. D. 97. E. 104. B. 106. D 115. E. 120. A. 123. A. 204. B. 205. A. 243. C. 284 E
De ejus ſcriptis judicium. 963. A. D. 964. A. B. E. 968. A.
Titus Tatius, ab ipſo Tatienſes ne vel Titienſes. 332. D.
Toga campeſtris in foro uſa. 795. C.
Tolumnia gens quo prænomine uteretur. 391. A.
Toranius quomodo proſcriptus. 235. A.
Torquatus cognomen cujus, unde. 415. B.
Quorum, ejus duratio. 422. D.
Traductio quid. 959. E.
Tragedia pars poeticæ. 207. D.
Quid. 208 E. 215. A.
Ejus partes. 216. C.
Ad quod dictionis genus ſpectet. 437. C.
Ex quibus mixta. 483 B.
Tranſlationes quæ & unde. 637. B. 638. C. 641 B. 645. B. ad 648. E.
Una pulcherrima. 943. D.
Earum regula. 954 B.
Tranſpadani quomodo cives R. 797. B.
Trebellius Pollio de ejus hiſt. judicium. 963. B. 966. B. 971. A.
Tria Capit. in hac controverſia, quem auctor ſcriptorem ſequutus. 1103. E 1110. C.
Quis hanc renovaverit. 1113. C.
Tribunatus, idem ne ac Tribunicia poteſtas. 235. B. 282. C.
Plebis, cujus poteſtatis. 364 B. 371. D.
Quando primum inductus. 772. A.
Infractus. 776. A.
Tribuni militum primi conſulari poteſtate. 8 C.
An militari tantùm imperio præditi. 372. E. 373. D.
An pluribus nominibus uſi. 423. A.
Tribus urbanæ ignominioſæ, ruſticæ honoratæ. 109. C.
An à nomine vel prænomine appellatæ. 332. D.
Earum comitia. 336. B. 353. A.

Quod fuerint. 362. C.
De Ocriculana & Papia controverſia. 993. A. 994. A.
De aliis. 995. D. 996. A. C. D. 997. E. 1008. A.
De tribus prioribus. 1015. A.
Quomodo fieret earum deſcriptio. 1015. D.
An partes Urbis ſint. 1016. A.
De quibus ſit dubium. ibi.
An in claſſes partitæ. 1017. B.
Quomodo ſortirentur. C.
Nomine concordant cum centuriis. E.
Iſraël quibus in locis diſtributæ. 1201. A.
Triumphales viri qui. 270. D.
Triumphus quomodo impetratus. 283. A. 371. B.
Triumviri coloniæ extraordinarii. 361. C. 363. B.
Cujus poteſtatis. 378. E.
Trocheus in oratione quid. 642. E.
Trojani gentium fundatores. 404. C. E.
Tuditanus cognomen quorum, unde. 418. E.
Tullia filia M. Tullii Cic. laudatur. 838. ad 878. 886. A. 897. A.
Tullia gens quo cognomine uteretur. 413. B.
Tullus prænom. unde. 388. A. 390. A.
Quomodo ſcribatur. 392. A. 393. B.
Ut cognomen uſurpatum. 395. A.
Qui ab ipſo. 406. C.
Tullus Hoſtilius, an tranſtulerit gentem Juliam. 1016. B.
Turnus prænom. quorum. 388. A. 391. C.
Turres Romæ disjectæ. 1039. E.
Tuſceivicalus cognom. cujus, unde. 421. A.
Tuſcia diſciplinam exemplo inducit. 1043. B.
Tutor idem ne ac defenſor. 1136. E.
Tutulum quid. 155. D. 416. E.

V

V*Aleria gens, ex ea quot familiæ*. 402. B. 405. D.
A quo. 407. B.
Cognomine quo utebantur. 413. C. 419. E.
Et ante Valeſii. 421. B. E.
Valerius ab errore defenſus. 35. E. 44. A. 46. B.
Ejus error demonſtratur. 89. C.
De ejus ſcriptis judicium. 963. A. 968. C.
Vaprium Caſt. Icilinum recipit. 1040. D.
Varii gens à quo. 406. E.
Varro integritati reſtitutus. 54. E.
Comparatus Plutarcho. 161. A.
Et Feſto. 166. A.
Ejus de nominibus opinio. 385. C.
Summum ſtudium. 507. E.
Varrones ex quibus familiis nati vel adoptati. 72. C.
Varus cognomen quorum, unde. 420. A.
Vas ſacrificale quid. 156. B. 416. E. 417. C.
Vates an Prophetæ hoc nomine impune vocari poſſint. 1150. B.
Vatia cognomen quorum, unde. 420. A.
Vatinia lex quæ. 230. D. 304. B.
Gens à quo. 407. C.
Ubertus Comes Flandriæ Dux exercitus. 1049. C.
Ubertus Pallavicinus Brixiam premit. 1039. A.
In Icilinum conjurat. 1040. B.
Eum habet in poteſtatem. E.
Parmenſes incitat. 1041. B.
Principatum Cremonæ & Brixiæ gerens. 1045. C.
Reſiſtere conatur. 1049. C.
Cremona depulſus. 1050. D.
Vectigal cui opponatur. 242. D.
A quibus & qui peterent. 270. E.
Optimum. 700. B.
Vellejus Paterculus de ejus ſcriptis judicium. 963. A. D. 965. C. 968. D.
Quando correctus. 1028. B.
Venedicus Caccianimicus Mediolani Præf. 1054. E.
Mutinæ. 1056. C.
Venetiæ laudantur. 497. B. 510. E. 543. A. 544. B.
Athenis comparantur. D.
Ejus principes laudati. 544. (IV)
Ejus Reſpublica laudata. 1070. fi. 1072. 1073.
Veneti cum Genuenſibus contendentes. 1039. C.
In penuria. 1052. D.
Bellantes. 1054. A. 156. C.
Percuſſi. 1055. A.
Pacificati. 1057. D.
Ad propriam hiſtoriam excitati. 1073. fi.
Vennones ſeu
Vennoni gens à quo. 406. E.
Cognomen quorum. 421. A.
Venox cognomen cujus, unde. 415. C.
Verba, eorum delectus fons eloquentiæ. 924. E.
Verginii quo cognomine uſi. 421. A.
Veriſimile ejus genera duo. 451. D.
Ejus uſus. 454. B.
Cui aſſociandum. 464. D.
Ex quibus ducatur. 566. C. 567. A. C.
Veritas quomodo ſequenda. 501. A. 936. E.
Ejus commendatio. 545. A.
Veritas catholica an opinio dici poſſit. 1158. B.
Vernius Flaccus quando vixerit dubium. 994. B.
Verona laudatur. 1071. 1074. fi. 1075. init. 1076.
Veronenſes præſidium Icilini expellunt. 1041. A.
In factione. 1049. C.
Hæreticorum inimiciſſimi. 1074. fi.
Verſura vetita. 1018. B.
Verucoſſus qui, unde. 419. D.
Parvæ durationis. 422. D.
Veſpillo cognomen cujus, unde. 416. B.
Veturia, tribus & centuria. 97. D.
Veturii gens quo cognomine uterentur. 415. C.
Ufenas cognomen unde. 421. A.
Viator qui eo nomine uterentur. 282. D. 364. D.
Vibus prænom. unde. 388. A. 390. B.
Qui ab ipſo. 406. C.
Vicentini male habiti ab Icilino. 1039. C.
Oppugnati. 1041. A.
Videſtus à Ponte Carali Brixianus Bononiæ Præt. 1057. D.
Vido à Ponte Carali Brixianus Bononiæ Præf. 1051. B.
Vido Caccianimicus Hencio Regi fugam parat. 1053. D.
Vido Corrigius Parmenſ. Bononiæ Prætor. 1054. A.
Exercitum ducit. C.
Vido Lambertinus Magiſter Sodalitatis & exercitus Dux. 1049. B.
Vido Monteſeltrius copiarum ductor. 1061. C.
Minatur. 1062. A.
Victor. B.
Vido Petraſancta Prætor Mutinæ egregiè ſe gerit. 1039. D.
Vido Suzaria laudatur. 1044. B.
Viducius Ramponus Præt. & Præf. Senis. 1041. C.
Villicus, magiſter quorum ſit oporteat. 667. B.
Vincentius Gilianus commendatus. 763. D.
Vincentius Madius inſultatus. 306. C.
In Robortellum teſtis. 344. A.

Vin-

Vincentius Pinelli, ad eum epiſtolæ. 1029. E.
Vipſania gens, unde, quæ. 402 A.
Quo cognomine uſa. 420. E.
Vir optimus qui. 412. C
Virtus, divinæ naturæ propria. 549. C.
Qua exceptione gaudeat. 563. C.
Quid cauſet. 571. B
Corporis quotuplex. C.
Nobilitate clareſcit. D.
Exiſtimationem parit. 572 B.
Laudatori propoſita. 579. E.
Quæ facultas. 580. A.
Ejus exuperantia. 591. D.
Cauſſa cujus. 597. C. E. 614. C. 689. D. 690. A.
Reipublicæ moderatori conveniens. 701. E. 704. E.
Sola bonum. 728. C.
Conſtans. 732. D.
Colenda. 733. D.
Voluptate deſtruitur. 734. D.
Solida quæ. 864. A.
Neglecta. 870. D.
Ejus gloria. 871. C. 872. A.
Et merces. 873. D. 914. A.
Provehenda. 875. A.
Ejus præmia. 915. A.
Vis, quæ efficiat. 584. D.
Vita pop. Rom. publica & privata quas rationes adſcribat. 269. E. 270. A.
Miſeriis plena. 746. A. 841. C.
Vere vitalis quæ. 843. B.
Ejus terminus divinitus conſtitutus. 862. B.
Vitellii gens unde. 404. C.
Viterbium ibi Ro. Po. conſecratus. 1049. A.
Mortuus. 1053. A.
Alter conſecratus. 1057. D.
Vitia, caſtigantur. 872. C.
Ab hominis natura aliena. D.
Corporis & animi comparata. 914. C.
Vituli cognomen quorum, unde. 413. E.
Vituperantes quid inſpiciant. 568. E. 579. E. 623. D. 627. A.
Unctio Sacerdotum & Regum. 1219. B.
Vocabula propriam rationem habent. 531. A.
An his abutatur auctor. 1128. A. 1140. A. 1142. D. 1143. E. 1144. D. 1145. C. 1146. C.
Volero prænom. unde. 388. A. 390. A.
Volſci qui, controverſum. 20. C.
Bellum moventes in Rom. 59. A.
Volſcii gens à quo. 407. C.
Volumnii quo cognomine uſi. 412. D.
Voluptas quod bonum. 574. B.
Quid. 585. B.
Unde. 598. C. 602. B.
Ea perturbatur animus. 677. B.
De qua Epicurus. 697. D.
Homines indigna. 322. C.
Sola bonum. 728. C.
Quam damnoſa. 734. C. 847. A.
Voluſus prænom. unde. 388. A. 390. D.
Pro cognomine uſur patum. 394. E.
Qui ab ipſo. 406. C.
Cognomen quorum. 421. B.
Vopiſcus an cognomen. 155. A.
Vopiſcus prænom. ejus origo. 388. A. 390. B.
Cognomen unde. 410. A. E.
Urbanæ poteſtates quæ. 269. E.
Urbanus IV. Rom. Pont. ordinem militum confirmat. 1045. A.
Advocat Concilium. 1047. B.
Urcëi vet. Caſtrum Brix. invaſum. 1040. B.
Utilia, in oratione quomodo ſumenda. 585. A.
Utilitas, hiſtoriæ finis. 437. A.
Suaſoris finis. 573. D. 623. D.
Ab honeſtate quid differat. 614. C. 615. B.
Vulcatius Gallicanus de ejus hiſt. judicium. 963. C. 966. B. 971. C.
Vulſo cognomen unde, quorum. 421. A. 422. D.
Vulſcus cognomen unde, quorum. 421. A.
Uxor quid à ſponſa differat. 228. B. 281. C.
Ex quibus familiis aſſumenda. 227. C. 270. C. 271. B. 274. D.
An clericis licita. 1136. C.

X

X*Erſes cur collacrymatus*. 846. D.

Z

Z*Elus Chriſtianæ religionis, tempora noſtra deplorat*. 1070.
Zoſimus de ejus hiſt. judicium. 963. C. 965. D. 966. C. 972. C.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google